DANIELIS SENNERTI

VRATISLAVIENSIS,

DOCTORIS ET MEDICINÆ PROFESSORIS IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

OPERUM TOMUS SEXTUS,

QUO CONTINENTUR

EPITOME LIBRORUM DE FEBRIBUS.
DE FEBRIBUS, LIBRI QUATUOR.
FASCICULUS MEDICAMENTORUM CONTRA PESTEM.
EPISTOLARUM MEDICINALIUM, UNA CUM RESPONSORIIS D. MICHAELIS DORINGIJ, CENTURIÆ DUÆ.

EDITIO NOVISSIMA.



LUGDUNI,
Sumptibus JOANNIS ANTONII HUGUETAN.
M. DC. LXXVI.
Cum Privilegiis S. Cæs. Majest. & Regis Christianissimi.

EXCELLENTISSIMO VIRO,

D. CAROLO SPONIO,

DOCT. MED. MONSPELIENSI,

Collegio Medicorum Lugdunensium in Galliis Aggregato,

PHILIPPVS IACOBVS SACHS A LEVVENHEIMB,
D. Med. Vratislauiensis, & Collegy Naturæ Curiosorum Collega.

SP. *Vir Excellentissime ac Experientissime, Dom. Doctor* SPONI, *Amice singulariter honorande.* Postquam literarum bonarum lumen, eversâ anno Christi 1453. Constantinopoli, trans mare migrans, Italicæ primùm, mox & Alpes transiens, Germanicæ barbariei vmbras fugasse visum fuit: ab illo tempore *Silesia* quoque splendidissimis polymathiæ radiis illustrata, tam fertilem, tamque turgentem eruditissimorum ingeniorum exhibuit messem, vt paucæ in Germania provinciæ hactenus cum ea contendere, aut palmam ipsi præripere ausæ fuerint. Quam rem satis attestari posset *Nicolai Henelij* ab Hennenfeld, Rerum Silesiacarum Nestoris quondam prudentissimi, necnon Reipublicæ Vratislaviensis Syndici meritissimi *Silesia Togata*, (plusculos Silesiorum centenarios velut in scena descriptos exhibens, qui licèt iam corpore esse desierint, meliore tamen sui parte adhuc supersunt, & nominis famâ vtrumque Solis cubile implent) nisi præ temporum nostrorum injuria atque incuria, confectò Heneliano operi cum blattis tineisque potiùs pugnandum esset, quàm vt publicis typis Silesiorum famam æternitati mandare posset. Enimverò vt paucos è multis hic attingam, ex Theologorum censu exhibuit Silesia nostra *Abrahamum Bucholzerum* Freistad. Chronologum nominatissimum: *Abrahamum Scultetum* Grunberg. Pastorem aulicum Heidelbergensem: *Amandum Polanum* Oppav. Professorem Basileensem: *Dauidem Pareum*, Profess. Heidelbergensem: *Georgium VVeinrichium* Hirschbergensem, Superintendentem Lipsensem: *Hieronymum Mencelium* Svvidnic: Superintend. Illebianum, &c. Ex Jurisperitis, *Albertum Kindlerum* Hirschberg. Cancellarium inferioris Lusatiæ: *Andream Sartorium*, Profess. Francofurtanum: *Hieremiam Sezerum*, Svvidnic. Professorem Francofurt. *Hieronymum Treutlerum*, *Iohannem Reiman* Leoberg. Consiliarium Lignio-Bregensem: *Michaelem Vvirt*, Cancellarium Coburgensem: *Nicolaum Reusnerum* Leob. Professorem Ienensem: *Sebastianum Gerstmannum*, Profess. Francofurtensem. Ex Medicis, *Balthasarem Gitlerum* Leoberg. *Iohannem Zeidlerum*, necnon *Ioh. Hoppium*, Leobergenses, & Lipsiæ Facultatis Medicæ sibi invicem in Decanatu & Senioratu Successores: *Iohannem Langium* Leoberg. quinque Palatinorum Electorum Medicum: *Melchiorem Sebizium*, Regis Galliarum Henrici II. Archiatrum, pòst Professorem Argentorat. illius parentem, qui hodie summa cum laude eandem Professionem, idemque planè nomen obtinet: duos *Georgios Vvirth*, quorum vnus Ludovici Hungariæ & Bohemiæ Regis Archiater, alter Caroli V. Imperatoris & Philippi Hispaniarum Regis Medicus: *Fridericum Sebizium*, Ducis Biegensis Medicum; *Iohannem Montanum* Strigens. Terræ Silesiacæ inuentorem, & innumeros alios: vt de Germanæ Poëseos fulcris in Silesia prognatis, *Opitio* Tschemingio, & nostra ætate incomparabili *Gryphio*, nihil addam. Sed de quo partitim Silesiæ Vrbes gloriantur, id *Vratislavia*, Silesiorum metropolis proprio sibi iure vendicat: siquidem ex ipsius sinu pluxes quàm insignium Martis pullorum agmina quondam ex equo Troiano dicuntur effusa, prodierunt eruditione præcellentissimi Viri, vt non sine causa *Iohan. Caselius Epist. ad Iohan. Cragium Regis Britanniæ Archiatrum*, Operibus Duncani Liddelij Scoti Medici præfixa, pronunciarit, *Vratislauiam ingeniorum felicissimorum esse admodum feracem*. Prætermissis verò nunc Theologis, Iurisperitis, Philosophis, Poëtis, magno numero Vratislauiam pro natali solo agnoscentibus; ex Medicis nominare libet, *Iohannem Cratonem à Krafftheim*, III. Imp. Cæs. Medicum intimum. *Iohannem Iessenium à Iessen*, Professorem VVitebergensem, pòst Pragensem: *Iohannem & Sigismundum VVoyssolios* Medicos Cæsareos: *Laurentium Scholzium à Rosenau*: *Petrum Monauium*: *Danielem Bucretium*: *Iohannem Hennemannum* Reising: qui pauci ex innumero numero selecti affatim testantur Vratislauiam saluberrimum Æsculapij fanum fuisse. Tandem quorum causa hæc commemorata fuerunt, in proscenium producendi Duumviri Reip. Medicæ solertissimi & experientissimi, Dom. *D. Daniel Sennertus*, Professor VVitebergensis celeberrimus, & Dom. *D. Michaël Doringius*, Professor primùm in Academia Giessena, post Physicus Reip. patriæ meritissimus: quos cùm Vratislauia communi patriæ vinculo, pòst studiorum communium par assiduitas, tandem matrimonij affinitas strictissimo iunxisset nexu, corpore quidem diuisi, animo semper coniunctissimi, per *Disquisitiones Epistolicas* & iucundissima & vtilissima ex re Medica per literarium commercium rimanda & explicanda sibi proposuerunt. Dignas profectò

Duum

Duumvirûm horum concivium laudes pangere, facile non est, calamum enim res ista posceret disertissimum, quomodo Alexandrum magnum vnus olim Praxiteles sculpere, vnus Parrhasius pingere meruit. Ego sanè tale tantúmque onus meis humeris impar lubens agnosco, tenuique meo præconio Heroum istorum Manibus iniuriam quandam afferre meritò pertimesco. Sufficiat ergo, quod totum eruditum orbem fama ipsorum longè latéque peragrauerit, nec vlla sit Europæ prouincia tam dissita, quam lucidi radij, per selectissima ipsorum scripta dispersi, non abundè penetrauerint. Præter alia namque ipsorum monumenta varia, priuata hæc & familiarissima Epistolica colloquia vtriusque horum prudentiam scientiámque medicam satis superque patefaciunt. Porrò tametsi constituisset *Mich. Doringius à viuis*, antequàm è viuis excederet, partum hunc Iatricum publicæ luci exponere, proptercáque pleraíque iam Epistolas mundiore charta describi curasset: postremis tamen ætatis annis, non tantùm crebris podagræ insultibus infestatus, sed & negotiorum in praxi mole obrutus, accedente insuper tum temporis belli calamitate, miserè Germaniam ac nominatim Silesiam quoque diuexante, Musisque exilium indicente, à publicatione abstinere coactus fuit, tandemque morte præuentus est, antequàm voto concepto potiri concederetur. Hinc itaque factum, vt Epistolicæ hæ Disquisitiones post excessum *Sennerti* primùm, deinde & post *Doringij* quoque fata, diuturni veluti carceris squallore ferè consumtæ hæserint tum apud alios, tum etiam tandem apud me, hæsissentque forsan prolixiùs, nisi tuo, *Excellentissime* Sponi, instinctu & impulsu, vtpote qui me Lugduni Gallorum præsentem amicabili affatu, mos per crebras literas absentem compellasti, instigastique, vt fœtum hunc literarium sommorum Asclepiadarum, ab imminenti eriperem interitu) in libertatem tandem assertæ ac vindicatæ fuissent. Dum enim e longinquo prospexisses surgentes ab Oriente ac Turcica barbarie densissimas nubes, quæ non tantùm Hungariæ, sed & Silesiæ nostræ nimiùm ipsi vicinæ, tempestates atrocissimas, imò nil præter cædes, flammas, cineres ac vastitates minarentur, commodum vrgere non destitisti, vt dulces hasce reliquias ad te, in Galliam, tanquam tutissimum in portum, transmitterem. Æquissimo itaque tuo desiderio morem gerens (quod alium sibi finem propositum hîc habere non video, quam publicam Rei Medicæ vtilitatem, Auctorúmque nominis immortalitatem) Epistolas has Medicinales libens transmitto, ac dedico, tuæque fidei vnicè commendo, rogans, vt obstetricante tua operâ lucem vitámque breui sortiantur, & ex prælo Typographico, tanquam Venus ex sua concha, nitidissimæ prodeant. Fac ergo, *Vir Excellentissime*, vt quemadmodùm Mercurij Caduciferi vice functus es modò, ex vmbris scilicet ipsas euocando, sic Numinum omnium viuificorum, Menæ, Lucinæ, Vterinæ, Opigenæ, Alemenæ, Vitumni & Sentini, officia propediem ipsis præstes, eáque qua apud eruditos polles auctoritate, longè meliùs quàm solebant Gentiles appensu fascini signo, Zoilos & Caprimulgos quosuis arceas ac deterreas. Interim vt recèns natis acclamabant Veteres, *Hodie Nate Salue*, boni ominis causâ, patere quæso vt gratulatoriis versiculis instantem hunc partum amicè consalutem, tuámque benignam opem in ipso promouendo implorem atque celebrem.

CARMEN προσφωνητικόν.

SENNERTVM, & DOERINGIADEN, Fidissima quondam
Pectora, Amor, Studia *ac* Patria *nexuerant.*
Tam rara verò arcta paris Mors *fœdera soluit,*
Sors quoque tentabat perdere Mentis opes.
Mentis opes fuerisse, ab iis perarata vocamus
De medicis rebus vomere epistolico.
Hac scripta, ô Sponi, *tenebris te vindice surgunt,*
Sicque nouo Manes fœdere conueniunt.
Quod neque Mors *poterit, neque* Sors, *neque frangere* Mauors
Quem Germano hodie Turca Scythesque mouent.
Saluete Heroës *rediuiui sidere fausto,*
Vosque perenni auo fama loquatur anus!
At tu Breslenses reuocans à funere ciues,
Hac à Breslensi suscipe vota *Viro.*
Dent tibi Castalides, rogo, præmia digna sorores,
Eximiâ, Sponi, *pro pietate tua.*
Quin faxint, vt perpetuum ver incubet vrna,
Quando vale iubari dixeris atherio!

Datum Vratislav. Silesiorum, Kal. Martij, Anni M. D C. L X IV.

EPITOME

EPITOME LIBRORVM DE FEBRIBVS.

LIBER PRIMVS,

De Febre in genere ; & de Febre Ephemera, ac Synocha sine putredine.

CAPVT PRIMVM,

De natura Febris.

Febris nomen.

QVÆ Latinis Febris appellatur, Græcis ἀπὸ τοῦ πυρὸς πυρετὸς, & Hippocrati absolutè πῦρ, imprimis si sit vehementior, appellatur, vtpote, quæ omnium consensu morbus calidus est. Quanquam enim Germani quidam *das Kalte* nominant: tamen ea appellatio nec omnis febris est, nec febris naturam exprimit, sed frigus saltem, quod intermittentium quoddam symptoma est, hoc vocabulo indigitatur.

Definitio & natura.

Est enim febris calida intemperies totius, à calore præter naturam in corde accenso, & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus, nisi impediatur, effuso orta, actionésque naturales lædent.

Generatio.

Generatur quippe febris, cum, vt Galenus, 1. *aphor.* 14. habet, caliditas natiua in igneam mutatur. Nam cùm omnes corporis partes certam quandam temperiem obtineant, omnésque actu, suo quæque modo, calidæ sint, atque inde ad actiones naturales edendas aptæ reddantur: si in corde, à quo in omnes corporis partes calor vitalis, qui insitam cuique parti temperiem perficit, effunditur, calor quidam præter naturam accenditur, ac in totum corpus diffunditur, atque temperamento partium naturali gradus quidam caloris præternaturalis adduntur, & caliditas illa actualis intenditur; excessus quidam caloris, ac intemperies calida in toto corpore excitatur, quæ Febris nominatur. Quæ quidem intemperies formaliter, vt nonnulli loquuntur, præter naturam est, & febris appellatur; materialiter verò non est tota præter naturam. Nisi enim caloris illius naturalis gradus quidam præextitissent, calor ille superueniens hunc caloris gradum constituere non potuisset.

Siccitas non est de essentia febris.

Et quidem sola intemperies calida febris essentiam constituit. Etsi enim omnis febrilis calor ad siccitatem tendat: tamen siccitas illa non in omnibus febribus morbosa est. Neque sicut ob febrilem calorem corpus ineptum ad actiones naturales redditur: ita etiam ob siccitatem in omni febre actiones naturales læduntur; sed licet calor febrilis semper quidem ad siccitatem tendat, tamen sæpe corporis dispositio, in quod calor ille agit, ac humiditas impedit ne siccitas morbosa corpori inducatur.

Subiectum.

Subiectum adæquatum febris est totum corpus, aut certè pleræque eius partes: præcipuum verò cor, vtpote in quo calor ille primùm accenditur, & in omnes corporis partes, nisi aliquid impediat, diffunditur. Neque enim febris generari potest, nisi cor primò incalescat. Et quidem totum corpus febris subiectum est, respectu partium similarium, & quatenus calore actuali, qui ex insito ac influente calore quasi conflatur, præditum est. Hic enim calor cum mutatur, & ex temperato & moderato in igneum conuertitur, febris excitatur.

Caussa proxima febris est calor præter naturam in corde accensus, ac in totum corpus diffusus. Vt enim cor, dum secundùm naturam, & rectè sese habet, caloris natiui fons est, eúmque in totum corpus diffundit: ita si præter naturam incalescat, calorem præternaturalem in omnibus partibus accendit. Etsi enim ex aliarum etiam partium inflammationibus febris accendatur: tamen id non accidit, nisi priùs calor ille cordi communicetur, è quo deinceps in totum corpus diffunditur, vnde etiam in omni febre in pulsu fit mutatio. Non tamen quivis calor cordis ad febrem excitandam sufficit: sed talis ac tantus sit necesse est, vt intemperiem calidam talem in corpore excitare possit, ob quam actiones corporis naturales lædantur.

Febris & calor febrilis differunt.

Ex quibus patet, aliud esse febrem, aliud calorem febrilem. Febris propriè est intemperies illa calida, quæ viuentibus corporis partibus inest, eásque ad agendum impotentes reddit. Calor verò febrilis ille etiam est, qui in humoribus & spiritibus est, quique calidam illam intemperiem, quæ febris essentiam constituit, in toto corpore excitat.

CAPVT II.

De caussis febrium in genere.

Caussa febris.

ETsi verò intemperiei calidæ in toto corpore, quæ febris essentiam constituit, caussa est vnica, calor scilicet p. n. in corde accensus, & hinc in totum corpus diffusus: tamen caussæ, quæ calorem in corde excitant, variæ sunt. Galenus, *de caussis morb.* c. 2. & 1. *de diff. febr. cap.* 3. quinque recenset, motum scilicet, putrefactionem, contactum rei calidæ, cutis constrictionem, seu retentionem calidi effluuij, denique admistionem rei calidæ. Caussæ tamen hæ aliæ per se & primò, aliæ per accidens, calorem excitant

1. Motus.

Motum primò, quod attinet, cùm spiritus & humores corporis nostri calidi sint, ex eorum, pro vario corporis atque animi motu, & in partem aliquam concursu, calor augetur, qui si fit maior, & in corde vel accendatur, vel alibi genitus cordi communicetur, febris inde excitatur.

2. Putredo.

Secundò calorem excitat putredo. Cùm enim omnia, quæ putrescunt, calidiora fiant, & ex corporibus putrescentibus multi calidi vapores attollantur: calor inde in venis & arteriis excitatur, qui cordi communicatus febrem excitat.

3. Contactus rei calidæ.

Tertiò contactus rei calidæ febrem excitat, & si corpus, vel à Sole, vel ab igne, vel balneis, vel medicamentis, incalescat, & calor ille vsque ad cor propagetur, febris accenditur.

4. Calidi effluuij retentio.

Quartò, si pori cutis constringantur, ac calidum effluuium, & vapores, ac halituosa excrementa, quæ in coctione in corpore generantur, & per poros cutis discuti solent, retineantur, hinc calor excitatur, & tandem febris. Id quod fit ab aëre frigido, & balneo aquæ frigidæ & aluminosæ, & aliis caussis poros constringentibus & claudentibus.

5. Admistio rei calidæ.

Tandem si humoribus & spiritibus res calidæ permisceantur, vt cibus, potus, medicamenta calida, omnia ista calorem, quem obtinent, spiritibus ac humoribus communicant, qui si ad cor penetret, & inde in totum corpus diffundatur, febris excitatur.

Et quidem quartum genus caussæ, seu calidi effluuij retentio sola, absque reliquis, ad febrem excitandam sufficit: Reliquæ verò caussæ absque hac febrem vix excitare valent. Etsi enim à motu, putredine, contactu, ac permistione rei calidæ, vapores calidi in corpore excitantur: tamen si corpus liberè ventiletur, & quantum in dies talium vaporum generatur, iterum discutiatur, febris facilè non excitatur. Quando verò calidi illi vapores retinentur, febris accenditur.

Corporis ad febrem dispositio.

Etsi verò hæ caussæ, si validæ sint, in quocunque corpore febrem accendere possint: tamen in dispositis corporibus etiã mediocris caussarum vis ad febrem inducendam sufficit. Sunt autem ad febres magis dispositi, qui plurimo calore, acri, ac salsuginoso abundant. Qua de caussa ad febres iuuenes magis sunt dispositi. De quo videatur Galenus, 8. *Meth. med.* *cap.* 8. vbi totus ordo dispositionum ad febres hic habetur. 1. calida ac sicca. 2. calida & humida. 3. calida tantùm. 4. sicca tantùm. 5. temperata. 6. frigida & sicca. 7. frigidu

Digitized by Google

tantum. 8. humida tantum. 9. frigida & humida. Ad aliud tamen febrium genus alia corpora magis disposita sunt.

CAPVT III.

De Symptomatibus febrium in genere.

Febrium Symptomata.

CVm verò in febre temperies corporis mutetur & callidior reddatur, hinc febrium Symptomata quædam oriri necessum est. Et primò quidem facilè hinc patet, eas actiones præcipuè, lædi, quæ à similaribus partibus, quatenus tales sunt, & beneficio temperamenti cuiusque partis, nulla instrumentariæ partis constitutione concurrente, obeuntur. Talis actio cùm sit nutritio, & quæ ei inseruiunt, eæ præcipuè in febribus læduntur. Quia tamen organa, quibus reliquæ actiones obeuntur, ex similaribus constant, labes illa ad reliquas actiones, vitales & animales puta, deriuatur. Et quidem vitales actiones maximè in febre læduntur, cùm febrilis calor primùm in corde accendatur. Vnde in omni febre pulsus fiunt frequentiores & celeriores. Nam cùm vsus in omni febre augeatur, primò fit pulsus creber, vtpote qui est omnium facillimus. Quod si frequentia necessitati non satisfaciat, celeritas accedit: quod si nec sic necessitati satisfiat, tandem magnitudo accedit; modò virtus non sit debilis. Actiones etiam animales non rarò læduntur. Reliqua Symptomata quod attinet, calor præternaturalis molestus vel foris vel intus percipitur. Ex coctionibus læsis etiam excrementa & qualitates corporis variæ mutantur.

CAPVT IV.

De Febrium differentiis in genere.

Differentia.

POrrò differentias febrium quod attinet, sumuntur aliæ ab earum essentia, aliæ ab accidentibus. A calore ipso febris differentias desumptas proposuit Hippocrates, 6. *Epid. comment.* 1. *text.* 29. quod febres aliæ sint mordaces, quæ scilicet manum tangentis mox feriunt, & propter vaporem illum acrem, qui ex putrescente materia attollitur, manum quasi pungunt: Mites verò, quæ ipsæ quidem etiam calorem molestum habent, sed non ita acrem. Deinde febrium aliarum calor ad primum tactum quidem acris & mordax non videtur, sed si manus diutius iniecta teneatur, postea sese prodit: aliarum contra calor manui celeriter sese offert, sed si manu diù iniecta teneatur, à manu superatur, & paulatim remittit.

Verùm maximè propriæ sunt illæ differentiæ, quæ sumuntur ab inhærentia in subiecto & caussa inhærentiæ; qua diuiduntur febres in *ephemeras, putridas & hecticas*: cuius diuisionis fundamentum verissimum hoc est, quod febris alia est κατ' ἕξιν seu in habitudine, alia ἑκτικὰ seu in habitu. Etsi enim calor febrilis in omni febre partes corporis similares occupat: tamen aliàs ita inhæret, vt nulla caussa fouente indigeat, & licet à spirituum & humorum incendio non foueatur; nihilominus durare possit, quæ febris ἑκτικὰ nominatur. Aliàs intemperies calida ita inest similaribus corporis partibus, vt nisi à spirituum & humorum incendio foueatur, subsistere amplius non possit, quæ febris κατ' ἕξιν nominatur: quæ pro ratione caussæ duplex est, *ephemera*, ad quam etiam Synocha sine putredine refertur; & *putrida.*

Est & illa notatu digna differentia, quod febris alia est primaria, alia symptomatica. Primaria est, quæ nullum morbum sequitur, sed à propria caussa pendet. Secundaria vel symptomatica, quæ ab inflammatione alicuius membri oritur. Vide Galenum, 4. *aph.* 73.

Febres Comitata.

Verùm de Symptomaticis notandum, earum, quæ ab antiquis omnes pro Symptomaticis habitæ sunt, reuera plurimas primarias esse, & inflammationes partium, pleuræ, pulmonis, faucium, potius iis accidere, quàm vt febres ab iis ortum habeant: quæ febres non incommodè Comitatæ nominantur.

CAPVT V.

De curatione febrium in genere.

Curatio.

CVrationem quod attinet, equidem febris qua febris, vt intemperies calida, refrigerantia indicat. Galenus, 8. *Method. med. cap.* 5. Verùm quia febrium non parua est differentia, & sæpe cum caussa sua coniuncta est febris, caussæ etiam habenda est ratio. Imò quia non rarò plus vrget caussa, quàm ipsa febris, ita refrigerandum, ne caussa foueatur, & quæ tolli debebant, in corpore detineantur. Et non rarò hac in re peccatur, dum, saltem caloris ratione habita, refrigerantia exhibentur, quibus caussa febris detinetur & febris prolongatur: cum contra calefacientia, seu aperientia seu sudorifera, sine refrigerantibus, febrem sæpe feliciter tollant. Caussa enim sublata ipsa febris sponte cessat. De quibus postea in specie dicetur.

CAPVT VI.

De Febre Ephemera.

Febres κατ' ἕξιν.

FEbrium, quarum calor partibus corporis nostri κατ' ἕξιν inhæret, duplex genus est. Intemperies enim illa calida partium vel à spirituum, vel humorum calore & incendio fouetur: & quidem humores vel absque, vel cum putredine accenduntur. Febres, quæ à spirituum & humorum sine putredine calore fouentur, Ephemeræ & humorales sine putredine: quæ ab humoribus putrescentibus accenduntur, Putridæ dicuntur.

Ephemera nomen.

Definitio.

Quæ à spirituum incendio fouetur febris, Græcis πυρετὸς ἐφήμερος, Latinis Diaria, & Ephemera appellatur, nomine non ab essentia eiusdem, sed à duratione petito. Essentiæ verò ratione definiri potest; *quod sit febris à spirituum vitalium incendio, seu spiritibus vitalibus calefactis orta & dependens.*

Caussa proxima.

Caussa nimirum proxima huius febris est spirituum vitalium calor præter naturam & incendium, à quibus per arterias in totum corpus effusis id præter naturam incalescit.

Caussa remota.

Excitatur autem ille ab omnibus caussis supra, *cap.* 5. propositis, excepta putredine: quæ quidem nunc immediatè, nunc mediatè per spiritus naturales & animales, spiritus vitales calefaciunt: scilicet animi perturbationes, tristitia, timor, sollicitudo, ira, vigiliæ nimiæ, animi nimia intentio; corporis motus nimij, dolores, fames, sitis, cibus ac potus calidus, ebrietas, cruditas in corporibus biliosis; æstus aëris, ignis; balneum calidum; calidi effluuij retentio; inflammationes adenum, & bubones, è quibus sola caliditas sine putridis vaporibus cordi communicatur, secundùm vulgatam sententiam. Impossibile tamen non videtur, quin ipsi vapores putridi, per venas & arterias in partem affectam tendentes, cordi communicari possint. Atque ita febres hæ essent potius Symptomaticæ, quàm putridæ.

Corporis dispositio.

Incidunt autem in febrem hanc facilius calidi & sicci, in quibus calidæ & siccæ fuligines multæ colliguntur, quæ promptè à caussis calefacientibus accenduntur.

Signa diagnostica.

Inter signa, quibus hæc febris cognoscitur & ab aliis discernitur, primo loco recenset Galenus, 1. *de differ. febrium, cap.* 7. incipere à caussa procatarctica, euidente & manifesta. Quod signum quidem est inseparabile, sed non proprium. Nam febris quidem, quæ non incipit à caussa procatarctica & manifesta, non est Ephemera: non tamen omnis febris, quæ incipit à caussa manifesta, est Ephemera. 2. Deinde vrina in substantia, colore, & contentis vrinæ sanorum est simillima, aut certè non multum ab ea recedit, quod in Ephemera, quæ ex cruditate prouenit, fieri solet, in quibus vrina crudior & albidior apparet. 3. Pulsus naturali propior est, quàm in vlla alia febre, nisi quod in magnitudine, celeritate & frequentia intendi solet. Pro caussæ tamen etiam ratione, quæ febrem induxit, aliqua in pulsu mutatio fieri potest. 4 Calor huius febris est mitis & suauis aliarum febrium respectu. 5. Imò in ipso etiam statu & ἀκμῇ febris calor est moderatior & blandior. 6. Inuadit hæc febris sine frigore, horrore vel rigore, ascensusque & augmentum in calore & pulsu est liberum & æquale. 7. Tandem declinatio fit cum madore, seu humida euaporatione, sudori sanorum, qui ab exercitio paulò maiore erumpit, simili; madoremque istum perfecta ἀπυρεξία sequitur, vt nullum post declinationem vel in pulsu, vel in aliis febris relinquatur vestigium. Et si aliquod febris vestigium relinquatur, in aliam febrem permutari inditio est.

Caussæ autem rectissimè ex relatione ægri cognoscuntur, qui Medicum edocere poterit, an ex animi affectu, corporis motu, vel alia caussa euidente in hanc febrem inciderit. Ipsæ tamen etiam hæ caussæ sui vestigium in corpore relinquunt, quod Medicum latere non poterit.

Prognostica.

Cæterùm febres hæ omnium sunt breuissimæ, & vltra 24. horas non extenduntur. Vacant etiam omni periculo, modò error aliquis non committatur, & à natura plerumque vincuntur, vnde rarò ad tales febres curandas Medici vocantur. Pro diuersitate tamen caussarum, à quibus inducuntur, aliæ facilius, aliæ difficilius tolluntur. Quæ enim caussæ difficiliùs tolluntur, & humores vim corrumpendi habent, ab iis inducta febris facilè in putridam degenerat; quod fit, vbi vltra 24. horas extenditur, aut nullus sudor erumpit, dolor capitis adest & perseuerat. Et quidem degenerat vel in Synocham sine putredine, si corpus sit iuuenile, plethoricum; vel in putridam, si corpus sit cacochymum; vel in hecticam, si corpus sit calidum, siccum, rarum. Indicántque etiam signa febrium illarum propria, in quamnam earum fiat transmutatio.

Indicationes.

Porrò cùm febris hæc sit calida totius intemperies à spirituum incensorum feruore dependens: & feruor spirituum & intemperies ab eo inducta, refrigerantia indicant. Si tamen causa eam excitans adhuc præsens sit, etiam illa tollenda.

Curantur

Curatio.

Curantur autem febres hæ victu commodo, vt accuratioribus medicamentis raro opus sit. Victus ergo sit refrigerans & humectans. Cibus sit boni succi & facilis coctionis: imprimis vtilis est cremor hordei: reliqui condiantur lactuca, acetosa, succo citri, aceto. Potus sit aqua hordei, vel cereuisia tenuis, aut vinum album, tenue. Si tamen dolor capitis adsit, aut febris sit ex ira vel bubone, vino plane abstinendum. Antiquis balneum aquæ tepidæ fuit vsitatissimum: verùm hodie nec eadem in apparandis balneis adhibetur industria, nec homines nostri ita ad balnea assueti & dispositi sunt.

Simul etiam ad caussas, quæ febrem induxerunt, respiciendum, iisque contraria opponenda. Vt si ab aëre calido sit Ephemera, æger in locum frigidum transferendus: si à motu nimio, quies imperanda, & corpus statim cibo reficiendum: si à vigiliis, somno indulgendum, &c.

Ephemera curatio ex angustia cutis.

Imprimis verò eius febris Ephemeræ, quæ ex cutis adstrictione, vel densitate, aut ventriculi cruditate ortum habet, diligens habenda ratio; cùm facilè in putridam abire possit. Et quidem Ephemera, quæ ab obstructione cutis fit, cùm potiùs à copia sanguinis, quàm à cacochymia fiat, in ea statim vena aperienda, vt sanguis imminuatur & ventiletur. Cutis verò densitas si fit à frigore vel adstringentibus, iis, quæ rarefaciunt & aperiunt cutem, curatur; balneo aquæ dulcis tepidæ, frictionibus mollioribus, oleis temperatis & tepidis, quibus corpus inungendum. Si verò à caussis exsiccantibus sit cutis densitas vtendum victu humectante, corpúsque illinendum oleis temperatis & humectantibus.

E ventriculi cruditate.

Tandem si ex cruditate sit febris Ephemera, cùm cruditas illa sit duplex, vna acida dicta, quæ ex calore diminuto prouenit, altera nidorosa, quæ à calore p. n. aucto ortum habet; si ex acida cruditate, quod tamen raro fit, febris Ephemera proueniat, & quidem cruditas illa sit minor, vt cibus in meliorem statum reduci possit, somno & quieti indulgendum, & à somno cibus facilis coctionis pauca quantitate exhibendus, & ventriculus oleis calidis fouendus. Quod si maior sit cruditas, cibus vomitu reiiciendus, aut si æger ad vomitum procliuis non sit, leni medicamento per aluum educendus, antequam in venas distribuatur, & à cibo abstinendum, ac ventriculus cum internis, tum externis medicamentis calefaciendus. Si verò cruditas sit nidorosa, frigidis ea corrigenda, quibus, si coctio non emendatur, cibus corruptus vel vomitu eiiciendus, vel per aluum lenibus medicamentis primas vias euacuantibus, bili conuenientibus, expurgandus, ac ventriculus corroborandus.

CAPVT VII.

De Ephemera plurium dierum, & Synocha sine putredine.

Ephemera plurium dierum.

Est tamen adhuc aliud febrium Ephemerarum genus, cui quidem nomen hoc non competit; cùm ad plures dies extendatur: ad nullum tamen aliud febrium genus, quam hoc, commodius referri potest. Ideoque, quasi Ephemera essentiæ nomen esset, Ephemera, sed cum adiectione, plurium dierum nominatur.

Synocha sine putredine.

Tales febres sunt primò eæ, quæ à febribus Ephemeris modo descriptis nulla re, nisi caussæ durabilitate differunt, qualis caussa est obstructio vasorum circa cutem, quæ cùm non mox desinat, etiam incendium spirituum tamdiu continuatur, donec caussa illa cesset. Deinde huc pertinet Synocha sine putredine dicta, vulgò etiam febris inflatiua appellata, quæ generatur à spirituum & sanguinis tenuioris efferuescentia sine putredine.

Caussa.

Caussa huius febris est prohibita transpiratio calidi effluuij, ex obstructione vel constrictione pororum cutis in corpore plethorico.

Durat hæc febris plures dies, ad tertium nimirum vel quartanum: neque enim vaporum ex sanguine exhalantium & accensorum copia vno die discuti, neque obstructio, vel adstrictio pororum cutis vna die solui potest.

Signa diagnostica.

Signa febris Synochæ sine putredine sunt eadem, quæ reliquarum Ephemerarum, magis tamen euidentia. Calor enim est paulò maior, quàm in reliquis Ephemeris: cutis non est sicca, sed madida quasi: vrina paulò crassior & rubicundior, pulsus vehemens, celer, frequens, plenus, magnus atque æqualis. Facies & totum corpus rubet, & quasi inflatum apparet; venæque copia sanguinis turgent; caput graue est, respiratio difficilior.

Prognostica.

Febris hæc, vt reliquæ Ephemeræ, periculo quidem vacat, soluitúrque sudore vel hæmorrhagia narium intra quartum, vel, si longius protrahatur, intra 7. diem: modò rectè tractetur. Nisi enim rectè tractetur, in Synocham cum putredine transit, aut in phrenitidem, anginam, pleuritidem, aliámve periculosam inflammationem mutatur.

Curatio.

Cæterùm cùm hæc febris ex spirituum & sanguinis tenuioris incendio, in corpore plethorico, ob prohibitam transpirationem ortum habeat, sanguis copia peccans imminuendus, calidus refrigerandus, pori clausi aperiendi.

Ideóque statim, præmisso tamen clystere, vel leniente medicamento, vena aperienda, vt sanguis imminuatur, ventiletur, refrigeretur, & à natura rectiùs gubernari possit. Et quidem satis copiosè, ac copiosiùs, quàm in vlla alia febre, sanguinem mittere licet, ita tamen, vt vires id ferre possint.

Alterantia quod attinet, Galenus refrigerandi sanguinis gratia aquam gelidam propinat, ægrúmque, quantumlibet, bibere iubet. Quod in iis locum habere potest, qui frigidæ potioni sunt assueti, & quibus nullum ex aquæ potu incommodum metuendum est, siue propter crassorum & lentorum succorum præsentiam, quos aqua frigida pota digeri prohibet, siue visceris alicuius debilitatem, ob quam ab aquæ frigidæ potu id offendi potest. Quæ conditiones cum in nostris corporibus raro adsint, vtendum potius aliis refrigerantibus, qualia sunt oxymel dilutius, aqua cichorij, endiuiæ, decoct. hordei, succus citri, oxysaccharum, spir. vitrioli, salis, & similia refrigerantia atque aperientia. Et vt apertio feliciùs perficitur, à syrupis & multo saccharo conditis, nisi multùm diluantur, abstinendum. Si obstructio pororum cutis adsit, aperienda, vt antea dictum.

Diæta.

Cibus sit tenuis & paucus, qui refrigerandi & humectandi vim habeat, in primis ptisanæ cremor. Cibus etiam condiatur succo citri, granatorum, ribes; potus sit aqua hordei, vel cereuisia tenuis.

Synocha biliosa Fernelij.

Fernelius, *de febribus, cap. 5.* alterius adhuc febris Synochæ mentionem facit, quæ fiat ex spirituum & biliosorum humorum incendio sine putredine, quæque ortum habeat ab iisdem caussis, à quibus Ephemeræ, si in corpus biliosum inciderint. Quæ quidem sententia locum habere potest, si de sanguinis calidioris parte tenuiore & subtiliore accipiatur, quæ interdum bilis appellari solet, non verò de bile excrementitia.

LIBER II.

De Febribus putridis.

CAPVT PRIMVM.

De Febribus putridis in genere.

Cvm febrium, quarum calor κτ' ὅλον, partibus inhæret, duplex genus sit, quarum alterum à spirituum vel sanguinis partis tenuioris incendio sine humorum putredine, alterum à vaporibus è putridis humoribus eleuatis ortum habet, ac fouetur, ac de priore genere hactenus dictum sit: proximum iam est, vt de febribus putridis dictis agamus.

Febres putridæ.

Dari autem febres putridas multa docent. Nam neque ab humorum natura alienum est, eos putrescere posse; cùm id omni mixto competat; & aliàs in corpore humano humores putrescere videamus, vt in inflammationibus accidit, in quibus pus generatur: sicut Galenus, 1. *de differ. febr. cap.* 6. putredinem, qua in venis humores putrescunt, cum ea, qua in tumoribus pus generatur, comparat. Et vt actu putrescant, caussæ sufficientes dantur, quas postea proponemus. Et res ipsa testatur humores in venis putrescere. Nam & sanguis, qui è venis sectis emittitur, & quæ per aluum, vrinam, sudorem euacuantur, satis fœtore & aliis modis putredinem humorum arguunt. Ipsaque curandi ratio eam demonstrat, quæ non solis alterantibus, sed & euacuatione humorum perficitur, quæ partim à natura, partim à Medico instituitur. Si enim citra putredinem febres humorales fierent, etiam solis alterantibus curarentur. Et quidem febres tales non solùm malignæ sunt, vt nonnulli existimant: sed eadem signa apparent, & curandi ratio adhibetur in intermittentibus & continuis, quæ omni malignitate & pestilitate carent.

Putredo quid.

Putredinem autem Aristoteles, 4. *meteor. cap.* 1. definit esse corruptionem proprij & naturalis caloris in vnoquoque humida, à calore ambientis externo: à Galeno verò, 11. *meth. med. cap.* 8. proculdubio non tam ad commune & adæquatum putredinis subiectum, quam ad corpus humanum, medicæ considerationi subiectum, respiciente, quod sit mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptionem à calore extraneo. Putredinis enim vltimus terminus & finis est partium, è quibus mistum constat, resolutio & totius misti corruptio.

Putredo quotuplex.

Prolixas verò, quæ apud Philosophos & Medicos extant de putredine disputationes, vt hic prætermittamus, illud non omittendum videtur, putredinem ratione mistorum putre-

Digitized by Google

Secundum totum.

scentium aliam esse secundùm totum & perfectam, qua mista in elementa, è quibus coaluerunt, planè resoluuntur: aliam secundùm partem & imperfectam, qua, quæ multum humidi obtinent, putrescunt. Cum enim humidum, quo abundant, totum à calore educi non possit, saltem partes eius aliquæ, præcipuè tenuiores, educuntur. Atque talis putredo, scilicet secun-

Secundum partem.

dùm partem, etiam humoribus competit; cùm scilicet aliquæ eorum particulæ reuerà corrumpuntur ac formam suam amittunt: totus tamen humor formam suam necessariò non amittit: vnde etiam nomen suum retinet, & corruptis illis partibus euacuatis ad pristinam naturam redit; nisi corruptio eò vsque progressa sit, vt in aliam speciem fiat mutatio. Quæ ipsa proinde putredo reuera putredo est, non tantum alteratio. Etsi enim totum non corrumpitur: tamen aliquæ eius partes reuerà corrumpuntur.

Putredinis caussa.

Excitatur autem in corpore putredo à calore extraneo, & cùm humores à calore naturali ampliùs non reguntur, sed eo destituto corrumpuntur. Ideoque omnia, quocunque nomine veniant, quæ caussa esse possunt, vt calor innatus debito modo humores amplius regere non possit, putredinis humorum caussa esse possunt. Putredo autem humorum etsi sæpissimè excitetur ab obstructione venarum & viscerum, ac prohibita libera transpiratione, cùm, vt Galenus, 11. *meth. med. cap.* 4. scribit, quæ calida & humida sunt, in loco calido & humido non perflata & ventilata facilè putrescunt: tamen & sine hac ex putridarum rerum occursu & aliis caussis, quæ calorem natiuum debilitant, & extraneum calorem inducunt, putredo excitari potest.

1. Humorum vitium.

Primò enim humores quidam ob internum vitium sponte ad putredinem tendunt, aut certè à caussis putredinem inducentibus etiam leuibus vincuntur, & leuissimam occasionem nacti in putredinem prolabuntur. Tale autem vitium humores contrahunt, primò ex prauis cibis, è quibus generantur, siue natura talibus, siue quacumque de caussa corruptis: Deinde à cibis, qui facilè corrumpuntur, quales sunt fructus *ὡραῖοι*: Tertiò à praua ciborum præparatione, vel mala coctione, vel cum nimia copia, tempore non conueniente, aut ordine præpostero ingeruntur: Quartò ob partium coctioni destinatarum vitium, ob quod etiam bona alimenta corrumpuntur: Tandem etiam ob alias caussas, quæ vel coctionem impediunt, vel excrementa retinent, & omnino rerum sex non naturalium præposterum vsum. Quò ergo plus talium humorum in corpore cumulatur: eò faciliùs ij putrescunt. Humores enim excrementitios natura tanto studio, vt eos, qui corpori alendo sunt idonei, non tuetur: vndè facilè corrumpuntur & putrescunt. Sanguis tamen etiam extra venas effusus, cum sit extra naturalem locum, & calidæ ac humidæ naturæ, facilè putredinem concipit. Etsi verò tales humores sponte in putredinem, vtpote in loco calido & humido consistentes, incidunt; tamen facilius id accidit, si caussa aliqua alia accedat. Imò etiam in corpore sano boni humores, si caussæ putredinis sint potentes, putredinem concipere possunt.

2. Transpiratio prohibita.

Inter caussas autem eas prima & præcipua est transpiratio & ventilatio prohibita, siue ea accidat ob pororum cutis angustiam, siue ob vasorum & meatuum in corporis partibus penitioribus obstructionem. Calida enim & humida in loco calido, nisi ventilentur, promptè putrescunt. Angustia pororum cutis fit vel à constrictione à frigore, aut rebus adstringentibus, aut siccitate, vt mora sub radiis Solaribus; vel obstructione, quam parit aut copia, aut visciditas, aut crassities humorum. Meatus interni itidem obstruuntur, vel à copia sanguinis vndecunque contracta, vel ab humorum crassitie & viscditate.

3. Caussæ calefacientes.

Secundò putredinem excitant, quæ in humoribus calorem præternaturalem accendere, ac calorem natiuum euncare possunt; in quo genere est febris ephemera, quæ hac de caussa in putridam sæpe mutatur in calidis & humidis corporibus: deinde reliquæ caussæ calefacientes, aeris calor, balneum calidum, animi & corporis motus nimij.

4. Putridarũ rerum occursus.

Tandem putridarum rerum occursus est caussa putredinis: cum, quod à putrido tangitur, ipsum etiam inquinatur & putrescit.

Febris putrida quid.

Ex quibus omnibus patet, febrem putridam esse febrem, à vaporibus calidis è putredine humorum excitatis, & cor atque hinc totum corpus præter naturam calefacientibus, ortum habens.

CAPVT II.

De febrium putridarum differentiis.

Humorũ putrescentium differentia.

DIfferentias autem febrium quod attinet, etsi plurimæ recenseantur: quæ tamen ad curationem maximè cognitu necessariæ sunt, petuntur vel à materia putrescente, vel loco putredinis.

Primò enim putrescunt vel partes solidæ, vel humores, vel etiam ipsi spiritus; de quo tamen controuertitur, vt suo loco dicetur. Humores, qui putrescunt, sunt tam naturales, quam præternaturales: atque ij omnis generis, sanguis, pituita, bilis, melancholia; quod tum eorum, quæ per aluum, vomitum & sudores euacuantur, & symptomatum, quæ febribus accidunt, varietas ostendit, tum caussarum, quæ præcesserunt diuersitas, quarum aliæ hunc, aliæ alium humorem generant, & proinde aliæ huic, aliæ illi febri materiam præbent. Et quidem humores vel simpliciter putrescunt, vel cum putredine coniuncta est maligna & venenata qualitas & contagiosum quid.

Deinde locus, in quo humores putrescunt, non semper idem est. Aliquando enim putrescunt humores intra venas & arterias: aliquando extra eas. Et quæ intra vasa est putredo, vel æqualiter in omnibus vasis, aut certè maximis, vel est in certis cuiusdam partis venis.

E quibus hæ febrium differentiæ emergunt. Primò aliæ febres sunt simpliciter putridæ, sine vlla malignitate & contagio, aliæ malignæ, pestilentes, contagiosæ.

Deinde febres aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes, prout vapor putridus, qui continens febrium putridarum caussa est, seu calor à putrescentibus humoribus excitatus, vel continuò cor calefacit, & inde in totum corpus diffunditur, vel per interualla quædam.

Vtrarumque febrium rursum multæ sunt differentiæ. Vel enim putredo in vasis communibus & extra partes priuatas accenditur, vnde febres oriuntur continuæ Primariæ dictæ: Vel è peculiaris alicuius partis inflammatione putredo oritur, & inde vapores putridi continuò cordi communicantur, quæ Symptomaticæ dicuntur.

Continuæ Primariæ iterum sunt duplices. Aliæ enim nullum habent augmentum, nullamque remissionem, quas *πυρετοὺς συνόχους*, febres continentes nominant: Aliæ verò quidem sunt continuæ, caloris tamen aliquod incrementum, aliquamque remissionem interdum habent, quas *συνεχεῖς*, & nomine generis continuas nominant. Continuæ hæ pro tempore augmenti & decrementi caloris, aliæ appellantur tertianæ, aliæ quotidianæ, aliæ quartanæ, prout calor alternis, vel singulis, vel quarto quoque die exacerbatur.

Intermittentes etiam pro tempore inuasionis aliæ dicuntur tertianæ, aliæ quotidianæ, aliæ quartanæ. Imò obseruatæ sunt febres, quæ longiore etiam interuallo inuadunt.

CAPVT III.

De signis febrium putridarum in genere.

Signa diagnostica.

COgnoscitur autem febris putrida. 1. à calore, qui mordacior & acrior est, quàm vllarum aliarum febrium, & quidem in augmento & statu. Nam in principiis accessionum calor non mox sese tactui acris offert, sed si diutius manus immoretur, talis percipitur. Accidit autem hoc à fuliginoso excremento, quod ex humoribus putridis exhalat. 2. Quod incipit sine caussa procatarctica. Quod quidem signum proprium est, sed non inseparabile. Nam quotiescunque febris aliqua absque caussa procatarctica incipit, rectè colligere licet, esse febrem putridam: aliquando tamen humores ita etiam sunt ad putredinem dispositi, vt accedente leui aliqua occasione putredinem concipiant. 3. Vrinæ in febribus putridis initio aut crudæ sunt, aut certè obscuras coctionis notas exhibent; nisi ex ephemeris in putridas fiat transitus. Aliàs nulla datur febris putrida, in qua non appareat in principio vrina cruda aut obscurè cocta. 4. Pulsus etiam magis mutatur, quàm in aliis febribus. 5. Febres putridæ cum rigore sæ se incipiunt. Quod tamen signum est proprium, non inseparabile. Proprium est; cùm neque diariis, neque hecticis competat cum rigore incipere. Non tamen est inseparabile; tùm non omnes putridæ cum rigore incipiant, vt Synocha putrida. 6. Febrium putridarum proprium est, per accessiones & paroxysmos redire; neque vlla alia febris accessiones habet. Non tamen inseparabile est hoc signum; quia non omnibus putridis febribus hoc competit. 7. Tandem si aliquod signum, quod speciei alicui febris putridæ est proprium, adsit, febris putridæ in genere etiam est indicium.

Prognostica.

Quid autem de euentu Febrium putridarum sperandum sit, de eo in genere, multa dici non possunt; cùm magna sit febrium putridarum differentia & varietas, & euentus varius: nisi hoc, quod euentus morbi ex collatione virium, & morbi magnitudine præsagiendus est. Si enim vires sunt robustæ, benè de euentu morbi sperandum est, si debiles, malè.

CAPVT IV.

De curatione febrium putridarum in genere.

Indicationes in febribus putridis.

CÆterum, quia febris putrida à caussa continente fouetur, Indicationes in febre putrida aliæ sumuntur ab ipsa febre, aliæ à caussa febris. Nec negligendæ vitales indicationes. Primò enim febris, quatenus febris, refrigerantia indicat:

Deinde

Deinde quatenus calor ille totius, à vapore putrido calido, vt caussa continente, pendet, eius remotio indicatur. Quia verò vapores putridi à materia putrescente dependent, non tolli ij possunt, nisi sublata putredine. Putredo tolli non potest, nisi sublatis eius caussis, quas supra proposuimus. Primò nimirum caussæ euidentes omnes, quæ adsunt, remouendæ; causa antecedens, & quidquid in corpore est vel sanguinis superflui, vel humoris vitiosi præparandum, si opus, & euacuandum. Angustia meatuum, si adsit, vel in ambitu corporis, vel visceribus, amouenda, & corpori libera transpiratio ac humoribus ventilatio procuranda: putredini resistendum, humoresque putridi refrigerandi & exsiccandi: vitiosorum humorum generatio caussarum ablatione tollenda.

Verum enim verò cùm indicationes hæ sæpe sint contrariæ, & quæ caussis adhibentur medicamenta, febrem augere possint, & contra: videndum, quomodo hisce indicationibus commodè satisfieri possit. Et plerumque quidem, febre quasi postbabita, magis ad caussam respiciendum: cùm plerumque maior vis caussæ sit, quàm febris, & febris putrida sublata caussa sponte cesset. Si tamen febris magnitudo vrgeat, necessarium est, ad febrem primò respicere; deinde ad caussam tollendam accedere. Aut certè, si caussam primò aggredi libeat, cauendum, ne per ea, quibus caussam tollimus, febrem augeamus. Nunquam verò febris tollendæ gratia ea adhibenda, quæ caussam eius augeant; cum plerumque caussæ vis maior sit.

CAPVT V.

De Venæ sectione.

Vena sectio.

An, cur & quando in febre putrida locum habeat.

CVrationem, quæ secundum has indicationes instituenda est, quod attinet, ac primò quidem venæ sectionem, Galenus equidem, 11. *meth. med. cap.* 15. regulam hanc tradit: *Salubertimum est*, inquit, *in omnibus febribus venam incidere, non continuis modo, verùm etiam alus omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent.* Additque rationem hanc: *Leuata namque, qua corpus nostrum regit, Natura, exoneratáque eo, quo velnti sarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni.* Præceptum tamen hoc Galeni rectè accipiendum & explicandum est. Etenim etsi plures sint venæ sectionis vsus, & Autores discrepent, quam ob caussam Galenus in putridis febribus venæ sectionem præceperit: tamen clarum est, eum euacuandi & imminuendi sanguinis gratia, & vt maxima parte oneris natura leuetur, id fecisse. Quanquam enim sanguinis abundantiæ tollendæ præcipuè debeatur sanguinis missio, & cacochymiæ purgatio; & propterea vbi plethora adest, sine dubio vena secanda sit: aliquo tamen modo cacochymiæ in venis contentæ & sanguini permixtæ inseruire potest venæ sectio; cum vena aperta vitiosi humores cum sanguine effluant, præsertim cum purgatio, quæ cacochymiam è venis tollere possit, non ita tutò, vt venæ sectio, in principio febrium institui queat. Etsi enim totam cacochymiam e venis tollere non possit venæ sectio: tamen natura aliqua oneris parte leuatur, ac propterea reliquos humores felicius coquere ac regere potest. Nam fieri potest vt sanguinis copia, quæ antequam æger incideret in morbum, illi oneri non erat, iam ægrotanti, & à febre debilitato oneri esse possit. Et licet aliquid boni sanguinis simul euacuetur: id tamen ægro non nocet, sed prodest potiùs, vt dictum: sicut etiam videmus in hæmorrhagiis criticis naturam non parum boni sanguinis simul effundere. Solet tamen natura plerumque non exiguam partem vitiosorum humorum ad extrema & subcutaneas venas propellere: vnde & primo loco plerumque deterior sanguis effluit.

Ex quibus patet, præcipuè in continuis febribus, in quibus vel copia sanguinis adest, vel sanguini humores vitiosi permisti sunt, venæ sectionem locum habere, & quidem in principio, vt natura oneris parte leuetur. Si verò vitiosi humores non in venis maioribus sanguini permixti sunt, venæ sectio euacuationis gratia locum non habet.

Refrigerationem tamen & ventilationem etiam sanguini præstare potest venæ sectio: Sed tum solùm huius gratia administranda, cùm aliàs venæ sectio requiritur.

Permittentia venæ sectionem.

Videndum verò non solùm, an venæ sectio requiratur, sed etiam an vires eam permittant: vbi in primis facultatis vitalis robur requiritur, modò vires ob copiam sanguinis spiritus suffocantem non langueant. Vires autem determinant, ætas, habitus corporis, aëris ambientis conditio.

Quantum sanguinis mittendum.

Quantum autem sanguinis mittendum sit, primùm ex sanguinis copia, deinde ex collatione virium, & morbi magnitudine manifestum fit. Nam magna sanguinis copia largiorem sanguinis missionem, minor parciorem desiderat. Vires robustæ liberaliorem sanguinis euacuationem ferunt, debiliores parciorem saltem admittunt. Vires autem variant ratione temperamenti, habitus corporis, ætatis, sexus, anni temporum, regionis ac cœli status; vt & pro ratione symptomatum quorundam, quę febres comitari solent, vigiliarum puta, doloris & similium.

Tempus venæ sectionis.

Tempus venæ sectionis quod attinet, sanguis mittendus, cùm indicans venæsectionis adest, nihil verò prohibet. Id quod accidit in principio. Ac quò morbus velocius ad augmentum properat, eò citiùs administranda est venæ sectio: Si verò coctiones magis lentæ sint, differri longius venæ sectio potest.

Locus.

Venæ aut euacuationis gratia commodissimè aperiuntur in cubito: Si tamen vires sint debiles, & simul à capite sit reuellendum, cum magno commodo venæ in pede aperiuntur.

CAPVT VI.

De Purgatione.

Purgatio.

CÆterùm cùm febres putridæ omnes à cacochymia ortum habeant: qua ratione illi expurgandi sint, iam videndum. Cùm autem humores vitiosos euacuantia duplicia sint, Lenientia aluum, & Purgantia propriè dicta: Lenientia quidem in omnium febrium putridarum principiis facilè locum habent; cùm vix dentur corpora, in quibus non aliquid vitiosorum humorum in ventriculo, intestinis, & venis mesaraicis contineatur.

Clysteres.

Euacuatio autem hæc fit per clysteres, Lenientia medicamenta dicta, & vomitum. Clysteres fiunt *è malua, althæa, violaria, parietaria, branca vrsina, mercuriali, oleo communi vel violaceo, sacchàro rubro, cassia, electuario lenitiuo, diacatholico, hiera,* & similibus.

Lenientia.

Vel exhibeantur medicamenta lenientia, è quibus hodie sunt in vsu, *syr. ros. solutiuus, viol. solut. mel. ros. solutiuum, tamarindi, cassia, manna, elect. lenitiu. simpl. cremor tartar.*

Eligenda verò in talibus etiam medicamentis hora vel intermissionis vel remissionis, & omnino tempus, cùm febris minus vrget, siue id fiat manè, siue circa vesperam.

Vomitoria.

Nonnunquam etiam in principio febrium vomitum prouocare licet, vbi magna materiæ copia in ventriculo & vicinis locis continetur, cuius coctio nulla expectari potest, quæque cibos ingestos corrumpere & inquinare solet. Vomituque sæpè ea reiiciuntur, quæ per aluum facilè expurgari non possunt.

Vomitoria autem in *Inst. lib. 5. part. 1. sect. 1. cap.* 18. sunt exposita. Nonnulli hodie asari rad. à ʒ. ß. ad ʒ. j. exhibent, Chymici vitriolum album, salem vitrioli, medicamenta ex antimonio parata. Quæ tamen cùm non solùm primas vias euacuent, sed & totum corpus commoueant, iis cautè, & vt Hippocrates 2. *aph.* 24. loquitur, *ἀσφαλεστάτως* vti docet.

Purgantia.

Purgantia quod attinet, quo tempore ea exhibenda sint, valdè controuersum est. Etsi enim vitiosi humores quouis febris tempore sui remotionem indicent, tamen non quouis tempore permittitur eos expurgare. Verùm oraculi loco, monente Galeno, 4. *de tuenda san. cap.* 5. habendus est Aphorismus Hippocratis 22. *s.* 1. *Concocta maturáque purgare ac mouere oportet, non cruda. nec per initia: nisi materia turgeat; id quod rarò fieri solet.* Etsi verò alij aliter hunc aphorismum interpretantur: tamen, re diligenter pensitatâ, manifestum euadit, loqui Hippocratem solùm de febribus putridis, non verò de aliis morbis: & per crudos humores eos intelligere, qui ob putredinem ad purgationem inepti sunt in febribus putridis; coctos verò illos qui ad purgationem apti redditi sunt: vocabulo cruditatis & coctionis a cruditate & coctione propriè dicta ad excrementitios humores translato.

Coctio humorum.

Licet verò & aliæ quædam humorum ad purgationem præparationes, & in febribus, & citra febres, fiant: tamen coctionis nomen iis non competit, & distinguenda est coctio ab humorum præparatione. Coctio nimirum, de qua loquitur Hippocrates, est humorum putridorum in meliorem & corpori minus noxium statum deductio, & à sanguine bono separatio, vt faciliùs & commodius è corpore euacuari possint. Hinc coctio tantùm competit humoribus qui in venis continentur, & sanguini permisti sunt. Qui verò in aliis locis consistunt, & sanguini permisti non sunt, quouis tempore purgari possunt. Hi nimirum humores, nisi ad mediocritatem quandam, quam quidem recipere possunt, sint redacti, & à bono sanguine separati, frustra & cum ægri damno eos purgare conatur Medicus. Neque enim purgantis medicamenti ductum sequuntur tum humores neque naturam adiutricem habet Medicus. Vnde materia saltem agitatur & turbatur, variáque excitantur symptomata; vel fortioris medicamenti vi vires deiiciuntur, & calidum natiuum absumitur & debilitatur.

Turgentes humores.

Humores tamen turgentes euacuare licet absque coctione. Etsi enim hi nondum cocti sint: tamen qui non solùm metus est, ne ad partem aliquam principem ruant, sed etiam quia tenues & in motu iam sunt, facilè ductum medicamenti purgantis sequuntur; & naturam Medicus habet adiutricem, quæ & ipsa interdum in principio tales humores cum commodo ægri euacuare solet. Per turgentes autem hic non saltem intelligendi sunt, qui ad nullam adhuc partem determinatam mouentur, sed illi etiam, qui licet ad partem aliquam ruunt, tamen mo-

Digitized by Google

biles adhuc ſunt,& ita diſpoſiti,vt facilè in aliam partem ruere poſſint, ſuoque modo adhuc vagi ſunt, nondum verò in parte aliqua fixam ſedem poſuerunt.

Coctio autem,de qua hic loquimur, ſolius naturæ opus eſt, quæ vbi fortis fuerit,etiam vitioſis humoribus eam,quam recipere poſſunt, perfectionem inducit, vt in puris generatione videre eſt. Fitque hæc coctio ſolùm in febribus putridis. Dum enim in venis humores quaſi feruent,muſti inſtar,& praui bonis mixti ſunt, & facilè ſeparari non poſſunt: crudi dicuntur. Dum verò quaſi deferbuerunt,prauique à bonis iam facilè ſeparari poſſunt, cocti nominantur.

CAPVT VII.

De coctione & preparatione humorum.

ETſi verò ſolius naturæ opus ſit coctio humorum: Medicus tamen eam adiuuare poteſt per medicamenta, quæ vel calorem natiuum fouent ac roborant, vel impedimenta quædam, quæ naturam in concoquendo remorantur, tollunt,& exceſſus qualitatum ad mediocritatem redigunt. Atque poſteriorıs generis medicamenta vulgò digeſtiua & concoquentia nominari ſolent,quæ ſcilicet humores calidos refrigerant, frigidos calefaciunt, ſiccos humectant,craſſos attenuant, tenues incraſſant, & ſi qui alij ſunt qualitatum exceſſus, eos ad mediocritatem redigunt.

Digeſtiua medicamenta.

Concoquentia humores bilioſos.

Hinc bilioſi humores,quia ſunt calidi,medicamentis frigidis ſunt attemperandi,tenuitaſque eorũ,ſi ſit nimia,ad mediocritatem aliquam deducenda, & inflammabilitas prohibenda. Præſtant hoc *cichorium,endiuia,ſonchus,ſcariola,acetoſa,borrago,bugloſſum, viola, hordeum, ſemina refrigerantia maiora & minora, ſuccus citri,granatorum,ribes,acetum,ſpir. ſalis, vitrioli,* & ex his parata medicamenta.

Pituitoſos.

Pituitoſi humores, quia ſunt craſſi, lenti, opus habent incidentibus & attenuantibus; qualia ſunt *radices aperientes, hyſſopus, betonica, agrimonia, capillus ♀, acetum, ſpir. item ſalis, vitrioli.*

Melancholicos.

In humore melancholico etiam attenuantia neceſſaria ſunt, ſed quæ ſimul humectant: qualia ſunt *borrago,bugloſſum,polypodium,ſcolopendrium* & ſimilia.

Putredinem inhibentia.

Quia verò in omnibus febribus hic corruptio humorum adeſt,ea,quæ putredini reſiſtunt,etiam neceſſaria ſunt:qualia ſunt *acetum, ſuccus limonum, citri, granatorum, acetoſa, ſpir. ſalis, vitrioli.*

Atque hæc,quæ de cruditate & coctione humorum dicta ſunt, præcipuè in febribus continuis & acutis locum habent. Id quod ex ipſo Hippocrate patet,qui,1.*aphor* 24. ſubiungit: *In morbis acutis rarò,& per initia purgante medicamento vtendum; idque diligenti cum præmeditatione facere oportet.* Et 2. aphot.29. *Incipientibus morbis, ſi quid mouendum videtur, moue; vigentibus verò quieſcere præſtat.* Nimirum ſi materia turgeat in acutis, ſtatim in principio euacuanda. Si verò non,coctio exſpectanda eſt, qua peracta natura ipſa ſæpiſſimè humores vitioſos expellere ſolet. Quod niſi fiat, Medicus id exequi debet. Eadem tamen cruditas & coctio etiam in intermittentibus locum habet. Etenim cùm cauſſæ earum ſedes ſit in venis meſaraicis, venæ meſaraicæ verò etiam ſanguinem ſui generis elaborent & contineant: ſi ſanguini illi alicubi humores vitioſi permiſceantur, ac putreſcere incipiant,cruditas adeſſe dicitur: Vbi verò iam ita à natura illi humores victi ſunt,vt facilè ſeparari poſſint,coctio peracta eſt.

Etſi verò in intermittentibus ſingulis paroxyſmis materiæ aliquid euacuatur: non tamen humor febrium talium fomes prius totus euacuatur,quàm coctio humoris abſoluta,ac vitioſi à bonis ſeparati ſint; id quod in quartanis ſæpe longo tempore accidit.Nam etſi aliquid ſingulis paroxyſmis expellatur:tamen, vt Galenus,2.*de differ.febr.c.vlt.*docet,ſuperfluitates in parte,in qua febris fomes continetur,relictæ noui paroxyſmi cauſſa ſunt. Et fruſtra purgatio inſtituitur,priuſquam ille etiam humor coctus & ad expurgationem aptus redditus ſit, de quo in febribus intermittentibus dicetur.

Humorum præparatio.

Cæterum præter hanc humorum coctionem & præparationem alia adhuc opus eſt,quæ, vbi humores iam cocti ſunt, adhibenda.Cùm enim,vt purgatio feliciter expediatur,& vias apertas & humores mobiles eſſe deceat,ſi viæ ſint obſtructæ & aliqui craſſi ac lenti humores adſint, viæ per quas humores tranſire debent,aperiendæ,& humores incidendi ac detergendi.

CAPVT VIII.

De ſudoriferis & vrinam cientibus.

Sudorifera.

CÆterum quia natura materiam concoctam plerumque per ſudores expellit, vt vix vlla febris ſine ſudore rectè curetur ac ceſſet: Medicus naturam imitari debet; & corpore euacuato reliquias per ſudorem diſcutere. Sunt autem ſudorifera hodie vſitata, *carduus benedictus, ſcabioſa,fumaria,tormentilla, Zedoaria,C.C. ſambucus,lapis bezoar, Mithridatium,* & ſimilia. Non autem exhibenda ſudorifera, ſi criſis aliqua per aluum, vomitum, hæmorrhagiam narium inſtet,ne natura in opere ſuo turbetur. Exhibentur autem commodiſſimè eo tempore quo natura ipſa humores mouere ſolet, quod fit vel ante paroxyſmum,vel in fine eius.

Vrinam mouentia.

Per vrinam quandoque etiam pars materiæ febrilis euacuatur. Ideóque & diuretica poſt reliquas euacuationes interdum exhibenda:& eligenda ex iis temperatiora, quæ humores ſimul attenuant,viáſque obſtructionibus liberant,vt *capillus ♀,aſparagus,agrimonia.*&c.Quæ frigida verò ſunt,maturè etiam vſurpari poſſunt, cùm ſimul etiam intemperiem calidam humorum & partium corrigant.

CAPVT IX.

De Diæta in febribus putridis.

Diæta.

TAndem diætam quod attinet, & quidem primò cibum ac potum,non tantùm in eo exhibendo ad vires, quæ eo refici debent, ſed & ad permittentia & prohibentia reſpiciendum. Nam cùm natura maximè in coctione vel euacuatione materiæ occupata eſt, ab illo opere ad cibi coctionem non auocanda.Hinc Hippocrates, 1. *aph.*8.*Quando vis morbi eſt maxima, tenuiſſimo victu vtendum:* Et *ibid. aphor.* 11. *In ipſo paroxyſmo cibum adimere oportet nam præbere noxium.Et cum per circuitum redeunt morbi,in ipſis acceſſionibus abſtinendum.*

Victus forma.

In cibo verò in febribus exhibendo, obſeruanda forma, quantitas,qualitas & tempus. Victus forma triplex eſt, tenuis, mediocris,craſſa.Quæ cuilibet conueniat,ex virium cum cauſſa,morbifica collatione colligendum,neque plus cibi exhibendum, quàm vires concoquere valeant, videndúmque, an vires plus poſſint ad cibum indicandum,quàm morbus ad prohibendum,vel contrà. Quantò enim magis in cauſſa morbifica oppugnanda occupata eſt, natura, tantò minùs cibo oneranda: tantò verò magis occupatur in morbo oppugnando,quo ſtatus & paroxyſmus propior. Hinc Hippocr. 1. aph.8. *Quando morbus in vigore fuerit,tum tenuiſſimo victu vti neceſſe eſt,* & 1.aph. 7. *Cum itaque morbus peracutus eſt,extremos protinus labores habet,ſummèque tenuiſſimo victu eſt vtendum. Quum verò non eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere, tantum de extrema victus tenuis ratione remittendum,quanto extremis morbus fuerit remiſſior.* Et *ibid.* 10. *Quibus itaque vigor ſtatim futurus, tenuiter ſtatim alere oportet; quibus autem poſterius. & in ipſo vigoris tempore,& paulo ſub ipſum de victu demendum: Antea verò plenius alendum, vt ægrotus perferre queat.* Secundùm vires verò quomodo victus moderandus ſit,docet Hippocrates,1.aph.9.*Sed & ex ægroto coniecturam facere oportet, an is cum præſcripta victu perſtet ad morbi vſque vigorem,anne prius deficiat,imparque cum tali victu ſuccumbat, quàm cedat morbus & obtundatur,* & 1. aph. 13. *Ieiunium ſenes non decrepiti ferunt facillimè; ſecundum hos, qui conſtantem ætatem agunt;minùs adoleſcentes;minimè omnium pueri, atque inter eos maximè,qui acriore ſunt & viuidiore ingenio prædıti.* Conſuetudo etiam & vitæ genus in victu præſcribendo conſideranda.

Quantitas.

Quantitas cibi etiam ex virium & morbi collatione colligitur: Cùm enim nunquam plus cibi exhibendum ſit,quàm concoqui poſſit,quo tempore natura in oppugnanda cauſſa morbifica eſt maximè occupata, minima cibi quantitas exhibenda: quod fit in ſtatu.

Qualitas.

Qualitatem cibi quod attinet, cùm is conſideretur vel vt cibus,vel vt cibus medicinalis, priore reſpectu cibi eligendi ſunt coctu faciles,boni ſucci,facilis diſtributionis & minimè excrementitij: Si verò vt medicinalis conſideretur, febri primò debet eſſe contrarius,& proinde frigidus & humidus,1.*aph.*16.deinde cauſſis & omni exceſſiui qualitatum in iis oppoſitus.

Tempus.

Tempus exhibendi cibi commodiſſimum eſt,vbi adeſt indicans, corpúſque cibis inſtaurari poſtulat, quod fit cum prior cibus concoctus, eſt nihilque adeſt, quod cibum ſumere prohibet, puta pugna naturæ cum morbo. Ideóque in acceſſionibus abſtrahere oportet,1.*aph.*11. niſi virtus ſummè debilis ſit & reſoluta.

Potus.

Potus etiam in febribus habenda cura. Etſi enim faciliùs, quàm cibus, coquatur, & ex eo refrigerante miteſcat calor, & ſiccitas prohibeatur: tamen videndum, ne natura eo noceretur, & coctio materiæ impediatur. Ideóque in intermittentibus in paroxyſmo à potu, quantum fieri poteſt, abſtinendum: In continuis verò, vbi æſtus, ſitis & virium debilitas vrgent, plus potus dandum. Cùm autem potus conſideretur, non ſolùm vt potus, ſed etiam vt medicinalis: hinc fit, vt in aliis febribus, alioque tempore alij potus eligendi ſint. Potus, vt potus conſiderati, exhibendi ratio eadem eſt, quæ cibi. Quatenùs verò vt alterans conſideratur, quò calor ſiccus intenſior, eò calidior potus vitandus, & frigidior vſurpandus. Cauſſæ tamen ſimul habenda ratio, & ſæpe incidente & abſtergente potu, non ſolùm refrigerante opus eſt: & materia altiùs parti impacta refrigerantem

rantem

santem potum non admittit. Aquæ frigidæ potus in acutis saltem febribus locum habet: in intermittentibus nunquam conuenit. Aqua sæpe hordeo alteratur, quæ *decoctum & aqua hordei* appellatur. Potus loco etiam exhibentur *iulebi, aqua mulsa, oxymel, emulsiones, serum lactis, cereuisia, vinum.* Verùm cum alij potus aliis febribus conueniant, de iis commodiùs in specie in singulis febrium differentiis, quàm in genere, agi potest.

Aër.

Aër in omnibus febribus sit purus, frigidus potiùs, quàm calidus, ita tamen comparatus, vt attractus potiùs inspiratione calorem febrilem temperet, non verò nudo corpori occurrens eius poros claudat, vaporumque discussionem & sudores prohibeat. Ideóque æger stragulis, sed leuibus, regendus, vt calor ad ambitum corporis trahatur.

Somnus, quies, excrementa, animi affectus.

Somnus sit moderatus. Quies febre putrida laborantibus commodissima est. Excrementa præter modum retineri non debent, sed suo tempore excerni. Affectus animi sint tranquilli, in primis tristitia & ira vitentur.

CAPVT X.

De Putridarum febrium differentiis.

Febrium putridarum differentia.

Atque hæc de Febribus putridis in genere dicta sint: restat, vt iam de iis in specie agamus. Principio autem earum differentiæ paulò clarius explicandæ. Petuntur verò eæ in primis à materia putrescente & loco putredinis.

A Materia.

Materiam quod attinet, oriuntur Febres putridæ vel à sanguine, vel à bile, vel à pituita, vel à melancholia. Quibus non sine caussa additur humor serosus, in primis is ichor, qui malus est, putredinique facilè obnoxius, & vt sanguis ac reliqui humores facilius putrescant, facit. Vnde quidam in ea sunt sententia, Febres Ephemeras, quæ vulgò à spiritibus accensis fieri dicuntur, omnes à serosa sanguinis venosi aut arteriosi parte ebullitione prouenire: & multò magis synocham sine putredine: etsi spiritus vitales calefacti feruorem humori seroso primò conciliare possint. Iidem omnes Febres synochas seu continentes dictas, quæ nullas periodos habent, tam putridas, quàm non putridas, ab eodem humore aquoso & seroso, seu putrescente seu non putrescente, oriri docent. De quibus videatur *Tract. de Febribus.*

A sero.

A sanguine.

Quæ à sanguine oriuntur Febres, omnes continuitatem quandam æqualem seruant, & nec singulis, nec alternis, nec quarto die exacerbantur. Quæ verò ab humore biloso, pituitoso vel melancholico oriuntur, omnes suas periodos habent, seu sint continuæ, seu intermittentes.

A bile, pituita, melancholia.

Ab aliis caussis.

Præter has sunt aliæ febres, quæ licet exacerbantur, periodos tamen nullas certas habent. Tales sunt, quæ oriuntur à partium inflammatione, putredine, vermibus, lacte corrupto in infantibus, sanguine extra vasa, imò chylo & sanguine imperfecto in mesaraicis putrescente.

A Loco.
Intra vasa.

Materia, è qua vapores putridi in febribus eleuantur, continetur vel in vasis vel extra vasa. Vasa vel sanguinem perfectum ferunt, vt vena caua & arteriæ, vel imperfectiorem, vt venæ mesaraicæ. In vena caua dum sanguis putrescit, oriuntur febres continuæ, quarum aliæ sunt synochæ seu continentes, aliæ continuæ, nomine generis, & continuæ periodicæ nominatæ. Si in venis mesaraicis excrementitij humores putrescant, intermittentes febres excitantur. Si verò sanguis ille imperfectus in venis mesaraicis putrescat, continuæ febres excitantur, sed lentæ.

Extra vasa.

Extra vasa materia putrescens & vapores putridos venis arteriisque communicans febres continuas excitat. Tales sunt primo symptomaticæ, quæ ex certarum partium inflammationibus proueniunt. Deinde lentæ, quæ ex pertinacibus viscerum obstructionibus oriuntur. Tertiò, quæ ex partis alicuius vlcere, fistula, & omnino putredine excitantur. Quartò, ex lacte corrupto in infantibus, sanguine extra vasa putrescente, item catarrhi materia, vnde febres catarrhales.

Febres Comitatæ.

Tandem sunt febres Comitatæ dictæ, quæ ex materia in venis putrescente excitantur, cuius partem cum natura vel è corpore expellit, id quod in diarrhœa, dysenteria, catarrho accidere solet; vel in partem aliquam protrudit, id quod in variolis, morbillis, doloribus vagis, angina, peripneumonia, phrenitide, erysipelate euenire solet: Febri alius morbus coniungitur.

CAPVT XI.

De Febre putrida continua primaria, & in specie de Synocha.

Febris continua primaria.

Sed vt iam in specie de febribus putridis, & primò de febre continua primaria agamus: Febris continua primaria est, quæ ad *ἀπυρεξίαν*, antequam planè soluitur, non peruenit, ortumque habet ex putredine humorum in venæ cauæ & arteriæ ramis maioribus. Cùm enim tum vapores putridi assiduò ad cor mittantur, etiam calor continuus excitatur. Vnde antequam planè soluitur, ad *ἀπυρεξίαν* non peruenit, neque per interualla cum rigore aut refrigeratione reuertitur.

Sunt autem febres continuæ primariæ duplices: Aliæ sine vlla caloris remissione vel exacerbatione à principio ad finem vsque continuò durant: Aliæ verò sunt, in quibus quidem calor, antequam integrè febris soluitur, nunquam planè intermittit, certis tamen periodis intenditur. Priores appellantur *συνεχοὶ πυρετοὶ*, continentes febres: posteriores *συνεχεῖς*, seu continuæ nomine generis.

Synocha putrida.

Febris Synocha putrida est febris, quæ sine omni remissione aut intensione à principio vsque ad finem affligit, à sanguinis in venæ cauæ ramis maioribus putredine orta. Etsi verò etiam ex vasis partium determinatarum febres continuæ excitari possunt: tamen eæ symptomaticæ sunt. Etsi verè sint synochæ, quæ ex partis alicuius, vt vteri vitio, originem habent: tamen pars illa saltem occasionem dedit, inquinamento putrido communicato, vt sanguis in venis maioribus putredinem conciperet. Sunt tamen febres è partibus determinatis ortæ plerumque continuæ periodicæ.

Ita etiam interdum in primis viis materia vitiosa in prima coctione collecta, quæ ad humorum aliquem, qui certis periodis moueri solet, nondum determinationem accepit, humores corrumpere & putredinem venæ cauæ communicare solet. Quæ febres plerunque malignæ sunt.

Caussæ.

Febres autem synochæ putridæ plerunque ortum habent à prohibita transpiratione & sanguinis ventilatione, ac fuliginibus calidis retentis, ob obstructionem venarum cum in cute, tum in partibus internis. Et putrescit in febribus hisce synochis sanguis alendo corpori destinatus, putrescitéusque vapores calidos continuò ad cor mittit. Vbi enim in venis calor præternaturalis ita accenditur, vt natura amplius sanguinem regere non possit, putredinem concipit, & corrumpitur. Neque opus est, vt sanguis putrescens statim in alium humorem mutetur. Sanguis enim suapte natura etiam ad putredinem aptus est, videmúsque eum inflammationibus in pus mutari, non verò in bilem abire, quod cur in venis fieri non possit, nihil obstat. Et præcipuè ad putredinem suscipiendam aptus est ichor sanguinis, & ob ichorem sanguis in primis putredine corripitur; quod accidit, cum vapores, qui transpirare debebant, in venis retinentur. Non tamen totus sanguis putrescit, sed partes eius aliquæ, quæ quamdiu à bono sanguine non separantur, cruditas adesse dicitur: quæ postea per coctionem à bono sanguine separantur, qua peracta Natura euacuationem instituit, per quam sanguis ad pristinam illam puritatem redit.

Differentia.

Est autem triplex synochus, *ὁμότονος* seu *ἀκμαστικός*, cum febris in eodem statu permanet, quando scilicet tantum humoris quotidie putrescit, quantum discutitur, *ἀναβατικὸς*, vel *ἐπακμαστικός*, cum calor accrescit continuò, plúsque materiæ accenditur, quàm discutitur, *παρακμαστικός*, cum plus discutitur, quàm corrumpitur, & inde calor semper decrescit. Deinde si sanguis, qui putrescit, planè temperatus sit, synocha sanguinea in specie nominatur: si autem sit calidior, qui biliosus appellari solet, synocha biliosa dicitur.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur autem hæc febris, primò ex eo, quod à principio ad finem vsque sine vlla exacerbatione & mutatione durat. Deinde quod pulsus est magnus, vehemens, celer, frequens, inæqualis & inordinatus. Et quidem in Synocha à sanguine temperato signa plethoræ adsunt: calor tangenti multus & vaporosus, minúsque molestus & acris apparet, quàm in aliis febribus, & alia signa, quæ in synocha non putri conspiciuntur, adsunt. Signis tamen quibusdam Synocha putris à non putri distinguitur. Calor enim in putri est acrior, quam in non putri. In putri vrina est rubra, crassa ac turbida, sine sedimento, & cruda aut parum cocta in principio, Pulsus putredinis notas exhibet, & omnia symptomata, quàm in non putri, sunt grauiora.

Synocha biliosa eos corripit, qui sanguinem biliosum habent; calórque, quàm in synocha à sanguine temperato, est acrior; sitis magis molesta est, vrina est tenuior & acrior, & alia signa, quæ febribus biliosis sunt affinia, conspiciuntur.

Prognostica.

Est autem hæc febris inter putridas simplicissima & curatu facillima. Et pura quidem rarò septimum transit, notha etiam ad decimum quartum extenditur, citiúsque vel tardius finitur, prout signa coctionis citius, vel tardius apparent. Vrina verò alba in synochis mala est. Omnium tutissima est, quæ *σύνοχος παρακμαστικὸς* nominatur: post hanc consistens, *ἀκμαστικός*: periculosissima est: quæ perpetuò increscit & *ἐπακμαστικός*, appellatur, quæ facilè in causum degenerat. Et quò pauciora sunt mala symptomata, eò melius sperandum: quò plura, eò plus periculi portenditur.

Indicationes.

Tota verò curatio consistit in caussæ ablatione & caloris febrilis alteratione. Sanguis ergo vt copia peccans minuendus: pori cutis aperiendi, caussis obstructionis ablatis. Calor febrilis temperandus. Si vires, quod plerunque accidit, fortes sint, victu tenui vtendum.

Venasectio.

Itaque vena statim (præmisso tamen, si opus sit, clystere, vel leniente aliquo medicamento) in cubito aperienda, & quantum vires ferunt, sanguinis euacuandum. Et audacius, quàm in vlla alia febre, in hac sanguinem mittere licet.

Sanguine

Digitized by Google

Pharmacia.

Sanguine euacuato, vt coctio faciliùs absoluatur, vtendum iis, quæ calorem temperant, obstructiones liberant, & putredinem inhibent; *Succus* nimirum *acetosæ, limonum, citri*, & ex iis parati syropi, & conseruæ, *syr. acetosus s. oxymel s. oxysaccharum simpl. spir. vitrioli* cum aquis refrigerantibus, *semina quatuor frigida maiora* exhibenda.

In primis verò danda opera, vt obstructio pororum cutis, quæ plerumque huius febris causa est, tollatur, id quod commodissimè præstant, oxymel & mulsa diluta, quæ ad extremas corporis partes facilè feruntur, lentósque & crassos humores attenuant. Oxymel verò simul putredini resistit.

Coctione peracta Antiqui aquam frigidam propinabãt, eiúsque tantum bibendum offerebant, vt non solùm calor febrilis extingueretur, sed & materia iam cocta per vomitum, aluum vel sudores euacuaretur. Verùm in nostris regionibus ægri aquæ frigidæ potioni non ita assueti sunt, & plurima inde metuenda incommoda. Ita nec natatio in aqua frigida, quæ etiam Antiquis vsitata erat, corporibus nostris conuenit.

Coctione absoluta plerumque natura criticè materiam corruptam euacuare solet: quod si non fiat, à medico, purgantibus exhibitis, id præstandum.

Diæta.

Victus in hac febri sit tenuis, quoniam & sanguis abundat, & morbus est breuior: sitque is refrigerans & humectans, simúlque crassos humores attenuandi & viscidos detergendi vim habens.

CAPVT XII.

De Causo seu febre ardente,

Febris ardens.

CVm verò inter febres continuas sæpe Causi & febris ardentis fiat mentio, etiam hîc, quid ea sit, explicandum. Est autem causus non febris aliqua differentia, sed modus potius qualitatem caloris febrilis exprimens. Nomen verò causi sumitur interdum generaliter & minùs proprie, interdum specialiter & magis propriè. Generaliter, pro quacunque febre, cuius calor est vehementior; in specie verò pro febri, quæ duo habet signa pathognomonica, calorem vrgentem, & sitim magnam atque inextinguibilem. Causos tamen propriè & in specie ita dictus rursus duplex est, legitimus seu exquisitus, & nothos. Legitimus is est, qui duo ista signa semper & euidentes coniuncta habet; Nothus, in quo ista signa sunt minùs vehementia.

Febres ardẽtes quæ.

Ex quibus apparet, febres ardentes & propriè ac in specie dictas esse febres continuas, & quidem à bile ortas. Atque ita causus seu febris ardens propriè dicta est febris continua, biliosa, & quidem vel synocha biliosa, de qua modò tractauimus, vel tertiana continua de qua proximè dicetur.

Signa diagnostica.

Signa pathognomonica, vt dictum, duo sunt, calor vehemens ac vrens, & sitis inextinguibilis, etsi ægri biberint: & quo exquisitior est causus, eo signa hæc sunt maiora. Sitis tamen nonnihil interdum retunditur, si tussicula accedat, quæ humores è vicinis partibus attrahit.

Συνεδρεύοντα verò signa plurima sæpe concurrunt: vt lingua sicca, aspera, nigra, vigiliæ, delirium. Respiratio quoque fit difficilis, densa, magna, efflantque ægri continenter os aperiendo, vt calidi spiritus faciliùs exhalent.

Prognostica.

Febres autem hæ si puræ sint, diu non durant. Natura enim calorem tam vrentem ac vehementem, ac symptomata, quæ febrem hanc comitantur, vehementia diu ferre non potest. Et quidem plerumque septimo die terminantur, interdum 9. 11. 14. Nothæ verò diutius protrahuntur. Omnes autem periculosæ sunt, secundum Hippocratem, 4. *aphor.* 43. *Febres, quæcunque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ sunt.* Aliæ tamen aliis sunt periculosiores, pro caloris & symptomatum vehementia ac virium robore. Et quo maior est recessus à naturali statu, eo febris est periculosior. Hinc si senex ardenti febre corripiatur, quod tamen rarò accidit, id lethale est, vt habet Galenus, 1. *aphor.* 14. Non minus periculosè decumbunt, qui in aëre frigido valdè vruntur: qui si nec vires validas habent, nec signa coctionis appatent, fieri non potest, vt seruentur, vt idem Galenus, 11. *meth. med. cap.* 9. scribit. Quibus si accedant symptomata vehementia, eo periculosior morbus erit; siue illa sint pathognomonica, siue superuenientia. Si tamen ex reliquis signis constet, esse febrem ardentem, & absit sitis, etiam hoc periculosum est. Nam ægrum vel delirio teneri, vel appetentem ventriculi facultatem emori significat. Vrinæ etiam nigræ malæ sunt; vt & tenues, crudæ, vel alia mala indicia habentes.

Bonum autem est, si æger morbum facilè ferat; symptomata non sint vehementia, si facilè spiret; si nullam partem internam dolere sentiat, si dormiat; si somno iuuetur, si corpus æqualiter calidum sit & molle, si lingua non sit adeo arida, si vrina bona. Quod si iam, signis coctionis apparentibus, cum virium robore, in die critico, larga è naribus hæmorrhagia accidat, procuidubio æger euadet. Est enim proprium, si quid aliud, purarum febrium ardentium, vt per sanguinis effusionem sanentur. Aliquando tamen & per sudores, alui deiectionem, vomitum, & abscessus iudicantur. Verùm prognostica plurima de febribus ardentibus extant apud Hippocratem, *in Prognosticis, Prorrheticis & Coacis prænotionibus*, & exposita sunt etiam non pauca in *Instit. lib.* 3. *part.* 3.

Curatio.

Qua ratione autem curandæ sint febres ardentes, & ex iis, quæ de synocha putrida biliosa dicta sunt, patet, & quæ de tertianæ continuæ curatione dicentur, patebit.

CAPVT XIII.

De febribus continuis periodicis in genere, & de tertiana continua.

Febres continua periodica.

ALterum Febrium putridarum continuarum genus, quod in specie continuas appellant, eas febres complectitur, quæ quidem continuò durant, nec vllam intermissionem habens, antequam planè soluuntur, certis tamen periodis exacerbantur; vnde & continuæ periodicæ & proportionatæ appellantur.

Caussa aurea.

Vt autem continentes febres ortum habent à sanguine corpori nutriendo dicato: ita continuæ periodicæ, sicut & intermittentes proueniunt ab humore excrementitio & cacochymia. Itaque continuæ periodicæ in eo conueniunt cum continentibus, quod vtriusque febris causa in vena caua continetur; cum intermittentibus verò, quod vtræque ab humore excrementitio proueniunt. Differunt autem à continentibus, quod illæ à sanguine alimentario, hæ ab humore excrementitio ortum habeant: ab intermittentibus verò, quod materia continuarum periodicarum causa in secunda coctione generatur, & in vena caua continetur: materia vero intermittentium causa in prima coctione, aut certè iis in locis, quæ citra hepar sunt, & ad perfectam sanguificationem destinata non sunt, continetur. Materia nimirum febrium continuarum periodicarum generatur in organis secundæ coctionis, si ipsa quacunque de causa non rectè perficitur. Tunc enim vitiosi humores in secunda coctione generati cum sanguine in venas mittuntur, qui vbi putrescentes febres has continuas periodicas excitant.

Continuitatis ratio.

Quæ materia cùm non solùm sanguini confusa sit, vt in intermittentibus, sed ex ipsa prima origine ei verè permista. Natura eam etiam ante coctionem expellere non potest, & proinde febris à principio continuò durat. Exacerbationes tamen

Exacerbationes.

statis temporibus habent hæ febres, quia ab organis secundæ coctionis noua materia harum periodorum caussa suppeditatur, & quidem ferè ab hepate; vnde & tertianæ continuæ sunt frequentissimæ.

Signa.

Cognoscuntur hæ febres in genere, quod nunquam ad ἀπυρεξίαν deueniunt, certis tamen periodis exacerbantur, & remittunt. Neque exacerbationem frigus, horror vel rigor antecedit, neque remissionem sequitur sudor.

Differentia.

Sunt autem febrium harum tres species. Aliæ enim alternis diebus exacerbantur, & à bile ortum habent, dicunturque tertianæ continuæ: Aliæ singulis diebus, quæ à pituita proueniunt, & quotidianæ continuæ vocantur: aliæ quarta die, & à melancholia ortum habent, appellanturque quartanæ continuæ.

Tertiana continua.

Primò tertiana continua est febris putrida, à sanguine cacochymico bilioso in vena caua putrescente ortum habens, continua quidem, sed tertio quoque die magis affligens.

Caussa.

Caussæ huius febris sunt omnia illa, quæ cacochymiam biliosam in venis cumulare, cumulatæque putredinem inducere possunt, quales supra sunt propositæ.

Signa.

Febris hæc cognoscitur ex eo, quod febris ipsa est continua, sed tertio quoque die exacerbatur. Adsunt etiam alia febrium continuarum & ardentium signa & symptomata.

Prognostica.

Quid verò de euentu sperandum sit, ex iis, quæ de ardentium febrium prognosticis dicta sunt, patet.

Curatio.

Indicationes & Curationem quod attinet, febris hæc, si sit pura, cùm sit maximè calida & ardens, & caussa eius calida & sicca, maximam refrigerationem, simulque humectationem postulat, & plus quidem, quam vlla alia febris. Humor ipse quidem euacuationem indicat; sed cruditas plerumque eam prohibet. Si autem febris sit notha, simul ad humorem, qui bili permiscetur, respiciendum: symptomatis quoque, si vrgeant, occurrendum.

Venæsectio.

Itaque vena, modò vires id permittant, aperienda, quo modo & pars aliqua humoris vitiosi euacuatur, & sanguis ventilatur, simulque à nobilioribus partibus reuellitur. Et Natura ipsa quandoque sanguinis euacuationem per nares in principio harum febrium instituere solet, qua febris imminui solet. Aperienda autem vena in cubito in principio statim, aut certè in augmento, & sanguis satis copiosè pro ratione virium euacuandus.

Lenientia.

Purgationem verò, nisi materia turgeat, instituere non licet. Vt aluus tamen & primæ viæ etiam ante venæsectionem, euacuentur, summè necessarium est. Medicamenta autem, quæ id præstant, sint frigida & humida, non calida, aut si sint calida, frigidorum admistione temperentur.

Alterantia.

Postea alterantia, refrigerantia scilicet & humectantia, exhibeantur, quæ simul humorem ad coctionem à Natura instituendam

Digitized by Google

institüendam præparant: qualia sunt, *syr. acetosus s. oxymel s. diluteus, oxysacchara s. syrup. acetosa, acetosella, acetosit. citri, granat. acid. endiuia, violarum, cichorij, ribes, semina 4. frigida maiora, portulaca, lactuca, flores nymphaa, santalum, aqua hordei, acetosa, endiuia, cichorij, fragorum, nymphaa, portulaca, spec. diamargariti frigid.* & similia. Quibus & ad putredinem sistendum & inflammationem prohibendam spir. vitrioli & salis addi possunt. Commendatur & nitrum præparatum. Si pituita admixta sit, aperientia & attenuantia addenda, qualia sunt, *radices fœniculi, asparagi, graminis,* & ex iis parata medicamenta.

In bile porracea & æruginosa Ioh. Langius, *lib. 3. epist. 1. c. 4.* Crystallum commendat.

Topica. Ad calorem temperandum etiam Topica vtilia sunt; vt epithemata, olea, vnguenta è refrigerantibus parata, quæ cordi, hepati, dorso applicantur. Videndum tamen, ne iis pori cutis claudantur, & transpiratio prohibeatur. Ideóque ante statum vix vsurpanda & non nisi vbi calor per totum corpus æqualiter diffusus est. Et commodius est, si calida, quam si frigida applicentur.

Concocta materia, vt Natura ad expulsionem stimularetur & roboraretur, ac materia vel per aluum, vel per sudorem expelleretur, frigidam copiosè bibendam exhibebant Antiqui, vt docet Galenus, *9. meth. cap. 5. & 4. de rat. in acut. t. 12.*

Purgatio. Si autem post coctionem Natura euacuationem non instituat, à Medico ea tentanda, *syrupo rosarum & violarum solutiuo, pulpa tamarindorum, manna, rhabarbaro, tryphera Persica.* Quæ scammonium recipiunt, non sunt exhibenda. Aliquando tamen aliquid *electuarij rosati Mesua, de psyllio & de succo rosarum* admiscere licet.

Vrinâ ciëtia. Ad vrinam mouendam vtilis est in hisce febribus *emulsio sem. 4. frigid. maior. cum sero lactis caprini, vel aqua hordei & fragorum, aut cum decocto rad. petroselini parata.*

Sudorifera. Commodè etiam sudores cientur medicamentis conuenientibus, quæ infra de febribus malignis proponentur.

Diæta. Diæta sit tenuis: sed prout morbi status fuerit propior vel remotior, sit tenuior vel crassior. Cibus autem & potus refrigerandi & humectandi vim obtineant: vnde ptisana vtilis cibus est in hisce febribus; reliqui condiantur succo citri & granatorum. Potus sit aqua hordei, vel aqua cocta cum succo citri vel granatorum & saccharo, vel cereuisia tenuior. Aer sit frigidius, & si talis non sit natura, arte paretur.

Si bili pituita admista ac febris tertiana continua seu ardens notha sit, sanguis mittendus parciùs: In præparatione humorum ea, quæ pituitam attenuant, addenda. Purgantibus admiscendus agaricus.

CAPVT XIV.

De Quotidiana continua.

Quotidiana continua. QVotidiana continua, Barbaris Latica dicta, quod quendam latentem & absconditum habeat calorem, est febris quidem continuò durans, singulis tamen diebus exacerbationem habens, à cacochymia pituitosa in vena caua proueniens.

Caussa. Febris enim huius caussa est pituita sanguini in vena caua permista, ibique putrescens. Et proinde incidunt in hanc febrem, qui sunt ætate, natura & corpore humidiore, pueri & infantes, vt & senes, & qui habitu sunt corporis crassiore, ac crapulæ & otio dediti, & in locis humidis habitant, non verò iuuenes & biliosi.

Signa. Signa febrium continuarum periodicarum & in hac febre adsunt. Exacerbatio autem plerumque fit circa vesperam. Calor primò mitis apparet, paulò post tamen fit acrior, & modò delitescere, modò augeri videtur, ob pituitæ, quæ putrescit, crassitiem. Pulsus non sunt ita celeres & frequentes. Vrina, vt in aliis continuis, non est tam ignea & rubra, sed crassior, Nec alia symptomata, vt in febribus ardentibus, sunt tam vehementia.

Prognostica. Quantum ad euentum. 1. Febris hæc ob humoris crassitiem est longa & curatu difficilis, & propterea periculo non vacat. Ac quò pituita est crassior, eò est pertinacior & longior. Vnde non terminatur ante diem quadragesimum vel sexagesimum, & principium ante vigesimum non absoluitur. 2. Minus tamen diu durat, in qua plures euacuationes accidunt. Longior etiam est pura, quàm quæ bilem admistam habet. Et quò peiora adsunt symptomata, quóque virtus est debilior, eò est periculosior. Quæ si abfuerint, salus speranda est. 3. Ob febris diuturnitatem & hepatis debilitatem plerumque ægri tandem in cachexiam & hydropem incidunt.

Curatio. Curationem quod attinet, febris hæc plus periculi habet ob caussam, quàm ob calorem. Ideóque cum à pituita pendeat, calefacienda, attenuanda, incidenda, & postea concocta & præparata euacuanda. Virium que, & in primis ventriculi ac hepatis, habenda est ratio.

Lenientia. Principiò ergo ventriculus & primæ viæ euacuentur clysteribus vel lenientibus medicamentis; vel vomitu materia in ventriculo hærens reiiciatur.

Vena sectio. Etsi verò caussa huius febris sit frigida; quia tamen sanguini permista est, & putrescit, sanguinis aliquid vena secta detrahi potest, si vrinæ sint rubicundiores & crassiores, virésque & ætas consentiant, vt natura oneris parte leuetur.

Præparantia & alterantia. Postea præparatio & coctio materiæ tentanda attenuantibus, quæ non valde calefaciunt. In principio ergo vtendum *syr. acetosa s. melle rosaro, oxymelite s. syr. de hyssopo, de betonica, cum aq. vel decocto capill. ♀. asparagi, graminis, fœniculi, hyssopi,* & ex iisdem plantis paratis aliis medicamentis, *spir.* item *vitrioli & salis.*

Purgantia. Vbi aliqua coctionis signa apparuerint, lene aliquod pituitam purgans exhibendum *ex agarico, foliis sena,* & similibus. Hinc ad fortiora præparantia & purgantia accedendum, atque ita materia, quæ vna vice coqui & euacuari non potest, per vices præparanda, coquenda & euacuanda. Et quia rarò pura datur quotidiana continua, sed vel bilis vel melancholia admista est, etiam ad hos humores respiciendum, & cichorium, fumaria, borrago & rhabarbarum ac folia senæ addenda.

Vrinam cientia & sudorifera. Postquam maior materiæ pars euacuata, reliquæ per vrinam & sudores medicamentis hisce scopis conuenientibus euacuandæ sunt.

Roborantia. Cùm verò morbi diuturnitate in primis ventriculus & hepar lædantur, viscera hæc roboranda sunt *trochiscis de absinthio, de rhabarbaro, de rosis; speciebus aromatici rosati, diaxylaloes.*

Diæta. Victus ratio sit attenuans, incidens & abstergens. Cibi ergo sint boni succi, facilis coctionis & pauci excrementi. Pisces in hac febre non conueniunt. Cibi condiantur petroselino, fœniculo, thymo, hyssopo, satureia, rosmarino, cinamomo. In principio plenius nonnihil alendum, vt æger ad statum morbi perdurare possit: statu verò appropinquante de victu sensim demendum. Si tamen cruditates in ventriculo & primis viis adsint, victu & cibo parciore primis tribus diebus eæ absumi & imminui possunt; postea victus ratio, qualem diximus, institui potest. In principio æger à vino abstineat, & vtatur eius loco hydromelite: si tamen consuetudo id postulet, detur vinum tenue & aquosum. Conuenit & cereuisia tenuis. Apparente iam coctione vinum tutiùs conceditur, quo concoctio adiuuatur, ventriculus roboratur, & humores per vrinam educuntur.

De Febre Epiala.

Febris Epiala. Ad febres continuas pituitosas refertur & πυρετὸς ἠπίαλος, febris epiala, quæ quidem & ipsa continua est & quotidiana, à reliquis tamen quotidianis eo differt, quod ægri eodem tempore simul rigorem & calorem percipiunt, calórque & frigus simul per minimas vniuersi corporis particulas dispersus est, vt docet Galenus, *de inæq. intemperie, cap. 8. & 2. de differ. febr. cap. 6.*

Caussa. Galenus, *loco modò allegato,* hanc febrem ex acida & vitrea pituita putrescente deducit. *Libro* tamen *de inæquali intemper. c. 8.* amaram bilem addit. Vnde etiam, quod calor & frigus simul percipiuntur, in vno loco in bilis & pituitæ permistionem refert, in alio, in pituitam vitream, cuius pars putrescens calorem, reliqua nondum putrescens rigorem excitet. Plerumque tamen epialas ad intermittentes refert, statuítque eas generari, cum intermittentes febres eodem die coincidunt, frigúsque vnius, antequam calor alterius febris cessauit, incipit: vel etiam quando intermittentes cum continuis concurrunt, calórque continuarum semper perseuerat, accedente verò febre intermittente fit horror & frigus.

Curatio. Curatio huius febris ab aliarum febrium pituitosarum curatione non multùm differt: nisi quod fortiora attenuantia & incidentia requiruntur; cùm maior humoris in hac febre sit frigiditas & cruditas, quàm in aliis febribus. Etsi quoque humor ipse fortiora purgantia requirere videatur: tamen vires debiles ea non ferunt, ideóque per ἐπίκρασιν euacuatio instituenda.

De febre Syncopali.

Febris syncopalis. Deinde ad has febres pituitosas pertinet etiam febris Syncopalis humorosa Barbaris dicta, in qua humorum pituitosorum & crudorum maior, quàm in aliis febribus pituitosis, est copia, & præterea coniuncta est oris ventriculi debilitas, vnde ægri facilè, in primis febre incipiente, in syncopen incidunt.

Prognostica. Febris curatu difficilis est, cùm ægri ob virium imbecillitatem & imminentem syncopen necessarias euacuationes non ferant. Et in primis si pulsus sit paruus, debilis & inæqualis, febris hæc valde periculosa est.

Curatio. Commodissimè verò fit euacuatio per frictiones, vt docet Galenus, 12. *method. med. cap. 3.* clysteres, & lenientia ac primas vias sine reliquorum humorum commotione euacuantia medicamenta.

Primis viis euacuatis præparatio humorum & euacuatio, vt in aliis febribus pituitosis, instituenda, & medicamenta ad syncopen necessaria simul adhibenda.

Diæta. Cibi sint pauci, tenuis substantiæ, coctu faciles & minimè pituitam generantes, iique sæpius exhibeantur. Potus sit vinum, quod nutriendi, calefaciendi, attenuandi vim habet, nec pituitam auget. Est & vtile hydromel, in quo hyssopus ebullierit.

CAPVT XV.

De Quartana continua.

Quartana continua. TAndem Quartana continua est febris continua, cuius calor quidem continuò durat, quarto tamen die intenditur, à melancholia sanguini permixta in vena caua putrescente ortum habens.

Caussa. Caussa nimirum est humor melancholicus in vena caua putrescens: vnde omnia, quæ melancholiam generare, in vena caua cumulare & putrefacere possunt, huius febris caussa sunt.

Signa diagnostica. Cognoscitur ex calore continuo quarto die inualescente, absque tamen frigore, horrore aut rigore præcedente, vel subsequente sudore. Pulsus initio est paruus, tardus & submersus, postea magnus, plenus, & celerior, quàm in intermittente, qui in statu magis intenditur.

Prognostica. Est verò hæc febris omnium rarissima, verùm periculosa, & intermittente quartana longè periculosior, virésque valde deiicit. Extenditúrque hæc febris sæpe ad diem quadragesimum & vltra.

Curatio. Curatio eadem ferè instituenda, vt in quartana intermittente, Et quia humor febris caussa in vena caua continetur, & sanguini in vena caua permixtus est, initio statim, præmissis iis, quæ primas vias euacuant, venæ sectio instituenda. Postea melancholia præparanda & coquenda. Parciùs tamen calefacere & attenuare oportet, quàm in intermittentibus, plus verò humectare, & addere, quæ feruorem continuum humoris putrescentis mitigant, qualia bili aliàs conueniunt.

Præparato humore purgatio instituatur, & purgantia exhibeantur postridie exacerbationis, quæ primò sint leniora. Quod si natura nullam crisin instituat, fortiora postea adhibenda.

Possunt & post coctionem vrinam cientia & sudorifera exhiberi; sed minùs calida, quàm in intermittente. Et cùm vires valde deiiciantur in hac febre, confortantia ex *borragine, buglosso, melissa, fl. tunicis, anthos, citro, confectione alchermes*, & similibus parentur.

Diæta. Diæta instituatur, vt in Quartanis intermittentibus. Victus tamen sit tenuior, & magis restrictior, quàm in intermittentibus: cùm & calor sit maior, & status propior. Vini ὀλιγοφόρου vsus etsi concedi possit, tamen sit parcior, quàm in intermittentibus. Et si calor sit maior, planè à vino abstinendum.

CAPVT XVI.

De febribus Symptomaticis.

Febres Symptomaticæ. PRæter hactenus explicatas febres continuas primarias, dantur adhuc aliæ febres continuæ, quæ Symptomaticæ & Accidentes nominantur, quod alij cuidam morbo primario accidant; quodque, vt symptoma morbum sequitur, tollitúrque ad morbi ablationem: ita & hæ febres alios morbos sequuntur, iisque sublatis cessant. Vnde etiam antiqui vt docet Galenus, 4. *aphor.* 73 eos saltem febricitare dicebant, qui sine inflammatione, aut alio morbo ægrotabant: qui verò propter lateris, aut pulmonis, aut alterius cuiusdam partis inflammationem febricitabant, non febricitantes appellabant, sed pleuriticos, aut peripneumonicos, aut hepaticos, aut similibus aliis nominibus nuncupabant.

Earum differentia. Est autem Febrium harum non vnum genus. Præcipuum & frequentissimum est, quod partis alicuius, præcipuè interioris, & cordi vicinæ, aut quæ cum corde consensum habet, inflammationem sequitur, cum è sanguine in partem inflammatam effuso putrescente vapores cordi communicantur, idque calefaciunt; id quod in pleuritide, peripneumonia, angina fieri vulgò docetur. Verùm etsi planè negandum non sit, in partium harum & aliarum inflammationibus febres symptomaticas excitari posse, idque satis febres inflammationibus vulneratis partibus accidentibus superuenientes doceant: tamen, si rem diligenter perpendamus, non omnes febres, quæ vulgò pro symptomaticis habentur, reuera tales sunt, sed primariæ.

Febres comitata. Accenditur enim primò sæpe in vena caua humorum putredo, vnde febris continua primaria excitatur: verùm cùm Natura onere vitiosorum humorum grauata eos, quantum potest, è vasis maioribus, quasi publica & regia sede, ad minores venas & priuatas corporis partes depellere soleat, sanguis cum humoribus vitiosis in partes illas effusus inflammationem excitat. Atque id ex eo patet, quòd Febris ferè inflammationem præcedit, non sequitur; & sæpe materia ex vna parte in aliam transit, vnde morborum commutationes fiunt. Vnde à Plateró rectè febres hæ potiùs comitatæ, quàm symptomaticæ dicuntur. Et tales febres comitatæ sunt non solùm eæ, quæ inflammationem alicuius partis habent comitem, sed & eæ, quibus alia mala coniunguntur, nimirum diarrhœa, dysenteria, petechiæ, variolæ, morbilli, dolores vagi, arthritis, catarrhi. Hæc enim mala omnia oriuntur, vbi Natura onere vitiosorum humorum grauata partem aliquam è vasis protrudit.

Erysipelas seu Rosa. Huius generis etiam febris est, quam erysipelas, Germanis *Rose* dicta, comitatur. Non enim ex φλεγμονῇ & incendio partis externæ febris oritur, sed febrim malum hoc comitatur. Vbi enim sanguis tenuior, & calidior in vasis quacunque de caussa incalescit, putrescit & corrumpitur, prauamque qualitatem acquisit, id quod in primis ex ira & terrore accidit, Natura irritata eum ad partem aliquam corporis externam protrudit. Vnde & malum hoc cum horrore inuadit, & dum materia exteriora petens glandulas sub alis & inguinibus inuadit, aliquid agitati humoris ibi hæret, & dolor ac tumor ibi percipitur, donec tandem in crure vel alio loco externo sese affectus prodit, qui ex calore, dolore, & colore roseo agnoscitur.

In eo tamen Platero non assentimur, quod Febres istas omnes simplices & puras continuas absque putredine esse statuit, putredinem enim, vt de aliis non ditamus, satis arguunt vrinæ, quæ cruditatis & coctionis notas, vt in aliis febribus putridis, exhibent. Et natura nunc symptomaticè, nunc criticè materiam sibi molestam expellit, non verò solùm per insensibilem transpirationem, vel madorem, quod in ephemeris & synochis sine putredine accidere solet, expellit.

Differentia, Febres phlegmonodes, Febres Typhodes. Febrium harum, quæ siue ex partium inflammatione oriuntur, siue eam habent comitem, aliæ dicuntur φλεγμονώδεις, quæ ex sanguine præcipuè oriuntur, quæ verò ex erysipelate vel inflammatione ἐρυσιπελατώδεις oriuntur, τυφώδεις πυρετοὶ nominantur.

Febres Lipyria, Pertinet huc & λειπυρίας πυρετὸς, febris valdè ardens, in qua interiora omnia quasi vruntur, exteriora verò frigent; & quidem toto morbi decursu. Oritúrque hæc febris ex vehementi alicuius partis interioris, in primis ventriculi, inflammatione vel erysipelate, sanguine & spiritibus ad locum inflammatum concurrentibus.

Febres Lenta, Secundum febrium symptomaticarum genus est, quod lentam appellant, quæ non ex visceris alicuius inflammatione, sed ex latente obstructione & putredine, id est, ex materia extra vasa in visceris alicuius substantiam effusa, aut certè in capillaribus vasis per visceris substantiam dispersis impacta putrescente, viscerísque substantiam labefactante ortum habet; vnde tanta copia, sicut cum in vasis patentioribus materia continetur, vapores ad cor transmitti nequeunt. Atque ita febris lenta excitatur, quæ propterea etiam inæqualis est, nec certum ordinem seruat.

Febris hæc omnium mitissima, nulloque graui symptomate ægro molesta est, ita vt æger sæpe se ægrotare non putet. Interim vires collabuntur, vt æger vix progredi possit, corpúsque ex alimento non reficitur, sed sensim contabescit, vnde nonnunquam pro hectica habetur hæc febris. Ideóque vbi huius febris aliqua suspitio adest, in primis hypochondrium & hypogastrium diligenter perquirenda, & an tumoris alicuius sensus in iis deprehendatur, inuestigandum. Putredinis tamen etiam quædam indicia in vrinis & pulsu apparent.

Diuturnior autem est hæc febris, & reliquarum continuarum terminos transgreditur, & sæpe nec die 40. finitur, nec prius desinit, quàm impactus visceri humor absumitur.

Febris ex viscerum putredine. Tertium febrium symptomaticarum genus est, quod ex visceris alicuius putredine & corruptione oritur, è quo putridi vapores per venas insertas cordi communicantur, illud calefaciunt, Febrémque continuam excitant, qua corpus sensim extenuatur & contabescit. Estque hæc Febris nunc mitior, nunc vehementior, prout putredo maior vel minor est. Accidit hoc frequentissimè in putredine pulmonis in phthisicis. Ita etiam compertum est, omentum, mesenterium, vterum, aliásque partes putredine correptas, atque inde febrem excitatam fuisse. Eodem modo è fistulis ad interiora penetrantibus, febre lenta excitata, nonnullos contabuisse obseruatum est.

Febres ex lacte corrupto, sanguine putrescente, vermibus. Quartum febrium symptomaticarum genus est, cùm vel ex lacte corrupto, quod sæpe in infantibus accidit, vel ex sanguine alicubi extra vasa putrescente, vel ex vermibus putridi vapores cordi communicantur, illudque calefaciunt, & febrem excitant.

Huc referri potest & febris illa ex cruditate, quæ infantibus ex ἀδηφαγίᾳ familiaris est, cum hypochondriorum tumore & inflatione, quam Germani *das Berkgespan*, nominare solent, ex colluuie crudorum humorum in ventriculo & vicinis locis collectorum, qui putrescere incipiunt, & in flatus mutantur.

Signa diagnostica. Cognoscitur autem febres symptomaticæ propriè dictæ ex eo, quod partium priuatarum affectus sequuntur. Et primùm quidem genus harum febrium ex eo cognoscitur, quod partis alicuius inflammationem sequitur, sicut contrà febres comitatæ dictæ priùs apparent, & cum horrore vel rigore inuadunt, quibus postea febris accidit.

Lentæ

Lentæ autem illæ febres cognoscuntur ex calore lento, cum non notæ putredinis in vrina & pulsu appareant. Vires sunt imbecillæ, vt æger vix progredi possit, corpusque sensim contabescit, febrisque diu & vltra 40. diem plerumque protrahitur. Exasperantur purgantium vsu. Vbi autem caussa harum febrium lateat, sæpe difficulter cognoscitur, ideoque hypochondria & aliæ partes internæ diligenter perlustrandæ, & an aliquis tumor vel dolor appareat, inquirendum.

Quæ verò ex partis alicuius putredine oriuntur, faciliùs cognoscuntur. Neque enim partis corruptio facilè latere potest; nisi sit planè ignobilis.

Ita quæ ex lacte vel sanguine corrupto oritur febris symptomatica, etiam suis signis facilè cognoscitur. Vt & illa, quæ ex cruditate oritur, ex hypochondriorum inflatione & intumescentia, & nausea patefit.

Prognostica.

Febres autem hæ etiamsi ferè sui ratione non sint periculosæ, quia sunt mites: tamen caussarum ratione, à quibus pendent, an sint periculosæ, nec ne, æstimandum. Vt & an sint longæ vel breues. Quæ enim partis affectæ alicuius inflammationem sequuntur, breues sunt; cùm & inflammatio ipsa longa esse non possit. Periculum autem earum ex inflammatione pendet.

Lentæ febres longæ sunt plerumque & vltra 40. diem sæpè producuntur. Et licet non vehementia, tamen diuturnitate vires deiiciunt. Curantur etiam difficulter; quia caussa earum pertinaciter in viscere aliquo hæret.

Periculosæ verò & rarò curabiles sunt febres ex visceris alicuius corruptione & putredine; cum ea rarò sanari possit.

Quæ tandem ex lacte & sanguine corrupto, vermibus, vel cruditate oriuntur febres, satis sæpe acutæ & periculosæ sunt, & grauia symptomata, vt epilepticas conuulsiones, inferunt: non tamen diu durant, nec curatu sunt difficiles, sed caussa sublata cessant.

Curatio.

Curatio non tam ad febrem, quam ad caussam, à qua ea pendet, dirigenda est. Si ergo febris symptomatica ab inflammatione alicuius partis pendeat, ad ipsam inflammationem curatio dirigenda, qua sublata, febris cessat. Ideóque pleraque remedia, quæ inflammationibus sanandis competunt, etiam hic locum habent. Quia tamen interdum pro ratione partis affectæ, curatio variat, pars affecta diligenter attendenda: De quo in particularium affectuum curatione dicetur.

Lentæ febres, cùm ex pertinaci obstructione viscerum ortum habeant, aperientibus, attenuantibus, & detergentibus opus est. Et eligenda medicamenta, quæ cuilibet parti appropriata sint, viscerumque tonum, qui plerumque labefactatur, roborent. Per interualla tamen lenis purgatio interiicienda. Nec negligenda suo tempore diuretica. Extra quoque, si locus affectus id ferat, topica emollientia & discutientia applicanda.

Si ex partis alicuius corruptione & putredine febris symptomatica proueniat, curatio ea instituenda, quæ partium internarum vlceribus & fistulis conuenit.

Si ex lacte vel sanguine corrupto, vermibus, vel cibis crudis & corruptis ortum habeat, danda opera, vt ex caussæ conuenienti modo, vel vomitu, vel abluentibus & euacuantibus medicamentis tollantur, simúlque putredini & calori febrili resistatur.

Comitatarũ febrium curatio.

In comitatarum febrium curatione non minùs ad ipsam febrem, quàm morbum coniunctum spectandum, motúsque naturæ non impediendus, ne humor vitiosus in corpore retentus maius periculum afferat. Itaque etsi inflammationem incipientem prohibere non modò vtile sit: tamen simul humor mali caussa euacuandus; id quod plerumque commodissimè fit venæ sectione, quæ simul & euacuationem & reuulsionem præstare potest. Vtile tamen fuerit etiam primas vias euacuare; cum non rarò materia in iis colligatur. Et cum materia plerumque tenuis sit, & sæpissimè ad ambitum corporis tendat, non rarò etiam malignitatis particeps sit; commodissimè per sudorem expellitur.

CAPVT XVII.

De febribus Intermittentibus in genere.

Febres intermittentes.

Post continuas febres, Intermittentes iam explicandæ sunt. Etsi verò Antiqui intermittentis febris nomen latiùs extendebant, & id omnibus febribus, quæ aliquam caloris mutationem habent, & nunc exasperantur, nunc remittunt, & ita etiam continuis periodicis tribuebant: Vsus tamen postea obtinuit, vt eæ solùm febres intermittentes dicerentur, quæ aliquando desinunt, & ad ἀπυρεξίαν perueniunt.

Earum caussa proxima.

Intermittentium verò febrium caussa proxima est vapor putridus, ex humorum excrementitiorum putredine eleuatus, non continuò, vt in continuis, sed per interualla quædam ad cor missus, idque præter naturam calefaciens.

Qui autem fiat, quod vapor putridus non continuò, sed statis temporibus ad cor mittatur, sanè obscurum est. Ad eius rei verò explicationem cùm non parum faciat notitia loci, in quo putredo primùm accenditur, atque vnde vapores putridi cordi communicantur, quem Galenus focum seu fomitem appellat, *2. de diff. febr. cap. vlt. & 15. meth. med. cap. 4.* is primùm explicandus est. Cùm autem præter instituti nostri rationem sit, varias ac dissentientes hac de re Medicorum opiniones recensere, breuiter sententiam, quam veriorem putamus, recensebimus.

Focus febris intermittentium.

Focus autem seu fomes & locus, in quo materia febrium intermittentium caussa generatur, sunt venæ mesaraicæ, in quibus materia, quæ singulis paroxysmis excitandis sufficit, tempore interualli generatur. Idque multa, quæ circa intermittentes febres accidunt, testantur: Nausea scilicet, vomitus, cardialgia, præcordiorum tensio & dolor, circa ventriculum intumescentia, oris amaritudo, singultus & alia. In intermittentium enim febrium initiis bilis sincera sæpe maxima copia vomitu reiicitur, quæ è venis remotioribus hoc modo euacuari non potuit, & circa iecoris caua libræ pondere post mortem repertam fuisse testatur Fernelius. Bile hac reiecta sæpe febris cessat; quod indicio est, eam febris caussam & in primis viis collectam fuisse. Quod & fomenta initio paroxysmi hypochondriis imposita, horrorem & rigorem mitigantia, probant. Materia autem hæc in venis mesaraicis sæpe diu, antequam febrem producat, cumulatur: Vbi verò putrescere, efferuescere & moueri incipit, calore in totum corpus diffuso febrem excitat: Quæ vbi discussa est, calor febrilis & paroxysmus cessat, & febris desinit tamdiu, donec noua materia, quæ similiter suo tempore putrescat, genita sit.

Caussa febris intermittentium etiam in vena caua continetur.

Etsi verò materia febrium intermittentium caussa in venis mesaraicis & primis viis generatur: tamen in iis non tota subsistit & conclusa manet, sed venæ cauæ & arteriis communicatur cùm in paroxysmo, tum extra paroxysmum. Neque hic occultos & cæcos ductus, per quos vapores putridi in paroxysmo cordi communicentur, quærere necessarium est, cùm ductus satis manifesti dentur. Nam venæ portæ rami in substantiam hepatis inseruntur, & horum oscula cum vena caua communionem habent; & arteriæ à corde progressæ in ventriculo, intestinis, liene & alibi venis mesaraicis coniunguntur. Non tamen primùm & solùm in paroxysmo materiam febrilem venis communicari, sed etiam subinde partem eius aliquam continuo illo, qui est à mesaraicis ad hepar, commeatu, ad eas deriuari, credibile est; vnde etiam à Galeno, *1. de cris. cap. 7.* & aliis Medicis febris passio venosi generis appellatur. Idque primò patet satis manifestò ex vrinis, quæ cruditatis & coctionis notas euidentes in intermittentibus exhibent. Hinc etiam accidit, vt tempore paroxysmi vrinæ sint laudabiles & sanorum similes; cum humor vitiosus tunc à natura è venis versus ambitum corporis protrudatur, & ita sanguis in venis fiat purior, qui tempore interualli iterum à vitioso humore è foco febris communicato inquinatur. Idem patet ex iis, quæ initio paroxysmi & tempore illo, quod Græci ἐπισημασίαν nominant, accidunt. Nam tum spontaneæ lassitudines, pandiculationes, pulsuum compressio & alia accidunt, quæ materiam iam febrem excitaturam in vasis illis communibus, venis & arteriis, moueri & quasi turgere indicant.

Humor iste vitiosus, partim in venis mesaraicis, partim in vena caua cumulatus, cum suo tempore putrescit, Natura stimulata atque irritata, sæpe per varias vias, initio quidem per vomitum & aluum, postea verò per sudores & vrinas sensibiliter eum euacuat, vt & per poros cutis ac insensibilem transpirationem in vapores & halitus resolutum discutit. Cùm enim humor ille vitiosus sanguini exactè permistus non sit, sed saltem confusus, Natura eum facilè à bono sanguine separare potest, & propterea eum singulis paroxysmis excutit: quo discusso, cùm ampliùs vapores putridi cordi non communicentur, febris etiam cessat, & ἀπυρεξία sequitur.

Caussa recursus paroxysmorum.

Quia autem, quamdiu febris durat, in foco μίασμα aliquod & inquinamentum seu ὑπολοιπῶδες περίττωμα relinquitur, & præterea ἀσθένειά τις & imbecillitas in parte adest, necessariũ est, humorem ad eam affluentem, etsi bonus sit, & ab inquinamento ac relicto illo excremento, quasi fermento, inquinari, & ob partis debilitatem corrumpi, atque ita nouam futuri paroxysmi materiam generari. Duràntque & tamdiu redeunt paroxysmi, donec illud μίασμα & περίττωμα ὑπολοιπῶδες è foco planè excutiatur, & debilitas eius partis tollatur. Vero tamen simile etiam videtur, materiam febris caussam non totam simul in primo paroxysmo putrescere, sed eius partem, quæ putredini apta est, in reliquis reliquam, donec tota tandem absumatur.

Caussa periodorum.

Ex his patet, vbi materia caussa febrium putridarum generetur, quomodo paroxysmum excitet, per quas vias euacuetur, & quomodo materia, noui paroxysmi caussa, iterum generetur; atque ita caussa paroxysmorum & recursus febrium intermittentium explicata est. Quæ autem caussa sit, quod statis temporibus hæ febres redeant, aliæ citius, aliæ tardius; alia iam quæstio est, eáque intricatissima, quam mouere, quàm soluere, facilius est. Vt verò aliorum opiniones, quæ plurimæ sunt, hîc non recenseamus, eam saltem, quæ nobis, quantum in hac humanæ mentis caligine in re obscurissima dispicere possumus, probabilior videtur, proponemus. Et

Digitized by Google

primò quidem dari tales periodos febrium, ipsa experientia docet, qua constat, febres alias tertio, alias quarto die redire, & sæpe non solùm horam, sed & momentum inuasionis idem exactè obseruare, etsi paroxysmi vel anticipare, vel tardius redire interdum certis de caussis possint. Caussam verò, cur statis temporibus paroxysmi redeunt, ex humorum diuersitate petendam censemus. Qui enim effectus, vt Valleriola ait, in vno quopiam rerum genere inueniuntur, qui perpetuo rei conueniunt, & paribus modis fiunt, in quodcunque tandem corpus & tempus inciderint, hi ad propriam substantiam eius, à quo fiunt, referendi sunt. At per certos quosdam dies recursus facere, accessionésque procitare, & perpetuò humoribus conuenit, & recursus huiusmodi paribus semper interuallis (nisi aliunde ordinis periodorum peruersio consequatur) fiunt. Itaque ex humorum tali vel tali natura erit, vt recursus eiusmodi fiant. Nimirum periodorum & febrium intermittentium caussæ sunt humores excrementitij, bilis, melancholia, pituita: & quæ febres tertia die redeunt, ab humore bilioso proueniunt, quæ quarto, à melancholio; quæ singulis, modò non sint tertianæ duplices, à pituitoso.

Non tamen simpliciter ex humoribus caussa periodorum deduci potest, sed quatenus ij peculiarem qualitatem seu ex putredine seu corruptione acquirunt, ob quam certo tempore quasi efferuescunt, & moueri incipiunt. Cùm enim effectus hic definitus & determinatus sit, qui in omnibus indiuiduis eodem modo sese habet, determinatam etiam ac definitam, & in omnibus indiuiduis eodem modo sese habentem caussam habeat, necesse est. Quæ cùm nec membrorum dispositio, nec humorum quantitas (videmus enim, etsi materiæ copia decrescit, ac paroxysmi fiunt breuiores, nihilominus eos stato tempore redire) aut humoris qualitas manifesta, crassities, viscidītas, tenuitas, vel similis aliqua, quæ variari solet, qualitas esse possit: meritò ad peculiarem & propriam qualitatem ac naturam humoris confugiendum. Quæ etiam vbi mutatur, ipsius febris typus mutatur. Dum enim bilis mutatur in melancholiam, febris, quæ tertio antea die recurrebat, iam quarto inuadere. Atque hæc qualitas etiam postea in humore, cessante putredine, & ab ea pendente febre, manere potest. Vnde, vt Fernelius, *de febribus, c. 10.* testatur, cruciatus colici, articulorum dolores, & similes morbi post diuturnas tertianas & quartanas orti, etiam statas periodos obseruant, ob dispositionem illam, quam ex humorum putredine seu corruptione conceperunt.

Si quis tamen non ex sola corruptione istam occultam proprietatem deducere, sed ad eius generationem etiam caussas cœlestes concurrere statuere velit, cum eo non multum pugnarim. Videmus enim, præcipuè circa solstitia & æquinoctia, febres tales, præcipuè diuturniores, incipere & terminari.

Ordo paroxysmorum.

Etsi verò febres statas periodos obseruant: tamen obseruatur in iis etiam quædam differentia. Nam interdum paroxysmus eodem planè tempore redit: aliquando sequens paroxysmus citius, quàm prior, recurrit, qui typus appellatur προληπτικὸς: aliquando verò sequens paroxysmus tardiùs, quàm prior, redit, & nominatur ὑστερητικὸς typus. Et quidem nunc per totum morbi decursum talis typus obseruatur, & sæpe à principio febris vsque ad integram solutionem, omnes paroxysmi anticipant vel postponunt: nunc verò in aliquibus fit anticipatio, in aliquibus postpositio vel eodem tempore recursus.

Anticipationis & postpositionis caussa.

Accidere autem anticipationem plerique dicunt, cum humores ob aliquod in victu erratum augentur, aut mouentur medicamentis, ira, motu & similibus caussis. Tardius autem redire, dum materia imminuitur, vel crassior redditur. Quod quidem, vbi typus consuetus mutatur, ita fieri posse, vt non negamus: ita cum febris aliquem typum vel προληπτικὸν & ὑστερητικὸν semper obseruat, caussa potiùs ex humoris diuersitate petenda videtur. Etsi enim bilis suo modo corrupta tertianæ periodi melancholia quartanæ caussa sit, tamen bilis & melancholia secundum corporum & temperamentorum diuersitatem nonnihil sæpe variat. Hinc etiam accidit, vt licet illud fermentum putredinale, vel qualitas occulta bili inducta, sit caussa tertiani circuitus, melancholiæ inducta quartani: tamen secundum humoris differentiam fieri potest, vt horis aliquot citiùs vel tardius illa humorum efferuescentia accidat.

Longitudinis paroxysmorū caussa.

Longitudinem verò & breuitatem paroxysmorum quod attinet, pendet ea ex copia vel paucitate materiæ, dispositione humorum ac corporis. Humor enim copiosus longioris paroxysmi causa est, quàm paucus. Ita quoque crassus longiorem periodum parit, quam tenuis; cùm tardius, quàm tenuis, discuti possit. Si vires corporis sint robustæ, quæ facilius id, quod molestum est, expellere solent, quàm debiles: breuior fit paroxysmus. Corporis quoque constitutio rarior, vtpote ad materiæ discussionem aptior, caussa est breuioris paroxysmi, densior longioris. Atque vbi omnes caussæ, quæ breuem paroxysmum efficiunt, concurrunt, fit is breuissimus: vbi omnes, quæ longum producunt, adsunt, fit longissimus: vbi quædam caussæ, quæ breuem paroxysmum efficiunt, adsunt, quædam desunt, fit paroxysmus medio modo sese habens.

Atque hæc de caussæ proximæ, quæ febres intermittentes excitat, natura, loco, & motu dicta sint. Caussæ verò remotiores, & quæ ad istius materiæ in venis mesaraicis generationem & putrefactionem faciunt, sunt cibus & potus non boni succi, sed humoribus vitiosis suæ naturæ respondentibus materiam præbentes; ventriculi praua dispositio, ob quam cibi bilescunt, vel acescunt; aëris constitutio intemperata. Etsi enim in diuersis corporibus diuersi humores naturaliter generentur: tamen si magna sit caussarum euidentium vehementia, etiam in diuersi temperamenti corporibus eosdem humores & ab iis pendentes morbos ea producere potest.

Caussæ remotiores febriū intermittentium.

Differentia.

Differentias febrium Intermittentium quod attinet, pendent eæ à diuersitate humorum. Tot enim sunt febrium intermittentium species, quot humorum, à quibus producuntur. Sunt autem secundum vulgarem sententiam tres illi excrementitij humores, bilis, pituita, melancholia, atque ita tres febrium intermittentium species, biliosa, pituitosa, & melancholia, quas differentias tertianam intermittentem, quotidianam intermittentem, quartanam intermittentem nominare solemus. Et quidem si humores illi sinceri sint, febres etiam puras generant; si mixti, nothas: Et quæ ex bile sincera fit febris, tertiana pura nominatur, quæ verò à bile flaua cum alio humore mixta prouenit, tertiana notha dicitur.

An detur quotidiana.

De quotidiana tamen intermittente res non ita plana est. Fernelius enim hanc omnium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis vni obtingat, febrésque intermittentes, quæ quotidie affligunt, plerumque potiùs tertianas duplices esse statuit. Platerus verò hanc febrem planè negat. Et omnino cùm Galenus, 8. *meth. med. c. 5.* duplicem saltem cruditatem constituat, vnam nidorosam, alteram acidam: duobus etiam febrium generibus saltem materiam præbere posse videntur, biliosis & melancholicis. Etsi enim pituita quædam datur quæ κατ' ἐξοχὴν, humor crudus appellatur: tamen cùm illa valde frigida sit, vix putrescere & febrem excitare potest.

An dentur febres quintana, &c.

An verò plures dentur febrium circuitus, & an præter tertianas, quartanas, & si habentur, quotidianas, etiam dentur febres, quæ vltra quartum circuitum extendantur, dubium est. Galenus equidem eas non vidit. Hippocrates tamen & alij etiam Medici obseruarunt, dari febres, quæ quinto, sexto, septimo, octauo, nono die demum reuersæ sunt. Quæ autem horum circuituum caussa sit, valde obscurum est. Alij è diuersa bilis & melancholiæ constitutione caussam horum circuituum petunt, atque Andreas Cæsalpinus, *artis medic. lib. 5. cap. 15.* quintanas ad bilem, septanas ad melancholiam refert, statuitque, tales rariores typos species esse simplicium typorum interpolata accessione vna aut pluribus, & quintanam esse tertianæ speciem, in qua dies tertia est sine paroxysmo, septanam esse quartanæ speciem interpolata accessione diei quarti. Plerique verò horum circuituum rationem ex varia humoris melancholici cum aliis mistura petunt. Verùm etsi satis probabile sit, febres has omnes, vtpote longiorem periodum habentes, ab humore melancholico prouenire: tamen mistura humorum opus esse non videtur: cùm nullus humor detur, qui melancholiæ mixtus, tardioris, quàm ipsa, periodi caussa sit. Ipsi enim humores & melancholici & biliosi non semper sunt eiusdem generis; & propterea corruptio etiam, quam patiuntur, non semper eadem est: vt mirum non sit, effectus quoque, qui ab iis proueniunt, non semper esse eosdem. Et vt in morbis epidemiis interdum raræ & mirandæ humorum corruptiones accidunt: ita in febribus intermittentibus etiam tale quid accidere posse, absurdum non est.

Signa diagnostica.

Febres intermittentes non difficulter cognoscuntur. Febres enim istæ ad ἀπυρεξίας perueniunt, statisque periodis, & quidem, vt Galenus, *1. ad Glaucon. c. 5. 2. de crisib. c. 3. & 2. de differ. febr. c. 3.* docet, cum rigore, vel horrore, vel frigore redeunt. Etsi enim febres interdum occurrunt, quæ videntur intermittentes, ac cum nullo rigore, horrore, vel frigore inuadunt: reuera tamen tales non sunt, sed lentæ & obscuræ continuæ, aut si sunt reuera intermittentes, non puræ illæ sunt, quarum ideam Galenus proposuit, sed nothæ.

Prognostica.

Febres autem hæ minus periculosæ sunt, quàm continuæ, & rarò, nisi vires vel ætatis ratione, vel alia de caussa sint deiectæ, aut error in diæta committatur, sunt lethales; cum tempore ἀπυρεξίας, & vires colligere, & necessaria medicamenta adhibere liceat.

Indicationes & curatio.

Curationem harum febrium in genere quod attinet, cùm earum caussa in venis mesaraicis colligatur & generetur, putredinem concipiat, & hinc in totum corpus diffundatur, tandémque per insensibilem transpirationem vel sudores discutiatur; caussa verò recursus febris sit, vt Galenus, *2. de diff. febr. cap. vlt.* docet, duplex in corpore vitiosa διάθεσις, vna inquinamentum quoddam aut σωματῶδες ὑπόλειμμα, ex præcedente paroxysmo relictum, altera membri excrementitios humores generantis debilitas: quid in qualibet intermittente febre agendum sit, facilè hinc patet.

Purgantia.

Nam cùm initium generationis & corruptionis humorum febrem producentium sit in primis viis, danda opera, vt humor vitiosus expurgetur, antequam reliquum sanguinem corrumpat, & vitiosam dispositionem ac debilitatem parti inducat.

Digitized by Google

eat. Verùm cautè in istis euacuationibus procedendum; cùm non omnium febrium intermittentium eadem sit ratio. Nam cùm ille humor vitiosus & excrementitius febris caussa in mesaraicis sanguini immistus sit, etiam cruditas & coctio quædam suo modo necessaria est, qua humores vitiosi à bonis separentur & ad euacuationem apti reddantur. Idque sæpe breui tempore in febribus biliosis accidit, & humor biliosus aliàs ad motum satis aptus est. In quartana verò humor contumacior est, & propterea de consilio Galeni, 1. *ad Glauc. c.* 11. non facilè vllum forte medicamentum ab initio exhibendum.

Sudorifera.

Et omnino sudorifera tutò non exhibentur, nisi priùs euacuationes præcesserint. Si enim multi vitiosi & excrementitij humores adhuc in primis viis consistant, facilè fieri potest, vt sudoriferis intempestiuè exhibitis, ij ad alias nobiliores partes detrudantur, & variorum, ac grauium, & qui plus periculi, quàm ipsa febris, afferant, malorum caussa fiant.

Venæ sectio.

Venæ sectionem quod attinet, ea quidem à caussa febrium intermittentium primaria, quæ in venis mesaraicis generatur, & maximam partem hæret, non indicatur: quia tamen interdum sanguis simul abundat, qui facilè corrumpi, & à vitiosis humoribus inquinari, atque à natura à febre debilitata satis regi, si copiosior sit, non potest; & progressu morbi subinde aliquid peccantis materiæ in venam cauam transit ac sanguini permiscetur: habet quandoque locum venæ sectio; quæ tamen non mox initio & ante primarum viarum euacuationem instituenda est.

Si euacuationibus hisce febris non tollatur, danda opera, vt caussæ recursus paroxysmorum tollantur, & propterea duo agenda restant, vt scilicet illa dispositio & debilitas partis vitiosos humores generantis tollatur, quod fit alterantibus, quæ simul humoris vitium emendant; & inquinamentum illud, ac μίασμα ex humorum putredine relictum discutiatur. Et quidem ab inquinamento illo & paroxysmos pendere, & eo sublato febres cessare, vel ex eo patet, quod, dum à natura id ad ambitum corporis è venis expellitur, & circa labia, nares & alias faciei partes pustulæ excitantur, *vvann der Mundt oder die Nase auszschlaget*, febris cessat.

Febrifuga.

Tollitur autem præcipuè sudoriferis. Sunt tamen & alia quædam medicamenta, & Medicis & vulgo nota, quæ paroxysmos febriles tollunt, & propterea febrilia, πυρετηγὰ etiam, & specifica febrifuga appellantur, quæ tamen non sudores mouent; sed alio proculdubio modo illud μίασμα, & per consequens paroxysmum, auerruncant, qualia vulgo recensentur puluis è cochlearum testis vstis, è conchis margaritiferis seu matre perlarum calcinata, ex cancris fluuiatilibus & præcipue eorum oculis, qui ita dicuntur, paratus, & similia. Quo autem modo hoc præstent, ab autoribus non explicatur. Vt, quid mihi videatur, dicam, talia medicamenta præcipitatione quadam vim illam efferuescendi & paroxysmum excitandi humoribus tollere videntur. Quò & opiata pertinere videntur. Tutò tamen talia non adhibentur, nisi humores vitiosi, & qui caussæ antecedentis rationem habere possunt, priùs tollantur. Aliàs enim, qui à natura in paroxysmo stimulata expelli poterant, in corpore relinquuntur, & postea cachexiæ, hydropis, icteri, doloris colici, & aliorum grauium malorum caussa fieri possunt.

Topica.

Applicantur etiam extra quædam medicamenta ad febres intermittentes tollendas, ex telis aranearum, oleo aranearum, & vesicatoriis quibusdam, quæ proculdubio id, quod præstant, μίασμα; & inquinamentum illud febrile extrahendo & euacuando præstant.

CAPVT XVIII.

De Febribus intermittentibus in specie, & primò de tertiana intermittente.

Tertiana Intermittens.

POstquam de febribus intermittentibus in genere egimus, de iisdem iam etiam in specie agendum. Inter eas frequentissima est tertiana Intermittens, quæ à bile in venis mesaraicis putrescente ortum habet.

Differentia eius.

Est autem febrium harum quædam differentia. Nam primò bilis ipsa, è qua febres hæ generantur, non est eiusdem generis. Interdum enim est bilis naturali illi, quæ in vesicula postea colligitur, similis, aliquando verò præternaturalis, viridis vel æruginosa, qualis etiam à febricitantibus interdum per vomitum vel aluum reiicitur. Deinde bilis vel sola putrescit, vel alium humorem habet admistum, pituitam vel melancholiam. Illa puram, hæc notham tertianam constituit. Differunt etiam ratione durationis. Nam si paroxysmi vltra 12. horas non extendantur, tertianæ puræ solent nominari; si verò paroxysmus vltra 12. horas extendatur, non ampliùs exquisitæ seu puræ tertianæ, sed vel tertianæ simpliciter vel nothæ appellantur. Et quarum paroxysmus vltra 24. horas extenditur, tertianæ extensæ dicuntur. Accidit autem hoc ob humoris vel tenuitatem aut crassitiem, vel copiam aut paucitatem. Quo enim bilis est tenuior, vel paucior, eò citiùs discutitur: quò verò crassior aut cum crassis humoribus mixta, vel copiosior, eò diutius durat paroxysmus.

Caussæ.

Caussæ autem huius febris omnes sunt, quæ bilem excrementitiam generare valent, intemperies nimirum calida & sicca, aëris constitutio calidorum ciborum potúsque, vt & medicamentorum vsus, vigiliæ, inedia, labor & exercitium nimium. Etsi verò & in hepate bilis flaua generari possit: tamen sæpissimè etiam primæ coctionis & mesaraicarum venarum vitio generatur. Siue ergo cibi, siue ventriculi vitio multa bilis in ventriculo generetur, & cum chylo ad venas mesaraicas deducatur, ibique cumuletur, & tandem putrescat: febris accenditur.

Caussis bilem generantibus si coniungantur caussæ pituitam & melancholiam generantes, fiunt tertianæ nothæ.

Signa diagnostica puræ tertianæ.

Inuadit autem hæc febris statim, si sit pura, cum rigore quasi carnem pungente. Deinde vbi rigor cessat, mox sequitur calor multus, acer & mordax, atque in vigore æqualiter quoquo versum extenditur, vnde ægri spiritum multum ducunt, sitique cruciantur. Pulsus in principio paroxysmi sunt parui, debiles, tardi ac rari; increscente verò paroxysmo mox fiunt vehementes, veloces, frequentes atque aliquo modo duri, & omnis inæqualitatis, præterquam febrilis expertes. Vbi ad statum paroxysmus peruenit, ægérque bibit, vapor multus per cutem erumpit, superuenit biliæ vomitus, qui tamen etiam sæpe mox post rigorem accidere solet, venter soluitur, biliosa minguntur, vel etiam plura horum eueniunt. Postea sudor sequitur vaporosus & calidus in toto corpore, pulsúsque est velox, magnus, vehemens, qualis eorum, qui ex motu incaluerunt. Vrina est subrufa vel subflaua, & paulo post nebulam albam, vel enæorema habet. Paroxysmus vltra 12. horas non durat. Præcesserunt etiam vel adsunt caussæ, quæ bilem generant.

Notha.

Notha verò tertiana cognoscitur è caussis, quæ non puram bilem, sed simul vel pituitam, vel melancholiam generat. Calor non est ita acris, vt in pura tertiana, sed mitior, neque statim per vniuersum corpus diffunditur. Neque etiam soluitur hæc febris flauæ bilis vomitu vel sudore, sed quidam vapores in declinatione exeunt: & si qui sudores erumpunt, ij vel non sunt vniuersales, vel si sunt vniuersales, febrem tamen tollunt. Vrina non ita ignea est, vt in pura tertiana, & coctionis signa in ea tam citò non apparent. Pulsus initio durus est, & duritiea illa indies augetur vsque ad paroxysmum septimum, deinde sensim fit mollior, & vrinæ quoque magis coctæ apparent. Paroxysmus sæpe ad horas 18. & plures extenditur; interdum tamen, si scilicet materia sit paucior & virtus fortis, etiam intra 12. horas terminatur. Terminatur ferè non septem periodis, sed sæpe vsque ad 14. interdum ad 20. vsque pertingit.

Sunt autem febres hæ inter omnes putridas minùs periculosæ, 4. *aphor.* 43. Et quæ sunt puræ, non diu durant, sed septem circuitibus iudicantur ad summum, 4. *aphor.* 59. Nonnunquam etiam tribus aut quatuor paroxysmis terminantur. Tertianæ verò nothæ vt sunt frequentiores, ita longiùs durant. Etsi enim, si materia sit pauca, & medicamenta necessaria maturè exhibeantur, nonnunquam quinto vel septimo paroxysmo terminantur: tamen plerumque vix quatuordecim paroxysmis terminantur, & sæpe ad 40. diem extenduntur, nonnunquam etiam ad menses sex durant, & in vitia hepatis vel lienis desinunt, vel etiam ab iis fouentur.

Prognostica.

Etsi verò tertianæ plerumque periculo vacant: tamen interdum perniciosæ fiunt. 1. si aliquis error vel ab ægro, vel à medico committatur. 2. si humor, quem Natura expellere conatur, in membrum aliquod præcipuum decumbat. 3. si humor sit valde tenuis, putridus, vel prauus. 4. si humor tenuis crassum admixsum habeat, eúmque moueat ac succendat. 5. si humor crassus à calore fusus, aut in partem aliquam decumbat, & vel periculosum catarrhum, vel asthma, vel arthritidem excitet, aut vterum in consensum trahat. 6. si malignam qualitatem humor acquirat.

Indicationes & curatio.

In curatione autem febris huius, vt & in aliis, respiciendum ad febrem, caussam, & virtutem. Febris refrigerantia indicat & humectantia. Eadem & bilis, vt caussa, requirit; quæ simul euacuari postulat. Si tamen alius humor admixtus sit, alterantia, præparantia & euacuantia, quæ ille humor requirit, admiscenda. Et quia focus materiæ est in venis mesaraicis, humor vitiosus inde, antequam bonum sanguinem inquinet, euacuandus, & si opus sit præparandus. Postea etiam alterandus, & partis vitiosos humores generantis dispositio corrigenda. Tandem danda opera, vt inquinamentum illud putredinosum sudoriferis discutiatur.

Purgatio.

Primò ergo primæ viæ euacuentur vel clysteribus, vel exhibitis medicamentis lenientibus *ex syrupo rosarum solutiuo, manna, cassia*, quibus & *rhabarbarum, agaricum, folia sena.* pro humoris peccantis ratione addere licet. Vomitoria quoque non inutiliter exhibentur, præsertim si æger cardialgia, nausea & desiderio vomendi molestetur. Et cùm materia in venis mesaraicis consistat, & ipsa Natura in principio paroxysmi vel per vomitum, vel per aluum expellere eam conetur, medicus ei subuenire debet, & materiam, si natura ipsa per has vias expellere tentat, vel per aluum, vel per vomitum eiicere. Et cùm materia plerumque in primis viis sit vel copiosior, vel crassos humores admixtos habeat, non solùm lenientibus

Digitized by Google

opus est, sed iis etiam, quæ diximus, medicamentis ad miscendas imò interdum aliquid *electuarij de psyllio, de succo rosarum, rosati Mesuæ*. Videndum tamen, ne humores è venis ad primas vias trahantur.

Venæ sectio. Venæ sectionem quod attinet, etsi bilis in venis mesaraicis consistens eam non requirat: tamen si adsit sanguinis abundantia, & humor vitiosus è prima corporis regione etiam in venam cauam penetrauerit, id quod ex vrinis rubicundis & crassis cognoscetur, viresque adsint, venam secare licet. Et proinde non mox in prima inuasione, sed post vena aperienda. Habenda tamen febris ratio. Si enim tertiana sit pura, quæ etiam breuior esse solet, maturiùs vena aperienda, si requiratur; cùm si post tertium paroxysmum differatur, in ipsum morbi statum incidat. Si verò tertiana sit notha, post tertium paroxysmum differre venæ sectionem licet, vbi scilicet plus humoris morbifici sanguini in vena caua iam permixtum est. Minori autem copia sanguis mittendus in tertiana pura; cùm, vt in continuis, is non sit primarium indicans, & vires maiorem copiam mitti non ferant. Tutiùs & maiori copia sanguis mitti potest in tertiana notha. Instituitur autem venæ sectio commodissimè tempore ἀπυρεξίας.

Præparantia. Postea exhibenda ea medicamenta, quæ & humoris biliosi qualitates excedentes, quibus is Naturæ molestus est, dispositionémque in partem vitiosam & excrementitios humores generantem corrigant, ipsique inquinamento à putredine relicto contraria sunt. Talia sunt refrigerantia & humectantia, quæ simul primas vias extergendi & putredinem inhibendi vim habent, qualia sunt, *cichorium, taraxacum, endiuia, acetosa, hordeum, semina frigida maiora, & minora, succus citri*, & ex his parata, *syr. acetosæ, acetosus simplex, oxysaccharum s. de cichorio, de endiuia, de acetositate citri, cum aq. & decoctis iisdem*. Quibus in nothis tertianis addere licet, quæ pituitam vel melancholiam aspiciunt, *radices fœniculi, graminis, asparagi, asarum, polypodium, carduum benedictum, centaurium minus, absinthium, scolopendrium, betonicam*. Vtilis est etiam *spiritus vitrioli & salis, cremor tartari, tartarum vitriolatum*.

Specifica. Inter ista autem medicamenta sunt quædam, quæ peculiari vi quadam tertianis resistere perhibentur; quorum tamen plerorumque etiam manifestæ caussæ reddi possunt, qualia sunt *taraxacum, chamæmelum, centaurium minus, plantago, morsus diaboli*.

Alterantibus hisce aliquandiu exhibitis si febris sit pertinacior, vomitoria vel purgantia exhibenda sunt, quæ quidem plerumque die ἀπυρεξίας exhibentur. Si tamen animaduertatur, materiam vel ad ventriculum, vel ad aluum instante paroxysmo inclinare licet, vel instante paroxysmo vomitoria exhibere, vel lene purgans, vt tamen ante paroxysmi initium purgatio absoluatur.

Purgantia. Inter vomitoria laudatur in primis asarum & genista. Inter purgantia rhabarbarum. Fortioribus elect. de psyllio, rosatum Mesuæ, de succo rosar. exhiberi possunt, & in nothis tertianis agaricum vel sena addi. In quibus etiam repetitis præparationibus & purgationibus opus est.

Vrinam mouentia. Purgato satis corpore reliquiæ per vrinam mouentia tollendæ sunt. In pura tertiana vtilis est *emulsio sem. 4. frigid. maior.* facta cum sero lactis caprini, vel aqua hordei, fragorum, cichorij; in notha conuenit *decoctum radic. graminis, asparagi, fœniculi, capill. ♀, cicerum rubrorum, cuscuta, fl. chamæmeli, absinthij*.

Sudorifera. In primis verò Naturam, quæ in fine paroxysmi sudores mouere solet, imitetur Medicus, & reliquias humoris vitiosi sudoriferis discutiat, vel ante, vel in fine paroxysmi exhibitis. Et quidem in puris tertianis, in quibus alias natura in fine paroxysmi sudores mouere solet, sæpe sufficit, si æger aquam hordei bibat; vel exhibeatur aqua acetosæ & cardui benedicti cum syr. acetosit. citri. In nothis calidiora vsurpanda, qualia infrà de febribus malignis proponentur, quæ horis aliquot ante paroxysmum exhibita sæpe paroxysmum tollunt.

Roborantia. Si hisce remediis febris non tollatur & indicia adsint, viscus aliquod, hepar vel lienem, simul affici, illi quoque prospiciendum. Et quidem quia epar in nothis tertianis plerumque à crassa bile vel crassis humoribus permixta, quæ sanguinem inquinet, obstruitur, ea quæ bilem detergent, vsurpanda. In quam rem in primis *absinthium* vtile est, quod bilem detergendi, & eam per aluum & vrinam educendi vim habet, vt & *centaurium minus*. Vtiles etiam sunt *trochisci de absinthio, de rhabarbaro, gentiana*, & similia. Lienis & ventriculi, sed debilitentur, similiter habenda ratio.

Febrifuga. Exhibentur interdum & alia quædam medicamenta, quæ febrifuga appellantur, de quibus capite præcedente dictum.

Topica. Et præter ista quædam adhuc extra corpori ad febrem tollendam applicantur, nimirum emplastrum è telis aranearum cum vnguento populeo, foliis bursæ pastoris, vrtica, ranunculo & vesicatoriis aliis.

Diæta. Diætam quod attinet, in pura tertiana intermittente victus ratio ferè sit eadem, quæ in tertiana continua. A melle, dulcibus, & omnibus, quæ bilem generant, abstinendum; vbi verò coctionis notæ iam apparuerint, vinum dandum tenue & aquosum. Cibus exhibendus est extra accessionem; nisi syncope imminens contrarium suadeat. Galenus, 10. *method. med. cap. 5.*

In nothis tertianis ad duo in primis in victu præscribendo attendendum, videndumque, ne vel morbus cibo copiosiore exhibito augeatur, vel vires, quæ in morbo longiore diutiùs sufficere debent, tenuiore victu periclitentur. Ideóque morbi & virium magnitudo inter se comparanda. Et si vires sint fortiores, & materia coctu difficilior, tenuiore victu vtendum; largiore autem cibo, si vires sint imbecilliores, atque materia coctu facilior. Potus non solùm refrigeret & humectet, sed & incidat, & proinde hyssopo & origano condiri potest. Et si aqua mulsa exhibeatur, χολῶδες illud addito aceto corrigatur.

CAPVT XIX.

De Quotidiana intermittente.

Febris quotidiana. Secunda febrium intermittentium, species est, quæ à pituita oritur, quæ, quia singulis diebus inuadit, quotidiana nominatur. Hanc Fernelius omnium febrium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis vna obtingat, scribit. Imò sunt, qui planè eam negant. Et quamuis multi quotidie febre corripiuntur: tamen non quotidiana, sed vel duplici tertiana, vel triplici quartana laborant.

Caussa. Caussa huius febris cùm sit pituita in venis mesaraicis putrescens, omnia huius febris caussa esse possunt, quæ ad pituitæ generationem faciunt, nimirum debilis viscerum, ventriculi in primis, calor, alimenta frigida & humida, & eorum copia nimia.

Signa diagnostica. Cognoscitur hæc febris ex caussis, quæ præcesserunt, pituitam generantibus; tum ex pituitæ in corpore abundantis signis, in Instit. *lib. 3. p. 2. c. 2.* explicatis. Inuadit autem hæc febris præcipuè tempore nocturno, cum extremitatum saltem refrigeratione vel horrore. Calor post refrigerationem lentè & tardè inualescit, ita vt modò calor, modò frigus percipiatur: ac calor primum non apparet acris, sed halituosus; si tamen manus diutius admota teneatur, aliquantum acris apparet: Et vbi per totum corpus diffusus est, non valde vrit, vnde nec multum respirare, nec potum appetere ægri coguntur. Facies non rubet, sed ferè est subliuida & subtumida. Vrinæ in principio sunt albæ, tenues & crudæ: postea, cum materia concoquitur, fiunt crassæ, turbidæ, & sæpe etiam rubræ. In primis etiam paroxysmis non sudant, in progressu verò morbi parum sudoris emittunt. Pulsus etiam valde paruus, rarus, & magis, quam in quartanis, æque verò tardus. Paroxysmus ad 18. horas extenditur, & interuallum, quod est sex horarum, est rarò purum: imò sæpe ad 24. horas extenditur.

Prognostica. Quandiu autem sit duratura hæc febris, ex signis coctionis in vrina citiùs vel tardius apparentibus, & paroxysmorum longitudine vel breuitate cognoscitur. Si etiam natura maturè aliquam euacuationem tentat, breuitatis morbi spem præbet. Febris autem hæc, vtpote ab humore pertinaci orta, est longa, duratque ad dies 40. menses tres vel plures ac non caret periculo, & cùm ventriculus & hepar in ea maximè afficiantur, sæpe in cachexiam & hydropem ægrum coniicit.

Curatio. Curatio ferè eadem est, quæ quotidianæ continuæ. Humor enim pituitosus præparandus & euacuandus est. Primæ nimirum viæ euacuentur clysteribus humori pituitoso accommodatis. Venæ sectio vix locum habet. Vtilis verò est vomitus magis, quàm in vlla alia febre; cùm ventriculus maximè afficiatur. Ciendus est autem is *raphano, semine, atriplicis, anethi, fl. genistæ*; in fortioribus etiam *esula*, & aliis passim notis.

Præparantia. Humor pituitosus conuenientibus medicamentis præparetur; *radicibus aperientibus, hyssopo, origano, betonica, capill. ♀, agrimonia, chamædry. chamæmelo*, & aliis pituitæ conuenientibus, *syr. acetosæ s. & composita, syr. de duabus & quinque radicibus, melle rosato syr. bizant. simpl. & composito, de hyssopo, oxymelite simpl. & comp. scyllitico, spir. salis & vitrioli*.

Purgantia. Materia præparata euacuetur in primis *agarico, mechoacanna, turbith, trochiscis alhand. elect. Indo, diaphænico, diacarthamo, pil. de hiera cum agarico*, & similibus.

Sudorifera & vrinam cientia. Sudores quoque & vrina cieantur medicamentis paratis ex *fœniculo, carduo benedicto, sarsa parilla ligno sassafras, theriaca & Methridatio*. Tandem & viscera, in primis ventriculus & hepar, roboranda.

CAPVT XX.

De Quartana intermittente.

Quartana. Tertia tandem febrium intermittentium species est quæ ab humore melancholico, in venis mesaraicis putrescente oritur, & quarto quoque die infestat, vnde quartana appellatur.

Caussa. Signa. Proxima nimirum febris quartanæ caussa est humor melancholicus,

lancholicus, in venis mesaraïcis circa lienem & vicina viscera collectus, ac putredinem concipiens. Isque nunc naturalis sua natura frigidus & siccus, nunc adustionis alicuius particeps. Caussæ verò remotiores sunt ea omnia, quæ ad humoris melancholici & atri generationem faciunt. Cibi nimirum, & potus huic humori melancholico generando apti; Inter quos etiã est acetum, de quo, vt Hippocr. 3. *vict. rat. in acut. t. 38.* scribit, τὰ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται. ἐπαγωγὸν γὰρ μελάνων ἐστι. Tempus autumnale, præcipuè si præcalidam æstatem excipiat.

Signa.

Cognoscitur hæc febris ex quartano circuitu, & signis melancholiæ in corpore abundantis. Atque inuadit hæc febris cum molesta quadam corporis inæqualitate, quam rigor sequitur, qui initio paruus est, vel loco eius saltem refrigeratio & horror. Progressu morbi rigor fit semper maior, & tandem vehementissimus cum dolore ὀστεοκόπῳ. Calor paulatim accenditur, neque est vitus sed submissus. Pulsus est rarus ac tardus, & licet in vigore paroxysmi fiat velox & frequens: tamen respectu tertianarum tarditatem & raritatem seruat. Vrinæ in principio tenues sunt & albæ; in progressu morbi coloratiores & crassiores fiunt. Sudores in principio non sunt multi, in progressu verò morbi copiosi.

Atque hæc ita se in quartana puta habent: in notha verò humoris admisti notæ apparent, & calor, sitis, vigiliæ & alia symptomata sunt grauiora.

Prognostica.

Febris hæc omnium longissima est, & sæpe non solùm ad aliquot menses, sed & annos extenditur, ac si non soluitur circa proximum solstitium vel æquinoctium, ferè ad alterum extenditur, & plerumque vere soluitur. Tuta etiam est & sine periculo, si sit legitima & sine visceris alicuius affectu. Quæ vero cum atra bile est, periculosior est, vt & quæ cum visceris alicuius grauiore affectu, & ægrum in hydropem, scorbutum vel tabem conijcit.

Indicationes.

Curationem quod attinet, si ab humore melancholico puro sit hæc febris, is, quia frigidus, siccus, crassus, calefaciendus, humectandus, attenuandus, aut si adustus simul sit, aliquomodo refrigerandus. Deinde medicamenta conuenientibus euacuandus. Caussæ eum gignentes tollendæ, & si humores alij admisti sint, & illorum ratio habenda. Febris ipsa refrigerantia & humectantia indicat. Virium etiam, ne morbi diuturnitate deiiciantur, habenda ratio, vt & ventriculi, lienis, hepatis, ne lædantur.

Curatio.

Tractanda autem hæc febris initio leniter, nec fortia medicamenta initio vsurpanda: cùm humor melancholicus eorum vsu exasperetur, & ex simplici Quartana facilè duplex vel triplex reddi possit. Galen. 1. *ad Glauc. cap.* 11. Minus tamen periculi est in vomitoriis.

Vena sectio.

Primæ ergo viæ clysteribus, lenientibus medicamentis vel etiam vomitoriis euacuandæ sunt. Postea, si simul sanguis abundet, vena aperienda, & si is niger & crassus sit, copiosius euacuandus, vt hoc modo & sanguinis copia imminuatur, & quod humoris melancholici in venam cauam diffusum est, euacuetur. Sin autem sanguis effluens tenuis & flauus appareat, statim supprimendus. Et quidem si sanguinis copia adsit, statim in principio, primis viis euacuatis, vena aperiri potest. Si verò absque sanguinis abundantia hæc febris incipiat, non mox in principio vena aperienda, sed vbi iam aliquid humoris peccantis in venas deductum & sanguini permistum est. Aperienda autem vena vel basilica vel mediana. Plerique sectionem saluatellæ commendant: verùm caussam nondum reddiderunt sufficientem, cur aliis illa vena præferenda sit.

Præparantia.

Sanguine euacuato materia peccans præparanda & coquenda est, simulque *διάθεσις*, humorem vitiosum generans, corrigenda. Et quidem si ea sola naturali melancholia sit febris quartana, humectantibus imprimis opus est, Calefacientia verò sint moderata. Si verò humores adusti admisti sint, refrigerantibus moderatè opus est. In progressu autem morbi etiam incidentibus & attenuantibus opus est. Si pituitosus humor admixtus sit, etiam initio attenuantibus & incidentibus opus est, & tutius calefacere licet. Hinc exhibenda *borrago, buglossum, viola, capillus ♀, endiuia, cichorium, fumaria, ceterach, lingua ceruina, chamædrys, chamæpitys, carduus benedictus, radic. althææ, glycyrrhiza, cichorij, aperientes, polypodij, filicis, gentianæ, cortices tamarisci, capparum, radic. iuglandis, flor. & semen genistæ, viticis, fraxini, citri, succus pomorum,* & ea his composita; & nunc hæc vel illa eligenda vel admiscenda, prout humoris peccantis natura id postulat.

Purgantia.

Materiæ autem coctio & euacuatio per interualla repetenda est, & quidem vbi materia aliquando præparata est, exhibeantur purgantia *ex polypodio, epithymo, foliis senæ, radic. ialapæ, elleboro nigro, lapide lazuli,* & ex his compositis; *syrupo de pomis Regis Sapor. elect. diacatholico, confectione Hamech, puluere senæ composito & diasena, pil. tartareis seu melanagogis, de lapide lazuli, de ammoniaco,* incipiendo à mitioribus.

Vomitoria.

Vtilis est & vomitus, quo pertinaces interdum quartanæ tolluntur. Ita Galenus, *de theriac. ad Pisonem, cap.* 15. die ante paroxysmum à cœna vomitorium exhibet, postridie manè succum seu dilutum absinthij, & duabus horis ante paroxysmum theriacam. Mitiora vomitoria fiunt ex *decocto sem. anethi & raphani cum oxymelite.* Fortiora ex *asaro & gratiola.* Fortissima antiquis fiebant ex *elleboro albo*: hodie medicamenta talia ex ♁ fiunt.

Hæmorrhoides.

Si hæmorrhoides aperiri possint, plurimùm commodi ex his sperandum est; cùm harum fluxus à multis morbis ex humore melancholico & adusto ortis præseruet ac liberet. Aperientia ac præparantia suprà proposita etiam vrinam ciere possunt.

Sudorifera.

Tandem ad reliquias materiæ discutiendas, post purgantia, & cocta iam materia, sudorifera exhibenda, hora vna atque altera ante paroxysmum. Galenus in vsu habuit in hunc finem duo medicamenta, vnum ex succo Cyrenaico, & theriacam, quæ & hodie in vsu est. Vtilis est & *radix gentianæ, carduus benedictus, antidotus Saxonica* dicta, & similia.

Appropriata.

Huc pertinent & medicamenta, quæ à proprietate prodesse dicuntur; quorum tamen plerumque ratio reddi potest, quod scilicet reliquias humoris discutiant & absumant, ac viscera roborant. Qualia sunt *succus absinthij, verbena, radix imperatoria, plantago.* Alij etiam alia commendant, quorum tamen pleraque sudores simul mouent, quæ suo tempore tutò exhibentur.

Paroxysmi inhibentia.

Opiata verò & similia, quæ solùm paroxysmum inhibendi vim habent, non semper tutò propinantur. Cùm enim facultatem expultricem saltem obtundant, & naturæ conatum ac materiæ motum inhibeant, humores vitiosi in corpore retenti alia mala excitare valent.

Tandem etiam supra carpos & pulsum loco applicari possunt, quæ suprà in tertiana recensuimus.

Interim semper etiam prospiciendum visceribus & danda opera vt illa roborentur, & lien, quod plerumque fieri solet, non obstruatur, intumescat vel induretur.

Rigorem mitigantia.

Inter symptomata plerumque rigor ægro maximè molestus esse solet, qui mitigatur exhibita *theriaca* vel *Mithridatio* ante paroxysmum, & inunctione spinæ dorsi *oleo chamæmelino, anethino, costino, rutaceo, de piperibus, laurino* cum *theriaca* & *Mithridatio.*

Topica.

Partibus etiam iis, quæ febrem præcipuè fouent, & quæ dolore tempore paroxysmi maximè afficiuntur, imprimis lieni, fomenta, vnguenta, emplastra imponenda, ex *althæa, tamarisco, genista, anetho, chamæmelo, ammoniaco, bdellio.*

Diæta.

Diætam quod attinet, cibi sint boni succi, coctu faciles, & minimè humori melancholico generando idonei, sed qui potiùs generationi melancholiæ aduersantur. Cibus ergo sit humectans & calefaciens in melancholia, & si humor adustus sit admistus, nonnihil refrigerans: ita tamen, vt vi crassa attenuandi non destituatur. Cibi etiam condiantur *borragine, buglosso, fœniculo, petroselino, capparibus, cinnamomo, croco,* & similibus. A cibis verò crassum & viscidum succum generantibus planè abstinendum. Si Quartana ex se, sine morbo præcedente, incipiat, primò victus pauló tenuior conuenit: hinc victus pauló crassior conceditur, tandem versus statum rursum tenuior præbeatur. Si verò alij morbo Quartana succedat, primum victus paulò crassior exhibendus, & postea sensim versus statum aliquid de eo detrahendum. Et si æger id ferre possit, commodum est, vt die paroxysmi nihil comedat, aut certè horis ad minimum sex ante paroxysmum nihil cibi capiat; secundùm Hippocratem, 1. *aph.* 11. & 19. Nam cibi, qui tunc dantur, non corpori, sed febri alimentum sunt: Multæque quartanæ, vt & tertianæ, prolongantur, non sua natura, sed diætæ erroribus, imprimis quod ægri in paroxysmo, vel instante paroxysmo, à cibo & potu non abstinent. Potus sit vinum album, tenuius, maturum, non austerum: vel cereuisia bene defæcata, non flatulenta. Et vinum & cereuisia condiri possunt herbis humori melancholico conuenientibus suprà enumeratis.

Febres quintana, &c.

Febres, quæ longiorem periodum habent, & vel quinto, vel septimo die, vel longiore termino reuertuntur, cùm omnes ab humore melancholico, aut melancholia in humorem atrum & adustum declinante, vel atrum humorem admistum habente proueniant, vt ea duratione & aliis symptomatibus patet, etiam curandi est eadem ratio, quæ Quartanarum. Quæ tamen humoris peccantis sit natura, diligenter attendendum.

CAPVT XXI.

De febribus compositis, & semitertiana.

Febres compositæ.

Confusa.

PRæter hactenus enumeratas febres simplices dantur adhuc compositæ, cùm febris, cum febre coniungitur. Diuiduntur autem illæ in Confusas & Implicitas. Confusæ dicuntur vulgò, cùm duæ febres eodem tempore incipiunt ac desinunt, vt vix discerni possint; cùm scilicet humores diuersi inter se confusi eodem in loco putrescunt, & quilibet propriam naturam seruat. Quod tamen vt fiat, vix possibile videtur. Implicitæ autem sunt, quæ ita coniunguntur, vt vtriusque natura ac symptomata & signa seorsim ac peculiariter cognosci possint.

Implicita.

Digitized by Google

Complicatio autem illa fit pluribus modis. Nam primò non putrida cum putrida coniungitur, vt hectica cum putrida. Deinde putrida cum putrida; idque rursum variis modis. Nam primò continua miscetur continuæ, deinde intermittentes intermittentibus; & quidem vel eiusdem generis, vnde sunt duplices Tertianæ; duplices, triplices Quartanæ; vel diuersi, sed id rariùs, vt Tertiana intermittens cum Quotidiana intermittente, nec non Tertiana intermittens cum Quartana intermittente. Tertiò continuæ cum intermittentibus; cum Tertiana intermittens Quotidianæ continuæ, aut intermittens Quotidiana Tertianæ continuæ miscetur, quæ febres Semitertianæ appellantur.

Compositionis febrium modi. Subintrantes febres. Coalternæ. Communicantes.

Modi autem compositionis febrium tres sunt, & febrium compositarum tres differentiæ; Subintrantes, Coalternæ, Communicantes. Subintrantes sunt, cùm alterius paroxysmus incipit, antequam prioris paroxysmus desinit: Coalternæ, cum vno paroxysmo finito, mox post breue interuallum alius incipit: Communicantes, quarum vnius paroxysmus mox post alterius paroxysmum incipit.

Signa compositarum febrium.

Cognoscuntur autem febres compositæ ex signis simplicium, & imprimis ex frigoris, horroris, rigoris, reditu post quietem: & si rigor fiat, sudor non subsequatur, aut post plures rigores vnus sudor accidat. Pulsus etiamsi in continua febre sæpiùs fiat contractio, noui motus materiæ, nouique paroxysmi, atque in febris compositæ indicium est.

Prognostica.

Sunt autem febres hæ cæteris plerunque periculosiores; cùm plus affligant, quàm simplices, & tempus agendi fere desit. Et præcipuè si ex diuersis humoribus febres compositæ constent, sunt curatu difficiliores; cùm quæ vni humori sunt commoda remedia, alteri sint incommoda.

Curatio.

Earum autem curatio è simplicium curatione patet, & cuique humori ac febri, quæ inde excitatur, sua sunt opponenda remedia.

Sed vt in specie de febribus compositis aliquid dicamus, de duplici ac triplici Tertiana & Quartana, ac de Semitertiana aliquid addemus.

Duplex Tertiana.

Duplex vel triplex Tertiana fit ex bile, duobus aut tribus in locis in venis mesaraicis putrescente. Et quidem si duobus in locis putrescat bilis, fit Tertiana duplex, quæ vel singulis diebus semel, vel vno die bis affligit, vt altero die æger à febre sit liber. Si autem tribus in locis putrescat, fit inde Tertiana triplex, quæ duorum dierum spatio ter affligit, vno scilicet semel, altero bis. Imò quatuor & quinque vel pluribus in locis bilis putrescere potest, atque inde tot Tertianæ excitantur.

Tertiana triplex.

Quotidiana duplex.

Duplex Quotidiana fit ex pituita duobus in locis putrescente, ægrumque 24. horarum spatio bis inuadit.

Quartana duplex.

Quartana duplex fit ex humore melancholico duobus in locis putrescente; & qui hac febre laborant, vnum diem febre habent vacuum, sequentibus duobus diebus febre laborant. Qui verò triplici Quartana laborant, singulis diebus febricitant. Imò impossibile non est, vt, qui composita Quartana afficiuntur, vno die bis febricitent.

Quartana triplex.

Et quidem Tertiana duplex sæpè ab initio talis est: Quartana verò duplex vel triplex plerumque ex intempestiuo medicamentorum, calidorum præcipuè sudoriferorum, vsu talis redditur, cùm materia cruda agitatur saltem, sed non discutitur, & in plura loca dispergitur.

Curatio.

Curatur autem & Tertiana & Quartana composita, vt aliæ febres Tertianæ & Quartanæ. Hoc saltem attendendum, vt & cibi medicamenta respectu paroxysmi iusto tempore exhibeantur.

Semitertiana.

Semitertianam quod attinet, quæ Græcis πυρετὸς ἡμιτριταῖος appellatur, componitur ea ex Tertiana & Quotidiana, vna continua, altera intermittente, ac quidem præcipuè ex Tertiana intermittente & Quotidiana continua, continuitatémque ex pituita, horrorem ex intermittente habet, vt vulgò docetur, vnde & horridæ hæ febres appellantur. Verùm etsi non negauerim, humores simul in vena caua & mesaraicis putrescere, febrésque complicatas, quæ varias exacerbationes & mutationes habent in symptomatibus, inde oriri posse: tamen non absurdum videtur, etiam eas febres Semitertianas appellare, quæ natura sua quidem sunt Tertianæ intermittentes, cum inflammatione tamen visceris alicuius coniunctæ, è qua febris symptomatica continua excitatur. Vbi enim pars materiæ febrilis cum sanguine ad intestina, ventriculum, hepar & vicina loca protruditur, excitatur inflammatio, atque hinc febris continua symptomatica, quæ cum Tertiana intermittente complicata Semitertianam constituit, quæ ratione intermittentis febris est horrida, ratione symptomaticæ continua: Id quod obseruationes Medicorum docent, quibus compertum, in dissectis semitertiana mortuorum cadaueribus repertas fuisse inflammationes circa iecoris cauam partem, in ventriculo, intestinis, mesenterio, omento, liene. Vnde horroris & rigoris in hac febre caussam reddere facile est. Accidit enim is nunc ordinatè pro febris intermittentis natura, nunc inordinatè, cùm inflammatio nouam partem occupat, aut cùm pus fit, secundùm Hippocratem, 2. *aphor.* 47. Nonnunquam his febribus accedit malignitas: & tum ferè hæ febres populares sunt, & in plures grassantur.

Signa.

Cognoscitur hæc febris, & quidem si sit, quemadmodum vulgò describitur, composita ex Quotidiana continua & Tertiana intermittente, ex vtriusque febris signis. Febris enim continua & alter humor quotidie affert paroxysmum, alter verò tertio quolibet die, & ita dies altera duos habet paroxysmos, altera vnum tantum. Vide Galenum, 2. *de differ. febr. cap.* 7. Si autem ea visceris alicuius inflammatione coniuncta prouenit, inflammationis signa adsunt, simúlque febris intermittens suum typum obseruat. Malignitas, si adsit, ex suis signis cognoscitur.

Prognostica.

Febris autem hæc omnino periculosa est, tùm ratione continuitatis & symptomatum, tum inflammationis aut malignitatis.

Curatio.

Curatio eius dependet, vel ex curatione Tertianæ intermittentis & continuæ Quotidianæ, vel ex curatione febris intermittentis simplicis vel duplicis & inflammationis visceris.

LIBER III.

De Febre hectica.

CAPVT PRIMVM,

De natura Febris hectica.

Febris hectica.

ATQVE hæc ita de febribus putridis dicta sunt; & sic prius febrium genus, quarum calor κατὰ χύσιν, corporis viuentibus partibus inest, explicauimus: restant adhuc Hecticæ, in quibus intemperies febrilis in habitum quasi transiuit, & ita partes corporis viuentes occupauit, vt etsi a nulla caussa foueatur, nihilominus subsistere possit.

Caussa.

Ad febrem autem hanc generandam duo sunt necessaria, subiecti ad calorem præter natur. recipiendum promptitudo, & continua & vehemens caussarum calefacientium & febres inducentium actio. Aptus ad hanc febrem suscipiendam est habitus corporis calidior & siccior, siue naturalis, siue quacunque de caussa talis euaserit.

Modus generationis.

Generantur autem hæ febres duobus modis. Vel enim sequuntur alias febres, seu ardentes, seu diuturnas, cùm calor illarum vehemens aut diuturnus partes omnes peruadit, earumque humidum absumit; vel per se & à caussis euidentibus producuntur quæ si sunt leuiores, hecticas producunt.

Differentia.

Hecticæ autem febris quidam gradus sunt. Primus est, cùm rorida humiditas exsiccatur; Secundus, cùm carnosa & adiposa substantia perit: Tertius, cùm etiam fibrosas partes calor inuadit. Et quidem cùm humiditas rorida efferuescit saltem, nondum verò absumta est, Hectica sine tabe nominatur. Vbi verò humiditas illa iam absumta & exsiccata est, Hectica cùm tabe, seu μαρασμώδης dicitur. Hectica autem interdum sola & simplex est, interdum etiam cum putrida connectitur.

CAPVT II.

De signis febris hectice.

Signa diagnostica.

HEctica verò febris cognoscitur è calore continuo, nullum dolorem inferente, vtpote æquali & hectico, qui quidem primo attactu debilis, postea acrior apparet: Percipitur autem is maior in arteriis, quàm reliquis partibus. Et quidem calor post cibum sumptum hora vna vel altera augetur, & pulsus ad magnitudinem vel velocitatem mutatur, ita tamen, vt ἀνάβασις illa sit ἄβλαπτος, & libera, nihilque præcedat eorum, quæ putridarum febrium paroxysmos præcedere solent. Duratque hæc caloris & pulsus mutatio, donec alimentum distributum sit. Pulsus etiam in hac febre est paruus, creber & moderatè celer.

Signa differentiarum.

Et quidem quò magis vires sumit hæc febris, eò etiam corpus magis consumitur & virtus fit debilior, ita vt ægri palpebras vix attollere queant, & simul in secundo gradu vrinis pinguedo telis aranearum similis innatat. Tandem eadem, quæ in facie Hippocratica ab Hippocrate descripta apparent, etiam in Hectica μαρασμώδει conspiciuntur.

Hectica cum putrida signa.

Hectica cum putrida, & quidem intermittente coniuncta, cognoscitur ex eo, quod declinante paroxysmo calor nihilo

Digitized by Google

nihilominus, etsi remissus, aliquis relinquitur, adestque magnus virium languor, & reliquæ partes omnes temperatiores, inca solum arteriarum calidiora sunt, pulsusque velocitatem & frequentiam non amittit, ægerque cibum assumit, sed inde non roboratur. Hectica verò cum putrida continua coniuncta difficiliùs cognoscitur. Patesis tamen ex eo, quod sicca caliditas post finem declinationis vel totius febris, vel eius periodorum remanet; corpusque plus extenuatur, quàm aliàs fieri solet; vrina oleaginosa apparet.

Prognostica. Hecticam in principio cognoscere, difficile; curare, non admodum difficile est: quæ autem tabi iam vicinior est, facilè quidem cognoscitur, sed difficulter curatur, tandemque planè curatu impossibilis est.

CAPVT III.

De Curatione febris hectica.

Indicationes & curatio. CVrationem tandem quod attinet, intemperies calida & sicca refrigerationem & humectationem indicat, vires conseruari postulant, & quicquid humidi ac solidarum partium absumptum & exsiccatum est, restituendum humectantibus. Et quidem humectantia tutiora sunt; in refrigerantibus verò adhibendis cauendum, ne calorem natiuum iam debilem extinguant. Si verò hectica febris putridam coniunctam habeat, non tollitur hectica, nisi morbo priore sublato.

Medicamenta interna. Medicamenta refrigerantia & humectantia sunt *viola, borrago, buglossum, nymphaa, rosa, endiuia, cichorium, malua, sem. 4. frigida maiora, papaueris.* E quibus varia medicamenta in rem præsentem parari possunt.

Externa. Extra vtilissimè adhibetur Balneum aquæ dulcis, de quo Galenus, 10. *meth. med. cap.* 10. Quod vt plus humectet, *malua, viola, branca vrsina,* addi possunt. Vtile etiam est balneum ex lacte dulci. Post balneum inungatur corpus, imprimis spina dorsi, *oleo violarum, amygdalarum dulcium, nymphaa, rosarum.* Cordi etiam & thoraci, vt & hepati ac renibus, medicamenta refrigerantia & humectantia applicentur.

Diata. Maxima verò curationis spes in Diæta consistit. Aër sit temperatus, vel mediocriter frigidus. Cibus sit refrigerans & humectans, facilis coctionis, boni succi, paucorum excrementorum, qui non mox dissipetur. Imprimis vtile est lac, quod, vt Galenus *4. de simpl. medic. facult. cap.* 17. docet, frigidum & humidum est, facilis coctionis, optimi nutrimenti, ac summam vim habet substantiam corporis nostri humectandi & reficiendi. Quod ne in ventriculo coaguletur, sacchari aut salis aliquid admiscendum & solùm sumendum ea quantitate, quæ à ventriculo rectè concoqui possit. Vtilia sunt & iura instaurantia ac confortantia, de quibus alibi dictum: vt & cibi ex *amygdalis, nucleis pini, pistacijs, seminibus 4. frigidis maioribus ac papaueris albi.* Cibi autem hecticis exhibeantur in parua quantitate, sed sæpius, ob virium imbecillitatem. Potus in nostris regionibus sit cereuisia triticea, vel vinum aquosum, album, dulce. Somnus sit paulò longior. Si putrida cum hectica coniuncta sit, danda opera, vt febris putrida primùm tollatur, non tamen hectica negligatur, ne, dum putridæ febri solùm adhibemus remedia, hectica augeatur, si solùm hecticæ, augeatur putrida.

LIBER IV.

De Peste, pestilentibúsque ac malignis Febribus.

CAPVT PRIMVM.

De natura Pestilentia.

ABSOLVIMVS hactenus essentiales febrium differentias: restat, vt de accidentalibus iam dicamus. Inter quas præcipua est, & maximè cognitu necessaria, quæ pestilentiam & febres pestilentes ac malignas complectitur.

Pestis quid. Et quidem pestem quod attinet, cum qua, etsi non semper, frequentissimè tamen, etiam febris coniungitur, nomen id morbo omnium perniciosissimo & periculosissimo tribui notissimum est: quæ verò eius morbi natura sit, maximè apud Authores controuersum. Primò enim cùm varia & diuersa morborum ac symptomatum genera in peste appareant tamen quia illa sæpe etiam citra pestem conspiciuntur, pestis natura non in tot differentibus specie morbis & symptomatibus, sed in peculiari aliquo genere constituenda est. Neque etiam τὸ ἐπιδήμιον, vel contagiosum pestis naturam constituit; cùm & alij morbi contagiosi & epidemij esse possint.

Pestis cordis morbus. Verùm cùm hoc omnibus in confesso sit, tum pestilentiam grassari, quando plurimi simul eodem modo corripiuntur & intereunt, aliique inficiuntur: facilè hinc patet, pestem eius partis primariò morbum esse, à qua vita maximè pendet, & qua læsa, homo de vita summoperè periclitatur, cordis scilicet vitæ fontis & caloris vitalis officinæ. Etsi enim humor, cui pestilens venenum inhæret, in varijs partibus subsistere possit (vnde non iidem morbi & symptomata in qualibet peste apparent:) tamen, quocunque in loco consistat, peculiarem cum corde ἀντιπάθειαν habet, & proinde hominem tam subitò iugulat.

An pestis natura in putredine consistat. Vnde autem vis & qualitas illa cordi infesta & inimica ortum habeat ac dependeat, de eo maxima inter Medicos est controuersia. Et quidem nonnulli ex sola putredine pestilentiam constitui, & putredine pestis naturam absolui statuunt. Sed cùm illi ipsi agnoscant, non omnes febres putridas pestilentes esse, in putredine determinanda variè laborant, eamque alij aliter explicant. Verùm omnes frustrà. Quocunque enim modo putredo determinetur, ad pestilentiam constituendam non sufficit. Etenim putredinis gradus & modi, quicunque etiam sint, cùm saltem secundum magis & minus sint, speciem non variant, neque pestem à reliquis putridis febribus seiungunt. Deinde pestis modo planè alio, quàm febres putridæ, lædit. Nam momento ferè sese exserit, & perniciosos effectus edit, stupendo modo sese diffundit, & in quosvis grassatur, tantillum veneni pestilentis alicubi diu latere & integrum conseruari & in corpus postea receptum tam subitò tam grauia mala producere potest, & eos effectus edere, qui in primarum qualitatum, à quibus putredinis ratio solùm pendet, potestate non sunt. Præterea si à putredine solùm pestis proueniret, etiam febris à peste nunquam abesset: Cùm tamen obseruatum sit, aliquando à peste febrem abfuisse, vt ex Hippocrate, 3. *epid. comm.* 3. *t.* 25. 55. Galeno, 9. *de simpl. medic. facult. paragr. de terra Armena.* Iac. de partibus, *in* 1. *quarti Auicen. cap. de febre pestilenti.* Alex. Benedicto, Fr. Valleriola, *loc. comm. lib.* 3. *cap.* 18. & alijs patet. Tandem ipsa curandi ratio longè alia est, quàm aliarum febrium putridarum, & pestilens venenum alexipharmaca indicat & requirit, quæ in alijs putridis febribus nec indicantur, nec locum habent.

Itaque pestilentiam in occulta, totaque natura cordi aduersa qualitate consistere, pestilensque venenum tali qualitate præditum esse statuimus, id quod effectus, vt modò dictum, supra qualitatum primarum vires satis arguunt.

Pestilentiæ contagium coniunctum est, pestilentisque veneni naturam contagium, tanquam accidens proprium, quod omni, sed non soli competit, consequitur.

Definitio. Itaque pestilentiam definimus, quod sit *morbus cordis venenosus, à materia venenata, cordique tota substantia peculiariter aduersa, contagiosaque genitus, & proinde ipse contagiosus, omnésque cordis actiones subitò & ἀθρόως ladens, maximè acutus, lethalis, omnisque generis perniciosa symptomata inducens.*

Quæ autem specifica huius veneni natura, & quæ eius in diuersis pestilentibus constitutionibus differentia sit, nemo facilè explicabit. Mihi probabile videtur, esse supremum corruptionis gradum, quem quidem humores in corpore nostro recipere possunt, ad quem per multas alterationes, mutationes & fermentationes peruenitur, & in quem morbi, qui præcesserunt, tandem degenerant & abeunt. Vnde etiam peste grassante alij morbi sporadici ac benigni omnes ferè silent, imò & qui præcesserunt epidemij, cessant.

CAPVT II.

De caussis Pestilentia.

Caussa. CAussas autem pestilentiæ seu summæ huius corruptionis quod attinet, sunt eæ duplices, aliæ pestem generantes, aliæ propagantes, quæ contagij nomine comprehenduntur. In priore classe sunt aër, stellæ, victus ratio, veneficia, imaginatio & terror.

Aër. Primò enim aër nonnunquam in se pestilentiæ semina continet, quæ vbi tum aëre quem inspiramus, ab hominibus attrahuntur, pestilentem morbum in iis excitant. Atque id vbi accidit, pestilentes constitutiones longè grauissimæ excitantur, & longè perniciosiores iis, vbi per contagium saltem pestis transfertur. Aër autem pestilens euadit quidem, cum in eo caliditatis, & humiditatis excessus sunt, qui ad putredinem corpora disponunt, qualem aëris constitutionem describit Hippocrates, 3. *epid. comm.* 3. tamen etiam sine tali aëris constitutione pestis excitari potest, & ea ipsa corruptio non in qualitatibus primis terminatur, sed etiam occultas qualitates

Digitized by Google

ates & τὸ θεῖον Hippocratis concurrere necesse est. Venenositatem autem qualitatémque pestilentem accipit primò à Cælo, dum à stellarum peculiari influentia aër seu in primis qualitatibus ita disponitur, vt putrescat & corrumpatur, seu occulto etiam modo ita afficitur, vt in eo μιάσματα venenata homini tota substantia aduersa generentur. Ad quam rem imprimit Saturnum multùm posse, Astrologi docent. Deinde etiam pestilentiæ semina accipere potest aër ex terræ cauernis, dum ex iis halitus venenati in aëre diu concluso geniti exhalant: ad quam rem faciunt terræ motus, qui eiusmodi halitus venenatos commouent, iisque exitum patefaciunt. Ita ex arca diu conclusa aperta pestem exortam fuisse, annotauit Iulius Capitolinus, *in Vero*. Idem accidere potest è stagnantibus aquis & lacubus, puteorum aquis corruptis. Tandem etiam à cadaueribus interfectorum, & locustarum mortuarum copia putrescente aërem infectum fuisse, historiæ testantur.

Victus communis.

Secundò, etsi stellæ aërem corrumpendo pestilentiæ caussa esse possunt, dum eum ita corrumpunt, vt pestilentia illa, quæ in eo continentur, μιάσματα homini communicata pestem in eo excitent, tamen etiam per se corpus ipsum humanum afficiendo pestem excitare valent, dum vel ipsum aërem ita disponunt, vt seu manifestis, seu occultis qualitatibus corpori humano conseruando aptus non sit, sed humores in eo corrumpat, ita vt pestilentem naturam induant; vel etiam proximè atque immediatè occultis influentiis corpus humanum, & præcipuè humores ac spiritus in eo, corrumpant: Qua de re Astrologi consulendi.

Tertiò, pestilens venenum generari potest à victu communi: id quod non rarò accidit in diuturna annonæ caritate, in castris & obsidionibus, vbi homines cibo corrupto & prauo vti coguntur, è quibus praui humores generantur, qui in corpore detenti ampliùs corrumpuntur, & tandem pestilentem naturam induunt, id quod historiæ satis testantur.

Quartò, pestem excitant vnguenta & pulueres venenati sparsi: id quod à maleficis quibusdam factitatum fuisse, historiæ itidem testantur. Si quis tamen hoc caussæ genus ad contagium referre velit, cum eo non pugnabimus.

Imaginatio.

Quintò, caussa est imaginatio & terror ac timor, docuitque experientia, quosdam, dum vel è longinquo etiam peste infectos vel mortuos, vel è domo infecta egressos conspexissent, ex terrore animi & timore in pestem incidisse. Idem ex ita accidisse, obseruaui.

CAPVT III.

De Contagio.

ATque hæ sunt caussæ, quarum vi in aëre vel corpore hominum pestilens venenum generari potest. Sæpe tamen accidit, vt neque aër neque victus prauos, neque reliquæ caussæ pestilentiam excitauerint, sed aliunde ea in locum aliquem per contagium delata, & postea etiam per contagium in plures diffusa sit. Etsi enim & alij morbi contagiosi sint: tamen pestis omnium morborum contagiosissimus.

Contagium.

Contagium verò est similis affectionis morbosæ in alio corpore, per inquinamentum à morboso corpore communicatum, productio. Ad contagium verò requiruntur tria; Ipsum corpus contagiosum, quod alia inficit; affectio præter naturam, quæ alteri communicatur; & corpus, quod inficitur.

Primò, corpus contagiosum est, quod dum morbo aliquo laborat; non ipsum morbum, (accidens enim de subiecto non egreditur) sed aliquid caussæ morbificæ de se diffundit, & alteri communicat, atque hoc modo similem in eo affectum excitat. Illud enim, quod à corpore contagioso alteri communicatur, non est ipse morbus, sed corpus quoddam è corpore morboso effluens, & in alio receptum, similem affectum in eo excitare valens, Græci vocant σπέρματα ἀπομάγματα & ἀπορροίας & μιάσματα, Latini inquinamenta ac semina contagij. Et cùm videamus, talia semina non solùm in minima quantitate nonas vires habere, & facilè in corpus sese insinuare, sed etiam diù durare & vires suas integras retinere: & tenacissimam mistionem habeant, & spirituosa quodammodo sint, ac occulta aliqua qualitate vires suas exserant, necesse est.

Contagium quot modis disseminetur.

Non vno autem modo contagium disseminatur. Aliquando enim per halitum, aliquando per poros cutis, seu forma vaporum, seu sudoris sordiúmque cuti adhærentium, exit, & aliis corporibus communicatur. Et copiosissimè è corpore infecto hoc μίασμα exit, vbi venenum natura fortius est, eámque vincit, quod in morituris accidit.

Semina autem contagij communicantur vel per immediatum contactum, vel per medium aliquod & vehiculum. Vehiculum autem hoc duplex est, aër, & fomes aliquis, quem appellant. Aër, vbi à corporibus infectis contagij semina accepit, in vicina & sæpe etiam remotiora loca ea deferre potest. Fomitis rationem habet, quicquid contagij semina in se recipere, & alio transferre potest. Qualia corpora sunt rara & porosa; vt linum, gossipium, plumæ, pelles pilosæ animalium, & vestes inde confectæ, plumæ item auium & aues ipsæ. Compertúmque est, μιάσματα illa pestilentia sæpe in fomite aliquot annos latuisse. Imò fieri potest, vt quis pestilentiæ semina in veste illæsus circumferat, iisque motis ac excussis alium inficiat.

Contagij autem pestilentis semen in corpus receptum isti similem, qua corpus illud, è quo emissum est, laborauit, dispositionem inducit, & quidem plerumque subitò: aliquandò tamen aliquot diebus in corpore latuisse antequam sese exseruerit, compertum est.

Tertiò corpus, quod pestilens seminarium recipit, quod attinet, etsi à veneno pestilenti nemo sibi facilè immunitatem polliceri possit, alios tamen faciliùs, alios difficiliùs infici, certum est. Cuius rei caussa procul dubio consistit in peculiari aliqua & occulta qualitate cordis, cuius vi veneno pestilenti resistere valet, vel non valet. Quia tamen venenata qualitas sine subiecto è corpore infecto in alia non transfertur, fortius se insinuabit, si in corpus analogum & simile ei, in quo generata est, recipiatur; vnde consanguinei, quàm alij, faciliùs inficiuntur. Sunt tamen & alia, quæ, vt pestis faciliùs admittatur, faciunt. Qui enim copiosiùs inspirant, vt fit post validum motum, & qui poros corporis habent amplos & patentes, faciliùs semina pestis, in aëre vel fomite aliquo hærentia, suscipiunt.

CAPVT IV.

De signis Pestis.

Signa diagnostica.

POrrò signa quod attinet, vt de imminentis pestilentiæ signis, breuitatis studio nihil afferamus, sed qua ratione saltem agnosci possit, dicamus, pestis equidem, cùm in plures iam grassatur, non difficulter cognosci potest. Verùm antequam in plures diffunditur, vix vllum signum pathognomonicum datur, quo certò constare possit, vnum vel paucos malè affectos peste laborare. Postea vbi in plures serpit, non ita difficulter cognoscitur; præcipuè cùm morbi sporadici omnes ferè sileant. Nam 1. pestis multos inuadit, & plerosque iugulat. 2. contagiosa est, & in alios facilè deriuatur, magisque, quàm vllus alius morbus contagiosus. 3. vi sua vires & facultatem vitalem imprimis prosternit. Vnde 4. fiunt pulsus parui, frequentes, & inæquales, accedit cordis palpitatio, lipothymia, syncope, & summa omnino angustia. 5. si morbus protrahatur, & venenum humores corrumpat, omnis generis mala & symptomata accedunt, & tota ferè corporis œconomia turbatur. Accidunt febres, exanthemata varia, bubones, carbunculi. Neque tamen, si nullæ maculæ, nullus bubo, vel carbunculus appareat, concludendum, ægrum peste non laborare. Sæpe enim accidit, vt antequam ista erumpant, & ob virtutis debilitatem expelli possint, æger morbi vehementia moriatur. Accidunt & alia omnis generis symptomata. Vbi enim robur corporis à veneni vehementia debilitatur, humores ac spiritus corrumpuntur, excreta mutantur, & vrina vel cruda, vel corrupta planè apparet, sudores fiunt fœtidi ac intempestiui, per aluum praua, fœtida, malè colorata excernuntur, qualitates corporis variè mutantur. Et nihil omnino est in febribus ardentibus & malignis, quod non etiam in pestilentia apparere possit.

Prognostica.

Nullus autem omnino morbus est, cui aphorismus Hippocrat. 19. *sect.* 2. magis competat. Sæpe enim, cùm maximè blanditur pestilentia, mors inopinatò occupat; contrà, qui desperari videbantur, sæpe contra spem euadunt.

Salutis tamen maior spes est, vbi tumores subitò erumpunt in loco non periculoso, & post eruptionem symptomata remittunt. Si item exanthemata sint boni coloris, & cum symptomatum remissione. Si medicamenta, cibus & potus non euomantur; si sudores cum alleuiatione erumpant, & alia, quæ in febribus salutaribus adesse solent, signa conspiciantur.

Periculum verò summum indicatur, cum tumores non satis erumpunt, carbunculi cordi vicini emergunt, vel iterum euanescunt; si adsunt deliria, vigiliæ, coma, conuulsiones, si æger omnia fœtere dixerit; si adsunt tremor cordis, animi deliquia; si omnia vomitu reiiciantur; si extrema frigescant; si sudor sit frigidus; aluus varia, nigra, fœtida deiiciat, atque alia malignarum febrium praua symptomata adsint.

CAPVT V.

De præseruatione à Pestilentia.

Præseruatio.

CVm verò tutius sit, vt pestis præcaueatur, quàm vt præsens è corpore expellatur, primò de præseruatione sollicitos

citos esse oportet. Præseruandi autem ratio, post Dei auxilium, quod precibus expetere decet, in duobus consistit. Primum est, vt caussæ omnes, quæ pestem inducere valent, vitentur; deinde vt caussarum illarum vis, vbi eas vitare non licet, infringatur, & corpora ad eam recipiendam minùs apta, ad resistendum verò fortia reddantur.

Primò ergò, pestis alicubi grassatur, omnia cum infectis commercia vitanda sunt, & si quis præter opinionem inficiatur, à reliquis cum omni supellectile separandus, & quidem ad plures septimanas: ædésque infectæ, vt infra dicetur, mundandæ. Et si dubium sit, an quis tenera peste infectus sit, præstat, esse nimis cautum, quam temerarium.

Si verò pestilentia iam in loco aliquo disseminata sit, tutissimum est, locum mutare, iuxta vulgarum versiculum: *Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.* Cuius verò rationes non ferunt, vt locum mutet, is, Dei auxilio implorato frequenter alexipharmacis vtatur, iisque aduersus occurrens contagium corpus muniat, & vt corpus ab omnibus excrementis liberum sit, & in naturali statu conseruetur, det operam.

Purgantia.

Et vt à posteriore incipiamus, corpus equidem fortibus medicamentis non est temerè debilitandum, si tamen quid vitiosorum humorum in corpore fuerit, ne alexipharmacorum vis debilitetur, aut venenum pestilens facilè in corpore radices agat, lenioribus purgantibus sensim id euacuandum est: In quem finem vtilissimæ sunt *pilulæ Rufi* ab Autore, & ab vsu pestilentiales nominatæ: è quibus etiam, addito oleo sulfur. *elixir proprietatis* dictum compositum est. Vtilis est etiam *syrupus rosarum solutiuus, rhabarbarum, agaricus*, & quæ ex his componuntur, quæ passim exstant. Sanguis si abundet, venæ sectione imminui potest.

Diæta.

Diæta sit talis, qua vitiosi humores non cumulentur: cibisque & potui in primis aliquid alexipharmaci admisceri potest. Et si etiam, quod facile fieri potest, excrementitij humoris aliquid cumuletur, subinde per dicta medicamenta euacuetur.

Et cùm fontanellæ etiam excrementitios humores sensim è corpore tollant, atque hinc apparatum ad pestem suscipiendam demant, & eæ tempore pestis vtiles sunt.

In motu etiam & quiete, somno & vigilia, animique affectibus mediocritas seruanda, & imprimis, quantum fieri potest, attenta de peste cogitatio, & metus eius animo excutiendus.

Præter hæc duo adhuc ad præseruationem à peste necessaria sunt: Primum, cauendum, ne pestilentiæ seminarium attrahatur: Deinde si forsan id nobis ignorantibus accidat, vt corpus aduersus id muniatur.

Aër quomodo mundandus.

Primum ergo danda opera, vt aër, in quo degitur, purus sit. Et proinde primò publica loca ab omnibus sordibus mundanda, & aër igne, ac præcipuè ex lignon iuniperi, quercu, pino, lauro & plantis odoratis incensis, mundetur. Deinde quisque priuatim hominum frequentiam vitet, & proinde rectè à magistratu conuentus solemnes & frequentes cohibentur. Fenestræ etiam versus loca infecta claudantur, & aër lignis, vt modò dictum, accensis, vel aceto aliquo bezoardico lateribus ignitis infuso, vel suffumigiis, vel puluere pyrio accenso mundetur.

Quomodo quisque priuatim se aduersus contagium munire debeat.

Nemo verò facilè in publicum, nisi vna atque altera hora post Solis ortum, neque ieiunus, & nonnisi alexipharmacis munitus, prodeat: Itaque naribus admouenda poma ambræ, noduli; linimenta odorata, admixtis *theriaca, oleo ruta, zedoaria, angelica, citri, iuniperi*, & similibus. Et sub lingua trochisci sublinguales conuenientes detineantur, sacculi cordiales cordis regioni applicentur.

Amuleta.

Amuleta quoque à plurimis commendatur è rebus venenatis, *arsenico, puluere bufonum, argento viuo*, & similibus parata, quorum descriptiones passim exstant: quæ quicquid præstant, eo modo procul dubio efficiunt, quod sortius substantiæ similitudine pestilens venenum ad se trahunt, & à corde auertunt; sicut à scorpio percussi oleo eiusdem extra illito sanantur. Cauendum tamen, ne motu incalescant sacculi vel massæ illæ, ne per poros cutis vis illa venena cordi communicetur.

Alexipharmaca.

Verùm maxima salutis & securitatis spes est in alexipharmacis: è quibus ea eligenda, quæ longa experientia probata sunt. Simplicia sunt: *angelica, valeriana, tormentilla, carduus benedictus, acetosa, dictamnus Creticus, & albus, ruta, vincetoxicum, scordium, scabiosa, morsus diaboli, pimpinella, ulmaricum, veronica, scorzonera, calendula, absinthium, tanacetum, zedoaria, imperatoria, gentiana, bacca iuniperi, nuces iuglandes, os de C.C. bolus Armenus, terra sigillata, smaragdus, hyacinthus.*

E quibus varia sunt composita: inter quæ excellunt & longo vsu comprobata sunt, *Mithridatium, theriaca, & confectio liberantis*: sicut & illa antidotus, quæ Regi Mithridati adscribitur, de qua Plinius, *lib.23. cap.8.* vt & *theriaca diatessaron.* Quibus Recentiores plurima alia addiderunt, qualia sunt, *electuarium de croco, siue de ouo dictum, diascordium Fracastorij, antidotus Saxonica, antidotus Guidonis de Cauliaco, puluis Casparis rubeus, & griseus, electuarium camphoratum Kegleri,* & plurima alia, quibus tractatus de pestilentia variorum Autorum referti sunt, quæ tum ad præseruationem à peste, tum ad curationem eiusdem vtilia sunt, vt potius de delectu, quàm de copia hîc sollicitos esse deceat: In qua copia tamen tutius est, antiquis longo vsu probatis confidere, quàm nouiter inuentis, quamcumque etiam speciem & præconia præ se ferant.

Cùm autem infantibus & grauidis illa fortiora & calidiora non conueniant, iis danda medicamenta ex *C.C. ost. de C.C. radicibus tormentillæ, margaritis, bolo Armeno, corallijs, bezoar, lapidibus pretiosis.*

Et cùm etiam medicamentorum alexipharmacorum secundùm qualitates, quas præter occultas obtinent, non parua, detur differentia, non cuilibet tempori & ætati quælibet conueniunt. Nam in aëre calidiore minùs calidis vtendum; quod & iis faciendum qui vel ætatis vel corporis constitutionis ratione calidiores sunt, ne humores incendantur, & febres postea inde contrahantur. Aut si quæ sunt calidiora, aceto præparanda sunt, vel sumenda cum *syr. acetos. citri, acetosæ, acetosellæ, granatorum.*

Non etiam vni alexipharmaco inhærendum, sed mutanda alexipharmaca, ne natura illis adsuescat, atque ita parum ab eo auxilij accipere possit.

CAPVT VI.

De curatione Pestilentiæ.

Curatio.

CÆterùm si vllo in morbo, in hoc certè, accuratam curandi rationem perspectam habere oportet: cùm leue aliquod erratum commissum irreparabile damnum pariat. Cùm autem recta curandi ratio ab indicationibus pendeat; pestis autem occultus morbus sit, eiusque natura in occulta qualitate, peculiari vi cordi infesta, summéque contagiosa consistat; ea verò inducatur à caussa simili qualitate prædita: facilè hinc patet, & ipsam illam occultam qualitatem indicare alexipharmacum contrarium, & caussam illam in corpore, seu per inspirationem, seu contactum acceptam, aut quouis modo contractam, sui amotionem & eradicationem indicare. Verùm quomodo id fieri debeat, inter Medicos controuersum est.

Venæ sectio.

Primò enim cùm nec venæ sectio, nec purgatio à pestilentia, quatenus talis, indicetur, an adhibendæ sint, controuertitur. Primò venæ sectionem quod attinet, cùm ea nec venenum, pestilentemque morbum, nec caussam eius tollat, rarò in vsum trahenda, & in ea peste, quæ fit à prauo victu, planè omittenda, vt & in ea, quæ fit ex aëris constitutione pestilente, nisi magna adsit sanguinis copia, quæ imminuenda, eiúsque æstus temperandus sit. Si verò à contagio pestis contracta, & ea deprehendatur sanguinis copia, vt metuendum sit, ne putrida febris tanta, à qua æger non minùs, quàm ob ipsam pestem, periclitari possit, accedat; aut sanguinis ad loca inconuenientia impetus animaduertatur, viréque potiùs copia oppressæ, quàm dissipatæ sint: venæ sectionem instituere licet, tantam tamen, quantam vires ferunt. Et quidem mox in principio: nam horis 12. vel pluribus elapsis tutius est, venæ sectionem omittere; cùm vires vehementia veneni fractæ eam ampliùs non ferant.

Locum venæ sectionis quod attinet, talis eligendus, vt naturæ motus adiuuetur, non impediatur, simúlque à loco nobili materia pestilens auertatur. Ideóque si parotis post aures, vel bubo sub axillis, aut carbunculus in partibus superioribus erumpat, in brachio eiusdem lateris vena aperienda. Si autem in inguinibus bubo erumpat, in pede eiusdem lateris vena aperienda. Si verò carbunculus in alterutro crure oriatur, cùm is inflammationem & dolorem vehementissimum, quo vires deiiciuntur excitare soleat, commodum est, in opposito crure venam aperire. Neque enim hoc modo naturæ motus impeditur, sed ita etiam à partibus superioribus materia versus inferiora trahitur, & nimius ad locum affectum fluxus, atque inflammationis augmentum prohibetur.

Purgatio.

Purgatio deinde etiam à veneno pestilenti non indicatur, nec vllo purgante medicamento seminarium pestis eiicitur; nisi forsan magna naturæ commotione facta: id quod cum periculo coniunctum. Et cùm Natura plerumque venenum pestilens ad ambitum corporis expellat, purgatione hic motus naturæ impeditur, venenumque pestilens ad interiora retrahitur, humoribúsque magis permiscetur, & humorum motu concitato, periculosissimæ, imò lethales, vomitiones & diarrhœæ excitantur. Ideóque non in purgatione, sed imprimis in alexipharmacis, post Deum, salutis spes collocanda.

Alexipharmacorum vsus.

Quapropter tutissimum fuerit, si quis peste correptum se sentiat, statim, Dei auxilio priùs implorato, ad alexipharmaca, suprà, *cap.5.* enumerata, confugere, & efficacissimum aliquod atque experientia probatum medicamentum sumere, & si primum vomitu reiiciatur, statim id repetere: imò etsi id retineatur, semel sumere non sufficit, sed horarum 24. spatio ter

aloui

alexipharmacum exhibendum, & per biduum hoc modo continuandum, donec veneni vis fracta sit. Sumpto medicamento se æger ad sudorem componat, imprimis prima & secunda vice, aëremque frigidum non admittat, atque si vires ferant, ad duas horas sudorem continuet. A somno abstineat æger, donec bis sudauerit. Et inter sudandum reficiatur *conserua & syr. rosarum, acetosæ, acetosit. citri, granatorum, ribes*, cum aquis cordialibus, & odoramentis naribus admotis, & per cubiculum sparsis. Vtile etiam fuerit, panem à furno calentem aliqua parte excauare, cauitatemque theriaca implere, & vmbilico, vel sub alas apponere, vt venenum à pane attrahatur. Finito sudore corpus linteis mundis calentibus exsiccetur, cauendo, ne aër frigidus admittatur, & linteamina ac tegumenta lectorum mutentur. Post sudorem æger cibis εὐχύμοις & εὐπέπτοις nutriatur, modica tamen quantitate sumptis.

Vbi semel sudauit æger, si venæ sectione opus sit, instituatur eo, vt antea dictum, modo. Et vbi alexipharmaca per biduum continuata sunt, & corpus sit cacochymicum, aut ab interno humorum vitio pestis dependeat, & à febre magnum periculum metuendum sit, purgans exhibere non inutile fuerit, vt pars aliqua materiæ putredinem conceptæ, febrémque aucturæ tollatur, vt natura reliquum faciliùs vincere possit. Sint autem illa mitiora, *syr. rosarum solut. tamarindi, rhabarbarum, agaricus, pil. pestilentiales, tryphera Persica, syr. diaserees*.

Postea etiamsi sudorem ciere opus non sit, si tamen die critico erumpat, non impediendus est) continuanda tamen sunt ea medicamenta, quæ putredinem inhibent, febri malignæ resistunt, incendiumque in visceribus & humoribus exstinguunt.

Itaque cum de theriaca & aliis medicamentis calidis obseruandum, ne temerè sine vllo morbi, naturæ, ætatis & aliarum circumstantiarum respectu vsurpentur. Quapropter vbi febris iam corpus occupauit, post sudorem talia non nisi refrigerantibus admistis, vel etiam refrigerantia sola exhibenda, qualia sunt *syrup. acetositatis citri, acetosæ, acetosellæ, granatorum, ribes, rubi Idæi*, vt & *margarita, corallia, lapides pretiosi, bezoar*.

Bubonum curatio. Cùm autem natura plerumque partem materiæ venenosæ ad ambitum corporis expellere, & bubones & carbunculos excitare soleat: si perfectè aut rectè maxima veneni pars in bubonem expulsa sit; id quod cognoscitur ex febris & symptomatum remissione: concoctionem, etsi non perfectam, vt in aliis tumoribus, exspectare licet, eaque omnibus modis adiuuanda. Si verò vel bubo non satis erumpat, vel nimis augescat, febris tamen & symptomata non remittant, nec æger melius habeat, danda opera, vt veneno quamprimum exitus pateat. Itaque vel vesicantia imponenda, vel totus scarificanda, vt venenum liberè exspirare, humorésque pestilentes effluere possint. Magno etiam cum ægri commodo, licet incisio facta non sit, pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, apponuntur, idque sæpius repetatur; vel bufo exsiccatus vino emollitus imponitur. Postea detur opera, vt materia reliqua per idonea medicamenta, passim descripta, maturetur. In locum incisione apertum digestiua idonea imponantur, & si incisio minùs profunda sit, & pus adhuc conclusum detineatur, scalpello aperiendus est tumor, vlcúsque conuenientibus medicamentis mundandum, nec vlcus claudendum, donec omne venenum effluxerit.

Carbunculorum curatio. Carbunculi verò statim scarificandi sunt, & quidem satis profundè, vt pestilens & corruptus humor effluat; postea emplastrum aliquod conueniens imponatur, quale est de fuligine, & alia passim descripta. Nonnulli, emplastrum de magnete arsenicali imponunt. Imponere etiam vtile est bufonem exsiccatum, vino maceratum. Locis verò vicinis, ne venenum ad interiora regrediatur, defensiuum aliquod ex refrigerantibus, siccantibus & adstringentibus imponendum. Nonnulli sapphiro in cute circa carbunculum circulum ducunt, ne venenum latiùs serpat, sed exstinguatur. Et si carbunculus nimium augeatur, summumque dolorem excitet, venam sub carbunculo aperire vtile est, vt sanguis ille corruptus euacuetur. Et ad calorem exstinguendum, emplastrum de cynoglossa adhibendum. Eschara vbi generata fuerit, vnguento conuenienti demenda, & vlcus debito modo mundandum & curandum. Toto verò curationis tempore singulis septimanis bis potiuncula aliqua è temperatis alexipharmacis exhibenda, ne veneni aliquid in corpore relinquatur.

CAPVT VII.

De pestilentis ac maligna febris natura, & à peste differentia.

CVm in pestilentia summus humorum corruptionis gradus sit, ad eam per malignas & pestilentes febres quasi adscenditur: de iis ergo iam dicendum, primoque videndum, qua ratione hæc tria, pestilentia, pestilens & maligna febris differant.

Pestilentia, pestilens & maligna febris quomodo differant. Pestilentiam in occulta quadam & homini planè aduersa qualitate sitam, eandemque contagiosam esse, & febrem quidem non de eius essentia esse, eam tamen plerumque sibi comitem adsciscere, suprà dictum est. Itaque ipsa pestis etiam vbi febrem coniunctam habet, non sine caussa febris pestilentialis suo modo appellari potest. Dicuntur tamen & aliæ febres pestilentes sine peste, in quibus humorum corruptio nondum quidem summum illum gradum, qui pestilentis veneni naturam constituit, attigit, ipsæ tamen etiam veneni ac malignitatis aliquid pestilentiæ similis obtinent, & proinde vel non perniciosæ, vel non contagiosæ sunt, vt pestis, vel, si vtrumque obtinent, minùs tamen, quàm pestis, perniciosæ & contagiosæ sunt. Pestilentis enim febris in specie dictæ ac pestilentis veneni differentia (cùm vtriusque natura occulta sit) perniciei & contagionis vehementia se prodit, quæ non solum in sporadicis febribus, sed & in epidemiis, pestilentialibus minus, quàm in ipsa peste, animaduertitur. Malignas verò febres quod attinet, etsi & verè pestilentibus in genere hoc nomen tribui possit: tamen in specie malignæ dicuntur, in quibus adhuc minor, quàm in verè pestilentibus, corruptionis gradus est, & in quibus humores, qui febrem accendunt, occultam aliquam & ad venositatem accedentem qualitatem habent: Vnde & minor est pernicies, & contagium quandoque planè abest.

Et vt res paucis comprehendatur, si in febre aliqua ex symptomatibus pateat, præter putredinem occultam & malignam adesse qualitatem, pauci tamen inde moriantur, siue epidemiæ sint febres, siue sporadicæ, siue contagiosæ sint, siue non sint contagiosæ: primus hic corruptionis gradus est, febrísque illa appellatur in specie maligna. Si verò plures iam moriantur, alij tamen non ita inficiantur, vel licet contagium quoddam & pernicies etiam quædam animaduertatur, nec contagium tamen, nec pernicies summum gradum attigerit, ac non pauci conualescant: pestilens febris in specie nominatur. Si tandem plurimi, qui ægrotare incipiunt, moriantur, ac obuij quique inficiuntur, imò contagium in loca etiam remota disseminetur: pestis est.

CAPVT VIII.

Ad quod febrium genus pestilentes & malignæ pertineant.

Febres pestilentes & malignæ ad quodnam febrium genus pertineant. POrrò cùm febrium tria sint genera; ephemera, putrida, hectica, & rursum putridarum aliquot differentiæ: quæritur iam, ad quod febrium genus malignæ ac pestilentes pertineant, seu an omnibus febribus, an verò certo cuidam generi, malignitas ac pestilentia accedere possit.

Nullas autem ephemeras ac hecticas malignas & pestilentes dari statuimus, quòd in omnibus febribus malignis & pestilentibus manifesta corruptionis seu putredinis humorum indicia adsint: licet humor ille malignus & pestilens simul sæpè cum spiritibus insignem antipathiam habeat, & periculosissimam febrem excitet.

Febres autem putridæ pestilentes in specie omnes continuæ sunt; cùm venenatæ putredini ea vis sit, vt facilè in omnes venas ac arterias sese diffundere, omnesque humores corrumpere possit.

Febres autem in specie malignæ dictæ, etiam intermittentes esse possunt, vt ipsa experientia testatur. Nec impossibile est, vt etiam in primis viis putrescentes humores malignitatem aliquam concipiant, & cùm in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura statis periodis excretiones aliquas instituere possit.

Continuæ verò pestilentes & malignæ nulli earum generi peculiariter addictæ sunt, sed prout putredo in hunc vel illum morbosum apparatum incidit, ita etiam hæc vel illa febris continua excitatur, nunc synochus, nunc periodica; vnde etiam varia pro morboso apparatu oriuntur symptomata.

Febrium pestilentium & malignarum differentiæ. Porrò febrium malignarum ac pestilentium differentias quod attinet, cùm in qualibet febri tali duo reperiantur, ipsa putredo à qua febris oritur, & malignitas: harum ratione & febres hæ variant. Nam interdum & à putredine, & à malignitate æquale malum imminet, quæ febres, si & putredo & malignitas sit magna, sunt periculosissimæ; si verò nec putredo, nec malignitas sit magna, febres non periculosæ sunt. Interdum maior est putredo, qualitas verò maligna non ita vehemens; ac tum febris ad aliarum putridarum naturam magis accedit. Interdum putredo non est magna, qualitas autem maligna vehemens, talesque febres apparent quidem mites, sed sunt fraudulentæ & periculosæ.

Ipsam verò malignitatis & pestilentiæ in febribus naturam quod attinet, etsi ea sit occulta: ex effectibus tamen etiam quandam varietatem deprehendere licet, dum nunc maculæ, nunc morbilli, nunc variolæ erumpunt; nunc sudores nimij, nunc catarrhi, pleuritidis & alia mala, prout venenum cum hac vel illa parte peculiarem antipathiam habet.

CAPVT

CAPVT IX.

De caussis febris pestilentis & maligna.

Caussa.

CAussas harum febrium quod attinet, cùm malignitas earum minor sit, quàm pestilentiæ, & per hanc quasi per gradum ad pestilentiam adscendatur, quæ caussæ pestis sunt, eædem ferè & malignarum & pestilentium febrium erunt, sed mitiores, aër præcipuè, cœlum, victûs ratio & contagium.

Febres nimirum malignæ oriuntur primò morboso corporis apparatu. Hic autem oritur à cibo prauo & putredini & corruptioni facilè obnoxio, de quo videatur Galenus, *libro de cibis boni & mali succi*. Possuntque humores in corpore nostro ita corrumpi, vt veneni naturam induant, de quo dictum est in Institutionibus, *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 12. Deinde etiam ex caussis communibus, aëris nimirum constitutione minus commoda, vt & stellarum influxu.

Pestilentes verò febres in specie dictæ easdem caussas habent, sed grauiores, quæ tandem, si augeantur, pestilentiam producunt. Vnde febres malignæ & pestilentes diu durantes tandem in pestem abire solent.

CAPVT X.

De signis febrium pestilentium & malignarum.

Signa diagnostica febrium pestilentium.

EOdem modo sese res habet de signis diagnosticis. Apparent enim in febre pestilentiali in specie dicta eadem ferè signa, quæ in peste, sed pauciora, vel mitiora: & suos tales febres non tam perniciosæ vel contagiosæ, vt ipsa pestis.

Quantum autem ad signa differentiarum, si & malignitas ac putredo sit maxima, vires valdè deiiciuntur, & grauissima ac pessima apparent symptomata, si putredo sit summa, malignitas verò parua, febrilia quidem, quæ putredinem comitantur, symptomata satis sunt vehementia, sed vires non ita deiiciuntur. Si autem putredo non est magna, qualitas verò maligna vehemens, mitia satis, quæ febrem comitantur, sunt symptomata, vires autem valde deiiciuntur.

Si humores solùm afficiantur, apparent bubones, carbunculi, parotides, maculæ, pustulæ, & alia putridarum febrium indicia. Si spiritus valdè afficiantur, hæc signa absunt, nec calor est magnus, vires subitò conciduot, ægrique animi deliquia patiuntur, pulsus sunt inæquales, imbecilles ac languidi, febrisque ipsa vno, duobus vel tribus ad salutem vel mortem terminatur. Si tandem tot valdè affligatur, adest summus virium languor, nec ægri de magno calore conqueruntur.

Malignarũ.

Malignas autem febres quod attinet, eas in principio statim cognoscere difficile est, cùm malignitas sæpe diu lateat, & non, nisi vbi vires sumpsit, sese prodat. Quapropter signa omnia diligenter perpendenda sunt, & si quid suspectum sit, id diligenter perpendendum. Sunt autem omnia signa in malignis maiora, quàm pro febris natura, & symptomata, quæ apparent, vehementiora, quàm quæ à febre prouenire possint. Virium nimirum debilitas, inquietudo, anxietas maior, quam pro caloris febrilis ratione, Pulsus freqoẽs, paruus, debilis, aut si is naturalis videatur, tamen alia praua symptomata adsunt. Vrina interdum est sanorum similis: interdum tenuis & cruda, nullumque habens sedimentum, aut si quod habeat, excremento potiùs simile, quàm sedimento: interdum crassa, colorata, turbida, crassum, rubrum & turbidum sedimentum habens. Calor quàm pro natura morbi & symptomatum mitior. Facies à naturali & viuido illo statu multùm mutata. Itaque his quidem pestilentes ac malignæ febres satis agnosci possunt, accedunt tamen & alia; sopor grauis, vigiliæ, deliria, dolores capitis, aurium sibilus & surditas, nausea vel vomitus, alui profluuia, hæmorrhagiæ narium. Erumpunt tumores post aures, sub alis ac inguinibus, variæ item maculæ, ac nihil ferè mali est, quod in aliis periculosis febribus apparet, quod non in hisce etiam conspiciatur.

Prognostica.

Prognostica quod attinet, ac primò pestilentium febrium, eadem ferè earum est ratio, quæ pestilentiæ. Quò enim symptomata sunt grauiora & vires debiliores, eò maius periculum portenditur. Quò verò symptomata sunt mitiora, & vires fortiores, eò maior salutis spes est.

Eadem ferè ratio est febrium malignarum; & quid in qualibet tali febre de euentu morbi spectandum sit, ex iis, quæ in Institut. *lib.* 3. *part.* 3. *s.* 4. 5. 6. 7. 8. dicta sunt, patet.

CAPVT XI.

De curatione febrium pestilentium & malignarum in genere.

Curatio.

TAndem curationem febrium malignarum & pestilentium quod attinet, cùm duo in his febribus præter naturam sint, venenum seu malignitas, & febris: qua ratione febri occurrendum sit, ex iis, quæ hactenus de febribus dicta sunt, patet: quomodo etiam malignitas oppugnanda sit, ex iis, quæ de pestilentia dicta sunt, manifestum euadit. In hoc maxima hîc difficultas cui priùs, cui posteriùs prospiciendum, & quomodo malignitas tollenda sit, ne febris augeatur; & contra febri prospiciendum, ne malignitas negligatur. Quod vt rectè fiat, pestilens venenum & malignitas ac putredo & febris inter se conferenda sunt, & vnde plus periculi immineat, perpendendum, atque ad id imprimis respiciendum, ita tamen, ne alterum planè negligatur.

Pestilentis febris in specie dicta curatio.

Quapropter in pestilenti febre, vtpote in qua maximè vrget malignitas, statim ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum; ea tamen eligenda, quæ temperatiora sunt: qualia antea de pestilentia proposita sunt.

Sudorifera.

Venæ sectio.

Postea, si opus sit, venæ sectio instituenda est, & quidem maturè, ac vix post quartum diem, antequam omnia in corpore turbata, & vires deiectæ fuerint, vbi scilicet sanguis vel copia peccat, vt vasa distendat, vel viribus oneri est, vel motu aliquo agitatur, vt metuendum sit, ne ad partem aliquam principem rapiatur. Si verò malum iam progressum sit, viresque iam laborent, tutiùs intermittitur, quam intempestiuè instituitur venæ sectio. Si verò vires venæ sectionem non ferant, cucurbitulæ scarificatæ commodè partibus inferioribus apponantur.

Purgatio.

Purgatio verò in initio harum febrium non conuenit, nisi quæ primas vias euacuat sine insigni reliquorum humorum agitatione: fortiora verò non conueniunt, cùm humores agitent, venenum iis magis permisceant, ac periculosas sæpe alui fluxiones excitent.

Vomitoria.

Si materia ad superiora vergat & nausea vrgeat, vomitus per leniora vomitoria prouocandus.

Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, quæ tamen talia sint, ne febris per ea augeatur. Itaque postea ea adhibenda, quæ temperatiora sunt, simulque putredini resistunt, qualia sunt, *acetosa, poma citri, granata, pentaphyllum, tormentilla, C.C. os de corde cerui, lapis bezoar, bolus Armenus, terra sigillata,* & similia, & ex his parata medicamenta. In primis verò aquæ bezoardicę sæpius exhibendæ sunt, vtpote quę statim penetrant, quæ tamen ita temperari possunt, vt simul febri & putredini resistant. Ideoque iis admiscenda *syrupus acetos. citri, granatorum acetosa, acetosella,* ac similes, & in talium vsu persistendum.

Vesicatoria.

Immota materia vesicantia etiam cum ægri commodo cruribus vel brachiis applicantur: cùm sine molestia & virium debilitatione materiam venenatam ab interioribus partibus ad externas euocent.

Maligna febris in specie dicta curatio.

Purgatio.

Si autem febris maligna sit in specie dicta, maiórque putredo, quam malignitas, primæ viæ primùm euacuandæ sunt, ac non solùm clysteres lenientes locum habent, sed & lenientia, *syr. rosar. solutiuus, manna, cassia, tamarindi, agaricus, rhabarbarum, tryphera persica,* in primis si materia turgeat. A fortioribus verò scammonio, colocynthide, turbith & similibus planè abstinendum. Et quidem si putredo statim incrementum sumat, febrisque inde vehementior accendatur, ac præcipuè si humores turgeant, statim id, & ante tertium diem præstandum.

Verùm in genere hæc satis determinari nequeunt: in speciali de febribus hisce tractatione res clarior fiet. Etenim febres tales pestilentes & malignæ interdum per contagium propagantur, vbi tutissimum est, conceptum quocunque modo inquinamentum per sudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & postea, si opus sit, purgationem & venæ sectionem instituere. Interdum etiam natura ipsa ad ambitum corporis materiam expellit, vt in variolis & morbillis fieri solet. Ac tum etiã natura in opere suo turbanda non est, nec materia, quæ ad ambitum corporis protruditur, purgantibus ad interna reuocanda, sed potiùs natura alexipharmacis & sudoriferis in opere adiuuanda. Interdum verò febris a vitioso humorum apparatu ortum habet, aut certè fouetur, & materia vitiosa, in ventriculo, circa præcordia, in primis viis hærens nausea, dolore, æstu, amarore oris, anxietate & [illegible] indiciis sese manifestat, quæ necessariò quamprimum vel vomitu, vel per aluum euacuanda.

Venæ sectio.

Primis viis & corpore euacuato, statim venæ sectio, si ea opus sit, & quidem ante quartum diem, instituenda.

Sudorifera.

Post corporis euacuationem & venæ sectionem vtile est sudoriferi aliquid; sed quod febrem non augeat, exhibere, qualia antea proposuimus. Et quamquam non semper sudor sequatur: tamen talia medicamenta continuanda sunt, & singulis diebus exhibenda, vt corpus sensim ad sudores disponatur, & Natura tandem spontè suo tempore vitiosus humores per sudores expellat. Fortioribus verò sudoriferis initio vires debilitantur: & cùm humores in hisce febribus non semper ita dispositi sint, vt per sudores discuti possint, tenuius discutitur, crassius relinquitur.

Digitized by Google

Alterantia & præparantia.

Quapropter præparatio & alteratio humorum instituenda, iis medicamentis, quæ aperiunt, humorea, si opus sit, incidunt, ebullitionem & putredinem sistunt, febris feruorem extinguunt, & malignitati resistuot, ac naturam ad sudores sensim disponuot, qualia sunt, *acetosa, scordium, carduus benedictus, scorzonera, sem. citri, rad. tormentillæ, pentaphylli, succus citri, granatorum, & ex his syrupi; spiritus vitrioli.*

Vbi humores iam satis præparati sunt, nisi Natura eos sponte expellat, per viam conuenientem euacuandi sunt. Sed & tum lenioribus medicamentis vtendum, & purgatio vix ante diem decimum quartum instituenda.

Vrinam cientia.

Si ad vrinam vergit materia, emulsione seminum melonum, citri, cardui benedicti cum aqua acetosæ, capillorum ♀, & similibus natura adiuuanda.

Topica.

Toto verò morbi tempore, tam in malignis, quàm pestilentibus febribus, pulsibus & cordi medicamenta cor roborantia, & malignitati resistentia applicanda, quæ passim extant. Symptomata etiam, si quæ vrgeant, & vires deiiciant, tollenda vel mitiganda, vt suo loco dicetur.

Diæta.

Diætam quod attinet, cibus sit boni succi & facilis coctionis: & cùm vires langueant, cauendum, ne natura copiâ cibi obruatur. Cibi quoque iis rebus, quæ huic febri conueniunt, condiendi sunt. A vino, nisi forsan syncope immineat, abstinendum: commodior verò est potus tenuis cereuisiæ. Commodè etiam præbetur decoctum cornu cerui, cum spiritus vitrioli ea quantitate, quæ ad gratam aciditatem sufficit: cui etiam iulepi rosarum vel violarum aliquid admisceri potest. Sitim enim sedat, obstructiones aperit, putredinem arcet, malignitati resistit. Ægyptij, vt refert Prosper Alpinus, *lib. 4. de medic. Ægypt. cap. 4.* pulpam tamarindorum & berberis fructum exsiccatum cum seminibus fœniculi vel citri in plurima aqua communi infundunt, potumque ita parant, quem ægris in febribus malignis & pestilentibus toto morbi tempore concedunt, plurimumque in huius potus vsu confidunt: cùm tamarindorum & berberis fructus febrium putredini maximè resistere compertum habeant.

CAPVT XII.

De febre maligna cum variolis & morbillis.

Variolæ & morbilli.

Etsi malignitatis, à qua febres malignæ denominantur, natura occulta sit, & hinc multa de differentiis harum febrium dici non possint: non vna tamen etiam eiusdem ratio est, sed effectibus & symptomatibus aliqua varietas sese prodit, vnde etiam febrium malignarum quædam differentiæ constituuntur, de quibus in specie iam breuiter dicemus.

Primò occurrunt febres, in quibus in cute nunc pustulæ seu eminentia tubercula quædam erumpunt, nunc efflorescentiæ seu maculæ quædam apparent. Græci ea ἐξανθήματα & ἐκθύματα, Latini papulas & pustulas appellant: hodie variolæ & morbilli dicuntur. Quæ nomina etsi non ab omnibus eodem modo vsurpentur, plerique tamen hodie variolas quasi paruos varus nominari putant, & nomen hoc tribuunt pustulis illis eminentibus, humore plenis, quæ plerumque suppurantur, quas Germani *die Blattern & Bocken*, nominant; morbillos verò appellant maculas in cute efflorescentes seu potiùs exigua in cute tubercula, quæ Germani *die Masern* vocant.

Definitio.

Variolæ nimirum sunt pustulæ in summa cute, partibúsque cuti respondentibus, cum febre continua erumpentes, propter peculiarem sanguinis efferuescentiam à facultate expultrice excitatæ: Morbilli verò maculæ aut tubercula parua rubra, in cute erumpentia, cum febre continua, itidem à facultate expultrice & sanguinis peculiari ebullitione excitata.

Differentia.

Vtriusque generis aliquæ sunt differentiæ. Variolæ enim aliæ sunt maiores, aliæ minores; quædam albicant, quædam liuent, vel alterius coloris sunt; quædam statim erumpunt & in altum attolluntur ac maturantur, & circulo rubro cinguntur, & sine grauibus symptomatibus erumpunt, & periculosæ non sunt: aliæ sunt liuidæ, tardè erumpunt, vel statim subsident, & habent circulum liuidum, & periculosæ sunt.

Pertinent ad variolas & pustulæ illæ lupini ferè magnitudine in corpore erumpentes, ac instar crystalli splendentes, è quibus aquositas quædam effluit, quas nonnulli idcirco crystallos nominant: Germani *die Schaffblattern oder Windbocken*, quæ sunt minùs periculosæ, & citra insignem febrem plerumque erumpunt.

Ad variolas deinde pertinent & tubercula illa, sine multa sanie, sparsim nec copiosè erumpentia, quæ Germani *die Steinbocken* nominant, & sunt omnium ferè minutissimæ variolæ & minimè periculosæ, quæ penè citra febrem infantes inuadunt, ac citissimè etiam sanantur, vt infantes rarò decumbant.

Pertinent ad variolas vel morbillos & exanthemata ac tubercula exigua, rubra cum calore atque tussi inuadentia, & aliis morbillorum symptomatibus, minùs tamen, quàm alij morbilli, periculosa: Germani *die Rotten* siue *Rætteln*, à rubore appellant. Inuadunt autem quandoque sola, quandoque inter variolas insperguntur, quandoque iis sanatis superueniunt. Quod malum Rubeolam appellare videtur Halyabbas, *lib. 8. theoric. c. 14.*

Est præterea alia, sed rarior exanthematum differentia, quæ ad morbillos referenda videtur; quam Neapolitani Rossaniam & Rossaliam nominant, vt refert Ioannes Philippus Ingrassias, *de tumoribus.* Ab aliis purpuræ & rubores ac ἐρυθήματα, appellari videntur. Quidam tamen purpuræ nomen etiam petechiis tribuunt. Sunt autem maculæ rubræ & quasi ignitæ, cum vix effatu digno tumore, per vniuersum corpus, quasi quædam erysipelata parua, in principio morbi seu die quarto vel quinto morbi erumpentia. Progressu morbi totum corpus occupant, vt id quasi ignitum appareat, ac si vniuersali erysipelate laboraret, qui color in declinatione iterum, vt in principio, in maculas mutatur, quæ tandem septimo vel nono die euanescunt, epidermide squamarum instar decidente.

Subiectum.

Subiectum macularum & morbillorum cutis est, & partes aliæ cuti proportione respondentes. Deprehensum enim in mortuis, viscerum superficiem æquè, ac cutem extra, his tuberculis ac pustulis fœdatam fuisse.

Caussa.

De caussa horum affectuum grauissima & difficilis inter Medicos agitatur controuersia. Arabes, & qui eos sequuntur, caussam variolarum & morbillorum referunt in immunditiem sanguinis à primo ortu contractam ex sanguine menstruo, quo infans in vtero alitur. Relictam enim hanc in corpore labem tamdiu delitescere docent, donec agitata instar fermenti faciat, vt totus sanguis instar musti efferuescat, & ita, quicquid impuri in eo est, secernatur, atque ad ambitum corporis pellatur. Idque ideo sic statuerunt, quod viderent omnes ferè homines variolis & morbillis corripi: & qui semel vel bis, iis laborarunt, postea ferè ab iis immunes esse.

Alij verò sese huic sententiæ opponunt, & ex caussa cœlesti occulta mala hæc prouenire statuunt, cuius impressionem puerilis ætas infirmior faciliùs sentiat, quàm adulta robustior: neque probabile putant, infantes in vtero impuro sanguine nutriri, aut tamdiu labem hanc in homine latere posse; cùm notum sit, non solùm infantes, sed & iuuenes, imò ætate confectos & senes, hoc morbo laborasse, qui antea & febribus & scabie laborarunt, quibus meritò, si quid impuri in sanguine fuerit, absumi debuit.

Verùm cùm vtraque opinio suas difficultates habeat, & probabilibus etiam rationibus niti videatur, vtranque coniungemus. Etenim si variolæ & morbilli sint epidemij & contagiosi, negandum non est, ex peculiari quadam aëris maligna dispositione eos tum oriri, quam infantes, vtpote teneriores, citiùs percipiunt. Etsi negandum non sit, à caussa externa etiam intus latentem labem in quibusdam in actum deduci posse. Si tamen vis illius malignitatis sit maior, etiam adulti quandoque iis corripiuntur. Si verò sparsim vagantur variolæ, & morbilli, credibilius est, ex priuata cuiusque corporis vitiosa dispositione in vtero contracta eos prouenire; præcipuè si nullum in aëre vitium percipiatur. Etsi enim fœtus in vtero optimam in sanguinis materni partem attrahit: tamen vbi is grandior factus & copiosiore alimento indiget, vix fieri potest, quin simul aliquid de prauis humoribus secum attrahat, qui in grauidis cumulari solent. Vnde compertum, infantes variolis & morbillis laborantes in lucem editos, vel statim post ortum iis correptos fuisse. Non tamen impossibile videtur, etiam post ortum è victu prauo simile vitium ei, quale ex sanguine menstruo in vtero, contrahi posse. Idque in iis locum habere potest, qui bis vel ter variolis & morbillis corripiuntur. Etsi hoc & ea de caussa fieri possit, quod ex primo fomite & inquinamento aliquid relictum fuerit.

An & qualis variolis & morbillis coniungatur febris.

Erumpunt autem variolæ & morbilli semper cum febre. Per crisin enim quandam excitantur, & ebullitio illa non solùm in venis subcutaneis, sed etiam maioribus accidit; vnde calor cordi communicatur & febris accenditur. Febrisque illa est synocha putrida, vt ex calore æquali & materia in variolis conclusa satis apparet. Et pro ratione materiæ febris nunc maior, nunc minor est. Et quæ mitis est, sæpe intra paucos dies euanescit, nec ab infantibus, imò & adstantibus, attenditur: quæ verò vehementior est, si morbus salutaris futurus est, morbillis & variolis erumpentibus fit minor. Nonnunquam pestilentem naturam hæ febres induunt, vnde multi infantes extinguuntur.

Atque hoc modo à caussis internis variolæ & morbilli generantur. Concurrunt tamen sæpe etiam caussæ externæ, seu humores hoc modo corrumpentes, seu latentes mouendi vim habentes. Primò est aër, ob siderum influxum seu caussas alias ita dispositus, vt humores hoc modo corrumpere possint. Deinde contagium, cum è corporibus variolis aut morbillis laborantibus ἀτμὸς quidam ἀποτελεσματικὸς seu morbidum effluuium alteri corpori communicatum similem in eo morbum excitat.

Est autem variolarum & morbillorum quædam, vt antea etiam dictum, differentia in substantia, quantitate & qualitate.

Secundum

Secundum substantiam, aliæ ex hoc, aliæ ex illo humore constant. Secundum quantitatem, aliæ magnæ sunt ac multæ, aliæ paruæ, paucæ. Secundum qualitatem aliæ sunt albæ, aliæ rubicundæ, flauæ, liuidæ, violaceæ, &c. Aliæ subitò erumpunt, aliæ lentè; aliæ mox sanantur & euanescunt, aliæ diu durant. Aliæ externas solùm corporis partes occupant, aliæ etiam internas.

Signa diagnostica.

Vbi autem imminent variolæ & morbilli, adsunt dolor capitis, oculorum, gutturis, narium pruritus, sternutatio, terror in somno, paroxysmi epilepticis similes, dolor dorsi, ardor & punctionis sensus in cute, difficultas spirandi, tussis sicca, tremor pedum, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio. Quæ læsæ actiones accidunt ex sanguinis ebullitione ac fuliginibus inde per totum corpus dispersis. Vrina sanorum vrinæ sæpe non est dissimilis, materia vitiosa ad ambitum corporis protrusa: interdum etiam turbida, ob magnam humorum ebullitionem. Hæmorrhagia narium est frequens, lacrymæ spontè ex oculis solent erumpere, aut oculi lacrymabundi apparent: vomitus quoque interdum accidere solet. Facies ac oculi rubent; cutis est aspera, vox rauca. Tandémque etiam febris ex humorum ebullitione accenditur. Hæc ergo signa pleraque si adsunt, & circa tertium vel quartum diem augentur, ac maculæ quædam rubentes in cute apparent, imminentium variolarum vel morbillorum indicium est. Augetúrque hæc suspicio, si variolæ vel morbilli publicè grassantur. Paulò post maculæ illæ vel instar granorum milij in altum attolluntur, & postea in pustulas sanie repletas mutantur, ac variolæ fiunt; vel in latum extenduntur, & exigua tubercula fiunt, & morbilli excitantur.

Signa caussarum & loci affecti.

Humorum autem natura præcipuè ex colore cognoscitur. Ab humore enim bilioso sanguini permisto si sunt variolæ, magis rubescunt, & maiorem pruritum coniunctum habent, à pituita colorem album, à melancholia nigricantem habent. Nonnunquam etiam violaceæ: virides, liuidæ sunt, ex maiore humorum corruptione. Si non solùm cutem, sed & internas partes occupent, febris grauior est, difficultas respirandi & angustia pectoris magna, tussis item maior, dolor ventris & intestinorum vehemens adest.

Prognostica.

Variolæ autem & morbilli sunt ex acutorum numero & intra 14. dies terminantur. Erumpunt verò plerumque circa diem quartum, augmentum in septimum protrahitur, status vndecimo viget, ab vndecimo ad decimum quartum est declinatio. Exsiccatio tamen variolarum nonnunquam ad vigesimum extenditur.

Euentum autem eorum, febris coniuncta, symptomatum magnitudo, ipsarum variolarum ratio, & vires ægri indicant. Nam si febris atque omnia symptomata post variolarum eruptionem remittant, si largior hæmorrhagia narium præcesserit, si ipsæ variolæ sint magnæ, albæ ac rubræ, molles, eminentes, disparatæ, citò erumpant, & citò maturentur, salutaris euentus sperandus.

Febris contra si sit magna, & post variolarum exitum non minuatur, atque variolæ sint violaceæ, virides, liuidæ, duræ, contiguæ, tardiùs erumpant & maturentur, ac symptomata, quæ in febribus malignis adesse solent, sint grauiora, viresque debiliores, periculum portendunt, & vel mortem inferunt, vel alia grauia mala in oculis, naribus, faucibus, œsophago, pulmonibus, intestinis, hepate, renibus, in cute verò fœdas cicatrices relinquunt.

Eadem ferè morbillorum est ratio, qui quò febrē & symptomata mitiora, minus periculi habent, quò verò illa grauiora, etiam plus periculi habent coniunctum. Citiùs tamen iudicantur, nec oculis ita infesti sunt. Rubri etiam & qui citò apparent, mitiores: qui verò virides, violacei, nigri, & qui tardè exeunt, deteriores.

Pessimum verò est, si vel variolæ, vel morbilli nōn penitus erumpant, vel iterum euanescant. Tum enim materia intus relicta, vel intrò recedente, febris maior accenditur, symptomata ingrauescunt, & ægri plerique pereunt.

Indicationes & curatio.

Curationis autem primarius scopus est, vt naturæ per ambitum corporis vitiosā materiam expellere tentantis conatus adiuuetur: secundus, vt prauitas materiæ corrigatur; & tertius, vt vires roborentur, & tandem, ne partes aliquæ damni quippiam percipiant, præcaueatur.

Naturæ conatus adiuuatur, si humores ad ambitum corporis propellantur, & impedimenta, quæ materiam in expulsione turbare possunt, siue sit materiæ copia, siue prauitas, siue viscerum obstructio, remoueantur.

Venæ sectio.

Cùm verò malum hoc infantes præcipuè inuadat, venæ sectione opus non est, quam ætas non tolerat. Si verò in eam ætatem incidat, quæ venæ sectionem ferat, & sanguinis abundantia venæ sectionem postulet, mox in principio, ante variolarum vel morbillorum eruptionem, vena aperienda, vt natura, parte oneris leuata, reliquum faciliùs expellat.

Purgantia fortiora non vsurpanda, ne natura in conatu suo impediatur, vel periculosum alui profluuium excitetur. Si tamen aluus adstricta sit, leni clystere vel leniente medicamento, quod simul feruorem humorum restinguat, & partes internas roboret, laxanda est.

Porrò videndum, an natura in expellendo officium suum faciat. Tùm enim eam multis medicamentis, præcipue calefacientibus, adiuuare non opus est. Si verò tardiùs & parciùs erumpant variolæ & morbilli, adiuuanda est Natura expellentibus: simul tamen ea admiscenda, quæ partes internas roborent, humorúmque feruorem mitigant, ac malignitati resistant.

Expellentia.

Expellunt *radices & semina fœniculi, sem. napi, cardui benedicti, aquilegiæ, citri, radices dictamni albi, pimpinellæ, capillus ♀, flores calendulæ, ius cicerum, rubrorum scordium, scabiosa, myrrha, ficus, lentes*, & alia quæ malignitati resistunt.

Refrigerantia.

Refrigerant verò, & simul malignitati resistunt *acetosa & acetosella, lactuca, nymphæa, portulaca, hordeum, tormentilla, endiuia, cichorium, plantago succus citri, vinum granatorum, succus limonum, oxysaccharum, rob ribium.* In quibus exhibendis simul ad febrem & malignitatem respiciendum; & prout res postulat, medicamenta eligenda vel miscenda.

Arabibus medicamenta è ficubus, lentibus, lacca, tragacantha in vsu fuere, quæ etiam à posterioribus Medicis non sine fructu vsurpata sunt. Si tamen malignitas magna sit, etiam ad exquisitiora alexipharmaca confugere licet.

Imprimis verò danda opera, ne æger frigidum aërem admittat, sed potiùs in loco calidiore detineatur, vt pori cutis aperti seruentur, & naturæ expellenti nihil impedimenti obiiciatur.

Partes quomodo à variolis defendendæ.

Simul quoque prospiciendum, ne oculi, nares & partes internæ lædantur. Ideoque pulmones medicamentis è *papauere, lentibus, iuiubis, violis, tragacantha, rosis*; intestina roborantibus & adstringentibus moderatè, oculi, nares, similibus, quæ ex eorum affectibus patent, munienda ac roboranda. Os & fauces colluenda *decocto plantaginis rosarum rubr. balaust. prunella, syrupo granatorum* & similibus.

Dum pustulæ maturantur, pruritus excitatur. Cauendum ergo, ne scalpantur, & turpes inde cicatrices excitentur. Si sanies sit alba, & pustulæ non sint nimis magnæ, tutissimum est, naturæ rem totam committere, si verò magnæ sint, aut plures coniungantur, vbi satis maturas esse ex mollitie, albedine, & doloris remissione constat, aperiri possunt, acu imprimis argentea vel aurea.

Diæta.

Diætam quod attinet, ab aëre frigido æger omni studio prohibeatur: nec tamen etiam nimio æstu æger torqueatur, eiusque vires deiiciendæ. Victus ratio sicut in aliis morbis acutis instituenda, tenuis scilicet. Infantibus tamen, si appetitus ferat, plus cibi concedi potest: cùm eorum corpora sint εὐβλαφόρετα, & ob copiam innati caloris inediam non ferant. A cibis etiam omnibus, acribus salsis, pinguibus, qui humorum ebullitionem augere possunt, abstinendum, cibique, qui moderatè refrigerent & adstringant, sanguinisque feruorem temperent, vsurpandi. Vinum in principio non conuenit, sed potiùs cereuisia tenuis, vel aqua hordei. In progressu verò morbi, vbi symptomata remiserunt, adsuetis vini ὀλιγοφόρε aliquid concedi potest.

Reliquarum etiam rerum non naturalium modus sit temperatus, vigiliæ & somnus moderata, æger quiescat. Incipientibus variolis & morbillis, brachiorum & crurum leues frictiones non inutiles sunt, quibus humores ad ambitum corporis euocantur. Vulgo vsitatum est pannum rubrum lecto, vt ægro in conspectu sit, ad motum humorum ad exteriora conciliandum imponere. Aluus aperta seruetur, leui clystere, si opus sit. Fugiendæ denique vehementes animi perturbationes omnes, ira præsertim ac timor.

CAPVT XIII.

De febre petechiali.

Petechiæ.

Porrò aliud febrium malignarum genus est, in quo maculæ quædam, pulicum morsibus similes, variorum sæpe colorum, rubræ tamen inprimis, in cute apparent, ab Autoribus puncticulæ, peticulæ, petechiæ nominatæ: vnde etiam febres hæ Peticulares, Petechiales, Lenticulares nominantur.

Sunt autem hæ maculæ sine omni pruritu, extuberantia & exulceratione, qualis est in variolis & morbillis: & apparent maculæ hæ disce febribus, præsertim in dorso, brachiis, cruribus & pectore, locis nimirum, per quas insigniores arteriæ & venæ transeunt. In facie verò rarò apparent; cùm pars hæc externo aëri semper sit obuia.

Caussa.

Ortum autem habent hæ maculæ ab humoris putridi & corrupti parte tenuiore, vnde subitò erumpunt & euanescunt. Etsi verò fiant, facultate expultrice humoris corrupti hanc partem ad ambitum corporis pellente: tamen rarò id fit criticè: cùm plerumque in principio, materia nondum cocta, erumpant, & nulla notabilis materiæ per eas fiat euacuatio, nec meliùs inde ægri habeant, sed ferè, quo copiosius erumpunt, eò maiorem prauæ materiæ copiam arguant, quæ tamen, vt dictum, per maculas istas non satis euacuatur.

Differentia.

Sunt autem macularum istarum variæ differentiæ. Primò enim colore differunt, suntque aliæ rubræ, à sanguine temperatiore, putredinem concipiente ortæ, aliæ flauæ vel virides, si

bilis putrescat; aliæ puniceæ, & nigræ, si humor ater putrescat. Deinde quantitate. Aliàs enim copiosiùs erumpunt, aliàs parciùs; aliæ sunt maiores, aliæ minores, pro humoris copia, crassitie ac virtutis robore vel debilitate. Aliæ in principio, aliæ in progressu morbi erumpunt.

Signa diagnostica. Febris ipsa ex signis febrium malignarum in genere traditis cognoscitur: at vbi sese maculæ coniungunt, certius malignitatis argumentum sunt.

Prognostica. Quid etiam de euentu harum febrium sperandum, ex iis, quæ antea de prognosticis febrium malignarum in genere dicta sunt, patet. Ipsas maculas per se quod attinet, etsi bonum sit, materiam vitiosam ad ambitum corporis ferri: tamen per maculas hasce sufficiens eius euacuatio fieri non potest. Ideòque etsi, si sint copiosiores, copiosam materiam adesse significant: tamen eam non euacuant, & proptereà periculum potiùs, quàm salutem portendunt. Neque tamen paucitas semper bona, & paucitatem materiæ arguit, sed sæpe etiam naturæ debilitatem significat. Maculæ hæ si delitescant, malum: cùm significent, materiam, quæ priùs ad ambitum corporis ferebatur, introrsum iam vergere, & ad caput, cor, vel aliam partem internam moueri. Maculæ rubræ tutissimæ sunt: flauæ & virides peiores; pessimæ puniceæ vel nigræ. Etsi quæ in principio erumpunt, symptomaticè erumpunt; quæ verò septimo erumpunt, criticè erumpere videantur: tamen nisi alia bona adsint, iis non fidendum; cùm materiam non sufficienter euacuent. Si verò tardiùs apparent, malum. Accidit enim id vel ob humorum crassitiem, in quam si incidat malignitas non facilè superatur, vel ob cutis densitatem, quæ transpirationem liberam prohibet.

Curatio. Tandem curationem quod attinet, ea, quæ de curatione febrium malignarum in genere dicta sunt, etiam hîc locum habent. Nimirum aluus leniatur primò vel clystere, vel leniente pharmaco: vel si materia ad ventriculum vergat, ægerque ad vomitum procliuis sit, vomitus prouocetur.

Venæ sectio. Hinc si opus sit, vena secetur, idque fiat ante quartum diem, at posteà omittatur. An autem maculæ iam erumpentes venæ sectionem impedire possint, de eo in Institut. *lib. 5. part. 2. sect. 1. cap. 17.* dictum.

Sudorifera. Cum verò Naturam ipsam ad ambitum corporis materiam protrudere videamus, & vtile sit, in omnibus morbis malignis materiam à maioribus vasis ad minora & ambitum corporis protrudi, & viscera ab humoribus vitiosis liberari, naturæ hic conatus adiuuandus, & materia ad ambitum corporis tendens mox per eum euacuanda; cùm aliàs, quod malignum est, nullam coctionem admittat.

Itaque æger in loco mediocriter calido detineatur, & mox medicamentum sudoriferum, quodque malignitati resistat, exhibendum, qualia suprà de peste & febribus malignis in genere, & de variolis ac morbillis sunt proposita. Ea tamen eligenda, quæ calorem febrilem non augeant: febrisque & malignitas inter se conferenda; & eius, quod plus viget, maior habenda ratio.

In fluxu alui superueniente quid agendum. Interdum in hac febre fluxus alui superuenit, qui, nisi sit nimius, non supprimendus, sed naturæ negotium committendum, atque interim saltem alterantibus & malignitati resistentibus caussæ morbificæ occurrendum.

Posteà pro viribus roborandis, *margarita, corallia. C.C. succus granatorum, citri, confectio de hyacintho, alchermes*, & similia exhibenda.

Topica. Extrà quoque cordis regioni & pulsibus applicanda medicamenta, quæ venenum à corde arceant & malignitati resistant. Nonnulli etiam inunctionem ex *hydeleo & nitro* ad cutem laxandam humorésque euocandos adhibent.

Vesicatoria. Neque inutile fuerit, vesicatoria brachiis applicare; præcipuè si exteriora frigeant, atque interiora vrantur, & dolores capitis, deliria, lethargus, & alia in capite symptoma adsint. Sic enim & humores ab interioribus ad exteriora auocantur, & humores à capite reuelluntur.

CAPVT XIV.

De Sudore Anglico.

Sudor Anglicus. FVit & illa febris maligna, quæ anno 1486. in Anglis cœpit, atque inde *sudoris Anglici* nomen accepit, & quadraginta ferè annis in eâ grassata est, & infinitam penè hominum multitudinem iugulauit. Hinc ex *Anglia* disseminata per inferiorem *Germaniam, Belgium, Hollandiam, Selandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Noruvegiam, Galliam*, ab anno 1525. vsque ad annum 1530. vagata est.

Eadem febris à sudoribus copiosis, qui ipsam comitabantur, *sudatoria* nominata fuit. Correpti enim hoc malo, sine bubone, carbunculo, exanthematibus, sudore diffluebant perpetuo & copioso, qui finem non habebat, antequam morbus solueretur, quod intra 24. horas accidebat. Simul languebant ægri, animo deficiebant, inquietudine, καρδιωγμῷ, capitis dolore, cordis palpitatione laborabant, & pulsum celerem, crebrum, inæqualem habebant. Et palpitatio cordis eos, qui conualescebant, sæpè aliquot annis, nonnullos ad mortem vsque comitabatur.

Caussa. Caussa autem huius febris hærebat in subtilissima sanguinis parte & spiritibus, qui vnà afficiebantur; quod morbi breuitas arguit. Et procul dubio sanguis & spiritus ex maligna aliqua aëris constitutione & corruptione hoc vitium contraxerunt; vnde etiam in multis Belgii locis cum aëre nebuloso hoc malum subitò homines inuasit: & aues etiam sub arboribus interemptas repertas fuisse, & abscessus sub alis ciceris instar habuisse, obseruatum est. Qualis autem illa aëris corruptio fuerit, vix explicari potest.

Prognosticum. Erat autem hoc malum sæuissimum, & intra 24. horas hominem vel iugulabat vel deserebat. Et primò quidem, vbi vrbem aliquam inuaserat hæc febris, singulis diebus quingentos vel sexcentos corripiebat, via verò centesimus euadebat.

Curatio. Tota verò curationis summa consistebat in sudore, quem natura etiam sponte mouebat, promouendo, & veneno debellando. Etenim omnes, qui sudorem non proliciebant, nec cardiacis vtebantur, auramque frigidam captabant, intra 24. horas moriebantur. In sudore tamen proliciendo vires attendendæ, & si eæ sint languidæ, ita is moderandus, ne vires debiles deiciantur. Obseruatum enim est, nimio sudandi studio, & dum ægri præter vires lectis operirentur, magnam hominum partem suffocatam fuisse. Inter sudandum à somno etiam ægri prohibendi erant.

Vtebantur autem ad sudorem proliciendum & malignitatem infringendam, *aqua acetosæ, scabiosæ, terra sigillata, bolo Armeno, dictamno, carduo benedicto, zedoaria, tormentilla, nymphæa, borragine*. Locum etiam habent species liberantis, & similia, quæ in febribus malignis & morbillis vsurpari solent.

Inter sudandum ægri reficiebantur *succo & syrupo citri, granatorum, acetosæ*, & aliis suprà in peste propositis. Odoramenta quoque naribus admouebantur. Vbi æger satis sudauerit, sensim de tegumentorum pondere aliquid tollendum, sudórque tandem diligenter abstergendus.

CAPVT XV.

De morbo Vngarico.

Morbus Vngaricus. INter febres malignas est etiam morbus, quem vulgò Vngaricum vocant, quod in Vngaria primùm Anno 1566. innotuisse, & hinc per totam penè Europam propagatus fuisse putatur. Nonnulli quidem febrem petechialem, & morbum Vngaricum pro eodem morbo habent; & verum est, sæpe maculas in eo apparere. Verùm non semper hoc accidit, & latius extenditur nomen febris petechialis, quàm morbi Vngarici. Species enim quædam febris malignæ, vel, si cum maculis sit, petechialis, est morbus hic, in castris ex praua diæta ortus, vnde meritò Castrensem & Militarem appellari posse putamus; cùm non solùm superiore tempore in Vngaria, sed & alibi passim in castris hactenus grassatus, & hinc inde disseminatus sit.

Est verò morbus Vngaricus dictus febris maligna & contagiosa, continua quidem, magnum tamen etiam vitiosorum humorum apparatum circa ventriculum & primas vias coniunctum habens.

Caussa. Caussa enim proxima huius febris est putredo & maligna humorum corruptio in venis cana. Cumulantur autem isti & corrumpuntur, vt diximus, diætæ erroribus, ac primò quidem aëris vitio, qui in Vngaria vel extremè crassus est, & nocte nebulis inspissatus, vel iis discussis, extremè subtilis ac æstate feruidissimus, & alibi etiam in castris non semper commodus, cùm castris plerumque commune sit, sub dio cubare, & vapores à terra exhalantes; vt & pluuias excipere, & vestimenta pluuiis madefacta cum siccis permutare non posse, tempore verò hiberno angustis sæpe hypocaustis includi. Deinde victus prauus huius morbi caussa est, quo milites sæpe in melioris inopia vesci coguntur, & plerumque ii, qui meliori assueti sunt. Hinc cùm è prauo cibo bonus chylus generari non possit, & errata coctionis primæ non corrigantur in secunda, multi praui humores in viis primis cumulantur, qui cum chylo ad hepar & hinc in venas deriuantur, atque ex ipso chylo prauo prauus sanguis generatur. Qui & spontè ad putredinem ac corruptionem tendit, tandémque, accedente aëris constitutione incommoda, non solùm putrescit, sed & malignitatem concipit.

Vngarici morbi natura. Vnde febris non solùm putrida continua, sed & maligna, eaque contagiosa excitatur, quæ etiam eos, in quibus prauus humorum apparatus non est, inficit; vnde & symptomata nonnihil variant. Sicut & pro regionis, victus, & aliarum circumstantiarum ratione morbosus apparatus non semper planè idem est, atque hinc etiam in symptomatibus febri coniunctis diuersitas quædam occurrit. Imò in ipsa febre pro humoris

moris peccantis ratione quædam diversitas apparet, vnde ab aliis ad synochas putridas, ab aliis ad ardentes & biliosas referunt. Etsi verò magna etiam, vt dictum, ex victu prauo in ventriculo & primis viis vitiosæ materiæ copia plerumque colligatur: tamen continens ea huius febris caussa non est, sed symptomata quædam saltem, agitata à calore febrili, præcipuè in febris initio, vt cardialgiam, anxietatem, æstum circa præcordia & nauseam parit: ipsamque febrem auget ac fouet.

Signa diagnostica.

Omnia autem, quæ in aliis febribus malignis apparent, etiam in hac febre adesse possunt symptomata, & plerunque etiam maculæ & petechiæ conspiciuntur. Inter reliqua autem valdè molestus est capitis dolor, vnde etiam apud vulgus nomen hic morbus accepit, vt *die Haupt-kranckheit* appelletur. Conqueruntur etiam plerique, qui ex victu prauo hunc morbum contraxerunt, de dolore circa ventriculum, ad locum sub mucronata cartilagine, vbi & durities & renitentia quædam obseruatur. Sitis adest magna, statim in principio, lingua sicca & arida; paulò post accedunt deliria, quæ soluuntur materiâ ad aures secedente & surditatem excitante.

Prognostica.

Morbus autem acutus est; & terminatur vt plurimùm circa 14. aliis tamen etiam ad diem 20. extenditur. Quid autem de euentu huius morbi sperandum sit, ex iis, quæ supra de prognosticis febrium malignarum in genere dicta sunt, patet. Nimirum, quò vires sunt fortiores, & symptomata mitiora, eò melior morbi euentus sperandus: contra, quò vires sunt debiliores, & symptomata grauiora ac plura, eò morbus periculosior est. Nonnullis materia per aluum euacuata salutaria crisis accidit, plurimis, vt dictum, materia ad caput delata & hinc ad aures depulsa ac surditatem excitante, salutis argumentum præbet.

Vt verò in aliis febribus malignis, ita & hic curatio dirigenda & ad ipsam febrem eiusque fomitem, & ad malignitatem. Symptomata tamen etiam non negligenda sunt.

Curatio.

Et primò quidem febrem, eiusque caussam quod attinet, in iis, qui in castris & ex victu prauo hunc morbum contraxerunt, hoc peculiare occurrit, quod vitiosi humores, vt in aliis synochis & ardentibus febribus, non solum in vena caua continentur, sed & magnus humorum apparatus circa ventriculum & in primis viis latet, id quod ex antecedente diæta, ventriculi dolore, anxietate, æstu circa præcordia & nausea cognoscitur. Tunc ergo materia ista statim euacuanda est, vtpote quæ seorsim & ab aliis humoribus secreta castris, nullam coctionem suscipit, cibos & medicamenta assumpta corrumpit, ac sudoriferis & aliis medicamentis, quæ adhibenda sunt, in penitiores corporis partes rapitur, febrémque auget.

Purgatio.

Fieri autem hoc potest, cum per aluum purgantibus, inter quæ hîc imprimis agaricus commendatur, tum imprimis vomitoriis, quibus sæpe feliciter magna pituitosorum & biliosorum omnis generis humorum, circa ventriculum latentium, copia reiicitur. In iis verò, qui saltem per contagium labem hanc hauserunt, & ex praua victus ratione vitiosos humores circa ventriculum & primas vias non cumularunt, vomitoriis istis & purgantibus opus non est, sed primas vias leniter saltem euacuare sufficit.

Venæsectio.

Primæ viæ vbi à vitiosis humoribus liberæ fuerint, statim, & quidem primo vel secundo die, vena aperienda, si id requiratur, & ægrorum vires permittant. Si verò dies iam aliquot elapsi sint, viresque prostratæ, & alui profluuium vel vomitus adsit, venæ sectio omittenda. Aperienda autem vena in cubito, vel si vires debiliores sint, vena in talo, quæ etiam à capite materiam commodè reuellit, & in hoc morbo valdè commoda est.

Sudorifera.

Natura ita oneris parte leuata, statim sudorifera & malignitati aduersantia medicamenta exhibenda: ea tamen ita temperanda, ne feruorem humorum, febrimque augeant, conueniunt hîc *C. C. præparatum, lapis bezoar, ♂ diaphoreticum, bezoardicum minerale, terra sigillata, puluis Cæsaris rubeus, Montagnana, species liberantis*, & alia supra de febribus pestilentibus ac malignis in genere proposita. *Mithridatium, theriaca* & similia calida, si ob malignitatis vehementiam exhibere libeat, ne calor augeatur, frigidis aquis & aceto temperanda, quibus commodè etiam additur spir. vitrioli & sulphuris. Non solùm autem semel atque iterum ad sudorem ciendum talia propinare sufficit, sed ad vires roborandas, putredinem sistendam, & malignitatem expugnandam, quotidiè aliquoties exhibenda antea dicta, minore tamen dosi, & præterea *species el. de gemmis, cordiales temperata, diamargariti frigidi, confectio de hyacintho, spir. vitrioli & sulphuris, aqua bezoardica*, & alia supra in pestis & febrium malignarum curatione proposita.

Externa.

Externa quoque regioni cordis & pulsibus applicanda; vt & odoramentis spiritus conseruandi & malignitas expugnanda est, quæ etiam suprà de Peste & pestilentium febrium curatione proposita fuerunt.

Diæta.

Diæta tandem sit, talis, qualis in febribus malignis exposita est. Et quidem alimenta propter putredinem siccent, propter febrem refrigerent, & cordialibus hisce qualitatibus prædita condiantur. Vinum in hac febre nocuum, & plerique, qui ab eo non abstinent, intereunt.

CAPVT XVI.

De febre maligna cum spasmo.

Febris maligna cum spasmo.

SVnt & aliæ febres malignæ, quæ morbos quosdam & symptomata, spasmum scilicet, catarrhum, tussim, anginam quasi comites habent. Anno enim 1596. & 1597. in Episcopatu Coloniensi, Vvestphalia, Comitatu Vvaldecensi & Vvittensteinensi atque Hassia grassatus est morbus cum febre ferè affligens, quem tùm volgo *die Kriebelkranckheit, krimpffsucht oder Ziehende Seuche* appellitabant.

Inuadebat enim cum vellicatione & stupore quasi in manibus ac pedibus, nunc in vno, nunc in vtroque latere. Hinc, & quidem subitò, in negotiis quotidianis, homines conuulsio prehendebat, ac primùm digiti in manibus & pedibus conuellebantur, quæ conuulsio postea cubitum, genua, humeros, coxendicem, totúmque corpus occupabat, donec ægri instar globi conuulsi aut recta extensi procumberent. Conuulsionem hanc acerbissimi dolores, & hinc ægrotum clamores & eiulatus comitabantur. Nonnulli etiam cum prima inuasione vomere solebant. Malum autem hoc nonnunquam dies aliquot, vel septimanas in exterioribus membris hærebat, antequam caput inuaderet, si idonea medicamenta adhiberentur: quæ si negligerentur, etiam caput afficiebatur, & nonnulli epilepsia corripiebantur, post cuius paroxysmum aliqui ad sextam vel octauam horam quasi mortui iacebant. Alij veterno corripiebantur, alij delirio, quod ad quartum diem & vltra in quibusdam durabat, quodque vel visus, vel auditus læsio sequebatur, vel etiam paralysis. Cessante paroxysmo fames ingens & præternaturalis homines corripiebat. Postea ferè alui fluxus sequebatur; plerisque tandem pedes & manus intumescebant, vel tubercula seroso humore plena erumpebant, Sudor verò non sequebatur. Contagiosum etiam fuit hoc malum, & quidem haustum contagium sæpe sex, septem aut duodecim menses in corpore latuit.

Caussæ.

Ortum habuit malum hoc ex ichoribus pestilentialibus, cerebro & neruoso generi imprimis infestis. Humores verò isti maligni ex victu prauo in annonæ caritate prouenerant.

Prognostica.

Fuit autem malum hoc graue, periculosum ac curatu difficile. Qui enim epilepsia corripiebantur, vix integrè ea liberabantur, sed per interualla subinde aliquid mali recurrebat, & qui delirauerant, stupidi permanebant. Alij singulis annis mense Decembri & Ianuario aliquid mali sentiebant.

Curatio.

Curatio consistebat in humoris vitiosi & praui euacuatione, & cerebri ac neruosi generis roboratione. Primò ergo è primis viis humores vitiosi euacuabantur *hermodactylis, turbith, esula preparata, diagrydio, elect. diaphœnico, de succo rosarum*, addito *castoreo, coste, sem. rutæ & cumini.*

Postea exhibebantur medicamenta contra conuulsionem ex *pæonia, visco quercino, castoreo, saluia, cranio humano*, additis medicamentis contra malignitatem purgantibus, *radice vince toxici, succisa, theriaca, Mithridatio*. Atque ita medicamenta purgantia & alterantia alternis vicibus sumenda & continuanda fuerunt. Externa verò membra iis medicamentis inungebantur & fouebantur, quæ aliàs in conuulsionibus conueniunt.

CAPVT XVII.

De febri maligna cum catarrho & tussi, & cum angina.

Febris maligna cum catarrho & tussi.

QVandoque febres malignas catarrhus epidemius & tussis comitatur, qualis febris Anno 1510. 1557. 1580. & 1591. ac imprimis Anno 1580. sub æquinoctium autumnale totam pene Europam peruagata est. Atque appellabatur tum iste morbus catarrhus febrilis, & febris catarrhalis, item suffocatiua, Germanis *der Ziep und Schafshusten, Schafskranckheit und Huenerseuche.*

Inuadebat hæc febris cum propensione in somnum, capitis dolore, tussi sicca, dolore pectoris, faucium asperitate, ventriculi languore, difficili respiratione, quæ etiam tussi cessante ad diem 14. durabat.

Caussa.

Ortum habuit hæc febris è constitutione humida annorum præcedentium. Cùm enim humores vitiosi per istam aëris anomaliam in corpore cumulati essent, tandemque putredinem & malignitatem, & quidem cerebro ac pectori aduersam, concepissent, febris inde continua accensa fuit, & parte humoris vitiosi ad cerebrum protrusa, & hinc ad pectus delabente catarrhus & tussis excitata fuit.

Morbus hic, etsi tùm maximam hominum partem corriperet, lethalis non fuit: omnes enim ferè euadebant, & vix millesimus quisque moriebatur.

Curatio.

Curabatur autem hæc febris, vt aliæ malignæ, respiciendo ad

ad putredinem, malignitatem, & tandem ad caput ac thoracem, quæ maximè in hoc catarrho & tuſſi afficiebantur.

Venæ ſectio tum locum non habuit, & experientia comprobatum, omnes ferè mortuos fuiſſe, quibus vena aperta fuit. Purgantia verò lenia planè vtilia fuerunt, cùm cauſſa morbi in primis viis conſiſteret. Exhibebantur etiam poſtea, quæ materiam in capite & pectore alterarent, vt in catarrho & tuſſi fieri ſolet, atque ea, quæ malignitati reſiſtebant, non negligebantur.

Febris maligna cum angina. Tandem interdum febribus malignis etiam angina, pleuritis, peripneumonia coniungitur & populariter graſſatur, quemadmodum Anno 1348. factum fuit, vt Fracaſtorius teſtatur, & Anno 1557. vt refert Dodonæus *obſ. cap.* 22. & Anno 1564.

Quæ febres plerunque è præcedente aëris anomalia & in primis humida conſtitutione ortum habent, ſicuti dyſenteriæ epidemiæ è præcedente aëris ſiccitate, qualis Anno 1583. & 1626. graſſata eſt.

Et ſunt hæ febres plerunque periculoſæ, acutæ, & multos iugulant.

Curatio. Curantur autem illæ, vt aliæ febres malignæ. Ad hoc tamen ſimul attendendum, vt membro illi, in quo morbi vel ſymptomatis coniuncti vis eſt maxima, proſpiciatur, & morbus ille ac ſymptoma, quod febrem malignam comitatur, modo eo, qui in affectibus particularibus proponitur, curetur.

CAPVT XVIII.

De febrium ſymptomatatibus tollendis.

Febrium ſymptomata. Accidunt tandem febribus varia ſymptomata, quæ ſæpe non minùs, quàm ipſa febris, ægro moleſta ſunt, & non minus periculi afferunt, & propterea ad ſe curationem trahunt & vt tollantur vel mitigentur, poſtulant. Talia ſunt imprimis, dolor capitis, vigiliæ nimiæ, ſomnus profundus, delitia, conuulſiones epilepticæ, linguæ ariditas, ſitis, cardialgia, alui fluxus, lipothymia, ſyncope. Quæ omnia ortum habent ab humore febris cauſſa, vel vaporibus & fuliginibus ab eodem excitatis, & hanc vel illam partem, ſeu copia ſeu exceſſu qualitatum primarum, ſeu malignitate moleſtantibus.

Tolluntur verò talia ſymptomata, vniuerſalibus præmiſſis, materiam illam à parte, quæ afficitur, ad alias ignobiliores & remotiores reuellendo, repellendo, diſſipando, prout opus, illum qualitatum, quo maximè moleſta eſt, exceſſum alterando & corrigendo, vel etiam malignitatem, ſi adſit, contrariis remediis oppugnando; partéſque, quæ afficiuntur, ſi opus ſit, roborando, vel etiam ipſi ſymptomati conuenientibus remediis occurrendo. Quæ omnia, quomodo expedienda ſint, in ſpecie explicare, præter inſtituti noſtri rationem eſt, ſed Practici libri de eo conſulendi, atque imprimis cuiuſque ſymptomatis cauſſa diligenter inueſtiganda, cum idem ſymptoma ſæpe à diuerſis cauſſis prouenire, & propterea vno ſemper remedio tolli non poſſit.

DANIELIS

DANIELIS SENNERTI, DE FEBRIBVS, LIBRI QVATVOR.

Illustrissimo, Celsissimóque Principi ac Domino, D.

VVILHELMO, DVCI SAXONIÆ, IVLIÆ, Cliuiæ & Montium,

LANGRAVIO THVRINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ,
COMITI DE MARCA ET RASVENSBVRG,
DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Salutem & Felicitatem perpetuam.

P.

MEDICINAM artium omnium esse præstantissimam, ILLVSTRISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, multa equidem sunt, quæ demonstrant, qui tamen eam in sanitate hominum conseruanda & recuperanda occupari dixerit, omnia quæ in eius laudem dici possunt, comprehendisse mihi videtur. Ea enim est Sanitatis præstantia, vt omnia reliqua mortalium bona, honor, nobilitas, eruditio, diuitiæ, fortunæque adeò omnes, eam quam habent, gratiam & dignitatem ab hac vna mutuari, aut certè, si quam ex se habeant, si absque sanitate sit, omnem penitus amittere videantur.

——— Valeat possessor, oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat vti.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.

Qua de re in bonæ valetudinis laudem Ariphronis Sicyonij jucundissimus & plenissimus gratiarum, magni illius I. C. Scaligeri iudicio, hic Pæan exstat.

Ὑγίεια, πρέσβιστα μακάρων,
Μετὰ σοῦ ναίοιμι
Τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.
Σὺ δ' ἡμιν πρόφρων σύνοικος εἴης.
Εἰ γάρ τις ἢ πλούτου χάρις ἢ τεκέων,
Τᾶς ἰσοδαίμονός τ' ἀνθρώποις
Βασιληΐδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων,
Οὓς κρυφίοις Ἀφροδίτης ἄρκυσι θηρεύομεν.
Η ὅτις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
Η πόνων ἀμπνοὰ πέφανται.
Μετὰ σεῖο, μάκαιρα ὑγίεια,
Τέθαλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ.
Σέθεν δὲ χωρὶς, οὔτις εὐδαίμων.

Quem his Anacreonticis Latinè reddidi,

O sanitas beata !
O sanitas amanda !
O sanitas colenda !
Tecum mihi beatè
Reliquum agitare vitæ
Liceat ! mihi perennis
Comes ô adesto vitæ !
Nam quicquid est bonorum,
Et quicquid est leporum,
Et quicquid est honorum,
Et quicquid est amorum,
Magnis in auri aceruis,
In liberis venustis ,
In Principum decore,
In coniugum fauore ,
Et quicquid est , quod Ampli
Largitur orbis author ,
Quietis à labore,
Gaudique post dolorem ,
Tecum viget , virétque.
O sanitas beata!
Tu ver facis suaue
Fulgere Gratiarum :
Sine te nihil beatum,

Vt ergo Sanitate io hac mortali vita nihil iucundius & gratius cogitari , nihil pretiosius exoptari expetive potest : ita Ars Medica , quæ hanc moderatur , meritò omnium præstantissima habetur, vtpote quæ facit, vt maximo isto sanitatis bono , homini iucundissimè frui liceat , quæque à morborum , quibus homines ex beatissimo , in eom qno vix miserior in hac mortali vita obtingere potest , statum coniiciontur , molestiis, iniuriis ac tormentis liberat.

In numero autem illo morborum , in quibus depellendis vtilem humano generi operam Medicina nauat, nullus Febre vulgarior & frequentior est. Etenim cùm aliorum morborum plerique non omnes ex æquo inuadant , sed alij aliis ætatibus, regionibus , corporúmqoe constitutionibus , magis vel minùs familiares sint, nulla datur ætas, nulla regio, nulla corporis conditio , quæ à febre immunitatem sibi polliceri queat. Et vt freqoeos morbus Febris est : ita maximè periculosus. Neque sine causa. Occupat enim præcipuè Caloris natiui & viuifici officinam , eámqoe depopulatur , & nisi maturè igneus ille & præternaturalis calor extinguatur, natiuum planè dissipat. Quo vitæ thesauro absumpto , mors præsentissima imminet , vt vix alio morbi genere plures intereant. Qua de caosa Romani , cùm pestibus quibusdam generis humani , qoas , vt Plinius, *lib. 2. cap. 24.* scribit, placatas trepido metu copiebant , aras , & templa exstruerent: febrem præcipuè inter morbos, templis aliqoot dicatis, ad minùs nocendum venerati sunt , Numinísque loco superstitiosè coluerunt , vt, præter Plinium, *cit. loc.* Augustinus, *de Ciuit. Dei, lib. 2. cap.* 14. & Valerius Maximus , *lib. 2. cap. 5.* annotarunt.

Ac proinde eorum, qui ad Medicinam animom appulerunt , & olim in depellendis morbis vtilem hominibus operam nauare cogitant , officium est ; de Febribus doctrinam in primis sibi familiarissimam reddere , & omnes febrium differentias, cognitas perspectásqoe habere ; cùm earum, vt aliorum plerorúmque morborum, vnicum genus non sit, sed moltiplex , & in plures differentias diffusum. Qoos vt & ego, (quod Professionis meæ ratio à me exigere videbatur(in tam vtili & necessaria doctrina , quantum in me est , adiouarem , superioribus annis in hac Academia vnioersam de Febribos doctrinam in publicis Prelectionibus proposui , & quantum potui, perspicuè explicaui, ac postea ante annos ferè nouem in locem & poblioom produxi.

Cùm autem res ipsa necessitatem , secundam editionem adornandi, mihi imponeret : temporis atqoe operæ aliquid adhuc tractatui huic recensendo impendi eúmque non paucis in locis auctiorem reddidi, & præterea Fascieulo Medicamentorum contra Pestilentiam, diuersis temporibus à Clarissimis quibusdam Medicis præscriptorum, locupletaui.

Quia verò , *Illustrissime ac Celsissime Princeps, Domine Clementissime* , cùm primum hunc tractatum ederem , eum Illustrissimæ T. Cels. Fratri, Illostrissimo Principi ac Domino , D. Ioanni Ernesto , beatissimæ recordationis, inscripsi, atque ex Illustrissimæ vestræ familiæ nomine, meo huic labori aliqoem splendorem conciliare volui ; nunc, eo è rebus mortalibus exempto, Illostrissimæ T. Cels. hanc secundam & aoctiorem editionem meritò consecrandam putaoi. Cùm enim in Illustrissimam T. Cels. qoodam quasi hæreditario iure deriuatus sit erga bonas literas earúmque cultores amor & fauor, ac insignis beneuolentia, eámque multis ao illustribus documentis hactenus testatam Illustrissima T. Cels. fecerit : planè confido, Illustrissimam T. Cels. hoc quicqoid est laboris mei, serenâ fronte sosceptoram. Idque vt Illustrissima T. Cels. faciat , submissè oro, Deúmque Opt. Max. precor, vt Illustrissimam T. Cels. omnibus bonis augeat, saluámque & florentem diu conseruet. VVittebergæ, Calend. Septemb. Anno Christi M. DC. XXVIII.

Illustr. T. Celsit.

Subiectissimus ,

DANIEL SENNERTVS,
D. Medic. Profess. & Sereniss.
Elect. Sax. Medicus.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO, S.

QVEM paucos ante annos (LECTOR BENEVOLE) *non ita multis destinaueram laborem, eum iam cum pluribus communico, non quod persuasum habeam, rem litterariam & Medicam, in tanta hodie librorum copia, hoc meo de* Febribus *libro carere non posse: sed ut tempori inseruiam. Cùm enim in* Institutionibus Medicis, *doctrinam de Febribus desiderari, & quosdam hæc qualiacunque describere intelligerem; describenda tamen vitiari ac corrumpi animaduerterem: vt iis, qui ex hoc qualicunque meo labore, commodi aliquid ad se redundare posse putant, inseruirem, ea quæ tum proposueram relegere, & typis exscribenda dare volui. Etsi enim talia non sint, vt omnium expectationi possint satisfacere, tamen qui norunt, inter quas occupationes molestissimas nata sint, ij facilè iis, quæ minùs aptè & rectè scripta videbuntur, ignoscent, & mihi eam, quam viri magni etiam antea meruerunt, veniam dabunt. Consolaturque me candidum Cardani de Galeno iudicium, dum, libro de Aqua, ita scribit:* Galenus multa sic obiter scribit, non defectu ingenij, memoriæve aut eruditionis, vel etiam iudicij, quibus fuit admirabilis, sed temporis. Vt enim ipsemet fatetur, tota die curandis ægris intentus, per noctem studiis incumbebat, atque scribebat. Nec tantum refert temporis angustia, quàm si animus iam curis lassatus se applicet studiis.

Desiderabunt fortasse auidi nouitatis quidam, Chymicorum de febribus sententias: verùm non video, quid è vulgatis ipsorum libris expectatione dignum afferre potuerim. Nam illud nitro-sulphur ad omnes febrium differentias explicandas non satisfacit. Inspersi tamen passim quædam, quæ viris doctis, & quorum animi anticipatis opinionibus præoccupati non sunt, de quibusdam diligentiùs cogitandi ansam præbebunt. Neque enim omnia in doctrina febrium ita expedita & plana sunt, vt inuestigatione & labore ampliùs opus non sit; quod qui in praxi versantur quotidie experiuntur. Et vereor, ne de non paucis, quæ à nonnullis prolixissimis commentariis hac de re dicuntur, illud locum habeat, quod Cornelius Gemma de Galeno scribit: Etsi, *inquit*, Galenum exercitatissimum fuisse, non dubitemus: plura tamen non tam ex rerum vsu, quàm accurata mentis indagine, vel ratione constituit. *Et spero, tandem quosdam ad hanc Naturæ lucem oculos aperturos, & in generationis & corruptionis rerum causas diligentiùs inquisituros, nec saltem in qualitatibus primis, & causis remotis hæsuros, sed vt proximas cuiusque mutationis causas inueniant, laboraturos.*

Desiderabunt quoque forsan nonnulli in medicamentis multa Secreta, & præcipuè Chymica: quibus nihil aliud respondendum censeo, quàm quod Clarissimus ille Hieron. Capiuaccius cuidam Polono, vt quædam secreta sibi communicaret, impensè roganti, respondisse fertur: Lege meam methodum, & habebis mea secreta. *Qui enim materiam Medicam cognitam habet, nec methodum medendi ignorat, ac morbi naturam in ægris è suis signis perspicere nouit, illum non facilè medicamenta deficient. Qui verò methodo generali neglectâ, & simplicium medicamentorum cognitione non instructus, magnum thesaurum se collegisse putat, si multas compositorum medicamentorum formulas collegerit, videat, ne olim, vbi ad Praxin ventum fuerit, thesaurus iste carbones sint. Et exstant hodie in publico tot medicamenta Chymica, vt maioris prudentiæ ac industriæ sit, ea seligere, quàm colligere. Neque enim omnia, quæ satis incautè cum magnis elogiis atque inscriptionibus circumferuntur, illas laudes sustinere, & effectu ipso comprobare posse, existime. Atque doleo illud, quod Galenus,* lib. 7. de comp. medic. sec. gen. cap. 3. *prudenter monet, negligi.* Si quis, *inquit*, post me æquè studiosus & veritatis amans exstiterit, ne temerè ac subitò, vbi bis térve vsus, expertúsque sit, ferat sententiam. *Imò persuasum habeo, nonnullos medicamenta non bis, térve, quod Galeno tamen non satisfacit, sed vix semel probata, imò à fornace adhuc calentia, magnis verborum præconiis ornare, atque incautis cum multorum periculo obtrudere. Nec Medicina tam in medicamentis, quàm in eorum recto vsu consistit. Audiat hoc à me Iuuentus nostra: Nunquam erit bonus Chymiatrus, qui non bonus fuerit Galenicus, aut (si quem forsan nomen hoc offendit) Dogmaticus. Interim vtilia medicamenta non pauca, cùm à me, tum aliis doctis Medicis vsu probata, inserui, etsi sine insigni elogio. Quæ omnia,* Lector candide, *boni consule; & si qua his meliora habes, mecum, adeóque cum omnibus Artis medicæ cultoribus liberaliter communica.* Ἐξ ἀνδρὸς οὐ πάνθ' ὁρᾶ. *VVittebergæ, Idib. April. Anno Christi* 1619.

LIBER

LIBER PRIMVS,

DE FEBRE IN GENERE,

ET

DE FEBRE EPHEMERA.

CAPVT PRIMVM.

De Natura Febris.

Febris nomē.

FEBREM esse morbum calidum, vel ipsa appellatio, quæ communem notionem & conceptum quasi omnium hominum proponit, satis innuit. Græci enim febrim, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, πυρετὸν, & Hippocrates absolutè πῦρ, in primis si sit ardentior nominat. Latinis Febris à Februo dicitur, quod à feruore deducitur. Februum enim, vt est apud Varronem, *de Ling. Lat.* Latini purgamentum vocarunt, quòd quæ deferbuerunt, pura fiunt. Febris appellationem & Germani retinent. Licèt enim nonnulli *das Kalte*, hoc est, *frigus*, nominent, tamen ea appellatio non omnibus febribus competit; (neque enim omnes febricitantes à frigore molestantur;) & quibus competit, in iis non tam morbus ipse, quàm frigus, horror & rigor, qui intermittentium febrium paroxysmos antecedere solent, hoc nomine intelligitur.

Febris natura.

Essentia verò febris non est frigus, sed vt Galenus, *lib. 6. epidem. com. 1. t. 29.* habet, *Essentia febrium non secundùm Hippocratem modò, atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum, est præter naturam caliditas, maximè quidem in totum animal effusa; sin minus, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensa.*

Febris definitio.

Verùm cùm de natura febris plurimæ ab authoribus controuersiæ moueri soleant, in naturam atque essentiam eius paulò diligentiùs inquirere placet. Etsi autem alij alias febris definitiones proponant: definitionem tamen, quæ non solùm Auicennæ, sed etiam Empedoclis ac Zenonis, necnon plerorumque Hippocraticorum est, teste Alexandro Aphrodisæo, *de febr. cap. 1.* proponere & explicare libet. Ita verò illi febrem definiunt: *Febris est calor contra naturam in corde accensus, & ex eo mediantibus spiritibus ac sanguine per arterias & venas in totum corpus diffusus, actionesque naturales lædens.* Seu potiùs: *Intemperies calida totius, à calore præter naturam in corde accensa, & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus diffuse ortum habens, actionésque naturales lædens.*

Febris est morbus intemperiei.

Primò quidem, cùm, vt iam dictum, omnium & Medicorum & hominum consensu, febris quidam calor præter naturam sit, facilè hinc patet, febrem ad nullum aliud morbi genus, quàm ad morbos intemperiei referri posse, atque febrim esse intemperiem calidam. Nam quando, seu à Galeno, seu ab aliis Medicis, febris calor præter naturam, seu calor igneus, seu extraneus, quæ omnia vno eodemque sensu dicuntur, appellatur, non simplex qualitas intelligenda est, sed intemperies calida, cuius causa vel pars, est calor præter naturam, vt habet Rondeletius, *lib. de cur. febr.* Calor nimirum, qua calor, non est febris. Hic enim modò, & prout sensum afficit, ad passionem & passibilem qualitatem pertinet. Quatenus verò præter naturam est, atque vitiosus & intemperatus, ac partes praue disponit, & facit vt ad actiones edendas ineptæ sint, tum demum morbus appellatur, vt pluribus in *Instit. lib. 2. part. 1. cap. 1.* hac de re dictum est.

Falsum igitur est, quod Hor. Augenius, *lib. 1. de febr. cap. 10.* scribit, febrim optimè sub duabus speciebus collocari posse, sub habitu ac dispositione, & sub passibili qualitate: & paulò pòst, omnium febrium commune genus esse qualitatem passibilem. In quem errorem lapsus est, quòd non vidit, quâ ratione morbus dicatur dispositio; id quod claré docuimus, *loc. alleg.*

Galeni de Febris natura sententia.

Neque aliter, quàm hoc modo de essentia febris sensit Galenus. Etsi enim nonnulli, verba potiùs, quàm mentem Galeni attendentes, febrim definiant, conuersionem caliditatis innatæ in igneam: tamen nec ratione, nec authoritate Galeni hoc obtinere possunt. Conuersio enim motus est: febris verò motus non est, sed affectus corporis, motu atque alteratione inductus: At conuersio ad nullam morbosæ [illegible] speciem referri potest. Neque Galenus febrim dicit esse conuersionem caliditatis innatæ, sed 1. *aph.* 14. & alibi, febrem fieri dicit, cùm caliditatis natiuæ in igneam fit conuersio: vbi generationem febris explicat, non genus, seu essentiam febris proponit. Generatur quidem febris, cùm caliditas natiua in igneam conuertitur, sed non in ipsa conuersione caliditatis natiuæ, febris essentia consistit, verùm in illa dispositione & intemperie calida, seu excessu caloris, qui illa conuersione producitur.

Notandum & hoc, vt etiam infrà dicitur, non quemlibet calorem febrim dici posse, sed illum solùm, qui tantus est, vt actiones naturales lædere possit. Hinc momentaneæ illæ calefactiones ex ira, balneo, exercitio aliquo, & similibus, Febres non sunt.

Calor febris quis.

Cùm verò ex eo ipso, quòd febris calor præter naturam, igneus & extraneus esse dicitur, facile colligere sit, febrem calori naturali opponi; quomodo vterque calor in febricitante se habeat, & quid illa calida intemperies, quæ febris essentiam constituit, sit, videndum. Etsi autem plurimæ hac de re Authorum sententiæ occurrant: reliquis tamen sepositis, duas saltem proponere libet.

1. Opinio. Calidi natiui & præternaturalis differentia.

Alij enim censent, in quolibet febricitante duos specie & numero distinctos calores reperiri: vnum natiuum, alterum præternaturalem. Atque hos duos calores, licèt coniungantur, vnum constituere non posse, cùm specie diuersi sint, ac febrim à solo calore præter naturam, qui naturali additur, constitui, & ab eo solùm actiones lædi. Et pro hac opinione varias rationes afferunt.

Primò quidem naturalem & præternaturalem diuersos esse, neque ex vtroque vnum fieri, hoc modo probant. Diuersa, aiunt, edunt opera etiam eodem tempore. Natiuus enim calor coquit, alterat, humores vitiosos & excrementa segregat atque expellit. Calor verò præternaturalis contrarium efficit, & natu-

sæ

Digitized by Google

ræ opera impedit. Itaque cùm diuersa opera edant hi duo calores, vnius agentis rationem habere non possunt, & proinde vnum ex vtroque calore non fit. Si enim ex vtroque calore vnus fieret, vnicam operandi rationem, sub vnius formæ ratione, haberet. Præterea fit pugna in febricitante, à calore naturali contra calorem præternaturalem: At cùm nihil in seipsum agat, non videntur hi duo calores sub vnam formalitatem redacti.

Deinde, quòd solus calor præternaturalis febris rationem obtineat, ita conuincere conantur. Primò solus calor, qui actiones lædit, est morbus. At tantùm calor præternaturalis & natiuo superueniens, actiones lædit. Ergo solum is est morbus: eundémque tantùm calorem Medicus conatur depellere. Deinde cum calorem febrilem Medicus tollere debeat, si natiuus quoque ad eum pertinet, & is tollendus esset, quod absurdum.

2. Opinio.

Alij verò statuunt, febrem non tantùm esse calorem additum calori natiuo, sed compositum ex vtroque: Idque eo probant, quòd in vna parte non possint simul inesse duo accidentia eiusdem speciei, distincta numero. Specie autem non differre hos duos calores, vel ex eo patet, quòd vterque ab vno eodémque contrario vincitur & remittitur.

Controuersia explicatio.

Ex hac controuersia vt nos expediamus obseruandum, aliud esse calidum natiuum, aliud calorem seu caliditatem. Calidum natiuum est substantia: Caliditas verò est qualitas, à qua prædominante in animalibus, spiritui insito nomen indiderunt. Illud cùm vel cœlestis & nobilioris, quam elementa, naturæ sit, vel certè suam essentiam à peculiari forma habeat, à qua etiam nobiliores illæ actiones proueniant, de quo, *lib. 1. Instit. c. 5.* & *de Chym. cum Aristot. & Galen. cons. & diss. cap.* 10. diximus, facilè hinc patet, in febricitantibus quoque suam naturam retinere, & proinde alias, & calori febrili contrarias actiones suo modo edere posse: at si caliditatem saltem naturalem cum præternaturali compares, cùm specie non differant, vt à posterioris opinionis assertoribus probatur, atque in vna eadémque febre coniungantur, fieri non potest, quin vnum constituant: Quod vel sensûs testimonio patet, cùm si quis manu tangat febricitantem, vnum saltem calorem deprehendat. Atque tota illa ex vtroque calore conflata intemperies, seu caliditas illa corporis ex naturali & præternaturali caliditate constans, & in vnam simplicem formam redacta, & à gradu caloris superuenientis formalitatem suam habens, seu potiùs illa præter naturam dispositio, quæ hac intemperie constituitur, & ob quam corpus ad naturales actiones obeundas ineptum redditur, pro febri habetur. Vt enim Cor & reliqua membra omnia actiones suas exerceant, in similaribus calor quidam actualis & vegetus, seu temperies quædam calida, ob quam corpus actu calidum redditur, requiritur, atque illa calida temperies pendet ex temperie partibus singulis insita, & calore cum spiritu vitali in omnia membra influente. Et ob hunc calorem actualem omnes corporis partes vegetæ, & ad actiones obeundas bene dispositæ esse dicuntur, si ille se rectè habeat, & neque deficiat, neque excedat. Si verò commune corporis temperamentum nimis calidum euadat, & caliditas illa actualis intendatur, ob calidum è corde influxus, febris accensa in corpore dicitur.

Ex quibus manifestùm euadit, calidam illam intemperiem formaliter quidem totam esse præternaturalem, & febrilem nominandam; non aliter vt ab vltima vnitate non solùm numeri species, sed & appellatio mutatur; materialiter autem (ita enim Iacobus Foroliuiensis, & Hugo Senensis non malè distinguunt) non esse totam præter naturam. Nisi enim caloris naturalis quidam gradus præextitissent, ille Calor præternaturalis superueniens hunc caloris gradum & excessum constituere non posset. Videatur hac de re & Fernelius, qui *lib. 4. Pathol. de Febr. cap.* 2. calorem in naturalem & præternaturalem distinguit. Et naturalem rursum duplicem facit, vnum cœlestem, alterum elementarium, sed & ipsum moderatum, & ex omnium elementorum permixtione temperatum. Illúmque primarium functionum opificem constituit; hunc verò adiuuantem: Insitúmque nunquam exuperare posse docet, nec illius copiam & vbertatem vitio vnquam dari, sed quò fuerit vberior, vt infantium ætate, eò naturales vitæ actiones reddi feliciores. Et proinde in eo consistere febrem nullam posse, sed febris essentiam in calore præternaturali, qui oritur, cùm calor elementarius à temperie & mediocritate sua recedit, consistere, qui tanquam hostis infensus, insiti substantiam semper oppugnet & labefactet, & cuius vi ignea natiuum calidum dissipetur & pereat.

Argumentorum contrariæ opinionis solutio.

Ex quibus facilè colligi potest, quid ad argumenta pro priore sententia allata respondendum sit. Nam *Primo*, si calidum innatum vt substantia consideretur, cùm illud non tantùm caliditate absoluatur, facilè concedimus, in febricitante Spiritum illum insitum, quem in animalibus, ob sensibilem caliditatem, calidum innatum vocamus, calori præternaturali actiones contrarias edere, atque Animam mediante illo Spiritu, in id incumbere, vt caliditas præternaturalis depellatur. At si caliditatem solùm spectes, calor febrilis non per se, vt frigus, calori naturali est contrarius, sed per accidens, quatenus scilicet ipsum intendendo, eius actiones turbat. Vnde etiam calor naturalis præternaturalem non oppugnat, sed cùm vterque in vnam calidam intemperiem coaluerit, vna etiam ab vtroque, fit actio, sed vitiosa. Cùm enim ille calor nimis intensus sit, coquit quidem, & alia agit, sed ob acrimoniam & excessum, vitiosè.

Ac proinde *secundo*, si formalitatem spectes; ille calor superueniens quidem causa est, vt non fiat naturalis actio interim cùm tota illa intemperies ad actionem edendam concurrat, vitiosa illa actio toti calori ex naturalis & præternaturalis gradibus conflato adscribenda est, & actio vitiosa vtriusque caloris gradûs inortur & refert, & quidem nunc illum, nunc hunc, magis vel minùs, prout hic vel ille magis excedit.

Et cùm ille gradus caloris præternaturalis superueniens formalitatem toti intemperiei tribuat: non opus est *tertiò*, vt Medicus, si curare febrim in animo habeat, simul etiam naturalem calorem tollat; sed satis est, si gradum illum præter naturalem, ob quem calor naturalis intensior, & ad actiones rectè edendas ineptus redditur, tollat. Eo enim sublato, pristina illa, & actionibus exercendis conueniens qualitatum harmonia remanet.

An febris intemperies sit calida & sicca.

Porrò cùm febrem intemperiem calidam esse diximus, atque ex differentiis morborum notum sit, intemperiem aliam esse simplicem, aliam compositam, Quæritur hîc, atque inter Authores controuertitur; An febris sit intemperies calida tantùm, an calida simul & sicca? Nonnulli calidam & siccam intemperiem esse statuunt. Cùm enim febris fiat naturalis caloris in igneum conuersione; ignis verò calidus & siccus sit: febrem quoque eadem temperie constare existimant. Præterea cùm calor semper exsiccet, etiam febrilis calor ad siccitatem tendet. Atque id etiam curatio, quæ contrariorum est per contraria, monstrare videtur. De qua, 1. *aph.* 16. Hippocrates inquit: *Victus humidus febricitantibus omnibus competit, maximè autem pueris, & iis qui tali victu vti consueuerant.* Itaque si contraria contrariorum sunt remedia, & in omnibus febribus victus humidus requiritur: siccum etiam morbum febrem esse, hinc rectè argui putant. Quibus adiungi possunt multæ Galeni authoritates: Nam, 1. *de rat. vict. in acut. t.* 18. scribit: *Si contraria contrariorum remedia existant, febris sanè peculiare remedium virtute cùm refrigerante, tum humectante sic, oportet. Id namque febris natura, quæ & calida & sicca est, contrarium erit; talis siquidem natura est ignis.* Idem statuere Galenus videtur, 2. *de rat. vict. in acut. t.* 32, 8. *m. m. c.* 9. 1. *de tuend. san. cap.* 7. & alibi.

Siccitas non est de essentia febris.

Verùm si rem diligentiùs perpendamus, eorum sententiam qui statuunt, febrem intemperiem simplicem calidam esse, veri magis consentire putamus: Nam siccitatem non de essentia febris esse, vel ex eo constat, quòd calor febrilis non semper cum siccitate, sed quandoque cum humiditate coniungitur. Corripiatur enim febri, corporis constitutione humidiore præditus: is licèt calida intemperie laboret, non mox tamen sicca coniungitur. Deinde, licèt concedamus, omnem febrem esse effectiuè siccam, seu calorem febrilem ad exsiccationem corporis tendere: prætereà detur, in corpore aliquo caliditati siccitatem adiungi: non tamen hinc sequitur, siccitatem esse de febris essentia. Cùm enim non calor, quà calor, sed qualis quidam calor, seu *diathesis* quædam vitiosa, consistēs in calore nimio & præternaturali, ob quam corpus ad actiones naturales edendas impotens redditur, febris sit: hinc manifestum euadit, etsi detur vel cum omni, vel cum aliqua febre siccitatem coniungi, non tamen illam morbum & febrem esse, nisi ob eam lædantur actiones, seu corpus ad actiones perficiendas ineptum reddatur: id quod in paucis tantùm febribus, hecticis scilicet & ardentioribus quibusdam, accidit. Ex quo apparet, siccitatem non ad febris, quatenus febris, sed tantùm speciei cuiusdam febrium essentiam pertinere.

Neque aliter intelligendus est Galenus, cùm febrim caliditatis natiuæ in igneam conuersione fieri, & affectum calidum ac siccum esse dicit. Nihil enim aliud vult, quàm calorem febrilem effectiuè quidem esse siccum, seu in id tendere, vt consumto humore corpus exsiccet. Ex quo tamen concludi non potest, siccitatem ad eius essentiam pertinere. Neque enim subiectum, & natura corporis in quod agit, permittit, vt siccitas morbosa inducatur, sed magna humiditas impedire potest, ne calor siccitatem illam quam intendit, inducere possit: atque ita tum sola intemperies calida morbosa est. Quod verò Hippocratis *aphorismum* 16. *sect.* 1. attinet, ea saltem de causâ victum humidum febricitantibus conuenire scribit, vt corpus præseruetur, ne in morbum siccum incidat: non verò quòd morbus siccus iam adsit: victúmque humidum exhibet, non vt morbus tollatur, sed vt corpus in suo statu conseruetur: id quod vel ex eo patet, quòd pueris, & iis qui tali victu vti consueuerunt, talem victum maximè vtilem esse dicit.

Subiectum febris

Atque ex his, quodnam genus febris sit, clarum euasisse putamus: proximum iam est, vt quodnam subiectum eiusdem sit, videamus. Expressum id in definitione, dum dicitur, febrem esse intemperiem calidam totius. Cum quo consentit Galenus, *qui 6. epid. comm. 1. t.* 29. dicit, essentiam febrium non modò secundùm Hippocratem atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundùm communem omnium consensum, esse caliditatem præter naturam maximè quidem in totum animal effusam, sin minùs, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensam. Etsi enim de hoc alij aliter doceant, & nonnulli

nonnulli Cor, alij totum Corpus, alij aliud quid subiectum febris esse statuant: tamen ex hac controuersia facilè nos expediemus, si dicamus, Cor quidem esse præcipuum & principale febris subiectum: adæquatum verò, totum corpus, aut certè plerasq; eius partes. In omni febre Cor laborat, vt postea dicetur, id quod vel ex pulsûs mutatione apparet, febrisque generari non potest, nisi cor primùm incalescat. Atque hic calor in corde accensus postea in reliquum corpus diffunditur. Itaque etsi primò calorem febrilem in corde accendi negandum non sit, & cor sit primum quod febrem recipit, ac reliquum corpus, nisi calor à corde illi communicaretur, minimè afficiatur: tamen quia illa intemperies calida, quæ ex calore à corde in corpus reliquum effuso oritur, totius corporis actiones lædit: non immeritò etiam illam ad febris essentiam pertinere dicendum est, neque ea solùm pro symptomate intemperiei cordis habenda. Vnde etiam febris morbus vniuersalis nominatur, quòd plures aut omnes quoque humani corporis partes occupat, earúmque actiones lædit. Hoc tamen cum ea conditione accipiendum est, nisi aliquid accidat, quod caloris in totum corpus effusionem prohibeat. Sæpe enim accidit, vt in febre aliquæ partes frigidæ manifestè percipiantur; & non solùm in accessionum principio partes extremæ refrigerantur: verùm & in non intermittentibus febribus interdum partes extremæ frigidæ deprehenduntur. Id quod Hippocrates, *4. aph. 48. & 7. aph. 1.* malum, & lethale esse dixit. Quod tamen impedimentum non prohibet, quin febris adesse censeatur, modò in corde calor febrilis existat, & vt Galenus *6. epid. comm. t. 27.* habet, in plurimas aut nobilissimas partes distribuatur. Calor enim febrilis eiusdem essentiæ est in omnibus partibus & suapte natura talis, vt in vniuersum corpus diffundi possit; si sibi relinquatur, nihilque accidat, quod illam effusionem prohibeat.

Schegkij de subiecto febris sententia.

Schegkius, *lib. de causa contin: nte*, cum aliis quibusdam Medicis, aliter de subiecto febris sentit, & triplex febris subiectum constituit; putridæ, sanguinem; ephemeræ, spiritûs; & hecticæ, solidam cordis substantiam. *Morbus enim*, inquit, *est habitus contra naturã, quo primum impeditur ἐνέργεια naturalis. Cæterum vt sit expedita ἐνέργεια corporis animati, non solum agens corpus, sed etiam patiens secundum naturam affectum, & sanum esse oportebit: quòd si ambo sana, etiam ambo morbida esse poterunt. Quis ignorat à Galeno & Aristotele morbidum sanguinem dici? Quis non intelligit, propter spiritum deficientem spe languescere vires solidarum partium, quæ sunt nutrimentis & medicamentis reficiendæ? Ergo si non in continentibus aut solidis dũtaxat est causa, vt corpus suas ἐνεργείας exerceat, verùm etiã in cõtẽtis: quid vetat, quo minus sãguine πρῶτον δεκτικὸν putridæ dicamus, & ephemeræ Spiritũ? quod si non faciamus, necesse erit, omnem febrem hecticam esse, si morbus, seu febris tantum est in solidis. Contagionem porrò hanc caloris, quá solidæ partes etiam afficiuntur à febribus contentorum, febrim non esse dicimus, sed intemperiem calidam quandã & imbecillitatem.* Hæc Schegkius. Cuius opinionem & alij quidam sequuntur, vt diximus.

Paracelsicorum de febre opinio.

Finitima quodammodo ei est & Paracelsicorum opinio, qui febrim morbum nitro-sulphuris accensi nominant, atque essentiam febris non calorem, sed ardorem sulphuris esse dicunt, eâ de causâ, quod febris frigidis deleri non possit, nec debeat, ac volunt, vt incendium à calore distinguitur, incendiúmque ipsam febrim, calorem verò saltem signum & indicium præsentis incendij esse dicunt.

Schegkij opinio reiicitur.

Verum enimuerò cùm sanitas & morbus opponantur, atque eidem subiecto insint: sanitas verò tantum, quibus ad agendum potentia est, attribui possit; tales autem sint saltem partes corporis, viuentes, quibus anima inest, & in quibus, vt subiecto facultates, quæ ab animâ fluunt, recipiuntur: hinc patet, solùm partes viuentes subiectum febris esse, id quod etiam doctissimi Medici pro principio quasi habent, statuentes, id saltem morbi subiectum esse, quod est facultatum subiectum, & à quo perficiuntur actiones, quod sunt partes viuentes. Cùm autem sanguis viuens corporis pars non sit, sed potiùs corporis viuentis alimentum: pro febris subiecto haberi non potest, verùm solidæ & viuentes tantùm corporis partes genuinum febris subiectum sunt. Neque humores propriâ vi, sed morbi partis cuiusque interuentu actiones lædunt. Et si citra morbi interuentum actio in aliqua parte non rectè perficiatur: id tamen non fit læsâ facultate, sed impeditâ saltem, hoc est, propter errorem externũ. Itaque etsi, vt Schegkius habet, vt expedita sit corporis ἐνέργεια, non solùm agens corpus, sed & patiens secundùm naturam affectum sit oportet: tamen quia sanitas non patiendi, sed agendi potentiâ æstimatur; sanitas solùm agentibus partibus, non verò patientibus tribuitur, & sanguis, & vt alia, quibus nulla actiones animati corporis exercendi vis obtigit, nonnisi impropriè sana dicuntur, & proinde etiam morbi subiectum esse non possunt. Neque si solidis tantùm corporis partibus morbum attribuamus, idcirco omnis febris hectica erit. Notandum enim hîc, calorem partibus solidis duobus modis inesse posse, κατὰ σχέσιν, & καθ' ἕξιν. Κατὰ σχέσιν inest partibus caloris, qui etsi motûs terminum attigit, atque eatenus ampliùs in fieri non est, sed iam factus est, ita tamen inhæret, vt sine causa conseruante & fouente durare non possit, id quod in febribus Ephemeris putridis accidit. Καθ' ἕξιν verò calor inhærere dicitur, qui & terminum motûs attigit, & partibus tam firmiter inhæret, vt etiam absque causa fouente permanere possit, id quod tantùm in hecticis contingit.

An Cor solũ sit febris subiectum.

Ex qua distinctione etiam facilè refutari potest Capiuaccij, *lib. 2. de febr. cap. 2.* opinio, vbi statuit, in febre cor non morbi, sed solùm causæ morbificæ subiectum esse, ideo quòd cordis operationes tantùm ob errorem externum lædantur, & quòd alias omnis febris hectica futura sit. Etenim, etsi vbi sanguis in corde solùm incaluit, substantia verò cordis nondum intemperiem calidam contraxit, actiones cordis ob errorem externum lædi dicantur, tamen id non accidit in febre. Impossibile enim est, vbi tantus calor in corde accenditur, vt ex eo in totum corpus effusus, omnes totius corporis partes similares calefacere possit, vt non etiam cordis substantia ab eo incalescat. Neque propterea omnis febris est Hectica, quia calor ille non semper, vt dictum, καθ' ἕξιν, sed plerumque κατὰ σχέσιν solùm inest.

Paracelsist. de febre sententia examinatur.

Paracelsistas verò quod attinet, non distinguunt inter causam morbi & morbum ipsum, atque illud in curatione principaliter & primò respiciendum, simpliciter pro morbo ipso habent. Neque Galenici, etsi febris essentiam in calida intemperie consistere dicant, idcirco febrim solis refrigerantibus curari statuunt. Febris quidem, quà febris, refrigerantia indicat: verùm cùm morbi, si causas à quibus fouentur, habeant, non tollantur nisi causâ ablatâ; imò causa primo loco tollenda, & cura principaliter ad causæ ablationem dirigenda sit facilè hinc patet, etiam in febrium curatione ad causæ amotionem primariò medicamenta dirigenda esse; neque vllus Galenicorum docuit, omnem febrem solis curandam esse refrigerantibus.

Quod verò illam ipsam febrilem causam, & nitro-sulphure quod appellant, & Chymicorum de febris natura sententiam attinet: febres generari dicunt, dum sulphuri impuro & fœtido mucilagines ac spiritus salini nitrosi permiscentur, atque febris generationem hoc modo fieri opinantur. Statis temporibus, aiunt, germinare incipit minera nitrosi sulphuris, & primò, dum flores superficiales acetosi, frigidi, mercuriales erumpunt, horrores, rigores, pandiculationes, oscitationes, & similia symptomata inducuntur. His floribus exhaustis, vapores & spiritus sequuntur pingues, inflammabiles sulphuris, qui calorem & reliqua febris symptomata inducunt: donec omnibus resolutis & euacuatis, naturæ quies concedatur, sed cum recidiuæ metu suspecta.

Verùm enimuerò ex his omnibus facilè patet, Chymicos hic tantùm intermittentium febrium generationem, quam suo loco considerabimus, tradere: cùm tamen præter intermittentes aliæ adhuc multæ febres sint. Cùm ergo in genere de febrium generatione & causa quæritur, si ex sententia Chymicorum respondendum. Sulphur accensum febris proximam causam esse, dicendum est. Quæ sententia suo modo tolerari potest, si nimirum dicatur, idem Chymicos sentire, quod Galenicos, dum ex humorum putredine, ἐκκαύσεως, *accensione*, aut vt Galenus scribit, natiui caloris in ignem conuersione, febrem generari docent. Et ad mentem Chymicorum locutus est Fernelius, dum *Physiolog. lib. 4. cap. 3.* scribit: *Corpus omne quod inflammari potest, olei cuiusdam est particeps, huiúsque solius gratiâ conflagrat; quodcunque autem olei expers, flammam non alit. Videbor hoc loco magnum quippiam, & veteribus inauditum effundere, sed quod longè sit verissimum, & multis huius seculi experientiis confirmatum. Nullum enim corpus est ad inflammationem propensum, ex quo sincerum oleum arte non elicies possis. Non adeps, non cera, non pix, non resina, non terebinthina, non vllum denique ligni stirpisve genus, nulla radix, nullus flos, nullus fructus, nullum semen, atque in animalibus nulla pars est, siue os, siue neruus, siue membrana aut caro; nihil denique in stirpium aut animantium genere vitam habuit, quod non possit oleum de se profundere, aliud quidem affluentius, solóque pressu, aliud parcius maioréque industria: huius etiã causâ, quæcunque viuunt, inflammari posse compertum habemus. Quæ si etiam inanimatorum genus quæ complectitur inflammationi subiecta, eadem quoque oleo sunt finitima. Nam Sulphur, quicunque metallorum naturas perscrutantur, terræ adipem vel oleum appellant, quod moderato calore coctum cogitur atque concrescit. Ergo quæcunque viuunt aluntúrque corpora, pinguem & olei similem continent humorem.* Sed & alia multa, quæ hactenus incombustibilia & non inflammabilia credita sunt, inflammabilia esse, Alchymia monstrat. Quia tamen febrilia symptomata à determinata causâ deducenda sunt, cùm in aliis febribus sunt alia: res magis clara & perspicua est, si febrilia symptomata, eorúmque generationis modus, ex spirituum & humorum calefactione, efferuescentia & putredine deducantur. Humorum tamen natura si clarius è Chymicis explicari potest, id faciendum, vt infra dicetur.

Quomodo temperamentum corporis in febre mutetur.

Vt autem hæc, quæ hactenus de subiecto febris diximus, adhuc clariora euadant, nihílque dubij relinquatur: Quâ ratione Cor & partes similares vniuersi corporis, in quas calor è corde effunditur, subiectum febris fiant, porrò inquiramus. Sciendum verò, cùm febris morbus vniuersalis sit, vt omnes partes eadem ratione febricitare dicantur, aliquid quod omnibus partibus commune sit, in febre mutari & alterari. At illud

nihil

Digitized by Google

nihil aliud est, quàm temperamentum corporis viuentis, seu calor ille actualis, qui ex insito & influente quasi conflatur. Hic enim cùm in igneum, vt Galenus loquitur, mutatur, & in corde atque vniuerso corpore intensior, quàm ad actiones debito modo edendas requiritur, euadit, febris generatur. Licèt autem illa actualis, seu vniuersalis & communis corporis viuentis calida temperies in omni febri afficiatur, & in omni febri statuat, non solùm solidæ partes, sed & spiritus atque humores à debita temperie discedant, & calidiores reddantur, tamen hoc in omnibus fit eodem modo, sed ratione variâ; vnde febrium differentiæ oriuntur, vt postea dicetur. Aliquando calor ille in corde accensus solùm spiritus corripit, atque in calefacto esse, vt loquuntur, constituit, humores autem & partes solidæ solùm calefiunt, caloréque, si incendium illud spirituum desinat, mox deponunt. Aliquando verò non solùm spiritus, sed & humores calefacti sunt, qui quidem illum calorem etiam partibus solidis communicant, & actualem partium viuentium caliditatem intendunt, ita tamen, vt calor ille in solidis partibus accensus durare non possit, nisi ab incendio spirituum & humorum foueatur. Aliquando verò ita viuentes corporis partes excalefactæ sunt, vt licèt incendium spirituum & humorum desineret, nihilominus illa intemperies partibus ipsis impressa perdurare possit.

Hor. Augenij opinio examinatur. Hoc loco facere non possum, quin Hor. Augenij opinionem examinem, qui Donatum Anton. ab Altomari valde exagitat, & pueriliter lapsum, vel in peruersam ac verè puerilem opinionem incidisse scribit, cùm ipse non minùs erret. Donatus Anton. ab Altomari, *de med. febr. part.* 1. *c.* 11. febris subiectum esse calidum innatum, at substantiam calidi innati mutari, alterari, & accidentalem caliditatem, quæ febris est, suscipere scribit. Quæ sententia, si eo quem iam proposuimus, modo explicetur, non video quid falsi contineat. Etsi enim subiectum febris sint partes corporis viuentes; tamen non alia ratione febris ipsis inest, nisi quatenus earum temperamentum actuale, quod à calido innato & influente dependet, mutatur, alteratur, & præter naturam in caliditate intenditur. Nam quæ contrà Hor. Augenius, *lib.* 2. *de febr. c.* 4. affert, non sunt magni momenti. Licèt enim, si ex hypothesi disputet, & quasdam improprias locutiones, quas Altimarus cum quibusdam Medicis vsurpat, tanquam concessas præsupponat, aliquid eius rationes valeant: tamen si in genere contra calidum natiuum rectè & dextrè explicatum dirigantur, id quod intenditur, non obtinent.

Calidum innatum quâ ratione febris subiectum statui queat. Primò enim calidum innatum pro substantia sumtum, sub ectum febris esse non posse ideò putat; quia forma sit corporis, aut certè id quod formæ locum tenet, & proximum animæ instrumentum est. Verùm nemo eruditorum Philosophorum vel Medicorum calidum innatum, quod corpus est, animam vel formam, quæ incorporea est, propriè dixit. Et licèt interdum tales locutiones apud Medicos occurrant: quo tamen sensu intelligendæ sint, dictum, *lib.* 1. *Institut. c.* 5. At si pro animæ proximo instrumento accipiatur calidum innatum, quid quæso absurdi est, ipsum febris subiectum dicere?

Deinde, contra eandem opinionem hoc affert. Sanitas, inquit, & morbus in eodem subiecto sunt: Ergo si febris subiectum est calidum innatum, quod sanè nihil aliud est quàm temperamentum cordis, imò totius corporis: sequitur subiectum febris esse temperiem corporis, atque eandem esse subiectum sanitatis, quod absurdissimum est. Verùmenimverò quis facilè concedat Augenio, calidum innatum esse temperamentum corporis? Ipse enim sæpissimè *eodem in loco*, & quidem rectè, dicit calidum innatum esse substantiam, temperamentum verò est qualitas.

Tertiò dicit: Si calidum innatum nihil aliud est, quàm anima: febris non corpus, sed animam afficiet; ac Medicus non corpori, sed animæ præsidia adhibebit. Verùm ad hoc antea in prima ratione responsum.

Quarta ratio, qua quærit, An calidum innatum totum sit subiectum febris, an aliqua determinata eius pars, vel spirituosa, vel carnosa, vel solida, satis arguit, Augenio parum perspectam fuisse calidi innati naturam. Nam partes quidem corporis nostri ex solida, carnosa & spirituosa substantia componuntur; at quis calidum innatum ex substantia spirituosa, carnosa & solida componi dixerit? Imò calidum innatum nihil aliud est, quàm spirituosa illa substantia, nobilissima nostri corporis, seu vt Scaliger, *Exercit.* 280. loquitur: *Scriptum reliquere sapientes, nihil aliud esse calorem naturalem, quàm spiritum*, vt etiam *loco allegat.* docuimus. Et ob huius spiritus insiti, seu potiùs ob caloris, quem pars ex spiritu seu calido insito & influente habet, rationem, quælibet pars febri corripi, dum is in igneum mutatur, dicitur.

Quod porrò Quintò quærit, cùm calidum innatum subiectum febris dicitur, de quo calido id intelligendum sit, de insito, an de influente? Ad id facilis est ex iis, quæ dicta sunt, responsio. Dicimus enim, subiectum febris esse calidum illud, quod ex insito & influente componitur; seu potiùs partes corporis esse subiectum febris, quatenus calorem quendam actualem ex insito & influente conflatum habent, dum scilicet is mutatur & intenditur.

Causa febris quæ. Cæterùm, vt integra naturæ febris habeatur cognitio, & causa addenda est. Illa autem est calor præter naturam in corde accensus. Nam vt Cor, dum rectè & secundùm naturam sese habet, caloris vitalis fons est, eúmque in omnia membra diffundit, atque omnium partium temperiem & calorem insitum tuetur ac roborat: ita si præter naturam afficiatur, caloréque alium præternaturalem concipiat, febrilis caloris fons euadit, eundémque facilè toti corpori communicare, & temperiem eius naturalem immutare potest. Et vt nullum aliud est membrum, quod temperiem actualem calidam illi tribuere, & vitalem in omnibus membris calorem fouere potest: ita etiam nullum membrum in corpore est, vnde possit febris proximè & immediatè accendi, quàm Cor. *Cor febrilis caloris fons.* Nam etsi sæpe accidat, vt etiam in aliarum partium inflammationibus, aut humoribus in aliis partibus putrescentibus, febris accendatur, tamen calor ille febrilis non est, priusquam cordi communicetur, è quo deinceps in totum corpus diffunditur. Cuius rei & illud argumentum est, quòd in omni febre in pulsu quædam mutatio accidit: quod non fieret, nisi cor consequenter arteriæ afficerentur. Præterea ex nullo alio membro tanta caliditas in corpus diffundi potest, ob quam omnes eius actiones lædantur, quàm ex corde.

Qualis calor ad febrem excitandam requiratur. Sciendum tamen, ad febrem generandam non sufficere quemcumque calorem in corde genitum, ac reliquo corpori communicatum, sed cùm calor, non quatenus calor, febris sit, sed potiùs præternaturalis in toto corpore dispositio, quam calor ille inducit, & cuius ratione corpus ad actiones naturales ineptum redditur: tanta sit illa caliditas, atque illum terminum attingat oportet, qui *ἱκανὸς* ad illam præter naturam constituendam, atque actiones lædendas sufficit. Hinc calor ex ira concitatus vel vehementi motu aut balneo accensus, non est pro febri habendus, nisi eum incendij gradum attingat, vt hominis actiones lædat. Ita interdum aliis de causis quædam intemperies calida in corde accenditur, quæ tamen ipsa quoque febris nomen non meretur, nisi calor ille eum gradum attingat, vt actiones lædat. Vnde etiam Auicenna, atque alij Practici peculiari loco tractant de calida corporis intemperie; quæ quidem præuia ad febrim generandam est dispositio, & nisi inhibeatur, in febrim abire potest, tanta tamen nondum est, vt febrim inducat, peculiari etiam loco & seorsim de febribus agunt.

Ne quem autem hîc turbet, quod modò dictum, calorem in corde accensum esse causam febris; cùm antea calidam cordis reliquarúmque partium, quibus è corde illa communicatur, intemperiem, febris essentiam constituere dictum sit.

Febris & calor febrilis differunt. Obseruandum enim, non esse idem febrem, & calorem præter naturam seu febrilem. Calor enim præter naturam & febrilis ille etiam appellari potest, qui est in humoribus & spiritibus, ac vnus numero in subiectis illis eum deferentibus persistens, in reliquũ corpus diffundi potest, qui calor non ipsa febris est, sed febris causa. Febris verò seu intemperies illa calida, quæ febris essentiam constituit, tantùm est in viuentibus & solidis corporis partibus; neque eadem numero est ea, quæ in corde accenditur, aut spiritibus & humoribus inest, sed per alterationem à caliditate, quæ in humoribus & spiritibus est, partibus inducitur. Neque enim accidentibus datum est, vt eadem numero à proprio subiecto in aliud migrare valeant.

Media verò, per quæ calor è corde in corpus reliquum diffunditur, sunt spiritus & sanguis. Hæc enim duo semper vnita sunt, & à corde in totum corpus distribuuntur per eosdem canales, arterias scilicet & venas, promptiùs tamen per arterias. Quamuis enim spiritus & sanguis in vtroque vasorum genere permisceantur, vt nunquam vnum sine altero reperiatur, idque ideò, quòd arteriæ & venæ vbique coniungantur, & vasorum fit quædam conspiratio, ac vasculorum communio; calidior tamen, subtilior & spirituosior sanguis in arteriis continetur, quàm in venis; vnde etiam calor febrilis expeditiùs per arterias, quàm per venas in corpus vniuersum diffunditur.

CAPVT II.

De causis Febrium in genere.

Atque ex iis, quænam febris natura sit, clarum euasisse putamus: antequam tamen ad differentias febrium accedamus, priùs adhuc in genere quædam de febrium causis & symptomatibus præmittenda sunt. *Cognitionis causarum febres producentium vtilitas.* Causarum enim cognitio Medico summè necessaria est. Nam licèt vulgo ignotum non sit, ex labore & lassitudine, ex ira, mœrore, æstu, frigore, vigiliis, animi nimia intentione, cruditatibus, ebrietate, crapula, siti, inediâ, ex consuetis exercitiis omissis, è corporis plenitudine, cibis prauis, medicamentis calidis, cibísque medicamentosis, & id genus aliis febres accendi: tamen quâ ratione hæ & similes causæ febres generent, non omnibus notum est. Id itaque Medico inquirendum. Etsi enim ab his ad curationem nulla sumatur indicatio, vtpote quæ iam desierint, tamen cùm non vno modo, sed variis febrem hæ causæ producant, ex earum obseruatione inuestigari potest, quænam in corpore ab earum qualibet relinquatur dispositio, quæ febrem gignit & fouet, quam tollere omnino necessariũ est: cùm morbus tolli non possit, causâ, quæ ipsum produxit, in corpore præsente. Quæ cùm à variis causis diuersa producatur, etiam

diuersa curandi ratio sæpe instituenda. Nimirum si ephemera fit ab æstu, caput rasum rosaceo refrigeratur, atque ita calor ab æstu productus restinguitur. A cutis autem constipatione si febris fit, balneo aquæ dulcis, & iis quæ cutem laxant, vtendum. Vtile igitur fuerit, non solùm causas manifestas, quæ febres producere solent, nosse, sed modus etiam quibus eas producunt & quas singulæ in corpore dispositiones relinquant, inuestigare.

Causam communem & proximam omnium febrium esse calorem in corde accensum, *c. præced.* dictum est, de quo plura addere opus non est. Id igitur videamus, quænam sint illæ causæ, quæ calorem talem, in corde accendunt, & quibus modis id præstent.

Causa febris & morborum calidorum.

Galenus, *de caus. morb. c. 2.* & *1. de diff. febr. c. 3.* febris, vt & aliorum morborum calidorum, quinque causas recenset. Motum scilicet, putrefactionem, contactum rei calidæ, corporis constrictionem, seu retentionem calidi effluuij, calidæque euaporationis, denique admixtionem rei calidæ. Quæ tamen causæ non vno & eodem modo febres accendunt, & calorem excitant, sed aliæ per se, aliæ per accidens.

1. Motus qua ratione calorem excitet.

Motus primò, quâ ratione calorem excitent, in genere pluribus disputant Philosophi, quæ huius loci non sunt. Quâ verò ratione in corpore humano calorem excitet, res expedita est. Cùm enim spiritus & humores in corpore nostro calidi sint, ex horum, pro animi & corporis vario motu, in partem aliquam pro varia necessitate, concursu, calorem augeri mirum non est. Motis enim, & in partes copiosiùs concitatis & collectis sanguine ac spiritibus, corpori calor intensior ab eorum concursu communicatur. Motum corporis quod attinet, ex eo, si modum excedat, primùm lassitudo solùm oritur, si scilicet priùs soluatur, quàm reliquo corpori communicetur. At si diutius duret, & plus ad partes confluxerit, quàm illæ discutere possint; ac præterea partes illæ ex frequenti collisione incalescant, calorem minorem, quàm pro naturali habitu concipiunt, qui non solùm tendinibus & ligamentis, sed & venis ac arteriis, tandémque κατ' συνεχὲς cordi communicatur, & febris inde producitur. Idem fit in animi affectibus & motibus. In ira enim primò fit quædam caloris in corde efferuescentia, in qua spiritus commouentur, & quasi tumultuantur, atque ad partes exteriores, vindictæ cupiditate, confertim feruntur. Ad hanc caliditatem, quæ illo ipsorum motu accensa est, retinendam, si sanguis & spiritus apti sint: accidit, vt etiamsi ira & ille feruor sanguinis sedetur, nihilominus caliditas in corde maneat, & ira febris accendatur. Ad quam rem bilis, præcipuè si in corpore copiosior sit, non parum facit. Nam per iram ea etiam in venis, arteriis, hepate, folliculo fellis, fertur. Hinc nonnullis irâ commotis bilis suprà aut infrà reiicitur. Si verò vehementiùs commoueatur & non euacuetur, febres inde excitantur. In metu & mœrore etsi spiritus potiùs quiescere, quàm violentiùs & impetuosiùs moueri videntur: tamen etiam ab ipsis febres excitari, experientia docet; quod fit, quia in iis sanguis & spiritus vitales intrò, versùs cor feruntur, atque ita collecti (nisi ex nimia condensatione sese strangulent & suffocent, vnde homines tristitia ac timore emori solent) cor incendunt, quibus accedit motus spirituum animalium, ex perpetua & nimia cogitatione.

2. Putredo.

Secundò, febrem accendere potest putredo in corpore excitata. *Omnia* enim, vt Aristoteles, *a 5. sect. problem. 19.* habet, *quæ putrescunt, calidiora sunt.* Nimirum calor internus in putredine ab externo intenditur, calórque internus, iam turbatâ ratione, quam antea ad reliquas mixti qualitates habebat, exiens magis in sensum incurrit. Nam in mixtione ita erat attemperatus, & reliquis qualitatibus amicitia quasi deuinctus, vt ferè non sentiretur; quo fœdere in putredine rupto, fit sensibilior, suámque actionem magis liberè exerit. Hæc cùm ita sese habeant, cur ex putredine febres oriantur, facilè patet. Attolluntur enim ex corporibus putrescentibus multi calidi vapores, & plus plerumque, quàm vt per insensibilem transpirationem discuti possint. Hinc calor accenditur, qui venis, arteriis, & sanguini in iis contento communicatur. Vnde tandem κατ' τὸ συνεχὲς calor in corde accenditur. Id quod non tantùm à putredine humorum in vasis, sed etiam extra, atque in inflammationibus, præcipuè dum pus generatur, accidit: in primis si inflammatio sit magna: aut prope arterias maiores. Propterea ab Hippocrate, *2. aph. 47.* scribitur: *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm dum confectum est.*

3. Rei calidæ contactus.

Tertiò, contactus & vicinia rei siue actu siue potentia calidæ, si corpori occurrat, id calefacit, donec tandem succedente calefactione caliditas illa cordi communicatur: vt iis qui in balneis calidis diutiùs morantur, & qui in Sole aut ad ignem versantur, aut oleis, vnguentis, emplastrísve nimis calidis vtuntur, accidit. Ad quam rem in prima facie venæ & arteriæ. Etsi enim partes intermediæ omnes non incalescant: tamen modò vna nimis incaluerit, facilè per venas & arterias calor cordi communicari potest.

4. πύκνωσις seu pororum cutis constrictio.

Quartò, ex πυκνώσει & pororum cutis constrictione, ac calidi effluuij retentione febres generari solent. Ita enim in corpore nostro comparatum est, vt ex iis quæ in eo coquuntur, halituosa & fuliginosa excrementa colligantur, & per poros cutis, atque insensibilem transpirationem necessariò excernantur. Præter hoc etiam, attractu aëre frigido calidum innatum temperandum est. Si itaque pori cutis claudantur, & effluuium illud vaporum, præcipuè acriorum & calidiorum prohibeatur, id quod ab aëre frigido, aut balneo aquæ frigidæ, vel aluminosæ accidere potest: febres & diariæ & putridæ, iuxta vaporis retenti, & corporis ac humorum conditionem atque apparatum, excitantur. Neque enim semper & statim prohibitum hoc effluuium febres accendit, sed tum præcipuè, cùm in corporibus accidit minùs sanis. Nam si bonus in corpore sanguis fuerit, ex retento illo vaporum effluuio sanguis non ita facilè inquinatur; sed cùm vapores illi suaues ac blandi sint, potiùs ex eorum retentione plethora generatur, & corpus calidius euadit. Cùm tamen vapores illi detenti, ob vlteriorem calefactionem acriores redduntur, impossibile non est, quin etiam in corpore bene constituto, ob conclusionem pororum cutis, febris generetur. Condensans autem poros cutis refrigerantia, adstringentia, necnon siccantia immodicè.

5. Admixtio rei calidæ.

Tandem permixtio rei calidæ febrem generare potest, videlicet cibus & potus calidus, medicamenta calida assumta, aërque calidus inspiratione, & per poros cutis attractus. Hæc enim omnia cum humoribus mixta febrem excitare valent, præcipuè in iis, qui sunt sicciore & calidiore temperamento. Siquidem omnia intemperies à suæ intemperiei similibus causis promptè intenditur & augetur: iuuatur autem & in meliorem statum deducitur à modico contrariorum vsu.

Argenterius equidem alias adhuc causas addendas censet, quæ ad has referri non possint, vtpote metum, vigilias, inediã. Sed & hæ causæ ad motum pertinent. In omni enim animi affectu sanguinis & spirituum fit agitatio, siue à corde ad externa ferantur, vt in ira, siue ad cor confugiant, quod fit in metu. In vigiliis etiam spiritûs sunt in motu perpetuo, & quiete ipsis denegatâ incalescunt, & corpus calefaciunt. In fame quoque spiritus incalescunt, cùm non habeant, vnde reficiantur.

Verùmenimverò quamuis hæc omnia ita sese habeant, & hæc omnia modò recensita febres producere possint, an tamen non adhuc aliud requirant, sine quo motus, putredo, contactus & vicinia rei calidæ, & rei calidæ permixtio, vix febrem inducere possint, nimirum causa illa, quartò loco antea proposita, calidi effluuij retentio, seu insensibilis transpirationis inhibitio, perpendendum videtur. Licèt enim calidi effluuij retentio inter causas febris quartò loco rectè proposita fuerit, vtpote quæ sola absque reliquis, ad febrem inducendam sufficit, tamen reliquæ vix absque hac ad febrem inducendam sufficere videntur. Nam quamuis calor in corpore excitetur: si tamen corpus liberè ventiletur & refrigeretur, vix homo in febrem incidet: contrà verò si transpiratio, seu calidarum fuliginum exhalatio, corporisque ventilatio, & per aërem attractum refrigeratio impediatur, facilis in febrem lapsus est. Viuimus enim vitam ψυχικὴν, id est, semper transpirare necesse habemus, calórque noster semper refrigerationem & ventilationem postulat. Si non transpiramus, non ἀναψυχόμεθα, si non ἀναψυχόμεθα, ἐμπυρούμεθα.

Aptitudo & dispositio corporum ad febrem suscipiendam.

Non autem satis est nouisse causas, quæ vim febres producendi habent. Sed & corporum ad febres recipiendas aptitudo & dispositio inquirenda. *In patiente* enim *dispositio agentium actus recipiuntur*, vt ait Aristoteles, *2. de an. c. 2. t. 24. & 26.* Et vt Galenus, *1. de differ. febr. c. 4.* habet, *nulla causa sine patientis aptitudine agere potest.* Hinc fit, vt etiamsi plures in eodem aëre calido versentur, aut nimiùm exerceantur, aut cibo & potu calidiore vtantur, aut ita excandescant, non omnes tamen febre corripiantur, sed vnus vel alter saltem. Post causarum igitur explicationem, videndum; quæ corpora ad febres parationa sint, seu quæ faciliùs à causis febrem inducentibus alterentur. Etsi enim causæ enumeratæ, si validæ sint, in quouis corpore febrem accendere valeant: tamen in iis, qui dispositi sunt ad febres, etiam mediocris causarum vis idem præstare potest. Magis autem ad febres in genere atque in vniuersum dispositi sunt, qui plurimo calore acri & fuliginoso abundant. Quâ de causâ iuuenes maximè febribus opportuni sunt; minùs senes; deinde pueri. Cùm enim febris sit intemperies calida per se, quæ tamen semper ad siccitatem tendit: absolutè & in genere ad febrem recipiendam sunt parationa corpora calida & sicca. Vnde Galenus, *8. meth. med. c. 8.* ordinem temperierum, vt ad febres recipiendas magis vel minùs dispositæ sunt, ita digessit: *Opportunissima*, inquit, *est ad febres calida & sicca intemperies. Ac nisi quis hanc cibet ocyssimè, in eâ mutatur diaria in febrem acutam. Propinqua huic est, præsertim quod ad febrem attinet, quamuis ad alia sit deterior, calida intemperies & humida. Tertia ab his intemperies est simplex illa, in quâ oppositio altera rectè se habet, vtique ex humido & sicco constat, in altera calidum exsuperat, quippe opportunior est hæc, quàm cæteræ quæ sequuntur, tum vt in omnibus dictis occasionibus lædatur, tum vt ex diariis in plurium dierum febres transeat. Huic proxima est, quæ in calido & frigido debitum modum seruat. Ab hac deinceps media omnium, quæ scilicet mediocritatem in vtraque oppositione seruat. Quatuor, quæ reliquæ sunt, intemperies, neque facilè febribus occasione dictarum causarum patent, neque diaria tentatæ si modum tolerent, in plurium dierum febrem transeunt: imò aliquæ earum, vbi redundantiam humorum citra corruptionem contraxere, vtilitatem ex inedia sentiunt, ac potissimùm quæ est frigida ac humida: Ab hac, quæ humida est, tertio loco, quæ frigida; quarto loco, quæ sicca & frigida.*

Digitized by Google

& frigida. Vt totus ordo dispositionum ad febres hîc sit, 1. calida & sicca. 2. calida & humida. 3. calida tantùm. 4. sicca tantùm. 5. temperata. 6. frigida & sicca. 7. frigida tantùm. 8. humida tantùm. 9. frigida & humida.

Verum cùm febrium magna sit diuersitas, neque hominem in genere febris corripiat, sed vel ephemera, vel hectica, vel putrida: etsi in genere hoc modo de corporum ad febres dispositione loqui possimus: tamen tutius est, in specie ista definire, ac dicere, ad febres ephemeras, hecticas & biliosas, corpora calida & sicca magis esse disposita, ad pituitosas, frigida & humida, ad melancholicas, frigida & sicca, ad sanguineas, siue cum putredine, siue sine putredine, calida & humida.

CAPVT III.

De Accidentibus & symptomatibus Febris in genere.

ACtiones naturales lædi in febribus, in definitione dictum est. Verùm cum magna actionum sit varietas, aliæ sint naturales in specie ita dictæ, aliæ vitales, aliæ animales, & præterea dum læduntur, vel auferantur, vel minuantur, vel deprauentur: quænam actiones in febri, quatenus febris, lædantur, & num ei etiam alia symptomata, & accidentium genera superueniant, videndum.

Quæ actiones in febre lædantur.

Febris cùm sit intemperies calida, & non alio modo morbus dicatur, quàm quia partium corporis similarium temperamentum mutat, & in caliditate intendit: facile hinc patet, eas præcipuè actiones in febre lædi, quæ à similaribus partibus, quatenus tales, & beneficio temperamenti, nullâ instrumentariæ partis compositione interueniente, obeuntur.

Naturalium actionum in febre læsio.

Talis actio cùm sit nutritio, coctio, & aliæ quæ ad nutritionem perficiendam pertinent: in omni febre naturales actiones insigniter læduntur, visio verò, & similes actiones non item. Ad naturales enim solùm temperies concurrit: ad alias verò etsi temperies non inutilis sit, pleræque tamen instrumentariam potius compositionem ad agendum requirunt. Quia tamen instrumenta & organicæ partes ex similaribus componuntur: labes illa & actionum offensio ad organicas quoque partes deriuatur, & hinc non solùm naturales, sed consequenter etiam vitales & animales actiones offenduntur. Quanquam enim in definitione dictum, febrium actionibus naturalibus nocere, tamen sciendum est, naturalis voce interdum genus, interdum modum actionis significari.

Naturales actiones quæ.

Genus actionis significat, dum actiones omnes in corpore in naturales, vitales & animales distinguuntur. Modum verò actionis significat, dum præternaturali opponitur, Quâ ratione omnes actiones, siue sint nutritioni dicatæ, quæ in specie naturales appellantur, siue vitales, siue animales, si debito & conuenienti naturæ modo exerceantur, naturales esse, seu naturaliter fieri & se habere dicuntur: In qua posteriori significatione procul dubio Auicennas hoc vocabulum in definitione vsurpauit, & nihil aliud voluit, quàm à calore febrili actiones omnes a naturali statu & modo deturbari.

Vitalium læsio.

Et quidem vitales actiones in febre lædi, manifestum est. Cùm enim febris primariò cor occupet, & per arterias in primis corpori reliquo communicetur: in omni febre pulsū mutari necesse est, id quod experientia docet.

Pulsus febriles qui.

Et quidem in omni febre pulsûs eduntur frequêtiores, necnon celeriores. Nā cùm vsus & necessitas augeatur, primùm editur pulsus creber, siue valida, siue debilis virtus sit, cū creber omnium sit facillimus Quod si frequētia necessitati non satisfaciat, celeritas accedit. Quòd si nec hęc duo satisfaciāt, accedit magnitudo, modò virtus non sit debilis.

Animalis facultatis læsio.

Deinde etiam animalis facultas læditur. In febricitantibus enim totius corporis lāguor & imbecillitas percipitur. Imò sępè & aliæ actiones offenduntur. Nam licèt tales actiones non proxime a similaribus partibus edantur, sed ab instrumentariis, quia tamen partes organicæ ex similaribus componuntur, secundariò & ex accidenti etiam illæ lædi possunt. Quamuis verò febris quibusdam morbis præsidio esse videatur, vt ex Hippoc. 2. *aph.* 26. 5. *aph.* 5. 6. *aph.* 40. & 51. patet: tamen fit hoc ex accidente, quatenus humores, morborum causas, absumit. Ipsa verò febris per se lædit actiones, quia per eam temperamentum partium, proximum facultatis in agendo instrumentum, vitiatur.

Quod reliqua symptomata attinet, cùm febris sit calida intemperies, calor naturæ molestus vel foris vel intus percipitur. Vt enim ab influente calore secundum naturam sese habente calor quidam suauis & blandus in toto corpore excitatur: ita si ille calor intendatur, & igneam quasi naturam concipiat, in corpore calor quidam molestus percipitur. Et cùm ab actionum læsione, vt symptomate primario, reliqua secundaria, qualitates nimirum mutatæ, & cæterta mutata proueniant: læsâ nutritione & coctione à caliditate febrili, & excreta, & qualitates corporis à febre etiam variè mutari posse, facilè patet.

CAPVT IV.

De Febrium differentiis in genere.

Febrium differentia.

FEbrium, vt & aliarum rerum differentiæ, aliæ, & quidem propriæ ac principalissimæ, sumuntur ab earum essentias aliæ verò ab accidentium aliquo. Ac quoniam neque horum ipsorum accidentium est natura vna, sed nonnulla quidē propinquiora, ac magis diuisæ rei propria, nonnulla autem remotiora ac magis extranea sunt: ideirco neque earum, quæ ab iis accipiuntur, differentiarum est genus vnum, vt docet Galenus, 1. *diff. feb. c.* 1. Rectissimè autem ij faciunt, qui essentiales differentias, & ex accidentalibus propinquas præcipue persequuntur.

Essentiales febrium differentiæ.

Equidem cùm febris essentia à calore præter naturam dependeat, tres eius differentiæ inde peti possunt, quarum vna sumitur ex eo, quod magis & minus est. Quo in genere solent Medici magnam & paruam febrem nominare, non propriè quidē, vt Galenus, *loc. alleg.* monet, rei quali nomen quanti accommodantes, hoc tamen facere assueti, non in febribus tantùm, sed in nulle aliis rebus, quæ licèt in qualitate subsistant, magnæ ac paruæ dicuntur.

Febris magna & parua.

Altera differentia petitur à caloris modo motúque, quæ reliquis differentiis dignoscendis maximè inseruit: cuius generis differentias Hippoc. 6. *epid. com.* 1. *text.* 29. proponit, dum inquit. *febrium quidem aliæ sunt manui & ad tactum mordaces, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, sed post insurgentes: aliæ acutæ, sed quæ à manu vincuntur.*

Mordax.

Etenim febrilis caliditas langentibus alias mordax, acris & valde molesta apparet, talisque semper manet, seu mordaces febres sunt, quæ manum tangentis mox feriunt, & propter vaporem illum acrem, qui ex putrescente materiâ effertur, quasi pungunt & vellicant, & ita molestæ sunt, vt diù ipsam ferre nequeat.

Mites.

Mites verò febres sunt, non quæ planè nullam tangentibus molestiam afferunt, sed in comparatione ad alias quæ magis sunt mordaces, dicuntur mites, quæ calorem ita acrē non habent. Deinde sunt febres aliæ, quarum calor quidem ad primum tactum acer & mordax valde non apparet, sed si diutius manus iniecta retineatur, tandē se prodit, atque acrem & mordacem exhibet. Aliarum contrà calor celeriter manui sese offert, sed si manus diutius iniecta teneatur, à manu superatur calor, & paulatim remittitur. De qua re videatur Vallesius, *com. in alleg. locu.* Verùm enimverò vix propositum fuit Hippocrati, perfectam febrium diuisionem instituere, sed potiùs febrium quandam diuersitatem & variationem, quæ ad cognitionem febrium faceret, monstrare voluit.

Idcóque cùm calor, quà calor, febris non sit, sed quatenus corporis nostri dispositionem, ob quam ad agendum ineptum redditur, inducit: differentiæ maximè propriæ, vt Galenus, *loco alleg.* loquitur, sumuntur à materia, in qua calor hic præter naturam accenditur. Imò in genere, differentiæ maximè propriæ & essentiales accidentium sumuntur à subiecto, cui accidit vnumquodque accidens. Accidentium enim esse est inesse: & differentiæ ab inhærentia desumptæ, addunt generi conditionem singularem & specificam. Ac licèt esse accidentium non varietur ex diuersitate subiecti: variatur tamen existentia, à cuius varietate vasiæ essentialésque differentiæ sumuntur, in primis si addatur causa inhærentiæ: Itaque & hoc loco febris differentias præcipuas petemus ab inhærentia in subiecto, non prætermissâ causâ, ob quam febris subiecto suo inest.

Febrium alia ephemera, alia putrida, alia hectica.

Talis est autem illa famosa, passim vsitata, ac inter reliquas summè vtilis ac necessaria diuisio febrium in Ephemeras, Putridas, & Hecticas. Verùm quomodo febribus essentialis sit, & quodnam eius fundamentum, non omnes rectè explicant: id quod iam videbimus. Primò enim, non directè opponuntur hæc tria, ephemera, putrida & hectica. Deinde si calor simpliciter accipiatur, dicatúrque (quod plurimi faciunt) calorem febrilem alias in spiritibus, alias in humoribus, alias in solidis partibus hærere: essentiales istæ differentiæ febris non sunt. Nam calor iste præter naturam, prout simpliciter præter naturam consideratur, & per sua subiecta, spiritus, humores, ac solida diuiditur, non est morbosus, sed in humoribus & spiritibus solum causæ proximæ rationem habet: calor verò, qui morbosam corpori dispositionem inducit, vnicus est, isque in partibus solidis inhæret, atque ab eo solùm febrium differentiæ petendæ sunt.

Febris alia ἑκτικὴ, alia σχετικὴ.

Etsi enim calor in omni febre solidas corporis partes occupet, & in omni febre partes corporis similares calidâ intemperie laborent, tamen illa calida intemperies alia ἑκτικὴ est, seu *in habitu*, alia, σχετικὴ, seu *in habitudine*, vt loquuntur, febrisque alia est ἑκτικὴ, alia σχετικὴ.

Febris ἑκτικὴ.

Febris ἑκτικὴ est, cùm calor ita solidas corporis partes occupauit, & ita iis inhæret, vt nulla causa fouente indigeat, id est, etiamsi a spirituum vel humorum incendio non foueretur, nihilominus durare possit,

Febris σχετικὴ.

σχετικὴ est, quâ quidem etiam est intemperies calida in similaribus corporis partibus; (hæc enim nisi esset, febris non esset) talis tamen quæ ita eas occupauit, vt si ab humorum, aut spirituum incendio non foueatur, per se subsistere non possit; seu in qua spiritus vel humores incensi sunt, in solidis autem partibus intemperies calida tantum in σχέσει est, vt si illud spirituum aut humorum incendium extinguatur, nulla in solidis partibus remaneat febrilis intemperies.

Eodem sensu, sed paulò aliis verbis differentiam hanc febrium tradit Galen. 1. *de differ. feb. c.* 1. Vel enim spiritus solum calor occupauit, humores autem & solidæ corporis partes excalefactæ nondum sunt, sed calefiunt, quod fit in ephemera febri: Vel non solùm spiritus, sed etiam humores excalefacti sunt, solida verò substantia tantùm calefit, quod accidit in humorali febri: Vel omnes tres istæ substantiæ, & potissimum solida, excalefactæ sunt, id quod fit in hecticâ.

Exempla quibus febrium differentia explicantur.

Idem rem hanc exemplis duobus, *loc. allegat.* declarat. Repræsentet lebes vel olla partes corporis solidas, aqua in eâ, humores. Fingamus itaque aquam calidam infundi in lebetem frigidum, vt ab ea lebetis corpus inualescat, sed nondum planè incaluerit, febris putridæ seu humoralis exemplum est, in qua humores accensi & calefacti sunt; partes verò solidæ nondum planè incaluerunt: ab humoribus tamen calidis calorem recipiunt. Fingamus rursum, in lebetem calefactum infundi aquam frigidam, atque ab eo incalescere: exemplum febris hecticæ est. Vt verò exemplum febris ephemeræ afferat, iubet nos follem imaginari, qui ita arte confectus sit, vt in eo aqua contineri possit. Hic admoueatur igni, vt aër calidus in eum attrahatur, quo & aqua, & follis calefiant. Hoc exemplum est febris diariæ, in qua à spiritibus reliquum corpus incalescit. Alij hanc differentiam exemplo balnei declarant. In balneo enim sunt parietes, aqua, & aër. Si itaque intra parietes calidos aër & aqua frigida effundatur, exemplum hecticæ febris est: Si verò parietibus & aere frigidis, calida aqua effundatur, exemplum febris putridæ est. Si denique parietibus & aquâ frigidis superueniat aër calidus, febris ephemera repræsentatur. Verùm sunt ista similia, quæ ideircò in omnibus, etiam non quadrant.

Patet ex his omnibus, calorem febrilem aliàs ex alio incipere, qui accensus postea etiam reliqua calefacit. Facillimus transitus est caliditatis ab humoribus in spiritus. Humores autem à spiritibus non ita promptè accenduntur. Ita partes solidæ facilius calorem impertiuntur humoribus & spiritibus, quàm vt eum ab iis recipiant. Quò enim substantia est tenuior & calidior, eò facilius alterationem & calorem suscipit; quò crassior, eò difficilius. Inter hæc tria autem tenuissimus est spiritus: partes solidæ crassæ sunt; mediam naturam humores habent.

Nequem autem turbet, quòd solùm in hecticis partes solidas calefactas esse, in reliquis verò febribus tantùm calefieri diximus, cùm tamen Galenus, *de diff. sympt. c. 5.* doceat, morbum esse affectum; affectum autem eam qualitatem, quæ cessante eo quod alterabat, in patiente remanet; affectúmque esse quid factum, non autem quod adhuc fit. Ex quo videtur sequi, vel hecticam febrem solam morbum esse, vel morbum non solùm in partibus viuentibus, verùm humoribus ac spiritibus, vt subiecto, residere.

Morbus fieri, & factus quomodo dicitur.

Obseruandum enim morbos fieri, dupliciter accipi à Medicis. Primò enim fieri dicitur is morbus, qui nondum est, terminúmque motûs, quem dicitur habere, vt sit morbus, nondum attigit: Factus autem est is, qui iam productus est. Deinde etiam fieri is dicitur, qui quidem secundùm priorem significationem iam factus est, & motûs terminum attigit, ita tamen, vt sine causa fouente subsistere non possit: Factus autem is est, qui etsi causa, a qua productus est, cessarit, nihilominus potest subsistere, vt *lib. 2. Instit. p. 3. c. 11.* docuimus. Cùm igitur in omni febre cor & similares partes calefactæ esse dicuntur, in prima significatione, Factum vsurpatur. Cùm verò in hectica febre tantùm solidæ partes calefactæ esse dicuntur, in secunda significatione Factum accipitur.

Aliam huius febrium differentiæ rationem reddit Lud. Mercatus, *l. 1. de febr.* Necessarium quidem esse dicit, in quauis febri spirituum, humorum & solidorum membrorum calorem alterari, calidúmque innatum affici: verùm non pari semper ratione, sed maximè eam partem calidi innati affici, cuius naturæ est febris, spirituosam in ephemera, humidam, in putrida, solidas, in hectica, seu ephemeram constituit, cùm calidi innati spirituosa pars in calefacto esse posita est, humoralem, cùm humidior, hecticam verò, cùm solidior & crassior.

Verùm enim verò iam antea monuimus, etsi corpus nostrum tribus hisce, spiritibus, humoribus & solidis constituatur, non tamen eadem etiam ad calidi innati constitutionem requiri. Calidum enim innatum nihil aliud est, quàm spiritus insitus, ad cuius essentiam nonnulli etiam humidum radicale pertinere statuunt. Solidæ verò corporis partes ad constituendam calidi essentiam non pertinent, sed calidum innatum solidis partibus inest, atque per eas diffusum est.

Febris primaria, & symptomatica.

Præter has & alia adhuc est differentia, quæ hoc loco prætereunda non videtur, quâ diuiditur febris in primariam, & secundariam vel symptomaticam. Primaria febris est, quæ nullũ alium morbum sequitur, sed à propria causa dependet. Secundaria vel symptomatica est, quæ ab inflammatione alicuius membri oritur, vt euenit in pleuritide, angina, phrenitide, inflammatione hepatis. Galenus aliter paulò proponit hanc diuisionem, & cùm ex suâ, tùm ex antiquorum mente febrem diuidit in febrem morbum, & febrem symptoma. Ita enim, 4. *aph.* 73. scribit *A febribus male habere & vexari antiqui dicebant eos, qui sine certa inflammatione, aut abscessu, aut dolore, aut erysipelate, aut vt generatim & vniuerse dicam absque aliquo membro eximiè præ aliis affecto ægrotabant. Quòd si vel propter lateris, aut alius cuiusdam partis inflammationem febricitarent, non iam febricitantes ipsos appellabant, neque febribus vexari dicebant, sed pleuriticos, aut peripneumonicos, aut hepaticos, aut splenicos, aliisve similibus nominibus nuncupabant.* Et *ibid. aph.* 66. *Hippocrates in febribus solet dicere, pro, in morbis febrilibus, quando videlicet febres ipsæ sunt morbus, non partis alicuius quospiam enumerat, sed affectuum laborantis symptoma.* Idem docet, *lib. 5. ad Glauc. c. 3. & 4. 6. aph. 44. lib. 7. aph. 42. lib. 1. epid. sect. 3. com. 4.* Verùm Auic. *lib. 4. fen. 1. tr. 1. c. 1.* hanc diuisionem non probare videtur. Quæ res fecit, vt Medici inter se dissentirent, & dubitarent, num rectè dicatur, febrem aliam esse morbum, aliam accidens. Cùm enim omnis febris sit eadem natura, calida scil. intemperies totius, in corde accensa, & hinc in reliquum corpus diffusa, omnem etiam febrem in morborum numero habendam, & nullam inter symptomata referendam esse, nonnulli putant.

An omnis febris sit morbus.

Verùm hac de re obseruandum, si accuratè loqui libeat omnem febrem esse morbum, cùm ipsi definitio morbi competat; atque ideò nullam febrem rectè symptoma appellari. Symptomaticas verò febres appellare nihil prohibet, imò distinctionem inter febres primarias, & secundarias seu symptomaticas obseruare vtile est. Nam febres primariæ cùm a suis propriis causis pendeant, non verò ab aliis morbis prouemant, peculiaria remedia requirunt: Symptomaticæ contra, cùm ab aliis morbis dependeant, curandi rationem peculiarem ferè non postulant. Sed sublato eo, quem sequuntur, morbo, & ipsæ tolluntur. Ita sublatâ pleuritide seu peripneumoniâ, vnà febris, quæ illam sequitur, tollitur. Ideóque symptomaticæ hæ febres propter aliquam similitudinem nominantur. Vt enim symptomata morbos sequuntur, & iis sublatis tolluntur: ita hæ febres à suis morbis dependent, atque iis sublatis cessant, etsi, si earum essentiam spectes, ipsæ etiam morbi sint.

Febres comitatæ.

De symptomaticis tamen febribus notandum, earum quæ ab antiquis omnes pro symptomaticis habitæ sunt, reuerà plurimas primarias esse, & partium, pleuræ, pulmonis, faucium inflammationes potiùs iis accidere, quàm vt febres ab iis oriantur: quæ febres non incommodè Comitatæ nominantur, de quibus infrà *lib. 2. c. 15.* dicitur.

Post febrium differentias, nonnulli etiam de signis febrium in genere agunt. Verùm peculiarem tractationem id requirere non videtur. Nam pleraque signa potiùs differentiam, quàm generis sunt propria. Et siquæ sunt talia, pauca sunt, & ex iis, quæ suprà, *c. 3. de Sympt. & accidentibus febrium*, in genere diximus, patent.

CAPVT V.

De Curatione febrium in genere.

Cvm omne, quod præter naturam est, remotionem sui indicet, vt est apud Galenum, *8. meth. med. c. 1.* etiam febrem, vtpote morbum remotionem sui postulare, vulgo quoque notum est, qui eâ ipsâ de causâ Medicorum auxilium implorat. Verùm quâ ratione id præstandum sit, illud Medici est consulere. Principiò autem cùm contrariorum contraria sint remedia & quodcunque mutatur, à contrario mutetur, febris verò intemperies calida sit, & ad exsiccationem corporis tendat: febrem quà talis, refrigerationem simúlque humectationem requirere manifestum est. Hinc Galen. *8. meth. med. c. 1. Febrilis*, inquit, *intemperiei excessus in caloris abundantia est. Huic ergò ad temperatam via erit per id, quod refrigerat.* Et *11. meth. med. cap. 2. Quoniam vniuersi febrium generis intemperies est calor, per frigiditatem curabitur.* Et *9. meth. med. c. 14. Omnis febris, qua febris, humectatio refrigeratioque remedia sunt.* Atque id ipsum etiam est, quod Hippocrates, *1. aph. 16.* scribit: *Victus humidus febricitantibus omnibus vtilis est, maximè verò pueris, & iis, qui tali victu vti consueuerunt.*

Febris quid indicet.

Sed quia non hominem in genere, sed Petrum vel Paulum curamus, & febris in hoc vel illo homine curanda est: non satis fuerit, si febri, vt morbo calido, frigida adhibeantur remedia, sed quâ mensurâ id faciendum sit, videndum, ne vel aliquid de morbo relinquatur, si in refrigerando deficias, vel ægrum in contrarium morbum deiicias, si modum excedas. Id autem assequi non licet, nisi temperamentum ægri, antequam ægrotauerit, cognoscatur, & aeris status atque alia perpendantur. Hæc enim recessum à naturali statu demonstrant. Itaque, si caloris qualitatem respiciamus, quantò intensior erit calor, tantò magis refrigerante auxilio opus est. Atque hinc calidiore corpore præditi, dum febricitant, minùs refrigerantia requirunt: frigidiore verò, magis refrigerantia postulant. In his enim maior est recessus à naturali statu, in illis verò minor.

Cæterùm vt homo in genere non curatur, sed febris in hoc vel illo indiuiduo: ita etiam febris in genere non curatur, sed hæc vel illa febris species, v. g. tertiana, quartana, hectica: & propterea de cura febris in genere multa dicere opus non est: inprimis cùm propter complicationem sibi inuicem aduersantium morborum, causarum, & symptomatum, non semper omnia, quæ indicantur, contraria adhibere, aut ea simpliciter vsurpare liceat. Nam tunc solùm contraria, quæ morbus indicat, et simpliciter sine vlla exceptione adhibere licet, cùm morbus solus est. Cùm verò cum aliis rebus præter naturam complicatus fuerit, non semper id quod morbus indicat, mox exequi licet, sed alia sæpè antea remouere opus est. Id quod in febribus humoralibus accidit, vtpote quæ causam coniunctam habent. In febribus verò ephemeris & hecticis, cura febris quatenus talis, locum magis habet. Vnde Galenus *9. meth. med. cap. 14. Si sola sit febris*, inquit, *ad refrigerandum humectandúmque, omne Medici consilium, veluti ad finem, dirigatur.* Et *11. meth.*

med.

med. cap. 1. scribit: *Quoniam vniuersi febris generis intemperies est calor, nimirum per frigiditatem curabitur, sic vt omnes indicationes inter se concordent.* Itaque vbi humor febrem pariens in corpore præsens est, is primo loco tollendus erit. In febribus vero ephemeris, cùm, vt Galen. 1. *meth. med. c.* 1. habet, simplex quidam præter naturam affectus sit: in iis cura febris, quatenus talis, maximè locum habet, & faciendorum indicatio ex ipsa febre maximè petitur. Ac proinde febres Ephemeras, quæ maximè simplices sunt, & in quibus febris, quatenus febris, curatio maximè elucescit, primo loco proponemus.

CAPVT VI.

De Febre Ephemera.

DVplex esse febrium genus, *cap. praced.* dictum. Vel enim calida intemperies, quæ febris essentiam constituit, κατ᾽ σχέσιν vel καθ᾽ ἕξιν corporis partibus inhæret. Κατὰ σχέσιν inhæret, cùm febrilis intemperies in viuentibus corporis partibus durare non potest, nisi à causa aliqua, quæ continuum calorem suppeditet, foueatur. Hæc autem causa duplex est, vel spirituum vel humorum incendium. Quæ à spirituum incendio oritur & fouetur febris, ephemera dicitur, quæ ab humorum incendio vel putredine, humoralis vel putrida. Hectica verò febris est, quæ tali causa fouente non eget. Atque ita triplex omnino febrium genus est, Ephemeræ, & Humorales (tam sine putredine, quam Putridæ) & Hecticæ, ad quas omnes febrium species referri possunt.

De Febris Ephemeræ natura.

Febris ephemera.

De iis igitur ordine iam dicemus, initio facto à febre Ephemera. Hæc enim febris breuissima, simplicissima, & curatu facillima est. Nam cum a spiritibus incensis fiat, & propterea calor in materia tenui, mobili, & facilè dissipabili subsistat, ac facilè deferueat: non diu durat hæc febris, sed ferè diei naturalis spatio terminatur; vnde Græcis πυρετὸς ἐφήμερος, Latinis *diaria* & *ephemera* appellatur, nomine non ab essentia eiusdem, sed a duratione petito. Essentiam verò si spectes, definiri

Definitio.

potest, quòd sit *febris à spirituum vitalium incendio, seu spiritibus vitalibus calefactis orta & dependens, & spacio vnius diei durans.* Licèt enim animales & naturales spiritus etiam incalescere possint: tamen antè nulla febris oritur, quàm spiritus vitales incaluerint. Nonnulli quidem, vt Iac. Fontan. *de febribus c.* 7. nomine spirituum hic intelligunt spiritùs insitos & implantatos partibus solidis. Verùm malè. Nam ephemeræ febres non ratione essentiæ, & subiecto, quod sunt partes similares, calido cum insito tum influente præditæ, ab aliis febribus differunt: sed modo inhæsionis & causæ ratione, quæ in ephemeris est calor spirituum vitalium, qui intemperiem calidam in partibus similaribus, quæ essentiam febris constituit, fouet.

De Causis febris ephemeræ.

Febris ephemeræ causa continens.

Causa enim Ephemeræ febris proxima & continens, à qua proximè calida illa totius corporis intemperies & morbosa dispositio actiones lædens, ortum habet, est inflammatio, seu caliditas spirituum vitalium in corde accensorum. Hi enim calefacti, vbi in reliquum corpus è corde effunduntur, præternaturalem caliditatem illi communicant, & quidem absque omni putredine. Hinc & à putrida & ab hectica differt. A putrida qui-

Febris ephemeræ à putrida & hectica differentia.

dem, quòd omnis absit putredo, neque ab humoribus putrescentibus ortum habet: ab Hectica verò, quòd calor ille à spirituum incendio, partibus solidis communicatus, nondum in habitum quasi abiit, sed a spirituum incendio continuè fouetur, atque eo exstincto ipse etiam euanescit. Calor autem ille in

Causæ euidentes febris ephemeræ.

spiritibus, pluribus de causis excitari potest. Omnes enim causæ illæ euidentes, quæ suprà, *c.* 2. enumeratæ sunt, exceptâ putredine, potentiam habent spiritùs vitales calefaciendi, nunc immediatè, nunc mediatè per spiritus animales, vel naturales. Nam vt dictum, aliquando spiritus naturales primùm præter naturam incalescunt, ad quod in ebrietate & inedia fieri solet, nunquam animales, vt in vigiliis, curis: febris tamen ephemera non dicitur, nisi calor ille etiam spiritui vitali communicatus fuerit.

Primò, sæpe ex animi perturbationibus, vt tristitiâ, timore, sollicitudine, irâ, vigiliis nimiis, nimiâq; animi intentione, hæc febris oritur. Deinde corporis motûs nimij, cùm spiritus calefaciant, febres has excitant, vt euacuationes nimiæ, cùm spiritus agitent atque inflamment: sicut etiam ex dolore, fame, siti, hæc febris oriri potest, cùm ista omnia corpus exsiccare, & spiritus in primis accendere possint. Præter hæc cibus & potus calidus calorem in corpore augent, spiritúsque inflammant: vt & ebrietas, ac cruditas in corporibus biliosis. Accidit enim in corporibus duplex cruditas. Vna, in qua alimenta acidam qualitatem acquirunt, quæ in corporibus biliosis minùs frequens est, & minùs periculosa: Altera, in qua alimenta in nidorosum & fumosum humorem conuertuntur, quæ in naturis calidis & siccis facilè spiritus accendit, & febres generat. Præterea ad hanc febrem producendam facit æstus nimius aeris, ad ignem mora, balneum nimis calidum, aut quæ calida effluuia prohibent, vt balneaaluminosa & frigida. Pertinent huc tandem etiam inflammationes adenum & inguinum. Quamuis enim in bubonibus putredo fit, tamen putrida fuligo cordi non communicatur, sed quia materia certo & definito loco conclusa est, caliditas solùm partibus, successiuè ad cor vsque, per alterationem communicatur. Perpendendum tamen hîc Lectori relinquo, an non etiam vapores putridi è bubonibus cordi communicari possint. Non enim ita vapores putridi in bubonibus concludi posse videntur, vt ad cor penetrare non possint. Vnde hæ febres videri possunt symptomaticæ putridæ potiùs quàm Ephemeræ. Si verò pars aliqua nobilis, aut cordi vicinior inflammatione laboret, è qua vapor putridus ad cor penetrare possit, id quod in pleuritide, peripneumonia & angina fieri solet: non Ephemera, sed putrida febris generatur.

An dentur ephemeræ ex putredine spirituum.

Vallesius *l. 5. contron. c.* 19. aliam adhuc causam febris ephemeræ adfert, nimirum putredinem spirituum, atque à spiritibus fieri diarias febres, vel putrescentibus, vel sine putredine statuit. Verùm enimverò an spiritus putrescere possint, adhuc in dubio est, dicetúrque de eo suo loco. Siue enim putrescant spiritus, siue saltem à causa maligna incalescant: tamen febres quæ tum excitantur, non diariæ sunt, sed malignæ & pestilentes; nisi forsan nomen quis potiùs, quàm rem spectare velit: & breuis ille morbi terminus est à causa maligna.

Qui ad febrem ephemeram sint dispositi.

Incidunt autem in ephemeram febrem faciliùs calidi & sicci, cùm in iis calidæ & siccæ fuligines colligantur, quæ promptè incenduntur, si vel diutius ieiunent, vel vigilent, vel exercentur, aut simile quid ipsis accidat, quod spiritus incendere valet. Et si corpus sit cacochymicum, ephemera facilè in putridam degenerat, humoribus ob calorem illum præternaturalem, putredinem concipientibus. Quod & facilè accidit, si ephemera originem habeat à prohibita transpiratione, neque adhibeantur, quæ obstructiones & constipationes liberant. Hoc modo enim febris prorogatur, & successu temporis humores putredinem concipiunt, atque ita ephemeræ putrida succedit, in primis si corpus cacochymicum sit, & humores ad putredinem dispositi. Interdum quoque, præcipuè si corpus sit siccius, & inediâ vtatur, in hecticam ephemera degenerat.

De Signis febris ephemeræ.

Signa febris Ephemeræ.

Ne autem hoc accidat, & febris Ephemera in putridam vel hecticam abeat, id mox ab initio præcauendum: quod factu difficile non est, modò mox per sua signa cognoscatur hæc febris. Obseruandum autem est, quædam signa appellari inseparabilia; quædam propria; quædam inseparabilia & propria simul. Inseparabilia sunt, quæ affectum significant, & ab eo separari non possunt, & omni, sed non soli competunt, à quibus non licet argumentari affirmatiuè, sed solum a negatione talium signorum, ad negationem affectûs procedere. Proprium autem signum est quod soli conuenit, omnibus tamen non conuenit. Proprium & inseparabile est, quod soli & omni conuenit.

1. Signum.

Inter signa autem harum febrium, Galen. 1. *de differ. febr. c.* 7. *Primo loco* ponit hoc, incipere à causa procatarctica, euidente & manifesta. Quod quidem signum inseparabile est harum febrium, verùm non proprium: nam & aliæ nonnullæ febres à causa euidente & procatarctica originem habere possunt, & ab ira, tristitia, vigiliis, motu omnio, similibúsque causis non solùm febres Ephemeræ, verùm nonnunquam putridæ vel hecticæ etiam excitantur. Vnde hîc quidem licet argumentari negatiuè: Hæc febris non incipit à causa procatarctica & manifesta: Ergo non est Ephemera, sed non affirmatiuè: Hæc febris incepit à causa euidente: Ergo est diaria.

An omnis Ephemera incipiat à causa euidente.

Verum an omnis febris Ephemera à primitiua & manifesta causa incipiat, ab Authoribus in dubium vocatur, cùm febres Ephemeræ non solùm ab exercitio vehementi animi perturbationibus, vigiliis, & aliis causis oriantur, sed & propter obstructionem & condensationem pororum cutis, ob cruditates & bubones: quæ omnia ad causas procatarcticas & euidentes referri posse non videntur. Aliique aliter hoc dubium soluere conantur. Nos breuiter respondendum putamus; Omnem febrem Ephemeram quidem à causa procatarctica prouenire, verùm non immediatè semper & per se, sed nonnunquam per accidens & mediatè, sine putredine tamen. Ita aer frigidus, vel aqua frigida, aut aluminosa causæ manifestæ sunt, sed febrem hanc non generant immediatè, sicut æstus vel similes causæ, sed mediatè, pariendo scilicet adstrictionem & occlusionem pororum cutis, quæ causæ manifestæ non sunt. Ita etiam humores, qui febres Ephemeras producunt, à causis manifestis generantur. Sic enim distinguit Galen. 4. *aph.* 55. *De Ephemerarum, inquit, numero sunt febres illa, quæ bubones, id est, in collo, alis, inguine, & secundum aures glandularum tumores sequuntur, à causis euidentibus ortos. Alios verò bubones, qui sine causa manifesta ortum habent, verisimile est, vnà cum viscerum inflammationibus accessiones suas habere, neque ideo febres quoque, quæ cum talibus bubonibus fiunt, malas esse necesse est.* Deinde & hoc notandum, à Galeno & aliis Medicis inter causas procatarcticas, potissimùm externas recenseri, quòd præcipuæ inter illas sint, & maximè euidentes. Pertinent tamen ad eas, aliæ etiam quæ sunt in corpore, modò sint euidentes. Euidens enim non internæ opponitur, sed latenti & abditæ, de qua re videatur *Instit. lib. 2. part. 2. c. 1.*

Vbi ergo Medicus iam edoctus est, febrem aliquam à causa euidente & manifesta incepisse, inseparabilia illa & simul

propria signa consideranda: quorum præcipua petuntur ab vrina & pulsu. Maxima enim, vt Galenus, 1. *ad Glauc. cap.* 2. habet, in omnibus febricitantibus signa, in pulsibus & vrinis consistunt.

2. Vrina in Ephemeris qualis.

Secundò itaque, vrinæ statim in principio talis febris in colore, substantia & contentis, vrinis sanorum sunt simillimæ, & non aut sedimentum bonum, aut æneorema, aut nubeculam exhibent, & nimirùm bene coloratæ sunt. Nam calor ille præternaturalis præcipuè in spiritibus hæret, humores verò corrupti ac accensi non sunt: neque etiam solidæ corporis partes, à quibus omnes actiones proficiscuntur, multum à statu naturali recesserunt. Fieri ergo aliter non potest, quàm vt vrinæ iis, quæ secundum naturam sunt, sint simillimæ, aut certè ab iis non multum recedant, nisi aliud vitium accesserit, quod in Ephemeris, quæ ex cruditate proueniunt, fieri solet. In his enim vrina apparet cruda & albidior, quod tamen non fit ob febrem, sed ob cruditatem & defectum coctionis, ob quem, etsi nulla adesset febris, nihilominus vrina cruda esset. Et tunc nisi calor remittatur, facilè Ephemera in putridam degeneret.

3. Pulsus in Ephemeris.

Tertium signum à pulsu petitum, etiam inseparabile est, & proprium. Vt verò vrina in Ephemera febre, ita etiam pulsus naturali propior est, quàm in aliis febribus, nisi quod in magnitudine, celeritate & frequentia increscere solet. Licèt enim in Ephemera febre diastole major & celerior sit, quàm systole, eâ de causâ, quòd spiritus saltem inflammatus est, calórque supra modum actus, & propterea caloris ventilatio ac major refrigeratio requiratur: tamen cùm calor sit purus, nulláque fuliginosorum excrementorum copia adsit, systole non mutatur, & præter celeritatem, magnitudinem, frequentiamque, in diastole nulla inæqualitas adest, & præterea istam æqualitatem toto durationis tempore retinet, quod in nulla putrida febre accidit. Si tamen alius concurrat affectus, ea proculdubio in pulsu mutatio contingeret, quæ illi affectui propria est. Vt si quis in febrem ephemeram incidat ex nimiis vigiliis, labore, fame, quæ omnia virtutem debilitant, proculdubio etiam pulsus minores reddentur, causæ scilicet febrim producentis potiùs, quàm ipsius febris ratione. Vbi verò febris decessit, habet hoc peculiare febris Ephemera, vt pulsus mox ad statum naturalem redeat, & talis omnino reddatur, qualis in sanis deprehenditur, quod in nulla febre putrida accidit, in quibus etiam intermissionis tempore inæqualitas quædam, putredinis humorum vestigium, animaduertitur.

4. Calor in Ephemeris qualis.

Quartum signum, quod etiam inseparabile & proprium est, ab ipsius caloris conditione sumitur. Calor enim in febre Ephemera est mitis & suauis, respectu aliarum febrium. Etsi enim, si cum calore naturali comparetur, nonnihil molestus sit, & sublatior deprehendatur, talis scilicet, qualis vel in iis, qui laborarunt, vel in ebriis deprehenditur, tamen cum aliis febribus collatus, blandus ac suauis est. Residet enim in materia tenui minimeque acri.

Et quidem in ipso etiam statu & vigore calor moderatior est: vnde τὸ τῆς ἀκμῆς ἐπιεικὲς, seu caloris in vigore benignitas, *quinto signo* habetur: quod licèt inseparabile & proprium non sit, neque mox ab initio adsit: tamen in statu, ad discernendam Ephemeram ab aliis febribus, optimum signum est.

Sextò, etiam modo inuasionis differt ab aliis febribus. Inuadit enim sine frigore, horrore & rigore. Nulla enim adest materia, quæ partes neruosas ac membranosas vellicet. Et licèt interdum vapor aliquis acrior horrorem parere possit, is tamen leuis omnino. Deinde in calore & pulsu ascensus & augmentum est liberum & æquale; cùm nulla præsens sit materia, quæ inæqualitatem aliquam afferat, calórque ad interiora nec reuocetur, nec opprimatur, nec in exitu impediatur; id quod in putridis quibusdam accidere solet. Nam etiam in putridis omnibus hoc non euenit, sed in quibusdam, vt in continentibus, calor nunquam recurrit, nec pulsus contractus apparet, neque necessariò inæqualis est. Vnde hoc signum inseparabile quidem est, sed non proprium.

Septimò, declinatio huius febris fit cum madore, seu humida euaporatione, sudori sanorum simili. Nam cùm in hac febre spiritus, vt & vniuersum corpus, innalescant: ex attenuatis & ad cutem euocatis humoribus mador aliquis in cute apparet, non aliter quàm ab exercitio paulò maiore, in sanis etiam corporibus sudor erumpit. Madorem autem illum perfecta ἀπυρεξία sequitur, vt nullum post declinationem febris relinquatur vestigium, sed pulsus planè fit talis, qualis in iis qui sani sunt, deprehenditur, & alia quoque, si quæ adferunt, symptomata cessant, id quod, vt etiam anteà dictum, in aliis febribus non accidit, cùm in iis etiam post declinationem, in pulsu relinquatur vestigium. Imò licèt omnia Ephemeræ febris reliqua signa adsint, tamen si sine sudore omni desinat, & perfecta ἀπυρεξία non succedat, sed febris aliquod vestigium relinquatur, febrem Ephemeram in aliam febrem permutari, indicio est, quod vel errore ægri, vel Medici accidere potest.

Febrium Ephemerarū in alias degeneratio.

Nam si corpus siccius & calidius sit, febrísque à causis exsiccantibus, puta labore, vigiliis & similibus ortum habeat, atque tum victus tenuior exhibeatur, aut etiam corpus non satis humectetur. Ephemera in hecticam transit. Si verò corpus sit plethoricum, aut cacochymicum, & cibus copiosior adhibeatur, vel medicamenta adstringentia vsurpentur, aut omittantur aperientia, prohibita transpiratione febris putrida excitatur.

Signa causarum in Ephemeris.

Atque hæc sunt febrium ephemerarum signa communia. Verùm cùm, vt antea de pulsu monuimus, illa interdum nonnihil secundum causarum varietatem varientur, & varietatem causarum ob curandi rationem perspectam habere summopere sit vtile: signa etiam causarum in specie subiungemus breuiter: cùm ex relatione ægri rectissimè cognoscantur. Ab animi affectibus si fiat febris Ephemera, communiter vrina est rubicundior. In specie, qui ex ira febricitant, pulsum habent magnum, crebrum & vehementem, calor non est mordax, sed copiosus & blandus. In ira enim sanguis copiosior cum spiritibus ad exteriora mittitur. Contrarium accidit in iis, qui ex animi tristitiâ, hac febre corripiuntur. Pulsûs enim in iis sunt parui, tardi, languidi ac rari; calor est acrior potiùs, quàm copiosior, corpúsque extenuatur, atque oculi concaui redduntur, & insolita quædam decoloratio apparet. Quod etiam in iis, quæ ex animi nimia intentione, & curis in febrem hanc incidunt, contingit. Verùm in his minor, quam in iis, qui ex tristitiâ febricitant, corporis extenuatio, oculorum cauitas, & decoloratio faciei apparet. Verùm ex oculis, sicut etiam in sanis omnes affectus, facilè hæc animi pathemata discernuntur; oculique fenestræ quasi sunt animi. Qui ex vigiliis febricitant, iis facies est humidior, oculorúmque motus grauior, ac vix palpebras attollunt, atque in palpebris etiam est humiditas quædam. Qui autem ex lassitudine laborant, eorum cutis est siccior, quàm in ephemeris ex aliis causis ortis. Nam ex labore & motu humiditas corporis absumitur. Et hoc quidem omnibus, qui ex labore nimio & lassitudine in hanc febrem incidunt, commune est vsque ad statum. Post statum verò in iis quidem, qui supra modum defatigati nō sunt, ex profundo corporis humidus vapor ad ambitum erūpit, vnde cutis humida redditur. Si verò motus nimius fuerit, & maxima humorum copia per eum exhausta sit, siccitas etiam declinante febre permanet. Si ex cutis constrictione febris oriatur, vel tactu id cognoscere licet. Nam cutis est durior & compactior, calórque primò quidem mitis apparet, ob pororum occlusionem, sed si cutis diutius tangatur, poris patefactus postea augeri animaduertitur. Vrinæ etiam his rubicundiores sunt, neque moles corporis concidit, neque oculi caui fiunt. Si ex bubonibus febris Ephemera fiat, pulsûs sunt maximi, veloces & frequentes, non verò inæquales. Mouendi enim instrumentum impeditum non est, sed solùm necessitas & vsus adauctus: Calor est multus & suauis, facies rubet. Quæ tandem ex nimia repletione fiunt febres Ephemeræ, habent symptomata, qualia Synochæ sine putredine. Eorum enim oculi & facies rubicundior est, pulsus magnus & velox, vrina rubicundior.

Prognostica.

Prognostica.

Sunt autem Ephemeræ omnes suâ natura breues, imò vt plurimum breuissimæ, quæ scilicet vltra diem naturalem seu 24. horas non extenduntur: ex se item, atque suâ naturâ omni periculo vacant; modò error aliquis non committatur, si scilicet in temperamento calido sicco media, vel purgatio instituatur, si in temperamento calido & humido purgatio vel venæ sectio omittatur, cibus copiosus & acris præbeatur, corpus aëri frigido obiiciatur. Pro diuersitate autem causarum, à quibus producuntur, faciliùs vel difficiliùs tolluntur: & quæ difficiliùs tolluntur, in iis metus est, ne in putridam degenerent. Animi affectûs subiti sponte ferè cessant: ac corporis lassitudo, & à caliditate inducta intemperies diutius durat; diutius adhuc cruditates, cutis densitas, & obstructio. Causæ enim hæ non solùm simplicem intemperiem calidam excitant, sed & vitiosos humores in corpore, vel generant, vel retinent, & propterea putridam febrim minantur.

Ephemera in aliam febrem degenerantis signa.

Porrò si Ephemera vltra diem naturalem extenditur, & nullus sudor erumpit, aut post sudorem 24. horarum terminum excedit, aut si dolor capitis Ephemeram comitetur, isque perseueret: vel in Synocham sine putredine, si corpus sit iuuenile, plethoricum, tempus vernum, vel in putridam mutatio metuenda, si incidat in corpus cacochymicum. Nisi enim quod vitiosum est, penitus transpiret, vt putrescat necesse est. In hecticam verò, si corpus sit calidum, siccum, rarum. Atque ipsa etiam febrium signa propria, in quam febrim fiat mutatio, monstrant.

Ephemera in hecticam degenerantis signa.

Nam si dolor capitis, corporis grauitas, vrinæ tinctæ & crudæ, & alia putridæ signa perseuerent, in putridam degenerare indicio est. Si verò arteriæ ad tactum cæteris partibus calidiores apparent, febrísque in eodem statu semper manet, & calor post cibum, & dum assumitur cibus, augetur, & in pulsu cum æqualitate durities & paruitas obseruatur, ac reliqua hecticæ signa adsunt, in hecticam mutari argumento est.

De Curatione Ephemeræ.

Indicationes in Ephemera.

Vt autem Ephemera rectè curetur, tria Indicantium genera vt & in omni morbo, perpendenda sunt; Morbus ipse, causa morbi, & victus; è quibus tamen hîc sola curatoria Indicatio, quæ à morbo petitur, præcipuè respicienda. Nam cùm febris Ephemera ferè causam internam non habeat, etiam indicatio præseruatoria in ea locum non habet, febrísque Ephemera simplex quidam affectus est, & in ea, vt Galenus, 10. *meth. med. cap.* 2. habet, faciendorum indicatio ex ipsa febre maximè capienda. Sed cùm hîc aliquis dubitare possit, annon etiam hîc indicatio præseruatoria locum habeat, cùm febris Ephemera

xinaà

Indicatio præseruatoria vnde petatur.
Causa continens indicatio.

gignit fit, & à spirituum incensorum feruore, vt causâ continente, dependeat: sciendum, cùm dicitur, à causa sumi indicationem præseruatoriam, id saltem de causa antecedente esse accipiendum; causa verò continens cùm definitionem morbi ingrediatur, & iam præsentem morbum foueat, non verò futurum productura sit, indicationem curatoriam præbet. Nam cum ægrotantia corpora, quando morbo liberantur, curari propriè dicantur: sublatâ autem causâ continente morbus tollatur, sicut eâ positâ ponitur: meritò à causa continente indicatio curatoria sumi dicitur. Præseruatoria autem Indicatio ad causam, quæ morbum factura & auctura est, dirigitur. Calida nimirum intemperies totius cum feruore spirituum coniunctim: accipitur; & cùm dicitur, febrem ephemeram refrigerantia, & consequenter humectantia indicare, non absolutè solùm ad intemperiem partium solidarum respicimus, sed coniunctim etiam ad calorem & feruorem spirituum. Causæ verò externæ & euidentes, si adhuc præsentes sint, opus est vt semoueantur, & æger earum actionem nimiam vitet. Indicationem verò vitalem quod attinet, rarò, vt Galenus, *meth. med. c. vlt.* docet, in Ephemeris indicatio à viribus sumitur. Etsi enim eæ in hac febre negligendæ planè non sint, tamen plerumque tam robustæ & vegetæ sunt in hoc morbi genere, vt si eas cum morbo conferas, non opus sit, vt Medicus sit valde de iis sollicitus.

Intemperies itaque illa calida totius a feruore spirituum incensorum dependens, in primis hîc Medico consideranda, & ad illam curatio dirigenda. Si tamen accidat, vt causa morbum excitans adhuc præsens in corpore sit, & illa tollenda est; quæ prout varia est, ita varia agenda sunt. Nam si ea calidorum vaporum retentione, ob poros cutis occlusos, febris accendatur, eos aperire oportet. Si causa sit cruditas, ea concoquentibus tollenda: Si alia, & illa amouenda. Hæc cùm ita se habeant, facilè hinc patet, à tali febre multum periculi non imminere, easque facilis curationis esse, quas natura, vtpote robustior, plerumque etiam suâ sponte eiicit; vnde rarò ad febres has curandas vocantur Medici.

Veruntamen licèt raro ob febres ephemeras Medicorum auxilium imploretur, accidit tamen interdum vt viri principes, aut, qui aliàs suæ sanitatis curam diligentiorem gerunt, quampriimùm minima corporis parte dolent, aut aliquam in corpore mutationem sentiunt, Medicum consulant, cuius officium est, & nosse, quid remedij hæc febris, si opus sit remediis, requirat, & in primis in id intentum esse, ne, quæ simplex est, in ephemeram plurium dierum abeat, aut in putridam, vel hecticam mutetur, ac ne morbus per se minimè periculosus, in grauiorem degeneret.

Proinde vt rem paucis comprehendamus, præsidia quæ ad refrigerandum & humectandum hîc vtilia sunt duobus ferè capitibus Antiqui includebant, Victu & Balneo. Remediis verò accuratioribus vix opus est, nec temerè vel purgantibus, vel venæsectione æger molestandus.

Victus in Ephemerâ.

Victus ergo sit refrigerans, & humectans; facilis coctionis, boni succi, vt cremor hordei, carnes vitulinæ & hœdinæ, quæ pro occasione lactuca, acetosâ, buglossâ, succo citri, aceto, alterari possunt. Cauendum est ab oleo & pinguibus, quæ facilè inflammantur.

Potus sit aqua hordei, vel cereuisia tenuis, vinum item colore album, substantiâ tenue, quòd coctionem adiuuet, & venas, ac sudores promoueat. Et quidem vigiliis ac curâ confectis, id liberalius concedendum, vtpote quibus spiritus exhausti sunt, quos vinum facilè reparat. Quibus tamen caput dolet, ij omnino à vino abstineant; sicut & ij qui ex ira in febrem hanc inciderunt: cùm magnus in iis sit sanguinis & humorum feruor: nisi omnis illa animi perturbatio iam sedata sit. Abstineant etiam à vino, qui ex bubone in hanc febrem inciderunt. Auget enim vinum humorum fluxum.

Balneum in Ephemerâ.

Balneum quod attinet, antiquis quidem, vt apud Galenum passim videre est, illud in hoc morbi genere, vt & pluribus aliis, fuit familiarissimum; sicut hodie quoque Ægyptij non solùm ad sanitatem tuendam, sed & ad varios morbos sanandos balneo frequentiùs vtuntur, vt refert Prosper Alpinus, *lib. 3. de med. Ægypt. cap. 19.* Verùm in balneis parandis non eadem apud nostros adhibetur industria, nec homines nostri ita balneis assueti sunt: præterea maxima hominum pars in victu errores committit; vnde in ventriculo & intestinis crudorum humorum copia cumulatur: quâ de causâ tutò, ac si pura essent corpora, balneum adhibere non licet, nec humores in corpore contenti agitentur & inflammentur. Ac proinde loco balnei aliis remediis tutioribus, quæ idem præstare possunt, vtendum.

Causarum in Ephemerâ amotio.

Cæterùm cùm causarum, quæ febres ephemeras excitant, aliqua varietas sit, quæ diuersas etiam dispositiones corporibus inducunt: è quo causarum genere febris ortum habeat, in curatione attendendum, & semper causis euidentibus febrem gignentibus resistendum, v. g. si à nimio aëris calore inducta febris sit, in aërem frigidiorem æger est transferendus, & cibus refrigerans & humectans offerendus. Si à labore & motu nimio proueniat, quies imperanda, & labore dissipata corporis substantia vberiore cibo, sed coctu facili, reparanda. Et quidem qui temperaturâ corporis calidiore sunt, eos statim cibare expedit; ne Ephemera in putridam vel hecticam abeat. Si à vigiliis orta sit febris, somno indulgendum: si à fame, cibus dandus: si ab ira, tristitia, cura, affectus ij moderandi, & animus ad contraria deducendus est, victúsque refrigerans & humectans iis præscribendus, vt antea dictum. Per quæ, sine omni medicamentorum ope, febris ista, naturæ auxilio sponte discutitur.

Ephemera ex cutis pororum angustiâ curatio.

Maiorem autem paulò diligentiam requirunt Ephemeræ, quæ ex cutis densitate vel obstructione, aut cruditate ventriculi oriuntur. Hæ enim facilè & leui occasione, sæpe etiam nullo errore commisso, in putridas abeunt. Obstructio primò cutis, rarò quidem febrem ephemeram, sed plerumque humoralem excitat. Id tamen si fiat, non tam ab ipsa obstructione curatio inchoanda, quam à morboso apparatu. Et cùm obstructio, quæ ephemeram excitat, potiùs proueniat à copia humorum, quàm à cacochymia, (hæc enim si adesset, statim putrida procrearetur) mox sanguis imminuendus est, vt obstructio vel statim soluatur, vel humores liberiùs ventilari possint, donec aperientibus medicamentis obstructio planè tollatur. Verùm quia ista febris magnam cum febrium Synocharum curatione cognationem habet, ex earum curatione & huius curatio postea clarior euadet.

Cutis densitas à duabus causis oritur, vel à frigore, aut astringente re aliqua, vt balneo aluminoso, vel à rebus valde siccantibus; quales sunt æstus Solis, calor ignis magnus, labor vehemens. Quæ ex frigore vel adstringente re ortum habet febris ephemera, ea (si nullus adsit in corpore morbosus apparatus, qui venæsectionem desideret) curatur iis, quæ cutem rarefaciunt & aperiunt, vt prohibito vaporum effluuio viæ rursum aperiantur. Antiqui in hoc febris genere felicissimè, vtebantur balneo: Verùm, vt dictum, nostrorum hominum corpora iis tutò non committuntur. Quapropter aliis tutioribus auxiliis vtendum, mollibus scilicet frictionibus, oleis tepidis & temperatis corpus inungendum, sudorésque prouocandi. Qui verò ex causa, quæ vim habet corpus exsiccandi, febre corripiuntur, cùm cibo, tum potu refrigerante & humectante vtantur. Frictio non conuenit, nisi lenis & blanda: corpus fouendum potiùs oleis temperatis & humectantibus. Corpus etiam bene tectum seruandum, ne aëris frigidioris appulsu pori magis claudantur.

Ephemera ex cruditate curatio.

Tandem cruditatem quod attinet, duplex illa est: Vna ex calore diminuto, altera ex calore præter naturam aucto: Illam Medici cruditatem acidam; hanc nidorosam appellant. In acida enim cruditate, in acidum humorem cibi vertuntur, ægri sentiunt acidos ructus, acidúmque saporem percipiunt, & pituitam vomunt. In nidorosa verò cruditate, nidorosum quid è ventriculo ascendit. Illa, vt dictum, fit ob caloris inopiam, quæ accidit vel ob nimiam cibi copiam, quæ calorem debilitat; vel ex nimia frigiditate. Nidorosa verò fit ob caloris exuperantiam. Alimenta tamen quædam etiam sua natura, præcipuè idoneum nacta ventriculum, facilè in nidorosum quid abeunt, vt oua frixa, pisces frixi, mel, lac, & similia. Corruptionem etiam facilè subeunt fructus fugaces; persica, fraga, mora, melones, cucumeres, &c. In hac ventriculus distenditur, caput vaporibus repletur & dolet, corpus ignauum redditur. Acidam cruditatem quod attinet, ea ex raro quidem, vt Galenus 8. *meth. med. cap. 5.* docet, febres Ephemeræ accenduntur. Si tamen id accidat, & leuior illa sit, nondúmque materia planè aciditatem concepit, sed potiùs cibus semicoctus & crudus est, & talis, qui à natura in meliorem statum deduci possit, danda est opera, vt cibus ille semicoctus concoquatur. Propterea corpus somno & quieti dandum. A somno cibus facilis coctu dandus, ventérque oleo mastichino, absinthij, menthæ inungendus. Si autem maior cruditatis copia adsit, vt nauseam pariat, aut alias æger ad vomitum procliuis sit, rectissimè fit, si cibus ille crudus vomitu reiiciatur, & postea æger dormiat, atque ab omni cibo abstineat. Ita enim rectissimè cruditates illæ corriguntur. At si frigiditas maior sit, atque diffidamus ventriculi calorem cibo concoquendo sufficere: oleis prædictis ventriculus fouendus, & panis albus vino odorato irroratus, & puluere cinnamomi, vel speciebus aromatici rosati conspersus, vel zingiber conditum exhibendum, & si opus fuerit, vbi cibus ad intestina descendit, clyster iniici potest. Quòd si cruditas eò vsque progressa sit, vt cibus iam in acidum degenerauerit, coctione solâ is non corrigitur, neque bonitatem pristinam recuperare potest. Ergo optimum est, vt vomitu reiiciatur, aut si id facilè fieri non possit, medicamento saltem primas vias expurgante è corpore excludatur. Febre cessante, postea ventriculus roborandus erit. Quòd si cruditas nidorosa fuerit, frigidis sumtis eius concoctioni studendum: quibus si non emendatur, vel vomitu cibus reiiciendus, vel mox antequam in venas distribuatur, manna, Syrup. rosar. vel violar. solutiuo, rhabarbaro vel similibus per aluum euacuandus. Quòd si morsus aliquis in ventre adhuc supersit, abstergenda materia absinthio, & ventriculus roborandus totulis diarrhod. Abbat. Extrà verò venter inungendus oleo rosaceo, mastichino, absinthij, &c. Cibi verò succo agrestæ, acetosæ, citri, &c. condiendi.

Diatrion piperon an in cruditate conueniat?

Vnum hoc loco monendum de vsu medicamenti, quod à triplici pipere Diatrion piperon vocant, & in febribus ephemeris ex cruditate ortis commendant. Vulgatum est illud medicamentum, & hodie etiam notum potatoribus à crapula malè habentibus, & præscripsit illud Galenus, 8. *meth. med. cap. 5.*

Verùm Galenum reprehendit Alexand. Trallianus, *lib.* 12. *cap* 14. & mirari se scribit, quòd Galenus calidum medicamentum hoc calido affectu laborantibus, & nidorosam cruditatem à calore patientibus præscripserit. Ioh. Herculanus, *in Auicennæ l.* 4. *fen.* 1. *tract.* 1. *c.* 53. duobus modis dubium hoc soluere conatur. Primùm dicit, Galenum & Auicennam hoc medicamento vti, quando cibus corruptus est ad acetosum, & corruptio facta à frigida intemperie. Verùm etsi hoc etiam Alexand. Trallianus fieri velit, & diatrionpipereon ac alia calefacientia medicamenta rectè vsurpentur, quando non à calida, sed à frigida intemperie cruditas facta: tamen si Galeni mentem attendamos, ille etiam in nidorosa cruditate diatrionpiperon admittit. Aliam igitur solutionem adfert Herculanus, quæ & textui Galeni respondere videtur, nimirum ideò adhiberi, vt si corruptus cibus sit in ventriculo, ac vomitus difficilis sit, corruptus cibus ad inferiora præcipitetur, & per aluum excernatur, ac siquid crudi supersit, coquatur. Verum tutius forsan fuerit, aliis commodioribus & minùs calefacientibus cibum illum corruptum ad inferiora promouere.

Quòd si accidat, vt venter sponte fluat, (nonnonquam enim diarrhœa ex cruditate oritur) non tamen nimiùm fluxerit: abstergenda materia illa Syrup. rosar. sol. mannâ, sol. senæ, rhabarb. & hinc ad ventris roborationem per oleum absinthij, mastichinum, Cydonior. &c. deueniendum. Quòd si venter iam nimiùm fluxerit, vt virtus iam sit debilitata, mox ad virium roborationem veniendum. Atque vtile hic est, intus quoque confortantia ventrem sumere, vt conseruam rosar. antiquam, syrupum & carnem cydoniorum conditam, ac similia.

Plura qui de hac febre curanda legere cupit, consulat Galenum, 8. *meth. med.* vbi de febris Ephemeræ, secundum omnium causarum diuersitatem, curationem prolixè agit, & Auicennam, *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 1. prolixè etiam secundùm omnium causarum differentias de febre Ephemera agentem. Aetium, *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 30. & seqq. Paul Æginetam *lib.* 2. *c.* 16. Alexand. Trallian. *lib.* 12. *cap.* 1. Actuar. *lib.* 5. *meth. med. cap.* 16. Oribas. *lib.* 6. *Synops. cap.* 6.

CAPVT VII.

De Ephemera plurium dierum, & Synocha sine putredine.

Atque hæc, quæ de Ephemera diximus, de legitima & propriè dicta maximam partem accipienda sunt, id est, de ea febre, quæ & naturam & nomen ephemeræ propriè habet, seu quæ à spirituum solùm vitalium in corpore incendio, citra alterius rei in corpore mutationem, ortum habuit, & propterea vnicum saltem diem durat. Est verò adhuc febris ephemera illegitima, de qua iam dicendum; quæ & ipsa quidem nec hectica est, nec putrida, & propterea ad ephemeras refertur; quia verò vltra diem extenditur, ab antiquis, appellationis (vtpote quæ de essentia talium febrium non sit) non ita magnâ habitâ ratione, & in defectu conuenientioris nominis, & ipsa Ephemera, sed cum adiectione, plurium dierum, nominatur. Vulgò etiam *σύνοχος πυρετὸς*, (de qua appellatione suo loco dicetur) sed ad differentiam putridarum, siue putredine appellant, quòd sine omni remissione aut intensione à principio vsque ad finem perdurat, à putredine verò humorum ortum non habet.

Ephemera plurium dierum.

Verumtamen aliqua inter febres ephemeras plurium dierum, & Synochas constitui posse videtur differentia. Ephemera enim plurium dierum, quælibet febris appellari potest, quæ neque ad hecticas, neque ad putridas pertinet, & proinde ad primam hanc febrium classem referenda est, ad plures tamen dies extenditur. Tales febres primò sunt, in quibus quidem solùm spiritus accensi sunt, & eandem cum febribus ephemeris, quæ nomine etiam tales sunt, planè naturam habent, ob quam rem etiam earum causas *præcedente capite*, inter causas ephemerarum legitimarum recensuimus. Earum tamen causa durabilior est, vel etiam aliquid priùs, aut simul cum spiritibus accendit, à quo postea spirituum incendium ad plures dies continuatur. Tales causæ sunt, obstructio vasorum circa cutem, quæ si in corpus cacochymicum incidat, aut non probè curetur, diariam plurium dierum gignit, vel etiam in putridam degenerat; repletio item & ebrietas, catarrhi, bubones. Omnes enim tales causæ cùm non mox, vt reliquæ procatarcticæ, desinant, incendium etiam spirituum continuò fouent, quod durat, donec causa illa cesset.

Atque hæ febres, ephemeræ plurium dierum propriè quidem appellantur: verùm Synochæ febres non propriè dicuntur.

Synocha sine putredine.

Synocharum enim sine putredine alia est ratio, quæ generantur à spirituum incendio, & sanguinis tenuioris efferuescentia. Dicuntur quoque vulgò hæ *febres inflatiuæ*. Dum enim copiosioris sanguinis pars tenuior accenditur, & vaporem copiosum emittit, ægri corpus tumidum & quasi inflatum apparet. Et propterea definiri potest hæc febris, quòd sit *febris, à spirituum & sanguinis tenuioris efferuescentia ortum habens, tres vel quatuor, vel non multò plures dies durans*. In hac ergo febre cùm non solùm spiritus, sed & sanguinis tenuior incendatur, à reliquis & propriè dictis ephemeris aliquo modo differt. Differt quoque à putridis, quòd nulla humorum putredo, sed saltem efferuescentia adest.

Causa.

Continens igitur huius febris causa, est feruor spirituum & sanguinis in vasis omnibus, aut certè maioribus. Quia enim duratio huius febris continua est, feruor ille sanguinis in tali loco hæreat oportet, è quo continuus calor cordi communicari possit: quod fieri non potest, nisi sanguis, vel in omnibus, vel maximis vasis efferuescat. Vnde definiri potest Synocha sine putredine, quòd sit *febris continua, nullam antequam planè desinat, remissionem habens, à spirituum & sanguinis tenuioris portione incensa, orta ac dependens.*

Synocha sine putredine definitio.

Causam verò quæ feruorem hunc excitat, quod attinet, etsi nonnulli easdem Synochæ huius atque aliarum ephemerarum causas esse statuant, & causas illas omnes, cùm leuiores fuerint, diariam simpliciter ita dictam; cùm vehementiores, Synocham absque putredine producere putent: tamen rectiùs eos sentire existimamus, qui non à quacunque causa euidente, hanc febrem prouenire statuunt, sed tantùm à prohibita transpiratione calidi effluuij, ex constrictione meatuum cutis. Imò nec ipsa cutis obstructio & constrictio, febrim hanc excitabit, nisi sanguis copiosior in corpore adsit, atque id quod transpirat, sit copiosum & calidum. Si enim adesset quidem obstructio, non verò vna copia sanguinis, potiùs putrida, quàm hæc Synocha sine putredine proueniret. Ac propterea etsi obstructio à pluribus causis fieri possit, ab humorum multitudine, crassitie & viscidnate, tamen vt in omni Synochâ sanguis abundet, & plenitudo adsit, requiritur. Reliquæ verò causæ, etsi interdum coniungi possint; & si crassior aliqua pituita adiungatur, faciliùs fiat obstructio: tamen solæ & absque plenitudine hanc febrem producere non possunt, id quod etiam de adstrictione pororum cutis ab adstringentibus & condensantibus, dici potest: & si sanguinis copia desit, potiùs putrida generatur. Si verò in venis sanguinis copia adsit, ab illo etiam vaporum calidorum magnam copiam attolli necesse est, quæ si ob nimiam copiam, siue obstructionem aut constrictionem meatuum cutis sufficienter euaporare non possit, feruorem in sanguine à retentis excitari necesse est. Cùm verò dicimus ab obstructione pororum cutis febrem hanc fieri, non omnimoda eorum occlusio, vt nihil planè effluere possit, intelligenda est, sed ita hoc accipiendum, si plus à sanguinis copiâ vaporum calidorum attollatur, quàm euacuari possit, ob meatuum angustiam, calidus ille vapor retentus, & ex retentione calidior redditus, proxima accendit, & corpus quasi inflat, vnde hanc febrim inflatiuam quoque nominari diximus.

Ex quibus patet, ad hanc febrem maximè dispositos esse eos, qui corporis habitu sunt carnosiore, & sanguine abundant, inprimis si accedat corporis densitas. Vnde tempori verno, ætati iuuenili, ac iis, qui vino, ac cibis boni & multi succi immoderatiùs sese replent, & quibus consueta aliqua sanguinis per vterum, hæmorrhoides aut nares euacuatio suppressa est, febris hæc familiarior est. In frigidis verò corporibus & parum sanguinis habentibus, sanguis facilè non efferuescit, & proinde febris hæc in iis facilè non oritur; sicut nec in iis, qui raro sunt corporis habitu, porósque habent patentiores, per quos vapores illi calidi facilè effluere possunt.

Qui sint dispositi ad Synocham sine putredine.

Durat autem hæc febris plures dies. Nam cùm proxima & continens harum febrium causa sit feruor sanguinis & spirituum, neque febris cesset, antequam ille desinat; vaporum verò copia ex sanguine maior sit, quàm in ephemera simpliciter dicta, ac præterea adsit obstructio, vel adstrictio pororum cutis: vnicâ die omnes illi vapores discuti non possunt, ac proinde ad tertiam vel quartum diem sæpe hæc febris extenditur.

Duratio synochæ.

Cùm verò ex vapore sanguinis accensi hæc febris oriatur, & tamdiu duret, quamdiu accensa noua materia suppeditatur, & tota transpirare potest: ex proportione vaporum, qui ex sanguine accenso oriuntur, ad eos qui transpirant, triplex constituitur huius febris differentia. Si enim id quod accenditur, par est ei quod transpirat, ac propterea calor inde ortus toto febris decursu æqualis manet, appellatur *πυρετὸς σύνοχος ὁμότονος* seu *ἀκμαστικός*. Si verò plus accenditur quàm transpirat, atque ob id calor continuò augetur, *ἐπακμαστικὸς* nominatur. Si tandem plus transpirat quàm accenditur, & propterea calor à summo vigore incipiens sensim imminuatur: nominatur *παρακμαστικός*.

Differentia febris Synochæ.

Signa.

Signa huius febris ferè eadem sunt, quæ reliquarum ephemerarum; magis tamen euidentia. Calor enim, licèt & ipse blandus sit, tamen maior paulò, quàm in reliquis ephemeris sentitur. Cutis non est sicca, sed madore quasi perfusa. Vrina & ipsa naturali similis est; crassior tamen & rubicundior. Pulsus vehemens, celer, frequens, plenus & magnus atque æqualis. Facies & totum corpus rubet, ac quasi inflatum apparet. Venæ copiâ sanguinis tument & turgent; vnde lassitudo tendens oritur. Caput graue est, respiratio difficilior, somnus plerumque profundus, per quem atra spectra offeruntur.

Prognostica.

Digitized by Google

Prognostica.

Febris hæc post ephemeram curatu facilis est, & periculo vacat, soluitúrque vt plurimùm sudore, aut hæmorrhagiâ intra quartum, aut si longiùs extendatur, intra septimum. Cùm enim eius causa continens sint spiritus incensi, ac sanguis incalescens, virtúsque valida sit, facilè cedit, si rectè tractetur: etiamsi calor febrilis semper augeatur. Faciliùs tamen tollitur, si similis permanet: facillimè, dum sensim imminuitur. Si autem vel ægri, vel Medici errore non rectè tractetur, periculosa fieri potest. Ex Synocha enim sine putredine in putrem facilis transitus. Et si magna adsit sanguinis copia, nisi vel à natura, vel artis ministerio minuatur, metuendum, ne in phrenitidem, anginam, pleuritidem, aliúdve graue ex plethora malum transeat.

Curatio.

Indicationes in Synocha sine putredine.

Cùm febris Synocha sine putredine ex spirituum & sanguinis tenuioris incendio ac feruore ortum habeat, ob prohibitum illud calidum effluuium: facilè patet ad eam curandam, sanguinem euacuantibus, alterantibus, & meatus corporis aperientibus, opus esse. Et sanguinis quidem euacuationem quod attinet, omnino ea necessaria est: cùm febris hæc nullo modo excitari possit, nisi sanguis copiosior in corpore adsit.

Remedia Synochæ sine putredine.

Remedia autem, quibus hisce indicationibus satisfaciebant antiqui, duo in primis erant: sanguinis euacuatio, & frigidæ aquæ potio. Et prius quidem quod attinet, cùm, vt antea dictum, sine sanguinis copia hæc febris non generetur, sanguinis euacuatio omitti non potest. Et nisi adhibeatur, corporique libera ventilatio restituatur, facilè, vt dictum, fieri potest, vt putrida febris excitetur, vel sanguis in aliquam partem decumbat, & periculosum morbum excitet. Quare non differenda est venæsectio, sed quamprimùm vena aperienda, vt imminuto sanguine transpiratio corpori libera reddatur, sanguinis feruor remittatur, & natura eundem rectè gubernare possit. Neque sine sanguinis missione facilè, vel sanguinis feruor temperari, vel obstructiones liberari, & corpori transpiratio expedita reddi potest. Etenim etsi quis refrigerantia medicamenta adhibeat; tamen copiam sanguinis non tollunt: quæ verò cutem rarefaciunt, calefaciendo febrem augent. Si tamen cruditas est in ventriculo, differenda est venæsectio, donec cibus concoctus sit, & ad intestina descenderit. Ita Galenus 9. *meth. med. cap.* 4. venæsectionem in adolescente primo die distulit, cùm vt certiùs cognosceret, cuius generis febris esset, tum propter eam, quæ præcesserat, coctionis cruditatem. Si tamen in ventriculo, vel intestinis aliquid vitiosi humoris inhæreat, vtile fuerit, blandis medicamentis, vt cassiâ, mannâ, vel Syrupo infus. multiplic. rosar. aut lenientibus clysteribus priùs id tollere. Imò si suspicio sit ad septimum diem morbum posse protrahi, opus est serosa & biliosa excrementa, ob quæ hæc febris in putridam abire posset, euacuare, cassiâ, tamarindis, syrupo ex infusione rosar. violar. rhabarbaro in aqua cichorij vel endiuiæ infuso.

An sanguis ad animi deliquium mittendus.

Quantitatem sanguinis euacuandi quod attinet, Galenus quidem vsque ad animi deliquium in hac febre sanguinem euacuare solebat. Ita enim *loco modo allegato*, scribit: *Aufero ab homine eo vsque de industria sanguinem, quod animo linqueretur: maximum planè, vbi valentes vires sunt, continentis febris remedium: Id quod cùm ratione, tum experientiâ didici. Primò namque in statum contrarium agitur corpus celerrimè ex animi defectu refrigeratum. Postmodum in eiusmodi corporibus necessariò supervenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitus, quas res statim à toto corpore madores, sudorésve excipiunt. Quæ nimirum omnia cùm huic quoque contigissent, protinus febrem extinxerunt, sic vt quidam ex iis qui aderant, iugulasse me febrem per iocum dicerent.* Hæc Galenus. Verùm etsi in nulla febris specie copiosius sanguinem, quam in hac, detrahere liceat: tamen videndum, ne dum Galeni exemplo febrem iugulare conamur, ægrum simul iugulemus, & quod ipse Galenus monet, ac tribus Medicis euenisse scribit, *lib. de cur. rat. per venæ sect. cap.* 12. non opinantibus pro animi deliquio mors adueniat. Licèt enim nonnulli hîc distinctione vtantur, & licere dicant sanguinem euacuare vsque ad lipothymiam, non verò vsque ad syncopen, tamen cùm syncope & lipothymia gradu differant, illum terminum attingere non ita semper in Medici potestate est, atque accidere potest, vt nec opinantibus, vt modò ex Galeno dictum syncope, atque adeò ipsa mors adueniat. Quare cum eodem Galeno statuimus, satius esse, tam copiosis euacuationibus abstinere, ac sanguinis euacuationem partiri, ac primâ vice, quantum visum fuerit detrahere, & postea, si opus fuerit, venæsectionem repetere, in primis cùm non semper vires corporis Medico satis perspectæ sint, & nostro seculo ac regionibus, homines largis istis sanguinis euacuationibus non sint assueti.

Alterantia in synocha sine putredine.

Incommoda intempestiuæ potionis frigidæ.

Alterantia verò quod attinet, Galenus inter ea proponit aquam gelidam, quantum ægro bibere libet, in primis si frigidæ potioni æger assueuerit. Verùm cùm frigidæ potioni nostri homines rariùs sint assueti: potiùs aliis auxiliis est vtendum: atque aliàs etiam cautio adhibenda est, & ea incommoda cauenda, quæ intempestiuam frigidæ potionem solent comitari. Nam vt Galenus etiam *allegat. loc. c.* 5. hæc proponit, intempestiua frigidæ potio lentos crassósque humores, siue hi obstructionem, siue putredinem, siue phlegmonem, siue quemcumque alium similem affectum creauerint, attenuari digerique prohibet. Deinde vbi aliqua corporis pars imbecilla fuerit, siue ita ex naturali intemperie se habeat, siue ex vitio adscititio, & vel gula, vel ventriculus, vel pulmo, vel septum transuersum, vel renes, vel hepar se malè habeant: à frigida potione ægri non parum læduntur, & per eam hinc in hydropem, difficultatem spirandi, conuulsiones, tremorésque coniici possunt. Quapropter cùm conditiones illæ obseruatu difficiles sint, & aquæ frigidæ potio plurimos læserit, aliis tutioribus ad sanguinem refrigerandum remediis vti licet. Qualia sunt oxymel dilutius, aqua cichorij, endiuiæ, violar. vel decoctum hordei cum succo citri, oxysaccharo, spiritu salis, vitrioli, & alia medicamenta ex iis, quæ refrigerandi simúlque aperiendi vim habent, qualia sunt in primis cichoracea, parata, è quibus non dulces syrupi fieri, sed potiùs decocta parari debent: Aut si Iulepi parantur, dilutiores fiunt.

Vel ℞. *Conserua rosar. acetosæ, violarum,* an. Vnc. j. *lactucæ Ital. condit.* Vnc. ß. *spec. diamarg.* Drach. ß. Cum *frig. syr. acetosit. cit.* F. Electuarium. De quo sumat æger cochlear vnum, & bibat cyathum iulepi violarum, vel è succo citri.

Si autem obstructiones cutis non solùm ex sanguinis copia proueniant, sed cum hac etiam crassi & viscidi quidam humores adsint, qui meatus corporis obstruant, aut cutis condensata sit, modo quem *præcedente capite* proposuimus, etiam illæ tollendæ sunt. Neque verò solùm internis ad calorem sanguinis extinguendum remediis vti licèt, verùm etiam epithematis refrigerantibus, cordi & hepati adhibitis. Quæ omnia ex sequentibus clariora fient. Et quia plerumque hæc febris sudore finitur, eum adiuuare vtile est.

Vt ℞. *Aq. cichorij, flor. sambuci, fumariæ,* an. ℥.j. In iis dissolu. C. C. *vsti prep.* Scrup. iv. Coletur. Adde *Syr. acetos. citri* Vnc. j. Misce.

Victus in Synocha sine putredine.

Victum quod attinet, cùm virtus in hac febre valida sit, & sanguinis corpori alendo idonei magna adsit copia; tenui & pauco cibo ægri alendi sunt, qui simul vim refrigerandi & humectandi habeat. In quem vsum commodissimus est, prissanæ cremor, qui refrigerat, humectat & abstergit; omnis cibus, qui conditiones, quas morbus & causa requirit, obtinet. Si adsit magna ebullitio, atque ipse sanguis summè tenuis inflammationi obnoxius sit, Auicennas etiam modicè adstringentia exhibenda suadet. Potest ergo cibus succus ribium, granatorum acidorum, & similia acida adstringentia admisceri. Potus sit decoctum hordei, cereuisia tenuis, vinum, nisi valde tenue aut dilutum non conceditur.

Synocha biliosa.

Præter hanc febrem Synocham à sanguine ortam, Fernelius, *de febr. cap.* 5. alterius adhuc Synochæ, ex bile calidorúmque humorum agitatione, mentionem facit. Si enim causæ euidentes vehementiores in biliosum corpus alioqui sanum irruant, non modò spiritus calefieri, sed & acres humores exagitari docet, quorum æstu febris accendatur sine putredine, quæ quidem limites ephemeræ egrediatur, non tamen sit Synochus modò exposita; cùm illa sanguinis efferuescentia, hæc bilis concitatio sit sine putredine: illa in corpus incidat temperatum, benéque habitum: hæc verò in calidum siccum ac planè biliosum. Huius etiam causas non alias esse docet, quàm quæ ephemeras mouent, maximum dolorem cruciatúmve, qualis nephritici aut parturientis est, excitationem, laborémque immodicum, æstum, balneum, animi excandescentiam. Nullam quoque putredinis notam in pulsu aut vrina cerni; verumtamen os amarescere, deiici appetitum, sitim excruciare, capitis dolorem ac vigilias augeri, in cute arida calorem acriorem sentiri. Fecit & ante Fernelium, febris ex bile sine putredine mentionem Nicolaus Florentinus, qui *tract.* 2. *sum.* 4. *dist.* 1. *cap.* 3. febrem humoralem sine putredine diuidit in sanguineam & cholericam. Verùm quænam sit huius febris natura, omnes eodem modo non explicant. Nicolaus, *loco alleg.* inter generationem febris sanguineæ & cholericæ sine putredine hanc constituit differentiam. Sanguis, inquit, potest febrem facere sine putredine à causa intrinseca & extrinseca. Ab intrinseca quidem, si sanguis in quantitate, sine vitio qualitatis ita multiplicetur, vt ab eo in corde caliditas operationes lædens accendatur. A causa verò extrinseca calefaciente, quæ ipsum alterat, eique maiorem, quàm naturaliter habere debet, calorem imprimit. Bilem autem à causa interna non posse febrem sine putredine efficere, cùm bilis, vel alius humor in corpore à causa interna non possit tam multiplicari, vt febrem accendat, nisi vitium qualitatis coniugatur. Omnis enim humor qualitate peccans sibi relictus putredinem concipit. A causa autem extrinseca calefaciente eum caliditatis gradum posse concipere bilem per modum assationis & vstionis statuit, vt possit febrem etiam sine putredine producere. Qualis autem illa sit febris, ibi non explicat. Alij, vt Vallesius, *lib.* 5. *controu. cap.* 9. etiam admittit febrem à bile vsta sine putredine. Verùm ad tertianam febrem eam refert, cùm tali febre iuuenem illum tertianarium laborasse scribit, cuius 10. *meth. med. cap.* 3. Galenus facit mentionem. Et qui eius sunt opinionis, eam rationem adducunt, quòd febres ex aliis, quàm sanguine, humoribus ortæ, omnes sũt periodicæ. Verùm hac de re etiam aliquid dicetur postea, *lib.* 2. *c.* 1. vbi quæstio illa discutietur, an omnes humorales febres à putredine oriantur.

Verùm

Verùm si ea, quæ *lib. 1. Instit. cap. 9.* diximus, hîc attendamus, non ita difficulter hanc rem expedire possumus. Cùm enim eo loci sanguinis partem tenuiorem, bilem interdum nominari ab auctoribus dixerimus, & sanguis qui eâ parte abundat, biliosus dicatur, ac qui talem sanguinem habent, biliosi nominentur: hoc modo si bilis accipiatur, admitti potest Fernelij sententia. Si enim in corpore sanguineo & carnoso, ob adstrictionem cutis, sanguinis tenuior pars inflammari potest; Cur non etiam in corpore bilioso, id est, in quo calidior pars sanguinis abundat, ob eandem & alias causas tenuior illa & calidior pars incendi possit? præsertim, cùm tale corpus cum calore febrili maiorem cognationem habeat, quam corpus plethoricum. Si verò de bile propriè dicta & excrementitia sermo fit, nulla alia febris ex ea oriri potest, quàm periodica; sed an sine putredine id fieri possit, suo loco dicetur.

Ergo cùm febris hæc sit Synocha sine putredine ex sanguine bilioso orta, nulla in pulsu & vrinis signa putredinis conspiciuntur; os tamen amarescit, deiicitur appetentia, sitis molesta est, capitisque dolor & vigiliæ infestant. Hæc, sublatâ causâ euidente, ferè, vt ephemeræ, sponte euanescit: & si quæ medicamenta requirantur, leniter purgantia bilem, potus, iulepi, victúsque, omnia refrigerantia & humectantia, vt in priore vsurpentur, quæ tamen frigidiora esse debent, & ad bilis acrimoniam obtundendam magis comparata, atque ad sanguinis ventilationem & refrigerationem venæsectio institui potest.

Talis febris historiam & curationem describit Amatus Lusitanus, *cent. 5. curat. 27.* Fuit enim mulier illa naturâ gracilis. Hac febre etiam se laborasse refert Forestus, *lib. 1. obseruat. in Schol.*

LIBER II.

De Febribus Putridis.

CAPVT I.

De Febribus putridis in genere.

Absoluimus prius τῶν χυμῶν febrium genus, in quo calor febrilis à spirituum & partis tenuioris sanguinis incendio ortum habet & fouetur: ad alterum itaque accedimus, quo febres ab humoribus oriuntur, & idcirco humorales vulgò & putridæ nominantur. Atque hoc genus febrium vulgarissimum & frequentissimum est, ac plurimas sub se differentias complectitur: verùm simul multis difficultatibus inuolutum est, nullaque de febribus tractationis pars difficilior est, quàm hæc de febribus humoralibus & putridis. Nam & antiqui quædam, quæ ad cognitionem perfectam harum febrium requiruntur, prætermisisse videntur, & recentiores, qui ea, quæ ab antiquis prætermissa erant, supplere debebant, tot controuersiis rem inuoluerunt, & ab antiquis scripta in dubium vocarunt, vt se inde explicare difficillimum sit.

Varia de febribus humoralibus sententia. Nam etsi hoc extra controuersiam sit, ab humoribus præternaturalem calorem cordi suggeri, &, propterea humorum calor præternaturalis febrilis intemperiei causa proxima & continens sit, sicut in Ephemeris est calor spirituum: tamen quæ caloris illius in humoribus causa sit, maximè controuersum est. Etenim & olim, teste Alexand. Tralliano, *lib. 12. cap. 2.* reperti sunt, qui in vniuersum febrim nunquam à putredine fieri pronunciarunt. Nam humores in venis οὐ σήπεσθαι, ἀλλ' ἐκκαίεσθαι, non putrescere, sed inflammari, exardescere, efferuescere, vel aduri dictitabant. Quam opinionem & hodie quidam recentiores sequuntur. Alij, licèt concedant, putredinem in humoribus excitari, & febres inde generari posse, tamen negant febres ex putredine ortas, esse illas quæ volgò ita appellantur, verùm febres putridas falsem pestilentiales esse statuunt. Et qui putredinem humorum concedunt, de natura putredinis, & quomodo humores putrescant, maximè inter se dissentiunt: vt de ipsa hac re solum, integra ferè volumina & Medici & Philosophi scripserint. Deinde etiam de humoribus, è quibus febres humorales accenduntur, Autores dissentiunt. Quidam enim tantùm à bile febres fieri statuunt, alij alios quoque humores admittunt. Vt tamen ex re intricata nos breuiter expediamus, dabimus operam.

Humores in febribus putrescere probatur. Principio autem ab antiquorum sententiis non recedendum putamus, qui febres à putredine humorum oriri statuunt. Etenim multa sunt, quæ humores aliquando putrescere non obscurè docent. Nam primò à natura humorum alienum non est putrescere posse: cùm omni mixto conueniat per putredinem corrumpi posse.

Deinde vt actu putredinem humores incurrant, causæ sufficientes sæpenumero præstò sunt, nimirum putridæ rei occursus, id quod accidit, dum aër putridus inspiratione attrahitur, cibus vitiosum corruptus assumitur, aut à putredine abscessus alicuius partis, vt pulmonis, vel alterius, vapores putridi sanguini miscentur, eum inquinant; & putredinis in eo causa sunt, calidi effluuij prohibita transpiratio, calorisque natiui destructio.

Tertiò, ea quæ per febres vel arte, vel sponte excernuntur, satis putredinem in humoribus indicant. Sæpe enim sanguis per venæsectionem eductus adeò putruisse cernitur, vt fibris corruptis vix cohæreat. Aliquando per aluum, per vrinam, sudorem, tam fœtida excernuntur, vt putredinem abesse nemo iure dicere possit. Quanquam enim Simon Simonius, *in Synopsi de hum. febr. natura, cap. 1.* ex fœtore putredinem non rectè colligi dicat, quòd multa putrescant absque fœtore, multa fœteant absque putredine: tamen id non sufficit. Nam ingrati isti odores, qui sagapeno & aliis quibusdam rebus proprij & naturales sunt, longè alij videntur esse à fœtore, qui ex putredine oritur, & res illas non solent naturaliter comitari; sed tum demum iis accidunt, quando corrumpuntur & putrescunt. Et vt ex illo odore qui rebus quibusdam naturaliter inest, putredinem colligi non posse largiri possumus, ita si res aliqua quæ naturaliter non fœtet, fœtere incipiat, eam putrescere rectè colligi posse, omnino statuendum censemus. Sciendum tamen, fœtorem non semper eundem adesse. Sæpe enim accidit putredo vincente quodammodo naturâ, aut naturâ putridam & corruptam rem corrigente, vbi vel nullus, vel leuis fœtor adest, vt in pure videmus fieri, quod quò meliùs à natura elaboratur, eò minorem fœtorem habet, quò verò minùs à natura elaboratum est, eò magis fœtet.

Tandem idem naturæ conatus & opera, curandique ratio ostendit. Nam si citra putredinem febres accenderentur, omnes solis alterantibus curari possent, neque opus esset tot euacuationibus, quæ partim medicamentorum opera vtiliter perficiuntur, partim à natura rectè agente variis modis instituuntur, quibus putridorum corruptorúmque humorum magna copia non rarò excernitur.

Ex putredine humorum non semper pestilentes febres oriuntur. Secundò, nec Iouberto, & Simonio, aliisque, qui concedunt quidem humores putrescere, & febres accendere posse, verùm pestilentes & malignas falsem inde procreari statuunt, assentiendum putamus. Nam causæ putredinis, signa, atque curandi ratio, & Naturæ opera, quæ modo recensuimus, non solùm in malignis & pestilentibus febribus, sed aliis etiam apparent. Præterea malignitatis naturam in putredine non consistere, suo loco dicetur: neque omne pestilens putridum est, sed citra putredinem etiam in corpore humano malignum & venenati aliquid generari potest.

Putredinis definitio Aristotelica. Verùm vt hæc, & quæ dicentur, clariora reddantur, de putredine humorum quædam explicanda sunt. Definit Aristoteles, *lib. 4. Meteor. cap. 1.* putredinem esse corruptionem proprij & naturalis caloris in vnoquoque humido à corpore ambientis externo. Opponitur nimirum putredo generationi mixti. Et cum generatio fiat per terminationem humidi cum sicco, calore supra humidum dominante; putredo vt contrario modo sese habeat, necesse est, & proinde putredinis natura in separatione humidi à sicco consistere videtur. Separatio autem humidi à sicco prouenit à caloris natiui corruptione. Exeunte enim, vt ipse Aristoteles addit, proprio calido, vnà euaporat, quod secundùm naturam est humidum. Nam vt calor certo modo à frigore temperatus vnit ac terminat siccum: ita si hic calor corrumpatur, causa est vt humidum à sicco separetur. Calor nimirum naturalis ab ambiente calore auctus, proportionem, quam ad passibiles qualitates habere debet, amittit, & propterea euaporat, & mixtum deserit. Quo calore, tanquam rectore destitutæ, partes humidæ & siccæ separantur, humidúmque cum calore, tanquam eius vehiculo, ad exteriora fertur & euaporat. Corruptio autem caloris prouenit à calore externo ambiente, quicunque is sit, siue aëris, siue aliarum rerum.

Putredinis modus. Totius itaque putredinis modus ita se habet: Aliena caliditas ambientis corpus mixtum calefacit; calefaciendo corpus mixtum relaxat atque aperit: hinc calor internus à simili attractus egreditur, & in mixto secundum quantitatem imminuitur. Exeunte verò proprio & naturali calido, vnà euaporat & egreditur, quod secundùm naturam est humidum. Proprio autem calore à proprio subiecto egrediente, internus frigiditas augetur, & supra calorem dominari incipit, & subinde in eum pro viribus naturalibus agit, ipsúmque adeò debilitat, vt ampliùs humidum cum sicco retinere non possit. Humidum autem similiter effluit, & à sicco separatur; ad quam separationem sequitur mixti corruptio.

Putredinis definitio Galenica. Vnde etiam Galenus, *11. meth. med. cap. 8.* definit putredinem, mutationem totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptionem à calore extraneo. Neque enim Galenus in doctrina de putredine, ab Aristotele dissentit, sed Aristotelis doctrinam probat, & idem quod Aristoteles, licèt paulò aliis verbis, exprimere voluit. Cùm enim tria fiant in putredine, primò incipiat fieri separatio humidi à sicco, quæ est via ad formæ substantialis interitum. Deinde tanta iam facta sit dissolutio & separatio humidi, vt forma ampliùs seruari non possit, sed mixtio & materiæ vnio soluatur, sic tamen, vt partes siccæ cum humidis adhuc aliquo modo cohæreant; tandem humidum à calore in vaporem vertatur & exhalet, vt nihil nisi fumus re-

manere

maneat, qui est vltimus corruptionis & putredinis terminus: Totam hanc putrefactionis naturam vocabulo corruptionis Aristoteles, Galenus verò mutationis ad corruptionem expressit. Materiam verò & subiectum putredinis Aristoteles per humidum explicauit; Galenus verò per totam substantiam corporis putrescentis expressit. Humidum enim natiuum cum calore insito & proprio, totam rei substantiam à Galeno passim appellari, nemini ignotum est. Atque hoc ipso, proculdubio non tam ad commune & adæquatum putredinis subiectum, quàm ad corpus humanum, Medicæ considerationi subiectum, respexit. Quam tamen ob causam reprehensionem non meretur, cùm id non faciat, vt Philosophus, sed vt Medicus. In causa efficiente putredinis, etiam inter Aristotelem & Galenum nulla est discrepantia.

Putredinis differentia.

Atque hæc quidem communis putredinis natura est, de cuius differentiis multæ & quidem intricatæ, ac magnam partem non sat vtiles disputationes apud Authores agitantur. Nos iis omissis, vnam putredinis naturam agnoscimus, cuius tamen aliqua secundum variam mixtorum putrescentium naturam & constitutionem apparet diuersitas. Alia enim secundùm totum, alia secundùm partem putrescere dicuntur.

Putredo secundum totum.

Perfectè enim & secundùm totum putrescunt, quæ planè in elementa, è quibus coaluerunt, resoluuntur, ita vt reliquis omnibus elementis euaporantibus, nihil nisi terra remaneat. Atque hanc putredinem, in primis in definiendo respexit Aristoteles: atque ipsa est mensura & regula quasi alterius.

Putredo secundùm partem.

Hoc autem modo putrescunt ea, quæ plurimum terræ obtinent. Imperfectè autem & secundùm partem, quæ plus humidi obtinent. Cùm enim humidum, quod in his abundat, totum cum calore educi non possit, saltem partes ipsius aliquæ, præcipuè tenuiores & subtiliores, educuntur. Hoc modo Aristoteles tria elementa, aërem, aquam, terram, quatenus non sunt pura, & modo quodam cum aliis mixta, putrescere scribit. Et quidam huius etiam putredinis gradus sunt. Interdum enim tam leuis est putredo, seu via potiùs ad putredinem, vt aliquæ saltem particulæ corrumpantur, mixtum verò propriam formam retineat: Interdum tanta existit, vt, etsi non fiat perfecta totius mixti in elementa resolutio, forma tamen eius aboleatur, & mixti in aliam speciem fiat conuersio.

Humorum putredo qualis.

Atque talis putredo, scilicet secundùm partem, est etiam ea, quâ humores putrescunt, & febres putridæ fiunt. Si enim humores à calore externo, quacunque de causa excitato, calefiant, calor ipsorum & cum calore humidum educitur. Verùm cùm humores fluidi sint, & multâ humiditate abundent, eorum humidum totum, vt in iis, in quibus terra abundat, educi non potest, sed pars aliqua humidi educitur. Atque hanc secundùm partem in humoribus putredinem ipse Simon Simonius negare non potest, qui errare eos, qui in febribus vulgò putridis dictis, humores putrescere dicunt, statuit; Nisi tamen, inquit, *c.* 1. *Synops. de humoral. febr. natura*, eam intelligant isti σῆψιν, quam ἰδίως ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων λέγεσθαι, *propriè de iis, quæ secundum partem corrumpuntur, dici.* & secundùm quam elementa excepto igne, putrescere, testatum reliquit Aristoteles. Hanc enim ipsam putredinem, qui diligentiùs hac de re scripserunt, agnoscunt in humoribus Philosophi & Medici.

Putredo secundùm partem non est solùm alteratio, sed corruptio.

Quòd verò Simonius porrò obiicit, hoc modo non solùm Galenum deseri, qui putredinem definit, quòd sit totius substantiæ corruptio, & maximè opposita generationi, sed etiam febres ephemeras & hecticas à putridis non distingui: cùm nihilo plus illa ἰδίως putredo significet, quàm ψύξιν aut refrigerationem, aut humectationem, aut exsiccationem quandam, quâ res præter naturæ suæ modum, ipsâ nihilominus substantiâ integrâ manente afficiatur: id omnino falsum est. Nam etsi definitio putredinis, & Aristotelica & Galenica principaliter putredini secundùm totum competat: tamen etiam putredo secundùm partem vera putredo est, atque in ea quoque non fit solùm alteratio, sed & totius substantiæ corruptio, verùm non vniuersi & totius compositi, sed aliquarum eius partium: id quod etiam in putredine elementorum vi iere est. Aër, e.g. putrescere dicitur, non dum quocunque, modo alteratur, aut impuri aliquid ipsi admiscetur, (alias enim ferè semper putridus esset) sed dum aliquæ eius partes reuera corrumpuntur, totius tamen aëris forma non abolerur: vnde etiam aër nomen suum retinet. Eodem etiam modo humores secundùm partem putrescere dicuntur, cùm quidem aliquæ eorum particulæ reuera corrumpuntur, & formam suam amittunt, totus tamen humor formam suam necessariò non amittit, vnde etiam nomen suum retinet, & corruptis illis partibus, seu artis, seu naturæ beneficio euacuatis & discussis, ad pristinam naturam redit: nisi corruptio & putredo eò vsque progressa sit, vt in aliam speciem fiat mutatio. Atque ita in omni putredine reuerà aliquid corrumpitur: verùm corruptionis eius, vt antè dictum, gradus sunt, & nunc plures, nunc pauciores particulæ corrumpuntur. Nam quod nonnulli dicunt, in omni putredine, seu perfectâ, seu imperfectâ, necessarium quidem esse, vt fiat alteratio in accidentibus, non tamen esse necessarium, vt in omni imperfecta putredine forma quoque substantialis perdatur, sed quandoque perdi, quandoque seruari: id, nisi modo iam dicto explicetur, vix admitti potest. Nam cùm in imperfecta putredine forma substantialis quandoque non perire dicitur, id nisi de totius mixti forma accipiatur, verum non est. Nam si id ita accipiatur, quasi in putredine imperfecta interdum solùm in qualitatibus alteratio accidat, ita vt nullius etiam particulæ mixti forma perdatur, hoc putredo ab alteratione non differet, & febres putridæ ab aliis, quod vult Simonius, non rectè distinguentur. Verùm cùm in omnibus febribus putridis aliquid humoris corrumpatur, id quod non fit in aliis febribus: maxima inter eas, & alias febres est differentia.

An putredo naturalis sit.

Nec maioris momenti sunt cætera, quæ à Simonio obiiciuntur. Nam quod primò quærit, an putredo humoribus naturalis sit, cùm aliorum mixtorum proprium πάθος sit: ad id respondendum est, omnem putredinem, non solùm humorum, sed quorumcunque etiam aliorum mixtorum, comparatam cum generatione, & relatam ad principale institutum naturæ, esse præter naturam. Natura enim miscibilia vnire, vt mixtum constituant, & quodlibet mixtum in tali statu persistere cupit; ac respectu, cum principiorum, quæ naturaliter separabilia sunt, tum combustionis, quæ violenta est, naturalis esse ipsis dicitur. Humores enim apti nati sunt, vt si talis ipsis occurrat causa, putredinem concipiant.

Deinde quod obiicit, humorum calorem per febres potiùs augeri, quam imminui: ad id ex Galeno respondemus, ea quæ putrescunt, calidiora fieri aduentitio calore, proprio autem tandem frigidiora. Licèt enim ob externum ambientis calorem accedentem, tum etiam ab interno calore exeunte primò rei putrescentis calor maior fiat: tamen in fine propter caloris natiui euaporationem frigidior redditur.

Ita etiam, quod tertiò obiicit, etiamsi vaporum ratione calor intus in venis conclusus sit; cùm in putredine exire dicatur: tamen ille calor auctus humoribus externus est, eóque ipso humorum insitus calor euocatur.

Tandem quartò, licet frigus, quod Aristoteles ad putredinem concurrere non statuit, concurrere ad humorum putredinem dicatur à Medicis, vbi ab externa frigiditate transpiratio prohibetur: tamen per accidens solùm, non per se tum putredinis causa est, quatenus nimirum calidos vapores retinendo calorem accendit, qui postea internum, vel insitum humoribus calorem euocat.

Quæ verò Laur. Ioubertus, 2. *decad. parad.* 2. pro suâ opinione, nullas scilicet febres ex putredine oriri, affert, etiam non magno negotio dissoluuntur.

An res in suo loco putrescere possit.

Nam Primò quod obiicit, ideò humores in venis non posse putrescere, quòd sint in loco proprio & naturali, amplóque spatio: Ad id respondetur, si locus ille naturalis omnes conditiones seruet, & sanguis in venis omnia ea, quæ ad sui conseruationem requiruntur, obtineat, eum non putrescere: verùm si eæ conditiones desint, & aliæ causæ, quæ putredinem conciliare solent, de quibus postea dicetur, adsint, tum generatur putredo; & si humorum copia vel qualitas, vel aliud quidpiam obsistat, non semper vasorum vis ad inhibendam putredinem sufficit.

An fœtor in omni putredine adsit.

Quod verò secundò obiicit, in putredine adesse fœtorem qui nullus in venis percipiatur in febribus salubribus: de eo iam antè dictum, non necessariò in quauis putredine fœtorem æquè adesse, sed prout magis vel minùs natura adhuc humoribus dominatur, eò maior vel minor fœtor est. Neque tamen in febribus putridis semper abest fœtor, sed procul dubio sæpe in venis humores fœtidi sunt, id quod ex vrinis & sudoribus percipitur.

Deinde, nec reliquos humores putrescere in specie probare conatur. Nam primò, inquit, si totus sanguis, vt ex quatuor humoribus constat, in vasis non concrescit, nec putrefit, multò minùs seorsim quisque ex dictis humoribus id vnquam patietur. Nam quod concretionem attinet, omnium humorum, dempto sanguine, proprium est non gelascere, etsi è venis sinceri fluant: quantò minùs in vasis eos putrefieri est verisimile.

Verumenimuerò primò id, quod nondum concessum est, præsupponit Ioubertus, sanguinem in venis non putrescere. Deinde à concretione ad putredinem nulla est consequentia. Putredo enim est affectio, quæ omnibus mixtis, aut certè humidis competit; congelari verò non omnibus mixtis competit, sed iis, quæ admixtam habent substantiam crassam cum parte terrestri: ac sanguis, quia habet fibras, concrescit, quibus cùm reliqui humores destituantur, concrescere non possunt.

Quod porrò ait, sinceros humores in tumoribus non putrescere, & propterea multò minùs in venis, nec in febribus: id falsum est. Sinceri enim humores in tumoribus quidem difficilem reddunt suppurationem, sed non impossibilem.

Verùm ne de his prolixiores simus, si accuratè illa omnia, quæ à Iouberto proferuntur, perpendamus, ipse quoque, vt Simonius, vocabulo putredinis ludit, dum putredinem saltem pro putredine perfecta & secundum totum accipit, cùm tamen antea dictum sit, in febribus putredinem saltem secundùm partem adesse. Quod vel ex eo patet, quod scribit: *Se putredinem non quamcunque intelligere, sed eam quæ propriè σηπεδὼν & σῆψις dicitur, per quam gangræna gignitur ex inflammationibus, cadauera item aliáque multa fœtorem acquirunt; aut certè eam quæ talis est, qualis in suppurationibus apparet.* Et postea inquit. *Verum si quis paulò seuerior contendat, vix vllas humorales esse febres*

in

in quibus putredinis quadam nota non adsint: esto, leuior putredo concedatur, at non tanta, vt inde excitari possit febrilis caliditas, quod pestilentibus est peculiare. Aliarum igitur, quæ salubres dicuntur, putredo sit comes duntaxat, pestilentium comes & author.

Verùm quod vltimum hoc attinet, non semper maior est calor in iis, quas salubres appellat, quàm in malignis & pestilentibus. Verùm etiam interdum minor. Deinde antea dictum, & postea probabitur, malignitatem & pestilentiam non in putredine consistere. Hæc itaque si vera sunt, & leuis potredo in febribus salubribus admittatur: cur non etiam tanta admitti possit, quæ febrilem calorem excitare queat?

An omnes humorales febres ex putredine oriantur.

Atque hoc modo satis monstratum esse arbitramur, dari putredinem in humoribus, & febres humorales ex putredine oriri. Illud adhoc explicandum restat. An omnes humorales febres ex putredine oriantur: An verò aliquando sine putredine ex solâ humorum efferuescentia febris oriri possit? Posterius affirmat Franciscus Vallesius *lib. 5. controu. cap. 19.* Nam cùm sint duo motus ad corruptionem, vstio & putredo: quædam ad hanc, quædam ad illam paratiora esse dicit: Quæ calidissima sunt, adiuncta potissimum siccitate, & partium tenuitate, ad vstionem esse paratissima; quæ verò humore abundant, aut non habent calorem multum, hæc putrescere citiùs statuit. At cùm ex priorum genere sit bilis, vstam eam sine putredine febrem producere posse putat. Ex tali febre laborasse iuuenem illum existimat, cuius mentionem facit Galenus, 10. *meth. med. cap. 3.* alioqui cibum, quem Galenus illi abstulit, magnum damnum illi allaturum fuisse. Atque dari tales febres sine putredine ex sola bilis vstione, inde colligi posse existimat, quòd crebrò febre laborantibus accidunt vomitus tenues, fluidi, minimè fœtidi.

Neque ab hac sententia alienus fuisse videtur Lud. Mercatus, qui *l. 6. de febr. c. de tertiana exquisita*, scribit, tertianam exquisitam, vno è duobus modis fieri posse, vel flauâ bile in carneis vasorum effer uescente, vel putredinem ibi concipiente.

Et tales febres, si dantur, sunt, quarum suprà *lib. 5. cap. 7.* inter synochas, ex Fernelio *de febr. c. 5.* & Nicol. Florentino *tr. 2. serm. 4. diuin. 1. cap. 1.* mentionem fecimus, vbi scilicet in corporibus calidiore sanguine præditis, tenuior eius pars incalescit. Quali febre etiam se laborasse scribit Forestus, *lib. 1. obseru. 10. in schol.* Ex bile verò extrementitia nulla alia, quàm putrida febris accenditur. Etsi enim suo modo sit tenuis: tamen tam tenuis non est, vt spiritus & subtilissima ac tenuissima sanguinis pars: vnde etiam à causis euidentibus tantum calorem, qui ad febrem generandam sufficiat, acquirere non potest, nisi putredinem concipiat, id quod in ictero & aliis morbis biliosis videre est. Neque etiam monstrant, quomodo sine putredine bilis feruorem tantum concipere possit. Nec est inepta ad putredinem bilis. Licèt enim bilis calida & sicca sit, cum aliis humoribus collata, tamen actualem humiditatem obtinet, ob quam putrescere potest. Præterea rarò sincera est, sed aliis humoribus permixta, qui ad putredinem faciliùs suscipiendam faciunt. Quamuis enim interdum bilis è corpore eiiciatur, quæ non fœteat: tamen illa bilis, quæ vomitu reiicitur, non semper causæ continentis, sed antecedentis rationem habet. Præterea quod antè dictum, humores putridi non necessariò, & semper coniunctum habent fœtorem.

Quod verò febricitantem illum iuuenem, 10. *meth. med. c. 3.* attinet, nullo modo ille febre biliosâ absque putredine laborauit. Cùm enim febres hæ ad synochas pertineant, quæ sine intermissione à principio ad finem durant: febris quâ iuuenis hic laborauit, intermittens fuit, & suos paroxysmos habuit, vt manifestè ex Galeno patet. Ideóque sciendum, in curatione morborum non solùm ad morbum & causam morbificam, sed etiam ad vires & ingruentia symptomata respiciendum, & sæpe aliquid necessariò agendum esse, quod præsentem virium lapsum, aut aliud graue malum auertat.

Putredinis differentia.

Cùm autem modò dictum sit putredinem non semper habere coniunctum fœtorem, diuersósque esse putredinis gradus, id rectissimè in generatione puris in tumoribus animaduerti potest, quâ de causâ etiam Galenus, 5. *de diff. feb. cap. 6.* putredinem, quâ in venis humores putrescunt, cum eâ quâ in tumoribus humores putrescunt, comparat, & quæ differentia putredinis in tumoribus reperitur, eam etiam in vasis reperiri statuit. Vtrobique enim alia putredo est, quæ vincente naturâ & calore adhuc superante materiam fit, quæ non simpliciter putredo existit, sed etiam coniunctam habet coctionem, & potiùs coctio à vincentis caloris natiui actione dicenda est, quàm putredo, quòd in ea caloris natiui alteratio & actio maior sit, minor verò caloris præter naturam. Alia verò est potredo, quæ fit succumbente calore natiuo, cùm putrescens humor ad benignum non mutatur. Atque hæ sunt duæ extremæ alterationes, quæ in morbis contingunt, ex quarum, seu potiùs causarum efficientium mixtione, medium quoddam exurgit, quod neque a leò bonam ostendit putredinem, sicut ea est, quæ apparet naturâ maxima ex parte dominante; neque adeò mala qualis est ea, quæ fit natura ferè succumbente. Cuius varij gradus sunt, prout ad hoc vel illud extremum magis inclinat. In mala autem putredine, quæ fit natura succumbente, id quod generatur, speciem non vnam habet, sed varium odorem, colorem, consistentiam. Nam quando natura non vincit humorem, id quod generatur, potiùs insequitur naturam materiæ, quàm causæ in eam agentis. Cùm igitur materia non sit vna, non erit etiam vnum illud quod producitur, sed diuersæ eius partes, & tam diuersæ, quàm diuersæ materiæ. Nam materia alia est biliosa, alia pituitosa, alia melancholica, alia sanguinea. Quòd si natura vincat humorem, id quod generatur vnam habebit consistentiam, vnum colorem & odorem. Natura enim etsi in alimentum partis materiam illam vertere non potest: tamen quantum fieri potest, simile partibus quid efficit. Quod autem fit in tumoribus & inflammationibus, etiam fit in putredine humorum in vasis. Quemadmodum enim humor putrescens in tumoribus vnam trium recipit mutationem, aut optimam, aut pessimam, aut inter has mediam; ita si in vasis humores putrescant, idem accidit. Et sedimentum in vrina secretum ab humore putrescente, aut est optimum, potique optimo respondens; aut pessimum, quod est nigrum: aut mediæ constitutionis.

Et vt hæc tandem concludamus, si omnino aliquem vocabulum putredinis offendit: is tamen sciat, solum humorum alterationem ad febrem humoralem generandam non sufficere; sed in omnibus febribus, quas vulgò putridas vocant, esse humorum in essentia mutationem & corruptionem; vnde & illud quod corruptum est, vel à natura euacuatur, vel medicamentorum ope expellendum est. Quòd si quis istas corruptiones & humorum degenerationes, putredinem nominare nolit, & illam saltem humorum corruptionem, quæ vehementior est, qualis in malignis febribus apparet, putredinem appellare velit: is alia, quibus commodiùs nominentur, & diuersæ corruptiones & mutationes humorum distinguantur, vocabula suggerat.

Vocabuli putredinis apud antiquos vsus.

Interim sciat, antiquos vocabulum putredinis latiore longè significatione vsurpasse, quàm hodie fit: Imò Hippoc. σήπειν etiam concoquere, & σῆψις concoctionem significat. Ita *lib. 3. de diæta*, σαπρὸν διαχώρημα, alui excremētū cōcoctū, & ἄσηπτον διαχώρημα, crudum excrementum, *ibid.* appellatur: & *libello de anatomia* σηπτικὴ κοιλία, vētriculus nominatus: Et Empedocles vinum ὕδωρ ἐν ξύλῳ σεσηπός nominat, vt est apud Arist. *4. Top. c. 5.*

Causa putredinis.

Causa putredinis.

Verùm, vt ad doctrinam de febribus putridis proprios accedamus, missis iis, quæ generaliùs de causis putredinis a Physicis disputari solent, speciatim de causis putredinis in febribus agemus. Et quidem causam proximam putredinis quod attinet, in eo & Philosophi & Medici conueniunt, esse calorem externum, seu à natura rei cuiusque alienum. Hic enim in corpore nostro non ampliùs coquere, sed humores putrefacere & corrumpere solet, humorésque, quotiescunque naturali calore destituuntur, & ab eo ampliùs non reguntur, corrumpi & putrescere incipiunt: quæ generalis putredinis humorum causa est. Itaque omnia, quæ seu ratione humorum, seu ratione locorum, in quibus humores continentur, seu ratione caloris, seu quocunque alio modo causæ esse possunt, vt calor innatus humores ampliùs debito modo non regat, illa omnia putredinis humorum, siue propinquiores, siue remotiores causæ sunt. Qualia autem illa sint, iam in specie videndum.

An putredo in febribus semper ab obstructione fit.

Quâ in re maxima apud authores occurrit difficultas, opinionum diuersitas & obscuritas. Et primo quidem loco statim sese explicanda offert quæstio: An sola transpiratio prohibita, & ventilatio humorum impedita ob obstructionem, semper putredinis causa sit? Nam reperies quosdam, qui omnes febres putridas ex prohibita transpiratione ab obstructione fieri, & sine prohibita transpiratione & ventilatione febres putridas accendi non posse statuunt; ideóque in omni febre putrida, obstructiones aperientia exhibent. Atque hi primò mouentur authoritate Galeni, qui 11. *meth. med. cap. 4.* causas putredinis in summam quasi colligens, ita scribit: *Ostensum est, vbi morborum causas tradidimus illa tantùm putrescere corpora, quæ cùm calida humidaque natura sint, neque perflata, neque ventilata in calido humidoque loco manent. Quòd si in motu sint, ventilentúrque ac perflentur, posse ea non putrida integráque seruari, potissimum quæ corpora suâ ipsorum naturâ reguntur, vt animalium & stirpium.* Ex quo: *Itaque si quid in eo putrescere debet, dictas transpirationes impeditas esse oportebit.* Deinde idem Gal. 5. *de diff. feb. c. 3.* hæc habet: *Si corpus vitiosis humoribus plenum fuerit, nulla verò obstructio aliquid ex visceribus obsideat, liberè autem totum animal per cutim diffletur ac refrigeretur: sanitate quidem fruetur animal, sed dubiâ ac momentaneâ. Cùm autem constringi terminum exteriorem, aut obstrui penitiorum partium meatus contigerit: in constrictionibus quidem febres consequuntur ephemeræ, in obstructionibus putridæ,* Præterea cùm morbum ostendat sanatio, si methodum curandi febres putridas videamus, quam tradidit Galen. 11. *meth. med. cap.* idem inde euinci posse videtur. Nam ibi Galenus febrem deducit à putredine; putredinem à prohibita transpiratione; prohibitam transpirationem ab obstructione; à qua, vt inter causas primâ, curandi initium facere præcipit. Vtuntur deinde & rationibus. Nam si, inquiunt, fuligines calidæ, quantum opus erat, euaporare discuti possent, ad cor non peruenirent, neque febrem accenderent. Præterea quæ dicuntur putrescere, necessariò caliditatem propriam amittunt. Hoc autem fieri non potest, nisi à calore fortiore; id quod accidere non potest, nisi per transpirationem prohibitam,

Digitized by Google

Alij contrà, etiam sine prohibita transpiratione & ventilatione corporis, putredinem in humoribus accendi posse statuunt. Atque isti etiam cùm authoritatibus Gal. tum rationibus ad id statuendum adducuntur. Nam primò Galenus, *de caus. morb. cap.* 2. vbi causas morbi calidi recenset, putredinem ab obstructione seiungit, & vt peculiarem causam affert, quòd scilicet putredo etiam sine obstructione & prohibita transpiratione fieri possit. Et 1. *de diff. febr. c.* 2. *&* 4. ex aëre putrido & corrupto febrem pestilentem oriri posse docet. Et 2. *de diff. febr. c.* 9. cùm ea sententia Aristot. docuisset, ab aliena caliditate oriri putredinem, addit; calorem extrinsecus sanguini adueniré, & in Solis deustionibus, & pestilenti ac suffocato aëre, & quando in corporis parte sanguis plurimus accrevatus, supráque eiusdem vires effectus corrumpi incipit. Quod cùm præcipuè fieri dicat, cùm in partis vasis propter crassitudinem obstruitur, aut multitudinem impingitur, ab aliis etiam causis fieri posse confitetur. Imò expressè addit, in eiusmodi affectibus duplicem ob causam corrumpi sanguinem; & quia non difflatur, & quia à natura non vincitur. *Libro* etiam *de inæq. intemp. c.* 8. *Accendi*, inquit, *febrem, & citra phlegmonem ex solis humoribus putrescentibus licet. Neque enim ea solùm, quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita putrescunt, cæterùm putrescunt & alia multa, quæ putredini sunt opportuna.* Et *de caus. morb. c.* 8. non solùm transpirationem prohibitam causam putredinis ponit, verùm duas adhuc alias addit, nimirum medicamenta, quæ vim habent putrefaciendi, & genita in corpore excrementa. Etsi enim Donatus ab Altomari, 1. *parte de febr. cap.* 46. vt vim huius loci effugiat, respondeat, aliud esse, agere de putredine, de qua loquatur Galenus *l.* 1. *m. m.* aliud de corruptione, quæ non est vera putredo, de qua Galenus agat, *alleg. cap. lib. de caus. morb.* tamen hæc contra mentem Galeni dicuntur. Et Galenum de vera putredine ibi loqui, cuilibet verba Galeni diligentiùs perpendenti manifestum euadit. Ratio etiam idem euincit. Nam cùm, vt de natura putredinis dictum, putredo fiat, quando calor internus euincatur ab externo: si plures causæ, quàm prohibita transpiratio, dantur, quæ calorem externum accendere possint, manifestum inde euadit, plures dari putredinis in febribus, quàm solam transpirationem prohibitam, causas. At dari plures, Galen. *de caus. morb. c.* 2. *&* 1. *de diff. febr. cap.* 3. docet, nimirum, præter prohibitam transpirationem, etiam motum, vicinitam corporis calidi, assumta calida, & putredinem. Idem tandem testatur experientia, quâ constat, aquam, vt & res alias extra corpus humanum plurimas, sine prohibita transpiratione putrescere. Cur ergo non idem etiam in corpore humano accidere possit.

Non omnes Febres putridæ sunt ab obstructione.

Et omnino his assentimur, qui sine prohibita transpiratione & obstructione viscerum, putredinem in corpore humano excitari posse statuunt, & eorum opinionem reiicimus, qui in omni febre à putredine ortâ transpirationem prohibitam, & præcipuè viscerum & venarum obstructiones, putredinis causas ponunt: exagitauitque iam olim Auger. Ferrerius, *in Castigat. practic. med. c.* 14. eos Medicos qui in febribus continuis nihil nisi viscerum obstructiones obloquuntur. Quid enim, vbi febres epidemiæ, quæ per contagium propagantur, seu continuæ, seu intermittentes grassantur, contagio cum obstructionibus? Aut cùmne, qui febre laborat, obstructio in alium, qui contagio inficitur, deriuatur? Certè obstructiones non transeunt de indiuiduis in indiuidua: & ante opus est, vt contagium, primùm obstructiones viscerum inducat, vt febrem possit inducere? Certè contagium & venena humores corrumpere & putrefacere posse, sine omni obstructione viscerum, notissimum est. Et si mesaraicæ semper essent obstructæ, non transiret id ad hepar, & totum corpus, quod transire manifestum est.

Et culpandi meritò Medici, qui vbi vrinas turbatas, crassissimas & impurissimas, & quidem satis longo tempore reddi vident, id pro bono signo habendum censent. Obstructiones nimirum aperiri, & materiam vitiosam euacuari, dicunt. Quanquam enim negandum non sit, non solùm in calculo, sed & in febribus per crisin, vel medicamentorum auxilio, turbidas & crassas vrinas cum commodo ægri excerni: tales vrinas rubras turbatas, quæ sine omni morbi imminutione, & longo sæpe tempore excernuntur, potiùs crudi adhuc & pertinacis morbi indicium, & proinde malum signum esse existimo, & arguere, malam illam dispositionem vitiosos humores generantem, & humorum feruorem & cruditatem adhuc perseuerare, necdum bonam coctionem, quæ semper claras vrinas suppeditat, fieri. Atque rem ita se habere, multa alia in ægris ostendunt.

Et quanquam interdum in febribus diuturnis obstructiones, imò & scirrhi viscerum reperiantur, à quibus febres prolongari extra dubium est: ista tamen potiùs à febre, ob quam multi crudi & vitiosi humores, facultate naturali debilitata, generantur, quàm vt illi febrim primò produxerint. Et longa ac continua sæpe est causarum, morborum & symptomatum catena: & materia, quæ adesse deprehenditur, obstructiones, vel alium morbum excitat, ipsa tamen ab alio morbo producta.

Transpiratio verò corporis prohibita, seu *ἀδιαπνευστία*, vt Gal. 11. *meth. medic.* 10. nominat, cùm corpus per cutem liberè non ventilatur, longè frequentior causa est putredinis: neque tamen sola est putredinis causa: sed & rerum putridarum occursus sine transpiratione prohibita putredinem inducere potest, sicut argumenta pro secunda opinione adducta id rectè probant. Etsi non negemus, longè faciliùs & promptiùs, à quacunque etiam causa, in corpore quod non rectè difflatur, putredinem induci, quàm in eo quod liberè ventilatur.

Si quis tamen statuere velit, sine prohibita transpiratione equidem putredinem excitari posse, sed non febrem, cum eo non contendam, si rectè hic suam mentem explicet. Nam licèt vapores & fuligines à materia putrescente eleuentur: si tamen sufficienter discutiantur, febris non excitatur. Potéstque huius rei exemplum suppeditare fimus & stercora animalium. Fimus si in aëre, à quo ventiletur, iaceat, putrescit, sed sine calore notabili. Si verò cumulatus iaceat, neque ab aëre ventiletur, & fuligines illæ exhalantes concludantur, non solùm incalescit vehementer, sed nonnunquam flammam concipit; sicut Galen. *de morb. caus. c.* 2. scribit, se vidisse columbarum stercora ob putredinem accensa arsisse. Testantúrque id multa, quæ in febribus accidunt. Quæ enim corpora facilè sunt transpirabilia, non facilè febribus corripiuntur, & contra. Et in febrium principiis sudare ægri non possunt, & quamprimum sudant, paroxysmus desinit, & sanationis spes adest. Et causæ recidiuarum penè omnes à prohibita insensibili transpiratione dependent. Multa præterea arguunt, putridos humores in corpore aliquandiu latere posse, antequam æger febre corripiatur. Idque vrinæ non rarò testantur, tum ante, tum post febres, imò in ipsis febribus intermittentibus, in quibus tempore *ἀπυρεξίας* notæ putredinis satis euidentes in vrinis apparent. Vbi tamen putredo adest, faciliùs etiã transpiratio prohiberi potest. Ex putridis enim humoribus plurimæ fuligines eleuantur, quæ insensibiliter discuti debent, & longè copiosiùs eleuantur, quàm in homine sano. Qua de causâ fit, vt facilè in ambitu corporis hæreant: quod etiam facit ipsorum halituum præter naturam se habentium natura & vitiũ. Ideóque etsi in omni febre putrida, præter putredinem, aliæ adhuc causæ poros cutis occludentes necessariò non requiruntur: si tamen ex humoribus putridis plures vapores eleuentur, quàm vt omnes per poros cutis etiam patentes transpirare possint, ob eorum partim copiam, partim naturam, febris excitatur. Crudi enim humores non ita facilè transpirãt, ac cocti & boni. Quòd si quis *ἀδιαπνευστίαν* nominare velit, cõ eo nõ pugnabo, vt dixi: sed erit ea potiùs febris, quàm putredinis causa, vt dictũ.

Putredinis causa. Humorum ad putredinem dispositio.

Vt ergo omnes putredinis causas in conspectu habeamus, sciendum, humores, vel ex sua natura & dispositione, vel ab externa agente atque efficiente causa, putredinem concipere. Nam quamquam omnes humores, cùm sint corpora mixta, & quidem humida, ad putredinem recipiendam apti sint: tamen inter ipsos humores quædam differentia est, & alij vel sua natura ad putredinem tendunt, vel à causis putredinem inducentibus faciliùs vincuntur, alij actioni earundẽ causarũ magis resistunt. Humores autem qui facilè putredinem incurrunt, sunt, qui internum aliquod vitium habent, & ex sua natura sensim, vel vbi leuissimam occasionem nacti fuerint, in putredinem prolabuntur. Talia verò vitia humores contrahunt ex varia causis. Primò quidẽ ex prauis cibis, qui vel natura sua tales sunt, prauique succi appellantur; vel propter vetustatem, & quòd negligenter asseruati fuerint, tales redditi sunt. Deinde vitium hoc humores contrahunt a cibis, qui quidem praui non sunt, facilè tamẽ putrescũt; quales sunt ferè omnes fructûs, quos *ὡραίους* appellant. Tertiò, idem vitiũ concipiũt humores à ciborum praua præparatione, vt coctura mala, aut additamentis minùs conuenientibus; vel quando cibus nouus assumitur, antequàm prior est concoctus; vel nimia copia ingeritur, vt natura ipsum satis coquere & elaborare non possit; vel quando præpostero ordine cibi assumuntur. Quartò etiam huc facit partiũ coctioni destinatarũ aliquod vitiũ, ob quod etiã bona alimenta inquinantur & corrũpuntur, & multi excrementitij humores cumulantur. Tandem etiam alia quædam ex sex rebus non naturalibus dictis, ad vitiosos in corpore humores gignendos faciunt, vt excrementorum euacuatio suppressa, ira, atque aliæ animi perturbationes, & id genus alia.

Quò verò plus humorum excrementitiorum in corpore cumulatur, eò faciliùs putredo gignitur. Nam natura sanguinem bonum, vt familiare corporis alimentum, vitæque thesaurum intra venas omni studio conseruat & tuetur; atque ideò sanguis minùs facilè putredinem concipit, humores verò excrementitij qui corpori alendo idonei non sunt, tanto studio à natura non gubernantur; ideóque promptè putrescunt, atque eò faciliùs, quò sunt vitiosiores; Sanguis tamen extrà venas effusus, cùm sit extra naturalem locum, & calidæ ac humidæ naturæ, facillimè putredinem concipit.

Putredinis causa efficiens.

Humores igitur vitiosi, si in corpore colligantur, etsi ad putredinem concipiendam natura procliues sint, & sua sponte in eam incidere possint: tamen longè faciliùs id accidit, si aliqua causa externa accedat, quæ tamen leuissima sæpe in corporibus dispositis requiritur, & multò minor, quàm in corpore planè sano, & vitiosis humoribus non referto. In corpore enim sano si putredo oriri debet, maior causæ agentis via requiritur. Sunt tamen eæ causæ sæpe tam potentes, vt etiam in corpore sano putredinem inducere valeant.

Prohibita transpiratio.

Inter causas autẽ has, quæ faciunt, vt humores putredinẽ concipiant, frequentissima & præcipua est transpiratio & ventilatio corporis prohibita, siue ea accidat ob pororũ cutis angustiã, siue ob vasorum & meatuum in corpore penitiorem obstructionẽ. Angustia meatuum cutis fit, vel ex constrictione à frigore, aut ex adstringentibus, vt balneis aluminosis, aut exsiccitate, vt mora sub radiis solaribus; vel obstructione, quæ fit aut propter

copiam, aut viſciditatem, aut craſſitiem humorum. Eaſdem ob cauſas etiam interni meatûs obſtruuntur, vt humores liberè ventilari non poſſint; nimirum ob multitudinem ſanguinis, ex cibo nimio, otio, menſibus, hæmorrhoidibus, aut aliâ conſueta euacuatione ſuppreſſa, vel quacunque alia de causâ cumulati. Deinde ex humorum craſſitie & viſciditate, quæ ex cibis eius generis ortum habet. Quod etiam facit, ſi humores craſſi, crudi & nondum ſatis elaborati, in minores corporis venas, vel attrahuntur ob intempeſtiuum & nimium motum, balnea, ſimileſque cauſas; vel impelluntur, ob potum cibumque tenuem nimis, acrem, & vim diureticam habentem.

Quacunque igitur de causâ tranſpiratio & ventilatio corporis prohibeatur, putredo excitari poteſt. Calida enim & humida in loco calido, niſi ventilentur, promptè putreſcunt. Et licèt perſpiratione prohibita faciliùs humores ad putredinem diſpoſiti putreſcant, tamen tanta huius cauſæ vis eſt, vt ob eam etiam boni humores putredinem concipiant: ideóque febres putridæ frequentiſſimè ab obſtructione oriuntur. Ac primò in plethoricis corporibus ſæpius febres putridæ extitâtur. Obſtructiones enim in iis multæ ſunt, & corpus liberè non diſflatur: in primis ſi cauſæ euidentes antea enumeratæ accedant, motus ſcilicet, balnea, æſtus, aut calidorum multus vſus poſt repletionem. Hæc enim omnia craſſos & crudos humores in hepar & venas mouent ac trahunt, vnde obſtructiones fiunt. Quare ſi quis à cibo, & potiſſimum copioſo, balneo vtatur, vel vehementiùs exerceatur, vel in aëre calido verſetur, & poſtea, vbi corpus incaluit, ſubitò frigori ſeſe exponat, efficaciſſimam febris putridæ cauſam præſentem habet. Crudi enim humores ad viſcera atque meatus alios abripiuntur; meatûs autem cutis à calore patentiores redditi, à frigore faciliùs penetrante iam magis condenſantur & conſtringuntur, calidumque effluuium prohibetur.

Qui ex prohibita transpiratione facilè in febres putridas incidant.

Deinde non minùs promptè, ex prohibita tranſpiratione, febre corripiuntur, quibus cum ſanguine excrementitij humores mixti ſunt, è quibus calidi, acres & mordaces vapores attolluntur. Hinc videmus febres biliosas omnium frequentiſſimas eſſe. Generantur autem & attolluntur illi vapores calidi & acres, triplici de cauſa. Quibuſdam enim corpus cacochymicum eſt, & vitioſis humoribus ſcatet, è quibus naturaliter tales vapores attolluntur. Quidam mala vſi ſunt diæta, dum tenuiùs vixerint, sariùs comederunt, nimiùm ſeſe exercuerunt, etiam in aëre calido, vinum biberunt generoſius, cibis calidis nimis, ſiccis, ſalſis, amaris, acribus, atque aliis etiam alimentis, quæ prauos ſuccos generare ſolent, vſi ſunt, vt allio, cæpis, porro, naſturtio, vrticâ, braſſica, leguminibus, fumeatis corruptis, atque in primis, ſi poſt tales cibos aquam vitioſam, limoſam nimiùm, lutoſam, ſtagnantem & putridam biberint. Quibuſdam denique tales vapores attolluntur, quòd ſæpe malè concoxerunt, & cibos in malum alimentum conuerterunt. Ex his itaque cauſis, ſi in corpore praui humores cumulentur, vt docet Galenus, 2. *de differ. febr. c.* 3. ſi nulla adſit in viſceribus obſtructio, pori quoque cutis pateant, tum febris quidem non ſequetur, ſanitas tamen erit inſtabilis, inconſtans & lubrica: Facilè enim fieri poteſt, vt aut pori cutis claudantur, aut viſcera obſtruantur. Nam tum mox humores putredinem concipient, & febres accendentur.

Atque hinc cauſam reddere difficile non eſt, cur aliqui, ſi non bene coquant, cruditatem patiantur, & humores prauos generent, mox febribus corripiantur, alij non. Nam alij prauos humores habent antea in corpore, aut tranſpirationem non expeditam, corpúſque ipſorum non ſatis diſflatur & ventilatur, aut intempeſtiuè laborant, aut temerè balneis vtuntur, aut in calido & æſtuante aëre verſantur, aut ira corripiuntur, aut cibo & potu nimio ſeſe repleat. In his igitur febres accendi mirum non eſt, nam iis quibus diximus modis, praui humores in totum corpus trahuntur, vnde facilè obſtructiones & viſcerum & pororum cutis, atque hinc febres oriri poſſunt. Alij autem, humores bonos habent in venis, corpúſque ipſorum liberè ventilatur, non immodicè mouentur, atque hac ratione humores vitioſi in totum corpus non trahuntur, ſed ſolùm in ventre retinentur, atque inibi in quiete à calore naturali vincuntur; vnde non ita facilè tales febri corripiuntur.

Cauſæ calefacientes.

Secundò & alia, quæ in humoribus calorem præternaturalem accendere, calorémque natiuum euocare poſſunt, putredinem excitare valent: in quo genere eſt febris Ephemera. Nam ex Ephemeris putridas interdum fieri, ſuprà diximus, dum calor ille præternaturalis ſpirituum in Ephemera, humores accendit, & ita putredinem in iis concitat: quod potiſſimùm fit in calidis & humidis naturis, ac iis quibus humores iam apti & diſpoſiti ſunt ad putredinem. Tunc enim igneus ille & alienus calor in ſpiritibus hærens etiam humoribus communicatur, calorémque innatum euocat, & humidum in vapores attollit, ac diſſoluit: atque ita putredinis cauſa eſt.

Et quod febrilis calor in Ephemera præſtare poteſt, idem etiam calor febrilis à rebus non naturalibus externiſque profectus, efficere valet. Quales ſunt nimia caliditas aëris, calidum balneum, vehemens exercitatio, animi motus nimij, atque aliæ ſimiles cauſæ, quæ licèt primò ſpiritus, propter eorum ad incaleſcendum promptitudinem, calefaciunt: fieri tamen poteſt, vt vel ſtatim, vel paulò pòſt humorum quoque calor intendatur, & præternaturalis fiat, ita vt etiam ſine præcedente febre Ephemera, putrida febris oriri poſſit.

Putridarum rerum occurſus & vicinia.

Tandem etiam putridarum rerum occurſus putredinis humorum cauſa eſt, cùm id, quod à putrido tangitur, ipſum etiam putreſcat, réſque putridæ occurrentes corpus noſtrum inficiant ac inquinent, quod ſolet contingere in primis ex aëris putridi, & vaporibus putridis repleti inſpiratione; tum conuerſatione cum iis, qui putredine contagioſâ infecti ſunt, id quod malignis febribus accidere ſolet.

Verùm hîc & hoc obſeruandum, has cauſas præcipuè in prima febris inuaſione locum habere, & ita etiam ad continuas producendas ſufficere: In intermittentibus tamen & periodicis febribus, cùm paroxyſmo vno finito multi adhuc redeant, continuata putredinis cauſa inquirenda eſt.

Vbi quidem nonnulli ſtatim ad obſtructionem, quæ tamen ſæpe nulla eſt, recurrunt, vt dictum, & poſtea etiam dicetur. Si verò rem diligentiùs perpendamus, ex cauſis propoſitis duæ in primis locum habent, nimirum partium coctioni deſtinatarum aliquod vitium, ob quod praui humores generantur, qui poſtea facilè putredinẽ concipiunt, & putridæ rei contactus ſeu *ὑπόλειμμα* aliquod, quod poſt paroxyſmum relinquitur, quod humores, quaſi fermentum, corrumpit. Quas cauſas & Galen. 2. *de diff. febr. c. vlt.* propoſuit, vbi inter cætera hæc habet: *Neque exiſtimes in exterioribus iſtis vaſis, in quibus elixatum obſonium vel roſumfactum eſt, quandam relinqui diſpoſitionem, nullam verò in partibus, in quibus humores putruerint.*

Febris putridæ definitio.

Atque ex his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, *Febris putrida* definiri poteſt: quòd ſit, *Intemperies calida totius corporis, quæ à putredine humorum ortum habet & fouetur.* ſeu, *febris à vaporibus calidis à putredine humorum excitatis, & cor præter naturam calefacientibus ortum habens.*

CAPVT II.

De Febrium putridarum differentiis.

Differentiæ febrium putridarum plurimæ quidem paſſim ab Authoribus recenſentur; quæ tamen maioris momenti ſunt, & ad curationem in primis vtiles, à materia putreſcente, & loco in quo putreſcit, petuntur. Primò putreſcunt vel ipſæ corporis partes ſolidæ, vel humores, vel etiam ipſi ſpiritus, de quo tamen controuertitur, vt ſuo loco dicetur. Deinde conſideratur in humoribus & putredine modus & qualitas putredinis. Aliàs enim ſimplex putredo in humoribus adeſt, quæ etiam nullos alios affectus, quam qui putredinem propriè & ſimpliciter ſequi ſolent, edit: taléſque febres, quæ inde excitantur, ſimpliciter & ſine aliqua adiectione, continuæ vel intermittentes, huius vel illius generis nominantur. Aliàs verò tum putredine, aliqua maligna & venenata qualitas, ac contagioſum quiddam coniungitur, vnde febres malignæ, peſtilentes, & contagioſæ oriuntur & nominantur.

Tertiò ipſa humorum natura conſideratur: concipere enim putredinem poſſunt omnes humores, tum naturales, tum præternaturales. Nam licèt & ante Galeni tempora, nonnullorum fuerit opinio, quam noſtro tempore reuocarunt Ioubertus & Simonius, omnes febres humorales ex bile flaua oriri: tamen rectè illi refutantur à Galeno 2. *de diff. febr. c.* 1. Et certè rationi atque experientiæ eſt contrarium, nullas febres ex pituita, vel melancholia oriri, ſed omnes quotidianas & quartanas, ex flaua bile progigni.

Nam quæ per vomitum, aluum, ſudores excernuntur in febribus, maximè variant: ſemper tamen humorem ſuo febrium generi peculiarem & proprium atteſtantur, & bilioſa in bilioſis, pituitoſa in pituitoſis, melancholica in quartanis excernuntur. Neque etiam alia quæ antecedunt, aut ſimul adſunt, in quotidianis & quartanis febribus, bilioſi humoribus notas exhibent. Generatur enim bilis flaua à cauſis calidis & ſiccis; temperamento calido & ſicco, in iuuentute & ætatis vigore, tempore æſtatis, aëre & regione calida, vitæ genere laboribus dedito, vigiliis, irâ, cibo & potu parco, calido, ſicco, aut medicamentis calidis & ſiccis. Hæc omnia, inquam, bilem flauam gignunt. Quotidianæ autem contrario modo generantur, à cauſis pituitam cumulantibus, nimirum in corporibus frigidi & humidi temperamenti, tempore hyberno, aëris conſtitutione frigida & humida, pueritia, ſenectute, vita otioſa, ebrioſa, ſedentaria, ſomno multo. Ita & quartana à cauſis contrariis, & melancholiam generantibus & augentibus oritur, nimirum temperamento frigido & ſicco, ætate declinante, vitæ genere triſti, ſollicito, ſolitario, cibo & potu craſſo, tempore autumnali. Denique & alia quædam, quæ febribus adſunt, rigor, pulſus, vrina, & ſimilia, diuerſitatem humorum in diuerſis febribus arguunt, vt ex ſpeciali de ſingulis febribus doctrina manifeſtum euadet.

Qui humores febrem generent.

Verumtamen hæc, quæ de differentiis febrium ſecundùm humores dicta, rectè accipienda ſunt. Nimirum iſta, quæ iam de humoribus tradita ſunt, maximã partem de præternaturalibus excrementitiis humoribus, non de humoribus alimentariis, vel naturalibus excremẽtis accipienda ſunt. Alimentares enim omnes humores ſunt ſanguis, vt ſæpius, & præcipuè *Inſtit. l.* 2. *c.* 9. dictum. Et quãuis ſanguis bilioſus faciliùs in bilem abeat, tamen quatenus talis, febrem non generat: ſuntque multi tẽperamento bilioſo, ſeu qui ſanguinem calidiorem & ſicciorem habent, qui diu febre non laborarunt: ita alij ſanguinẽ melancholicum

Digitized by Google

Causa efficiens febrium putridarum.

licum habeat, qui nondum quartanam experti sunt. Sed vt febris actu in corpore producatur, causa accedat necesse est, ob quam humores a statu naturali recedant, & in præternaturales degenerent, aut vt ea alimento assumto tales, seu alimenti, seu partis concoquentis vitio generentur. Atque ad febrem generandam sufficit, si in partem aliquam vitiosa constitutio humores prauos generans, bonósque corrumpens, inducta sit; aut inquinamentum, vel causa humores corrumpens in corpus inciderit. Habet enim postea talis vitiosa dispositio, seu *μίασμα* tale, se instar fermenti, & subinde plures vitiosos humores generat, bonósque corrumpit, sicut a parua fermenti quantitate totam massam alterari videmus. Ideóque non necessarium est, vt humores, qui in febribus inueniuntur, & in intermittentibus, singulis paroxysmis euacuantur, ante febres adfuerint; aut vt ad diuersas febres generandas in toto corpore diuersi humores adsint: Sed humores illi, qui singulis paroxysmis euacuantur, illo ipso tempore, quod hunc & antecedentem paroxysmum intercedit, maximâ ex parte generati sunt. Et illa, quæ de causis varios in diuersis febribus humores generantibus dicta sunt, potiùs de generatione humorum excrementitiorum præternaturalium, & fermenti illius putredinalis, vt sic dicam, & dispositionis, vitiosæ humores præternaturales generantis accipienda sunt, quàm de generatione humorum illorum naturalium.

An ad diuersas febres diuersi humores & corporis constitutio requiratur.

Quanquam enim non negemus, alios humores, aliámque corporis constitutionem ad alias atque alias febres procliuiores aptioresque esse: non tamen necessarium est, vt qui diuersis febribus laborant, semper diuerso temperamento præditi sint: cùm idem humor diuersis modis ad diuersas febres inducendas corrumpi possit. Videmus enim diuersos homines temperamento, sexu, ætate differentes, ab eadem febre, præsertim si epidemia & contagiosa sit, corripi, & a quartanis, quæ ante annos tres & quatuor hîc & in aliis locis epidemiæ erant, corripiebantur non solùm melancholici, sed & biliosi, pituitosi, sanguinei, non solùm viri & senes, sed & iuuenes, imò infantes via nati.

Atque idem non solùm cibi testantur, qui iidem in diuersis ventriculis, & bilescere & acescere possunt; sed & res aliæ multæ. Idem mel & acescit & amarescit. In eandem farinam aliam dispositionem & mutationem inducunt fæces cereuisiæ; aliam fermentum acidum. Et hoc sensu si accipiatur illorum sententia, qui febres earúmque periodos secundùm humores differre negant, & quamlibet febrem ac febris periodum à quolibet humore prouenire posse statuunt: non video, cur reiicienda sit. Et proinde magis causa humores corrumpens, aut præternaturales humores generans, quàm ipsa naturalis constitutio attendenda: cùm causam, quem humorem illum Quartanæ authorem producat, etiam in corpus sanguineum, vel biliosum incidere posse, ipsa experientia testetur. Quanquam non negamus, si illud inquinamentum humores corrumpens in corpus introductum sit, sedémque alicubi fixerit, aliquam in symptomatibus apparere diuersitatem, secundùm corporis constitutiones naturales & temperamenta varias; vt quamuis Quartana laboret melancholicus, biliosus, sanguineus, tamen symptomata non parum varient secundùm varia hæc corporis temperamenta.

Quæ in putredine consideranda.

Ideóque duo in putredine attendenda, terminus à quo, & præcipuè terminus ad quem; & cùm humores qui corrumpuntur, tùm id quod corruptione & putredine generatur, perpendendum, neque in solâ putredine acquiescendum, sed cùm vnius corruptio sit alterius generatio, finis putredinis addendus, generatio scilicet ad quam corruptio tendit. Quâ in re magna apparet diuersitas: variátque non solùm pro diuersitate rei corruptibilis, verùm etiam pro diuersitate corrumpentium, vt in contagio & venenorum differentiis videre est, cùm omne agens sibi patiens, quantum potest, simile reddere laboret. Alia enim fit corruptio humorum à contagio pestilenti, alia ex contagio in variolis, alia in lue venerea: aliterque humores corrumpuntur ex morsu serpentis, aliter ex aliorum venenis. Patétque idem in aliis rebus. Sint, ex. gr. tria cadauera, bouis, suis & caneri, atque ab eodem aëre calido corrumpantur: putredinis triplex differentia ratione subiectorum corruptibilium apparebit, & vt species viuorum corporum differebant, ita & mortuorum putredo. Sint rursus vnius speciei, ex. gr. bouis, tria cadauera, quæ in tribus locis putrescant, vnum in aëre, alterum in aqua; tertium in terra defossum: & maxima apparebit putredinis differentia. Patet ista mutatio & in aliis rebus naturalibus omnibus. Ex. gr. Idem vinum variis modis corrumpi & degenerare potest, alia est mutatio, cùm acescit, & spiritus *φλογιστὸς* mutatur in acetū *ἀφλόγιστον*, alia cùm in vappam mutatur, alia quando lentum & pendulum fit, aut feruere incipit. Terminus ergo putredinis, præter conuersionem & degenerationem caloris natiui in igneum notandus, quod ad curationem instituendam non parum facit. Ita in fluxibus pestilentialibus, quique interdum in febribus malignis accidunt, salsos humores crescere, symptomata indicant.

Humorum differentia.

Atque omnino hîc opera danda, ne res diuersæ planè confundantur, humorésque, qui totâ naturâ discrepant, ad idem genus referantur, seu potiùs confundantur. Quâ in re omnino aliquid in vulgari doctrina desiderari videtur. Vnum enim nomen vulgò pluribus humoribus, quorum essentia est diuersissima, tribuitur. Phlegmatis nomen tribuitur humori frigido & humido: eodem tamen humor salsus, calidus & siccus appellatur. Ita bilis nomen diuersissimis humoribus inditur, vidique ego & obseruauerunt alij Medici, flauos & planè croceos humores vomitu reiectos fuisse, non amaros, sed potiùs lactis, aut seri lactis, imò glycyrrhizæ dulcedinem æmulantes, vt ægri affirmarunt. Ita sub melancholiæ nomine comprehenditur humor frigidus & siccus, deinde atra bilis, humor calidus & siccus erodendi vi præditus, cùm tamen effectus testentur, humorem cancri causam & authorem, à fece illa sanguinis insipida non minùs differre, quàm bilis in vesicula fellis a pituita insipida.

Humores naturales.

Ideóque omnino hic in conspectu habenda est humorum excrementitiorum in naturales & præternaturales distinctio. Naturales sunt illa excrementa, quæ in quouis homine optimè sano generantur, qualis est bilis flaua, fex illa sanguinis, quæ melancholia propriè vocatur, vrina. Præternaturales sunt, qui præter naturam ex cibis, vel reliquis humoribus corruptis generantur, & in nullo homine exactè sano reperiri debent. Illi sunt mixta & composita corpora homini, vel animato propria, quæ meritò etiam suis nominibus simpliciter nominanda; sicut & sanguis suo nomine appellatur: quæ cùm reiiciunt Chymici, meritò reprehendendi. Et perinde faciunt, ac qui lixiuium eiusdem cum vrina aliqua saporis, vrinam appellare velit. Aliud enim est liquor, aliud sal in liquore.

Humores præternaturales.

Humores verò præternaturales non absurdè nominibus à principiis Chymicis petitis nominari posse videntur. Quamuis enim humores illi excrementitij non merus Sal, vel sulphur sint: tamen corruptio eò tendit; & in alio morbo humores amari, in alio acidi augentur, atque in eos reliqui degenerant; quem excessum Hippocrates *τῶν χυμῶν ἀκρότητας* appellat. Atque ita & in febribus sese res habet; quæ potiùs à præternaturalibus, quàm naturalibus excrementitiis ortum habent. Aut si etiam naturales, seu præternaturales, seu excrementitij febribus materiam suppeditant, putredine tamen corrumpuntur, & aliam naturam induunt.

Humorum differentia vnde petenda.

Ideóque commodissimè hic facerent Medici, si Hippocratem, *in lib. de prisc. medic.* imitati, diuersos humores diuersis & suis nominibus indigitarent, atque alios insipidos, alios salsos, alios amaros, alios acidos, alios dulces, alios acerbos, aliisque nominibus distinctè nominarent, & singulos ad sua principia reducerent potiùs, quàm vt tot diuersis rebus & totâ essentiâ differentibus idem nomen attribuerent. Ita enim cùm alij morbi, tum febres in primis ad suas species & causas reducerent, & generationis modo cognito, causis singulos humores generantibus obuiam iri posset. Quâ in re vtilem Chymia operam præstare potest, quæ inuestigare docet, quodnam primum amari, quod acidi, quod aliorum saporum subiectum sit. Ex quâ, reuocatis ad sua atque ea certa & definita principia, singulis causis, plus commodi percipiet Medicus, quàm ex Sanctor. Sanctorij phantasiâ & inanibus speculationibus, qui *lib. 7. meth. vitand. errorum in Medicina, c. 9.* 80084. humorum mixturas possibiles constituit. Quo ipso an non artem medicam incertam & obtrectatoribus deridendam exposuerit, penes prudentes Medicos esto iudicium.

Primaria febrium putridarum causa.

Cùm autem illa diuersitas humorum, quæ in febribus diuersis apparet, & humorum, qui in corporibus aliàs naturali constitutione & temperamento non parum differentibus idem reperiuntur, generatio, à causa præternaturali seu *διάθεσιν* illâ vitiosâ, quæ febriles istos præternaturales humores generat, aliósque humores in sui generis vitiosum corrumpit, pendeat in qualibet febre ea præternaturalis *διάθεσις* attendenda, cùm tota ferè curationis ratio in huius dispositionis ablatione consistat, ac hac perseuerante vndique humores generante, febris non cesset, & frustra purgationes instituantur, ægrique purgationibus, quod multi faciunt, macerentur, nisi hæc dispositio sublata sit, semperque præstet, vitiosos humores non generari, quàm genitos euacuari. Habet autem ista dispositio sese instar fermenti, quod totam massam feruere facit, alteratque & mutat. Atque ea in plurimis morbis apparet. Vt iam de venenis non dicam, quorum minima quædam portio insignem peculiariter humores corrumpendi vim habet, vt à serpentibus quibusdam demorsi subitò icterici fiant, humoribus in flauum huiusmodi humorem à veneno hoc corruptis: In Cholera & Ileo tanta sæpe humoris flaui copia vomitu reiicitur, vt credibile non sit, tantam in corpore latuisse, sed hoc potiùs probabile est, non solùm cibum & potum assumtum, sed & humores in eiusmodi humorem corrumpi. Decuplo enim plus sæpe vomitu reiicitur, quàm cibi potúsque assumtum sit. Videmúsque etiam in aliis partibus omnibus, si non rectè sese habeant, alimentum quod attrahunt, non sibi rectè assimilare, sed in vitiosum mutare, sicut id in vulneribus manifestum est.

Tertianæ & Quartanæ causa.

Quænam autem illa dispositio sit, & quâ in parte hæreat, explicare non facile est. Obstructiones à multis hic frustra accusari suprà dictum. Vero non dissentaneum videtur, in quotidiana, in ventriculo, in tertiana, in hepate & mesaraicis ac hepati vicinis locis, in quartana, in liene & vicinis locis causam consistere. Et quidem in quotidiana pituitā, in tertiana bilem, in quartana melancholiā generari; atque in tertiana amaros, in quartana acidos humores & multiplicari & augeri: Sicut antea dictū mel & amarescere & acescere posse: qui sapores, vt ad Chymicorū principia hæc applicemus, in salibus, quibus primò insunt, quæri debent. Etsi enim in vtraque febre calor natiuus in igneum degenerat: tamen per putredinem & fermentationem quasi aliud augetur in tertianis, amarus scilicet humor, sali sui generis respondens; in quartanis acetosus, vitriolo analogus. Atque ægri in tertia-

nis amarorem, in quartanis aciditatem percipiunt, & in ipso Quartanariorum sudore aciditas animaduertitur.

Quanquam vero hepar tertianæ, lienem Quartanæ fontem esse credibile est: tamen ventriculus nunquam, aut raro immunis est, sed & ipse, partim à calore febrili, partim ab affluentibus è reliquis visceribus humoribus vitiosis debilitatur, atque hinc malè coquit, & cibum corrumpit, & vitiosos humores suppeditat, qui postea ad febrium scaturiginem delati, febri materiam vberem suppeditant, vnde non raro febris prolongatur. Atque ita morbus cum suis causis in circulum redit, & qui à morbo producti fuere humores vitiosi, rursum morbum augent. Et hinc causam reddere non est difficile, cur nonnulli ad consuetum cibum reuersi, aut cibum, quem auidè experiuntur, nacti, febre liberentur. Fit enim hoc ea in primis de causâ, quod in ventriculo coctio rectiùs perficitur, & minus materiæ febri suppeditatur. Hinc etiam accidit, vt vulgus nonnunquam spiritu vini cum semine carui, vel aromatibus sumto febres depellat. Quanquam enim & sudores talia ciere, humoresque vitiosos dissipare possint: tamen & ventriculus hoc modo roboratur, vitiosique humores in eo absumuntur. Verùm plura hac de re infra de febrium intermittentium differentiis dicentur.

Quartò, Locus, in quo putrescunt humores non semper idem est. Aliquando enim putrescunt humores intra vasa, id est, intra sanguinis perfecti receptacula, venas & arterias, aliquando extra vasa eadem in venis mesaraicis, & aliis locis putredinem concipiunt. Quæ intra vasa fit putredo, vel æqualiter est in omnibus vasis, aut certè maximis, qualia sunt inter alas & inguina, vel est in aliqua parte priuata, venisque, quæ alicui determinato membro peculiares sunt, id quod in pleuritide, angina, peripneumonia, & similibus inflammationibus accidit.

Febrium differentia.

Ex his, febrium differentias commodissimè hoc modo elici posse existimamus.

Primò Febres aliæ sunt simpliciter putridæ, sine vlla malignitate & contagio: aliæ verò malignæ, pestilentes, & contagiosæ.

Febres continua.

Deinde febris aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes: cuius differentiæ causa hæc est. Vapor ille putridus, qui continua febrium putridarum causa est, seu calor ille præter naturam, qui à putrescentibus humoribus oritur, vel continuò cor affligit, caloremque continuum in eo excitat, vnde etiam febrilis calor in vniuersum corpus continuò diffunditur: vel per interualla quædam. Vtriusque rursum multæ sunt differentiæ, quæ, etsi sine aliquarum quæstionum & controuersiarum discussione perfectè intelligi non possint: tamen vt tota febrium putridarum, & sequentis tractationis σύνοψις quasi ante oculos ponatur, omnes illas hic subiungere, & postea suo loco de singularum causis ἀκριβέστερον disquirere placet.

Febres continuæ sunt duplices.

Continuæ sunt duplices. Vel enim putredo in vasis communibus, & extra partes priuatas accenditur, vnde febres oriuntur putridæ continuæ primariæ: Vel è peculiaris alicuius partis inflammatione putredo oritur, è qua ob continuationem vasorum vapor putridus continuò cordi communicari potest, vnde febres Symptomaticæ dictæ ortum habent, quales in pleuritide, angina, peripneumonia, phrenitide, & similibus inflammationibus conspiciuntur.

Febres symptomatica.

Continua primaria.

Continuæ primariæ iterum sunt duplices. Aliæ enim nullam accessionem, vel augmentum, nullamque remissionem habent, sed continuò à principio vsque ad finem sine omni remissione aut exacerbatione durant, quas πυρετοὺς συνόχους febres continentes nominant: Aliæ verò sunt, quæ quidem nunquam intermittunt planè, aliquam tamen interdum remissionem, & iterum incrementum aliquod caloris obtinent, quæ συνεχεῖς & continuæ, nomine generis, appellantur. Quæ rursum ex remissionis & accessionis diuersitate, in tres species diuiduntur, atque aliæ appellantur tertianæ continuæ, quæ scilicet tertio quoque die quoddam caloris incrementum & intensionem habent: aliæ quotidianæ continuæ, quibus singulis; aliæ quartanæ continuæ, quibus quarto quoque die idem accidit.

Intermittentium similiter sunt plures differentiæ; Aliæ enim tertio quolibet die redeunt, & appellantur tertianæ: aliæ singulis, & nominantur quotidianæ, aliæ quarto quoque, & vocantur quartanæ.

Atque hæ omnes simplicium sunt febrium differentiæ: Quæ vario modo inter se possunt componi, vnde compositæ febres oriuntur, de quibus suo loco dicetur.

Verùm antequam in specie de singulis hisce differentiis earúmque causis agamus, de signis febrium putridarum in genere aliquid dicendum est.

CAPVT III.

Signa febriũ putridarum.

De Signis febrium Putridarum in genere.

1. Calor febriũ putridarum qualis.

PRimum signum, quo febres putridæ ab aliis febribus discernuntur, a qualitate ipsius caloris febrilis sumitur. Febrium enim putridarum calor mordacior est & acrior, quàm aliarum febrium, tactúmque ita ferè afficit, sicut fumus oculos, aut res acris nares: & quidem in primis in statu, & augmento, in quibus febrium putridarum temporibus hoc signum ferè pro proprio & inseparabili haberi potest. In principiis verò accessionum & paroxysmorum calor non mox sese acris tactui offert, sed diutius manum immorari oportet, vt sentiatur calor, velut ex profundo emergens. Quoniam in principio accessionis, dum accenduntur excrementa, calor quasi suffocatur, nec statim liberè foras erumpere potest. Causa autem caloris acrior in putridis, est fuliginosum quoddam excrementum acre & mordax, è putrefactis humoribus elatum. Hoc enim cùm tenuior humoris putrescentis pars sit, etiam conditionem illius monstrat.

Hoc loco monet Argenterius, *lib. de febribus*, cùm in ephemera ex inedia aut vigilia, quibus corpus exsiccatur, probabile sit, calorem magis esse mordacem, quàm in pituitosâ putrida: signum hoc tantùm esse verum, si vniuersum genus putridarum aliis generibus febrium comparetur, etsi in aliis generibus quædam reperiri possint, in quibus calor acrior sit, quàm in quibusdam putridis. Verùm enimuerò nisi quælibet febris putrida, per hoc signum à qualibet febre ephemera vel hectica distinguatur, vix pro certo signo illud habendum; cùm tamen Galenus id appellet maximum. Ergo sciendum, vix calorem in ephemeris vel hecticis posse esse tam acrem, in quibus à spirituum substantiæ tenuioris incendio, vel sine vlla causa continente, ex sola alteratione partium calor accenditur, quàm vbi ex humoribus putridis vapores ad ambitum corporis effunduntur. Et licèt humor aliquis sit frigidus, cum aliis comparatus: tamen vbi putrescit, ex putredine calidior eius pars erumpit, quæ calorem tam acrem in cute excitat, qualis in nulla ephemera animaduertitur.

2. Causa febriũ putridarum quales.

Secundum signum, quod à causis petitur, est, quòd febres putridæ incipiunt sine causis procatarcticis. Quod signum est proprium, sed non inseparabile. Proprium quidem est: nam quotiescunque aliqua febris absque causa procatarctica & euidente incipit, hinc rectè colligere licet, esse febrem putridam: cùm ephemeræ omnes à procatarcticis causis incipiant: hecticæ verò cùm absque causa procatarctica incipiunt, putridam febrem sequuntur; aliàs à procatarctica ortum habent. Inseparabile verò non est: quoniam aliquando corpus ita est ad putredinem dispositum, vt accedente leui aliqua occasione, & causâ externâ humores putredinem concipiant, & homo in febrem putridam prolabatur. Postquam enim causa procatarctica spiritus inflammauit, calor ille humoribus communicatur, & putredo excitatur; vnde diariæ in putridas mutantur, aut etiam statim cum incendio spirituum putredo excitatur. Aliàs, & nisi corpus sit ad putredinem dispositum, magnam vim causæ externæ esse oportet, quæ putredinem gignere debet. Calor enim, qui putredinem excitare debet, maior sit oportet, & à vehementioribus causis excitatus.

3. Vrina febriũ putridarum quales.

Tertium signum ex vrinis sumitur. Vrinæ enim in febribus putridis initio aut crudæ sunt, aut certè obscuras coctionis notas exhibent; nisi ex ephemeris in putridas fiat transitus. Tunc enim vrinæ quæ primùm apparent, coctæ sunt; quoniam separatio fit ab humore concocto & leuiter alterato. Atque hoc signum si diuisim accipiatur, quælibet pars signum proprium, non tamen inseparabile exhibet. Proprium quidem signum est; quoniam tantùm putridis febribus competit, habere vrinas crudas, vt & obscurè coctas. In ephemeris verò quoniam spiritus in primis afficiuntur, humores verò leuiter incaluerunt, & parum adeò à naturali statu recesserunt, cocta apparet in iis vrina: sicut & in hecticis, in quibus calor exiguus est, nec corruptio in humoribus. Neutrum autem horum signorum est inseparabile. Non enim competit omnibus febribus putridis, habere crudas vrinas, neque etiam omnibus, habere vrinas inconcoctas; sed in quibusdam sunt crudæ, in quibusdam parum coctæ. Si autem coniunctim sumantur hæc signa, inseparabile signum constituunt. Etenim nulla datur febris putrida, in qua non in principio appareat vrina cruda, aut obscurè cocta: & nisi in principio alicuius febris vrina cruda, vel parum cocta sit, licet inde concludere, non esse putridam.

4. Pulsus febrium putridarum quales.

Quartum, Pulsus etiam febres putridas à reliquis secernit. Nam si pulsus accidat compressio, seu contractio, & incipiente paroxysmo pulsus fiant parui & inæquales: febris putridæ Indicium est. Quod signum est proprium, sed non inseparabile. Inæquales autem fiunt pulsus inæqualitate systematicâ, quando nimirum vna pulsatio est maior alterâ; quod accidit, tum ob facultatem grauatam, & oppressum calorem natiuum, tum ob viscerum obstructiones & confluxum humorum versus interiora. Non autem inseparabile est hoc signum; cùm non in omnibus febribus putridis hoc accidat. Deinde in putridis systole est velocior, quàm diastole. Fuliginosa enim excrementa multa sunt, quæ expulsionem requirunt, & magis fuliginosorum excrementorum expulsio vrget, quam refrigeratio: & nulla est febris, in qua fuliginosa excrementa plus abundent, quàm in putrida. Et quidem id euidentiùs apparet in augmento, licèt etiam minimè obscurum sit in vigore, & initio accessionum. Nam in principio putridi illi vapores nondum copiosè attolluntur: in statu verò etsi adsit copia talium fuliginum; atque etiam contractio fit velox: tamen

men quia calor etiam tum valde intensus est, diastole quoque est velox, & ita systole non multum diastolen superat.

Quintum signum putridæ febris est, cum rigore incipere; si nimirum non rigos & causa euidens præcesserit: quod signum etiam proprium est, sed non inseparabile. Proprium est, cùm neque diariis, neque hecticis competat cum rigore incipere. Nam cùm rigor ortum habeat à motu materiæ acris & mordacis per partes sentientes: neque in ephemeris, neque in hecticis id accidit: nisi forsan in ephemeris refrigeratio nimia, quod in iis, qui per niuem iter fecerunt, accidit, aut similis causa præcesserit. Non tam est inseparabile hoc signum cùm non omnes putridæ cum rigore incipiant; quod in Synochis putridis euenire solet.

Sextum signum putridæ febris est ἐπιπαροξύνεσθαι, id est, aliquas inuasiones & insultus habere, ac per accessiones repetere. Signum hoc etiam est proprium: Nam nulla alia febris reditus neque accessiones habet. Non tamen inseparabile est hoc signũ, neque omnibus febribus putridis competit, vt suo loco dicetur.

Tandem etiam ex aliis signis febris putrida ab aliis discernitur. Nam si aliquod symptoma adsit, quod speciei alicui febrium putridarum proprium est, tunc & febris putrida in genere, & etiam species eius significatur. Exempli gr. Si calor vrens, sitis magna & intolerabilis adsit: non solùm febris putrida in genere, sed & species eius, scilicet febris ardens, significatur. Ita si lingua arida, vel nigra sit delirium, aut simile quid adsit: febris putridæ indicium est. Et talia signa putridæ febris in genere signa sunt propria, sed non inseparabilia; speciei autem propria & inseparabilia, cùm non omni putridæ competant, sed certæ eius speciei.

Febris putridæ cognitio.

Vt verò hæc omnia in summam quasi colligamus: Si Medicus ad febricitantem vocatus fuerit, primò sciscitari poterit, an febris cum rigore inuaserit. Nam si cum rigore inceperit, signum est febris putridæ, modò non ab externo frigore, aut destillatione rigor ortum habeat. Deinde etiam videndum, quid post insultum febris acciderit, an vomitus, an simile aliquid, quod febrem humoralem & putridam arguit. Præterea attendendum, vbi febris desinit, quomodo desinat, an cum sudore, vel alia excretione, & an finito paroxysmo æger ab omni febrili accidente liber sit. Quæret etiam ex ægro; an præcesserit aliqua causa externa vel euidens. Nam si nihil tale præcesserit, iam suspicio de febre putrida est; magis confirmabitur, si æger ad febrem putridam fuerit dispositus, ob plenitudinem aut cacochymiam, somnúmque habuerit præter solitum longiorem, aut profundiorem, capitis aut totius corporis grauitatem senserit, hypochondria tensa habuerit, deiectámque appetentiam, vel alia symptomata, quæ prauitatem aut copiam humorum in corpore arguunt; si item ita vita anteacta & diæta præcedens talis fuerit quæ malos humores cumulare, corpúsque ad putredinem disponere potuerit: si alia quoque signa, quæ ex colore corporis & aliunde petuntur, adsint, quæ in corpore malos humores abundare arguunt. Hinc Medicus pulsum tanget; quem si compressum, inæqualem, aut velociorem in systole, quàm diastole reperiat, aut duriorem, modò non de hectica sit suspicio; indicio est, febrem adesse putridam. Quod manifestius fiet ex caloris qualitate: si scil. acrior & mordacior sit, quàm in reliquis febribus esse solet. Tandem & vrinam spectabit Medicus, & an cruda sit vel parum cocta, vel integras coctionis notas exhibeat, videbit; ex quo de febris genere facilè eruditi poterit. Vbi de febris genere erit certior, postea etiam de specie cognoscenda erit sollicitus; id quod ex peculiaribus cuiusuis febris signis & natura discet: de quo suo loco.

CAPVT IV.

De Curatione febrium putridarum in genere.

Indicationes in febre putrida.

FEbres putridæ inter reliquas frequentissimæ sunt; nec periculo omnes vacant: ac propterea maxime necessarium est, eas curandi methodum Medico esse notissimam. Cùm verò putridæ febres ex eorum morborum genere sint, quæ cum suis causis coniunguntur: facilè hinc patet, omne indicationum genus in putridis febribus locum habere; vitalem scilicet, præseruatoriam ac curatoriam. Et propterea febris putrida, vt morbi fientes & cum sua causa complicati, minus simplicem, sed mixtam, magis operosam ac difficilem curationem requirit, & aliud προφυλακτικῶς, aliud θεραπείας gratia est faciendum, & omnes indicationes tum curatoriæ, tum præseruatoriæ diligenter sunt perpendendæ: quando, vt Galenus, 11. *meth. med. cap. 2.* scribit, si vel vnam earum prætereat Medicus ad portionem tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit. Cùm verò, vt Galenus, 11. *meth. med. cap. 1.* & 10. scribit, vt præsidia morbo cum causa sua complicato accommodata inueniantur, per ἀνάλυσιν causarum indicationes quærendæ sint, & duo omnino agenda; Primò, sumto initio ab ipso præter naturam, omnes causæ, continuo, quo sese consequuntur, ordine inuestigandæ sint: postea verò ab eo, quod in resolutione causarum vltimum est, in curatione ac remedio- rum inuestigatione inchoandum: etiam nobis in putridarum febrium curatione faciendum, & proinde omnis series causarum febris putridæ breuiter repetenda & ob oculos ponenda, vt postea singulis propriam ac conuenientem contrarietatis rationem opponamus.

Febris putrida, quia est calida intemperies ex vaporibus putridis cordi communicatis, & hinc in totum corpus dispersis orta, quatenus talis, duo indicat. Primò, quatenus intemperies calida, refrigerationem; Secundò, quatenus ille calor à vapore putrido calido, vt causa continente, pendet, eius remotionem postulat. Cæterum quia vapores putridi à materia putrescente dependent, non tolli possunt, sicut nec inde orta intemperies calida, nisi sublata putredine. Putredo tolli non potest, nisi sublata eius causa. Et quidem in putredine duo spectanda sunt: Primum vt pars, quæ corrupta est, tollatur; Deinde vt prohibeatur, ne reliqua putredinem concipiat, atque alij humores porrò non corripiantur; quod fieri non potest, nisi sublatâ causâ putredinis, si illa sit præsens. Putredinis autem causam plerique hoc loco solam transpirationem prohibitam, & quidem ab obstructione, ponunt. Vnde plerique curationis febrium putridarum quatuor scopos esse volunt: Febrem, putredinem, prohibitam transpirationem, & obstructionem. Et verum quidem est, frequentem putredinis causam esse prohibitam transpirationem. Nam cùm ea putrescant, quæ calida & humida sunt, neque perflantur, neque ventilantur; sed in calido & humido loco manent: hinc facilè patet, in animalibus promptam putredinis causam, prohibitam esse transpirationem. Etenim cùm natura ob caloris natiui conseruationem instituerit respirationem, arteriarum pulsum, & totius corporis διαπνοὴν, vt calor ventilari, & halituosa excrementa difflari & dissipari possint; si illa transpiratio impediatur, & calidum effluuium retineatur, natiuum calorem suffocari necesse est. In cuius caloris locum succedit in omnibus rebus humidis quidam calor præternaturalis, quo res tales humidæ corrumpuntur & putredinem concipiunt. Hæc inquam, euidens putredinis causa est, quam idcircò non pauci Medici etiam pro vnica in putridis febribus causa agnoscunt. Verùm enimuerò si rem diligentiùs perpendamus, vnius huius causæ consideratio non sufficit, & in febrium putridarum curatione, sæpe etiam ad alios scopos, quàm solam transpirationem prohibitam, aut obstructionem respiciendum.

Putredo quid indicet.

Ergo ne quid mancum in hac doctrina relinquatur, causas omnes, quas suprà proposuimus, in conspectu habere oportet: vbi diximus, in putredinis generatione in corpore humano, & ipsam materiæ dispositionem, & efficientem causam consideranda esse. Nam primò, si humores internum aliquod vitium, aut quasi ad putredinem propensionem habeant, satis causarum, in quocunque etiam corpore, inueniunt, vt putredinem concipiant. Vitia autem humores ob plures causas concipiunt, vel ex ciborum ipsorum, qui assumuntur, qualitate mala & constitutione, vel ex partium coctioni & gubernationi humorum dicatarum vitio, ob quod etiam humores corrumpuntur & inquinantur. Pertinet huc plenitudo, quæ ad vires appellata. Cùm enim illam natura regere non possit, relicti sibi humores tandem corrumpuntur, & putredinem concipiunt. Pertinent huc omnia etiam ventriculi, hepatis & aliarum partium vitia, ob quæ, etsi libera sit in corpore transpiratio, & humores ad corruptionem procliues sunt, faciliùs putredinem concipiunt, & boni etiam corrumpuntur.

Putredinis causa.

Inter causas efficientes verò, quæ & vitiosis humoribus, vt putredinem faciliùs concipiant, occasionem præbent, & humores etiam bonos corrumpere possunt, est primò, vt dictum, prohibita transpiratio. Hæc rursum suam causam habet meatuum corporis occlusionem. Meatuum occlusio, etsi in partibus internis solùm ab obstructionibus pendeat: tamen in partibus externis fines vasorum non solùm obstrui, verumetiam constringi & condensari possunt. Ergo alia hic indicatio oritur, meatuum nimirum apertio, seu obstructionis, vel constrictionis amotio. Eius rei rursum variæ causæ habentur. Obstructio pendet vel à copia, vel à crassitie & lentore humorum: constrictio & condensatio fit, vel à frigore, aut re aliqua externa astringente, vel à causa valde exsiccante. Atque obstructio, quæ ex copia fit, non semper ortum habet ab humorum in toto corpore abundantium copia, verùm etiam accidere potest, vt in partem vel impellatur, vel attrahatur humor, & vel ob vehemens exercitium & motum, vel balneum, vel iram aut alios animi affectus, vel vini generosi potum, vel diuretica, humores in aliquam partem confertim irruant. Deinde, præter transpirationem prohibitam, & ea quæ calorem naturalem euocare, præternaturalémque excitare possunt, etiam putredinem accendunt, vt sunt febres Ephemeræ, aliæque causæ humoribus calorem præternaturalem inducentes: tandem rerum putridarum occursus huc pertinet, quarum vi partes, & humores putridi bonos humores corrumpunt. Hoc modo videmus in pestilente constitutione, licèt corpus perspirabile sit, contagio veneni seminio humores corrumpi. Hoc modo aliæ febres contagiosæ inducuntur. Hoc modo, seu partes, seu humores in corpore putridi & corrupti, alios etiam bonos humores corrumpere possunt. Vnde Hippoc. 2. *aphor.* 12. Quæ in morbis post crisin relinquuntur, recidiuas facere, scriptum reliquit; & quod in intermittentibus post paroxysmum

mum in corpore remanet inquinamentum, humores alios corrumpendo, noui paroxysmi causa est. Et quod aër pestilens, & venenatum contagium potest, idem etiam putrefacientia medicamenta præstare valent.

Indicationes in febribus putridis.

Ex quibus omnibus cùm satis pateat, plures in febribus putridis causas occurrere, ad plures etiam scopos in curatione respiciendū, & singulæ causæ per sua contraria conuenienti modo amouendæ sunt: atque ita plura sæpe in febribus putridis Medico peragenda sunt: sanguis euacuandus; humores vitiosi expurgandi, materia putrescens & obstruens nonnunquam ventilanda, refrigeranda & exsiccanda, crassa attenuanda, extergenda, præternaturalis humoris generatio, causarum ablatione, impedienda; calefacta & debilitata refrigeranda & roboranda.

Cùm autem omnia simul exequi non liceat, & vt Galenus, 11. *Meth. med. cap.* 16. docet, illud quod in ἀναλύσει causarum vltimo loco inuentum, in curatione primo loco exequendum sit: etiam in curatione cuiuslibet febris putridæ, ab eo inchoandum, quod in ordine causarum vltimum est; verbi gratia, materia quæ obstructionem facit, seu sanguis seu alius humor, euacuetur. Nam cùm febris non possit tolli, manente putredine, illius causâ, neque putredine prohibitâ transpiratione; neque hæc, præsente obstructione vel astrictione, aut cōdensatione meatuum: patet hinc, causas illas prohibitæ transpirationis tollendas esse. Cùm autem obstructio partim facta sit, partim futura: frustra in ea, quæ facta est, tollenda laboratur, nisi ante ea quæ futura est, prohibeatur. Licèt enim eos humores, qui obstructionem faciunt, tollere conetur Medicus, atque etiam obstructionem liberet, tamen frustra laborabit, si alij humores rursum affluant, iterúmque obstructionem faciunt. Itaque res omnis eò redit, vt materia abundans primò tollatur, & obstructionis generatio prohibeatur. Idem etiam in aliis causis agendum.

Scopi in febribus putridis.

Atque vt in summam hæc concludamus: Is rectissimè febres putridas curauerit. 1. qui euidentes causas omnes, si aliquæ quæ morbum augere possunt, præsentes sint, remouerit. 2. Rectam victus rationem morbo isti conuenientem instituerit. 3. Causam antecedentem, & quidquid in corpore est, vel sanguinis superflui, vel vitiosorum humorum, prius, si opus fuerit, ad excretionem præparatam, per conuenientia loca, vel venæsectione, vel medicamento purgante, vel vtroque auxilio euacuauerit. 4. Obstructiones, siquæ adsunt, soluerit, vel quocunque alio modo transpirationem & humorum ventilationem corpori liberam reddiderit. 5. Partium vitiosos humores generantium ac suppeditantium, aut humores acceptos corrumpentium vitia emendauerit. 6. Humores ipsos corruptos atque inemendabiles, siqui supersint, nisi natura id præstiterit, aut præstitura sit, è corpore euacuauerit, aut si corrigi possint, correxerit. 7. Intemperiem corporis & humorum correxerit, putredini restiterit, & partes tandem intemperie & materia febrili debilitatas ad naturalem temperiem reduxerit ac roborarit.

Prognostica febris putridæ.

Prognostica.

Indicantibus & scopis hoc modo propositis, proximum iam est, vt Medicus perpendat, an omnibus hisce indicationibus possit satisfacere: quod colliget ex comparatione febris & causarum eius cum viribus ægrotantis, verbi gratia, si obstructiones sint multæ & pertinaces, putridi humores plurimi, putredo magna, febris vehemens, in primis si sit continua: vires verò ægri sint debiles, ætas puerilis vel senilis, habitus corporis iàm extenuatus: facilè hinc concludere potest Medicus, vel difficulter, vel nullo modo Indicationibus satisfieri posse. Quapropter etsi spes planè abiicienda non sit, neque æger deserendus, & præcipuè in acutis prædictiones incertiores sint, tamen prognostico se munire debet. Si verò contrario modo sese res habeat, salutis spes superest: & præterea de particularibus remediis, quibus scopo cuique satisfaciat, cogitatio suscipienda.

Atque in hac cogitatione vires, febris, & causas febris conferenda sunt. Nam si indicationes ab iis sumtæ inter se conueniant, promptè & sine cunctatione, id quod indicatur, exequi licet, vtpote si coniiciamus, remedia causæ & febri tollendæ necessaria, vires ferre posse, sine mora id expediendum: si verò inter se pugnant, ea indicatio præferenda, cuius maior est dignitas. At maxima dignitas est virium; cùm sine vita nec sani esse possimus. Si ergò, verbi gratiâ, vacuatione sit opus; vires autem extremè imbecillitate laborent: non licet id, quod causa morbi postulat, exequi, donec æger aliquid roboris acquisiuerit, vt sine insigni læsione vacuationem sustinere possit. Ita & causam & morbum inter se conferre oportet. Et licèt putredinis, vtpote quæ febris causa est, prima sit habenda ratio; interim nec febris planè negligenda. Ac si quæ febrem extinguunt & quæ causam tollunt, consentiant; sine mora id, quod vtriusque consensu indicatur, expediendum. Sin verò febris sanatio causam sit auctura; aut quæ causam tollere valent, febrem augere apta nata sint: diligenti circumspectione opus est. Ac tum ad tria capita Medico respiciendum, ac perpendendum. 1. Febris an sola curanda sit, neglectâ causâ. 2. An causa oppugnanda neglecta febre. 3. An magis quidem ad alterum horum attendendum, & alteri medicamenta plura adhibenda, ita tamen, vt alterum planè non negligatur.

Primam quæstionem quod attinet, plerumque quidem neglectâ causâ febrem curare non licèt; cùm si præsidiis, quæ febrem oppugnant, causam verò augent, adhibeantur, hac ratione nec generationem eius inhibere, nec magnitudinem imminuere liceat; & plerumque maior vis causæ sit, quàm morbi. Si tamen aliquando accidat, vt tanta sit febris magnitudo, vt nisi ipsi occurratur, præsentem perniciem afferat: tunc necessarium est, ad febrem primùm respicere, causâ quasi neglectâ: deinde ad causam etiam tollendam accedere. Quam sententiam proposuit Auicennas, *lib. 4. fen. 1. tr. 2. cap. 7. Sciatis*, inquit, *quod febris quandoque est tanta vehementia, vt non liceat vti regimine causa, sed indigeat extrema refrigeratione.*

An febris vel causa potior ratio in curatione habenda.

De secunda verò quæstione distinctio est obseruanda. Nam si intolerabilis ægro sit calor, cauendum, ne per ea, quibus causam tollimus, febris augeatur. Ita enim cum causâ hominem sustulerimus. Quapropter cum aperientia, & alia medicamenta causæ opposita plurima sint calida, ea eligenda, quæ citra insignem calefactionem, quod opus est, præstant: si verò febris adeò remissa sit, vt quo tempore aduersus febrem pugnamus, vires nullam interim iacturam pati possint, licet aduersùs causam solùm pugnare.

Tertius modus tutissimus est, cùm scilicet ad alterum plus curam dirigimus, ita tamen vt alterum non negligamus. Plerumque autem, vt dictum, maior vis causæ est. Itaque hoc semper, & in febribus putridis, & aliis morbis attendendum, vt remedia, quæ morbi gratia adhibentur, causam eius non augeant.

CAPVT V.

De Venæsectione.

An in omni febre putrida vena sit secanda.

SEd cùm de his omnibus in specie agendum sit, à venæsectione initium facere placet. Galenus. 11. *meth. med. cap. 5.* hoc axioma quasi proposuit: *Saluberrimum* inquit, *est in febribus venam incidere, non continentibus modò, verùmetiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat: vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent.* Eiúsque rationem subiungit hoc modo: *Leuata namque, qua corpus nostrum regit, Natura, exoneratáque eo, qua veluti sarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni.* Quam sententiam plurimi fundamenti loco ponentes, in omni omnino febri putrida, si naturæ vires, & ætas id permittant, venam aperiendam censent.

Verùm cùm iidem facilè agnoscant, non in omni putrida febre sanguinem abundare, nec ob sanguinis abundantiam venæsectionem requiri: alij alias causas recensent, cur in febre putrida, in qua nulla est sanguinis abundantia, nihilominus venæsectione opus sit, quas postea recensebimus. Alij contrarium statuunt, & si vel humores biliosi, vel pituitosi, aut serosæ humiditates abundant, venæsectionem non conuenire statuunt, & solùm in febribus cum plenitudine sectione venæ vtendum, in cacochymia verò ab ea abstinendum suadent.

Sanguinis euacuationē quid indicet.

Verùm cùm pluribus hac de re in vtramque partem disputare authores soleant, omnia hoc loco recensere operæpretium non est: ex ipsa potiùs rei natura & fundamentis, quid hac de re sentiendum sit, inquiramus. Atque vt hinc sciamus initium: Sanguinis vitio conuenire sanguinis euacuationem, ipsa indicationis ratio, & lex contrarietatis dictat. Verùm cùm & plura sanguinis vitia esse possint, & plures sanguinem euacuandi modi; possitque sanguis non solùm per venæsectionem, sed etiam cucurbitulas, scarificationes, hirudines, & aliis modis euacuari, non cuilibet sanguinis vitio venæsectio conuenit, sed cùm inter affectus præter naturam & remedia proportio requiratur, venæque sectio, vt & purgatio, magnum remedium sit: non nisi à magno sanguinis vitio venæsectionem indicari, planum est.

Venæsectionē quid indicet.

Cùm autem sanguinis plura sint vitia, possitque is quantitate, qualitate & motu peccare: videndum, cuius ratione in febribus putridis venæsectio conueniat. Primùm quidem si adsit sanguinis abundantia, viresque id ferant: venam aperiendam esse, nullum dubium est. Sed cùm sæpe accidat, vt nulla insignis adsit in eo corpore, quod febre corripitur, sanguinis abundantia, quæritur: An & tum, & quam ob causam, sanguinem secta vena euacuare liceat. Atque hîc primò loco occurrit illa quæstio: *An etiam ob cacochymiam tollendam, vitiosósque humores in venis sanguini permixtos, venam aperire liceat?* de quo non leuis hodie inter Medicos agitatur controuersia.

An cacochymia venæsectione tollatur.

Negantium rationes.

Primò, qui negant in cacochymia venam secandam esse, nituntur illo communi Medicorum decreto: sanguinis vitium venæsectione; cacochymiam purgatione tollendam esse. Atque istud axioma, & rationibus & authoritate stabiliunt. Nam si in cacochymia venæsectio adhibeatur, indicationis naturam subuerti aiunt. Etenim si cacochymia in venis contineatur, Medici intentio est eam tollere, non verò sanguinem, qui non peccat. At venæsectio non illum solum humorem, qui peccat seorsim, sed omnes confusos euacuat. Purgationis verò munus est, vitiosos sanguini permixtos humores expurgare. Itaque si venæsectione cacochymiam tollere conamur, eos humores euacuamus, qui euacuandi non sunt: imò maior quantitas humoris boni, quàm peccantis, euacuatur. Atque idipsum

plurib*us*

pluribus in locis docuit Galenus, è quibus saltem duo proferemus, 2. *aph. com.* 8. hæc habet: *Non hoc tantum loco, sed in aliis quoque suis scriptis Hippocrates, cùm iustâ proportione inter se omnes humores aucti sunt, sanguinis detractione auxilium ferre studet. Cùm verò ex iis vnus aliquis redundat, ipsi purgando conuenient medicamentum exhibet.* Et 4. *meth. med. c.* 6. *Quod ipsum, qui redundat, succum vacuandum esse Hippocrates suadet, aliàs sanguinis detractionem adhibebis, cùm scilicet, is vincit, aliàs pharmacum, quod ad bilem vel flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, dabis.*

Affirmantium rationes.

Contrà sunt plurimi, qui etiam ad cacochymiam euacuandam sectionem venæ adhibendam esse putant. Fernelius quidem *lib.* 2. *meth. med. c.* 4. suam sententiam his verbis exponit: *Simplicem venarum cacochymiam secta vena minuere, tutum est ac vtile, copia tamen ac virium ratione suscepta. Licèt enim, dum in hac vena secatur, omnes humores æqualiter prodeant, & vna eadémque ac antea, restet humorum proportio, quoniam tamen detracta oneris portione, quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, sed alacriores plerumque euadunt, quod reliquum est, faciliùs ferunt, minoréque negotio domant atque conficiunt.* Et *ibid. c.* 15. *Quorum morborum causa est plenitudo, aliáve humorum labes in vasis, in incipientibus illis, mox secta vena submoueri debet. Hoc enim pacto quicquid morbi in posterum gignendum est, prohibebitur; quicquid verò genitum & procreatum iam est, faciliùs natura concoquet, euincet atque profligabit.*

L. Botalli de venæsectione opinio.

Imò sunt nonnulli, qui vulgatam illam sententiam, quâ plethoræ deberi venæsectionem, purgationem verò cacochymiæ, statuitur, & à veritate esse alienam, & perniciosam statuunt: inter quos princeps est Leonardus Botallus, quo vix, opinor, vllus in mittendo sanguine fuit audacior. Is, *libro de Cur. per sanguinis missionem, cap.* 8. pluribus defendere conatur, in cacochymia necessariam esse sanguinis missionem. Nam si cacochymia in totum corpus dispergitur, & in omnibus venis totius corporis continetur: alio modo, quàm venæsectione, tolli non potest. Nam stultum est, ait, credere, id fieri posse alui excretione: stultius etiam, vomitu & vrinarum ductione. Non enim ab arubus ad dicta emissaria humorum regressus conceditur, nisi in lethalibus euacuationibus. Itaque prout in variis locis hæret cacochymia, è variis partibus euacuandam censet: venæsectione eam, quæ in venis continetur; cutis scarificatione, aut sudoribus, aut insensibili transpiratione, eam quæ cuti adhæret, alui excretione, quæ circum viscera est sita; vomitu, quæ ventriculum; vrinis, quæ renes; exscreatu, quæ pulmones aggrauat, tollendam opinatur. Tandémque concludit, cacochymiæ æquè sanguinis missionem, imò magis quàm purgationem, conferre; cùm sit redundantia vitiosi humoris in venoso genere existentis, quæ nullâ viâ commodiùs, quàm venâ sectâ educi possit.

Variæ authorum sententia de causa, ob quam in omnibus febribus putridis sit sanguis mittendus.

Non multum ab hac opinione in febribus curandis absunt alij recentiores, qui in omni putrida febre venam secandam censent. Alij tamen aliam eius rei causam afferunt. Aliqui ideò venam in febribus putridis aperiendam esse putant, quòd Galenus, *l. de curat. per sang. miss. c.* 9. & alibi scripsit: sanguinem esse detrahendum, si morbus sit magnus, ætas florens, & virium robur. Cùm enim febris putrida omnis, morbus magnus sit, modò ætas & virium robur consentiant, venam aperiendam esse existimant.

Alij venæsectionem pariter & purgationem à magnitudine morbi indicari statuunt: delectum autem, & vtrum horum duorum vsurpandum sit, ex vnis præcipuè viribus æstimandum esse docent, & id eligendum, quod præter vtilitatem quam confert, faciliùs tolerabitur, si talis perficiatur euacuatio, qualem fieri oportet, iuxta illud Hippocratis, 1. *aph.* 2. *Vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene tolerant: sin minùs, contrà.* Qualis autem fieri debeat, inde æstimandum putant, si præsente vel imminente morbo magno, consideretur, verùm maior sanguinis, quàm cæterorum humorum, præsertim vitiosorum, sit redundantia. Nam in maiore sanguinis copia, quantum ad hanc attinet, venæsectio magis, purgatio verò minùs tolerabitur: redundantibus autem cæteris humoribus, purgatio, quantum in ipsis est, meliùs, venæsectio autem minùs commodè feretur. Hanc tamen sententiam ita limitant, vt non statim sanguine exuperante, phlebotomiæ; cæteris autem redundantibus humoribus, purgationi locus dandus sit. Etsi enim, quod ipsorum redundantiam attinet, id quidem sic fieri oportebat: quia tamen nonnunquam aliud quid interuenire solet, quod impediendi huius operis vim habeat, limitatione opus esse putant. Atque eam tradidisse Hippocratem, 1. *aph.* 22. dicunt, cùm crudos humores in principiis, nisi turgeant, nunquam purgandos esse præcipit. Etenim cùm vi huius aphorismi crudos humores in principio purgare non liceat; nihil verò obstet, quo minùs tunc venæsectio instituatur: per tales ægritudines sæpenumerò venæsectionem purgationi præferendam atque in eius locum substituendam esse, tanquam ea non minùs vitiosi succi, quàm sanguinis, copiâ duntaxat peccantis euacuatorium præsidium sit. Atque idipsum Galenum, 9. *meth. med. c.* 11. docuisse ferunt, cùm ita scribit: *Quoniam vena sectio sanguinis euacuandi causa adhibetur, sanguis autem natura vtilis, vt qui probè hanc administrare conuenerit, sic, vt quod natura inutile sit, emittat. Fit autem sanguis natura inutilis bifariam;* *vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non seruat, nec ampliùs nutrire, sicut prius cùm vtilis esset, potest; vel ita multitudine creuit, vt aliæ vires premat, aut tum venas, tum arterias vel distendat, vel rumpat, vel obstruat.*

Sunt præter hos & alij, qui & ipsi, etsi sanguis non abundat, in omnibus febribus humoralibus seu putridis sanguinem mittendum censent: sed alij aliam huius rei causam afferunt. Nonnulli refrigerationis seu ventilationis gratiâ mittendum sanguinem putant, & nunc quidem copiosiùs, nunc parciùs, quò febris fuerit intensior vel mitior. Alij hanc causam afferunt, statuúntque, quòd sanguis peccare possit, vt causa, sine qua non vnde venæsectione via ad exhibitionem pharmacorum purgantium paranda sit. Nam cùm purgantia plerumque ex venis, aut plenioribus, aut obstructis, nihil trahere aut pellere citra maximum incommodum possint, prætereà purgatio institui sine corporis calefactione non queat: sanguinem priùs imminuendum putant, vt & corpus fluidum atque ad purgationem paratum reddatur, & ne sanguis incalescat & corrumpatur. Imò non solùm ob purgationem exhibendam, sanguinem euacuandum nonnulli putant: verùm & ob medicamenta aperientia, attenuantia, incidentia & abstergentia, si vsurpanda sint, quæ non tutò sine sanguinis euacuatione adhiberi possint.

Tandem sunt & alij, qui sanguinem mittendum censent, quatenus peccat ratione causæ adiuuantis, quatenus scilicet in periodo febrium ad focum & partem imbecillem confluit: & tunc sanguinem reuulsionis gratiâ mittendum putant.

Controuersia decisio.

Ex hac controuersia satis perplexa, vt nos expediamus. Primò istud notandum, venæsectionem non esse vnum aliquod indicatum, quod certo indicanti ex contrarietatis lege opponatur, sed esse materiam remedij, quæ pluribus indicationibus vtilis sit. Nam cùm vnum nonnisi vnum indicet, venæsectio verò diuersis vitiis occurrat: vnum etiam indicatum, quod ab vno aliquo indicante suggeratur, non erit, sed potiùs materia diuersorum indicatorum.

Venæsectionis vsus.

Vsus autem quos habet venæsectio, si consideremus, generalis vsus venæsectionis est, humorem quemcunque in venis obuium euacuare. Is autem rursus in plures distribui potest. 1. enim humores in venis contentos euacuando imminuit. 2. Impetum quendam iis conciliare, & ad varias partes mouere potest. 3. Deinde per accidens refrigerat.

Venæsectio solam cacochymiam omnem non tollit.

Deinde cùm, vt iam dictum, primus venæsectionis vsus sit, humorem quemcunque in venis obuium euacuare, & iam in controuersia positum sit, cuius humoris, an sanguinis solius, an verò aliorum etiam euacuandorum gratia eam instituere liceat: sciendum, omnino istas ex contrarietatis lege toties à Galeno propositas, & ab aliis Medicis repetitas indicationes, sanguinis abundantiæ, sanguinis imminutionem; cacochymiæ præsenti purgationem deberi, nullo modo reiiciendas, aut confundendas esse. Neque enim licet alteram alteri pro libitu substituere, cùm sanguinem abundantem nec purgante medicamento, quale etiam nullum datur, imminuere, nec cacochymiam in venis, sanguine emisso, totam eximere possibile sit, nisi totus sanguis simul profundatur. Etenim phlebotomia non sinceros humores vitiosos, sed sanguini bono permixtos euacuat, & sola nunquam omnem cacochymiam tollit. Licèt enim, vt mox dicetur, aliquid cacochymiæ tollendæ inseruire possit venæsectio: eam tamen totam non tollit: sed opus est, vt quæ superest pars maxima per venas omnes dispersa, nisi à natura sponte euacuetur purgantibus medicamentis, vt conueniente & proprio remedio, tollatur. Venæsectio verò abundantiam sanguinis, quæcunque ea sit, sola tollere potest.

Venæsectio aliquando in cacochymia vtilis.

Tertiò, etsi autem ita sit, vt sanguinis abundantiæ tollendæ principaliter debeatur sanguinis missio, & cacochymiæ purgatio: aliquo modo tamen cacochymiæ in venis contentæ & sanguini permixtæ inseruire potest venæsectio, præsertim cùm purgatio illa, quæ è venis humores prauos elicere potest, non semper tutò in principiis febrium institui possit, venæsectio autem tunc rectè locum habeat. Cùm enim in venis sanguinis & reliqui humores vitiosi, cùm adsunt, confusi sint, aperta vena cum sanguine vitiosi illi humores simul effluunt. Et licèt aliquid boni sanguinis simul cum humoribus vitiosis euacuetur: illud tamen non modò ægro non nocere: imò sæpe & prodesse potest. Nam ita Natura aliqua oneris parte leuatur, vt humores reliquos vitiosos feliciùs concoquere & elaborare, & postea vel sponte, vel medicamentis adiuta, euacuare possit. Quamuis etiam sanguinis copia, quæ adfuit, antequam æger in morbum incideret, illi oneri non erat: tamen cùm à morbo & calore febrili æger debilitatur, fieri potest, vt illa mediocris etiam copia ægrum oneratura sit. Et videmus ipsam naturam in hæmorrhagiis criticis cum vitiosis humoribus non parum de bono sanguine sæpe effundere. Accidit his & illud: quòd natura in febribus plerumque non exiguam portionem materiæ vitiosæ ad extrema, & ad maiores illas subcutaneas venas propellere solet. Vnde videmus plerumque prima vice sanguinem deteriorem effluere, & postea meliorem sequi. Hinc quoque si animaduertamus primo loco sanguinem vitiosum, & qui peccat, effluere, largiùs sanguinem euacuare licet: parciùs verò (nisi plenitudo adsit) si sanguis bonus primùm effluat. Id quod Gal. docuit, 5. *ad Glauc. c.* 11. de curatione quartanæ ita scribens: *Si vena incisa, is qui fluit sanguis, niger videatur & crassus,*

Digitized by Google

audaciùs mittendus est; quod si flauus aut tenuis appareat, statim supprimendus. Toti tamen cacochymiæ è venis tollendæ inseruire non potest venæsectio, sed id, nisi à Natura fiat, medicamentis perficiendum.

Quando venæsectio in febribus locum habeat.

Ex quibus patet, vt hæc omnia in summam contrahamus, in quibus febribus venæsectionem euacuationis gratia adhibere liceat; nimirum in iis, in quibus, vel sanguinis plenitudo adest, vel in quibus cacochymia sanguini in venis permixta est. In quibus verò cacochymia non in vena caua est, sed in primis viis maximâ ex parte hæret, neque adest sanguinis abundantia, abstinendum à venæsectione; cùm illa nihil de causa febris tollere, verùm etiam, sinistrè instituta, vitiosa è primis viis in communes rapere, sanguinémque bonum inquinare, aut è febre intermittente continuam facere possit. Si tamen simul cum illa cacochymia, quæ in primis viis est & febrem excitat, plethora adsit, quod ex vrinis crassis, & permanente aliquo post febrem calore, cognoscitur, aut vnà cum cacochymia in venis sanguis abundet, vt in cachecticis fieri solet: sanguinem detrahere venâ sectâ licet. Non rarò enim accidit, vt ea suppressa aliqua euacuatione sanguinis copia, ex calore natiuo oppresso, in cacochymiam degeneret; quod fit sæpe in Cachexia: atque tum si in tale corpus febris incidat, venam aperire licet.

Atque ex his, quæ posteriore loco diximus, (scilicet de iis febribus, in quibus causa in primis viis hæret) facilè apparet cur Galenus, *lib. 1. ad Glauc. de cur. febr. intermitt.* fere mentionem venæsectionis nonfecerit, & in tertianæ exquisitæ curatione, ne verbo quidem venæsectionem nominarit: in ea verò, quæ notha est, nisi oporteat, sanguinem mitti noluerit: atque cur in quartana sanguinem non euacuandum censuerit, nisi niger & crassus is effluxerit.

Loci Galeni ex 11. m. m. c. 15. explicatio.

Ex iisdem facilè locus Galeni in principio allegatus, è *lib. 11. meth. med. c. 15.* explicari potest. Neque enim tam vniuersale est illud axioma, vt in omnibus febribus putridis sanguinem mittere simpliciter præcipiat; neque tam strictè accipiendum, vt non nisi plethora præsente locum habeat. Ipsa enim causa à Galeno addita, satis axioma istud determinat & explicat. Quoties enim natura ab humoribus in venis contentis, eee onere grauatur, venam aperire vtilissimum est. Humores autem illi, qui naturam grauare possunt, non saltem sunt sanguinis copia peccans: cùm dicat, ideò partem materiæ esse venæsectione tollendam, vt natura parte oneris leuata, quod reliquum est, faciliùs vincat, coquat & excernat. Neque enim sanguinem bonum in morbis natura coquit & excernit, sed cacochymiæ id debetur.

Atque hæc cùm sit vera, vt existimo, de venæsectione, euacuationis ratione, tam ob plenitudinem, quam cacochymiam adhibenda, sententia: facilè quiuis colligere potest, quid de aliorum opinionibus suprà enumeratis sentiendum sit.

Non tantùm ob plethoram in febribus sanguis mittendus.

Primò autem, qui saltem ob plenitudinem in febribus putridis sanguinem mittendum censent, rem nimis arctè contrahunt. Nam etsi rectè in eo sentiunt, quòd principaliter sanguinis abundantiæ debetur sanguinis euacuatio; purgatio cacochymiæ: in eo tamen errant, quod planè nihil de cacochymia venæsectione commodè tolli posse putant. Aliquid enim de ea, si in venis sanguini permixta sit, venæsectione tolli potest, vt reliquum faciliùs à natura coquatur & vincatur, ac postea vel à natura, vel per purgantia medicamenta euacuetur.

Atque idipsum inter eos, qui in cacochymia etiam sanguinem mittendum censent, sensit proculdubio Fernelius, cuius sententia hoc modo explicata facilè admitti potest: cùm sit eadem cum sententia Galeni 11. *meth. med. c. 15.*

Botalli opinio de venæsectione reiicitur.

Botalli verò opinio admitti non potest, qui cacochymiam æquè bene, imò meliùs venæsectione, quàm purgatione emendari posse existimat. Rationes enim quas adducit, nullius momenti sunt. Etenim cùm doceat, ideò venæsectione cacochymiam tollendam esse, quòd sit redundantia vitiosi humoris per totum genus venosum dispersi: facilè patet, si venæsectione ea tolli deberet, non posse id fieri, nisi vniuersus sanguis, siue id vna, siue plurib. vicib. fiat, euacuetur. Quod verò purgatione id perfici non posse dicit, ideo quòd ad aluum & ventriculum non detur humorum regressus, falsum est, & experientiæ contrarium, quæ monstrat, non solùm, quod ille vult, in lethalibus euacuationibus, sed & in criticis humorum euacuationibus, vt & iis quæ per medicamenta fiunt, humores non solùm è primis viis, sed & ex venis maioribus per aluum & vomitum euacuari.

Porrò eorum opinio, qui ideò in omnibus febribus putridis venam aperiendam putant, modò vires & ætas consentiant, quòd sit morbus magnus, tam solidè & toties à Capiuaccio, Gorrhæo, Hor. Augenio, & aliis refutata est, vt nihil planè addendum censeam. Et si quæ sunt aliæ opiniones, quæ in Cacochymiâ venam secandam putant, nisi eo, quo dictum, modo explicentur, locum non merentur.

Refrigerationis gratia quando adhibenda venæsectio.

Ex his cùm satis manifestum euadat, quòd euacuationis gratiâ venæsectione in putridis vti liceat: iam videndum, An & reliquorum vsuum, quos præstare potest, gratiâ, venæsectio in iisdem adhiberi possit.

Refrigerationem & ventilationem sanguinis quod attinet, venæsectio per accidens sanguinem refrigerandi vim habet, & quandoque eius rei gratiâ in febribus putridis adhiberi potest. Verùm tunc saltem, cùm aliud vitium sanguinis, quod venæsectionem requirit, simul concurrit: & tunc venæsectio est materia remedij præseruatorij & curatorij. Si verò vitium sanguinis venæsectionem requirens nullum adsit, tutius est refrigerare medicamentis idoneis.

Quòd verò ideò nonnulli, præsertim in Intermittentibus venam aperiendam putant, vt commodiùs purgantia & alia medicamenta exhiberi possint, id, nisi alia sanguinis vitia venæsectionem simul requirant, facere non est adeò necessarium. Nam si nulla plenitudo adsit, non est opus metuere, ob plenitudinem purgantia officium suum non rectè peractura. Deinde suprà dictum, ita voi scopo satisfaciendum, vt altera ex parte nihil damni ægro inferatur, & propterea ex aperientibus & attenuantibus in febribus minus calida eligenda esse.

Tandem etiam eorum opinio vix locum habere potest, qui statuunt reuulsionis gratiâ in febribus putridis venam secandam esse, ne materia ad focum putredinis confluat. Nam si sanguis non abundat, non facilè fiet aliquis talis affluxus. Si verò metuatur, etiam pauciorem sanguinem affluxurum, non semel solùm, sed sæpius venam aperire opus esset.

Permittentia venæsectionem.

Ex his omnibus cùm pateat, quæ humorum vitia in febribus putridis venæsectionem requirant: iam porrò de permittentibus & prohibentibus eandem, Medicum sollicitum esse decet. Nam cùm venæsectio confertim sanguinem euacuet, spiritúsque exhauriat: vires & in ipsa venæsectione præsentes, & tales quæ etiam post sanguinis missionem sufficere possint, requiruntur. In primis verò Vitalis facultatis robur hîc requiritur. Si tamen vires, ob suffocationem spiritûs à sanguinis copia langueant, venæsectio conuenit, vt sanguinis copia spiritus suffocans imminuatur.

Senibus an vena secanda.

Siquæ alia ab authoribus permittentia & prohibentia, vt ætas, aër ambiens, & similia recensentur: ea omnia ad vires pertinent, & vires ex iis æstimandæ sunt. Itaque quia senes frigidi & sicci, pauciorémque, quàm aliæ ætates, habent sanguinem, & idcircò vires debiliores, venæsectionem non facilè ferunt. Si tamen accidat, vt senex aliquis adhuc satis sanguine abundet, virésque præterea vegetiores habeat, & morbus id requirat: non omittenda est venæsectio. Ætati tamen tum aliquid est dandum, & parciùs sanguis detrahendus, quàm affectus requirit, & ætate floridiore ferret.

An pueris venam aperire liceat?

Pueris ante annum 14. ætatis, non solùm quòd vires habent debiliores, sed etiam quia corpus ipsorum, quod calidum & humidum est, plurimùm dissipatur, tum Galeno, *lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 14.* venam non facilè aperiendam esse, plerique censent. Alij contrà, si morbus id requirat, etiam pueris venam aperire non reformidant, quod non solùm olim Auenzoar fecit, sed etiam hodie Ægyptiis planè familiare esse, testatur Prosper Alpinus, *lib. 2. de med. Ægypt.* Et reuerà etiamsi in pueris non facilè, nec temerè tentanda est venæsectio: tamen annorum numero, vel decimoquarto anno præcipuè vires, quæ ferant venæsectionem, non definiendæ. Id quod ipse Galenus, *1. ad Glauc. c. 14.* docet, dum scribit: *Non numero solum annorum animum aduertes, quod quidam faciunt, sed corporis habitui. Nam sunt qui 60. ætatis anno venæsectionem non ferunt, cùm quidam, qui 70. annos nati sunt, eam perferant.* Et Celsus, *l. 2. c. 10. Interest, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Ergò si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida est, parum valet, malè sanguis mittitur. Emoritur enim vis, quæ hîc supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur.* Et cùm Medici sit, naturam imitari, videamúsque, non solùm in adultis, sed etiam in pueris sæpe naturam per largas hæmorrhagias morbos soluere: causa nulla est, cur non Medicus, si necessitas requirat, debito modo id imitari possit. Et omnino illud verum est, qui graues morbos experiuntur & ferunt, etiam illorum quædam remedia ferre possunt.

An grauidis venam aperire liceat?

Porrò, An prægnantibus venam aperire liceat, etiam apud Authores controuertitur. Sunt qui id negant, ideò quòd, erepto alimento fœtui, facilè abortus sequatur. Vnde & Hippocrates, *5. aphor. 31.* scripsit: *Mulieri vtero gerenti, si vena secetur, abortus sequitur, præcipuè si sit fœtus grandior.* Nonnulli censent venam esse aperiendam, etsi abortus sequatur, modò mater seruetur. Verùm sententia hæc vix admitti potest. Nam si certum sit, vena secta abortum secuturum, nemo matri facilè salutem polliceri potest. Etenim per se periculosus est abortus; & in primis cum febre, præsertim acuta. Ij verò meliùs sentiunt, qui grauidis, si necessitas requirat, primis præsertim mensibus, sanguinem detrahi posse sine omni abortûs periculo censent. Nam si febris sit acuta, quæ & matri & fœtui exitium minatur: cur sine omni auxilio & mater & fœtus relinquendus? Et quid in acuta febre quatuor vel quinque vnciæ sanguinis detractæ, matri vel fœtui damni inferre possunt? At si tantillam sanguinis quantitatem emissam ægrotanti parum commodi afferre posse quis existimet, in promptu est Galeni consilium, qui monet, vbi ingens morbus copiosiorem sanguinis euacuationem postulat, quam tamen semel & vna vice vires non ferant, partiendam esse sanguinis missionem, ægrúmque interea alimentis reficiendum, vt iteratam sanguinis missionem ferre possit. Plerumque tamen vnica sanguinis emissio

sufficit,

Digitized by Google

ufficit, præcipuè posterioribus mensibus. Primis autem mensibus totius sanguinem copiosius mittere licet, si morbus id postulauerit. Tum enim menstruis suppressis humores in corpore redundant, fœtúsque adhuc tenellus minus alimenti postulat. Propter quam humorum abundantiam sæpe accidit, vt mulieres post conceptionem capitis dolores, nauseæ & alia symptomata primis mensibus infestent, quæ postea crescente fœtu & copiosiore alimento indigente, circa mensem quartum sponte euanescere solent. Ad quorum malorum auersionem & præcautionem nonnullæ fœminæ primis mensibus sanguinem sibi detrahi curant, atque ita non solùm ab his symptomatibus immunes manent, sed etiam fœtus sanos, & scabiei atque aliis cutis affectibus minùs obnoxios se edere persuasum habent. Imò obseruatum, fœminas nonnullas, in quibus copiosior sanguis generatur, abortum aliquoties passas; postea verò post conceptionem sanguine misso, ab abortu se præseruasse. Ergo si cum sine periculo, imò cum commodo sanguis fœminis mittitur, cur non idem faciendum, si præsentis morbi id postulet necessitas? Neque idem periculum à venæsectione, quod è purgatione, præcipuè antiquis consueta, imminet. Nam antiquorum purgationes totum corpus valde agitabant, vt non mirum fuerit, post eas abortum sæpe secutum fuisse. Verùm sanguinis missio, in primis moderatior, sine omni corporis perturbatione & agitatione vehementi, sanguinem superfluum demit, atque onere corpus leuat.

An si vires sint debiles, sanguinem mittere liceat.

Tandem hic & illud perpendendum: si accidat, vt venæsectionem summa quidem postulet necessitas, vires autem, vel mox ab ipso morbi principio, vel sub augmentum eiusdem, neglectâ in principio venæsectione, summè imbecilles sint, quid faciendum sit; Cornelius Celsus, *lib. 2. cap. 10.* quidem in tali casu anceps potiùs, quàm nullum experiri remedium suadet. Si *nullum*, inquit, *aliud appareat auxilium, periturúsque sit qui laborat, nisi temerariâ quoque viâ fuerit adiutus: in hoc statu boni est Medici, ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique, quantus in hac re ipsa sit metus, & tum demum si exigetur, sanguinem mittere.* Verùm malim in hac re Galenum sequi, qui suadet, ea auxilia, quæ custodes corporis vires deiicere, Medicóque calumniam conciliare possunt, omittere, præsagióque potiùs vti, atque artis Medicæ dignitati hoc modo consulere, quàm ancipiti remedio morbum cum vita tollere.

Variant & alia quædam robur & vires corporis, vt hominis temperamentum & constitutio, tempus anni, regio, cœli status, vitæ genus; de quibus mox aliquid dicetur, quæ etiam huc accommodari possunt.

Quantum sanguinis emittendum.

Non solùm autem perpendendum, an sanguis euacuandus sit; verùm etiam videndum, vt rectè mittatur, & venæ sectio debito modo administretur. Qua in re primò considerandum, qua quantitate euacuandus sit. Magnum sanguinis vitium copiosam sanguinis euacuationem postulat: minus verò parciorem. Verùm & hic non solùm ad id quod indicatur, sed rursum etiam ad permittentia & prohibentia respiciendum. Itaque & hic morbi magnitudo & vires inter se conferendæ, & ex earum collatione de sanguinis quantitate euacuanda statuendum. Si enim vires sunt robustæ, liberaliorem sanguinis euacuationem admittunt; debiliores parciorem saltem ferunt.

Variant autem vires ob plures causas, vt antea dictum; ob temperamentum, constitutionem & habitum corporis, ætatem, anni tempus, regionem, cœli statum, vitæ genus, & alia.

Ratione temperatura.

Corporis temperatura iusta, eam quam morbus requirit, sanguinis euacuationem faciliùs fert. Calidum & humidum corpus; qualia puerorum sunt, quia plurimùm a calore natiuo dissoluuntur, copiosiorem sanguinis euacuationem non tolerant: calida & sicca modicè corpora, quia latas plerumque venas habent, liberaliorem sectionem ferunt. Et omnino semper habitus durus & siccus faciliùs fere venæsectionem, quàm mollis & rarus. Graciles, si latas habent venas, multo abundant sanguine; si tenues, imbecilles sunt.

Habitus corporis.

Cæterùm cùm habitum corporis labor & otium, vigiliæ & somnus, ac similia variare possint: in primis ipsæ venæ respiciendæ sunt, quæ si latæ & amplæ sunt, venæsectionem largiorem facilè admittunt; angustæ vero eandem non facilè ferunt. Hinc Græcis, Italis, Hispanis, quia calida corpora habent, venásque amplas, largiores etiam sanguinis euacuationes non facilè nocent. Narrat Galenus, *l. de cur. rat. per sang. miss. c. 14.* cuidam ad sex vsque libras sanguinis, sine aliquo virium detrimento, detractum fuisse: Italique & Hispani sæpe cum commodo suis ægris sanguinem ad ℔. ij. vsque emittunt. Quorum exempla si quis in nostris corporibus imitari velit, adeò vires debilitabit, vt vel morbo ferendo postea pares non sint, vel si morbum sustineant, longo tempore æger pristinum robur recuperare non possit.

Ætatis.

Deinde ætas media, vtpote cuius robur maius est, copiosiorem sanguinis euacuationem faciliùs fert; iunioribus verò & senibus sanguis parciùs demendus.

Anni temporis.

Anni tempus quod attinet, vernum liberaliorem sanguinis euacuationem admittit: parciùs æstate, autumno & hyeme mittendus sanguis, & quidem autumno parcè, parciùs hyeme, omnium parcissimè æstate sanguinem mittendum esse, plerique ex antiquis statuunt. Verùm quod ab iis de Græcia dictum, id ad Germanos & alios Septentrionales populos simpliciter trahendum non est. Nam cùm eo tempore liberalior, admittatur venæsectio, quod ad optimum temperamentum proximè accedit: facilè hinc patet, in Græcia & finitimis regionibus, si necessitas id postulet, tempore hyberno bonam sanguinis quantitatem detrahi posse. Hyems enim ibi non est aspera; contrà verò æstas est calidissima, & proinde tum minùs ferunt copiosam sanguinis euacuationem. At in Septentrionalibus regionibus, in quibus frigus est asperum & hyems longa, ac sanguine ad corpus fouendum copiosiore summoperè opus est, longè parciùs tempore hyberno sanguis est detrahendus, quàm æstate, quæ in istis regionibus sat tolerabilis est, & raro tantum æstum & feruorem habet, quantum frigus hyems.

Regionis ac cœli status.

Quod de regione est dictum, idem de cœli statu est accipiendum. Temperatus enim cœli status largiorem venæsectionem fert: parciùs verò sanguis detrahendus, siue aër nimio frigore horreat, siue squaleat calore.

Victus.

Victus quoque ratio aliquo modo moderari potest venæsectionem. Nam qui copiosiore, & boni ac multi alimenti cibo sunt vsi, largiorem venæsectionem ferunt: contrà qui tenuiter vixerunt, corpus multis laboribus, sollicitudinibus, vel aliis modis debilitarunt, iis parcius sanguis est euacuandus.

Symptomatū.

Symptomata etiam quædam, quæ febres comitari solent, sanguinis euacuationem moderari possunt. Nimiæ enim euacuationes, vigiliæ pertinaces vehemens dolor, animi deliquium & similia, parciùs sanguinem detrahendum esse monent. Quæ omnia diligenter à Medico perpendenda, atque inde vires non solùm præsentes, sed etiam futuræ æstimandæ sunt. Si tamen Medicus virium robur vsque adeò exactè perspicere non possit, præstat semper minùs detrahere, quàm copiosiore euacuatione vires deiicere. Neque quis sibi persuadeat, pleniore cibo id quod nimium detractum est, resarciri posse. Cibus enim copiosior, præsertim in acutis, morbum auget, & incrementum sumente morbo, non parum nocet.

Quando secanda vena.

Tempus venæsectionis quod attinet, in genere sciendum, sanguinem mittendum esse, cùm indicans euacuationis sanguinis adest, nihil verò venæsectionem prohibet. Ex quo facilè apparet, in principio febrium commodissimè institui venæsectionem. Tunc enim & indicans, quod requirit venæsectionem, præsens est, virésque tum adhuc sunt fortes, & meliùs ferunt venæsectionem. Ac quò morbus velociùs ad augmentum properat, eò citius administranda venæsectio. Vndè in continuis & acutis febribus commodissimè mox secundo aut tertio die sanguis mittitur: post quartum verò diem plerumque minùs commodè & tutò, tùm vires, morbo incrementum sumente, iam magis languere incipiant. Neque opus est, in venæsectione, vt in purgatione, concoctionem humorum & præparationem corporis expectare; cùm aperta vena semper sanguis ad effluendum idoneus sit. Secunda scilicet vena, antequam natura ad coctionem humorum sese accingat: vbi verò natura coctionem humorum aggressa est, quiete opus est, omnisque fugienda humorum agitatio, qua coctio & separatio humorum turbari possit. In intermittentibus verò & longioribus febribus, in quibus coctiones magis lentæ sunt, in longius tempus differri potest venæsectio. Vnde etiam Galenus, *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 20.* in mittendo sanguine vires, non dierum numerum spectare iussit. Potest nimirum in febribus, in quibus plenitudinis & cruditatis signa diutius immorantur, post septimum, imò circa decimum quartum & vigesimum diem sanguis vtiliter mitti.

Quæ circa venæsectionem in febribus attendenda sint.

Non autem de vniuersali solùm tempore mittendi sanguinis constare debet, verùm etiam vbi Medicus iam de die, quo mittere sanguinem vult, certus est, quædam attendenda sunt. Primò nimirum considerandum, an in ventriculo cibus adhuc nuper sumtus & nondum concoctus hæreat, vel aluus excrementis repleta sit. Nam si tale quid accidat, & non summa & vrgens necessitas venæsectionem maturare iubeat, priùs cibus in ventriculo concoquendus, aluúsque fecibus liberanda est, ne aliquid crudi vel impuri in venas rapiatur vnde ægro damnum attrahi possit. Itaque expectandum, donec cibus concoctus sit, antequam venæsectio instituatur, & quiete coctio adiuuanda, aluus verò glande, clystere, aut cassia, vel manna, vel alio leniente medicamento laxanda. Imò si in ventriculo aut in vicinis locis humor aliquis vitiosus resideat, vtile fuerit, leui aliquo medicamento, quod sine vi aut corporis agitatione id præstat, illum ante venæsectionem euacuare; aut si ad superiora vergat, leui vomito illum tollere.

Attendendæ deinde etiam sunt exacerbationes & paroxysmi febrium. Vena enim aperienda tempore mitiori, non circa febria exacerbationem, quo tempore natura & vim ac impetum materiæ morbificæ, & venæsectionem simul perferre nequit.

Neque symptomata negligenda, vt sunt dolores, orificij ventriculi debilitas. Symptomatibus enim, nisi per venæsectionem remoueantur, priùs occurrendum, atque ea mitiganda sunt.

Quando repetenda venæsectio.

Cæterùm & hoc expendendum; An, si partienda necessariò sit sanguinis missio, & sæpius repetenda, eodem, an verò diuersis diebus sit repetenda. Qua in re distinctione opus est. Si enim euacuationis solùm gratia instituatur venæsectio, eodem die repetenda: si reuulsionis causa, diuersis. Nam vbi euacuandum

dum est, præcipuè in acutis, subitò corpus in alium statum transferendum est; ac sæpe accidit, vt morbus non principium percurrat, vt postea venæsectione commodè vti non liceat. In reuulsione verò respicimus ad motum, qui rectiùs fit, si diuersis vicibus & interuallo interiecto, natura contrario motui quasi assuescat, & interuallo temporis incumbens partibus humor regurgitet in venas; & iterata venæsectione vtiliter extrahatur.

Hora venæ sectionis.

Etsi autem ex his, quæ hactenus diximus, facilè de hora venæsectionis iudicari possit: tamen adhuc aliquid de ea addere libet. Sunt nonnulli, qui solùm horis matutinis venam secandam esse censent. Sunt alij, qui & in diebus & horis semper benigniores astrorum aspectus eligendos esse putant.

Vtrique falluntur. Fieri non potest, vt tempore matutino febris sit vehementissima, atque tum venam aperire non licet. Astrorum aspectus non contemnendos esse, vbi licet, equidem censeo; tamen magis sæpe morbus vrget, vt sine præsenti ægri periculo in aliud tempus venæsectionem differre non liceat. Itaque ea hora est eligenda ad venæsectionem, in qua æger vel a febre liber est, vel in qua febris est mitissima. In ipso verò febris vehementis impetu sanguinem mittere, vt Celsus ait, hominem iugulare est. Quòd si manè febris intermittat vel remittat, ea hora commodissima est; aut si, quod interdum fieri solet, bis vno die, manè scilicet & circa vesperam, accidat febris remissio, vel sit febris synocha, quæ nullam remissionem habet, tempus matutinum eligendum est; quod per se ad hoc negotium accommodatissimum est. Sole enim exorto, & luce per horizontem diffusâ, omnia vegetiora sunt.

Qua vena aperienda.

Venam ipsam aperiendam quod attinet, cùm euacuationis gratia venæsectio hic ferè instituatur, neque nobis de reuulsione aut deriuatione iam sermo sit: commodissimè aperitur vena in cubito, seu interna seu mediana. Si tamen æger vel ob timiditatem, vel vires nimium deiectas, ad lipothymiam valde procliuis sit, venæ manus incidendæ, etsi id cum minore fructu fiat. Maior verò est vtilitas venæsectionis in pedibus, præcipuè si simul euellendum sit. Nam si vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor ac vigiliæ infestent, commodissimè & cum summa vtilitate vena in pede aperitur, quæ euacuat, reuellit, viresque minùs deiicit.

Post venæ sectionem quid agendum.

Postquam vena aperta est, quiescat æger, vt spiritus rursum instaurentur: id quod rectissimè fiet, si æger supinus decumbat. Eo enim situ euocta viscera in spinam suauiter reclinantur, & hoc modo calor & spiritus faciliùs in corpus distribuuntur. Imò quod in continuis sæpe accidere solet, si metuamus virium lapsum, ægro in lecto nonnihil supino sanguinem mittere licet: aut si sedendo vena aperiatur, & animæ deliquium instare e pulsus & coloris faciei mutatione, oscitatione, aurium tinnitu, oculorum caligine, vel impetu sanguinis fluentis labascente animaduertatur, mox digito venam comprimere, ægrum supinum reclinare, & si opus sit, supino plus sanguinis detrahere conuenit.

An dormire liceat post venæ sectionem.

Post venæsectionem vulgus somnum tota die plane prohibet, adeò vt piaculum ipsi habeatur, post venæsectionem dormire. Quam ob causam non video. Licet enim metus esse possit, ne fascia forsan, qua vulnus venæ obligatum est, soluatur: tamen hoc mediocri diligentia & astantium cura præcaueri potest. Aliàs si necessitas somnum requirat, non video, cur tota die æger à somno prohibendus sit. Galenus certè somno non prohibuit ægrum, nec eum excitauit, cui sanguinem miserat vsque ad animi deliquium, *9. meth. med. cap.4.* Ita enim scribit: *Post duas à sanguinis missione horas paulo nutrimento dato, ac iusso quiescere, discessi. Quinta vero hora reuersus, cum profundo somno detentum inueni, vt tangentem me prorsus non sentiret. Reuersus autem decima rursus hora, etiam tum dormientem inueni. Egressus autem iterum ad alios ægros visendos redeo horá noctis prima, non tamen, vt antè, tacens, sed voce de industria sublata, quò ægrum à somno excitarem.*

Porrò cùm sæpe accidat, ve vires nullo modo admittant venæsectionem, sanguinis tamen euacuatio summopere requiratur. Antiqui alios sanguinem euacuandi modos inuenerunt, qui vires minùs debilitant. Sunt autem illi tres, scarificatio, cucurbitulæ scarificatæ, & Hæmorrhoides. Scarificatio, & scarificatæ cucurbitulæ different, vt *lib. 5. Instit. part. 2. sect. 5. c. 16.* diximus.

Scarificatio & cucurbitula.

Estque scarificatio sine cucurbitulis non solùm hodie Ægyptiis vsitatissima, vt ex Prospero Alpino, *de Med. Ægypt. l. 3.* videre est: Verùm etiam antiquis Græcis in vsu fuit, vt ex Oribasij *lib. 7. Med. collect. cap. 18.* colligere est. Adhibentur autem cùm scarificatio, tum cucurbitulæ scarificatæ euacuationis gratiâ, de qua iam nobis sermo est, in cruribus seu suris plerumque, etsi etiam cucurbitulas in dorso nonnulli adhibeant. Verùm qui plura hac de re cognoscere cupit, authores allegatos consulat, & præter eos, Herculem Saxoniam, *lib. 8. pract. cap. 22.*

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides quod attinet, vtilem esse per hæmorrhoides sanguinis euacuationem, omnes contendunt, sed an & quâ ratione aperiri possint, non inter omnes conuenit. Breuiter, vt hac de re aliquid dicamus, in iis, quibus consuetus est hæmorrhoidum fluxus, facilè aperiri possunt, & cum fructu: & non solùm cùm sanguis crassus & ater peccat, verùm etiam in aliis morbis: cùm certum sit, etiam in sanis, non solùm crassum, sed & alium, & plerumque ichorosum excerni. In iis autem, qui assueti non sunt huic fluxui, non facilè aperiuntur frictione cum foliis parietariæ, ficus, boraginis, panno aspero & similibus, quæ alias in assuetis hæmorrhoides prouocare solent. Sectione seu scalpello vt in tali casu aperiantur, vix suaserim; cùm in corpore huic effluxui non assueto, & cùm venæ istæ non tument, vix effatu dignum aliquid euacuetur; vel si nimium aperiantur & valde fluant, fluxum non semper Medicus satis moderari possit, & vlcera ac fistulæ hoc loco facilè excitari queant. Commodissimum in talibus est, & sine periculo, si quis eas aperire velit, hirudines applicentur, per quas longè tutiùs sanguis extrahitur, quàm si scalpello hæmorrhoides aperiantur.

CAPVT VII.

De Purgatione in febribus.

Purgantia duplicia.

POstquam hæc de venæsectione & sanguinis euacuatione diximus: proximum est, vt de vitiosorum humorum euacuatione iam dicamus. Vt autem humores vitiosi duplices sunt, cùm illi, qui proxima febris causa sunt, tum quædam impuritates, quæ in ventriculo, intestinis, venis mesaraicis, vel saltem earum extremitatibus continentur: Ita etiam purgantia in genere dicta duplicia sunt, vt *lib. 5. Inst. part. 5. cap. 10.* dictum, alia aluum lenientia, quæ dictas vias euacuant, & alui fæces ac humores in intestinis subsistentes, sine omni corporis agitatione educunt; alia verò & propriè ac in specie dicta purgantia, quæ electiuè, vt vocant, purgando ex remotioribus quoque partibus materiam morbificam & febris causam educunt.

De Lenientibus.

Lenientia.

Lenientia in febrium putridarum initiis omnino necessaria sunt. Cùm enim, quando febres ingruunt, prauæ aliquæ dispositiones in corpore præcedant, ob quas concoctio in ventriculo non satis rectè expeditur: facilè fieri potest, vt cùm chylus prauus & crudus, tùm aliæ superfluitates in ventriculo & intestinis cumulentur, quæ putrescentes humores fouere & augere possunt. Materia igitur hæc quamprimùm educenda est, quod fit, vel per clysteres & lenientia dicta medicamenta, vel etiam per vomitum: prout materia vel in crassis intestinis, vel in tenuibus & mesaraicis, ac ventriculi fundo hæret, vel in ventriculo superonatat, & nunc versus inferiora, nunc versus superiora inclinationem habet.

Clysteres quod attinet, ij quidem omnes emollientes sunt: pro materiæ tamen diuersitate, quæ nunc calidior & acrior est, nunc viscidior crassiórque in intestinis & vicinis locis cumulata est, aliqua diuersitas materiæ esse potest.

Simpliciter emollientes fiunt è malua, althæa, violaria, parietaria, hordeo, &c. cum oleo vel communi, vel violaceo.

Si maiori abstersione opus sit, aut materia crassior & viscidior fuerit, addere licet betam, mercurialem, furfur, sacch. rubrum, mel rosatum. Imò licet in hisce addere lenientia medicamenta, cassiam & simpliciter extractam, & pro Clysteribus, Electuarium lenitiuum, diacatholicum, hieram f. & similia.

Exempla passim obuia sunt.

Alia autem fortiora medicamenta, & quæ à remotioribus partibus attrahere possunt, in tales Clysteres, & qui primas vias euacuandi gratia solùm adhibentur, præcipuè in principio, admiscere non licet, ne materia frustra agitetur.

Cùm verò Clysteres ad loca superiora non pertingant, lenientia per os exhibentur, quorum magna suppetit copia. Antiqui mercurialem, maluam, betam, aquam mulsam & similia vsurpabant. Hodie in vsu sunt, Cassia, manna, tamarindi, syr. ros. solutiuus, violarum solut. mel rosar. sol. El. diacarthami cum manna, El. lenit. f. Ex quibus potiones, & boli, vel electuaria parari possunt.

In pueris ob humiditatem, præcipuè si vermes timeantur, commodior est pulpa tamarindorum, quàm Cassia.

Si biliosi & tenues humores abundant, Syr. ros. sol. & viol. sol. conueniens est.

In pituitosis verò corporibus, & vbi calor mitior conueniens est mel ros. sol.

Manna, ne in bilem vertatur, cum aqua hordei, vel alia aliqua, aut decocto refrigerante potest exhiberi, vel etiam in iusculo carnis dissolui.

Ita & Elect. lenitiua, vel liquore conueniente dissolui possunt, vel cum sacch. in bolum formari.

Chymicis hodie in frequenti vsu est cremor tartari, cuius ℨ. ß. vel ℨ. j pro ætatis & corporis constitutione, in iusculo carnis, vel aqua, sine omni nausea, cùm iusculo salten acidum non ingratum saporem conciliet, sumitur, primásque vias abstergit & clementer purgat: cuius vis si maior postuletur, vno atque altero diagrydij grano acui potest.

Atque talia in principio exhiberi, iam antè dictum. Nam & ob viarum latitudinem, & loci propinquitatem, humores, qui febrem augere possunt, & quibus non remotis alia medicamenta commodè exhiberi non possunt, facilè educere valent. Itaque quamprimùm Medicus accedit ægrum, inquirat, num aliqua vel arte, vel naturâ præcesserit euacuatio, quo victus genere sit vsus,

vſus, an inedia vel crapula præceſſerit, an aliquam grauitatem circa ſtomachum vel ventrem inferiorem ſentiat, atque ita, ſi opus ſit, lenientia adhibeat.

Imò & reliquis morbi temporibus Clyſteres, præcipuè ſi aluus ſubſiſtat, vſurpare licet.

Tempus particulare quod attinet, eligenda eſt non ſolùm dies, ſed & hora intermiſſionis, vel remiſſionis, & omnino tempus, cùm febris minùs vrget. Neque opus eſt, vt ſemper tempore matutino talia exhibeantur, ſed ſi febris manè vrget, etiam circa veſperam vſurpari poſſunt.

Verùm de lenientibus plura addere non libet, cùm paſſim ea extent, & in aliis morbis plurimis etiam adhibeantur, poſſuntque cùm alij authores de hac re conſuli, tum Capiuaccius, *lib. 6. Pract. de febr. c. 17.* Alex. Maſſaria, *lib. 7. Pract. à cap. 2. ad 14.* Iul. Cæſ. Claudio. *de ingreſſ. ad infirm. lib. 2. c. 4.*

De Vomitoriis.

Vomitoria.

Vnum, cuius ſuprà etiam mentio facta eſt, non prætereundum, ſi materia verſus ſuperiora vergat, vomitu poſſe ex corpore commodè excludi. Quapropter nonnunquam in principio febrium vomitus ciendus, & quidem ſæpe accidit, vt magna materiæ copia in ventriculo & vicinis locis contineatur, etiam in malignis febribus, quæ mox per vomitum reiicienda eſt. Nulla enim eius tam copioſæ ibi hærentis coctio expectari poteſt. Et quodcunque ingeritur in humorem ei, qui antè in ventriculo hæret ſimilem, facilè mutatur, peccánſque materia augetur. Atque experientia teſtatur, annotauítque idem Fernelius *lib. 3. meth. med. c. 3.* vomitu omnem, quæ in ventriculi capacitate, eiúſve tunicis inhæret, illuuiem in primis expurgari, è præcordiorum membranis, è cauis iecoris & lienis, & ex pancreate omnis generis ſuperuacuos humores ſinceros elici, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementiſſimum vllum, etiam frequens, pharmacum in aluum exturbare poteſt. Et ſæpe per vomitum vitioſâ materiâ reiectâ febris in initio tollitur; quod niſi factum fuiſſet; materia porrò in penitiores corporis partes tranſmiſſa & ſanguini permixta, longæ febri occaſionem præbuiſſet.

Sunt autem vomitoria alia lenia, alia mediocria, alia fortia, vt *lib. 5. Inſtit. part. 1. c. 22.* dictum. Verùm hìc præcipuè de lenibus ſermo eſt. Nonnunquam tamen ad mediocria aſcendere licet.

In calida & biliosa materia vulgò faciunt vomitoria ex decocto hordei, cum oleo, vel communi, vel amygdalino. In materia craſſa vſurpatur oxymel ſ. & comp. cum iure pulli, vel decocto ſem. anethi aut raphani. In materia mixta vti licet ſyr. acetoſ. cum decocto hordei aut anethi.

Quantitas vomitorij, ad ℥. xij. aſcendere poteſt. Nam ſi minore quantitate, præcipuè ex debilioribus paratum, ſumatur, ſæpe retinetur in ventriculo. Et cùm aliàs debiliora iſta non ſint valdè efficacia: Recentiores vſurpant vomitoria ex ʒ. ß. vel ℈. ij. aut ʒ. j. rad. aſari, cum aqua vel liquore conueniente, vel ex decocto eiuſdem.

Chymici hodie vitriolum album in cereuiſa calida cum butyro ſumtum commendant. Vt & Salem vitrioli, qui à ℈. ß. ad ℈. j. vel etiam ad ʒ. ß. in iuſculo vel conueniente liquore exhibetur. Fortior eſt, & non ſolùm per vomitum, ſed & per aluum purgat. Aqua vomitoria ſeu Benedicta appellata, hodie ſatis nota, ex ♁. ſeu croco metallorum parata. ℞. *Croci metallorum* ℥. j. *Aqua Cardui ben.* ℔. ij. vel iij. *Aqua cinnam.* ℥. ß. Maceretur per biduum. Tranſcolatum vſui ſeruet. Eius doſis eſt ℥. j. ß. aut ℥. ij. Verùm cùm hoc medicamentum non ſolùm primas vias euacuet, ſed & in reliquum corpus penetret, cautè exhibendum eſt, & diligenti conſideratione opus, in quibus febribus tutò exhiberi poſſit.

De Purgatione.

Purgatio.

Purgantia propriè & in ſpecie dicta quod attinet, illa à cacochymia indicari, & humoribus febrem gignentibus expurgandis dicata eſſe, extra omnem controuerſiam eſt. Illud autem controuertitur, & multorum ingenia fatigauit, acerrimiſque altercationibus occaſionem præbuit, quo tempore talia purgantia exhibenda ſint. Licèt enim quando agendum, à præſentia indicantis indicetur, & vitioſi humores omnis febris tempore antequam ſoluitur, adſint, atque ſemper ſui remotionem indicent: non tamen quouis tempore purgatio permittitur. Et de purgationis tempore diuerſæ ac diſſidentes Authorum opiniones reperiuntur.

Quo tempore purgandum.

Primò enim cùm Hippocrates, 1. *aph.* 22. ſcripſerit: *Concocta maturáque purgare ac mouere oportet, non cruda: nec per initia, niſi materia turgeat, id quod rarò fieri ſolet:* atque Aphoriſmum hunc Galenus, 8. *de tuendâ valet. c. 5.* oraculum appellauerit: ſunt nonnulli, qui eum tam ſanctè & religioſè obſeruant, & tam accuratè coctionem expectant, vt non ſolùm in febribus continuis & acutis, de quibus tamen Hippocrates præcipuè loquitur, verùm etiam in diuturnis & intermittentibus, imò omnibus ferè morbis, nonniſi coctione præcedente, vllam purgationem inſtituendam putant, adeò vt Alex. Maſſarias, *lib. 5. Practic. c. 22.* eos reprehendat, qui in quartana ad coctionem humorum vtuntur ſyrupis comp. de fumaria, de pomis, & epithymo, de polypodio, ideò quod caſſiam, ſenam, epithymum, polypodium, & alia huiuſmodi medicamenta recipiant, quæ coctionem non ſolùm non iuuent, ſed etiam illam maximè turbent & impediant.

Incommoda intempeſtiuæ purgationis.

Cauſam autem, cur cruda & in initio purganda non ſint, niſi turgeant, id eſt, ſponte & ſuopte impetu, quaſi vim excretionis affectent, vt niſi euacuentur, metuendum ſit, ne in membrum aliquod princeps cum vitæ periculo irruant, iſtam ex Galeno, *in com. alleg. aphor.* reddunt: Quòd ſcilicet crudi humores ſi in principio non turgeant, & ipſi quaſi exitum quærant, nec trahendi pharmaco, vtpote nondum à natura cocti & ſeparati, facilè cedant, nec natura euacuationi arte inſtitutæ opituletur. Vnde iſtas purgationes plurima incommoda ſequi neceſſe ſit: Vel enim finem ſuum non aſſequuntur purgantia, nihilque aut parum vitioſorum humorum educunt, atque ita eos ſaltem agitant, turbant, & confundunt, vnde ex materia mota & non euacuata in primis viis hærente, tormina, animi deliquia, vertigines, & alia ſymptomata oriri ſolent; Vel ſi medicamentum fortius fuerit, cum violentia euacuat, corpus liquefacit, vires calorémque natiuum debilitat, vt natura poſtea facilè ſuccumbat, & morbum vel planè non, vel nonniſi longiore tempore vincat.

Quando ſit purgandum in Principio, varia ſententia.

Alij etiam aliis morborum temporibus purgandum cenſent; licèt materia non turgeat: qui etſi in eo conueniant, ante coctionem non rarò purgandum eſſe: tamen in quibus caſibus hoc faciendum ſit, non planè conueniunt.

Hier. Capiuaccij.

Hier. Capiuaccius, vbi de curanda febre agit, *in append. de tempore exhibend. ſolutiu.* ſtatuit: tum eſſe purgandum in principio, vbi materia morbifica magis viget ad purgandum, quàm cruditas prohibere poſſit. Et primò quidem talem, eſſe turgentem materiam ſeu furioſam, vt appellat; cùm ex ea periculum immineat, ne in partem principem aliquam ruat. Deinde non ſolùm turgente materiâ in principio purgandum ſtatuit, ſed & in aliis quibuſdam caſibus. Dari enim materiam exiſtimat, quæ non minùs, imò magis vrgeat, maiúſque periculum minetur, quàm furioſa ſeu turgens. Atque talem materiam duplicem eſſe ſtatuit, venenatam, & actu ad partem aliquam principem ruentem. Primò enim venenatam, cùm cor celeriter occupare & hominem inficere poſſit, magis vrgere, quàm furioſam putat, & proinde ſtatim expurgandam eſſe. Deinde & materiam, quæ actu ad partem aliquam principem ruit, magis vrgere dicit, quàm turgentem, à qua ſolum immineat impetus ad partem principem. Imò non hanc ſolùm verùm etiam quæ fluit ad partem talem, quæ principem aliquam in conſenſum trahere poſſit, magis vrgere dicit.

Pij Æneæ Caprilij.

Idem ferè Pius Æneas Caprilius, *de febr. putrid. in genere, lib. 2.* docétque, in febribus putridis materiam vt excrementitiam indicare purgationem, cruditatem materiæ eandem prohibere, vt cauſam ſine quâ non; materiam furioſam rurſum eandem indicare, vt vrgens: & plus poſſe vrgens, quàm cauſam efficientē ſine quâ non, cùm periculum ſit, ne materia furioſa petat partem aliquam principem. Idem tamen addit, Hippocratis mentem fuiſſe, ſi materia rationem vrgentis habeat, licèt ſit cruda, eſſe euacuandam, & Hippocratem per materiam turgentem intelligere omnes alias materias vrgentes. Imò ſi conferatur materia furioſa cum reliquis materiebus vrgentibus, minùs vrgere materiam furioſam, quàm reliquas materias. Ideóque ſi quæ minùs vrget, tamen plus poteſt ad indicandum purgans, quàm cruditas ad prohibendum; vbi aderunt materiæ illæ plus vrgentes, audaciùs purgandum eſſe ſtatuit. Materiam autem plus vrgentem eſſe primò veneficam, vtpote quæ celerrimè poſſit cor occupare, & mortem inferre. Deinde mobilem, ſeu quæ actu mouetur, & inclinationem habet ad partem determinatam, vel principem, vel quæ principem in conſenſum trahere poſſit; cùm furioſa non habeat determinatum motum.

Euſt. Rudij.

Cùm Capiuaccio & Pio Ænea Caprilio conſentit ferè Euſtachius Rudius, qui *lib. 4. Pract. c. 22.* præter turgentē materiam, & in aliis quibuſdam caſibus, crudam materiam purgari poſſe concedit. Primò quidem, ſi actu in partem aliquam principem, aut quæ cum principe maximum conſenſum habet, ruat, potiſſimùm ſi purgante medicamento contrarium motum reuulſionémque moliri poſſumus. Deinde, in ancipiti grauíque morbo, cuius ſemper etiam ſymptomata ſæua ſint, & incertus exitus, coctionem, quæ forſan futura non eſt, non expectandam, ſed inter initia purgandum eſſe, & partem eius detrahendam cenſet. Tertiò, venenoſam materiam in principio, & quàm celerrimè, ſtrenuóque purgante euacuandam ſtatuit; cùm maius, quàm reliquæ materiæ omnes, periculum afferat. Quartò, dum præter continentem morbi cauſam, alia quædam materia in ventriculo, aut inteſtinis, aut vicinis locis hæret, dolore, æſtu, nauſea, angore, aliiſque ſignis manifeſta.

Octau. Roboreti.

Alij adhuc latius extendunt hanc materiam, & in pluribus caſibus admittunt purgationem in morbi principio. Octauianus Roboretus, *de febr. petic. c. 16.* non ſolùm vbi materia turget, ſed & aliàs euacuandum cenſet. Primò, cum vrget materia, cum ſcilicet in parte aliqua vel principali, vel quæ cum principali conſenſum habet, fixa eſt, vnde grauia oriantur ſymptomata; qualis eſt materia praua in ventriculo, à qua fit lipothymia. Secundò, cum reuulſionis gratiâ, ad præcautionem futuri alicuius ex fluxione morbi, ita opus eſt, vt in maximis

doloribus

doloribus. Tertiò, quando tanta est crudorum humorum copia, vt nisi ea minuatur, natura non possit illam coquere. Quartò, cùm materia est maligna, vt præ malignitate eam non aggrediatur Natura; vel si tentat eam elaborare, concoquere tamen non possit.

Herc. Saxonia. Plures quoque casus habet Herc. Saxonia, in quibus non expectatâ coctione purgandum putat, *lib.* 8. *Pract. cap.* 26. Et primò quidem vocem, Turgere, à pleris que io nimis angusta significatione accipi statuit, dum turgentes humores illi vulgò saltem habentur, qui huc atque illuc mouentur, neque determinato loco hærent. Ipse verò turgentem materiam omnem illam esse dicit, quæ cogit nos ad importunam & citam excretionem. Atque hoc posito fundamento, ipse quinque casus adfert, in quibus purgare liceat, non expectatâ coctione. 1. Si humores sint multi. 2. Si sint calidi. 3. Si sint tenues & ichorosi. 4. Si materia habeat impetum ad locum aliquem nobilem & principem. 5. Si humores fuerint praui, vt suâ qualitate prauâ humores vicinos & partes solidas corrumpere possint.

Hier. Mercurialis. Hier. Mercurialis, *in sua Practica, de purgatione*, in febre putrida opportunissimum quidem tempus purgandi, morbi declinationem, iam coctâ materiâ, agnoscit: initio tamen etiam quandoque purgationem institui posse concedit. Et quidem has distinctiones præmittit. Primò distinguit purgationem in perfectam seu eradicatiuam, quâ totam materiam Medicus extirpare conatur, & imperfectam seu minoratiuam, per quam conatur ita minuere materiam, vt faciat pluribus vicibus, quod vnâ vice faceret, si liceret. Deinde distinguit Medici operationes in regularem, quæ ad normam præceptorum accommodatur, & in coactam, quæ illam transgreditur. Hinc concludit, regulari medicatione nunquam in principio crudos humores purgandos; coactâ autem nonnunquam concessam esse in principio purgationem. Et perfectam quidem in duobus casibus, primò turgente materiâ, ob imminens periculum; secundò in materia pestilenti, ob imminentem totius corporis infectionem. Imperfectam verò in duobus casibus, primò in initio febrium acutarum, vbi metus est ne materia turgeat, præcipuè regionibus & temporibus calidis; secundò in plenitudine corporis, quando venæsectionem adhibere prohibemur, ad imminuendam per accidens plenitudinem.

Don. ab Altomari. Donatus ab Altomari peculiarem tractatum de quæstione hac scripsit, an in principiis morborum, materia non turgente, purgante medicamento vtendum sit. Atque ipse etiam in quibusdam casibus hoc faciendum putat, sed in acutis tantum morbis. 1. Vbi materia copiosior est, partem eius in principio euacuandam censet, vt exonerata natura, quod reliquum fuerit faciliùs possit & concoquere & expellere. 2. Si ex mala seu praua qualitate humorum redundantium morbi gignantur. Nam nisi circa eorum initia purgante medicamento quis vtatur, par aut ferè maius periculum imminere, ac ex materia turgente, existimat. 3. Si humor, etiam absque multitudine aut praua qualitate, circa quampiam principem partem, aut in earum aliquam decumbat. Purgationem tamen hanc ex præcepto Hippocratis, 2. *aph.* 24. cum præmeditatione faciendam censet. Nam si morbus toto genere exitialis sit, nihil nec eo tempore, nec alio mouere oportet. Deploratì enim curandi non sunt, sed cùm morbi finem prænunciare licet. Si etiam è diligenti examinatione rectum ac perfectum iudicium in morbo acuto aliquo expectetur, viresque morbo prævalere Medicus videat, absque vllo eius auxilio, præterquam conueniente victus ratione institutâ, abstinendum à medicamento purgante in eorum morborum initiis censet. Idem faciendum, si morbus sit diuturnus, existimat: Et proinde tantùm in iis morbis initio purgandum, qui quidem periculo non vacant: tamen non sunt ea toto genere perniciosi, vbi omnium spes est, si medicamento purgante naturæ succurratur, ægrum conualiturum.

Atque hæ sententiæ in eo omnes concordant, quòd vel in initio, si necessitas id requirat, sit purgandum; vel, in quo etiam plerique consentiunt, coctio expectanda, & in fine status, si à natura nullam excretionem institui videamus, aut in declinatione, si natura nihil per crisim euacuarit, vel imperfectè euacuarit.

Iodoci Lommij. Peculiarem opinionem fouet Iodocus Lommius, *lib. de cur. feb. contin. sect.* 1. qui eos reprehendit, qui in febribus, præcipuè acutis, vix vnum diem intermittunt, quo non ægrum medicamentis vel per os sumptis, vel per aluum iniectis sollicitent, naturámque in opere turbent; illos verò prorsus ineptire existimat, qui priùs declinationem febris vniuersalem, quàm purgent, expectant; cùm grauem morbum in vitam, necessario suspenso præsidio, sæuire permittant, eóque tempore medicinam adhibeant, quod omni periculo vacat. Ipse verò duo tempora purgationi in febribus eligit: Incrementi finem, & statum. Nam cùm Natura excretiones non antè instituat, quàm concoctio & sequestratio vitiosi humoris sit absoluta; id verò tempus, quo absolutâ coctione fit excretio, status ægritudinis appelletur: Medicum, vt naturæ ministrum & imitatorem, nonnisi in statu tutò purgare posse existimat; nisi aliud quid incidat, quod causa securitatis hanc purgandi regulam vniuersam mutare cogat. Id quod contingat in febribus continuis, per quarum statum impetus symptomatum purgandi locum tollat. In febribus verò intermittentibus, quæ vigorem iam perfectè attigerunt, tutò licere statuit, quo die intermissio est, concoctum humorem medicamento tollere, Natura iam tum nullis impedita symptomatibus. In continuatam verò statu, quia vigiliæ, deliria, ardores, sitis, inquietudines faciunt, quò minùs liceat his æstuantis oppressam Naturam medicationum irritamentis lacessere, fugiendum esse istud tempus docet, atque purgationem intermittendam, & in ipsius incrementi prouectiore parte medicamentum dandum esse. Tum enim plurima parte iam materia maturuit; neque symptomata impediunt, quæ nondum sunt maxima. Esse scilicet docet, ubi iam materia iccur, atque assistentes venas, biliosa excrementa vtcunque cocta, ductúque alui subtrahenda existimat: reliquis intra remotiora contentis vasa, ac fortè nondum prorsus coctis, ipsi relictis naturæ, per proximam semel remouendis euacuationem. Non tamen fortia vult adhiberi purgantia, sed mitia, ne calorem excitent, ac consumtis vitæ spiritibus vires supra modum extenuent: deinde cum non opus sit, vt materiam morbi è toto corpore radicitus extrahant, cum coctio in incremento planè absoluta non sit.

Cum hac opinione in quibusdam consentit Herc. Saxonia *lib. alleg.* Primò enim in augmento quandoque purgationem concedit duplici ratione. 1. Quòd in augmento humores æquè turgeant ac in principio. 2. Quia in augmento humor aliqua ex parte concoctus sit, qui propterea medicamento purgante educi debeat euacuari. In statu quoque in tribus casibus purgationem concessam esse statuit. 1. Quando febris ortum ducit ex humoribus frigidis vel paucis: tales enim humores per Crisin non expurgantur, & proinde expurgandi sunt. 2. Vbi natura Crisin tentauit, sed imperfectè, ibi purgandum esse, ex consilio Hippocratis, 1. *aph.* 21. *Quo natura vergit, eò ducere conuenit, per conuenientia loca.* 3. Quando in statu, iam transacto ex toto fere die decretorio, in morbis acutis & periculosis, cum maximis symptomatibus, natura tamen adhuc nihil incipit agere, opus esse dicit Naturæ succurrere, & propterea humores educere, ex sententia Auicennæ, qui inquit: *Si Natura non mouet, moue tu: horâ tamen motus illius.*

Plures Authorum opiniones in medium adducere, aut quid pro iis, quas recensuimus, & contrà disputari possit, prolixè recensere, operæpretium esse non duco. Illud potiùs agam, vt fundamenta pro controuersia hac discutienda necessaria adducam, & quomodo inde vera aliqua sententia elici, atque aliorum opiniones examinari possint, monstrem. *Decisio controuersiæ.*

Primò illud notandum, de febribus hîc solùm sermonem esse. Nec nugæ hæ sunt, vt putat Pius Æneas Caprilius, qui aphorismum hunc vniuersalissimum esse, & locum habere putat, tam in corpore febricitante, quàm non febricitante, & eadem contingere absurda putat, quando cruda euacuatur materia, siue adsit febris, siue non adsit febris. Nam fallitur hic Caprilius. Etenim si antecedentes & sequentes aphorismos etiam inspiciamus, manifestum inde euadit, eum de febribus, & præcipuè acutis loqui. Et quæ citra febrem est materia, propriè cruda non est, nec coctione indiget, etsi interdum præparatione aliqua, vt dicetur postea, opus habeat. Vnde & ipse concedit, materiam in hydrope, quia sit separata à bona materia, statim posse euacuari, quia non inter coctas materias recenseri: cùm tamen nunquam illa materia cocta fit, nec ad statum meliorem reduci possit. Itaque de febribus saltem hic quæritur: An in principio morborum aliquando purgandum sit? Atque id ipsum voluit Hippocrates, 1. *aph.* 22. cùm dicit: *Cocta, non cruda, esse purganda, &c.*

Non enim hîc de coctione sermo est, quà alimenta in substantiam corporis vertuntur, & quam Galenus, 1. *de nat. facult. cap.* 4. & 3. *de fac. nat. c.* 7. definit, nutrientis, in propriam qualitatem eius quod nutritur, mutationem, quâ, vt dictum, cùm alimenta assumta, tum dulcis pituita in sanguinem, & hinc in nostri corporis substantiam vertuntur: sed pro humorum excrementitiorum à Natura elaboratione, & in meliorem, in quem quidem possunt, statum reductione. *Explicatio aphor.* 22. *sect.* 1.

Et quidem coctio & cruditas, de quibus hic sermo, propriè competit humoribus putridis. Etsi enim à Medicis vrina, sputum, lippitudines, quin & humores, qui à cerebro per palatum & nares defluunt, excrementa alui, & omnino omnia excrementa, quæ initio aquea & tenuia sunt, temporis verò progressu crassiora & pauciora euadunt, primò cruda esse, & postea coqui dicantur; tamen cùm in *aphor. allegato*, cruditatis & coctionis mentio fit, & quæritur, an cruda purganda sint; cruditas & coctio non omnibus excrementis competit, sed primarium humoribus putridis; & cruditas omnino quandam ineptitudinem ad purgationem includit, à putredine profectam, sicut coctio contra humores illos putridos ad euacuationem aptos reddit: quod modò recensitis omnibus non competit. Nam vrina, & feces alui æquè coctæ ac crudæ excerni possunt ac debent: quod humoribus, de quibus hic controuersia, non competit. Coctio igitur, de qua hic sermo, tota ad purgationem dirigitur: sicut ob cruditatem humores ad purgationem inepti fiunt: Vocabulum enim cruditatis & coctionis à cruditate & coctione propriè dicta ad excrementitios humores transfertur. Hi enim etsi in nutrimentum corporis conuerti amplius non possint: dum tamen formam quandam meliorem, quam quidem possunt, acquirunt, & talem quidem, quâ *Cruditas & coctio quid.*

idonei

donec efficiantur ad expulsionem, (quod vnicè experitur) coquiditatur. Nimirum sicut apostemata adhuc cruda incidere aut purgare non decet, priusquam humor in ipsis contentus in pus laudabile sit mutatus, & bonum à malo separatum: ita nec humor crudus è corpore educendus, sed coctione priùs mitigandus, & ad faciliorem purgationem præparandus. Et natura hunc ordinem seruat in criticis expulsionibus, vt noxia primò corrigat, & quantum fieri potest, in meliorem & corpori minùs molestum ac noxium statum deducat, deinde separet à bono & vtili, ac demum è corpore expellat. Quod cùm solùm fiat in humoribus putridis: hinc apparet, quando quæritur: An cruda & initio purgandum sit: id solùm de febribus putridis accipiendum esse. Humores nimirum putridi in febribus solùm peculiari coctione ad purgationem à natura præparantur. Nam etiamsi & aliæ quædam humorum ad purgationem præparationes, & in febribus, & citra febres, fiant, quæ ab arte fieri possiunt: tamen iis coctionis nomen, vt postea dicetur, non competit, & coctio à præparatione humorum differt, vt *lib. 5. Instit. part. 1. sect. 1. c. 7.* dictum.

In quorum morborum principio cruda purgare liceat.

Ex quibus secundò obseruandum, duos à plurimis authoribus errores, nisi planè mea me opinio fallit, committi. Primò enim nonnulli, ad amplificandum sensum allegati *aphor. 22. sect. 1.* seu probandam purgationem in morborum principiis, varia Galeni loca adducunt, quibus probare conantur, licere, etiam non turgente materiâ, purgare in principio. Sed præter rem planè: cùm loca illa non loquantur de febribus putridis, sed de aliis morbis, in quibus nulla est cruditas, & propterea coctio nulla expectanda, & in quibus, si qui adsunt humores in corpore, qui purgatione indigent, mox expurgari possunt. Talia sunt, quando Galenus, *lib. 13. method. m.d. cap. 11.* in inflammationibus oculorum vnicâ die purgatione se fluxionem curasse scribit: quando, *eodem libro cap. 5.* in omnibus fluxionibus commendat huiusmodi euacuationem: quando, *6. method. med. cap. 2.* in punctura nerui vtitur purgatione: quando *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap 8.* iubet in omnibus inflammationibus, fluxionibus, ictu vehementi, statim retrahendos esse humores venâ sectâ vel purgatione: quando Hippocrates, *2. de fract. text. 27.* in fractura cranij statim purgat helleboro albo. Hæc enim loca omnia, & his similia, de talibus casibus loquuntur, in quibus nulla adest febris, & proinde nulla cruditas, de qua Hippocrates loquitur: & propterea ad id, cuius gratiâ adducuntur, probandum nihil faciunt. Idque ex ipso Hippocrate patet, qui etsi *alleg. loco*, in fractura capitis purgat, tamen si febris adsit, *ibid. text. 20.* in læsione calcis, cui inflammatio & febris valida accessit, purgare non audet.

Non in omnium morborum principio coctione opus est.

Secundò & alij peccant, qui aphorismum hunc, qui tamen solùm de febribus loquitur, omnibus morbis applicant, & semper, antequam purgent, humores coquendos esse scribunt. In quorum numero est Massaria, qui *lib. 1. Pract. c. 53.* reprehendit Fuchsium, & alios, qui in apoplexis, non expectatâ coctione, purgandum censent. Nulla enim in apoplexia est talis cruditas; quæ purgationem prohibeat. Nam licèt cùm in apoplexia, tum in aliis morbis, quidam vitiosi humores, cùm in primis viis, tùm in venis esse possint: per putredinem tamen non ita sanguini permixti sunt, vt priùs à natura separādi sint, sed illi saltem quasi confusi sunt, vt ductum medicamenti purgantis non inuiti sequi possint. Quod ipsa experientia in pluribus purgationibus, præseruationis gratiâ institutis, testatur, quarum eadem est ratio, quæ illarum, quæ in morbis quos nulla febris comitatur, instituuntur. Præparatio quidem aliqua, interdum, & viarum apertio, vt suo loco dicetur, necessaria est, non verò ista coctio, de qua Hippocrates hîc loquitur.

Hoc tamen etiam hîc non prætereundum: etsi coctio talis fiat in vlceribus & apostematibus: tamen id quod in iis coctum est, aperto apostemate, extra corpus effunditur, aut à natura sponte, vt in ophthalmia fieri solet, protruditur, non purgatione, de qua iam nobis sermo, tollitur. Et proinde rectè statutum putamus, inter morbos, quorum causa proxima purgatione tollitur, solùm febres esse, quæ illâ coctione priùs indigent.

Crudi humores vbi consistant.

Tertiò obseruandum, cùm coctio separationem vitiosi humoris à bono sanguine, seu includat, seu præcedat: tantùm de iis humoribus quæstionem esse, qui continentur in venis, & sanguini permixti sunt. Et proinde humores, qui in primis viis extra venas continentur, & omnino qui, vt confiteri necesse habet Capilius, *pag. 99.* separati sunt à bona materia, rectè sine coctione, vel vomito, vel purgatione euacuari posse. Hinc rectè ab Eustachio Rudio scriptum putamus, humores, qui in primis seu publicis viis consistunt: extra venas scilicet, & sanguini permixti non sunt, omni tempore vtiliter, adhibitâ tamen quadam, si opus, præparatione, medicamento purgante deiici posse. Et propterea non solùm in febribus intermittentibus, ante statum, materia præparata educi, sed etiam in continuis, si præter continentem febris causam in venis, cuius coctio meritò expectatur, alia quædam vitiosa materia in ventriculo, intestinia, aut circa præcordia hæret quæ dolore, æstu, nauseâ, angore, aliisque signis sese manifestat, ea, nulla etiam apparente coctione, vtiliter expurgari potest. Medicamenta tamen quæ adhibentur, leniora & mitia esse debent; præcipuè in continuis & acutis.

Quartò, de materia verò febrium putridarum in venis, præcipuè caua, sanguini permixtâ, & quæ propriè cruda esse & coqui dicitur, rectè scriptum putamus ab Hippoc. *Cocta purgare oportet, non cruda; neque per initia, nisi materia turgeat.* Cur autem cruda purgare fas non sit, cocta verò purgare liceat; vt & cur turgens materia in principio euacuari debeat; & quænam illa sit: de eo & suprà aliquid, & præcipuè in *Instit. lib. 5. par. 2. sect. 1. c. 6.* pluribus dictum est, quæ hic non repetimus. Illud saltem explicandum adhuc videtur, quæ causa sit, cur turgentes humores commodè euacuari possint? Etsi enim mox expurgandi dicantur, quòd periculum ab iis immineat, ne in partem aliquam præcipuam ruant, & mobiles & tenues sint, ac facilè ductum medicamenti sequi posse videantur: tamen quomodo hoc fieri possit, dubium adhuc est, cùm crudi sint, & nondum à bono sanguine separati, & proinde ad euacuandum inepti: Ego vt meam mentem hîc explicem, cùm alios hoc dubium soluere non videam, ita sentio. Materia quæ febri dat originem, initio sæpe exigua est, fermenti tamen instar, in continuis, reliquos humores corrumpendi & putrefaciendi vim habet. In initio tamen sanguini nondum ita exactè permixta est, sed temporis progressu, & quò maior fit humorum ebullitio & efferuescentia, magis sanguini miscetur. Ideóque si in principio naturæ valde molesta sit, eamque stimulet, solet à natura moueri, & si non è corpore, quod fit in euacuationibus symptomaticis, possit planè exturbari: tamen è visceribus ad partes exteriores & ignobiliores protrudi solet, (id quod in erysipelate, & febribus, quas Comitatas dicunt, fieri videmus) & vt naturæ molesta hinc inde agitari solet. Itaque talis materia, quia non solùm mobilis est, sed & actu iam mouetur, & vagabunda hinc inde errat, idq; Naturæ eam expellere volentis conatu, neq; sanguini tum adeò exactè permixta est, non difficulter in principio morbi, si imminens periculum id vrgeat, expurgari potest.

An verò hic Aphorismus aliquam ampliationem patiatur, de eo posterò videndum. Nos eum non facilè aliquam amplificationem pati putamus, cùm Hippocrates non in genere, vt vult Capilius, dum crudos humores purgare vetat, omnes vrgentes excipiat, & exempli loco saltem materiam turgentem afferat, etsi sint alij etiam humores crudi plus vrgentes: sed expressè tantùm turgentes excipiat, & sicut *aph. 22.* rarò crudos humores turgere dicit, ita *aph. 24.* in morbis acutis crudos humores rarò, & per initia purgandos esse doceat. Id quod euidentius fiet, si omnes casûs, in quibus alij crudam materiam purgandam esse putant, breuiter in specie perpendamus. Cùm autem tum solùm purgare fas sit, vt est apud Galenum, *1. aph. 24.* cùm ex infestorum humorum euacuatione vtilitatem consequi licet maiorem, quàm sit detrimentum, quod ex medicamentis purgantibus corpus accipit: in omnibus hisce casibus, qui ab authoribus proponuntur, illud vnicè attendendum, an plus vtilitatis ex instituta purgatione, quàm ex coctione expectata, aut incommodi ex eadem instituta oriri possit.

Humores ad partes nobiles ruentes an in principio purgandi.

Primò quod attinet humorum ad partem aliquam principem seu quæ principem in consensum trahere potest, actu ruentium impetum, de eo hoc perpendendum; an æger febricitet, an verò febre liber sit. Nam si nulla adsit febris, & proinde nulla cruditas, de qua hîc sermo: tum morbos illos ad hāc quæstionem non pertinere, & tutò in iis purgari posse, iam antea dictum. Habemúsque hic non solùm præceptum Galeni, qui *lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 8.* ita scribit: *In iis, in quibus pars quadam grauiter icta est, aut vtcunque aliter incipientem habet phlegmonen, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgante medicamento exhibito, aut venâ apertâ, prout nimirum alterum altero magis conuenire putamus:* Verùm etiam eiusdem, & præstantissimorum Medicorum exempla, quæ sequamur, habemus, qui in talibus morbis, sine cunctatione, quæ plerumque locum non habet, non solùm venam secant, sed etiam superfluos & vitiosos humores, qui ad partem affectam confluant, medicamento purgante exhibito, è corpore educunt. Si autem febris accedat, & putredo in humoribus accendatur, iam non æquè purgare licet. Etsi enim verum sit, ex materia actu in partem principem ruente maius, quàm ex turgente, quæ potentiam tantùm irruendi in eam habet, periculum metuendum esse: tamen an istud purgatione auerti possit, & an ista materia tam commodè, ac turgida, purgantibus educi possit, dubitatur. Nam turgida materia non solùm irruendi in partem principem potentiam habet, sed etiam promptitudinem exeundi è corpore. Hac cùm destituatur materia in partem principem ruens, nonminùs expurgatione infeliciter instituta, quàm ex motu ad partem principem, periculum metuendum est. Si enim moueatur saltem materia & non rectè educatur, maiore impetu in partem affectam ruet; id quod sæpe ex insufficiente purgatione in affectibus è fluxione naris fieri experientia testatur. Neque etiam hîc saltem ad affectum, qui ex materia ad partem principem ruente oritur, respiciendum, sed quoque ad febrem, quæ in primis si vehementior sit, magnum periculum minatur. Vnde, vt anteà dictum, Hippocrates, *2. de fract. text. 20.* in læsione calcis, cui valida febris successerit, purgare non audet. Et licèt purgationem adhibere non liceat; tamen sine auxilio æger relinquendus non est; sed cùm in inflammationibus sanguis plerumque reliquorum humorum vehiculum sit, & ipse copiosiùs

irroat, venæsectio, & aliæ reuulsionet adhiberi possunt: & quidem pro partis, ad quam ruit, natura comparatæ, inter quas etiam clysteres sunt.

Id tamen accipiendum est de ea inflammatione, quæ febrem præcessit, & à qua febris oritur. Si verò febris omnibus sit primarius, cui accedat inflammatio ea materiæ ad partem aliquam oobiiem affluxu, purgatione vti licet. Talis enim materia non immeritò ad turgentem refertur, quam Natura è venis expellere conatur. Etsi enim ad partem determinatam ruit: tamen parti nondum infixa est, sed mobilis; quod vel ex eo patet, quòd quæ primò in hanc partem fertur, mox in aliam moueri incipit, vnde morborum transmutationes fiunt, & ex pleuritide fit angina vel peripneumonia, ea peripneumonia phrenitis. Vnde omnino concedimus, quandoque materiam ad principes partes, vel quæ principes in consensum trahere possunt, ruentem in principio commodè euacuari posse, tum scilicet, vbi quidem ad partem determinatam fluit, fixa tamen nondum est, sed suo modo vaga, & quæ facilè in aliam partem etiam fluere possit, & quæ propterea turgens non incommodè nominari possit.

Venenata materia an in principio purganda sit.

Secundò venenatam materiam quod attinet, licèt quidem concedamus, non minùs, imò maius, ab ea periculum imminere, quàm à materia turgente: tamen rursus quæstio est, an purgante medicamento è corpore tolli possit. Sui quidem è corpore amotionem materia venenata, vtpote toto genere præter naturam, indicat sed quomodo tolli debeat, de eo accuratè dispiciendum. Et primò quidem venenata materia distinguenda est; cùm eius aliqua sit diuersitas.

Venenorum ore sumptorum curatio.

Nam primò quædam Venena ore sumuntur. Quod vbi factũ, vsu recepta & comprobata curatio est, vt detur opera, vt quamprimùm venenum sumtum ore reiiciatur vomitu: deinde per alexipharmaca, & ea medicamenta, quæ peculiari vi veneno resistunt, eius vis sustingetur. Non verò per purgantia medicamenta per longas ambages ac gyros intestinorum venena circumducenda sunt: quod si fiat, facilè contingere potest, vt in penitiores venas sese insinuans venenum hominem iugolet. Venenorum enim vis fortis, & eorum ad cor magnus impetus, qui facilè purgantis medicamenti vim superare potest.

Venenorum ictu ac morsu animaliũ illatorum curatio.

Secundò sunt quædam venena, quæ extrà, morsu & ictu animalium venenatorum corpori nostro inferuntur. Eorum curationem Galenus tradit, *art. med. cap.* 19. quæ in duobus cõsistit, in alterantibus, id est, iis medicamentis, quæ totâ naturâ & peculiari vi ipsis sunt aduersa; & attrahentibus, id est, foras venenum euocantibus medicamentis. Ita enim ait: *Alterationes quidem per ea molimur, quæ vel tota substantia, vel qualitate vna duabúsue sint contraria. Euacuabimus autem trahẽtiũ facultatibus.* Quo loco per trahentia medicamenta, non purgantia intelligit, sed ea, quæ ὁλκτικὰ alibi appellat; quod ex aliis locis patet. Nam 13. *meth. med. c.* 6. venenatorum animalium ictûs & morsûs curari docet alterantibus & vacuantibus, id est, iis quæ extrà trahant, vt sunt cucurbitulæ, cauteria & caustica medicamenta, ac id genus alia. Et 5. *de simp. med. fac. c.* 18. scribit: *Omne deleterium venenum à foris impositum medicamentis euacuatur, nempe aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantia similitudine.* Purgantia ergò in hisce venenis locum non habent, imò plus nocerent; cùm ab ambitu corporis venenum ad interiora traherent.

An materia maligna & pestilens in principio purganda.

Atque ita restat tertium veneni genus, quod vel in corpore gignitur, vel cum aëre attrahitur, seu cõtagio communicatur, è quo malignæ & pestilentes febres, atque adeò ipsa pestis generari solet. Et de hoc imprimis quæritur, an mox in principio purgationem requirat. Vt nos breuiter hic expediamus, sciendũ, ipsam malignitatem, pestilentiam, seu in genere venenositatem, quatenus talis, non purgantia requirere, neque per ea tolli per se, sed per alexipharmaca expugnari, de quo alio loco dictum est, & dicetur de eo suo loco iterum; at putamus, apud eos qui rem rectâ ratione æstimare volunt, id extra controuersiam esse. Et quò veneni maior est vehementia, eò citiùs ad talia alexipharmaca properandum, & efficaciora ex iis exhibenda. Quia tamen sæpe accidit, vt ij qui talibus febribus, aut peste ipsâ corripiuntur, pluribus humoribus vitiosis scateant, qui febrem & putredinem, quæ alias à veneno illo plerumque inducitur, augere possent, ipsique fomitem idoneum præbere: iam porrò quæritur, quid tum in febribus malignis & pestilentibus, ipsâque peste faciendum, & an illa materia statim euacuanda, an verò concoctio expectanda sit?

De hac re in specie suo loco plura dicentur. Hîc in genere monuisse sufficiat, cùm fomes & materia, quæ febrem augere possit, plerumque in primis viis consistat, in febribus malignis, imò pestilentibus, & peste ipsâ, non incommodè primas vias euacuari. Hoc enim nisi fiat, nec symptomata mitigari, nec malignitas obtundi, nec alia cum fructu & successu aliquo tentari possunt. Præterea vitiosi isti humores à calore febrili agitati in maiores venas facilè sese insinuant, & morbum grauiorem efficiunt. Fomite verò isto sublato, symptomata remittunt, & reliqua feliciùs peragi possunt. Conueniunt huic rei syr. rosarum sol. manna, pulpa tamarindor. & cassia cum pulpâ tamarind. mixta. Nonnulli etiam agarico, rhabarbaro & senâ vtuntur, atque inprimis in malignis vsum agarici commendant: Alij verò & ab istis mitioribus, nisi materia turgeat, abstinendum censent. Verùm enimuerò si ista lenia, syrupus rosar. solut. manna, cassia, tamarindi satisfaciant, in iis acquiescere possumus: si autem robustiora sint corpora, aut etiam, quod sæpe accidere solet, maior vitiosi humoris sit copia, talisque eius constitutio, vt lenia ista satisfactura diffidamus, rhabarbaro & agarico vti licet: Neque enim tam fortia sunt hæc, si debitâ quantitate exhibeantur, vt humores in remotioribus venis valde agitent. Licet quoque istam materiam, si ad superiora vergat, vomitu commodè excludere. A reliquis autem fortioribus purgantib. omnino abstinendum, nisi materia turgeat, & ad excretionem properet. Licèt enim materia ista non minùs, imò maius periculum, quam turgens minetur: tamen cùm à natura non elaborata sit, calórque præter naturam in corpore adhuc dominetur, medicamento purganti non cedit: ideóque frustra ab eo agitatur; & potiùs in summa quiete detineri debet; donec à natura concoquatur & vincatur. Quamuis enim materia ista venenata sit: non tamen tota venenum est, quod nullam à natura elaborationem suscipiat; sed non rarò à natura vincitur, coquitur, & per crisin euacuatur, aut in abscessûs extruditur. Præterea vires in hoc morbo valde sunt debiles, ac propterea omni studio conseruandæ, vt toto morbo vincendo pares sint.

An humores copiosi in principio purgandi.

Tertiò in classem humorum, quos in principio sine coctione purgare liceat, nonnulli referunt copiam humorum, non tamen quamuis, sed vbi morbus grauis, sæuúsque sit, & metuendum nisi materiæ pars subtrahatur, & purgante medicamento mox educatur, naturam morbum non victuram, ægrúmque de vita periclitaturum esse.

Verùm sciendum, si materia illa in primis viis contineatur, (vt sæpe accidit, & æger non minùs ob materiam in primis viis, quàm in venis contentam periclitetur) de ea libentes concedimus, & antea concessimus, esse euacuandam in principio, multis de causis: Sed de hac materia propriè quæstio non est, verùm de illa, quæ in venis continetur, sanguinique permixta est. Huius pars aliqua quomodo initio electiuè purgantibus medicamentis, cum ægri emolumento euacuari possit, non videmus. Verum est, à copia tanta materiæ ægro non parum periculi imminere: illud tamen per purgationem in initio morbi institutam auerti non potest. Omnia enim ea tali purgatione sequi possunt incommoda, quæ ex crudæ materiæ purgatione sequi solent. In primis metus est, ne humores saltem tenues, vtpote qui ductum medicamenti faciliùs sequuntur, educantur, reliqui qui sunt crassiores, remaneant; & agitati solùm, non verò euacuati, obstructiones pertinaces pariant, morbúmque augeant. Neque tamen etiam hic æger, etsi purgatione non vtatur, omni auxilio destituitur. Nam vbi cacochymia sanguini permixta est, vt natura oneris parte leuata, quod reliquum est faciliùs concoquat, in omni febre putrida sanguinem mittere vtilissimum esse, è Galeni consilio suprà diximus.

An materia in parte aliqua principe hærens, in principio purganda.

Quartò, Octauianus Roboretus huc retulit materiam, quæ in parte aliqua principali, vel quæ principalem in consensum trahere possit, fixa, vnde grauia oriuntur symptomata. Verùm enimuerò si pars illa sit circa primas vias, vt ipse *citato loco*, materiã in ventriculo hærentem recenset, cuius causâ oritur lipothymia, tum facilè admittimus, illam mox in principio euacuandam esse. sed de illa quæstio non est, verùm de ea, quæ propriè cruda dicitur, quæ si circa aliquam partem loco remotiore sitam hæreat, commodè euacuari non potest. Illis etiam partibus affectis, ad quas in purgatione humores trahantur, purgare non licet. Sic in inflammatione hepatis à purgantibus abstinendum, quòd iis humorum versùs hepar fluxus magis concitetur.

An humores tenues in principio purgandi.

Quintò, nonnulli calidos & tenues humores in principio purgandos esse existimant. Quod si verum est, in omnibus ferè acutis febribus, in initio purgandum, cùm tamen Hippocrates in acutis rarò purgandum esse scribat. Nimirum tenuitas sola ad purgationem non sufficit: Et tenues humores æquè crudi esse possunt, ac alij, & propterea coquendi sunt, id est, à natura vincendi, elaborandi, & à bonis separandi, antequam purgentur, nisi vehemens periculum vrgeat, & tale, quod purgatione auerti possit, id est, nisi turgeant.

Hier. Mercurialis opinionem quod attinet, & primò distinctionem illam, quâ operationes Medici diuidit in regularem & coactam, nisi ita explicetur, vt regularis illa sit, vbi Medicus id simpliciter, quod indicans iubet, sine aliquo prohibentis interuentu, exequi potest; coactam verò illam, vbi necessitas aliquid aliter, quàm indicans requirit, agere iubet, admitti non potest. Nunquam enim licet cõtra regulas methodi medendi peccare. Nihilominus vtraque operatio ista, tam ea quam regularem, quàm illa quam coactam appellat, sub legibus methodi medẽdi cõtinetur, & propterea vtraque regularis est, si propriè loqui libet. Deinde quantum ad casûs, in quibus in principio purgandũ putat, & primos quidem duos, in quibus perfectè purgare liceat, de iis iam dictum. Casûs verò duos, in quibus in principio esse purgandũ imperfectè scribit, quod attinet, de primo, vbi scilicet metus est, ne materia turgeat, nullã mẽtionem facit Hippocrates, & saltẽ de materia actu turgẽte loquitur. Et quis Medicorũ tam perspicax est, vt ὀργασμὸν humorum præuidere possit? Humorum quidẽ caliditas & tenuitas in acutis sẽper adest, vt plurimum tamen eos non turgere dixit Hippocrat. Secundus verò

casus,

casus, quando scilicet plenitudinem sanguinis, quam ob aliquod impedimentum, secta venâ imminuere non licet, purgatione imminuere iubet, planè ratione destitutus videtur. Purgatio enim solùm vitiosos humores euacuat, nullum verò datur, vel in vsu est medicamentum sanguinem purgans. Deinde licèt venæsectio adhiberi non possit, sunt tamen alij modi, quibus sanguinem imminuere licet: cucurbitulæ scarificatæ, malleolorum scarificatio, hæmorrhoidum apertio.

An in augmento febrium purgandum.

Tandem superest Iodoci Lommij opinio, qui in intermittentibus in statu, in continuis verò in fine augmenti purgandum esse docet. Verùm neutrum commodè facere licet. Augmenti finem quod attinet, se accingit tum in primis Natura ad coctionem & futuram crisin. Cùm verò purgantia medicamenta coctionem prohibeant, humorésque agitent, metuendum est, ne ab opere suo abstrahatur, vel ad crisin maturandam infeliciter incitetur & impellatur. Præterea in fine augmenti symptomata satis grauia iam sunt: & propterea æger amplius non est molestandus. In statu verò, nisi id in fine eius fiat, commodè etiam non purgatur. Id quod præcipit Hippocrates, 1. *Aph. 20. Quæ indicantur & indicata sunt integrè, neque mouere, neque medicamentis, neque aliis irritamentis decet, sed sinere.* Ideóque si natura officium facit, vel factum est, etiam in intermittentibus, in opere suo turbanda non est. In fine tamen status si naturam non satis facere videamus, euacuare licet, & naturæ defectum arte supplere.

An in statu febrium sit purgandum.

Interim, quod obicit Lommius, non sine omni præsidio morbum in naturam grassari permittimus, neque vbi extra omne periculum est æger, purgamus. Nam si naturam onere subleuare volumus, in initio id facimus, secundum præceptum Hippocratis, 1. *Aph. 29. Incipientibus morbis, si quid mouendum videtur, moue.* Deinde licèt status præterierit, non semper æger est extra omne periculum. Sæpe enim accidit, vt natura vel nullam excretionem moueat, vel imperfectè purget: Ac tum naturæ defectum Medicus arte supplere debet, ne æger in morbum recidat. *Quæ enim in morbis post crisin relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt.* 2. *aph.* 12.

De materia tamen & forma exhibendi purgantia, notandum, in febribus biliosis pilulas non esse ita commodas. Cum enim dentur in parua quantitate, necessaria sunt purgantia fortia & calidiora. Aut si fortè exhibeantur, post sumptas pilulas statim exhibeatur potiuncula refrigerans, qua & pilulæ dissoluuntur, & earum caliditas temperatur. In febribus tamen pituitosis & melancholicis tutiùs pilulæ exhiberi possunt. Reliqua quæ de purgatione dici possunt, videantur in *Institutionibus.*

Medicamenta vomitum, sudorem & aluum simul cientia.

Atque hæc de purgatione hoc loco in genere dixisse sufficiat. Vnum saltem adhuc monere libet, quod forsan apud antiquos ita non occurrit, nimirum recentiores quosdam purgantibus admiscere sudorifera medicamenta. Ita Heurnius, *lib. de peste, c. 9.* cæpam albam cauatam theriacæ ℥.i. & modico puluere rad. tormentillæ ac dictamni replet, & sub cineribus coquit: Eandem postea contundit, affusâ aquâ cardui benedicti, & aceto flos. calendulæ, succumque exprimit, & addit tryphera̧m Persicam, cum confect. hamech, vel electuar. Indo, aut diaphœnico, atque id medicamentum purgaturum, & mox quoque sudorem prouocaturum pollicetur. Neque metuit contrarios eodem tempore motûs, eò quod conclamatum sit, nisi ab hoc hoste illicò natura vindicetur; & præcipuè cùm vsus hæc proba esse docuerit. Ita Rulandus senior, *in cent.* ex centaurio minore, & asari radice, medicamentum, quod vomitum & sudores mouet, componit. Et, *cent. 3. cur. 70.* aquam exhibet, quæ vomitum, aluum & sudorem mouet. Quod & filius imitatus est, qui in *historiis curationum morbi Hungarici*, radicibus asari cum aq. card. bened. & acetosæ, vomitum & sudorem concitauit.

CAPVT VII.

De coctione & præparatione humorum.

Coctio solius naturæ opus.

CVm ergo non semper, sed rariùs tutum sit, in initio febrium purgare: coctio plerumque expectanda est, & proinde videndum, quomodo illa perficiatur. Etsi autem coctio solius naturæ opus sit, quæ caloris innati beneficio & viribus humores elaborat, & ad eam, quam recipere apti nati sunt, perfectionem deducit: tamen & medicamenta digestiua, seu concoquentia dantur, quæ quia vel calorem natiuum fouent, & roborant, vel impedimenta, quæ naturam in coctione remorari possunt, remouent, vt coctio feliciùs expediatur: concoctio etiam ipsis adscribitur. Egimus autem ea de re diligenter & pluribus, *lib. 5. Instit. part. 2. s. 1. c. 7.* quæ ibi legi possunt; nec opus est hîc omnia repetere. Breuiter rem iam hîc complecti libet hoc modo. Concoctio humorum hîc intelligitur, non ea elaboratio, & mutatio eorum, quâ idonei corpori nostro alendo redduntur, sed cùm ij caloris natiui viribus ita alterantur, & ab vtilibus separantur, vt euacuationi reddantur idonei. Atque ita materia febrilis coctionem solius naturæ opus esse diximus: Hæc enim vbi caussis morborum fortior fuerit, eásque vicerit, humoribus vitiosis, & corpori alêdo inutilibus, eam quam recipere possunt, perfectionem inducit, sicut hoc in puris generatione fieri videmus; postea à bonis separat, & tandem per crisin expellit.

Atque ita Cruditas & Coctio, de quibus in doctrina de purgatione loquitur Hipp. non alibi locum mihi habere videntur, quam in febribus. Vnde ij peccant, qui in omnibus morbis, etiam sine omni febre, digestiua quæ vocant, purgantibus præmittenda esse putant. Cùm materia ita sæpe sit disposita, vt licèt exhiberemus sexcentos syrupos, (vt loquitur P. Æneas Caprilius) nunquam maior fieret separatio. Cruditas autem in febribus videtur esse humorum quasi quædam ebullitio, fermentatio seu feruor. Nondum enim, vt Gal. id explicat, durante illâ ebullitione, vitiosū à bono separatum est. Videtúrque mihi hîc ferè se res habere, sicut in musto & cereuisia. Si quis vel decies colarit, vel per filtrum quoque, quod appellant, destillarit mustū vel cereuisiam nundum defecatam, eam claram non reddet; eam ob causam, quòd natura partes heterogeneas nōdum separarit. Cessante verò illa ebullitione, & fermētatione absoluta, postea vinum & cereuisia clara redduntur, fecésque subsident: adeò vt etiamsi agitatione turbētur, feces tamen breui temporis spatio iterum subsideant; aut si in vinum, aut cereuisiam defecatam, puluerem aliquem inicias, is facilè vel subsidētia, vel filtratione separetur. Ita antequam humores in venis deferbuerint, nec à natura, nec ab arte cum εὐφορίᾳ & vtilitate facilè instituitur purgatio: quæ fit postea feliciter, postquam coctione partes heterogeneæ separatæ sunt. Id quod & in inflammationibus & vlceribus fieri videmus. Atque ita sese rem habere, ipsa vrinæ subsidentia & separatio contentorum docet. Durante enim illa ebullitione, omnes vrinæ partes, sicut in musto, confunduntur: cessante verò illa, separantur & subsident quædam.

Cruditas in febribus quid.

Medici in coctione humorū officiū.

Quæ autem Medici partes hîc sint, diligenter disquirendum, cùm non omnes id satis perspicuè explicent. Existimamus autem duplicia esse medicamenta, quæ Medicus ante humorum purgationem exhibere debet. Quædam concoquentia dici possunt, seu alterantia; quædam præparantia. Etsi enim nonnulli plura recenseant: tamen ad hæc capita reduci possunt, & frustra eorum numerus multiplicatur.

Herc. Saxonia habet alterationem, præparationem, & concoctionem: sed cum concoctionem soli naturæ tribuat, nobiscum sentit, & per alterantia nonnisi, quæ hîc appellantur concoquentia intelligit.

An digestio & coctio differant.

Donatus ab Altomari quartam operationem addit, digestionem, & pluribus disputat, eos peccare, qui digestione pro cōcoctione, & concoctionem pro digestione accipiunt. Ipse verò hoc modo distinguenda censet. Digerere idem est, ait, quod ordinare, dissipare, distribuere, vel distinguere, idémque est, digero, quod Græcis διανέμειν, vel διακοσμεῖν, vel διακρίνειν. Hinc διάκρισις, separatio: & quod Græci ἀνάδοσιν dicunt, nos digestionem appellamus. Et proinde putat, primò dici propriè digestionem, concocti & perfecti alimenti, ac in sanguinem cōuersi, in corporis particulas omnes attractionē. Deinde etiam de excrementis præter naturam in corpore retentis, vsurpari vocem digestionis statuit. Et quidē dupliciter: Primò, cùm natura ipsa post concoctionem sensibiliter, per sensibiles canales, aluum videlicet, vrinam, sudorē, ea expellit: Deinde cùm eadem non sensibiliter, sed per halitum digerit, dispergit, atq; per poros cutis insensibiliter discutit; quod Græcis propriè est διαφόρησις.

Verùm enimuerò saltem de vocabulis hęc lis est. Scimus equidem vocabulum digerere, propriè sumtum, idem esse, quod in diuersas partes distribuere, & hinc quoq; pro ordinare, vsurpari. Quę enim ordinantur, hoc hîc, illud alibi disponitur. Et scimus ἀνάδοσιν, & διάδοσιν, cibi distributionem, ac διαφόρησιν humorum insensibilem discussionem esse; & aliud Græcis esse πέψιν, aliud ἀνάδοσιν, aliud διαφόρησιν. Interim vbi de præsenti negotio, & Latino vocabulo digestionis, sermo est, sciendum; superioribus sæculis, minùs Latinis, vocabulū Digestionis semper pro coctione vsurpatum, imò in frequētiore vsu, quàm vocabulum coctionis fuisse. Neque tamē planè barbara est hæc significatio; cùm & apud probatos authores linguæ Latinæ reperiatur. Hic vocabuli vsus postea in scholis Medicorum retentus est, & digestio ipsis idem est, quod coctio; & Digestiua medicamenta dicuntur, quæ Concoquentia aliâs nominantur. Etsi enim, vt diximus, Naturæ opus sit concoctio humorum putridorum: tamen vsus hoc obtinuit, vt primò ea medicamēta, quæ calorem natiuum fouent ac roborant, vt coctioni humorum faciliùs sufficiat: deinde, etsi minùs propriè, (cùm magis propriè alterantia appellentur) quæ impedimenta quædam, quæ naturam in coquendo remorantur, tollunt, & excessûs qualitatum ad mediocritatem reducunt. Concoquentia nominentur. In externis partibus & tumoribus per emplastica medicamenta calor quidem commodè fouetur: idem verò in febribus, & in partibus internis, per illa commodè vix tentari potest, sed potiùs quiete, somno, & moderato ciborum temperatorum vsu, calorem natiuum fouemus ac instauramus. Atque ita coctio propriè soli naturæ relinquitur.

Digestiua & concoquentia medicamenta quæ.

Digestiua tamen & concoquentia medicamenta appellari ea vsus obtinuit, quæ impedimenta quæ naturam in coctione remorari possunt, tollunt, & quantum quidem licet, naturam in elaborandis humoribus iuuant. Cùm enim natura omnia ad mediocritatem deducere tētet, & calor, qui coctionis author est, moderatus esse debeat: omnis qualitatum excessus ad coctionem feliciter expediendā ineptus est. Intensior enim vrit; debilior ad coctionem perficiendam non sufficit. Et quò quodque magis

à mediocritate abest; eò maiore cum labore & difficultate à natura ad eandem deducitur. Medicus ergo naturam iuuat, dum illum qualitatum excessum tollit. Hinc calida sunt refrigeranda; frigida calefacienda; sicca humectanda, humida siccanda; crassa attenuanda, tenuia incrassanda, & si qui alij sunt qualitatum excessus, ad mediocritatem redigendi sunt. Etsi enim febris per se tantùm refrigerantia & humectantia requirat: tamen causæ ratione nonnunquam calefacientibus & humectantibus vtendum, & sua cuique humori debetur alteratio.

Bilem primò quod attinet, à qua febres frequentissimè oriuntur, de eius in qualitatibus primis alteratione, nullum est dubium, de secundis verò variè est disputatum inter Medicos. Nonnulli in ipsa quoque bile extenuantibus & incidentibus vtendum censent, authoritate Galeni, qui 1. *aph.* 24. etiam in acutis febribus origano & hyssopo, in aqua mulsa coctis, ad extenuationem vtitur. Alij contra bilem incrassandã esse censent. Alij neutrum horum faciendum putant: neque attenuandam bilem, cùm antea sit tenuis, neque incrassandam, cùm ad motum reddatur ineptior, sed sine vlla alteratione purgandam censent.

Vt nos breuiter expediamus, verum quidem est, eos malè sentire, qui putant biliosos humores ampliùs extenuandos esse. Sunt enim antea satis mobiles. Et metuendum, ne eiusmodi calidis medicamentis humores magis incalescant, & maius incendium excitetur; febrisque, & omnia eius symptomata augeantur. Et quod Galenus, *allegato loco*, hyssopo & origano vtitur, nõ ob bilem id facit, sed ob meatus, qui ab humore crasso obstructi sunt, neque ante coctionem bilis id faciendum. Deinde illi quoque non rectè sentire videntur, qui nulla præparatione & alteratione bilem indigere putant. Etsi enim bilis sat mobilis sit: tamen eiusdem magnus est feruor, & acrimonia; & propterea qualitates hæ ad mediocritatem aliquam deducendæ sunt, ne si ita calida & acris purgetur, in internis visceribus magnum aliquod damnum excitet. Ergo rectissimè biliosi humores frigidis medicamentis attemperantur, & tenuitas eorum, si sit nimia, ad mediocritatẽ aliquam deducenda est, vt, qui priùs calore & acrimonia nimia corpus turbabant, nunc refrigeratione mitescentes, ac veluti domiti, naturæ manus dent, & ab ea faciliùs vincantur atque ista elaboratione ad mediocritatem aliquam reducti, postea commodiùs euacuentur. Cùm tamen, vt postea dicetur, semper videndum sit, vt meatus, per quos humores euacuari debent, pateant, ea rectissimè tum adhibentur, quæ simul refrigerant, & leniter abstergunt, insigni autem adstrictione carent. Interim pro conseruando robore partium, præcipuè hepatis, leniter adstringentia vtilia. Dantur autem talia medicamenta, quæ vim aperiendi habent, aliqua tamen adstrictione non destituuntur. Talia sunt: *Cichorium, Endiuia, Sonchus, Scariola, Chondrilla, & omnia cichoracea.* Bili etiam temperandæ inseruiunt, *Hordeum, Borrago, Buglossum, semina refrigerantia maiora & minora dicta, succus citri, granatorum, ribes*: E quibus & decocta fiunt, & aquæ destillantur, quibus postea Syrupi ex iisdem parati, *Syrupus acetosus s. oxymel s. oxysaccharum s. Syrupus acetositatis citri*, præcipue si adsit suspicio malignitatis, *de succo acetosæ, granatorum, violarum*, & si bilis sit crassior, *Syrupus de endiuia compositus, byzantinus s.* & alij admiscentur. Licet quoque aliquot guttas spiritus *vitriol.* vel sal. admiscere. Ex seminibus etiam possunt cum liquoribus conuenientibus fieri Emulsiones. Liquida enim ista faciliùs se in venas insinuant, & calidos humores attemperant. Possunt tamen etiam ea herbis & floribus fieri conseruæ; è radicibus & fructibus condita, vnde rursum Electuaria parantur.

In febribus *Pituitosis*, cùm humores magis crassi & lenti sint, & natura in coctione illos quoque ad quandam mediocritatem redigere conetur, opus est incidentibus & attenuantibus. Qualia sunt, *radices aperientes* vulgò dictæ, *capillus ♀. hyssopus, betonica, agrimonia, Syrupus acetosus, & oximel s. Syrupus byzantinus s. & compos. Oxymel compositum, & scilliticum, Syr. de duab. radic. Syr. de 5. radicibus, de betonica, & similes*; Incipiendúmque à mitioribus, postea ad validiora progrediendum.

Melancholiã præparantia.

In humore *Melancholico* vsurpentur attenuantia quidem, sed quæ simul vim humectandi habent. Melancholicus enim humor frigidus, siccus & crassus est. Atra bilis cùm sit calida sicca, crassa: frigida, humectantia & attenuantia postulat. Hinc in febribus ex his humoribus natis vsurpantur, *borrago, buglossum, polypodium, viola, scolopendrium, ceterach, cortices tamarisci, capparum, glycyrrhiza & similia.* Et composita: *Syr. byzantinus s. borraginis, buglossi, fumariæ, de scolopendrio, de lupulo, oxysacchara composita, & similia.*

Putredinem humorum inhibentia.

Cautus tamen sit Medicus in iis medicamentis adhibendis, quæ frigidi humores requirunt, & febrem propterea augere possunt, qualia sunt, quæ validè attenuant; atque attendat, ne per ea febris augeatur. Contrà & hoc attendendum: ne infrigidantibus humores nimis incrassentur, & transpiratio, quam in omni febre rectè se habere vtilissimum est, impediatur. Vnde Galenus non sine causa, 1. *aph.* 24. etiam in acutis febribus origano & hyssopo in aqua mulsa coctis vtitur.

Cæterùm cùm omnibus humoribus his, quatenus febrem generant, putredo & corruptio quædam insit, eâ ratione omnibus his febribus, quæ putredini resistunt, conueniunt. Imò cùm putredo sæpe nondum integra & perfecta sit, vt illa inhibeatur refrigeratione, exsiccatione, & calidi natiui roboratione opus est. Huic operi & fini vtilia sunt, *acetum, & Syr. acetosus, succus limonum, citri, granatorum; cichorium, endiuia, acetosa, pentaphyllum, tormentilla.* Verùm de his plura in febrium curatione speciali dicentur.

Humorum præparatio.

Atque hæc est humorum coctio seu alteratio, quæ ab Arte proficiscitur, quâ medicamentorum ope Naturæ aliquo modo opitulatur Medicus, & impedimenta quæ naturam in coquendo remorantur, remouet. Præter hanc & alia humorum præparatio necessaria est, licèt iam cocti humores sint, imò & in iis humoribus ea plerumque adhibenda, vbi nulla adest cruditas, & coctio illa, de qua modò egimus, non requiritur. Nam cùm, vt purgatio feliciter expediatur, & vias, per quas moueri debent humores, liberas esse oporteat; vt & humores ipsos, qui expurgari debent, mobiles, non crassos & tenaces: duo sunt, quæ humorum purgationi felici, etiam coctione absolutâ, obstare possunt; viarum obstructio, & humorum crassities ac lentor. Hinc Hippocrates iubet, corpora, quæ quis purgare vult, εὔροα ποιεῖν. Humores nimirum crassi & lenti medicamentis attenuantibus attenuandi, viscidi detergendi, atque omnes, per quas transire debent, viæ, vt venæ meseraicæ & intestina, aperiendæ, & ab impedimentis liberandæ sunt. Nonnulli priorem aliam humorum præparationem, quæ fit vt humor crudus faciliùs & citiùs concoquatur, Præparationem primam appellant: hanc verò, quæ fit, quando natura alimentum ab excremento, malum à bono iam separauit. Præparationem secundam appellant. Et quidem secundam hanc præparationem Pius Æneas Caprilius non solùm, vt dictum in materiæ viscidæ detersione, crassæ attenuatione, sed & in materiæ acris refrigeratione consistere docet. Verùm commodius videtur, acris materiæ refrigerationem & mitigationem ad primam præparationem referre. Eiusmodi enim naturæ molestæ qualitates coctione temperantur.

Atque hinc patet, in omnibus ferè febribus vtilissimum esse, medicamenta aperientia & detergentia exhibere.

Quando digestiua medicamenta vsurpanda.

Ex iisdem etiam clarum facile euadit, quo tempore quodlibet ex his medicamentis vsurpandum sit. Post primarum viarum euacuationem, & venæsectionem, mox, nisi quid prohibeat, adhiberi debent medicamenta obstructiones, si adsint, liberantia. Obstructiones verò aperientia, respectu reliquorum medicamentorum, plerumque habent rationem causæ sine qua non. Neque enim possibile est, aut putredinem præsentem tollere, aut futuram præcauere, neque medicamenta alterantia & concoctionem iuuantia libere in corpus penetrare possunt; neque humores, siue id, in principio, siue alio morbi tempore fiat, feliciter expurgari possunt, nisi obstructiones tollantur.

Obstructionum aperientia.

Ideóque primo obstructiones liberãtia adhibenda, & perspiratio libera corpori reddenda. Hinc humores semiputridi corrigendi, & ad meliorem statum reducendi, corrupti coquendi, & tandem è corpore euacuandi sunt. Semper tamen ad id, quod magis vrget, respiciendum. Sæpe enim accidit, vt putredo & calor valde vrgeant, obstructiones verò non adeò insignes sint: ac tum non solum ad id, quod habet rationem causæ, sed etiam ad id, quod magis vrget, respiciendum. Atque id est quod Auicennas monet, febrem nonnunquam tantæ esse vehementiæ, vt regimine causæ vti non liceat, sed summa refrigeratio mox requiratur.

Quantum tamen fieri potest, reliqua non negligenda sunt, commodissimumque est, medicamentis vti, quæ pluribus scopis inseruiunt; quod factu difficile non est, cùm & simplicia, quæ plures vires habent, dentur, & composita, si hæc desint, concinnare liceat, e. g. Syrupus acetosus s. & oxymel s. aperiunt, citra caliditatem tamen. Imò nonnihil refrigerant, attenuant, detergunt: ideóque in omnibus febribus putridis iis vti licet: Si tamen febris sit vehementior, & humor biliosus, tutius est vti syrupo acetoso simplici: in humore verò pituitoso commodius est, oxymel exhibere. Succus & Syrupus citri, & acetosæ, putredini resistunt, cor peculiari vi roborant, intemperiẽ febrilem corrigunt, aperiendique vim habent. Cichorium refrigerat, & calorem febrilem mitigat, hepar qualitate peculiari & leni adstrictione roborat amaritudine leniter abstergit & aperit, bilémque omnino ad mediocritatem educit. Decoctum hordei refrigerat, abstergit & aperit. Lactuca refrigerat & incrassat. Betonica calefacit, leniter & siccat, aperit & adstringit nonnihil, & membra nutritioni dicata, ac cor ipsum roborat, & pituitam bene concoquit. Ex quibus patet, & vnicum medicamentum sæpe pluribus intentionibus satisfacere posse, aut si talia desint, plura componere licet. Syrupi autem plerumque aquis vel decoctis diluuntur. Vbi de decoctis, vt volgò parantur, notandum, incommoda esse, cùm omnia simul coquuntur, cùm alia breuem, alia longiorem coctionem desiderent: quo fit, vt quæ facilè coquuntur, planè corrumpantur, & omnes vires amittant. Commodissimum ergo est, si in vase clauso in balneo, horis 10. vel 12. infundantur.

Syr. acetosus s. oxymel s.

Inter πολυχρήστα non immeritò recensentur spiritus sal. & vitriol. in febribus putridis maximi vsûs, qui insignem vim habẽt attenuãdi, incidẽdi, obstructiones aperiendi, putredini resistẽdi, inflammabilitatem humorum prohibendi, sitim sedandi.

Spir. sal. & vitr. vsus.

Pertinet huc & mixtura illa, seu spiritus ille cõpositus ex spiritu tartari correcto, aqua theriacali cãphorata, & spiritu vitriol. quem malè è recentioribus quidam sibi vendicat, cùm tamen

Spir. tartari compos.

descriptio

Digitized by Google

descriptio integra extat in Ioh. Guinterio Andernacen. *de nouâ & vetere Medicina, part. 2. pag. 657.* & eius rudimenta etiam in Paracelso inueniuntur. Estque spiritus hic in putridis simplicibus plurimis, (non omnibus tamen; nam in biliosis puris, ob aquam theriacalem, non ita conuenit) præcipuè malignis vtilis; cùm, præter dictas spir. vitriol. vires, & malignitati resistendi, ac vim diaphoreticam habeat, vt ex iis, è quibus comparatur, medicamentis facile animaduertere est.

Componitur autem ex *spirit. tartari correct.* partibus iiij. *aqua theriacalis camphorata* part. *v. spir. vitriol.* part. j. Quanquam pro diuersitate morborũ, vnius vel alterius spiritus datis minui vel augeri possit. Spir. scilicet tartari ex tartaro crudo per retortam destillatur, rectificatur, quantum fieri potest, à fœtore liberatur. Spir. theriacalis camphoratus ita paratur.

℞. *Spiritus vini rectif.* ℥. x. *Theriac. Andromach.* ℥. v. *myrrha rubra.* ℥. ii. ß. *Croci Oriental.* ℥. ß. *Omnia indantur cucurbita erecta, impositóque alembico, in quo* ʒ. i. *camphora ponatur, clausisque exactè iuncturis, stent in B. per dies iiii. vt nihil vel parùm destillet: postea lenta primùm igne, hinc fortiore destillentur, spiritúsque, qui exstillauit, materia iterum affundatur, & digerendo ac destillanda labor hic ter repetatur.*

Spiritus vitriol. sumatur, vel vulgari modo præparatus, & rectificatus; vel qui paratur ex vitr. depurato cum spir. vini, si scilicet vitriol. depuratum indatur cucurbitæ vitreæ satis ampli orificij, luto obductæ, & affundatur spir. vini optimus, vt fiat pasta, appositóque alembico, clausisque iuncturis cucurbita ponatur in furno in aperto igne, & applicetur recipiens satis amplum, atque instituatur destillatio, primò lentissimo igne, vt spiritus vini destillet: mox augeatur magis ignis, vt phlegma quoque ascendat; tandem incipientibus apparere spiritibus siccis, ignis sensim augeatur, ita vt vitrum liquescere incipiat. Rectificatur postea, & in balneo separatur spiritus primo, hinc phlegma, tandem spiritus vitrioli in arena destillatur.

Hi ergò tres spiritus dictâ proportione mixti, in vitro angusti orificij, in balneo, vel hypocausto calido, trium septimanarum spatio digerantur.

Potentissimum quoque in febribus ad putredinem sistendam & inflammationem humorum prohibendam, medicamentum est Nitrum, etiam crudum.

Vt autem ista medicamenta efficaciùs operentur, vacuo ventriculo, duabus scilicet vel tribus horis ante cibum, & præcipuè, si licet tempore matutino offerenda sunt. Paroxysmorum tamen & temporis exhibendi cibi habenda ratio. Etenim si tempus matutinum, vel cibo exhibendo sit dandum, vel immineat tunc adhuc paroxysmus, in tempus vespertinum differenda, nihilque obstat, quo minus post ea sumta dormire liceat. Et commodũ est, vt vno sumto medicamento eius operationi tempus & Naturæ quies aliqua detur, nec mox aliud ingeratur. Continuanda autem tandiu, quamdiu materiæ conditio id requirit.

Itaque hæc quæ de cruditate & coctione humorum dicta sunt; præcipuè in febribus continuis & acutis locum habent. Id quod ex ipso Hippocrate patet, qui *sect. 1. aph. 22.* mox *aph. 24.* subiungit: *In morbis acutis, rarò, & per initia purgante medicamento vtendum.* Et *aph. 29.* scribit. *Incipientibus morbis si quid mouendum, moue, vigentibus verò quiescere præstat.* Nimirum si materia turgeat, in acutis, statim in principio euacuanda. Quòd si non turgeat, coctio expectanda est. Qua peracta Natura ipsa sæpissimè humores vitiosos expellere solet, vt rarò purgãtibus opus sit. Eadem tamen cruditas & coctio etiam in intermittentibus locum habet. Etenim cùm causæ earum sedes sit in venis mesaraicis, venæ verò mesaraicæ etiam sanguinem sui generis elaborant & contineat: si sanguini illi alicubi humores vitiosi permisceantur ac putrescere incipiant, atque inde febris excitetur: cruditas adesse dicitur. Vbi verò iam ita a natura victi & præparati sunt, vt facile separari possint, coctio peracta est. Etsi verò in intermittentibus, in singulis paroxysmis materiæ aliquid euacuetur, non tamen humor febrium talium fomes priùs totus euacuatur, quam coctio humoris absoluta sit: sed vt Galenus *2. de differ. febr. cap. vlt.* docet, & infrà *cap. 16.* dicetur, ob superfluitates in parte, in quâ febris fomes continetur, relictas, ipsámque partis debilitatem inde contractã, nouus humos generatur, qui noui paroxysmi causa est. Itaque & in intermittentibus, coquẽtibus opus est, quæ sic vitiosas materiæ relictæ qualitates tollant, vt faciliùs a natura coqui possit, illámq; vitiosã dispositionẽ in parte, in qua fomes mali hæret, tollant & emendent. Exemp. gr. in febre biliosâ, medicamenta refrigerãtia & humectantia requirũtur, ac dispositio χολοποιητικὴ seu *bilis generatiua* tollenda est. Quod cùm non pauci negligant, & vel ad obstructiones, quæ tamẽ sæpe nullæ adsunt, vel ad humores nondum cocti purgationem, medicamẽta dirigant, non rarò febres prolongant, imò augent. Etsi enim humor vitiosus purgãtibus tollatur, tamen nisi a bonis separatus iam sit, aut ita à natura præparatus, vt facilè separari possit, purgatio non feliciter succedit, & à mala dispositione partis tantundem eius iterum generatur, imò nonnunquam plus: cùm medicamenta purgãtia dispositionem illam vitiosam augere possint, vt quanto plus purgetur, tantum purgandum restet. Satius ergò est humores vitiosos non generari, quam genitos euacuari. Et proinde ea medicamẽta exhibenda, quæ cuiuscunq. humoris vitiosas qualitates emendant, & eius generationem prohibent. De quo suo loco in specie dicetur. Concoquentia autem seu præparãtia illa, sunt quidem & ipsa alterantia, vt dictum, quæ scilicet & putredinem corrigant, vitiosásque humorum qualitates immutant, atq; ita symptomata mitiora & leniora reddant: maxima tamen ex parte incidentia & aperientia. Non quòd obstructionum aperitione semper opus sit; sed quòd hæc medicamenta humores excretioni aptos reddant, & ad attenuationem, & fermenti putredinalis per vrinas expulsionem aliquid faciant, & præterea naturam, & meatuum ac viarũ organa ad excretionem castimulent & extergant. Præterea partes, quæ maximè laborant, & humorem vitiosum suppeditant, roborent.

Roborantia. Ad hanc enim classem pertinent proculdubio, & ab alterantibus hisce parùm discrepant, confortantia ac roborantia dicta. Quid verò in genere Medici appellent roborantia, *lib. 5. Instit. c. 4.* dictum, agitque de roborantibus Lud. Mercatus, *in fine lib. secundi, de recta præsidiorum vsu.* Cùm autem in febribus Medici roborantia & confortantia nominant, præcipuè ea intelligere videntur, quæ cor in primis & hepar roborãt, calorémque natiuum & spiritus confortant, & vires reficiunt. In quem finem eliguntur plerumque talia, quæ & sapore delectant & reficiunt. Qualia sunt manus Christi perlatæ, morsuli de succo & corticibus citri, rotulæ è succo ribium vel berberorum, diamargariti frigidi, diatrion santalon, diarrhodon, conserua rosar. violar. & similia, quæ ab alterantibus antea propositis parum differunt: atque ita roborantia hîc nihil aliud esse videntur, quàm alterantia appropriata.

CAPVT VIII.

De Sudoriferis, & vrinam cientibus.

Sudorifera. CVm Natura materiam, febris causam, & in continuis in declinatione vniuersali, & in intermittẽtibus in particulari declinatione, sæpius per sudorem expellere soleat, & vix vlla febris perfectè sine sudore curetur aut cesses: meritò Medicus naturam imitatur, & ipse quoque medicamenta sudorifera præscribit, quibus proxima febris causa tollatur. Antiqui quomodo id præstiterint, patet ex 11. *method. med. cap. 9.* Vbi Galenus hęc habet: *Sanè totum corpus, priusquàm id euacuaueris, rarefacere non expedit. vbi vacuatũ est, vtique licebit medicamento aliqua, cui calor tepidus insit, rarefacias, cuiusmodi est, quod ex chamæmelo conficitur. In hoc tempore si vinum quoque aquosum bibatur, ad omnes vacuationes promouerit. Idem facit & temperatum aqua dulcis lauacrum. Cæterum vbi magnitudo febris obstat, nec vino vtendum est, nec lauacro, nec iis qua habitum rarefaciunt inunctionibus, sed aqua frigida potio in his est aptissima; nisi tamen quid eorũ qua in synocha sine putredine dicta sunt, hanc quoque prohibeat.* Ex quibus patet, duobus modis Antiquos sudores concitasse, externis & internis medicamentis. Extra quæ adhibebantur, talia erant, quæ temperata caliditate, aperiente & leniter trahente, humores ad exteriora proliciunt. Id quod vnctione cum oleo chamæmelino, tum fomentatione ex eadem aqua calida cum spongiis, vel linteis pannis eà madidis sæpius dorso & pectori appositis fiebat.

Verùm balneorum antiquis vsitata ratio, tum etiam illæ frictiones hodie ferè in vsu non sunt, & sæpius magnitudo febris obstat, vt commodè adhiberi non possint. *Sudorifera.*

Ergo hodie internis sæpe vtitur, quæ humores attenuando & liquando, eos ad ambitum corporis propellunt. In quem finem adhibentur, *cardui benedicti puluis, aqua, syrupus, extractũ, sal; fumaria, scabiosa, tormentilla, buglossum, centaurium minus, zedoaria, sal absinthij, C. C. rob. sambuci,* imo, nisi calor obstat, *theriaca & mithridatium.* Antiqui in continuis febribus, iis qui frigidæ assueti erant, sanáque viscera habebant, sine obstructione, & aliis causis, quæ aquæ frigidæ potum prohibẽt, apparentibus signis coctionis, siti vrgente, aquam frigidam copiosè bibendam dabant, quæ nisi vomitu aut per aluum secernatur, sudores mouere solet, si æger stragulis bene cooperiatur. Adhibentur autem sudorifera post coctionem humorum, & reliquis præmissis euacuationibus. Nisi enim corpus antea purgatum sit, metuendum, ne, materiâ agitatâ, obstructiones augeantur. In primis verò an crisis aliqua, & qualis immineat, considerandum. Nam si per alui fluxum, aut vomitum, aut hæmorrhagiam narium febrim iudicandam speremus, si sudorifera exhiberentur, Natura in instituto & motu suo impediretur. Etsi verò crisis aliqua præterierit, tamen non inutile fuerit, sudorifera exhibere. Vix enim febris aliqua integrè sine sudore finitur: & nemo febricitantium perfectam sanationem sibi facilè polliceatur, qui sudare non potest. Hoc de sudoriferis obseruandum, vt sufficientia sint, & materiam non saltem agitent, sed etiam è corpore expellant. Nam nisi sudet ægri post sumta medicamenta sudorifera, plerumque vehementiùs postea febricitant. Deinde vt non semel saltem, sed quoties opus, repetantur. Vnica enim sudatio totam materiam semper exhaurire non potest, sed si in ea subsistatur, agitatur potiùs materia, quam vt perfectè euacuetur. Et natura per repetita sudorifera est assuefacienda, vt & ipsa sponte & semper, quod excernendum est, excernat. Vnde si sudorifera non rectè exhibeantur, sæpe accidit, vt febres, quæ antea simplices erant, duplices reddantur.

Tertiò in electione sudoriferorum delectus aliquis adhibeatur, ne in febribus, præcipuè vbi calor magnus adest, & nulla malignitas, adhibeantur quæ calidiora sunt & φλογωσι

Obseruandum quoque tempus particulare exhibendi sudorifera. Eo enim tempore commodissimè exhibentur, quando materia est nobilis, & ipsa natura excretionem tentat. Ideóque sudores copiosi, vel statim ante paroxysmum, vel in fine accessionis, febrem rectissimè tollunt.

Vnum hîc monendum censeo, volgus sæpe, quam primùm paroxysmum aliquem febrilem ingruere sentiunt, mox sudoriferis vti, ex carduo benedicto, rob sambuci, aq. zedoariæ, theriaca, &c. quod nec Medici quidam improbant, cùm experientia testetur, ingruentes febres hoc modo nonnunquam præcaueri. Cuius rei ratio si quæratur, causa illa mihi esse videtur, quòd inquinamentū illud, seu μίασμα, aut quomodocunque appellare libet, quod in humoribus putredinem & corruptionem instar fermenti excitare incipit, hoc modo statim discutitur & dissipatur, corpúsque ventilatur: quod si in corpore relinqueretur, in dies proculdubio maiorē putredinem excitaret. Præterea sudorifera corpus reddunt transpirabile, & ad sudores disponunt.

In omnibus tamen corporibus tutò non adhiberi, & nonnisi in principio vsurpari rectè puto. Nam si humorum vitiosorum magna adsit in corpore copia, vel putredo & humorum corruptio iam aliquò vsque progressa sit, vix sudorifera aliquid proficiunt; nisi, quod Rulandum in centuriis facere videmus, fortioribus sudoriferis aliquoties continuatis materiam discutere animus sit.

Interim & necessarium est, toto morbi tempore, ea medicamēta exhibere, quę corpus ad sudores disponunt, liberámq; corpori transpirationem præstant, vt suprà, *cap. 1. huius libri*, dictum, ἀδιαπνευσία proxima febris causa constituenda videatur. Et cùm in omni febre, exceptâ hecticâ, plurimùm sudores prosint, ἀδήλως verò multò plus euacuetur & diffletur quàm sudore: quantum libera & copiosa διαπνοὴ & ἀδιαπνευσία possint, facile colligere est. Et obseruare licet quotidie, in febribus eos periculosè decūbere, quibus cutis est humida; quibus verò arida & sicca est, vix cōualescere: Et quibus corpus nō imminuitur, rarò euadere. Cuius rei causa nulla est alia, quàm facilis aut difficilis, magna aut parua διαπνοὴ vel ἀδιαπνευσία.

Cùm ergo διαπνοὴ & ἀδιαπνευσία tanti momēti sint in febribus: διαπνοῆς verò seu trāspirationis ratione diligētissimè & magno labore obseruauerit Sanctorius, aliquot aphorismos ex libello eius *de Statica Medicina* hîc opponere libet; qui etiam ad ea quæ suprà, *c. 1. libri huius*, dicta sunt, rectiùs intelligenda facient. Ita autem ille: *Perspiratio insensibilis sola est longè plenior, quàm omnes sensibiles simul vnitæ.* sect. 1. aph. 4. *Si cibus & potus vnius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter.* sect. 1. aph. 6. *Si corporis pondus plus solito augeri incipiat, sine maiori cibi vel potûs additione, vel sensibiliū excrementorū retentione, facta est adiapneustia.* sect. 4. aph. 9. *Si ex staticis deprehendatur, impeditam esse perspirationem, diebus sequentibus, vel succedet plenior perspiratio, vel febris.* sect. 1. aph. 11. *Perspiratio, quæ salubrius aufert è corpore multum, idque inutile pondus, non est quæ cum sudore fit, sed ille halitus insensibilis, qualis hyeme vno die naturali ad quinquaginta vncias & vltrà exhalare potest.* sect. 1. aph. 21. *Corpus ob externa errata non labitur in morbum, nisi antea aliquod viscus habeat præparatum: præparatio hoc cognoscitur ex solito maiori, seu minori pondere, non sine aliquâ præcedenti molestia acquisito.* sect. 1. aph. 39. *Natura damno in perspirandi officio est impedita, incipit statim in multis deficere.* sect. 1. aph. 40. *Dum caput dolore grauatur, statim corpus incipit minùs perspirare, & ponderosius redditur.* sect. 1. aph. 41. *Prima morborum semina tutiùs cognoscuntur ex alteratione solitæ perspirationis, quàm ex læsis officiis.* sect. 1. aph. 42. *Si ex ponderatione videris, consuetam perspirabile retineri, & in sudorem, vel lotium post aliquot dies non facessere, inde cognosces, retentum præ nuntiare futuram putredinem.* sect. 1. aph. 43. *Si perspirabile neque à natura, neque à calore febrili resolueretur, corpus illicò ad malignam febrem præparaetur.* sect. 1. aph. 46. *Febricitantes in potu aquæ incidunt, si à Medico imperito medicamentis importunè exhibitis illorum perspiratio diuertatur, ac si ab erratis ægrotantium.* sect. 1. aph. 47. *Magis occulta & insensibilis perspiratio nos subleuat, quàm omnes sensibiles simul vnitæ. A somno enim ante excretionem sensibilium excrementorum quisque sentit se leuiorem, quia reuera factus est leuior solito tribus libris circiter.* sect. 1. aph. 58. *Spatio vnius noctis sexdecim vnciæ lotij plus minúsve, quatuor coctorum excrementorum per aluum, quadraginta & vltrà per occultam perspirationem euacuari vt plurimùm solent:* sect. 1. aph. 59. *Pluribus vnicâ die naturali per insensibilem perspirationem tantum euacuatur, quantum per aluū quindecim dierum cursu.* sect. 1. aph. 60. *Si aeri æstiuo frigus superueniat, illa die, supposita eâdem bibendi libertate, tertiam partem circiter perspirationis exire prohibet, quæ nisi fiat sensibilis, facilè ad putredinem, vel ad cachexiam disponit.* sect. 2. aphor. 9. *Ob aerem frigidum superuenientem calori, vestibus denudatus, minùs duabus libris circiter diei cursu perspirare solet, nullâ ab ipso animaduersâ molestiâ.* sect. 2. aph. 12. *Æstate corpora temperata sunt minoris ponderis, quàm hyeme, tribus libris circiter.* sect. 2. aph. 25. *Æstiuo calori superueniēte frigore, eodem die, libra circiter excrementorum insensibilium magna ex parte difflari prohibetur.* sect. 2. aph. 29. *Ab æquinoctio autumnali ad solstitium hyemale quolibet die minùs librâ circiter perspiramus; inde vsq; ad æquinoctium vernale incipimus liberiùs perspirare.* sect. 2. aph. 41. *Perspirabile retentum, vt acre, febres & erysipelata; vt copiosū, apostemata, destillationes, vel cachexiam facit.* sect. 2. aph. 51. *Stomachus cibo refertus si inter dormiendum absoluat primā coctionem, illius noctis perspiratio magnā ex parte ascendit ad quadraginta vncias; si non absoluat, ad octodecim circiter.* sect. 3. aph. 1. *Cibi exaltant nutrientes, exceptâ carne vernaculâ, à cœna ad prādium non solent perspirare vltra octodecim vncias.* sect. 3. aphor. 4. *Cibi copiosi, sed tenuis nutrimenti, noctu spatio in plerisque vltra quadraginta vncias perspirare possunt.* sect. 3. aphor. 5. *Caro vernacula facilè coquitur, & est vaporosa. Perspirat enim noctis spatio trientem libræ magis, quàm cætera solida edulia.* sect. 3. aph. 8. *Non solùm ineptius cibus, vt quo vsus, reddit corpus ponderosius, sed etiam vt quantus, quatenus scilicet perspirationem impedit.* sect. 3. aph. 17. *Vsus carnis suillæ, & boletorum est malus, tum quia hæc non perspirāt, tū quia hæc non permittunt cætera edulia simul ingesta perspirare.* sect. 3. aph. 22. *Ex vsu carnis suillæ, & boletorum triente minùs solito corpus magna ex parte perspirat.* sect. 3. aph. 23. *Melones adeò pauxillum perspirant, vt quadrantē circiter auferāt perspirationis consuetæ.* sect. 3. aph. 24. *Edulia aptissima perspirationi non corrumpuntur, immo post nocturnas vigilias hominē conseruant sine lassitudine & grauitate.* sect. 3. aph. 59. *Edulia non perspirantia obstructiones, corruptelas, lassitudines, mœstitias, & pondus efficere solent.* sect. 3. aph. 60. *In homine vtente moderato victu perspiratio nocturna aliquando ascendit ad tres libras; in vtente plenissimo, stomacho præ-existente vario & robusto, potest ascendere ad quinque libras.* sect. 3. aphor. 68. *Dormiens septem horarum spatio occultè, salubriter, & sine violentia perspirare solet duplo magis quàm vigilans.* sect. 4. aph. 2. *A somno nocturno corpus sentitur minoris ponderis, tum ob vires auctas, tum ob exhalationem saltem trium librarum circiter excrementorum.* sect. 4. aph. 4. *Somnus inquietus impedire solet trientem solito perspirationis.* sect. 4. aph. 5. *Duplo magis dormiens perspirat vigilante. Hinc illud famosū: Vna hora quietis in vigilante perinde iuuant, ac vna somni.* sect. 4. aph. 19. *Perspirationem insensibilem cursu septem horarum in dormiente inuenis, in multis esse quadraginta vnciarum circiter, in vigilante viginti.* sect. 4. aphor. 20. *Somno solito breuiore, semper aliquid perspirationis prohibetur, quod nisi sequentibus diebus pleniore perspiratione compensetur, imminet febris periculum.* sect. 4. aphor. 31.

Ex quibus aphorismis, quos cuilibet tamen perpendendos relinquimus, cùm alia multa, tum hoc colligi potest. Transpirationis insufficiētis seu ἀδιαπνευσίας causam (licèt & aliæ interdum accedere possint) in febribus præcipuam, esse ipsius humoris cruditatem, à quo vapores ad transpirandum inepti eleuantur. Si enim quidam sunt cibi, vt caro suilla, boleti, melones, vuæ & ficûs recētes, qui non solùm ipsi nō rectè trāspirant, sed vt alij cibi potum perspirēt faciunt; cur non crudi humores idem præstare possint? Etenim in omni cruditate est defectus πνευματώσεως de quâ etiam *in libro de Chymic. cum Arist. & Gal. consensu & diss.* dictum. Alimenta enim assumta, coctione spirituascunt quasi, vt sic dicam, adeò quidem, vt licèt multum salis fixi in cibus assumatur, in corpore secundùm naturam sese habente minimum salis fixi reperiatur. Et fermentatione cibus ac potus, vt spirituosior fiat, & faciliùs concoquatur, præparatur: qui autem non fermentatur est, difficiliùs concoquitur, & cibus incoctus, non solùm vt quantus, sed & vt qualis, transpirationē impedit, vt modò ex Sanct. *aphor. 17. sect. 3.* dictū.

Nonnunquam & per vrinam euacuantia medicamenta adhibere licet. Nam & illa partem materiæ per vrinam deducunt, & ad sudorem eandem quasi præparant. Est autem quædam Diureticorum differentia, vt *lib. 5. Instit. part. 1. cap. 13. & ibidem part. 2. s. 1. cap. 13.* dictum. Frigida quæ sunt, etiā maturiùs vsurpari possunt; cùm vno habeant alterandi intemperiem calidam & humorum & partium, partémque humorum ad vias vrinæ ducāt. Reliqua diuretica propriè sic dicta, in primis fortia, nonnisi concocta materia, & vbi calor febrilis mitigatus est, conueniunt. Ex iis tamen quæ sunt moderatiora, vt agrimonia, capillus ♀, betonica, asparagus, &c. si corpus crassis humoribus abundat, viæque vrinæ obstructæ sint, ad incidendum, & vt crassi humores à viis vrinæ amoueantur, semper commodè adhiberi possunt. Exemplum diuretici, quod in omnibus ferè febribus locum habet, hoc esto.

Vrinā cientia.

℞. *Radic. petroselini* Vnc. j. *capill. ♀ virid.* si habeatur, M. ß. *cetcrach.* p. j. Infūdātur in *Aq. hordei* ℔. j. ß. Colētur. Cū colatura clara. F. Emulsio, *ex sem. melo.* Vnc. ij. Adde *syrup. violar.* Vnc. j. Misc.

Externa medicamenta contra febres.

Ad medicamenta, quæ causā febris tollunt, pertinent & medicamenta quædam, quæ extrà corpori, præcipuè regioni pulsus in carpo applicantur, qualia parantur ex telis aranearum cum vnguento populeo vel terebinthina, apio, vel ruta minutim cōtusa, cæpa theriaca repleta, & sub cineribus cocta; foliis bursæ pastoris cum sale & aceto tritis; fuligine è furno cum saluia, allio, vel cæpis mixta, ranunculi foliis, atque vesicatoriis, quæ non solùm in tertianis & quartanis intermittentibus, sed & cōtinuis malignis, nonnunquam non malo successu, applicātur, vt suo loco in specie dicetur. Etsi de vi, qua iuuent, non satis constet. Credibile est, talia medicamenta seu acrimonia sua naturā ad excretionem stimulare, seu occulta vi & proprietate inquinamentum

Digitized by Google

tamentum illud, quod humores corrumpit, extrahere: sicut & natura sponte nonnunquam simile quid tentat, dum vlcusculis circa labia & nares erumpentibus febres desinunt.

CAPVT IX.

De Diæta in febribus putridis.

Diætam febribus necessariam.

CVm à tribus classibus Auxiliorum materiæ petantur, Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diæta; & præcedentibus capitibus, qua ratione per venæsectionem & medicamenta febre laborantibus succurri possit, dictum sit: proximum iam est, vt & diætam febricitantibus præscribamus, quæ nisi rectè obseruetur, aliis auxiliis parum proficitur: cùm nullum efficax possit esse remedium, cui victus ratio contraria resistit.

Diæta quid.

Duo autem mox in principio notanda sunt. Primò per diætam non solùm cibum & potum, sed & reliquas res non naturales dictas, Aërem scilicet, Somnum & Vigilias, Motum & Quietem, Inanitionem & Repletionem, atque animi pathemata intelligi: vt *lib. 5. Inst. part. 2. sect. 3. c. 2.* dictum.

Alimentum duplex.

Secundò circa cibum & potum hoc obseruandum, dupliciter alimentum considerari: alias vt tantum alimentum, quo respectu nullum qualitatum excessum habet, sed solùm vim nutriendi obtinet: aliàs vt cibum medicamentosum, quo respectu præter nutriendi vim, aliquem in qualitatibus excessum habet, per quem morbo & causæ morbificæ aduersatur. Cùm autem pauca dentur alimenta, quæ planè temperata sint, & ægris illa, quæ per potum & cibum fit medicatio longè gratior sit, quàm quæ per sola medicamenta instituitur: merito etiam victu, vtroque modo considerato, vtendum est.

Cibum quid indicet.

Quid autem victum indicet, *in Instit. lib. 5. part. 2. sect. 3. c. 2.* dictū est, nimirum, vt Galenus, *1 de vict. rat. in ac. t. 4.* habet, ob facultatis vitalis custodiam & sani edunt & bibunt: & propter eandem ægri ad potum & cibum accedunt; idque dum potum & cibum sumimus, agimus, vt vires conseruemus & instauremus: Sicut tamen ea, quæ à morbo vel causa morbi indicantur, ob vires non semper exequi licet, sed vires ea vel permittunt vel prohibent: ita & causa morbi in primis victum permittit vel prohibet. Nam cùm cibus offertur, natura auocatur à coctione & euacuatione materiæ ad coctionem cibi. Ergo cùm maximè naturæ in causæ morbificæ coctione vel euacuatione laborandum est: eo tempore natura ab illo opere ad aliam actionem auocanda non est. Et partes intemperie febrili debilitatæ cibum tam feliciter, ac dum sanæ erant, concoquere non possunt. Itaque nunquam plus cibi dandum, quàm quantum virtus tum debilis, & in causa febrili vincenda occupata, concoquere possit.

Cibum quid prohibeat.

Hinc illi aphorismi Hippocratis, *1. aph. 8.* *Quando vis morbi est maxima, tenuissimo victu vtendum.* Et *1. aph. 11.* *In ipsis paroxysmis cibum adimere oportet: nam præbere, noxium. Et cum per circuitum redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.*

Quæ in cibo in febribus obseruanda.

In cibo verò in febribus obseruando quatuor spectari debent: Forma ipsius victûs, quantitas, qualitas, & tempus.

Victus forma triplex.

Crassus.

Mediocris.

Tenuis.

Victûs autem seu diætæ Forma triplex est, crassa, mediocris, tenuis. Cùm enim plus substantiæ corporibus apponitur, quàm quotidie absumitur, viresque non solùm conseruare, sed & augere studemus: crassus victus appellatur. Cùm verò tantum substantiæ, quantum deperditum est, apponere conamur, victus mediocris vocatur. Cùm minus corpori apponitur, quàm deperditum est, atque ita vires conseruantur, nonnihil tamen imminutæ, victus tenuis & minuens nominatur: non quòd nutrimentum ex se vires imminuat, sed quia non tantum corpus reficit, quantum opus erat, pro eo, quod amissum erat, sarciendo.

Crassa Diæta triplex.

Crassa seu ἁδρὰ, rursum alia simpliciter talis est, quam antiqui in febricitantibus per integram seu totam ptisanam hordeaceam instituebant, eámque copiâ maiore exhibitam: alia paulò crassior, quæ pisces & oua concedebat: alia ἁδροτάτη, quæ carnes pullorum & castratorum admittebant.

Tenuis Diæta quotuplex.

Tenuis quoque alia ἁπλῶς talis est, quæ per ptisanam integram fiebat, exiguâ quantitate exhibitam: alia ἀκριβὴς, quæ per chylum seu cremorem ptisanæ: alia tenuissima simpliciter, quæ fiebat per aquam mulsam, alia extremè tenuissima Diæta erat, quæ constabat abstinentiâ ab omni cibo.

Verùm hæc cibandi ratio Græcis & Italis præscripta, Septentrionalibus populis edacioribus minùs conuenit, imò nec hac ætate Italis conuenire Itali censent, quia scilicet pleniori victui homines, quàm olim, assueti sunt. Vnde hodie licet loco inediæ integræ mellicrato vel iusculo aliquo; vel quod æquipollent his; vti; loco ptisanæ colatæ, integrâ ptisanâ, imò loco ptisanæ piscibus, ouis, carnibus vti licet.

Quâ in re tamen rursum Nationum & Naturarum diuersitas attendenda. Nam Septentrionalibus populis omnibus non eadem est victus ratio, sed alij aliis voraciores sunt. Et in eadem regione alij pleniori alij tenuiori victui adsueuerunt. Ideòque iis, qui pleniori victu, dum sani essent, vti solebant, etiam ægris victus plenior paulò, quàm aliis, qui tenuiore diæta vsi sunt, concedi potest.

Antequam autem quibus febribus, quæ victus ratio competat, explicemus; in genere quædam de alimentorum & pulentorum in febribus vtilium materia dicendum est.

Ptisana quid.

Et vt à ptisana hordeacea, decantatissimo illo febricitantium cibo, incipiamus, parabatur illa antiquis ex hordeo selectissimo, quod vt Galenus, *libro de alim. fac. c. 9.* docet, manibus aut panno aspero fricabant, donec cortex exterior seu gluma auferretur: nisi quis ptisanam magis abstergentem conficere velit, tunc enim vtilius est, hordeum ipsum integrum coquere. Pilis hodie idem præstatur, quod antiqui manibus fricando efficiebant. Ptisanam hoc modo excorticatam in s. q. aquæ coquebant, donec ius pulticulæ tenuis speciem repræsentaret.

Ptisanam ita præparatam & coctam duplici modo ægris offerebant. Quæ tota cocta offerebatur, eam simpliciter ptisanam, vel ptisanam integram, vel ptisanam non colatam appellabant. Si verò succus saltem percolatus exhibebatur, ptisanam colatam vel succum aut cremorem ptisanæ nominabant.

Ptisana in febribus vtilitas.

Ptisana hoc modo parata valde in febribus acutis commendatur. *Ptisana*, inquit Hippocrates, *de vict. rat. in ac. comm. 1. t. 18. Frumentaceum edulium rectè præferri mihi videtur in morbis acutis, eósque, qui eam prætulerunt, laudo. Nam viscositas eius lenis, continua, iucunda, lubrica & mediocriter humens, sitimque inhibens, quæ ablutione indigent, probè abluit; non adstringit, non male turbat, neque in ventre intumescit: nam inter coquendum, quoad maximum potuit, intumuit.* Et addit Galenus, *in comm.* *Quæcunque ad morborum acutorum sanationem insunt bona, nulli alteri cibi ita inesse comperies.* Atque id prolixè probat.

Contra Ptisana vsum, rationes Manardi.

Ex quibus manifestum euadit, antiquis quidem valde familiarem & laudatum in febribus, præsertim acutis, fuisse cibum ptisanam. An verò hodie conueniat, in dubium vocauit Manardus, *lib. 5. epist. 2.* ob has rationes: Primò, inquit, antiqui in integra valetudine ptisana vti consueuerant, vnde & in morbis illa commodiùs vtebantur: Contrà nostro tempore cùm apud sanos nullus illius vsus sit, nec ægris facilè offerenda. Secundò, Ptisanam alimentum insuaue & nauseabundum esse dicit, & propterea ex consilio Hippoc. *2. aph. 38.* ab ea abstinendum. Tertiò, Antiqui in acutis saltem morbis adhibebant: At apud nos rarò dantur acuti morbi, qui diem decimumquartum non transeant. Quartò, ait hodie saltem ad brutorum, non hominum escam hordeum coli, & propterea non habere eas conditiones, quas Galen. in eo requirit, è quo ptisana parari debeat. Quintò, putat nullum inueniri hodie, qui ptisanam, vt antiqui solebant, præparare sciat. Sextò tandem addit, tanto tempore indigere illius præparationem, vt occasio nutriendi ægrum, quæ in acutis est præceps, facilè præterire possit, antequam ptisana paretur.

Solutio rationum.

Verùm istæ rationes tanto Medico dignæ non sunt. Primò quidem, quid apud Italos vel alias nationes fiat, non curiosè inquiro: Itali tamen Medici alij referunt, ptisana etiam sanos, præsertim in æstate, familiariter vti & delectari. Apud Germanos certè satis frequens edulium est. Et posito, quod sani ea non vtantur: ad insueta tamen progressus, præsertim in morbis, non est prohibitus. Deinde insuauem & nauseabundam esse, concedi non potest; nisi forsan ægris quibusdam, qui omnes alios quoque suauissimos & delicatissimos cibos auersantur. Tertiò, non tantùm in acutissimis morbis, sed etiam in aliis acutis adhibere licet, qui apud nos nulli non sunt. Quartò, insigna cura hodie hordeum, præsertim in Germania ad cereuisiam coquendam, colitur. Quintò, nec ratio eius præparandi hodie ignota. Imò dixerim, diligentiùs se maiori cura atque artificio hodie in Germania in nonnullis locis parari, quàm olim antiqui solebant: quæ, in primis integra, hodie multis in frequenti vsu est, atque integra per se tum cum iure carnis bubulæ, vel gallinæ, gratum alimentum præbet. Sextò, & hordeum glumis & cortice exteriore iam liberatum quouis tempore in promptu hodie habetur, vt quando lubet, coqui possit.

Ptisana cremor.

Ptisanam colatam, seu cremorem hordei quod attinet, fateor non ita vt ptisanam integram, nostris familiarem esse; sed cremor ex auena excorticata in satis frequenti vsu apud Germanos est. Ad eius modum si quis ptisanam hordeaceam paret, cremorem seu ptisanam colatam hordei habebit, quam ita simpliciter sumere licet, vel etiam cum modico salis & butyro condire, & aliquid quoque panis albi, vt in auenatis fieri solet, addere; tùm & antiqui parum olei & salis ei admiscuerint.

Hordeata tamen, quæ hodie Itali & Galli parant ex succo ptisanæ percolato, non multùm à cremore ptisanæ antiquo differunt, nisi quòd saccharum addere solent. Plura qui de ptisana legere cupit, consulat Hippocrat. *de vict. rat. in ac.* & Galenum *in comm.* Eundem, *1. de alim. fac. c. 9.* tum peculiarem libellum, qui Galeno adscribitur, & inter recentiores Cardanum, *de tuend. san. lib. 2. cap. 7.* & Iulium Alexandrinum, *salubrium lib. 8. cap. 7.*

Ptisana etsi inter alios cibos primas obtineat: tamen cùm & ægrorum palato inseruiendum sit nonnunquam, & varietas delectet: alij quoque cibi admitti possunt. In vsu frequenti apud Italos est Panatella dictum edulium, & apud nos etiam panis cum aqua coctus & butyro conditus; cui sorbitioni & ouum interdum additur. Miscetur & panis cum iure pulli & gallinæ,

vel carnis bubulæ. Est & gratus, ac paulò pleniora alimenti cibus iusculum carnis bubulæ, vel gallinæ, vel caponis, in quo ouum dissolutum & coctum sit. Fuens & ex cereuisia, (quæ si tenuior sit, conuenientior est) cum pane iuscula, quæ sale & butyro condiuntur. Possunt & amygdalata parari, quibus refrigerationis gratiâ semina 4. frig. maiora excorticata addi possunt, & somni causâ, semen papauer. albi & lactucæ. Commodius autem est, si in aqua, quâ amygdalata parantur, aliquid furfuris, hordei, vel tritici, aut radicis petroselini vel fœniculi ebullierit.

Fructus an febricitantibus conueniant, non adeò planum videtur. Auicen. *lib. 4. tr. 2. c. 7.* simpliciter omnes fructûs prohibere videtur, cùm scribit, omnes fructus nocere febricitantibus, ebullitione sua & corruptione in stomacho. Et Galenus, *lib. de cib. bons & mali succi, c. 8.* nullum fructum ferè esse boni succi scribit; fugaces verò planè malum succum habere, adeò vt nisi citò excernantur, vel si in ventriculo corrumpantur, generent succum veneno non absimilem. Alij contrà plurimos fructus, præcipuè refrigerantes, vt angurias, melones, & similes indulgent. Verùm sciendum, si qui fructus conceduntur, potiùs concedi vt medicamentum, quàm vt alimentum. Et negari non potest, plerosque facilè corrumpi, in primis in ventriculo calore febrili malè affecto, atque inde vitiosos humores generari, qui febrem valde augent. Et quò fructus aliis corruptioni magis obnoxius est, eo faciliùs in febribus corrumpitur: plerique etiam non bene transpirant, & transpirationem impediunt, vt *cap. præcedente*, de melonibus dictum. Atque ideò si quid omnino ægris delicatis indulgendum, permittendum potiùs, vt degustent talia, vt est apud Galenum, *1. ad Glauc. cap. 9.* quam vt liberaliùs comedant. Alias, vt *ibidem* Galenus habet, si ægri non sint delicati, iis salis victus instituendus est, qualem præscripsit Hippocrates, ex succo scilicet ptisanæ vsque ad crisin, aut certè qui huic non sit absimilis. Acida tamen faciliùs ad sitim, nimiam & calorem restinguendum concedi possunt, vt sunt mala aut succus granatorum, citri, limonum, berber. ribes, cerasa: quæ tamen omnia potiùs sunt medicamenta, quam alimenta.

An pisces in febribus conueniant.

Dubitatur & de piscibus, An in febribus conueniant. Nonnulli eos, vtpote qui facilè putrescant, planè reiiciunt, alij admittunt. Sed etiam febrium & piscium distinctione hîc opus est. Commodiùs enim exhibentur pisces in febribus biliosis: ij tamen semper eligendi sunt, qui melius alimentum præbent, quales sunt lucij, funduli, saxatiles, & alij bonæ notæ pisces.

Oua an febricitantibus conueniant.

Oua quoque nonnulli in febribus putridis prohibent; scribitque Herc. Saxonia, piaculum esse Venetiis, oua febricitantibus præbere. Verùm simpliciter febricitantibus prohiberi non possunt. Facilis enim coctionis sunt, & bonum dant alimentum; modò sint recentia & rectè cocta. Et licèt antiqui in febribus paulò acutioribus plerumque ptisanâ aut eius succo contenti fuerint vsque ad crisin: tamen nostri homines tenui illi victui minùs assueti, oua vel illorum vitellos facilè tolerant; nec ea febri quidquam obesse possunt, neque etiam naturam à coctione auocant, si in maiori copia & non alieno tempore exhibeantur. Hoc tamen attendendum, ne ventriculus & hepar vitiosis, & præcipuè biliosis humoribus referta sint, cum facilè corrumpantur.

Carnes an febricitantibus concedenda.

Carnes etiam aliqui reiiciunt, eo quòd facilè putrescant, & obseruatum sit, febricitantes, qui in Creta & aliis Græciæ locis carnes comedunt, mori. Verùm etiamsi in Græcia, ob calorem illum insignem, & quia homines tenuem victum ibi facilè tolerant, ægri carnes vix sine damno edunt in febribus: non tamen ideò populis Septentrionalibus, huic victui assuetis, carnes subtrahendæ sunt. Ex carnibus autem conueniunt capi, gallinæ, pulli, perdices, hœdi, vituli: quæ coctæ cum succo malorum granatorum, citri, limonum conditi possunt. Nonnunquam ex carne capi, gallinarum, vel vituli, sine aqua, in vase duplici, vt vocant, coctâ contusâ, & colatâ, ius conficitur, quod vulgò consummatum vocant, quod insignes vires alendi habet, & minore labore in ventriculo coquitur. Verùm cùm victum pleniorem suppeditent talia, vbi tenuiore opus est, non satis commodè exhibentur, nisi fortassis minore copiâ. Nonnulli horum decoctorum loco aquas è carnibus stillatitias exhibent. Verùm sine ratione & commodo id fieri docuimus, *lib. 5. Inst. part. 3. sect. 3. c. 5.*

Quæ victûs ratio quibus febribus conueniat.

Cùm has iam de materia alimentorum diætæ formas subiecerimus, quæ victûs ratio & forma, quibus febribus conueniat, explicandum. Victus ratio conueniens inuenitur ex consideratione virium, quæ victu conseruandæ sunt, & collatione earundem cum causa morbifica, quæ eundem prohibet. Primò enim videndum, quid cibi, virtus concoquere valeat. Nam, vt quæ Galenus, *7. meth. med. cap. 6.* scribit, huc transferamus, si alimentum ipsum se concoqueret, ac in partes digereret, præterea alendis partibus assimilaret, & quibus alimento plurimo opus est, adhæresceret, proculdubio is cibus dandus esse, quem vires requirunt. Verùm quoniam non aliud est, quod alimentum desiderat, aliud quod ipsum conficit, sed quod nutriendum est, ipsum sibi & alimentum attrahit, & mutat, & concoquit & assimilat: ad duo in cibo offerendo spectandum est, ipsam scil. cibi naturam & vires corporis alendi.

In cibo exhibendo quæ spectanda.

Deinde semper videndum, an vires plus possint ad cibum indicandum: quam morbus ad prohibendum, vel contrà. Quantò enim natura magis in causa morbifica oppugnanda est occupata, tantò minus cibo oneranda. Quantò verò minùs est occupata, tantò faciliùs cibum concoquit. Tantò autem magis natura occupatur in morbo debellando, quantò status est propior. Tantò verò minùs est occupata, quantò est remotior.

In statu tenuissimo victu vtendū.

Hinc in ipso statu victu tenuissimo (respectu scilicet victus totius morbi) est vtendum. Et in morbis acutis tenuis victus requiritur, & quò morbus est acutior, eò tenuiore victu opus est; in febribus verò longis victu mediocri aut pleniore vtendum, & tantò pleniore, quò morbus est diuturnior. Docuit hæc omnia Hippoc. *1. aphor. 8.* scribens: *Quando morbus in vigore fuerit, tum vel tenuissimo victu vti necesse est.* Qui aphorismus in omnibus febribus, tam chronicis, quam acutis locum habet. Etsi enim in diuturnis febribus pleniore victu vtendum sit, tamen in vigore de eo aliquid subtrahendum. Tenuissimúmque victum hic appellat non simpliciter, sed præcedentium morbi temporum respectu, quibus paulò plus cibi fuit ægro datum. Et, *2. aphor. 7.* scribit: *Cum morbus peracutus est, statim extremos labores obtinet, & extremè tenuissimo victu vtendum. Cum vero non est, sed pleniorem victum exhibere licet, tantum de extremo tenui victus ratione remittendum, quanto morbus ipse ab extremo fuerit remotior.* Qui ergo morbi statim, hoc est, primis tribus vel quatuor diebus sæuissima symptomata habêt, in iis extremè tenuissimo victu vtendum. Qui verò ad septimum diem perueniunt, iis simpliciter tenuissimus victus conuenit. Quoniam enim, vt dictum, natura cum morbo pugnat, natura ab hoc opere ad cibi concoctionem auocanda non est. Deinde cum status tempus in acutis febribus sit breue, in subsequente mox declinatione virium lapsus, quem victus tenuior excitauit, facilè reparari potest, cum & morbus tum remittat, & pleniore victu vti liceat. Qui verò morbi post septimum ad vigorem perueniunt, in his tenuissimo victu vti non oportet, sed paulo pleniùs ægrum alere licet, & quidem hac lege, vt quantò longiùs febris quælibet abest à vigore, tantò liberaliùs plenior cibus offeratur, quò æger vsque ad statum perdurare possit. Itaq; si morbus sit acutus simpliciter, & quidē ἀκριβῶς, qui scilicet die decimo quarto ad summum terminetur; in eo tenuis exquisitè victus conuenit: si non sit ἀκριβῶς talis, sed ad vigesimum extendatur, tenuis simpliciter exiguâ quantitate dandus est. Si denique febris sit acuta ex decidentia, mediocrem cibum requirit. Docuit hoc Hippocrates, *1. aph. 10.* *Quibus statim vigor futurus est, inquit, statim tenuiter nutrire oportet. Quibus autem posteriùs: in ipso vigoris tempore, & paulo ante ipsum de victu detrahendum, priore vero tempore pleniùs nutriendum, vt sufferre æger queat.*

Victus quærendo secundum vires moderandus.

De virium verò robore scripsit Hippocrat. *1. aphor. 9.* *Simul victus quærere & coniecturam facere de ægrotante oportet, vtrum sufficere modo secundum talis diæta possit vsque ad morbi vigorem, & num quid ille deficturus prius sit, nec vires futuræ ferendæ tali diæta, an futurum, vt morbus prius deficiat & obtundatur.* Nam si vires cum morbo Medicus contulerit, duo colliget, aut quòd vires cum morbo pari robore consistere possint vsque ad statum, & tum in tenuissimo victu persistendum, aut quod vires ægri ante vigorem morbi defecturæ sint, atque tum æger, ne succumbat, paulò liberaliùs nutriendus est per principium & incrementum, sensimque postea de cibo detrahendum, quò magis status morbi appropinquat. Atque hoc ex natura ægri, ætate & similibus cognoscitur. Nam si corpus sit calidum & siccum, & bilis, præsertim circa ventriculum, abundet, tenuem diætam aut mediam non feret. Facilè enim talia corpora resoluuntur. De ætate, Hippocrat. *1. aph. 13.* scribit: *Senes ieiunium ferunt facile, secundum hos, qui ætatem consistentem agunt, minus adolescentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè, qui vel alacriore sunt corpore.* Nam vt est in seq. aph. 14. *Qui crescunt, plurimum calidum habent innatum, atque copiosiore alimento indigent, & propterea abunde ipsis suppeditare oportet, alioquin corpus consumitur. In senibus vero calidi inest parum, & pauco propterea pabulo indigent; multo enim extinguitur.*

Consuetudo quoque & vitæ institutum multum hîc potest. Qui enim pluribus alimentis assueti sunt, non facilè paucioribus sunt contenti. Et contra, qui paucioribus sunt assueti, facilè ieiunium perferunt. Ita qui laboriosis & magnis exercitiis sunt deditis, non facile ferunt tenuem victum; contra qui vitam otiosam agunt, pauciore victu sunt contenti. Et vt in summam hæc contrahamus: quò vires sunt robustiores, eò plenior victus est exhibendus, ille scilicet quem Medici inchoantem ad plenum appellant. Qualis fit ex iusculo & pane & modicâ carne. Vires enim & calor fortis plus alimenti concoquere possunt. Virtuti autem debili minus alimenti exhibendum. Virtus enim debilis non potest multum cibi concoquere.

Distinguendum tamen hîc est, An vires sint debiles ex inanitione, vel suffocatione, aut morbi vehementia. Etenim si virtus sit debilis ex inanitione, seu copiosa aliqua euacuatione, conuenit victus ad plenitudinem accedens, & plus hîc ad vires respiciendum, quam ad causam febrilem. Nam si spirituum, humorum, vel etiam solidarum corporis partium aliquando magnus est defectus, plus alimenti præbere oportet, vt spiritus, humores, & ipsæ etiam solidæ corporis partes instaurentur. Quando verò nullus in spiritibus, humoribus & solidis

partibus

partibus est defectus, vel etiam abundantia eorundem adest, viresque debiles sunt ex suffocatione, tenui victu opus est, duplici de causa. Primò, vt plenitudo imminuatur. Secundò, vt natura coctioni humorum rectiùs incumbere possit.

Quantitas cibi exhibendi.

Non autem solùm ipsam Victûs formam considerare oportet, sed & quantitatem seu dosin. Siue enim crassus, siue tenuis, siue medius victus exhibendus sit, potest nunc maxima, nunc minima, nunc media copia exhiberi. Dosis verò ex virtute & causa morbifica inter se collatis colligitur. Quamuis enim virtus, quantò est robustior maiorem copiam nutrimenti indicet, tantò verò minorem, quò est imbecillior, attamen non sola virtutis & caloris natiui abundantia ac robur consideranda, sed cum ipso morbo aut potiùs causa morbifica conferenda. Causa enim febrilis victus quantitatem minuendam indicat. Vt enim se habet alimentorum crassum ad tenue, ita maior quantitas ad minorem: & maior quantitas difficiliùs à natura coquitur; faciliùs minor. Itaque magna & mediocris cibi quantitas à robusta vel etiam mediocri virtute indicatur; à parua autem causæ febrilis vi permittitur. Parua verò quantitas in magna debilitate præscribitur. Ergo cùm in statu morbi pugna naturæ & morbi sit maxima, & natura in vincenda causa morbifica sit maximè occupata: minima quantitas cibi, quæ febri conuenit, tum est exhibenda: In principio autem, quia nondum in ea valde occupata est, ideò victum, qui febri competit, tum in maxima quantitate exhibere licet; in augmento autem, quia natura iam pugnam aggreditur, aliquid detrahendum.

Qualitas cibi.

Qualitatem cibi quod attinet, consideratur cibus vel quatenus cibus, vel quatenus cibus medicinalis. Si quatenus cibus consideretur, tantum nutritionis gratiâ, & ad vires conseruandas exhibetur. Ii itaque cibi sunt tum eligendi, qui coctu sunt faciles, boni succi, facilis distributionis, & minimè excrementitij: quales sunt iura ex carnibus gallinarum & carne bubula, oua, panis triticeus bene fermentatus & coctus, caro pullorum, gallinarum, hœdina, vitulina, perdicum. Nec veruecina improbanda videtur: de qua Sanctorius, *sect. 3. Stat. Medic. aph. 8.* scribit: *Caro veruecina facilè coquitur, & est vaporosa. Perspirat enim noctis spatio trientem libræ magis, quàm cætera edulia.* Si autē cibus consideretur, vt medicinalis, qualis est ptisana, offa, vel respectu febris, vel causæ febrilis consideratur. Si febris respectu, de eo scripsit Hippocrates 1. aph. 16. *Victus humidus omnibus febricitantibus conuenit; maximè pueris, & aliis, qui tali victu vti consueuerunt.* Cùm enim victus medicinalis, iis quæ p. n. sunt, cōtrarius, iis verò quæ s. n. sūt, similis esse debeat, meritò febricitantibus victus frigidus & humidus præscribendus; cùm febris omnis calidus morbus sit, & ad siccitatem tendat. Humidi tamen saltem fecit mentionem Hippocrates, cùm nec apud vulgus dubium sit, febricitantes refrigeratione indigere. Ex quo patet, ptisanam hordeaceam, valde conuenientem respectu febris, cibum esse. Possunt & alij cibi, qui medicinales non sunt, plantis & succis refrigerantibus condiri, vt medicati fiant. Ratione autem causæ in febribus putridis non semper cibus frigidus & humidus admittitur. Illi enim quod magis vrget, semper maximè resistendum. Ideóque in putridis victu attenuante, incidente & abstergente sæpe opus est. Et quò humor est crassior, eò etiam cibus maiore vi attenuandi & incidēdi sit præditus. Vnde, in febribus a materia frigida dependentibus, sæpe calidis opus est, possúntque cibi condiri petroselino, hyssopo, fœniculo, capparibus, &c.

Tempus cibi exhibendi.

Tempus cibi exhibendi commodissimum est illud, in quo Indicans, nimirum virtus, quæ cibo instaurari & conseruari postulat: præsens est, nihil verò adest, quod illum prohibere possit. Ex quo patet, opportunum tēpus particulare exhibendi cibum in febribus esse, cùm cibus, qui priùs est assumtus, concoctus est. Tum enim natura nouum alimentum desiderat. Et cùm à natura potest coqui, seu cùm nihil adest, quod naturam in coctione remorari & impedire possit. Itaque in continuis planè febribus tempus consuetum cibi assumendi est obseruandum. Natura enim tum faciliùs cibum tolerat & conficit. Si verò febris quidem continua sit, sed quæ manifestam habeat remissionem & exacerbationem, accedente declinatione cibus offerendus. Si verò febris sit intermittens, tempore ἀπυρεξίας atque interualli commodissimè exhibetur cibus; & quidem longè ante paroxysmum. Si autem interuallum tam breue sit, vt ante sequentem paroxysmum cibus assumtus nequeat concoqui, in ipsa declinatione cibus exhibendus. Id quod docuit Hippocrat. 1. *aph.* 1 c. *In accessionibus abstinere oportet. cibum enim dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.*

Quot horis in febribus ante accessionē à cibo sit abstinendū. Error vulgi ac quorundā Medicorum.

¶ [Inualuit non solùm apud vulgus: sed & Medicos nonnullos, falsa quædam opinio, satis esse, si ægri tres vel quatuor horas ante accessionem paroxysmi à cibo abstineant; quo modo multæ febres, quæ citiùs curari poterant, prolongantur & protrahuntur. Atque vt id statuant, videtur eos adduxisse locus Galeni 8. *meth. med. cap.* 4. vbi scribit, satis esse, si tres horæ æquinoctiales quatuórve inter balneum, accessionisque tempus interponantur. Verùm ita simpliciter hoc temporis spatium definiri non potest. Hæc quidem generalis regula est, attendendū esse, vt antequam paroxysmus adueniat, cibus in ventriculo concoctus sit; quam etiam tradit Auicenna, c. 4. *tr.* 2. *cap.* 8. in febribus ita cibandum esse, vt vacuo ventriculo occurrant, atque nititur ea firma ratione, quòd scilicet natura simul cibi & morbi coctioni & febri expellendæ, vacare non possit, & propterea à morbi profligatione, & coctione in paroxysmo, ad cibi coctionem euocanda non sit; quod si fiat, & morbus prolongatur, & mala symptomata oriuntur, quæ Hippocrates & Galenus, *4. de rat. vict. in acut. text.* 39. enumerant: nimirum venter calet, fastidiunt cibum, intenduntur hypochondria, iactatur corpus propter internam turbationem, mens fixa non est, dolet æger, lancinatur, vomere affectat, & cùm mala euomuerit, dolet: & quod præcipuum est, & è quo reliqua omnia consequuntur, cibus non concoquitur, sed corrumpitur, atque ita non corpori, sed febri alimentum præbetur.

Spatium certum definiri non potest.

Spatium tamen hoc, quod inter cibum sumtum & paroxysmum intercedere debet, variat pro ratione corporum, cibi, & febrium. Nam primò corpora alia habent calorem fortiorem, vel à morbo minùs debilitata sunt, quæ ideò cibum faciliùs cōcoquunt, iisque propterea breuiore, ante inuasionem febris, tempore cibum exhibere licet. Alia contra ventriculum vel ex se debilem, vel à morbo debilitatum habent; & propterea longiore tempore ad cibi coctionem indigent. Atque ea de caussa iis cibus longiore ante paroxysmum interuallo exhibendus. Secundò cibi alij aliis faciliùs, & breuiore tempore coquuntur; alij difficiliùs, & longius ad coctionem spatium requirunt; & propterea illos breuiore ante paroxysmum interuallo sumere licet, hos, nonnisi longiore. In victu nimirum planè tenui horæ tres sufficere possunt, in tenui quoq; sex præterpropter, pro ventriculi robore, & febris ratione. Nam tertiò in febribus aliis humores calidi, in aliis frigidi, in aliis biliosa, in aliis calida cruditas peccat; atque ab illis coctio minùs, ab aliis magis turbatur. Vnde in febribus biliosis cibus faciliùs coquitur, difficiliùs in quartanis. Et experientia docet, in quartanis sæpe cibum, qui sex vel septem horarum spatio ante paroxysmi inuasionem assumptus est, nihilominus crudum planè in paroxysmo, vel etiam in fine paroxysmi, vomitu reijci. Accedit hoc, quòd in febribus tempus illud inuasionis & ἐπισημασίας non sēper æquale est, neque demū tum, cùm paroxysmus ægrum manifestè inuadit, natura morbū aggreditur, sed sæpe diu antè latenter id agit. In febribus quidem biliosis, ἐπισημασία & inuasio illa breuior est, at in quartanis ante manifestam inuasionem diù antè natura materiam aggreditur; & propterea cùm iam ante manifestam inuasionem in morbo debellando natura occupata sit, etiam longiore ante paroxysmum interuallo cibus non exhibendus, ne natura à suo instituto auocetur. Vnde in quartana tutissimum est, sæpe tota die ante accessionem nullum cibum capere. Locum verò illum Galeni, 8. *meth. med. cap.* 4. quod attinet, loquitur ibi Galenus de victu tenuissimo. Quæ alias Galeni hac de re mens fuerit, patet ex eo, quod mox addit: *Si verò circa vesperam, aut duabus horis citius, accessio inuadat, tum lauisse manè licet, tum cibasse.*]

In febribus biliosis cibus faciliùs concoquitur, quàm in quartanis.

An in paroxysmo cibum exhibere liceat.

Ab ista tamen de cibandi tempore norma quandóque deflectendum est, & ipso instante paroxysmo cibus exhibendus: Si nimirum virtus summè imbecillis sit ex resolutione. Vt enim supra dictum, vires debiles esse possunt, vel ex resolutione & alimenti penuria, vel ex suffocatione, aut morbi vehementia. Si ob posteriores causas virtus sit debilis, commodissimum tempus cibi exhibendi est declinatio, vel interuallum, vt dictum. Si autem priore de causâ virtus sit labefactata, & per insignem aliquam euacuationem sit debilitata, aut ob inediam collabatur: nonnunquam ante accessionem, vel in ipso paroxysmi principio, vel etiam in statu cibum exhibere conuenit.

Reliqua, quæ ad cibum moderandum pertinent, proposuit Hipp. 1. *aph.* 17. dum inquit: *Quibus etiam semel aut bis, & plus minusque, & gradatim præbere cibum conueniat, spectandum. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.*

Cùm enim virtus nonnunquam sit debilis; nonnunquam medio modo se habeat, nonnunquam sit robusta, morbus etiam cum humorum defectu, aut copia, aut corruptione coniunctus sit: vires fortes copiosum alimentum tolerant, debiles paucum; mediocres mediocre; & humorum defectus copiosum alimentum, vt instauretur, requirit; copia verò paucum; & corruptio humorum, vt malicia eorum temperetur, plenius alimentum postulat. Hinc si vires ægri sint debiles, cum defectu humorum vel corruptione, parum alimenti, sed sæpius præbendum est. Si verò vires sint debiles, nullus autem humorum defectus, neque corruptio insignis adsit, sed humores moderatè secūdùm naturam sese habeant, vel etiam abundent, tantò & parciùs tales nutriendi sunt, & multò magis, si cum virium robore humores abundent. Si autem cum humorum defectu vel corruptione vires adhuc fortes sint, tunc copiosiùs & sæpe alendum est. Quòd si accessiones non permiserint, & sæpius cibandi occasio non sit, rariùs plura alimenta exhibebimus.

Potus in febribus.

Non minor, imò ferè maior, per febres *Potus*, quàm cibi cura habenda est. Nam cibos plerumque febricitantes auersantur, & nonnisi inuiti sumunt: potum autem auidè expetunt, & in febre plerumque perit fames, crescit sitis. Qua de causa etiam potus liberalior, quàm cibus, concedi potest. Ex cibo enim plerumque ad morbi materiam aliquid accedit; & proinde cibus semper à morbo prohibetur. Ex potu autem refrigerante mitescit calor, siccitas prohibetur. Faciliùs quoque potulenta cōcoquuntur, quàm cibi; celeriùs reficiunt, & minùs grauant.

In

Modus in potu seruandus. In continuis.

In potu tamen etiam modus adhibendus, ne nimio humore natura oneretur, cruditas augeatur, & coctio materiæ impediatur. Itaque in continuis febribus primis diebus parciùs potus dandus; posterioribus autem temporibus, vbi æstus, sitis, & virium debilitas valde vrgent, plus potûs dandum. Valde enim ii peccant, qui ægris ardentissima febre laborantibus, & potum auidissimè expetentibus omnem denegant, & hoc modo natiuum humidum absumi, corpúsque arefieri & exsiccari permittunt. Etenim in continuis febribus materia in venis continenter manens magno illo æstu corpus vrit, vt nisi potulentorum refrigeratione temperetur, non parum damni inde ægro immineat. Talibus ergo laborantibus frigidum potum præbere licet. Siccus enim ardor hoc modo temperatur; natura reficitur; & si coctio præcessit, materia morbi vel sudore, vel vomitu, vel per aluum euacuatur.

De intermittentibus.

In intermittentibus verò, quantum fieri potest, in paroxysmo à potu abstinendum, ægrique monendi, paroxysmo desinente sitim quoque desituram, longiorémque ex potu futurum paroxysmum, & omnino citiùs desinere sitire eum, qui non bibit, quam qui bibit. Quod enim putrescit, & corruptum est, in paroxysmo separari & excludi debet; quod opus honor multus remoratur. Instante tamen sudore potus ad sudores promouendos concedi potest. Atque res in potu permittendo in febribus continuis magis ad morbum calorem scilicet febrilem, respiciendum: in intermittentibus sæpe calidum potiùs, quam frigidum bibere præstat; cùm citiùs sudent, minúsque lædantur, si calidum, quam si frigidum biberint. In vtrisque tamen neutrum negligendum.

Potus autem, qui febricitantibus conuenit, est aqua, decoctum hordei, cereuisia tenuis, vinum, & alia quædam, de quibus breuiter dicemus.

Potus duplex ratio.

Hoc tamen priùs monendum, potum, vt & cibum, considerari vel simpliciter vt potum, vel vt potum medicinalem. Potus, quatenus potus, ideò expetitur, vt eius vehiculo cibus rectè distribuatur, vt corpus frigiditate ac humiditate temperetur, ac præterea etiam vires corporis instaurentur & conseruentur. Atque adeò potus, qui has conditiones habent, in primis sunt vinum & cereuisia, & quæ his cognata sunt. Potus autem si vt medicinalis consideretur, non solùm vehiculum cibo præstare, ac vires, vbi opus est, conseruare; sed & morbo ab causæ morbificæ aduersari debet. Hinc fit, vt in febribus aliis, vt & aliis temporibus, alij potus eligendi sint. Quò enim morbus est acutior, & citiùs ad vigorem peruenit, tenuiore ac liquidiore cibo, sorbitionibúsque vtimur, & propterea tum minore potus copia ob cibi distributionem opus habemus, cùm sorbitiones per se promptè distribuantur, & cibi potúsque vicem gerant. Accidit tamen sæpe, vt ob febrem, quæ humiditatem consumit & sitim auget, plus adhuc potus exhibendum sit. Quantò verò vires fuerint imbecilliores, tantò magis reficiente ac nutriente potu vtendum. Quantò autem causa febrilis magis vrget, tantò minùs nutriente potu opus. Quò febris fuerit intensior, putredo maior, eò magis calidiorem potum vitabimus, & frigidiorem vsurpabimus, & quidem ratione febris humidiorem, ratione autem putredinis sicciorem. Si autem contrariis qualitatibus materia febrilis sit prædita, contrarium faciemus. Hinc si respicimus ad causam febrilem, sæpe incidente, aperiente, abstergente potu opus est, qui propterea alterandus hyssopo, melle & similibus. Quantò materia febrilis crudior est, tantò minùs nutriente potu, ne naturam in coctione remoremur, vtimur, modò non natura concoquens potu instaurari & roborari summè desideret. Si materia alicui parti valde impacta est, refrigerantem potum non admittit; ad discussionem enim hoc modo ineptior redditur.

Ex quibus facile colligere est, qui potus quibus febribus conueniat, de singulis tamen in specie, vt promisimus, dicemus.

Aqua potus an in febribus conueniat?

Aquam simplicem quod attinet, eius potum, cum venæsectione, duo maxima in acutis febribus esse remedia, scribit Galenus: sentiunt tamen de ea alij aliter. Nonnulli eam planè reiiciunt. Sed parum rectè, cùm ad febrilem calorem mitigandum summam vim habeat; neque facilè visceribus damni aliquid inferri possit, cùm magno calore & æstu occupantur. Alij toto morbi decursu aquam frigidam concedunt: qui & ipsi peccant. Coctionem enim humorum officit, & difficulter coquitur, diúque in ventre, antequam per corpus distribuatur, hæret, neque incidit, neque abstergit, neque per se aluum ducit, neque vrinam ciet. Et licèt refrigeret, tamen refrigeratio rectiùs ab iis petitur, quæ simul refrigerandi & meatus aperiendi vim habent. Imò ne refrigerare quidem satis potest, si exigua quantitate propinetur. Si verò copiosè propinatur, meatus obstruet, & cruditate aucta morbum longè deteriorem efficiet. Et propterea non nisi in acutis in statu, coctione absolutâ, concedenda.

Frigidam exhibendi modus.

Alij in modo propinandi errant, qui aquæ frigidæ parum ægris propinant. Hoc enim modo æstum febrilem non temperant, sed potiùs accendunt & augent. Paucior enim aqua à maximo febrili æstu superatur. Inque Græci authores iubent in statu, cùm febris acuta, ebullitio humorum, sitis, inquietudo, cordis & arteriarum pulsatio est vehementissima, ægérque auidissimè eam expetit, aquam frigidam copiosè exhibere. Ita enim minùs à frigiditate læduntur viscera, & acrior fit inter febrem aquámque pugna, & copiosior vel per vomitum, vel aluum, vel sudorem, imò per plures vias sæpe euacuatio. Ideò vbi venter fluxit, aut vomitus erupit post frigidæ potum in acutis, stragulis deinde corpus diligenter tegendum, donec sudor eruperit. Atque hoc modo Antiqui frigidum, vt potum medicinalem, semel in statu propinabant, non verò quotidianæ potionis gratiâ, neque antea eam concedebant, quam materia cocta euacuationi apta esset.

In febribus tamen supra modũ ardentibus, ac corpus liquantibus, interdum necessitas cogit per initia & augmentum frigidam propinare, vt caloris feruor restinguatur, & præternaturalis sitis mitigetur, præstatque, sumta frigida febrem paulò producere, quæ tamen curari possit quàm permittere, vt æger magnitudine febris superetur. Hoc tamen rursus obseruandum, nostris hominibus ardentissimas illas febres ex tenuissima & sincera bile natas, rarò accidere, & proinde necessitatem, frigidam exhibendi tantam non esse.

In aquâ exhibendâ obseruanda.

In aquâ tamen bibenda quædam obseruanda, ob quæ nunc confidentiùs eam propinare licet; nunc verò cautiùs & parciùs illa bibenda, interdum etiam planè ab ea abstinendum est. Confidentiùs propinari potest, vbi febris est magna, ætas iuuenilis, corpus boni habitus, sana viscera, & vires adhuc firmæ sunt, æstas adest, & in primis si æger potui aquæ est assuetus. Periculosum verò est frigidam propinare iis, quibus adhuc obstructio in visceribus hæret, tumor & dolor, aut imbecillitas, maximè ventriculi, lienis & hepatis adest. Obseruatum enim est, frigida potione gulam nonnullis ita læsam fuisse, vt vix deglutire potuerint, aliis ventriculum, aut iecur, aut pulmonem grauiter offensum.

Ergo cùm aquæ frigidæ potus in febribus acutis sua habeat commoda & incommoda, videndum, verùm plus commodi, an damni ex eius potu proueniat. Nam si damnum ex potu frigidæ sit futurum exiguum, confidenter propinari potest. Si verò damnum sit magnum, abstinendum ab ea, & potiùs aliis auxiliis vtendum. Atque hæc omnia de febribus acutis saltem dicta sint.

Frigida potus intermittentibus non conuenit.

In intermittentibus febribus verò frigidæ potus nunquam conuenit; inprimis si ex crasso & tenaci humore procreentur. Crassa enim materia, quamuis cocta, nec promptè nec tutò frigidæ potu ad excretionem impellitur. Et facilè viscera, tanto æstu, vt in continuis febribus, non laborantia, frigidæ potu offenduntur.

Aqua electio.

Eligenda est autem aqua neque limi, neque mali saporis, aut odoris, aut alterius labis sit particeps; neque in ventriculo diu hæreat, eum infler, & grauet: sed quæ facilè alteretur: quod ex iis, quæ in ea coquuntur, cognoscitur. Nam in bonis aquis res omnes facilè elixantur; in prauis verò tardiùs. Si autem aqua naturâ suâ talis non fit, prius coquenda est, post coctionem verò, quod graue est, vbi aqua refrigerata fuerit, subsidet. Nonnulli destillando potiùs, quàm coquendo aquas crudas corrigunt. Interdum, ne flatibus repleatur ventriculus, anisum, fœniculum cinnamomum, aut piper, exiguâ tamen quantitate, ne febris intendatur, in aqua coquitur. Nonnunquam exiguam vini quantitatem admiscere licet, vt aqua & gustui gratior reddatur, & faciliùs distribuatur.

Aqua correctio.

Verùm cùm aquæ nec omnes sint assueti, nec eadem omnibus grata sit, de potionibus ægri iucundis aliis, Medici sunt solliciti. Nam, vt Aëtius *tetrab. 2. serm. 1. cap.* 130. habet, duplex robur, & admirandum simul auxilium exhibet id, quod etiam naturæ, ob iucunditatem, gratum existit. Venter enim, vbi quod blandum est, suscepit, & in se complexus est, tenet & probè concoquit pro viribus, maximè si fuerit quantitate moderatum. Excitatur enim sæpe natura, & actiones ab affectuũ feritate miserè afflictas suscitat, ac morbo repugnat duplici modo, ipsum quidem morbum palàm contrarietatis natura castigans, vires autem animal gubernantes consolans & excitans, ac fortificans ad superandum morbum.

Decoctum hordei.

Frequenter alteratur aqua hordeo, quæ inde decoctum hordei, vel aqua hordei appellatur. Coquitur nimirum hordeum, donec turgescat & rumpatur; quod decoctum magis nutrit, quàm aqua simplex, simúlque attenuat, incidit, & sudores ac vrinam mouet. Verùm quia flatulenta est, & in ventriculo facilè acescit, alteratur plerumque passulis, glycyrrhizâ, sem. anisi, fœnic. cinnamomo, saccharo; vt ℞. *Decoct. hordei f.* ℔. iii. *sacch.* ℥. j. *cinnamom.* ʒ. i. M.

Iulebi.

Fit & ex aqua admixtione sacch. vel syrupi, potus dilutior, quem Iulebum vulgò appellitant, E. g. ℞. *Aq. coct.* ℔. iii. *sacch.* ℥. i. ß. *cinnamom.* ʒ. ii. vel iii. Coq. & per manicam Hipp. traiiciantur. Vel aquæ coctæ, aut destillatis aquis syrupus acetosus s. Oxymel, Iulebus rosarum vel violarum, vel succus citri, pro febris ratione, admiscetur: interdum etiam spir. vitriol. ad gratam aciditatem additur. Potest & salis nitri seu præparati, seu, vt aliis non sine causa videtur, crudi purissimi momentum in aqua dissolui. De quo vide Andr. Libauium, *Apocal. Hermetica part. prior. cap.* 17. Fiunt & ex conseruis Iulebi grati: V. G.

℞. *Conseru. rosar.* ℥. i. ß. *violar.* ℥. i. *bugloss.* ℥. ß. Dissolu. in aq. cocta, vel aqua hordei f. additis etiam, si libet, aquis endiuiæ, acetosæ, cardui benedicti: colentur, & per manicam Hipp. traiiciantur, vt fiat potus clarus; cui aliquot guttas spir. vitriol.

addere

Digitized by Google

addere licet. Videantur etiam *Institut. lib. 3. part. 3. sect. 3. cap. 7.*

Aqua mulsa.

Aëtius *allegato loco* plures etiam potiones proponit, quæ ibi videri possunt.

Paratur ex melle & aqua, mulsa dicta, quæ vires habet incidendi, & obstructiones aperiendi, sed ob mel, febrem accendere potest. Ideóque saltem conuenit in febribus pituitosis, non verò in acutis & biliosis. Quantò autem magis aquosa est, & minus mellis habet, eò minus calefacit.

Oxymel.

Ex melle, aceto & aqua paratur oxymel, potus febribus commodior, quàm hydromel seu aqua mulsa. Acetum enim, vt Hipp. 3. *de rat. vict. in ac. t.* 30. scribit, damnum, quod ex melle prouenire potest, corrigit, & ne in bilem facilè mutetur, prohibet. Verùm cùm de oxymelite pluribus dictum sit, *lib. 5. Inst. p. 3. sect. 3. cap.* 4. actum hoc loco agere nolo. Potest loco oxymelitis, syrupus acetosus s. substitui, & conueniente liquore dilui, vt formam Iulepi acquirat.

Emulsiones.

Fiunt & ex sem. frigidis maioribus dictis Emulsiones appallatæ, cum decocto hordei, vel furfurum, vel aquis destillatis, in quibus interdum rad. petroselini vel fœniculi concoquere priùs licet. Adduntur saporis gratia amygd. dulces, vel somni causâ, semina papau. albi: dulcoratur emulsio facta, si opus est, rotulis manus Christi, vel iulebo rosar. aut viol. E. G.

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥. ß. *Sem. frig. mai. excort.* an. ℥. j. ß. *Aquæ hordei cum sacch. & cinnamomo*, ℔. ij. F. a. Emulsio. Vel aquæ hordei loco sumatur decoctum furfurum, & Emulsio dulcoretur iulebo rosar. vel violar.

Nonnunquam etiam Cornu Cerui, ac margaritæ, prout opus est, admiscentur.

Cereuisia.

Cereuisia, potus populis Septentrionalibus vsitatissimus, etiã in febribus conuenit, in primis hordeacea. Cùm verò magna eius sit differentia, eligenda est in calidioribus febribus, tenuis; in longis verò mediocris consistentiæ, semper verò bene defæcata, & quæ in visceribus non diu hæret.

Serum lactis.

Neque incommodus potus in febribus est serum lactis, in primis caprinum. Refrigerat enim, ob partes aquosas, quibus abundat: abstergit tamen atque aluum mouet, ob quasdam salsas partes, quarum est particeps. Quia autem est flatulentum, semine anisi aut cinnamomo corrigi potest.

Vinum an febricitantibus conueniat.

De Vino, an in febribus conueniat, controuersia est. Verùm ad istam quæstionem simpliciter responderi non potest: cùm sit magna & febrium & vini differentia: nec omne vinum omnibus febribus, nec aliquod omnibus, aut nullum nullis, sed aliquod aliquibus solummodo conuenit. Febres enim, & humores à quibus febres procreantur, alij aliis sunt calidiores; nunc cocti, nunc crudi: vires nunc debiles, nunc fortes. Vinum aliud est potens, aliud tenue, aliud mediocre. Vinum quò potentius est, eò magis nutrit, & spiritus celeriter reficit: sed calefacit, febrem & sitim auget, caput petit: Quod genus vini propterea nulli febri competit. Austera quoque vina putridis febribus non competunt ciùo adstrictionem febres putridæ non ferant.

Qualia verò vina esse debeant, quæ in febribus putridis admitti possunt, docet, Gal. 3. *de vict. rat. in ac. t.* 8. *Aquosum vinũ est febricitantibus maximè idoneum: Hoc autem colore est album, consistentia tenue, nullámque insignem earum, quæ cæteris vinis insunt, qualitatem habet, neque austeritatem, neque dulcedinem, neque odorem. Huic enim soli, inter omnia vina, datum est, vt aquæ & vini mala effugiat.* Talia enim vina humectant, & si non refrigerant, tamen parum calefaciunt; Ac propterea siccitati medentur, & coctionem adiuuant. Et tale vinum, si habeatur, in intermittentibus, in assuetis potissimùm, circa coctionem, si opus sit, admitti potest. Id quod Gal. etiam docuit, 1. *ad Glauc. cap.* 9. qui in exquisita tertiana, incipiente coctione, vini tenuis & aquosi modicum concessit; procedente verò coctione eius quantitatem auxit. Vinum enim tale celeriùs, quàm aqua distribuitur, excretiones promouet, vires roborat, bonum sanguinem suppeditat. Et quò humor, qui febrem generat, est frigidior, eò tutiùs vinum exhiberi potest. Vnde in quartanis, diuturnis scilicet febribus, vinum citiùs concedi potest: cùm ad humoris sicci humectationem, crassi attenuationem faciat, virésque, quæ in longitudine morbi deficiunt, custodiat. In continuis verò quia calor magis viget, tutius est coctionem & manifestam declinationem expectare, antequam vinum propinetur; nisi forsan summa virium imbecillitas magis vrgeat, quàm febris.

Verùm quia talia vina non vbiuis obuia, & semper in promptu sunt, & Septentrionales nostri plerumque magis cereuisiæ, quàm vino sunt assueti: antequam manifesta coctionis signa apparuerint, nec in intermittentibus vinum facilè concedi debet, & illud quidem ὀλιγοφόρον, aut aquâ dilutum.

In febribus autem continuis, etsi declinatio adsit, si tamen calor adhuc sit intensior, & corpus calidum ac siccum, à vino abstinere tutius est, nisi insignis virium debilitas id requirat. Tria enim semper in continuis febribus, vt vinum propinetur, requiruntur, vt virium imbecillitas adsit, vt calor febrilis non sit intensus, vt materiæ cruditas id non prohibeat; è quibus conditionibus si vna desit, tutò vinum non permittitur. Sicut nec si deliria, capitis dolor, vel similes affectiones adsint. Vinum enim sua tenuitate & caliditate crudam materiam per vniuersum corpus deducit, febrem auget, & in primis caput petit. Verùm qui plura legere cupit de vsu vini in febribus, consulat prolixè hac de re disputantem Ioh. Bapt. Syluaticum, *contr.* 22.

Aër qualis in febribus esse debeat.

Post cibum & potum, in diæta maxima ratio habenda est Aëris, vtpote quẽ continuò spiritu ducimus, & quo ne momento carere possumus. Cùm autem aër & calorem nostrum temperet, & materiam spiritibus præbeat, primò eligendus est aër purus & nullis vaporibus impuris inquinatus. Deinde qualitatem eius quod attinet, cauendum, ne aër, quem attrahunt febricitantes, sit calidior, præsertim tempore æstiuo, ne febrilem intemperiem augeat; sed sit potiùs frigidus, vt febri aduersetur. Atque si talis aër à natura nobis non suppeditetur, præparandus est arte, domúsque & cubicula eligenda, quæ versùs Septentrionem spectant, pauimenta frigida conspergenda, & per eadem flores & herbæ frigidæ spargendæ. Tempore hyberno temperatus sit. Illud tamen cauendum, ne aër, si frigidior sit, corpori nudo occurrat, eius poros claudat, discussionem vaporum putridorum prohibeat, calorem ad interiora propellat, sudorésque impediat: sed potiùs æger stragulis leuibus tegendus est, vt calor ad ambitum corporis trahatur, & fuliginosis excrementis per patentes poros liber exitus pateat.

Somnus in febribus putridis.

Somnus in febribus putridis summè vtilis. Multum enim ad coquendos humores vitiosos facit, calorem natiuum auget, virésque roborat. Non tamen sit nimius, ne calor natiuus, ne obruatur, & excrementorum dissipatio ac euacuatio impediatur. Cùm autem in somno calor ad interna reuocetur, in initio paroxysmi à somno abstinendum, ne calor natiuus, humoribus ad interiora nimis retractis, obruatur.

Quies febri putrida laborantibus commodissima est, & iis nonnisi leuis ambulatio, aut frictiones conueniunt, reprehenditque iure Hippocrates Prodicum, 6. *epid. comm.* 3. t. 31. quod febricitãtes cursibus, & similibus exercitiis nimis interficeret.

Danda quoque opera est, ne excrementa, quæ expelli debent, præter naturam retineantur, sed debito modo & tempore expellantur. Retenta enim calorem natiuum suffocant. Contra videndum, ne immodica aliqua euacuatio vires exhauriat.

Affectus denique animi tranquilli sint in febribus, iucundisque rebus febricitantium animus recreandus, vt spiritus vitales erigantur; tristitia autem, & ira in primis, tanquam hostes infensissimi, vitandi.

CAPVT X.

De Febrium putridarum differentiis.

ATque hæc de febribus putridis in genere dicta sint: iam in specie de iis agendum. Quot autem earum sint differentiæ, suprà breuibus dictum: quæ vt clariora euadant, paulò pluribus earum ratio reddenda, & vnde eæ pendeant, videndum. Petuntur autem præcipuæ, & ad curationem maximè vtiles differentiæ à materia putrescente, & loco putredinis.

Febris materia differentia.

Materiam quod attinet, dictum est suprà, febres oriri vel à sanguine, vel bile, vel pituita, vel melancholia: vbi tamen serum seu ichorem posteà inclusimus. Equidem in omni corpore aliquid humoris aquei sanguini permixtum est, quod ὄχημα τροφῆς est: verùm si illud abundet, & præcipuè si praui ac tenuis alicuius humiditatis aliquid ei admisceatur, præter naturam est, & malum, sanguinémque talem ἰχωροειδῆ appellat Hippocrates, 5. *epid. comm.* 2. t. 38. Et quidem vt Galenus *in comment.* addit, ab Hippocrate non simpliciter tenuis & aquosus sanguis, ἰχωροειδὴς nominatur, sed qui prauam ac tenuem humiditatem obtinet, qui ichor propterea malus est, febribúsque facile occasionem præbet. Humidum enim aqueum est maximè putredini obnoxium, résque, quæ eo abundant, putredini obnoxias reddit; quæ verò eo destituuntur, & in quibus humiditas aqua exsiccata est, non ita facile putrescunt. Vnde etiam is sanguis facilius putrescit.

Serum febriũ causa.

Febris ephemera an à sero sanguinis, an verò à spirituum incensione fiat.

Imò vt hoc iis, quæ suprà de febribus ephemeris dicta sunt, addamus, Carolus Piso in ea est sententia, etiam febres, quæ ephemeræ dicuntur, & vulgò à spiritibus accensis prouenire statuuntur, omnes à serosa sanguinis venosi ac arteriosi parte ebullienta, & vulgò magis synocham sine putredine, rerum habere, etsi spiritus vitales succendi nulli sine causæ internæ rationem habere possint, quæ principium feruoris seroso humori suppeditat. Quam suam sententiam probat his rationibus. Primò, quia in febre diaria calor quidam blandus & halituosus prehenditur, quæ caloris lenitas subiecti halituosi, & vaporosi, aquei putà, non ignei index est. Deinde pulsus parum mutatur scilicet in magnitudine, celeritate & crebritate, in aliis verò naturalem æqualitatem seruat: quod fieri non posset, si spiritus ita incalescerent, & quod fieri necesse est, insigniter dissiparentur. Tertiò, quia nulla grauia symptomata in diariis accidunt, quod indicio est, non spiritus, sed humorem aliquem tenuem & benignum solùm incalescere, qualis serosus est. Quartò, id etiam testantur vrinæ, quæ sanorũ similes sunt, quæ morbis à pleonexia serosa excitatis propriæ sunt, teste Galeno 2. *de Cris. cap.* 3. cùm à spirituum incendio vrinæ quasi fulgorem & flammeum colorem accipiant. Quintò, idem solutio febrium diariarum

diariarum probat, quæ cum sudore & madore quodam fit, quod non spirituum incensorum, sed humoris aquei efferuescentis indicium est. Idem causæ, quæ febrem ephemeram inducunt, euincere videntur, quæ omnes euidentes aut manifestæ sunt, quæ spiritus agitant, vnâ tamen etiam sanguinem, & præcipuè serosam eius partem afficiunt. Et proinde quia Spiritus in perpetuâ generatione sunt, etsi, qui præsentes sunt calefiant, v. g. ab ira: tamen qui postea generantur sedato animi motu, minùs feruidi sunt, atque ita calor præter naturam ab ira accensus per diem naturalem durare posse non videtur sed aliam quandam substantiam, quæ à spirituum feruore calefacta calorem integro die retinere possit, incalescere credibile est. Quæ omnia confirmant ephemeræ plurium dierum, & quæ erysipelata comitantur.

Synocharum febrium causa.

Idem febres illas synochas seu continentes dictas, quæ nullas periodos & exacerbationes atque remissiones habent, omnes ab humore seroso seu sanguine seroso prouenire statuit, copiosiùs scilicet redundante, & vehementiùs incalescente: & quidem in synochis non putri, absque putredine; in synocha putri, cum putredine. Nam Synocha non putris oritur à caussis vehementioribus, quam quas habet ephemera simplex. Ideóque insidere in eam docet corpora, quæ sanguine seroso abundant, & ab iis causis, quæ plethoram serosam inducere possunt & augent: ideo quòd faciliùs sanguis serosus ac tenuis feruorem concipere potest eundémque rursum deponere, quàm sanguinis massa crassior. Nam febris hæc, & lassitudo ipsi coniuncta, vel per διαφόρησιν, vel per sudorem, sine insigni aliqua euacuatione soluitur.

Si verò vis causæ maior sit, & venarum obstructio & constipatio maior, vt effluuium fuliginosum copiosiùs cumuletur, synocham putridam excitari docet, serosâ præcipuè sanguinis parte putredinem concipiente. Vnde calor est mitior, & similis calori qui in balneo concitatur. Hásque febres lassitudines, & varij dolores externum sæpe corporis habitum occupantes, comitantur. Humores enim tenues ac serosi in extremitates vasorum pelluntur, & vlterius progredi non valentes ibi sistuntur, vnitatémque in partibus membranosis soluendo, dolorem excitant.

Atque ita omnes febres, seu breues sint, seu diutiùs protrahantur, quæ continuitatem quandam æqualem seruant, & nec singulis, nec alternis, nec quarto die exacerbantur (etsi obscuros quosdam motûs, Lunæ motibus, imperium in humores aquosos habentis respondentes obseruent) ab humore aquoso & seroso, seu putrescente, seu non putrescente oriri docet.

Verùm etsi cuilibet de hac C. Pisonis opinione suum iudicium relinquamus: tamen non adeò vero consentaneum videtur, febres ephemeras & synochas sine putredine ab inflammatione & accensione seri prouenire. Etenim cùm serum sit humor aqueus, salsas quasdam partes admixtas habens, non video quomodo tam promptus ad inflammationem & accensionem esse possit. Et si quid omnino probant rationes C. Pisonis, hoc potiùs probant, ephemeras à fuliginibus quibusdam subtilibus & pinguibus sanguinis accensis oriri. A quibus potiùs quàm à Spiritibus vitalibus, si quis deducere voluerit febres ephemeras, cum eo multum non litigabo.

Ita etiam vero consentaneum non est, Synochas non putres prouenire à sanguine seroso: cùm in tales febres incidant corpora plethorica, in quibus bonus, non serosus sanguis abundat.

Hoc magis probabile est, serum vel ichorem, seu sanguini, seu aliis humoribus permixtum, ad putredinem faciliùs suscipiendam, occasionem præbere; præcipuè si sit impurius.

Febrium putridarum differentia, ratione materiæ.

Sed his, quæ de Car. Pisonis sententia diximus, missis, febrium putridarum differentias explicemus. Differentia ratione materiæ quod attinet, omnes febres, seu breues sint, seu diutiùs protrahantur, quæ continuitatem quandam æqualem seruant, nec singulis, nec alternis, nec quarto die exacerbantur, à sanguine putrescente ortum habent.

Quæ verò febres ab humore bilioso, pituitoso vel melancholico oriuntur, eæ omnes suas periodos habent, seu continuæ sint, seu intermittentes; & statis temporibus vel planè intermittunt, vel exacerbantur & remittunt.

Præter febres tamen has, quæ à sanguine, bile, pituita, melancholia, oriuntur, dantur adhuc aliæ, quæ & ipsæ sunt continuæ, sed quia nec à bile, nec à pituita, nec à melancholia, à quibus humoribus ortæ febres periodos habent, proueniunt, periodos certas nullas habent, & licèt exacerbentur quandoque, nullo tamen certo ordine id accidit. Tales febres non solùm sunt symptomaticæ illæ, quæ à partis alicuius inflammatione, vel vlcere, aut fistula ac putredine ortum habent, sed & quæ à vermibus, lacte corrupto in infantibus, sanguine concreto extra vasa putrescente oriuntur, sicut eius rei exemplum habet Zechius, *consult.* 46. in quodam infante nobili, qui febre continuâ cum grauissimis symptomatibus, ex sanguine, dum linguæ frenum sectione ipsi laxaretur, in ventriculum illapso, ibique putrescente, correptus fuit. Imò consentaneum videtur, sicut sanguis dum in vena caua putrescit, febrium synocharum, quæ nullas periodos habent, causa est, ita sanguinem illum imperfectiorem, si in venis mesaraicis putrescat, febres continuas, nunc lentas, nunc etiam grauibus symptomatibus molestas, pro modo corruptionis, excitare; quæ febres, etsi ob locum à corde remotiorem, interdum nonnihil exacerbari, vel remittere videantur, nullas tamen periodos certas obseruant, sed inordinati sunt illi motus. Talis procul dubio fuit illa febris, quam Zechius, *cósult.* 2. pro hectica habet, sed malè. Neque etiam credibile est, hecticam posse esse in corporis habitu molli & laxo, & qui in œdema vniuersale quasi, vt loquitur, degenerat.

Atque hæ sunt febrium differentiæ à materiæ diuersitate petitæ. Locum verò quod attinet, Febrium equidem putridarum causa proxima est vapor putridus calidus sanguini & spiritibus permistus, omnésque corporis partes calefaciens, & omnino nihil est in toto corpore, quod id vniuersum calefacere possit, nisi priùs sanguinem & spiritus calefaciat. His enim calefactis, partibus solidis calor communicatur.

Materia autem è qua vapores putridi generantur, vel continetur in vasis, vel extra vasa. Vasorum sunt duo genera, Vena Caua, & Arteria cum suis ramis in vniuersum corpus distributis, & venæ mesaraicæ, quæ sanguinem imperfectiorem è chylo modò elaboratum continent, quæ ventriculo, intestinis, mesenterio ac reliquis partibus vicinis inseruntur. Etsi verò hæc duo vasorum genera per insignes ἀναστομώσεις consentiãt: tamen ita inuicem separata sunt, vt ex vno vasorum genere in aliud sanguis confertim fluere non possit, nisi feruorem quendam conceperit, aut naturæ irritatæ opera id fiat. Vapores tamen & fuligines è mesaraicis in cauam non ita difficulter penetrare possunt. In vena caua dum sanguis putrescit, febres continuas omnes excitat, quarum aliæ synochæ seu continentes, aliæ continuæ nomine generis, & continuæ periodicæ nominantur. Vbi verò putredo est in venis mesaraicis, sanguis in vena caua non primò afficitur, sed per consensum saltem sanguinis illius in venis mesaraicis putrescentis incalescit, & non ipse putrescit, sed putridos saltem vapores & humorum putridorum aliquid permixtum habet, quod tempore paroxysmi iterum discutitur.

Humores autem excrementitij in venis mesaraicis putrescentes febrium intermittentium causa sunt. Verùm non absurdum videtur, continuas etiam ex sanguine in venis mesaraicis putrescente excitari posse. Nam & sanguis in venis mesaraicis aptus est æquè ad putredinem, & forsan magis, quàm qui in vena caua continetur. Neque causæ putredinis, obstructiones scilicet venarum, & aliæ, desunt. Itaque & sanguinem illum imperfectiorem, in iis putrescentem, febres continuas excitare posse credibile. Verùm quia locus ille à corde remotior est, nec vapores continuò eadem copia semper ad cor penetrare possunt, calor ille etiam non ita æqualis est, febrésque sunt magis lentæ, vt antea dictum.

Intermittentes verò febres magis notæ sunt, quæ oriuntur, cùm humores biliosi, melancholici, pituitosi sanguini illi imperfectiori in venis mesaraicis permixti putrescunt. Si nimirum in venis portæ hepaticæ cumuletur bilis, & ibi putrescat, tertianæ intermittentes oriuntur: si verò in ramis portæ splenticæ humor melancholicus putrescat, quartana inde excitatur.

Cur tertianæ sint breuiores, quàm quartanæ.

Cur autem tertianæ sint breuiores, pauciorésque habeant paroxysmos, quàm quartanæ; & cur paroxysmi in intermittentibus reuertantur, hanc causam affert Car. Piso, quia rami portæ hepaticæ insignis septem sint, & sanguine ac febris causa in vno ex illis ramis putredine absumta, febris extinguatur, quia tamen sanguis, qui in proximo vase latet, incalescit, & inde putredinem concipit, die tertio iterum redeat febris. Quia verò sanguis in liene confectus, per portam splenicam diffunditur in multò plures ramos, gastricos scilicet, epiploicos, gastrepiploicos, & alios, statuit, si humor in vno ramo putredine absumtus intermissionem facit, putredinem etiam proximis vasis communicari, sed longiore tempore, propter resistentiam humoris maiorem: hinc qui recurrunt paroxysmi, numerosos quidem esse, multitudini vasorum, in quibus sanguis successiuè putrescit, respondentes, sed interuallum longum, hoc est, plurium dierum. Verùm malo hic aliis Medicis, & inter eos etiam Pio Æn. Caprilio assentiri, qui statuunt, etiam in pluribus paroxysmis, humorem febris causam in vno loco putrescere, docéntque simplices febres, verb. gr. tertianas excitari, quando ex vno fomite materia febrilis protruditur; duas vel tres, quando ex duobus vel tribus. Neque enim numero venarum portæ hepaticæ respondet semper numerus paroxysmorum tertianæ, neque quartanæ paroxysmi numero ramorum portæ spleneticæ. Vidimúsque ex febre simplici duplicem vel triplicem reddi posse, si intempestiuo purgantium vel sudoriferorum vsu causa febris, quæ in vno loco continebatur, mota saltem & non euacuata, in plura loca distribuatur. Fitque recursus, cùm causa febrilis, quæ vno in loco continetur, in paroxysmis non planè excutitur, sed ἐγκατάλειμμά τι relinquitur, quod noui paroxysmi causa est.

Materia extra vasa putrescens.

Extra verò vasa materia putrescens etiam febres excitat dum ex iis locis vapores putridi venis & arteriis communicantur. Sunt autem hæ febres omnes continuæ, nec statas periodos habent. Tales febres sunt omnes symptomaticæ in genere dictæ, & primò symptomaticæ in specie dictæ, quæ ex partium certarum inflammationibus proueniunt, in quibus etsi pars aliqua materiæ in vasis capillaribus parti inflammatæ insertis continetur, pars tamen etiam in spatia partis effunditur. Deinde, quæ lentæ dicuntur,

Digitized by Google

ountur, ex pertinacibus viscerum obstructionibus ortæ. Tertiò, quæ ex putredine alicuius partis proueniunt. Quartò, quæ ex lacte corrupto infantibus, ex vermibus sanguine extra vasa putrescente, quod interdum in contusionibus capitis, vt & aliis locis accidit, originem habent, quæ item puerperis accidunt, vt & quæ catarrhos comitantur, & catarrhales dicuntur. Possunt tamen etiam Catarrhales febres fieri, dum natura stimulata materiæ partem per hanc viam expellit.

Sciendum enim hic, adhuc aliud continentium genus dari, quod Platerus Comitatas appellat, quæ fiunt, vbi putredine in venis excitata, & febre accensa Natura partem vitiosorum humorum vel è corpore expellere, vel è vasis maioribus in minores & ambitum corporis, vel in partem determinatam depellere solet. E corpore expellere nititur Natura materiam in diarrhœa, dysenteria, Catarrhis, qui morbi cum febribus suis, epidemij ferè esse solent. Ad ambitum corporis in febribus expellit Natura materiam, in variolis, morbillis, petechiis, doloribus vagis. Ad determinatas partes, in pleuritide, angina, peripneumonia, phrenitide, erysipelate seu Rosa, Arthritide. Atque hæ febres nunc fiunt Synochæ, neque vllam exacerbationem vel remissionem habent, nunc statis periodis exacerbantur, pro peccantis humoris ratione, etsi ad ἀπυρεξίαν non deueniant.

Sanguis interdum in febricitantibus in venis absumitur.

Hisce, quæ de febrium putridarum differentiis paulo fusius docere voluimus, vnum adhuc, quod ite, quæ supra de symptomatibus febrium putridarum diximus, addendum censemus, subiungere libet: Cur nimirum febribus lethalibus correpti ante mortem habeant pulsus ordinatiores, & à febre quasi liberi deprehendantur, & ad mentem, quâ antea delirantes erant alienati, redeant. Accidit hoc ob sanguinis, & spirituum in venis & arteriis absumtionem. Nam refert Ioh. Argenterius, in Gal. *in lib. 1. de feb. ad Glaucon. cap. 2.* in cuiusdam febre extincti cadauere ne guttam sanguinis in venis fuisse repertam. Ita scribit Adr. Spigelius, *de semitert. lib. 1. cap. 15.* in quodam febre extincto venas maiores circa hepar sanguine euacuatas repertas fuisse. Et *ibid. cap. 16.* venam cauam & arteriam magnam sic vacuam fuisse sanguine, vt non opus fuerit filo venam cauam & portæ truncum dum exenterarentur, intercipere.

CAPVT XI.

De febre putrida continua primaria; & primo de Synocha.

Febris putrida continua primaria.

SEd vt iam in specie de febribus putridis, & quidem primò de continuis primariis agamus: febris continua primaria est, quæ ad ἀπυρεξίαν, antequam plane soluitur, non peruenit. Ortum habet ex putredine humorum in venæ cauæ & arteriæ vasis maioribus continua. Vt enim febrium putridarum in genere continens causa est vapor putridus, seu calor ille ex putredine humorum ortus, caloremque cordis igneum reddens: ita in specie continens causa continuarum est calor ex humoribus in vasis maioribus putrescentibus natus continuus. Nam si in hisce amplis & per totum corpus dispersis, ac cordi continuatis vasis humores putrescant, & inde vapores putridi, vel etiam humoris putridi portiones aliquæ assiduo ad cor mittantur, etiã calor continuus excitatur, neque febris ad ἀπυρεξίαν peruenit, antequam quicquid putridi & vitiosi est in humoribus, absumtum & euacuatum sit.

Febris continua ab intermittente differentia.

Atque hanc febrem ab intermittentibus discernere non difficile est. Antequam enim planè soluitur, ad ἀπυρεξίαν nunquã peruenit. Deinde neque singulis, neque alteruis diebus, neque longiore periodo, cũ rigore aut refrigeratione, vt intermittentes, aduenit: Neque etiã singulæ accessiones vomitibus, sudoribus, aut aliis euacuationibus, id quod fit in intermittentibus, sed ferè tandem critica euacuatione finiuntur. Accidere quidem potest, vt etiam in febribus continuis, præcipuè in earum initio, vomitus contingant; id quod euenit, cùm in ventriculo, & viciniis corrupta alimenta & vitiosi humores continentur, qui, etsi febris primaria causa non sunt, à calore tamen febrili commoti eam augent, aut certè symptomatibus quibusdam, vt nausea, vomitu, angustiis cordis eam exasperant. Verùm in morbi progressu vomitus isti cessant. Ac licèt in quibusdam febribus, quæ continuæ videntur, rigor & horror statis diebus redire soleant: tamen illæ febres simpliciter continuæ non sunt, sed compositæ, & ex intermittentibus ac continuis complicatæ, vt suo loco dicetur.

Febres continua primaria duplices.

Febrium autem putridarum continuarum primariarum duplex est differentia. Aliæ sine vlla remissione vel exacerbatione à principio vsque ad finem continuò durant: Aliæ sunt, in quibus quidem calor febrilis, antequã febris integre soluitur, nunquam planè intermittit, certis tamen periodis exandescit, & intenditur. Nominis quod attinet, de iis Galenus, *1. epid. comm. 3. text. 2.* monet, non semper iisdem nominibus fuisse appellatas, dum ita scribit: *Bifariam veteres vti videntur continui nomine, & intermittentis. Nam continuas vocant febres quandoque eas, quæ nullum tempus liberum habent accessionis; quandoque non omnes, quæ accessione nunquã vacant, sed solas præcipuè illas quæ omni carent vsque ad iudicium mutatione. Ita intermittentes appellant solas illas, quæ accessionem perpetuam non habent; interdum eas, quarum non recedit accessio, sed insignes faciunt mutationes singularum accessionum, in initium, incrementum, vigorem, & remissionem. At Medici quidam iuniores, quæ non magnam mutationem habent, non continuas, id est, συνεχεῖς, sed συνόχους nominant: Continuas autem has solas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt singulis accessionibus. Has vocant antiqui interdum continuas, interdum continentes. Nam sunt ferè inter continuas, & desinentes in ἀπυρεξίαν, media. Proinde rectè, cum συνόχοις conferuntur, intermittentes appellantur; cùm ad integritatem venientibus, continua.* Ex quo Galeni loco apparet, febres συνεχεῖς id est, *continuas*, in specie ita dictas, ab antiquis modò continuas, modò intermittentes fuisse appellatas. Ex eodem etiam manifestum euadit, τῶ συνόχου nomen Hippoc. & antiquis Medicis non fuisse in vsu, sed iuniorum potius post Hippoc. inuentum, qui, vt idem Galenus, *9. meth. med. c. 2.* docet, nomine quidem Græco vsi non sunt, cæterùm solœcismum potiùs committendum rati, quàm formam ipsam sine nomine relinquendam. Atque ista appellatio à recentioribus Medicis inuenta à posterioribus omnibus accepta, & vsurpata est; proinde hodie febres, quæ sine omni caloris intensione & remissione vsque ad finem durant, σύνοχοι πυρετοὶ, *continentes febres*: quæ verò quidem continuò durant, sed tamen aliquam caloris intensionem & remissionem habent, *continua* seu συνεχεῖς nomine generis, appellantur.

De Febribus Synochis.

Febris Synocha.

Vt autem primo loco de febribus Synochis seu continentibus agamus, est *febris Synocha putrida continua, quæ sine omni remissione & intensione periodica, à principio vsque ad finem affligit, à sanguinis in vena caua putredine orta.* Est enim huius febris, communi Medicorum sententiâ, causa putredo humorum in vasis omnibus, aut certè maioribus & cordi vicinis. Nam cùm in hac febre nulla remissio sentiatur, necessum est vapores putridos pari impetu & vehementia continuò cordi communicari: id quod fieri non potest, nisi humores vel in omnibus venis putrescant æqualiter, vel certè in vasis cordi viciniorib9.

An febres Synochæ è vasis determinatis ortum habeant.

Disputat quidem hac de re Hercules Saxonia, *lib. 8. pract. c. 6.* & pluribus probare nititur, febres continentes posse fieri, non tantùm ex vasis communibus, sed etiam ex vasis determinatis, atque aliquando febres continuas ab inflammatione, vel erysipelate, vel abscessu, vel scirrho, vel putredine partis determinatæ proficisci: quia scilicet venæ pulmonis, oris ventriculi, & hepatis sint cordi propinquæ, & continuò vapores putridi, sine omni remissione, inde ad cor mitti possint. Deinde plurima Galeni loca allegat, in quibus febres continentes ex vteri, ventriculi, hepatis, membranarum cerebri inflammatione & erysipelate fieri docet: Et proinde quando solas febres continentes ex putredine humorum in vasis communibus & maximis fieri dicit, inter vasa maxima etiam vasa pulmonis, hepatis, ventriculi, & vteri reponenda censet.

Febres quæ Symptomaticæ vulgò dicuntur triplices.

Verùm enimverò prolixâ hac de re disputatione opus esse non videtur. Nam vix aliquis, opinor, Medicorum est, qui neget, ex inflammatione partium, quibus maiora vasa obtigerunt, tales febres oriri posse. Verùm eas Symptomaticas esse, de quibus suo loco dicetur, non autẽ primarias, de quibus iã agimus, antea dictum est, & morbus tum non tam à febre, quàm ab ipsa parte affecta denominationem sortitur. Sed præter has sunt aliæ febres, quas Platerus rectè Comitatas potiùs, quàm Symptomaticas dicendas putat, de quibus infrà in febribus Symptomaticis dicemus, quæ non oriuntur ex partis determinatæ inflammatione, sed quæ potiùs inflammationi in parte aliqua causam præbent, cùm scilicet Natura partem aliquã humoris in quampiam partem effundit, vnde in ea parte nouus morbus excitatur. Et si omnino sint febres aliquæ verè continẽtes, quæ ex partis determinatæ vitio oriuntur, quales Synochæ, quæ puerperis ex vteri vitio accidunt, esse videntur: tamen pars illa determinata saltem inquinamentum aliquod suggerit, occasionémque præbet, vt sanguis totus in venis maioribus putredinem concipiat, atque ita quamvis ex priuatæ partis vitio & occasione sanguis putredinem concipiat; tamen putredo parte determinatâ ampliùs nõ concluditur, sed in reliquum sanguinem diffunditur. Verùm febres continuæ, è partium determinatarũ vitio ortæ sunt plerũque periodicæ. Et si etiã in Synochis quædã conspiciantur, quæ putredinẽ quoque in primis viis contestantur, vt sunt vermium vomitus, & alia: non tamen putredo in venis ob id neganda, & Symptomata eiusmodi potius effectus sunt febris illius continuæ, quam causa. Putredine enim & febre in corpore excitatâ, vt antea quoque dictum, quicquid vitiosum in corpore est, cõmouetur, & languente calore naturali in Synochis etiã primæ coctio vitiatur, & ex vitiosa materia vermes ibi generantur: vnde rursum febris augeri grauiórque reddi potest. Nec tamen est in febribus, vt causæ & effectus sese mutuò foueant & augeant.

Cæterùm putredo illa in vasis magnis, oritur plerumque à vehementi, ex impactis, multis, crassis viscidisque humoribus, obstructione, non solum in cute, sed etiam interioribus hepatis & aliarum partium venis, ob quam corpus liberè non ventilari, neque aër frigidior satis attrahi, neque calidæ & acres fuligines expelli possunt. Vnde humores in vasis, etiamsi alias boni sunt, putrescere necesse est. Atque hæc simplex Synocha putris est. Nihil tamen obstat, quin etiam à contagio humores infici, corrumpi & putrescere queant, atque hinc febris oriri

possit. Ambiénsque nos aër, putridis exhalationibus refertus, continua inspiratione attractus, sanguinem inquinare, eique vitium suum communicare potest. Verùm vt dictum modò, hæ febres malignitatis expertes non sunt.

Quis humor putrescat in Synochis.

Atque ex his, quæ de loco, in quo humores putrescunt, dicta sunt, etsi aliquo modo causa continuitatis harum febrium reddi possit: ipsa tamen humoris putrescentis consideratio adhuc addenda, quæ non minoris momenti videtur; cùm varij humores in iisdem vasis possint putrescere, neque tamen idem febris genus excitent. Rectè autem statuitur, febrium continentium proximam causam esse sanguinem, vel esse humores alimentarios, & nutriendo corpori dicatos, & qui in hepate iam formam sanguinis acceperint, vt antea dictum. Cùm enim hi perpetuò in corpore suppetant: non mirum est, si putredinem concipiant, quòd continuò vapores putridos ad cor mittunt, calorémque continuum excitant. Et cùm id quod putredine corruptum est, in principio à bono sanguine nondum separatum sit, sed cruditas adsit, & sanguinis partes bonæ cum vitiosis corruptis permixtæ sint; (non secus ac in musto, vel cereuisia recenti, antequam deferbuit, sese res habet) Natura nullam excretionem instituit, antequàm materiam coxerit, id est, vitiosum à bono separauerit. Itaque inuadit hæc febris non corpora frigida, sed eos qui sanguine abundant, & corpulenti sunt; vnde fit, vt nec in senili ætate, nec in frigido temperamento excitetur hæc febris.

An sanguis putrescens Synocha causa sit.

Verùm an ex sanguine, quem per humorem alimentarium intelligimus, putrescente, febris hæc oriri possit, & qualis sit, apud Authores non adeò planum est. Nam & alij hac de re dubitant, & Galenum etiam dubium fuisse nonnulli affirmant. Imò Auicennas *lib. 4. fen. 1. tract. 3. c. 44.* Galenum reprehendit, quasi negantem, dari febrem à putredine sanguinis, & statuentem, febrem, quæ ex sanguine putrescente fit, biliosam esse, non sanguineam, cùm sanguis putrescens in bilem mutetur. Atque hanc Galeni sententiam & Hippocrati, & veritati contrariam esse, plurimúmque erroris in se continere statuit.

Verùm enimverò hi Galeni mentem non satis percipiunt, & hæc febris tot exemplis & authoritatibus Galeni, præcipuè 9. *meth. med.* tum etiam rationibus confirmata est, vt de ea dubitandum non sit. Nam cùm omnes concedunt, hanc febrem oriri à sanguine, id est, massa illa humorum, quæ in venis continetur, corporique alendo destinata est: nulla certè euidens ratio nos dubitare iubet, ex eius putredine febrem accendi posse. Nam sanguinem putrescere posse, satis opinor, manifestum est. Etenim cùm videamus sanguinem, extra venas in quamcunque capacitatem in corpore effusum, putrescere: non est quod dubitemus, si vehemens aliqua causa occurrat, etiam in venis eum putrescere posse. Vbi enim calor ille familiaris & proprius sanguinem conseruans, præternaturalis & igneus euadit, neque ampliùs, vt priùs, moderatus est, vt coquere & conseruare sanguinem possit, sed immoderatus: putredo sequitur. Quod etsi non mox accidat, sed sæpius triduo aut quatriduo sanguis tantùm sit calefactus, nondum verò putrescat: tandem tamen à calore illo externo ipsum corrumpi & putrescere necesse est. Atque illa putredo sæpe non obscuris indiciis in sanguine, qui venâ apertâ emittitur, sese prodit; cùm interdum, fibris omnibus putredine corruptis, cohærere ampliùs sibi non potest: Et in inflammatione hepatis non solùm putridus, sed & purulentus sæpe apparet.

Quæ etsi, vt existimo, non adeò dubia sint, hoc tamen adhuc declaratione indiget; an febris illa, quæ ex putredine sanguinis oritur, rectè sanguinea appellari possit; cùm Auicennas, vt dictum, Galeno imputet, quasi sentiat, sanguinem, dum putrescit, statim in bilem mutari, & propterea febrem, quæ ex putredine sanguinis oritur, potiùs biliosam dicendam esse. Verùm omnino hæc febris sanguinea rectè dici potest, nihilque obstat, quin sanguis sub propria forma, id est, antequàm in alium humorem degeneret, putrescat; neque opus est, vt priùs bilis naturam induat, si putrescere debet. Si enim in inflammationibus in pus abit, non in bilem mutatus, cur idem etiá in venis fieri non possit? Et licèt pars tenuior & pinguior calore illo ex putredine accenso in bilem, crassior in atram mutari possit: tamen putredo ipsius sanguinis iam præcessit; neque opus est, vt totus sanguis in bilem, quæ postea biliosam febrem accendat, mutetur; sed & in aliud quid sanguinis substantia putredine mutari potest. Vbi tamen pars aliquammulta sanguinis in bilem mutatur, febris quoque, si non cesset, non parum degenerat, & quandoque Synochæ si protrahantur, in causum mutantur. Si verò sanguis iam in alium humorem abierit, febris quæ inde accenditur, non est sanguinea, sed biliosa vel melancholica.

Sanguinis in febre Synochâ diuersitas.

Quando autem sanguinem dicimus causam esse febris Synochæ putridæ, intelligimus omnem illum humorem, qui in venis ad corpus nutriendum in corpore quocunque continetur, modò ad corpus nutriendum adhuc aptus sit. Neque enim sanguis in omnibus corporibus eiusdem bonitatis est, sed in aliis exactè bonus est, in aliis ab illa bonitate declinat; vnde etiam alimentum non æquè bonum omnibus suppeditatur. Et cùm sanguis rarò suo sero destituatur, non malè illi sentire videntur, qui statuunt, harum febrium causam præcipuè esse ichorem sanguinis, atque ob ichorem in primis sanguinem putredine corripi. Excrementitij enim humores magis sunt corruptioni obnoxij, neque Natura eos tanto studio tuetur, vt alimentarios. Gignitur autem ichor in corporibus plethoricis, cùm fuligines & vapores, qui per poros cutis transpirare debebant, impedita transpiratione retinentur. Impedita transpiratio ex causis iis prouenit, de quibus antea dictum; omnésque causæ, quæ Synocham non putrem excitent, etiam Synocham cum putredine gignere valent: verùm ad Synocham cum putredine causa potentior requiritur. Cum etiam sanguis in hisce febribus putrescere dicitur, non ita accipiendum id est, quasi vniuersus putrescat, (nisi forsan ad extremam corruptionem peruenerit, morbúsque lethalis sit) sed quòd partes quædam eius præcipuè ichorosæ, putrescant, vt in putredine secundùm partem fieri solet, remanentibus eius quibusdam partibus integris, quæ vel seorsim à putri alicubi consistunt, vel etiam putridis permixtæ sunt, & præter naturam ab iis incaluerunt, quæ tamen, vbi putridæ partes euacuatæ & discussæ fuerint, ad pristinam naturam redeunt.

De tota autem ratione putredinis in hisce febribus, insignis locus est Fernelij, qui hic non prætereundus videtur. Ita autem ille, *libro 4. pathol. cap. 6. Cùm putredo venas communes inuadit, licèt earum sanguinem, non tamen omnes eius partes aquè occupat. Cum enim omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permixtione compositus, & sero multa perfusus, primò quidem illius portionem putredini magis obnoxiam prehendit; ab hac deinde aliã ipsi permixtam atque confusam, quæ minùs quàm illa sit vitiosa: hocque modo sensim obrepens, simul cum calore præter naturam augetur & inualescit, nec antea desinit, quàm omnes sanguinis partes putredini obnoxias absumpserit.* Et mox: *Omnibus, quæ putrescere apta fuerunt, absumptis, putredo calórque febrilis cessat: manet tamen pars sanguinis melior, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, hæc inuiolata restitit, eáque licet putrida permisceretur, illius tamen contagione minimè computruit, sed duntaxat incaluit; restincta proinde sedatáque putredine in pristinam illam puritatem redit. Atque tum vrina pura ac prorsus laudabiles apparent, quæ crassæ, turbidæ, ac sine sedimento fuerunt. Itaque ex putredine, (nisi fortè extremæ exitia fuerit) neque sanguis vniuersus, neque totus labefactatur. Nam soluta febre, non omnino exhausta vena manent, sed aliquid etiamnum in his inesse deprehenditur, idque vtile & alendo corpori idoneum, quod tamen olim miscebatur putredini.* Hæc Fernelius.

Differentia.

Synocha putrida differentia.

Differentias autem harum febrium quod attinet, triplex febrium harum est differentia. Synochus enim vel est ὁμότονος seu ἀκμαστικὸς, cùm scilicet febris hæc in eodem statu manet, & neque crescit, neque decrescit; quod fit, quando tantum humoris putrescit atque accenditur, quantum discutitur: vel ἐπαβατικὸς, seu ἐπακμαστικὸς, cùm febris continuò accrescit & augetur; quod accidit, cùm plus materiæ corrumpitur, quam discutitur: vel παρακμαστικὸς, cùm semper decrescit; cùm scilicet plus discutitur, quàm corrumpitur.

Deinde diuersitas humoris in venis putrescentis differentiam quandam suppeditat. Nam cùm massa sanguinea quatuor humoribus constet, seu in sanguineâ massa quadruplices partes animaduerti possint: si ex debitam proportionem inter se seruent, ita scilicet, vt temperatioris sanguinis partis, quæ in specie sanguis nominatur, maior copia sit, quæcunque etiam reliquarum partium sit proportio, atque massa illa sanguinea putredinem concipiat: Synocha sanguinea in specie nominatur. Si autem massa sanguinea non debitam humorum proportionem habeat, sed tenuior eius pars, quæ propter tenuitatem & caliditatem flauæ bilis naturam æmulatur, & propterea sanguis biliosus nominatur, putredine corripiatur: Synocha biliosa dicitur. Fecit huius febris mentionem Galenus, 2. *de diff. feb. cap. 2.* cùm scribit: *Continuarum, quæ ex bile flaua proueniunt, vnam esse speciem, quæ à continuo feruore Synochæ appellantur, quarum vniuersum tempus vna accessione consumitur.*

An etiam ex bile, pituita, melancholia, oriantur febres Synochæ.

Alij, vt Donat. Anton. ab Altomari, *part. 2. cap. 6. de febr.* aliter hac de re docent, atque non solùm Synocham à bile, sed etiam à pituita & melancholia fieri, & tot esse febrium continuarum, quot intermittentium differentias, dicunt. Et Synocham quidem biliosam fieri statuunt, quando sanguis biliosus paruum excessum habens, & simul cum sanguine copioso permixtus, putrescit in maioribus venis. Ita etiam a pituita & melancholia fieri dicunt Synocham, cùm exiguum excessum habent, & cum redundantia temperati sanguinis commistæ fuerint. Et licèt frequentiùs febres Synochas excitari concedat Altimarus, cùm æquabiliter adaucti omnes humores putrescunt, aut solus sanguis, vt quarta substantia, excedit, tamen etiam non rarò ex bile cum copioso sanguine putrescente easdem oriri statuit; rarissimè verò ex bile nigra aut pituita cum eodem sanguine copioso permixtis. Atque hinc etiam Galenum has ex pituita & melancholia Synochas febres præteriisse existimat; quòd scilicet eorum mentionem faciat, quæ sæpius accidunt, paruifaciens ea, quæ rarò aut rarissimè contingunt. Difficulter enim hi humores, cùm frigidi sint, intra vasa putrescunt, & si putrescunt, difficulter eorum putredo per vniuersa vasa cõsestim & citò porrigi potest, sed potius in quibusdam paruis minóribusque calidis vasis detenti ac impacti, ob crassitiem & tenacitatem putrescunt.

Verùm enimverò non videtur Altimarus rectè naturam Synochæ biliosæ explicasse, cum statuit, Synocham biliosam oriri, prævalente

Digitized by Google

præualente sanguinis parte optimâ & sinceriore, & post eam saltem biliosâ aliquo modo excedente. Hoc enim si accidit, non est Synocha biliosa, sed sanguinea; cùm ab eo, quod redundat, meritò fiat denominatio. Vt enim tertiana notha, in qua bilis & pituita simul putrescunt, bilis tamen præ pituita abundat, febris biliosa nominatur: ita & hîc meritò si sanguis ille temperatior bilioso præualet, febris sanguinea esset nominanda. Eadem ratio est Synochæ pituitosæ & melancholicæ, quas introducit Altimarus, & cum sanguine abundante fieri statuit. A pituita autem & melancholia abundante febrem Synocham prouenire non posse, ipsi facilè agnoscunt. Nam, vt rectè Galenus, *9. meth. med. cap. 3.* habet, hæc febris non accenditur in corpore frigido, sed in iis, qui sanguine plurimo abundant: idque eâ de causâ, quòd febris hæc gigni non potest, nisi id quod transpirare debet, & copiosum sit, & calidum, & nisi putredo in omnes, quæ inter inguina & alas sunt, venas, æquabiliter ac citò porrigatur: id quod in frigido corporis habitu fieri non potest. Quod verò dicunt, Galenum Synochæ ex pituita & melancholia ideò mentionem non fecisse, quòd rarò accidat: id admitti non potest. Cùm enim aliarum febrium, quæ rarissimæ sunt, mentionem fecerit, etiam has, si eas dari animaduertisset, non prætermisisset in tot locis, in quibus de febribus agit.

Itaque alias febres Synochas non agnoscimus, quàm sanguineam & biliosam. Sanguinea quidem cum omnibus plethoræ differentiis accidere potest, cùm scilicet, vel sanguis ille solus in specie dictus reliquos humores superat, vel omnes humores debita proportione seruata æqualiter augentur, vel vnus mediocrem excessum, cum sanguine tamen copiosiore habuerit. Biliosa verò Synocha est, cùm sanguis biliosus & tenuior putrescit.

Signa Diagnostica.

Signa Synochæ putridæ.

Signa autem quædam vtrique Synochæ sunt communia: quædam verò huic vel illi peculiaria. Primò enim hæc omnium Synocharum communis quasi idea est, vt vnam accessionem à principio vsque ad finem habeant, nullaque in iis mutatio, nullus circuitus appareat. Deinde causas communes habent, proueniuntque principaliter à cutis hepatisque à crassis & viscidis humoribus obstructione. Pulsus etiam non solum est magnus, sed & vehemens, celer, frequens, & vt in aliis putridis inæqualis & inordinatus.

Peculiaria verò signa sunt hæc: In Synocha, quæ à sanguine bono abundante ortum habet, signa redundantis sanguinis apparent, facies ruber, venæ tument, lassitudo tensiua adest; exoritur febris in corpore calido & humido, ætate iuuenili, tempore verno, & tum in primis, cùm consueta aliqua euacuatio suppressa est. Calor tangenti multus & vaporosus, minúsque molestus & acris apparet, quam in aliis febribus. Nam in biliosis calor non est mitis, halituosus & multus, sed acer & mordax. Calor verò in pituitosis febribus, etsi primò mitis videatur, tamen si manus diutius admota teneatur, paulò post mordax & ardens quasi tactui apparet. Alia etiam signa, quæ in Synocha non putri conspiciuntur, adsunt.

Signa Synocham putridam à non putrida discernentia.

Verumtamen sunt & notæ, quibus Synocha hæc putris à non putri distinguitur. Etenim licet calor in Synocha putri, si cum aliis febribus putridis conferatur, sit mitior; tamen si cum Synocha non putri comparetur, calor in putri est acrior, quàm in non putri. Deinde in putri Synocha, vrina est rubra, crassa ac turbida, sine sedimento, cruda, aut saltem leuiter cocta in principio. Pulsus præterea putredinis notas, vt in aliis putridis febribus exhibet. Tandem & Symptomata omnia alia, sunt vehementiora quàm in non putri, vt maior est dolor capitis, inquietudo, vigiliæ, & siquæ alia accidere solent.

Synocha putrida biliosa signa.

Biliosa verò Synocha suis quoque signis à sanguinea discernitur. Nam primò corripit hæc febris eos, qui sunt graciles, biliosi, & sanguine copioso, ac carne ita non abundant, qui vitam laboribus deditam agunt, corpúsque multum exercent, & curis vexantur, qui in Sole & æstu diutiùs versantur, acribus, & medicamentis calidis sunt vsi: & in genere, in quibus causæ præcesserunt, quæ sanguinem biliosum generare solent. Calor præterea, quàm in sanguinea, est acrior & vehementior, sitisque magis vexat, vrinæ sunt tenuiores atque acriores, atque alia signa conspiciuntur, quæ febribus biliosis sunt affinia.

Prognostica.

Prognostica Synochæ putridæ.

Est ea inter febres putridas simplicissima, & si pura sit & rectè tractetur, curatu facillima. Pura autem rarò transit septimum diem; notha ad decimumquartum extenditur, citiúsque vel tardiùs finitur, quò scilicet signa coctionis citiùs vel tardiùs appareant. Quantò ergo vrina in initio est rubicundior: tantò citiùs terminatur, cum signis bonis ad bonum, cum malis ad malum. Vrina autem alba in Synochis mala est, & plerumque mortem prædicit. Omnium salubertima est, quæ ab initio non decrescit, παρακμαστικὸς σύνοχος dicta; post hanc consistens, ἀκμαστικὸς σύνοχος: periculosissima est, quæ perpetuò increscit, ἐπακμαστικὸς σύνοχος nominata. Si aliquandiu duret hæc febris, facilè in καῦσον degenerat. Quò mitiora habet symptomata, eò maior salutis spes est: malum verò est, vbi praua symptomata accidant, qualia sunt, ægros magna inquietudine aut dyspnœa fatigari, ventrem inflari aut rugire, pustulas nigras aut liuida apparere.

Indicationes.

Tota eius curatio consistit in causæ ablatione, & caloris febrilis temperatione. Sanguis quia in hac febre semper peccat, imminuendus, causæ etiam reliquæ per sua contraria tollendæ. Si nimirum ex causa frigida corporis meatus constipati sint, ij reserandi, corpúsque rarefaciendum. Si ex obstructione id accidat, hæc aperienda. Videndum autem, à qua causa obstructio proueniat. Si enim ex abundantia humor pendeat, ij minuendi: si ex crassitie, attenuandi. Et quidem cùm in hac febre, vt dictum, semper sanguinis copia adsit: à sanguinis missione incipere conuenit. Sanguine imminuto, ad humorum, si crassi sint, extenuationem accedendum, & corpus, si constipatum sit, rarefaciendum est. Feruor quoque & æstus sanguinis temperandus. Atque has quidem indicationes causa suppeditat. Morbus verò, seu febris, refrigerationem postulat: Vitalem indicationem quod attinet, si vires, quod plerumque accidit, valentiores sint, statúsque breui sit futurus: tenuissimo victu vti conuenit, si vires iam imminutæ, aliquid adiiciendum. Eadem virium in hac febre plerumque constantia, vacuationes, quas causa postulat, permittit.

Curatio.

Qua autem ratione ista expedienda sint, breuiter dicemus; cùm pleraque ex curatione Synochæ non putris pateant.

Victus in Synochis putridis.

Victus ergo, vt ab hoc incipiamus, in hac febre tenuis requiritur: tum quia sanguis abundant, tum quia morbus est breuior. Et quidem refrigerans ac humectans. Vnde conuenit aqua hordei, & iuscula pulli, herbis vel succis refrigerantibus alterata. A vino autem & carnibus abstinendum, & aliis, quæcunque sanguinem multum generant, & calefaciunt. Ad causas autem si respicias, aqua mulsa ad crassos succos attenuandos & viscidos detergendos, atque ad excrementa promouenda, commoda est in iis Synochis, quæ à putredine ex habitu corporis condensatu & poris obstructis proueniunt. Quatenus tamen calorem auget, nocet. Quare si calor sit maior, abstinendum ab aqua mulsa. Et si obstructiones contumaces sint, oxymelite vtendum. Sed de his mox plura in pharmaciâ.

Venæsectio in synocha putri.

In auxiliis reliquis adhibendis nihil cunctandum, citóque naturæ succurrendum est, ne vel suffocatio, vel syncope accedat, vel febris ista in καῦσον degeneret. Itaque quamprimùm, præmisso, si opus sit, clystere, vena aperienda est. *Duo* enim, vt Galenus *9. meth. med. cap. 5.* habet, *maxima continentium febrium remedia sunt, sanguinis detractio* copiosior, *& potio frigida.* De quantitate autem sanguinis, & an ad animi deliquium vsque emitti debeat, antea dictum. Tutius omnium est, vt intrà subsistatur, & venæsectio paulò post repetatur, quàm vt ancipiti euentu ad lipothymiam vsque sanguis euacuetur, simúlque forsan cum febre homo iuguletur. Conditiones enim istæ omnes, quæ ad sanguinis tam copiosam euacuationem requiruntur, rarò in vno corpore reperiuntur, præsertim in nostris regionibus, ita scilicet, vt plenitudo quoad vasa, sit pura & legitima, vires planè fortes, putredo non adeò magna. Audacius tamen in hac febre, quam vllâ aliâ sanguinem mittere licet ad vnc. xi. vel etiam plures. Eligenda verò vena est in cubito.

Pharmacia.

Purgantia in Synochis putrid.

Sanguine pro morbi vehementia, & virium robore sufficienter euacuato, si febris non cesset aut mitigetur, suspicandum est, sanguinis aliquam partem in bilem degenerare, aut bilem coniunctam esse, à qua febris fomentum accipiat: Itaque ad ea medicamenta accedendum, quæ febris, sanguinis, & bilis calorem temperant, putredinémque inhibent. Et proinde, quod medicamenta attinet, ferè tractanda est hæc febris, vt biliosa. Itaque si purgatione opus sit, & aliquid sanguinis in bilem degenerauerit, eligenda sunt ea medicamenta, quæ humorem biliosum euacuant, & minus calefaciunt: quorsum in vsum rhabarbarum, tamarindi, Syrupus rosarum & violarum, vel succus eorundem commodus est.

Vt ℞. *Rad. opr.* Drach. ij. *cinnamom.* Scr. j. *flor. cichor. cordial.* an. P. j. *spica.* Scr. ß. Infund. in s. q. *aq. cichory, vel endiu. vel seri lactis.* Colat. ℞. ℥. iij. ß. Add. *pulpæ tamarind.* Drach. vj. vel ℥. j. *Syr. rosar. sol. vel viol. sol.* vnc. ß. vel vnc. ß. j. Aut in Colatura dissolu. *mannæ*, Drach. vj. vel vnc. j. pro ratione ætatis, iterúmque colatur.

Verùm plerumque materiæ euacuatio vsque ad tempus crisis expectanda, vbi à naturâ cocta & victa faciliùs eiicitur: Si tamen in primis viis aliquid subsistat, clystere vel lenientibus medicamentis, vt pulpâ tamarindorum, syr. rosar. & violar. solutiuo euacuandum.

Alterantia.

Alterantia in Synoch. putr.

Vt autem coctio faciliùs absoluatur, vtendum iis quæ calorem temperant, obstructiones liberant, & putredinem inhibent, vt Syrupo de limonibus, de acetositat. citri, de succo acetosæ, violarum, acetoso s. oxysacchar. s. spiritu vitriol. cum aquâ hordei, endiuiæ, acetosæ, cichorij. Prosunt & sem. 4. frigida maiora: sicut & condita vel electuaria, parata ex cons. rosar. acetosæ, acetosellæ, violarum, buglossi.

Vt ℞. *Conserua rosar. acetosell. cichorij, citri.* an. Vnc. j. *lactuc. Italic. condit.* Vnc. ß. *santal. citrin. spec. diamarg. fr.* an. Sc. j. *Spir. vitriol.* Scr. ß Cum *syr. violar.* F. Electuar.

Frigida potus in Synoch. putrid.

Coctione perfectâ, Antiqui aquam frigidam propinabant, tantúmque eius offerebant, quantum ægro liberet bibere, vt eâ non solùm calor febrilis extingueretur, sed materia iam cocta per vomitum, vel aluum, vel sudores euacuaretur. Sed de frigidæ potu antea in *curatione febrium generali* dictum. Cautè certè in nostris corporibus, frigidæ potioni tardò assuetis, vsurpanda: cùm plurima, quæ enumerauimus antea, inde possint oriri mala: & obseruatum sit, quosdam paulò post ex eius vsu in hydropem incidisse Nunquàm autem aqua concedi potest potus quotidiani, & alimenti distribuendi gratiâ; cùm fluctuet & innatet in ventriculo, tardè descendat, coctioni resistat, hypochondria inflet: sed remedij saltem causâ, in quibus nullum ex eius vsu incommodum timetur, absoluta coctione, semel concedatur iis, vt diximus, qui ei assueti sunt.

Balneum aqua frigida in Synochis putridis.

Antiqui etiam in hac febre, si æger esset εὔσαρκος, iuuenis, cœli statu æstuans, febris vehementissima, in frigida natationem permittebant. Qui ea vtebantur, protinus omnes sudabant, & nonnullis aluus biliosa reddebatur. Verùm cùm nostri natationibus illis, & balneis Antiquis vsitatis assueti non sint, ac præterea rarò solùm sanguis abundans sine cacochymia aliqua reperiatur, metuendúmque sit, ne à frigore balnei eiusmodi, habitu corporis densata, vapores putridi intus coërceantur, & putredo augeatur: non tutò hodiè balnea eiusmodi permittuntur.

Quòd si absoluta coctione naturam κρίσιν quocunque modo instituere videamus, Medicus quiescat, secundùm *aph.* Hippocr. 20. *s.* 1. *Quæ decernuntur, decretáque sunt rectè, nec mouere, nec aliud quippiam nouare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis tenneais, sed sinere.* Si autem natura suum officium non rectè faciat, quod restat, medicamentis tollendum, vt mox in *febribus ardentibus* dicetur.

Augerij Ferrerij de curandis synochis admonitio.

Vinum saltem adhuc addere libet, de quo Augerius Ferrerius in *castigationibus practicæ medicinæ, c.* 14. mouet; vt suprà etiam iam diximus, quod non de nihilo esse videtur, præcipue in hisce Synochis febribus. Is Medicos reprehendit, qui in continentibus & continuis febribus semper hepatis & lienis obstructiones putredinis causam esse existimant, cutisque obstructiones & constipationes, quæ impedita transpiratione putredinem excitant, negligunt, & propterea non oxymel Hippocratis & Galeni facilè paratu remedium, nec Arabum Iuleps, sed recentium apozemata ad viscerum internorum obstructiones parant. Præter rem enim existimat eos facere, cùm ad internas obstructiones confugiunt, dum causa putredinis est fuliginosorum excrementorum retentio, quæ retinentur in corpore, cùm aut insensibiles cutis meatus ab externa aliqua causa constipantur, aut crasso lentóque humore obstruuntur, & intempestiuam præstare eos diligentiam putat, qui ex tot aperientibus herbis & radicibus toties decocta ægris propinant. Laudat contrà Antiquos, qui id in primis agebant, vt, vacuata multitudine, crassos lentósque humores meatibus cutis infarctos attenuarent & detergerent. Neque id præstare posse decocta illa aperientia: cùm radices illæ & herbæ aperientes visceribus ac meatibus vrinariis peculiariter dicatæ sint, ad cutem verò non penetrent, aut si penetrent, deficiant, vel minùs potenter agant, quàm longinquæ obstructionibus natura postularet. Commodiùs hunc in finem Antiquos Oxymelite vel mulsa vsos censet, quæ tum euidenti qualitate, tum familiaritate naturæ, quam habent cum substantia corporis nostri, ad extremas quoque particulas feruntur: cùm contrà verendum sit, ne insuauitas illarum decoctionum molestiam afferat, ac distributionem impediat. Ingrata enim remedia appetitum deiiciunt & ventriculum subuertunt, ac facultates suas integrè vix impertiuntur; cùm ob molestiam à natura expulsam patiantur. Medicos ergo Antiquos commendat, qui è tanta remediorum sylua paucula quædam selegerunt & reuocarunt in vsum, quæ suauitate naturam allicerent, & oblectatione suas vires altiùs imprimerent. Et licèt vehiculi vel condimenti loco saccharum eiusmodi decoctis adiiciatur, tamen tot rerum confusione insuauia & nauseabunda euadere dicit, vt aut illud vehiculum extinguant, aut id efficiant, vt repulsam à natura patiantur. Præterea intempestiuè talia in principio, vel augmento febrium acutarum propinari statuit; cùm vrinas moueant, quæ tamen nonnisi cocta materia, vel inclinante morbo conueniant, Imò præter rem esse existimat, tanto labore ac sumtu insuaue ac incerti effectus parare remedium, cùm facili decocto, & leuibus expensis, ea, quæ à veteribus probata sunt, summa cum securitate, & voluptate non mediocri, vsurpare liceat. Ipse itaque in continuis, omissis eiusmodi decoctis, mulsa aut oxymelite vtendum censet, quæ ad tenuandos tergendósque crassos ac lentos, qui cutem obstruunt, succos satisfacere possint. Oxymel nimirum putredini resistit, crassitudinem attenuat, lentorem abstergit, ad cutem etiam penetrat, nec febres accendit. Mulsa quoque concedi potest iis, in quibus non facilè bilescit. Nec nocumenta illa mordendi intestina, & tusses excitandi verenda putat; cùm subtractione ponderis aceti, & additione mellis salubriter præparari possit, vt neque rodat, neque tusses molestas excitet, neque neruosas partes offendat. Oxymeliti si mulsa additur, mitius efficitur: si saccharum, aut hydrosaccharum, omninò delicatum. Quòd si in

Oxymelitis & mulsa vsus in Synochis putridis.

Melancholicis & mulieribus, quarum vterus facilè offenditur melle & aceto, oxymelitis vsus suspectus sit, mulsa vtendum docet, quæ si bilescere viderit, dilutissima parari potest ex aquis cichorij, endiuiæ, scariolæ, vel mellis loco purissimum saccharum cum aqua decoquere licèt, vt mulsæ loco hydrosaccharum præbeatur. Terget enim istud, & inter mulsam & oxymel mediam quasi naturam sortitum est. Dulcedinem autem cantillo aceti mitigare & infringere licet.

CAPVT XII.

De Causo seu febre ardente.

QVia verò hoc loco Causi seu febris ardentis solet ab Anthoribus mentio fieri, etiam de ea aliquid addendum est. Καῦσος autem non est febris aliqua differentia, quales sunt biliosa, pituitosa, melancholica: verùm modum potiùs & qualitatem caloris febrilis innuit. Quæ verò febres illam qualitatem participent, & quæ propriè ardentes seu καῦσοι dicantur, non adeò planum est, Galenúsque ipse non eodem semper modo hac de re locutus videtur. Nam interdum affirmat, febrem ardentem oriri ex bile in vniuersi corporis venis putrescente; aliquando causum fieri concedit non solùm in vniuerso corpore, verùm etiam in aliqua eius parte, vt ventriculo, pulmone, ieiuno intestino, imò etiam extra venas maiores, in carne alicuius particularis membri, quocunque nimirum biliosus humor attractus est, adeò vt vniuersalem & particularem causum constituere videatur. Nonnunquam causum non solùm ex bile flaua, verùm etiam ex salsa pituita gigni dicit. Interdum tertianam intermittentem causum nominat, interdum verò tertianam ab ardente febre distinguit, quòd nimirum in ardentibus intra vasa; in tertiana verò intermittente extra vasa humores putrescant. Ita enim, 2. *de cris. c.* 3. *Ardentes febres à tertianis differunt, quamuis eundem, qui eas facit, habeant humorem, quòd in his quidem intra venas continetur; in illa verò, cum vehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur.* Et 4. *aph.* 59. *Tertiana febris ab ea, quæ ardens nominatur, humore faciente non differt. Vtraque enim à flaua bile fit. Differt autem, quòd febris ardens habet in venis vnà cum sanguine flauam bilem redundantem & ebullientem. Tertiana verò eandem bilem habet in totum corpus delatam & motam.* Et 2. *de cris. cap.* 6. *Exquisita febris ardens cum omnia alia seruet exquisitæ tertianæ indicia, eo solo differt, quòd neque cum rigore incipit, neque ad infebricitationem desinit.* 4. verò *de vict. rat. in ac. t.* 1. vbi Hippocrates hæc habet: *καῦσος febris ardens fit cum venula tempore æstiuo exsiccata, acres & biliosas, quæ tenues sunt, trahunt ad se humiditates, quas ichores vocant*: addit Galenus: *καῦσος propriè dictus non caliditatem, quæ in totum corpus fit, præstat modò vehementiam, verùm quoque & sitis. Nam sitis in eo vehemens est & incompescibilis.* Et paulò post: *Nempe in vna corporis parte interdum καῦσος gignitur, interdum & in toto corpore. Verum cum in toto fit corpore, sitim omnino parit; cùm verò in vna parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat: omnium autem primum & maximè id facit os ventriculi; deinde ventriculus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum.* Et *lib. de tremore & palpit. cap.* 7. scribit: *Tertiana exquisita καῦσος est genere, tantò altero causo continuo inferior, quantò calor febris & flammeus & pruriens deficit.*

Causi nomé quot modis vsurpetur.

Quæ res facit, vt alij etiam Medici aliter de causo sentiant & loquantur: Vt autem res omnis expedita reddatur: Obseruandum, Causi nomen interdum generaliter & minùs propriè, interdum verò specialiter & magis propriè accipi. Generaliter si vsurpetur nomen causi, pro quacunque febre, id quod nomen innuit, cuius calor est vehementior, vsurpatur, ex quacunque etiam causa calida & sicca, & quocunque in loco putrescente, is excitetur. In specie verò causus appellatur febris, quæ duo pathognomonica signa habet, vt Galenus, 3. *epid. comment.* 3. *t.* 34. docet, calorem scilicet ingentem, & sitim magnam atque inextinguibilem, quantumuis biberint: quod etiam habet, 4. *de vict. rat. in acut. t.* 13. Et quidem in causo in specie dicto requirit Galenus, vt signa ista, sitis nimirum & calor vrens continuò affligant & molestent. Ita enim, *allegato loco* 3 *ep d. comment.* 3. *t.* 34. scribit: *Videtur Hippocrates febrem ardentem assiduitate cognoscere sitis, calorísque exurentis; sicut phrenitim perpetuo delirio. Sic enim quamuis non perinde sitiant ægri, neque valde exurantur, per totum autem morbum dicta duo symptomata adsint, febris ardens esse dicetur morbus: existítque alia febris hac calidior, vt & corpus fundat, reddátque deiectiones biliosas & colliquatiuas; sed non appellatur ardens febris, nisi adiuncta perpetuò habeat per totam morbum paulo antè commemorata duo, irrequietam sitim, quantumuis biberint, & ardentem calorem.* Quibus manifestè innuit, vt febris ardens propriè dicatur, hæc duo requiri, sitim irrequietam, & calorem ardentem, & quidem vtrunque perpetuò molestantem.

Causus propriè dictus duplex.

Hic autem Causus propriè & in specie dictus, duplex est, legitimus seu exquisitus, & nothus, vt ex *loco iam citato* colligere est, vbi in omni ardente febre non eandem vehementiam sitis & caloris esse innuit, manifestiùs verò traditur, 4. *de rat. vict.*

vict. in ac. t. 33. vbi diuisionem Causi in legitimum & nothum ipse proponit, legitimúmque seu exquisitum causum eum nominat, qui ista duo symptomata semper & euidenter coniuncta habet; nothum autem, in quo illa symptomata sunt minùs vehementia, nec corpus ita vrunt. Et 3. *Epid. comm.* 1. *text.* 9. appellat febres ardentes quasi germanas, id est, non exactè exquisitas, quæ quidem fiunt à bile sincera, non tamen tempore æstiuo, & aëre calido & sicco. Nam si aliqua conditio ex iis, quæ ad febrem ardentem legitimam sunt necessariæ, quales sunt, temperatura corporis, ætas, aër, & alia ad bilis generationem necessaria, desit, febris quidem ardens est legitima, sed non exactè talis.

Febres ardentes quæ propriè.

Ex quibus omnibus clarum euadit, febres ardentes propriè & in specie dictum esse febres continuas, & quidem eas, quarum calor vrens est, quæque sitim incõpescibilem coniunctã habent. Ideóq; etsi febres intermittentes ex bile ortæ, generaliter ardentes nominari possint, vt Galenus tertianæ intermittenti exquisitę interdũ hoc nomen tribuat, prætereáque ex pituita salsa καῦσος hoc modo dictus gigni possit, tamen propriè dictus & legitimus causus, qui Gal. etiam ὀξύτατος & κινδυνωδέστατος πυρετὸς nominatur, nonnisi ex bilioso humore intra vasa putrescente, calorémq; continuũ cordi suggerente oriri potest. Et tales febres possunt esse tam continuæ, quam symptomaticæ, ex inflammatione præcipuè ἐρυσιπελατώδει partium internarum ortæ. Verũ cùm antiqui, vt ex 4. *aph. sect.* 7. patet, tales affectus, qui ex inflammatione visceris alicuius oriuntur, febres non appellarint, sed nomine inflammationis illarum partium, peripneumonias, phrenitides, &c. Si has febres excipias, καῦσος seu febris ardens propriè dicta, est tertiana continua, quæ ex sincera bile oritur, & de qua modò egimus, Synocha biliosa, quæ non solùm verus & legitimus causus est, verùm etiam inter legitimos præcipuus. Quamuis enim Argenterius, *lib. de feb.* contrarium scribat, qui Causi nomen etiam Synochis tribuont; idque ideò, quòd talem calorem Synochæ non habeant, qualis est in ardentibus: tamen id solum de Synocha sanguinea, non verò de Synocha biliosa concedendum est. Quod verò postea addit, in Causo quasdam esse intensiones & remissiones, quæ non sint in Synocha: id solùm affirmat, sed non probat de natura ardentium esse, vt habeant quasdam intensiones & remissiones.

Ac proinde quæ sint causæ febrium ardentium, ex iis quæ de Synocha biliosa dicta sunt, & quæ de tertiana continua dicentur, patet. Hoc saltem addimus cùm suprà, *in initio c.* 11. diximus, febres continuas ortum habere ex putredine humorum in venæ cauæ & arteriæ vasis maioribus: id quod de arteriis dicitur, in febribus ardentibus accidere, & sanguinis in arteriis putredinem febres ardentissimas excitare. Equidem sanguis arteriosus cùm sit spirituosus & calidus facilè incalescit, sed non putrescit: cùm sit purissimus & calidissimus. Si tamen putredo in venis accendatur, & semina putredinis ac vapores putridi arteriis etiam communicentur, putredinem eum concipere posse non impossibile est.

Corripit proinde febris hæc temperaturâ calidos & siccos, vt iuuenes & ætate consistentes; inprimis si præcessit talis aëris constitutio: senes verò non facile.

Signa Diagnostica.

Signa causi.

Signa pathognomonica esse calorem vrentem, & sitim inextinguibilem, iam dictum est; quæ tamen maiora sunt in causo legitimo, quã in notho. De siti hoc notandũ est, si accedat tussis leuicula, sitim nonnihil retundi, vt eam pro febris magnitudine ægri non sentiant. Humor enim motu ex locis vicinis attrahitur, & partibus illis affunditur, vnde minùs siticulosi fiunt. Præter signa ista pathognomonica, alia adhuc habet Hip. 4. *de rat. vict. in acut. text.* 4. quæ Gal. *in com.* συνεδρεύοντα nominat, qualia sunt: lingua sicca, aspera & nigra, ventris morsus, deiectiones pallidæ, vigiliæ, interdum quoque desipientia. Lingua quidem arescit, quòd tota corporis affectio sicca sit & calida, febrisque ipsa talis. Ventris verò morsus, propter tenuium humiditatum, quæ illuc confluunt, acrimoniam oritur. Vigiliæ, ob siccitatem: desipientia autem fit ab ea, quæ ad caput recurrit, bile & ob temperaturæ caliditatem siccitatémque. Respiratio quoque est difficilis, densa & magna, efflántque continenter os aperiendo, vt calidi spiritus efflatione leuentur. Quæ quidem symptomata omnia vehementiora sunt in legitimo, quàm in notho causo.

Prognostica.

Prognostica febr. ardent.

Febres hæ, si puræ sint, non diù durant. Natura enim calorem tam vrentem, ac vehementia, quæ hanc febrim comitantur, symptomata ferre non potest. Nothæ verò, quia mitiorem habent calorẽ & symptomata, lõgiores sunt. Puræ ardentes plerũque septimo die terminantur, interdum 9. 11. 14. Omnes autem periculosæ sunt, vt scribit Hip. 4. *aph.* 43. *Febres quæcunque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ sunt. Quocunque autem modo intermittant, periculum abesse significant.* Aliæ tamen aliis sunt periculosiores, pro caloris & symptomatũ vehemẽtia, ac virium robore. Febris habetur vehementior, pro maiori à statu naturali recessu. Ergo si contingat, quod tamẽ rarò accidit, vt senex ardente febre corripiatur, id lethale est, vt habet Gal. 1. *aph.* 14. Non minùs periculosè decumbunt, qui in aëre frigido valde vruntur: Qui si nec vires validas habeant, nec signa coctionis appareant, fieri nõ potest, vt seruẽtur, vt idẽ Gal. 11. *meth. med. c.* 9. ait. Quibus si accedant symptomata vehemẽtia, eò periculosior morbus redditur; siue illa sint pathognomonica, siue superuenientia. Pathognomonica calorem vehementẽ, & sitim inextinguibilem esse diximus: quæ quò sunt vehementiora, eò morbus est periculosior. Non tamen minus periculi denotat, si lingua sit arida, absit sitis. Alterutrum hoc significat, vt docet Gal. 3. *Epid. com.* 1. *text.* 5. vel ægrum delirio teneri, vel appetentẽ ventriculi facultatem emori. Exemplum febris ardentis periculosæ proposuit Hip. 1. *Epid. com.* 2. *in descriptione tempestatis tertiæ, t.* 75. *At cum febres ardentes inciperent, inquit, annunciabant, quibus exitium immineret. Siquidem statim ab initio febris acuta eos corripiebat, à qua parum rigebant, insomnes erant, grauiter angebantur, sitibundi, fastidiosi, paululum in fronte ac clauiculis exsudabant, sed nemo per totum corpus. Multa delirabãt, timores, mœstitia aderant, extremitates subfrigida, vt sũmi pedes magisque manus.* Vrinæ etiã periculũ denotãt. Nigrescentes enim malæ sunt, vt & tenues & crudæ, vel alia mala indicia habentes, de quib. alibi dictũ.

Obseruatio de Vrinis, & caussa frequentis delirij in febrib. acutis. De Vrinis.

¶ [Equidẽ bonum est, vrinas etiã in ægris sanorũ similes esse; sed tum demũ id bonum est, cùm naturæ robore accidit. Possunt enim interdum vrinæ ægrorũ vrinis sanorũ similes esse, & apparere, cum ægri damno. Nam quod Hip. 5. *Coac. sect.* 2. *aph.* 69. (secundum distinctionem Hollerij, sed 15. secund. Foësij) de peripneumonia in specie scribit: *Quibus in peripneumonia initio vrina crassa sunt, deinde ante diem quartam tenues fiunt, lethale*, id in omnibus febribus acutis, præcipuè cum internis inflammationibus connexis, verũ est. Vrinæ enim, quæ antè crassæ erãt, tenues & sanorũ similes (tenues enim hîc dicuntur nõ absolutè tales, sed in comparatione cum crassioribus) euadunt tribus modis: primò cùm vrinæ, quæ ob materiæ copiam crassæ erant, naturæ robore vincuntur, & materiã vitiosa seu per renes, seu per sudores euacuatã, tenuiores, & sanorum similes fiunt: qui modus solùm bonus est & criticus. Secundò, tenues ex crassis fiunt vrinæ, ob materiæ inæqualitatem, & virtutis debilitatem, quæ materiam modò vincit, modò ab ea vincitur: vnde vrinæ modò tenues, modò crassæ apparent: qui modus malus est. Tertiò adhuc peior est modus, cùm vrina, quæ antea crassa erat, subitò attenuatur, ob materiæ & bilis ad caput, & aliã partẽ inflammatam translationem. Quod cùm accidit in febribus acutis & malignis, instantis delirij & phrenitidis indicium est; id quod frequenter est obseruari, & cuilibet in febribus acutis obseruare promptum est & facile, ac diligenter obseruandũ. Non rarò enim accidit, vt nõ solùm vulgus, sed & Medici non satis periti, si vrinas meliores & sanorum similes fieri inspiciunt, id pro bono habeant, spe tamẽ suâ fallantur. Ideóque attendendũ, an, si tale quid accidat, critica aliqua euacuatio præcesserit, & an meliùs æger habere incipiat. Tum enim solũ ista vrinarũ in statum sanorum similẽ mutatio, bonum signum est. Si verò nulla crisis præcessit, & æger nõ modò non meliùs, sed & deteriùs habere incipiat, tum id pessimum, & plerumq; lethale signum est. Materia enim tum ad cerebrum rapitur, ibique inflãmationẽ & phrenitidẽ, quæ frequentissimè lethalis, & hãc cõsequentia symptomata, vigilias perpetuas, ac delitia excitat. Interdum tamen accidit, vt aliarum partium etiam, pulmonis, hepatis, pleuræ, inflammationes hoc modo excitẽtur.

Vrina tribus modis tenues fiunt. 1. 2. 3.

Nota.

De delirio.

Cur autem potissimum, & tam frequenter, in febribus acutis materia ad caput rapiatur, & deliria, imò phrenitis, excitentur, consideratione dignum. Caussa autem huius rei in ipso cerebro & capite quærenda est. Etenim primò venæ & arteriæ plurimæ cerebrũ ingrediuntur, & in idẽ desinũt, pro eius nutritione, vitæ conseruatione, & spirituum animalium generatione. Nec dantur vasa ac viæ magnæ, quæ naturaliter euacuant, & aliorsum materiam transuehunt, sicut in ventriculo, liene, hepate, corde, pulmone. Secundò, reliqua membra vapores cõmunicatos facilè dimittunt, quia perspirabilia & porosa: Cerebrum autẽ cranio cõclusum duriore & minùs peruio, vapores detinere cogitur, donec incrassati, sub alia excrementitij humoris forma tandem defluant. Tertiò, cerebri substantia mollis vapores & humores cò delatos facilè inmittit, & difficulter discutit, ob temperamentũ frigidum. Quartò, cerebri actiones continuę sunt, & reliquo etiã corpore in ægris quiescente, animales in cerebro actiones in perpetuo sunt exercitio, vt in vigiliis, quæ febribus acutis familiares esse solent; quo exercitio cùm spiritus animales absumãtur, continuò nouum sanguinem arteriosum ad eorum refectionem affluere necesse est, qui secum vapores calidos, quibus arteriæ repletæ sunt in febribus acutis, ad cerebrum vehit, vnde id calefiat necesse est. Quibus accedit alimenti & sanguinis, qui ad cerebrum affluit, conditio. Etenim alimentum & spiritus, quæ ad cerebrum confluunt, pro visceris huius nobilissimi nutritione, & spirituum animalium tenuissimorum generatione, proportionata esse conuenit, nempe tenuia. Sanguis ergo tenuis, & spiritus vitales subtiles ac calidi, non ipsi solùm facilè incalescunt, cerebrúmque inflammant, sed & tenues & calidi vapores ipsis permiscentur: quod non accidit in partibus, quæ crasso succo nutriuntur, & non tantâ copiâ spirituum vitalium opus habent.]

Eius caussa, quæ varia. 1. 2. 3. 4.

Bonum autem signum est, si æger morbum facilè ferat, si non admodum iam æstuet, nec omnia sici detineatur, nec grauiter angatur, si facilè spiret, si nullam partem internam dolere sentiat: si dormiat, si somno iuuetur; si corpus æqualiter calidum sit ac molle; si lingua non sit adeò arida, nigra & aspera; si vrina bona. Tutum enim morbum & breuem significat, si statim appareat. Quòd si iam signis coctionis apparentibus, cum virium robore, in die critico, larga à naribus hæmorrhagia accidat, procul dubio æger euadet. Est enim proprium, si quid aliud, vt Galenus, 3. *Epid. comm.* 1. *t.* 4. ait, exquisitarum febrium ardentium,

Causi soluti per crisim, sanguine iuxta radicem pollicis pedis euacuato, historia, ex Zacuto Lusitano.

vt Galenus 1. *Epid. comm.* 1. c. 4. ait, exquisitarum febrium ardentium, vt per sanguinis eruptionem iudicentur. Iudicantur tamen nonnunquam & per sudores & alui deiectiones, & vomitum & abscessus. Vide *Institut. lib.* 3. *part.* 3.

§ [Zacutus Lusitanus, *de Prax. Med. Adm. lib.* 3. *obseru.* 114. ex annotatione D. Ant. Gomez, Prof. Med. in Acad. Conimbr. refert, fœminam quandam candidam & rubicundam, cui menses ad annum trigesimum rectè fluxerant, ab anno vigesimo, aduentante tempore verno, causo correptam fuisse: quæ cùm moritura videretur, sudore copioso leuabatur, post quem tubercula purpurea per corporis ambitum erumpebant, amygdalarum forma, mollia & pruriginosa, quæ omnia testabant, hæmorrhagia excitata per porum iuxta radicem pollicis pedis dextri, in interna parte, quo loco, aperto exiguo foramine, spatio quatuor horarum, sanguis riuuli instar, quantitate duarum librarum, emanabat; quo euacuato, & à febre, & à tumoribus liberabatur. Varia remedia & ad causum, & ad hæmorrhagiam istam auertendā fuere tentata; sed natura suum cursum nunquam interrupit.]

De Curatione Febris ardentis in specie aliquid hîc addere opus non est. Cùm enim, vt antea dictum, Causus non peculiaris aliqua febris differentia sit, sed potiùs modus saltem, & tertiana continua legitimus & propriè dictus Causus sit: quæ curandi ratio debeatur febribus ardentibus, ex curatione Biliosæ, seu Tertianæ continuæ postea satis patebit.

CAPVT XIII.

De Febribus continuis in genere, & de Tertiana continua.

Febres continua periodica.

CVm ea, quæ naturam, differentias, causas, signa & curationem earum febrium putridarum, quæ vnica duratione sine vlla exacerbatione & remissione absoluuntur, & συνεχεῖς πυρετοὶ seu *febres continentes* appellantur, concernunt absoluerimus, iam ad alterum febrium putridarum continuarum primariarum genus accedimus, quæ continuæ in specie appellantur, & quidem etiam continuò durant, certis tamen interuallis & periodis exacerbationes habent; vnde a nonnullis continuæ proportionales, seu proportionatæ, & periodicæ nominantur, quòd exacerbationes quasdam, quæ proportione periodis febrium intermittentium respondent, habeant. Febres enim hæ eo quidem cum continentibus conueniunt, quòd vapores ex putridis humoribus continuò cordi communicantur, idque præter naturam calefaciunt. verùm in eo differunt, quòd vapores illi non æquali impetu continenter cordi, sed inæqualiter, nunc scilicet maiore, nunc minore copiâ communicantur, vnde caloris quædam remissio atque intensio oritur.

Continuitatis & periodorum in continuis periodicis causa.

Causam continuitatis vulgò eam afferunt, quòd humores putrescant in venis, vnde calor putridique vapores continuò possunt cordi communicari. Quòd verò febres hæ continuitatem retineant, & ad ἀπυρεξίας non deueniant, Galen. 2. *de differ. febr. c. vlt.* hanc causam reddit, quòd ob crassitiem ac visciditatem humoris, facultatis expultricis debilitatem & viarum angustiam, Natura superflua expellere non possit. Quòd verò inæquali copia, & impetu vapores putridi ad cor ferantur, eam causam reddunt, quòd materia in venis paruis contineatur, à quibus vapores, propter eam quam habent à corde distantiam, non possunt æqualiter semper illud calefacere, sed nunc magis nunc minùs, prout putredo intenditur aut remittitur. Per venas autem minores hîc intelligunt non minimas & capillares, sed medias inter magnas & capillares, surculos scilicet & ramos venarum magnarum. Nam cùm continuæ periodicæ non fiant, nisi quòd materia non simul tota præsens est, sed transmittitur aut attrahitur, vnde continua ad cor affumatio, non tamen tam facilis, quàm in continentibus: ad id venas medias has commodissimas esse statuunt: cùm si in magnis venis materia putrescat, ob loci amplitudinem & cordis vicinitatem, febris continens excitetur; in minoribus verò intermittens.

Alij aliter hac de re sentiunt, censentque non solùm ad locū, sed etiam ad materiā putrescentem esse respiciendum, atque ex hoc potiùs petendam esse causam periodorū, tam in febribus cōtinuis his periodicis, quàm in Intermittentibus. Materiam autē hanc esse humorem excrementitium. Vt enim à materia alimentali seu sanguine febres continentes fiūt: ita periodicās fieri statuunt ab humore excrementitio, qui cùm naturæ molestus sit, atque à facultate expultrice moueatur, motu suo periodos efficiat. Nam vt Galen. *c. vlt. lib.* 2. scribit. *Quæcunque per circuitus aliquot ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorū dispositionibus ortum habent, quæ scilicet membra vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates.* Nā vel partes robustiores ad debiliores sua excrementa expellere solent; vel partes ipsæ ob dolorem aut calorem, aliunde materiā attrahunt; vel partes excrementa, quæ in iis generantur, ob imbecillitatem, aut etiam obstructionem nequeunt expellere, quæ deinde in iis putrescūt.

Continentiū, continuarū, & Intermittentium discrimen.

Verùmenimverò vt ex hac controuersia nos expediamus, tota huius rei ratio à materiæ febrē producentis natura & dispositione pendere, atque ab ea discrimen inter continuas omnes seu periodū habeant, seu ea destituantur, & intermittentes, oriri mihi videtur. Continentium enim febrium causam, sanguinem, corpori nutriendo dicatum esse, iam diximus. Continuæ verò periodicæ, & intermittentes, ab humore excrementitio & cacochymico oriuntur; vnde & febrium harum non parua est cognatio. Hæc tamen est differentia, quòd materia intermittentium causa in prima coctione, & circa hepar generatur, ibiq; vitium concipit & corrumpi incipit. Materia verò, quæ continuarū periodicarum causa est, in secunda coctione quæ fit in liene & hepate, generatur; & proinde sanguine perfecto & alimentario permixta est. Siue enim chyli causā, cuius in prima coctione contractum vitium, in secunda coctione corrigi non potest, siue ipsius hepatis vitio, quod malè dispositum etiam ex bono chylo malum sanguinem generat, id contingat: quod vitiosum in secunda coctione generatur, maxima ex parte sanguini permixtum in venas mittitur, atque cacochymiæ in venis originem præbet. Nisi forsan humores isti vitiosi in mesaraicis generentur, & hinc ad hepar deducantur, & cum sanguine in omnes venas distribuantur, ibique cumulati putrescant. Hoc excrementa retenta, præcipuè fuliginosa illa & serosa, faciunt: aut si quid aliud adhuc est, quod sanguinem bonum in venis corrūpere, & in vitiosum ac excrementitium humorem conuertere potest.

Cur in singulis paroxysmis fiat expulsio in intermittentibus.

Atque hinc continuitatis periodorum, & intermissionis ratio reddi potest. Etenim cùm in Intermittentibus materia non sanguis sit, nec vnquam sanguinis formam habuerit, sed in prima coctione generata sit: ideò etsi in venas effundatur, tamen sanguini in venis non permiscetur, sed saltem confunditur, & propterea à Natura rectè agente, vt heterogenea expellitur: qua expulsa intermissio caloris & ἀπυρεξία sequitur.

Cur eadem in continuis periodicis non fiat.

In continuis verò materia vitiosa non solùm sanguini confusa, sed verè permixta est, habétque se sanguis putrescens instar musti aut cereuisiæ feruentis. Ideóque natura prius excretionem non instituit, antequam materia cocta, id est, vitiosum à bono separatum sit.

Atque hæc causa vero magis consentanea est, quàm quòd, ob humorum crassitiem & viscitatem, facultatis expultricis debilitatem, & viarum angustiam, naturam superflua expellere non posse, statuunt. Multæ enim febres continuæ dantur, in quibus materia non est crassa & viscida, sed tenuis; virtus non adeò debilis, & quæ postea in crisi ac statu ad expellendum sufficiat; viæ etiam non sunt obstructæ.

Periodorum in continuis periodicis causa.

Quæ autem periodorum sit causa in hisce febribus, & quomodo à continentibus differant, explicare non facile est, & quæ authorum dissentientes hac de re opiniones sint, antea dictum. Dicetur verò de periodorum causis postea pluribus in Intermittētibus, cùm periodi febri in Intermittētibus manifestissimæ sint. Vt verò breuiter hîc in re difficili, quid mihi probabile videatur, dicā: Omnino vbi nouus est paroxysmus, ibi nouam materiam suppeditare necesse est. Fieri autem hoc ideò, paroxysmúmque intendi quidam docent, vbi materia putrescens maiore copiâ, quàm ante, cumulata est, & ad cor fertur. Non autem æquali semper copiâ vapores putridos ad cor ferri ideò statuunt, quòd vasa, in quibus sanguis putrescit, nonnihil sint à corde remotiora, & propterea ob viarum ambages non possint æquali semper copia ad cor perferri. Cùm enim maiore copia materia putrida ad cor peruenit, calor inde augetur, & paroxysmus excitatur: qui vapores cùm nonnihil discussi sunt, febris remittit, etsi non planè cesset, cùm adhuc vapores putridi, etsi non æquali copia, cordi communicentur. Alij verò docent, à membris secundæ coctionis, hepate scilicet & liene materiam nouā statas periodos obseruantē statis tēporibus cōmunicari, & quidem plerumque ab hepate, vnde etiā tertianæ continuæ sunt frequentissimæ. Quæ sententia posterior satis probabilis & veritati cōsentanea videtur, & procul dubio in cōtinuis, quæ certas periodos obseruant, locū habet. Verùtamen nec prior sententia planè reiicienda videtur, potéstq; locum habere in iis febribus continuis periodicis, quæ ita exactè periodos non obseruant, sed nūc vno die bis, nunc singulis diebus semel, nunc longiore, sed non ita certo spatio exacerbantur, prout ex vasis, in quibus sanguis præcipuè putrescit, tardiùs vel citiùs vapores illi putridi & calidi cordi communicantur. Si tamen certum & statum tempus paroxysmus obseruet, etsi vno die bis recurrat, illud etiam ex hepate materiam nouam suppeditante fieri potest; cùm multi venarum rami per eius corpus dispersi sint. Verùm vbi de periodorum ratione in Intermittentibus dicetur, hæc clariora fient.

Signa.

Signa continuarum periodicarum.

Signa harum febrium in genere patent, quòd scilicet nunquam ad ἀπυρεξίαν planè deueniant; certis tamen interuallis, scilicet vel alternis, vel singulis, vel quarto die exacerbantur & remittunt. Nullum verò frigus, rigor aut horror exacerbationem antecedit, nec remissionem sequitur sudor. Et si putredo est in vasis à corde paulò remotioribus, iis in locis vbi consistit, vt & vicinis, grauitas, dolor & ardor percipitur.

Differentia.

Sunt autem harum febrium tres species. Aliæ enim alternis diebus exacerbantur, & a bile ortum habent, & tertianæ continuæ nominantur: Aliæ singulis diebus intenduntur, quæ à pituita proueniunt, & quotidianæ continuæ appellantur: Aliæ à melancholia oriuntur, & quarto quoque die exacerbantur, ac quartanæ continuæ nominantur. Vbi tamen, de quo postea dicetur, febres non dierum & paroxysmorum, sed ipsis causis, & humorum, a quibus proueniunt, varietate æstimandas & discernendas esse, obseruandum est.

De

De Tertiana Continua.

Tertiana nimirum Continua est febris putrida, à sanguine cacochymico bilioso in vena caua putrescente ortum habens; continua quidem, sed tertio quoque die magis affligens.

Causa.

Causa nimirum huius febris est bilis excrementitia. Etsi enim quidam statuunt, etiam ex bile alimentali febres has prouenire posse: tamen quia illa nihil aliud est, quàm sanguinis calidior pars, non continuam periodicam, sed synocham biliosam generat. Sola ergo bilis excrementitia sanguini permixta tertianam continuam parit. Et quidem bilis illa excrementitia vel generatur ex tenuiore & calidiore sanguinis parte, quam alij bilem alimentalem nominant, vel à primo ortu fuit excrementitia, & vt excrementum secundæ coctionis in hepate generatum fuit. Quæ ipsa bilis varij generis esse potest, flaua, vitellina, porracea, æruginosa, ichorosa. Atque hæc bilis colligi potest non solùm in venis magnis publicis, verùm etiam iis, quæ sunt in parte aliqua, vt hepate, pulmone, vtero.

Causa remotiores.

Causæ verò remotiores sunt omnia illa, quæ humorem hunc multiplicare possunt. Hepatis, vel totius corporis intemperies calida & sicca, ætas iuuenilis, alimenta calida & sicca, inedia, aut victus tenuis & parcior; exercitatio corporis vehemens & frequens, æstus aeris, siue à regione, siue à tempore anni, siue ab alia causa ortũ habens, vigiliæ nimiæ, cogitationes attẽtę, & similes.

Signa Diagnostica.

Signa continuæ tertianæ.

Signa huius febris sunt primò ea, quæ omnibus febribus continuis sunt communia. Deinde hic adsunt febrium ardentium Signa pathognomonica, qualia diximus esse calorem vrẽtem, & sitim inexhaustam, quæ tamen pro causæ ratione nunc vehementia sunt, nunc minùs vehementia. Reliqua etiam Signa *συνεδρεύοντα* dicta ardentis febris, & alia signa bilem arguentia, in tertiana continua conspiciuntur, qualia sunt vigiliæ, aut somnus leuis, insomnia iram præ se ferentia, deliria, oris amaritudo, linguæ siccitas, & similia.

Prognostica quod attinet, de iis cùm *capite præcedenti* satis dictum sit, ea hic repetere opus non est.

Curatio Tertianæ continuæ, febrisque ardentis.

Indicationes.

Et cùm eò loci febrem hanc periculo non vacare dixerimus: curationem præsentem postulat nullàque hic cunctatio admittitur. Et quidem cùm in ea calor sit maximus, à quo & nomen sæpe habet, vt ardens appelletur, refrigerationem maximam postulat, eámque non solùm febris, sed & causa febrilis, quæ est bilis, indicat. Ipsa enim cùm sit naturâ suâ calida & sicca, refrigeratione & humectatione opus habet. Et quidem in febre hac magis refrigerantia & humectantia, quàm in vlla alia, requiruntur. Humor quoque peccans, nisi à natura euacuetur, aut euacuari possit, commodè euacuandus est. Si autem febris sit notha, aliúsque humor admixtus, tam medicamenta & alterantia ac concoquentia, quàm euacuantia humorem, qui cum bile peccat, respicere debent. Symptomata quoque aliqua, si valde vrgeant, vires deiiciant, ipsa curationem ad se trahunt, & nisi iis, quæ causæ & morbo aduersantur, simul tolli possint, mitiganda sunt. Victum quod attinet, cùm hæc febris acuta sit tenuem victum requirit, & quò morbi vigor propior vel remotior est, eò magis vel minùs tenuem. Idem si vt medicinalis consideretur, frigidus & humidus sit, eandémque qua medicamenta, intentionem habeat.

Venæsectio an in febre ardente locũ habeat.

Quibus autem auxiliis ista perfici queant, porrò videndum. Et primò quidem occurrit controuersia de venæsectione, atque disputatur inter Medicos, An liceat in febre ardente venam aperire. Sunt qui in ardentibus febribus à venæsectione abstinendũ censent: quòd Galenus aliquoties in humoribus à sanguinis natura longè recedentibus à venæsectione abstinendum moneat. Hinc Auicennas, *4 primi. doctrina 5. c. 20.* metuendum putat, ne æger deducatur ad periculum cholericum, seu bilis ebullitionẽ, sanguine bono euacuato. Verùm enimuerò si illa, quæ suprà in genere de venæsectione, & explicatione quæstionis. An in cacochymia vena sit secanda, dicta sunt, diligenter perpendamus: in ardente quoque, modò vires id permittant, venam aperiendam esse patebit. Nam causa morbi continetur in hac febre in venis venæ cauæ, biliosúsque humor sanguini permixtus est: vnde apertâ venâ non exigua vitiosi humoris quantitas cũ sanguine euacuatur, vt natura postea reliquum faciliùs vincere & coquere possit. In primis cùm natura meliorem sanguinis partem circa nobiliora viscera, & in maioribus venis detineat; prauos autem humores, expultricẽ stimulãtes & naturæ molestos, ad remotiores & extremas venas propellere soleat: vnde accidit, vt apertâ venâ sanguis deterior plerumque primo loco effluat. His accedit, quòd maximâ refrigeratione in his febribus opus sit, quam commodissimè præstat venæsectio, dum vnâ opera & pars materiæ peccantis tollitur, & sanguis ventilatur ac refrigeratur; imò à nobilioribus partibus reuellitur. Et ipsa experientia ac natura nobis quasi viam ad hoc auxilium capessendũ monstrat: cùm ij, quibus copiosior sanguinis per nares euacuatio à natura fit, minùs periclitentur. Testatur Hippocr. *1. Epid. comm. 2. c. 68.* eos à febribus ardentibus coaluisse, quibus sanguis è naribus effluebat, reliquis quibus id non accidisset, pereuntibus. Quinimò minùs periclitabãtur mulieres; quippe, vt Galenus addit, quæ ingenitũ auxilium habebant, purgationem menstruam. Vnde nonnullis & sanguinem à naribus, & menstrua fluxisse Hippocrates scribit, ac nullam earum, quibus aliquid horum ritè euenit, mortuã vidit.

Neque vlla bilis ebullitio, sanguine, à quo temperabatur, detracto, metuenda. Hæc enim tunc fieret, si sanguis solùm bonus detraheretur, & bilis in venis relinqueretur. Cùm verò sanguis cum bile, vt in venis mixtus continetur, vena aperta effluat: eadem manet sanguinis, & humorum reliquorum in venis proportio, quæ antea. Imò si, vt paulò antè diximus, maior humoris vitiosi, seu bilis in venis externis quàm internis copia detineatur, sanguinis boni maior copia in venis relinquitur.

Quãdo vena aperienda.

Vena autẽ quamprimùm & mox in principio morbi aperienda. Si tamen initio neglecta sit, etiam in augmẽto admittitur. Et quidem satis copiosè sanguinem in hac febre euacuare licet: nõ tamen tam copiosè, vt in Synocha; cùm nec ea in hisce febribus adsit sanguinis copia, nec vires, vt in Synocha, tam fortes sint.

Remedia tertianæ continuæ & febris ardẽtis. Aluum leniendam.

Medicamenta quod attinet, ea respiciunt vel causam vel morbum. Morbus alterantia requirit: causa cùm alterantia & præparantia, tùm euacuantia. Et primo quidem loco summè necessarium est, vt aluus & primæ viæ euacuentur; cùm vt venæsectio tectiùs institui, tùm reliqua medicamenta adhiberi possint, tùm ne biliosa & putrida excrementa in primis viis hærentia, calorem & symptomata febrilia, in primis capitis dolorem, augeant. Sint autem ista medicamenta frigida & humida, vel certè sẽperata ac humida, ac vi abstergendi prædita, non autem calefaciẽt. In hunc finem, & quidẽ mox ante venæsectionem, commodissimè clyster iniicitur, qui & citò operatur, vt eius causa venæsectionem differre diu opus non sit, & sine omni aliorum humorũ perturbatione aut calefactione primas vias abstergit & eluit. E.g.

℞. *Maluæ, violar. endiu. lactucæ,* an. M. j. *parietar. mercurialis, hordei,* an. M. ß. *sem. 4. frig. mai.* ʒ. j. *endiuiæ* ʒ. j. *prunor.* num. viij. Coq. in s. q. aq. s. Colat. ℞. ℔. j. Adde *Cassiæ vel El. lenitiu. s.* ℥. j. *vel* ℥ij. ß. *ol. viol.* ℥. ij. *mell. viol. vel sacch. rubr.* ℥. j. *salis,* ʒ. ß. F. Clyster.

Vel si corpus sit pituitosius, calórque febrilis minor, talis parari potest.

℞. *Rad. alth.* ℥. j. *maluæ, parietariæ, mercurialis, brancæ vrsinæ.* an. M. j. *surfuris in petiâ lig.* M. ß. *flor. chamam.* p. j. *sem. 4. frig. maior.* an. ʒ. ß. *fœnic.* ʒ. j. Coqu. in s. q. aq. s. Colat. ℞. ℔. j. *elect. diacatholic.* ℥. j. *ol. chamam. viol.* an. ℥. j. ß. *mel. ros. col.* ℥. j. ß. *salis* ʒ. ß. F. Clyster.

Post clysterem, vel si æger clysterem non admittit, Lenientia dicta medicamenta variis formis adhiberi possunt. Vt:

℞. *Pulpæ tamarind.* ʒ. vj. *cass. extr.* ℥. ß. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *El. lenit. s.* ʒ. vj. *Pulpæ tamarind.* ʒ. iij. Cũ *sacch.* F. Bolus.

Potest & sacchari loco in bolis formandis saccharum rosatum tabulatum vsurpari, vel sacchario aliqua pars sacc. ros. tabulari admisceri. Habet & hîc Cremor Tartari locum.

Vel si forma potabilis placet: ℞. *Mannæ opt.* ℥. j. ß. vel ℥. ij. Dissolu. in *prunorum & tamarindorum decocto.* Et colentur.

Vel ℞. *Pulp. tamarind. cassiæ extr.* an. ℥. ß. *syr. ros. sol. viol. sol.* an. ℥. j. *aq. endiu.* q. s. F. Haustus.

Si corpus sit robustius, etiã elect. diacatholicũ vsurpare licet.

Massarias monet, in hac febre abstinendum esse à manna, syrupo rosar. & violar. sol. & aliis medicamentis, quæ ex melle & saccharo præparãtur, imò ipsa cassia, cùm facilè in bilẽ conuertãtur. Verùm quod ipse dimetiri non potest, facilè hoc præcaueri potest, si admisceatur pulpa tamarindorum, quam ipse insignem in hac febre prærogatiuam habere dicit; vel etiam admixtione frigidarum aquarum, decocti prunorũ acidorum, vel seri lactis.

Si humores excrementitij in ventriculo hæreant, in primis si vomitus & nausea vrgeant, vomitu reiiciendi sunt, vel irritando fauces, vel exhibito vomitorio, de quibus suprè, *de Curatione febrium putridarum in genere,* dictum.

Vena secta, si materia turgeat, vel etiã si materia in primis viis sit copiosior, aut natura robusta, vt istis humoribus non facilè irritetur, ad paulò fortiora ascendendũ. Plerumque tutius est, vt lenientia illa antea numerata in maiore dosi exhibeantur. Scammoniata autẽ & similia calida purgantia vix vsurpanda, ne humores reliqui nimis agitentur, corpus incalescat, vel diarrhœa aliqua, quod in biliosis corporibus facilè accidere solet, excitetur. Rhabarbarũ quidẽ cõuenit, vt & Myrobalani: verùm nõ in substãtia; cùm hoc modo exhibita adstringãt, sed potiùs in infusione aut decocto, cũ aquis refrigerãtib', aut sero lactis caprini.

Si tamen fluxus alui adsit, in substantia exhiberi potest. E.g.

℞. *Tamarind.* ℥. ß. *prunor. Damasc. iniubar. sebesten.* an. num. x. *flor. cordial.* an. P. i. *cichor.* P. i. *sem. 4. frig. mai.* an. ʒ. ß. *endiuiæ* ʒ. i. Coqu. in s. q. *decoct. hord. s.* In colat. s. q. Infunde *rhab. opt.* ʒ. i. ß. vel ʒ. ij. *spica* ℈. ß. Colat. ℥. iij. adde *syr. rosar. aut viol. sol.* Vnc. i. *vel mannæ, aut cassiæ, aut diaprunn compos. lenitiui* (quod commodum in acutis est medicamentum) Vnc. ß. F. Haustus.

Vel ℞. *Syr. ros. sol. diaseros,* an. ℥. ij. *aq. acetosæ,* Vnc. i. ß. Misce.

Vel ℞. *Syr. ros. vel viol. sol.* Vnc. ij. *diaseros* Vnc. i. Misce.

Tenuioris fortunæ & robustioris naturæ habitui Elect. diacatholicũ, vt dictũ, cõcedi potest, cui stimuli loco addere licet Elect. è prunis comp. laxatiu. rosati Mesuæ, de succo ros. de psyllio.

Serum lactis.

Plurimi, nec sine causa, serum lactis caprini commendant, vt in quacunque febre biliosa continua præstantissimum remedium, quod & tẽperare ac euacuare humores biliosos possit, & viscera roborare. Infundunt in cyatho vno seri lactis caprini rhab. Drach. i. vel Drach. i. sem. aut addunt syr. rosar. solus. Vnc. ij. vel Vnc. iii. & postea alias duas libras, ne totum serum

ſapore medicamenti inficiatur, ebibendat propinant. Et omnino vtilis eſt in febre potus ſeri lactis, præcipuè cum oxymelite, quod ſeparat ſerum à lacte craſſo. Ideóque ſi metuatur fluxus alui, omitti poteſt rhabarbarum, & ſaltem ſyr. roſar. ſolut. Vnc. ij. in decocto tamarindor. diſſolutæ exhiberi, & hinc ſerum lactis propinari.

Alterantia.

Alterantia.

Reliqui humores, vt rectiùs à natura vincantur, coquantur & poſtea ſuo tempore expellantur, alterandi & præparandi ſunt: quod quæ præſtant, vnâ opera calorem febrilem mitigare poſſunt.

Conueniunt ergo refrigerantia & humectantia, putredini reſiſtentia, aperientia, & viſcera roborantia. Inſeruiunt huic rei *ſyr. acetoſus ſ. oxymel. ſ. dilutum, oxyſacchara ſ. ſyr. acetoſ. ſ. citri, granator. acidor. endiuiæ, cichorij acetoſo, violarum.* Conueniunt etiam *ſemina 4. frigida maiora, portulacæ, lactuca. fl. nymphæa, ſantalum.*

Delectus medicamentorũ alterantium.

Delectu tamen aliquo interdum opus eſt. Monent enim hic nonnulli, ne ſyrup. violar. ſolus detur, cùm laxet ſtomachum, & proinde ſemper aliquid acetoſi admiſcendum eſſe cenſent, vt & faciliùs penetret in venas, & calori febrili reſiſtat. Quod ſi non fiat, tales ſyrupi, antequam in venas penetrent, calore ventriculi conuertuntur in vaporem calidum, qui poſtea maiorem ſitim inducit. Ita ſi venter ſit laxior, potiùs roſæ quàm violæ conueniunt. Ita ſi bilis ſit pura, acrior & tenuis, talia refrigerantia & humectantia eligenda, quæ tenuitatem bilis, ſine adſtrictione tamen, nonnihil remittunt: Ideóque tum conueniunt ſyr. roſar. ſimpl. infuſionis, portulacę, acetoſæ, ribium. Si verò pituita aliqua adſit, aliquam partem eorum, quæ aperiunt & attenuant, adiicimus. Qualia ſunt radic. petroſelini, fœniculi, aſparagi, ſyr. de 2. radic. byzantinus. E g.

♃. *Rad. acetoſa, graminis,* an. Vnc. ſem. *endiuea, lactuca, acetoſ.* an. M. ſem. *ſem. 4. frig. mai.* an. ℨ. j. *ſantal. omn.* an. ℨ. ſem. *flor. violar. nymph.* an. P. ij. *tamarind.* Vnc. ſem. Coqu. in ſ. q. *aq. hordei ſ.* Colat. clarificatæ ♃. Vnc. vj. Adde *vini granat. vel ſyrup. granat. acidorum* Vnc. ij. vel Vnc. iij. Miſce.

Vel ♃. *Aq. endiu. acetoſa,* an. Vnc. iij. *nymphaa* Vnc. ij. *vini granat. acidor. aceti vini albi,* an. Vnc. j. ſem. *ſacchar. albi,* Vnc. ij. F. Iulebus.

Vel ♃. *Syr. acetoſi ſ.* Vnc. ij. *violar. endiu.* an. Vnc. j. *aq. cichorij, acetoſa,* an. Vnc. iij. Miſce. Poteſt etiam ſpir. Vitriol. vel Salis addi.

Vel ♃. *Iulebi violar. roſar.* an. Vnc. j. *aqua hordei vel cichor.* ℔ ſem. *ſpiritus vitriol. rectif.* q. ſ. ad gratam aciditatem. Miſce.

Vel ♃. *Oxyſacch. ſ.* Vnc. iij. an. *aq. endiuia. acetoſa.* Vnc. iij ſem. Miſce.

Vel ♃. *Syr. de nymphaa, de portulaca, de ribes,* an. ℥. j. *aq. nymphaa, acetoſa, lactuca,* an. ℥. iij. ß. *ſpiritus ſalis,* gutt. viij. Miſce.

Vel ♃. *Aq. fontana puriſſima* ℔. j. ß. *ſacchar. candi alb.* Drach. v. Bulliant leniter atque colentur. Colaturæ adhuc feruidæ adde *ſantali rubri pulu.* ℨ. iij. ß. *citrini* ℨ. j. *ſpir. vitriol. rectif.* Scr. ß. *ſucc. citri* ℥. j. *aq. cinnamom.* gutt. xij. Miſce.

Poteſt & tinctura roſar. iuſleb. roſar. violar. ſyr. de ſucco ribes, vel etiam plus ſpiritus vitriol. addi.

In febre continua biliosa, præcipuè ex bile porracea & æruginoſa, Io. Langius, *libro 3. epiſt. 1. cap. 4.* hunc ſyrupum commendat.

Cryſtalli vſus.

♃. *Cryſtalli puriſſimi in porphyrio ſubtiliſſimè triti,* ℨ. ß. Detur *cum decocto, aut ſtillatitio liquore portulaca, oxalidis, endiuia, & ſyr. acetoſ. citri, vel de ſucco limonum.* Eſt enim cryſtallus, addit Langius, alexipharmacum porraceæ, & æruginoſæ bilis, ac dyſenteriæ antidotus, tota ſubſtantia & qualitate manifeſta, vt Petrus Aponenſis in ſuo *de aquis libello* teſtatum experientia ſcribit.

Cautio in refrigerantibus exhibendis obſeruanda.

Reprehendit hoc loco Maſſarias illos, qui ſyrupos dilutiores ex aquis frigidis deſtillatis & Syrupis paratus, ſitis lenendæ, & extinguendi caloris gratiâ, continuò ferè quacunque dici horâ ægris propinant, monétque tales potiones, etſi ſiti & calori extinguendo ſint dicatæ & vtiles, non quacunque tamen hora, nec ſæpiſſime de die exhibendas eſſe, ſed tantùm vacuo ventriculo propinandas. Quod niſi fiat, coctionem turbari dicit, tantùmque abeſſe vt ſitim leniant, vt eam potiùs augeant.

An ſyrup. acetoſ. citri, de limon. granatis, &c. in febribus his conueniant.

Monet idem Maſſarias, vt à ſyropo de acetoſitate citri, de portulaca, de limonibus, vel granatis, & ſimilibus planè abſtineamus: cùm inſigniter adſtringant, ac propterea impedita perſpiratione, obſtructionem, morbum, & cauſam morbi poſſunt augere. Verùm non ſimpliciter id admitti poteſt. Nam primò omnia acida non adſtringunt, neque acida, vt acida, adſtringunt. Itaque Syropi ex ſucco acetoſæ, acetoſitate citri, de limonibus, aciditatem quidem omnes habent, non tamen neceſſariò adſtrictionem, aut ſiquæ ipſis ineſt adſtrictio, leuis eſt, quæ & ſaccharo temperatur. Cùm autem aciditatis ratione & ſuâ natura valde in hiſce febribus vtiles ſint: leuis illa adſtrictio multum obeſſe non poteſt. Nam calorem ſi reſpiciamus, refrigerant; ſi putredinem, exſiccant; ſi obſtructionem, incidunt; ſi adſit malignitas, peculiari facultate aduerſantur: & proinde plus commodi afferunt, quàm leui adſtrictione nocere poſſunt. Imò ſi nimia adſit humorum tenuitas, acrimonia & mobilitas, leuis aliqua adſtrictio & humores temperabit, & partes roborabit. Verùm de quæſtionibus hiſce, an adſtringentia in putridarum febrium curatione conueniant, & an acida ſuâ naturâ adſtringant, videatur Io. Baptiſta Syluaticus, *Contrau. 50. & 51.*

Non ſolùm autem decoctis, julepis, ſyrupis, & eiuſmodi potionibus calorem temperare licet, ſed & Electuaria ad calorem febrilem remittendum, & viſcera roboranda vtilia ſunt, cuiuſmodi ſuprà in *curat. ſynocha putris* propoſui.

Vel ♃. *Conſeru. viol. acetoſa, acetoſella,* an. Vnc. j. *roſar. vitriol. rob. ribium,* an. Vnc. j. ß. *ſpec. diamarg. frig.* Drach. j. *lactuca Ital. condita, rad. cichor. condit.* an. Vnc. ß. *Cum ſyr. acetoſa,* F. Electuar.

Si libet, poteſt *cryſtall. tenuiſſime puluer.* addi Vnc. ß.

Vel ♃. *Conſeru. roſar. nymph. acetoſa. borrag.* an. ℥. j. *rob. ribium* Drach. vj. *ſpec. diamarg. frig.* Drach. ß. *ſpir. vitriol.* gutt. vij. Cum *ſyr. acetoſ. citri,* q. ſ. F Electuar.

Poſſunt & conſeruæ aquis dilui. Vt:

♃. *Conſeru. roſar. violar. acetoſella,* an. ℥. j. *aq. acetoſa, violar. bo. des,* an. ℥. iiij. Parum caleſiant & colentur, atque addatur *ſucci citri, Oxyſacch. ſ.* an. ℥. j.

Maximopere hodie commendatur, & in frequenti vſu Chymicis eſt nitrum albiſſimum, in conueniente liquore diſſolutum.

Medicamenta Ægyptiis vſitata.

Ægyptij, quibus febres illæ ardentes familiares ſunt potiones etiam aliquas peculiares parant, quas pro ſecretis auxiliis habent, quas deſcripſit Proſper Alpinus, *lib. 4. de med. Ægypt. cap. 15.* Propinant nimirum aquam ſtillatitiam anguriæ, & cucumeris, melonum. In primis ipſis vſitata eſt potio, quam idem *lib. eod. c. 3.* deſcribit, quæ in ardentibus febribus & lateris inflammationibus, præſtantiſſimum habetur remedium, cùm ſitim extinguat, caloréque febrilem minuat, & non minùs vrinam prouocet.

♃. *Sem. melon.* ℥. iiij. *angurta, cucurbita, cucumeris,* an. ℥. j ß. *glycyrrh. raſa, ſacch. cand.* an. ℥. j ß *ſem. frum.* Drach. iij. Quæ omnia in mortario contundunt, & in petia parua ligant, ex qua aquâ roſaceâ irrorata lac exprimunt, quod ægris propinant.

Atque hoc potionis genus communiter parant, cuius facultates variant, variis additis medicamentis, prout variorum morborum & cauſarum vſus poſcere videtur. In ardentibus enim febribus, in quibus maiore refrigeratione opus eſt, prædictis addunt ſemina endiuiæ, lactucæ, pſyllij, portulacæ, albíque papaueris. Vſurpant & familiariter decoctum vel infuſum berber, cui pulpam tamarindorum vel alia ſemina, prout morbi ratio poſtulare videtur, addunt.

Parant & hanc potionem: In aqua multa ſaccharum diſſoluunt, eíque admiſcent tantum ſucci limonum, quantum aquam modicè acidam reddere queat. Atque hunc potum & ſanis pro ſiti extinguenda exhibent. Pro ægris eundem parant ex aqua endiuiæ, & ſi febris non careat malignitate, cum aqua roſarum. Poſſet ad eundem modum cum ſpir. vitriol. parari.

Topica in febribus ardentibus.

Ad calorem temperandum & Topica conueniunt, vt Epithemata, olea, vnguenta, quæ cordi, hepati, dorſo applicantur; in quorum tamen vſu, cautione opus eſt. Cùm enim calor nullam, per quam expiret, viam habeat, niſi poros cutis: videndum, ne frigidis ij occludantur, & hoc modo magis incendium excitetur. Ideò præſente plenitudine, temerè admouenda non ſunt, & vix ante ſtatum conueniunt. Et in febribus, quæ per periodos infeſtant, commodiſſimè applicantur in vigore paroxyſmi. Caliditate enim per totum corpus expansâ, reliqua quæ circa viſcera eſt, faciliùs extinguitur. Ingruente autem paroxyſmo, non applicanda ſunt, aut ſi adſint, non remouenda. Cordi autem in primis, vtpote quod maximè à calore febrili afficitur, ea admouenda: ſi tamen (quod in febribus, quæ aliquas remiſſiones habent, accidit) in venis alicuius partis materia hæreat, vt in hepate, pulmonibus, & illi ſuccurrendum.

♃. *Aq. roſ. opt.* ℥. iiij. *acetoſa, nymphaa,* an. ℥. j. *aceti roſ.* Drach. vj. *ſpec. diamarg. frig. ſantali citrin.* an. Drach. ß. *camphora.* Scr. ß. *croci* gr. vj. *cort. citri.* Scrup. j. F. Epithema cordis.

Quod tamen calidum potiùs quàm frigidum applicandum eſt. Nam ſi frigida actu applicentur talia, calor verſus interiora repellitur, & collectus magis vrit. & medicamentorum vis, clauſis poris, minùs ad interiora penetrat. Si autem calida applicentur, facilè ad interiora penetrant, & per poros cutis patentes calor febrilis faciliùs exhalat & exſpirat.

Vel ♃. *Vnguenti roſac. rec.* ℥. j. *flor. roſ. rub. ſiccar.* Drach. ß *ſantali citr. flor. nymph. lutea.* an. Drach. j *ligni aloes* Scr. ß. P rum caleſiant, & vbi vnguentum vires ex puluere attraxit, colentur, & addantur camphoræ gr. vj. F. Linimentum.

Vel ♃. *Fo. cordial.* an. M. ß. *ſpec. diamarg. frig.* ℨ. *ſantal. omn.* an. Drach. j. *ligni aloë* Scr. j. *camph.* Scrup. ß. F. Sacculus pro corde cum ſerico rubro.

Hepati poteſt tale Epithema adhiberi.

♃. *Aq. roſ. endiu.* an. ℥. iij. *portulaca, aceti roſac.* an. ℥. j *ſantalorum omn.* an. Scrup. j. *ſpodij ex ebore, camphora,* an. Scrup. ß. Miſce.

Si magnus ardor circa pectus ſit, pectus & in primis ſpina dorſi, tali linimento inungatur.

♃. Vn

Digitized by Google

℞. *Vnguenti infrig. Galen. ol. viol. mucilag. sem. psyllij aq. ros. extracta*, an. Vnc. sem. F. Linimentum.

Concocta materia, naturæ motus attendendus, & num illa eam expulsura sit, obseruandum.

Aquæ frigidæ potus in febribus ardentibus.

Antiqui hoc tempore, & vt naturam ad expulsionem stimularent, & roborarent, aquam frigidam copiosè bibendam exhibebant. Vt enim Galenus, 9. *meth. med.* scribit: *Potio frigida extinguit febrem, naturam robustam reddit, vt deinceps per aluum & sudorem expellat, quæcunque noxia sunt*: Testatúsque 4. *de rat. vict. in ac. c.* 12. frigidæ potum in causo biliosos humores vel perfectè euacuare, vel extinguere adeò, vt ex innumeris illis, quibus eam præbuit tempore opportuno, nemo vnquam mortuus fuerit. Imò in hac febre leui aliquo coctionis principio apparente, confidentiùs quàm in aliis, potus frigidæ admitti potest. Tanta enim est in ea humorum efferuescentia, vt nisi plurimùm refrigeres, parùm proficias. Ideóque non solùm, vt dictum, aqua frigida, coctione facta; sed ad coctionem iuuandam & humores alterandos refrigerantia copiosiùs, & inter hæc assuetis aquam frigidam adhibere oportet, ne spiritus nimio calore dissipentur, aut solidæ partes exsiccentur, & æger in marasmum incidat. Licet etiam aquis admiscere ea, quæ vim aperiendi & obstructiones reserandi, ac in corpus penetrandi habent, vt succum citri, spiritum vitriol. & suauitatis gratia saccharum.

Balneum aquæ dulcis.

Vsurpabant antiqui quoque, coctione absoluta balneum aquæ dulcis: quod non solum refrigerat & humectat, sed & aliquid bilis educit. De qua re Galenus, *lib. de marc. c.* 7. *Febrium, quæ ex putrescentibus humoribus accenduntur, balneum remedium est, si post coctionem humorum adhibeatur*. Et 7. *aph.* 42. *Non tamen, vbi inflammatio aliqua, aut sine inflammatione humoris putredo igneum excitans calorem adest, balnea sunt vtilia; nisi prius euacuatis & concoctis humoribus noxiis.* Verùm deest illa ratio balneorum antiquis visitatorum hodie: Ideò potiùs hypochondria, & in primis dextrum, fouendum aquis & decoctis refrigerantibus, atque extrà applicanda, quæ antea exposita sunt.

Purgantia.

Purgantia.

Si autem natura officium suum non faciat, humorémque concoctum non expellat, Medicus exhibitis medicamentis id præstare debet. Galenus in tertiana exquisita tantùm absinthij mentionem facit, summúmque esse remedium dicit mordicationum ventriculi à bile. Verùm id de tertiana intermittente potiùs, quàm continua accipiendum est. Commodissimè autem in hac febre vtimur *rhabarbaro, syr. rosar. & viol. solutiuo, pulpa tamarindorum, cassia, manna*, parantúrque ex iis medicamenta, quorum exempla antea allata sunt, inter quæ etiam est Tryphera Persica. Ad medicamenta verò, quæ scammonium recipiunt, in hac febre non facilè ascendendum. Duo tamen sunt è compositis vulgò vsitatis, quæ minore cum periculo, præcipuè in fortioribus corporibus, exhiberi possunt, Electuarium rosatum Mesuæ, & de succo rosarum: Quibus Addi potest electuarium de psyllio, & diaprunum solutiuum. E.g.

℞. *Elect. rosati Mes. vel de succo ros.* Drach. ij. *pulpæ tamarind.* ℥. v. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Elect. de succo ros.* ℥. iij. *syr. ros. sol.* ℥. ij. *aq. end. q. s.* Misce.

Vel ℞. *Elect. diacatholic.* Drach. vj. *rosat. Mes. de psyllio*, an. Drac. j. Dissolue super igne lento, *in aqua endiuia, acetosa*, an. Vnc. j. ß. Colaturæ adde *succi rosar.* Drach. ij. vel Drach. iij. Misce.

Vrinam cientia.

Potest etiam materia per vrinas euacuari. In quem vsum in hisce febribus est commodissimum serum lactis caprini, addita emulsione seminum melonum, quæ cum decocto rad. petrosel. parata sit. Vel emulsio 4. sem. frig. maior. cum aqua hordei vel fragorum facta.

Sudorifera.

Ad sudorem prouocandum Antiqui balneo, vt dictum, vtebantur. Commodiùs hodie vsurpantur decocta ex hordeo, radicibus tormentillæ, pentaphylli, aceto, C. C. & similia, quæ infra, in malignis præcipuè febribus, proponentur.

Diæta.

Cibus ac potus.

Victum quod attinet, vt antea in genere dictum, prout morbi vigor fuerit propior vel remotior, sit tenuior vel crassior. Quòd si statim in morbi initio febris naturam & exitum non satis cognoscere & perspicere liceat, satis tenui victu vti licet, in primis si vires validæ sint. Nam in morbis, qui statim ad vigorem perueniunt, etsi valde tenuis victus exhibeatur, vt Galenus, 1. *ad Glauc. cap.* 8. habet, haud magnum detrimentum parit. Cibus autem, vt & potus in primis refrigeret & humectet: vnde conuenit ptisanæ cremor, cibi lactuca, acetosa, succo citriorum, & granatorum malorum conditi. Nonnunquam, si vires sint debiles, carnes pullorum & gallinarum concedendæ. Potus loco conuenit aqua hordei, vel aqua cocta admixto succo granatorum, vel citri, & saccharo. Ægyptij, vt refert Prosper Alpinus, *lib. 4. de med. Ægypt. c.* 3. potum talem parant.

℞. *Furfuris tritici* P. iij. *abluunt aqua ter, cumque abijciunt, nona aqua rursum lauant, eámque addita aliqua aqua rosar. quantitate, & sacchari candi modica, coquunt, & calidam in cœna ac prandio exhibent, vel etiam nunc loco Syrups vel Iuleps propinant. Aliqui etiam varia semina addunt.* Abstergit hic potus, refrigerat, aperit, sitimque extinguit, & nonnihil alit. Commoda est & hæc aqua hordeata.

℞. *Hordei loti* Vnc. iij. *santali albi, citrini*, an. Drach. iij. *fruct. barber. sacch. Canariens.* Vnc. ij. ß. Indantur vasi, & affundantur canthari duo aquæ fontanæ. Vas diligenter luto claudatur. Coq. horis 4. Postea sponte refrigerentur & colentur.

Vel ℞. *Radic. Plantagin.* Vnc. iij. Concisis adde *sacchari albi* Vnc. iiij. *fruct. berber. siccat.* Vnc. ß. *cerasor. acidorum siccat.* num. 20. Vase diligenter clauso, Coq. in B. tribus horis. Postea colentur. Colaturæ adde *succum limonis vnius.*

Exhibent Ægyptij, vt idem, *eodem lib. cap.* 14. refert, etiam aquam multam, in qua tamarindi, berberis, prunique Damasceni fructus per diem cum paucis seminibus anisi infusi manserint. Exhibent & aquam melonis vel anguriæ. Et omnino refrigerantia liberaliùs, eáque validiora exhibent, ob regionis & loci squalorem ac æstum insignem, quæ in nostris regionibus omnia imitari fas non erit.

Iidem & potum quendam ex fermento & aqua rosacea parant; qui in memoriam mihi reuocat potum & iuscula, quæ Silesij, Poloni, & quidam finitimi populi ex fermento parare solent. Ex branca vrsina & fermento talem conficiunt, & *Bartsch* appellant. Folia Brancæ vrsinæ siccata coquunt in Aquæ ea quantitate & modo, vt decoctum saltem colorem flauum, non puniceum, contrahat. Decocto fermenti calidi aliquid, vel panis ex puluere brancæ vrsinæ cum fermento panis biscocti parati, addunt, & in loco tepido aliquot diebus efferuescere & fermentari permittunt, donec saporem gratum acidiusculum contrahat. Quo decocto non solùm potus loco, sed in primis ad iuscula conficienda vtuntur. Quod sanè seu edulij seu potus genus adeò incommodum in febribus feruentioribus non videbitur ei, qui brancæ vrsinæ & fermenti acidi vires diligenter perpenderit.

Potus ex branca vrsina.

Alterum saltem tempore ieiunij Quadragesimalis parant, ex farina, fermento acido, & aqua cum sem. carui, quæ simul fermentari & feruere in loco tepido permittunt, donec saporem acidiusculum contrahant; atque inde iuscula non ingrati saporis conficiunt.

Si simul & refrigerare & aluum lenire (quod sæpe opus) placeat, syrup. viol. & rosar. cum aqua cocta vel hordei, instar iulepi, potus loco propinari potest: vel in aqua cocta aut hordei, tamarindi aut pruna Damascena infundantur vel coquantur. Ita enim aluus semper lubrica manet.

Aer sit frigidus, & si talis non sit natura, arte paretur, vt antea dictum, Vtile etiam est odoramentum tale.

℞. *Aq. rosar.* Vnc. iiij. *nymphææ* Vnc. ij. *aceti ros.* Vnc. j. ß. vel penetrationis gratia, *vini*, Vnc. j. *santal. omn.* ao. Drach. ß. *cort. citri.* Drach. ß. *camph.* Scr. ß. Misceantur, & agitata odoramenti loco sæpe vsurpentur. Odoramentum etiam vtile præstant flores rosar. viol. purpur. nymphææ luteæ.

Qua ratione symptomatibus, quæ huic febri coniungi solent succurri possit, suo loco dicetur peculiariter.

Tertiana continua notha.

Tertiana continua notha.

Quæ ex pituita salsa, vel pituita cum bile mixta oritur febris ardens, notha est, & ferè eandem curationem habet, quam tertiana intermittens notha. Sanguis minuitur mittendus est parcius. In præparatione humorum ea, quæ pituitam attenuant, simul admiscenda: vt syrup. de 2. radicibus. Byzantinus f. Oxymel Capillus ♀, Petroselinum, fœniculum, Asparagus, betonica. Purgantibus admiscendus est agaricus. Verùm de his plura suo loco.

Conualescentes vt regendi.

Atque hæc de cura febrium Continentium, & continuatum biliosarum sufficiant. Vnum saltem addere libet, qua ratione ex febribus continuis conualescentes regendi sint. Nisi enim hoc debito modo fiat, vel recidiuam patiuntur, vel alios periculosos morbos incurrunt.

Cibus.

Si febris continua euacuatione critica perfecta soluta sit, medicamentis ampliùs natura molestanda nō est, secundum præceptum Hipp. 1. *aph.* 20. *Quæ decernuntur, decreta ve sunt, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis, sed omittere conuenit.* Et tum saltem recta victus ratio instituenda, cibóque vires instauandæ sunt; & viscera, quæ morbo fuerunt debilitata, roboranda: & si quæ reliquiæ ac vestigia caloris febrilis supersint, ea tollenda. Itaque cibus sit coctu facilis, boni succi, temperatus, aut siquis calor supersit, nonnihil frigidus: qualem præbet caro gallinarum & caponum, pullorum, hœdina, vitulina, ptisana hordeacea. Et tamen quantitate cibus offerendus, ne copia naturam oneret. Qui enim cibum nimis copiosum sumunt, tantum abest, vt inde corpus reficiatur, vt in recidiuam vel nouam febrem, nisi abstinentia aut inanitione id præcaueatur incurrant. Itaque ἀκορίη τροφῆς, quam Hippocrates commendat, hic maximè conuenit. Et nunquam conualescentes eiusmodi ad plenam satietatem edere, sed durante adhuc aliquo cibi desiderio, ab edendo desistere debent. Quia autem corpus tum morbo, tum tenuiore victu extenuatum, alimentum copiosius requirit: cibus quidem paucus, sed sæpius exhibendus. Et quo propior iam pristinæ valetudini redditur, conualescens, plus cibi & rarioribus interuallis concedendum, dum planè pristinæ sanitati & diætæ restituatur.

Potus.

Potus sit Cereuisia probè cocta & bene defecata; Vinum album, tenue: ab aqua verò potu, cùm visceribus extenuatis valde noceat, planè abstineant conualescentes.

Somnus conualescentibus vtilissimus noctu post cœnam, qui hoc modo initus, corpus exsiccatum valde humectat, instaurat, ac spiritus reficit. Vigiliæ verò ex febribus continuis conualescentibus noxiæ sunt.

Insitio

Digitized by Google

Ioanitio conualescentibus nunquam conuenit, nisi ventris deiectio; quæ subsistat, & lenientibus medicamentis interdum sollicitanda. Vsus tamen lenientium, præcipuè eorum, quæ per os assumuntur, non sit nimiùm frequens, ne crebra deiectione alimentum cum medicamento corpori subducatur. In primis conualescentibus Venus inimica. Animi affectus sunt moderari, & ad hilaritatem disponi.

Viscera iis, quæ moderatè refrigerant & adstringunt, roboranda sunt. Cui rei vtile est Electuarium vel rotulæ diarrhodon, trochisci de rosis, conserua rosar. cichorij: Et vbi calor ampliùs non adest, aromaticum rosatum.

Quibus autem imperfecta crisis accidit, & cum parte relictæ materiæ symptomata quædam supersunt, ij ex alimentis etiam commodè assumtis parum reficiuntur. Itaque reliquiæ humorum medicamento euacuandæ sunt, ne abscessus, aut recidiua fiat. Hic sæpe vtilia sunt medicamenta, quæ per vrinas euacuant. Nonnulli venam iis aperiendam esse censent: sed perperam. Vires enim morbo & præcedentibus euacuationibus debilitatæ eam non ferunt. victus bis probatur tenuior, donec euacuato humore vitioso felicioris nutritionis indicia appareant. Rectè enim Hippocrates, 2. *aph.* 10. *Impura corpora, quò plus nutriueris, eò plus lædes.* Vbi reliquiæ vitiosorum humorum euacuatæ sunt, tractandi sunt vt alij conualescentes, de quibus modò dictum.

CAPVT XIV.

De Quotidiana continua.

Quotidiana continua.

QVotidiana continua verò, quæ Barbaris latica, quòd quendam latentem & absconditum habeat calorem, appellatur, est febris perpetuò quidem durans, & nunquam ad ἀπυρεξίας deueniens, singulis tamen diebus exacerbationes suas habens à pituita sanguini permista. Incidunt hæ febres in ætatem, naturam & corpus humidum, vnde iuuenem biliosa & sicca natura præditum tali febre correptum Galenus se non vidisse scribit: sed pueri atque in primis infantes propter ἀδδηφαγίαν & lactis vsus, vt & senes, ac qui habitu sunt corporis crassiore, & otio ac crapulæ dediti, & longiori somno indulgent, & loca humida incolunt, talibus febribus corripiuntur. Hinc fit, vt frequens non sit hæc febris.

Signa Diagnostica.

Signa quotidianæ continuæ.

Signa quotidianæ continuæ sunt, quòd calor continuò durat, & nunquam ad intermissionem planè venit, singulis tamen diebus, & quidem plerumque circa vesperam, quo tempore pituita, magis moueri solet, exacerbatur & intenditur. Verùm, vt in aliis continuis, sine frigore aut horrore calor intenditur, & remittit sine vllo sudore. Calor primo quidem attactu mitis apparet; paulo post tamen acrior sentitur, laxatis poris cutis manus tepore. Tardè enim accenditur pituita, & quidem inæqualiter; cùm aliæ partes sint crassiores, aliæ tenuiores, adeò vt modò delitescere, modò rursus augeri calor videatur.

Pulsus, vt in aliis continuis, non sunt ita celeres & frequentes. Vrina quoque, vt in aliis continuis, non ita ignea est & rubra, sed crassa potiùs. Sitis etiam, nisi pituita salsa adsit, vt & alia symptomata, non sunt ita vehementia: atque alia signa, quæ in quotidiana intermittente animaduertuntur, huic febri sunt communia. Neque enim magna est materiæ, quæ continuas facit, & eius quæ intermittentes producit, diuersitas. Nisi quòd in intermittentibus causa in prima coctione generatur, & ibi corrumpi ac putrescere incipit: In continuis verò etsi materia in primis viis non corrumpatur, sed ad hepar, ibi ampliorem elaborationem suscepturа, mittatur, tamen vitium coctionis primæ non potest corrigi in secunda: aut si hepar non rectè sese habeat, pro sanguine bono pituitosus & cacochymicus generatur, qui vbi putredinem concipit, hanc febrem producit.

Quotidiana continua quomodo ab hectica sit discernenda.

Cùm autem hæc febris lenta & longa sit, hecticæ similis apparet. Quapropter qua ratione discerni possit, dicendum. In hectica calor est semper æqualis, ac nonnisi post sumtum cibum aliquomodo intenditur. In quotidiana continua singulis diebus, & præcipuè circa vesperam, etsi æger nihil cibi ante assumserit, augeri calor incipit, & circa mediam ferè noctem maximus est, ac postea iterum sensim remittit. Pulsus in hectica est durus & strictus: in hac mollis & laxus. Cutis in hectica est squalida & arida: in continua autem quotidiana, mollis. Causis etiam, quæ præcesserunt, planè differunt. Hecticam enim præcesserunt causæ calefacientes & siccantes, continuam verò quotidianam causæ refrigerantes & humectantes, ac pituitam generantes.

Prognostica.

Prognostica.

Febris hæc ob humoris crassitiem est longa & curatu difficilis, ac propterea periculo non vacat. Ac quò pituita est crassior & contumacior, eò febris est pertinacior & longior. Vnde quotidiana non terminatur ante diem quadragesimum, aliis ad sexagesimum extenditur, nonnunquam longiùs protrahitur. Hinc principium ante 20. diem vix absoluitur. Minùs tamen diu durat, in qua plures euacuationes contingunt. Longior etiam est pura, quàm quæ bilem admixtam habet. Est quoque continua periculosior, quàm intermittens, cùm ægrum magis affligat: Quæ quò peiora habet symptomata, eò est periculosior. Si enim virtus sit ab initio statim debilis, & appetitus deiectus, lethale signum est. Nam virtus ad statum non perdurabit. Ita si paroxysmus sit longus, virtus debilis, appetitus prostratus, somnus profundus, ægrum de vita periclitari indicat. Quæ si abfuerint, salutem spondent. In primis autem ventriculus in hac febre laborat & debilitatur, & ob huius debilitatem, hepatis & lienis obstructiones oriuntur.

Vnde ægri tandem cachexiam & hydropem incurrunt. Terminatur eadem febris sæpe in hecticam. Diurna etiam quotidiana periculosior, quàm nocturna; cùm tempus remedij adhibendi commodum desit. Nam de die ob paroxysmum remedia adhibere non licet: si verò quo tempore ægro dormiendum est, medicamenta adhibeantur, & æger vigilet, quies turbatur, & vires deiiciuntur.

Curatio.

Indicationes.

Indicationes, quibus curatio dirigitur, vt in aliis febribus putridis, petantur à morbo, causa morbi, & viribus. Morbum & causam morbi quod attinet, contrario modo in hac febre res sese habet, ac in tertiana. In hac enim febre neque morbus, calida scilicet intemperies, quæ non est magna; neque causa, quæ est pituita, humor scil. frigidus, refrigerationem postulant, & magis periculum hic metuendum ex humoris natura, quam ex calore eiusdem; atque ideò in hac febre minimè humectandum aut refrigerandum. Pituita enim humor frigidus, crassus, tenax & lentus est, ideóque ad coctionem & euacuationem præparandus calefacientibus & moderatè siccantibus, incidentibus & attenuantibus: quæ tamen initio febris sint mitiora, & hinc paulatim ad calidiora ascendatur. Si autem pituita minùs frigida, crassa & viscida sit, vt est pituita salsa, & pituita cum bile mixta, mitiora medicamenta requiruntur, & calefacientibus aliquid refrigerantium addendum, codemque ferè modo, vt in tertiana notha procedendum. Materia deinde cocta & præparata euacuanda est: & in primis ventriculus ac alia viscera roboranda, viriúmque omnino, quæ valde in hac febre vegent, habenda est ratio; & symptomata, si quæ infestent, lenienda.

Aluum laxantia.

Primò ergo, quod in aliis febribus rectè fit, nec in hac omittatur, ac principio ventriculus ac primæ viæ euacuentur. Exempli gratia.

℞. *Mercurialis, beta, furfur. in petia lig. flor. chamem.* an. M. j. *meliloti* M. ß. *sem. lini* ℥. ß. Coqu. in s. q. *a. f.* Collat. ℞. ℔. j. In qua dissolue *Elect. diacathol.* Vnc. ß. *diaph. xutc. hiera f.* an. Drach. iij. *mel. ros. sol.* Vnc. j. *ol. Chamamel. vel communis.* Vnc. ij. vel iij. *salis.* Drach. j. F. Clyster.

Inter medicamenta verò, quæ per os assumuntur, commodissimum est mel rosatum solutiuum.

Potest & cassia vsurpari, cui 3. ß. semin. anisi vel fœnic. addi potest, vel aliquid de puluer. mechoac. in bolo, vel diacatholicum. Imò interdum aliquid diaphœnici, sed in exigua quantitate, reliquis lenientibus in fortioribus corporibus addere licet. Aliàs fortiora illa purgantia post coctionem differenda.

Materia, quæ ventriculo inhæret, proxima via vomitu excludi potest, vomitoriis suprà recensitis Conueniens hic est raphanus, cuius vel decoctum, vel succus, vel infusum in oxymelitis ℥. iiij. vel pluriuм pondere propinatur. Licet & alia addere, vt sem. atriplicis, aneth. fl. chamæm. vt:

℞. *Sem. raph. atriplices*, an. Vnc. sem. *flor. chamæmel.* P. j. Coq. in *aq. f.* Col. ℞. Vnc. v. Adde *oxymel. s.* Vnc. j. sem. Misce.

Venæsectio.

Altero ita euacuato, an venæsectione opus sit, videndum. Græci in hac febre venæsectionis mentionem non faciunt: ideóque plurimi ab ea abstinendum putant, cùm & ratio id iubere videatur. Nam sanguis in hac febre non peccat, sed pituita, quæ est frigidus & crassus humor, qui sanguine detracto magis crudus euadet. Auicennas contra, *capite proprio*, & qui eum sequuntur, in hac febre admittunt venæsectionem, si vrina sit crassior & rubicundior. Est omnino in hac febre continua interdum locum habet venæsectio: sed ne id temerè fiat, quando & quam ob causam venæsectio institui debeat, videndum. Massarias quidem, magnitudine morbi & virium robore præsente, semper admittit venæsectionem; & propterea in omni febre putrida mittendum esse sanguinem censet. Verùm falsitas huius opinionis alibi refutata est. Et quæ Galeni sententia sit, cùm inquit, in omni febre putrida saluberrimum esse mittere sanguinem, satis apparet ex ratione, quam Galenus addit, cùm ideò sanguinem in febribus putridis mittendum esse dicit, vt natura parte oneris, qua tanquam sarcina premitur, leuetur, vt postea, quod reliquum est, & coqui potest, concoquat faciliùs, & quod expelli potest, expellat.

Ergo tum solùm & in quotidiana, & in omnibus febribus putridis sanguis emittendus, vbi sanguinis euacuatione natura oneris parte leuari potest; id quod fieri potest in quotidiana continua, & cùm humor peccans in venis sanguini permiscetur, & ita sanguine detracto pars vitiosi humoris detrahatur. Vnde Auicennas, cùm vrinæ sunt crassiores & rubicundiores, sanguinem mittere iubet. Ea tamen conditione, quam Galenus ipse addit, sanguis mittendus, si vires & ætas consentiant; id quod rarò in hac febre accidit. Nam cùm hæc febris ferè incidat in ætatem senilem vel puerilem, tempus anni frigidum, & febris ipsa ab humore crudo proueniat: rarò vires consentiunt.

Digitized by Google

tiunt. Iisdem de causis sanguis, vbi venam aperire licet, non copiosè, sed parcè euacuandus.

Concoquentia. & alterantia.

Alterantia & præparantia in Quotidiana continua.

Sectâ, si opus sit, venâ, ad materiæ præparationem & concoctionem accedendum. Et primò attenuantibus, quæ non valde calefaciunt, vtendum, ne si in primis viis vel venis crudi humores hæreant, valentiorum medicamentorum vi in peniores corporis partes traducantur. Quapropter in principio vtendum syr. acetoso s. melle rosato, oxymelite s. syrupo de betonica, hyssopo, cum decocto vel aquis capill. ♀. fœniculi, asparagi, graminis, hyssopi, chamædryos, quibus addantur syrupus endiuiæ s. & compositus. Inseruiunt huic fini & conserua betonicæ, hyssopi, cardui benedicti, vel eius generis extracta. Exempli gratiâ.

℞. *Aq. agrimon. beton. fœnic.* an. Vnc. ij. *syr. de 2. rad. acetosi s.* an. Vnc. j. *endiuiæ* Vnc. ß. F. Haustus pro ij. dosibus.

Vel ℞. *Rad. graminis, asparagi*, an. Vnc. ß. *capill. ♀. chamædr. hyssop. fœnic.* an. M. j. *sem. fœnic.* Drach. j. Coq. in s. q. *a. s.* Colat. Vnc. ix. Adde *syr. de 2. rad.* Vnc. ij. *byzantini s.* Vnc. j. *spiritus vitriol.* Scrup. ß. F. potus pro tribus dosibus.

Vbi aliqua coctionis signa apparuerint, mitius aliquod purgans pituitam exhibendum. In morbis enim ex crassis humoribus natis perfecta & integra, quæ requiritur, purgatio semel institui non potest, sed per vices humores concoquere & euacuare oportet. Et primò vtrumque mitioribus faciendum; hinc ad fortiora ascendendum.

Leni ergo isti purgationi inseruit agaricus, aut pilulæ alephanginæ cum tertia parte agarici: In pituita salsa aliquid rhabarbari, vel etiam foliorum senæ addi potest. Et est tum commodus vsus diacatholici, vt:

℞. *Agarici troch.* Scrup. iv. *diagridij* gr. j. *vel* ij. Cum *melle rosat.* F. Pil. XXV.

Vel ℞. *Electuar. diacathol.* Vnc. ß. *agarici troch.* Scrup. ij. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Decocti aperiens.* q. s. Coq. in eo *fol. senæ el. agarici trochisc.* an. Drach. ij. *rhab. elect.* Scrup. j. *zingiberis, galangæ*, an. Scr. ß. Colat. ℞. Vnc. iij. Adde *mellis rosar. solut.* Drach. x. Misce.

Vel ℞. *Decocti communis, aut aperient.* Vnc. iij. Dissoluantur in his super igne, *Elect. diacathol.* Drach. vj. *diaphœnici* Drach. iij. Colentur. Adde *mell. rof. sol.* Drach. x. Misce.

Vel ℞. *Pil. alephang.* Scrup. ij. ß. *agarici troch.* Scrup. j. *trochisc. alband.* gr. ij. *vel* iij. cum *melle rof. sol.* F. Pilolæ mediocres.

Inde ad fortiora præparantia & purgantia deueniendum: quæ tamen admodum calefaciunt & siccant, vitanda sunt. Et quia rarò admodum datur quotidiana exquisita, ideò in notha, ea quæ humorem biliosum vel melancholicum respiciunt, admiscenda.

Itaque etiam medicamenta, quæ indiuiduis conueniunt, ita exactè præscribi non possunt: ac proinde formolas, quas proponemus, pro cuiusque ægri & morbi ratione, variare & mutare licebit.

Inter præparantia tum conuenit syrupus de 2. rad. de 5. rad. oxymel compos. syr. bizantinus compos. cum aq. vel decocto hyssopi, petroselini, betonicæ.

Si pituita salsa fuerit, curatur ferè vt tertiana notha; addi potest syrupus de fumaria, aqua eiusdem, borraginis, buglossi.

Vt ℞. *Mellis rof. col.* Vnc. j. *oxymel. compos.* Vnc. ß. *aq. hyssop. fœnic.* an. Vnc. j. *vel* Drach. x. F. Haustus, qui aliquoties repetatur.

Vel ℞. *Syr. de 5. rad. oxymel. compos.* an. Drach. vj. *aq. hyssop. chamædr.* an. ℥. j. ß. Misce.

Vtile & hîc est decoctum aperiens in pharmacopoliis vsitatum.

Vel ℞. *Rad. aperientium aceto præpar.* an. Drach. vj. *hyssopi, betonic. chamædr. capill. ♀.* an. M. j. *sem. fœnic.* Drach. j. ß. Coq. in ℔. iij. *aq.* ad dimidiæ partis consumtionem. Colat. adde *mellis* Vnc. ix. *aceti* Vnc. iij. Coq. s. a. F. Syrupus.

Vel ℞. *Rad. graminis, asparagi, fœniculi*, an. Vnc. j. *agrimon. capill. ♀. beton.* an. M. j. *cardui benedicti, sem. endiu. anisi*, an. Drach. ij. *cicer. rub.* M. *sem. ß. genistæ*, P. ij. Coq. in s. q. *hydromelitis*, pro ℔. j. Colat. adde *mell. rof. col. oxymel. compos.* an. Vnc. vj. *aq. cinnamom.* Vnc. ß. *vel* Drach. vj. F. potus pro 4. dosibus.

Vel ℞. *Oxymel. scillit. mell. rof. col.* an. Vnc. ij. *aq. fœnic. petrosel.* an. Vnc. iv. F. potus pro 2. dosibus.

Commodus etiam hîc est vsus spir. Vitriol. & sal. qui in iusculis carnium, vel alio conuenienti liquore ad humores attenuandos, & putredinem inhibendam, exhibeantur.

In phlegmate salso & bilis permixtione, atque vbi calor febrilis maior est, talia præparantia conueniunt.

℞. *Syr. endiu. fumar. acetosi s.* an. Vnc. j. sem. *aq. fœnic. absinth. buglossi*, an. Vnc. ij. sem. F. potus pro 3. dos.

Vel ℞. *Syrup. byzantini s.* Vnc ij. *acetosi s.* Vnc. j. *aq. graminis. asparagi*, an. Vnc. ij. sem. F. Potus.

Vel ℞. *Conf. borrag. cichor. beton. fumar.* an. Vnc. j. *corticis citri condit. cichor.* an. Vnc. sem. *spec. diarrhod. abb.* Scrup. ij. Cum *syrup. buglossi.* F. Electuar.

Purgantia.

Postea iterum ad purgantia, & quidem paulò fortiora accedendum, vt pilulas aggregatiuas, addito agarico trochiscato, vel de hiera cum agarico: In pituita salsa pilolæ de fumaria addi possunt.

Vel ℞. *Fol. sen. ol.* Vnc. ij. *agar. trochisc.* Drach. vj. *hermodactyl. turbith. el. mechoacan.* an. Drach. ij. *zingiberis* Drach. j. sem. *spica* Scr. j. *sem. fœnic. anisi*, an. Drach. j. Infund. in s. q. *decocti aperientis, vel hydromelitis.* Colat. add. *mell. anthosati, oxymel. scillit.* an. Vnc. j. sem. *sacch. albiss.* q. s. F. Syrupus, de quo quinto vel sexto quoque die capiat ℥. ij. vel iij. vel per se, vel cum decocto cicer. rubr. aut hyssopi, aut alio liquore conueniente. Hoc enim quod suprà etiam dictum, hîc iterum repetendum, in hac febre, vt in omnibus morbis, qui a crassis humoribus ortum habent, humores peccantes, licet concocti sint, non vnicâ vice & semel, sed per interualla & partitis vicibus commodè euacuari.

Vel ℞. *Extract. mechoac.* Scr. j. vel ʒ. ß. *panchymagogi* Scr. ß. F. Pilulæ.

Vel Dissolu. *in mellis rof. sol.* ℥. j. ß. vel ij.

Vel ℞. *El. diacathol.* ℥. ß. *diaphœnici* ʒ. iij. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Elect. diaphœnici, Indi*, an. ℥. ß. vel ʒ. v. Ebulliant semel in s. q. *decocti communis, aut aq. conuenientis*, & colentur. F. Haustus.

Vel ℞. *Specier. diaturb. cum rhab.* ʒ. j. *mechoac.* Scrup. sem. F. Puluis.

Vel ℞. *Mechoac.* Scr. ij. vel Scr. ij. ß. *Specier. diaphœnici, diaturbith. cum rhab.* an. Scrup. ß. *Diagalang.* gr. v. F. Puluis.

Vrinam cientia.

Post euacuationem per aluum & vomitum, materia per vrinar quoque educi potest, atque vrinam mouentia medicamenta, præmissis generalibus euacuationibus, in febribus pituitosis insignem vsum præstant. Attenuant enim humores, & quia tunc crudi sunt, eos præparant, & sensim per vias vrinæ educunt. Exempli gratia.

℞. *Rad. aperient.* ℥. ß. *asari* ʒ. ij. *capill. ♀. betonica, hyssopi*, an. M. j. *sem. petrosel. fœnic.* an. ʒ. ij. *sem. 4. frig. mai.* an. ʒ. j. ß. *Cicer. rub.* ℥. ß. Coq. in s. q. *a. s.* Colat. dulcoretur *sacchara.*

Verùm de his medicamentis suprà dictum.

Tandem & materia per sudores discuti potest. Nonnulli in hac febre ad fortiora, vt lignum guaiacum, sassafras, radicem Chinæ ascendunt. Commendatur etiam hîc *sal absinth.* j *vel cardui benedicti*, Scr. j. vel ʒ. ß. pondere, cum pauxillo *theriacæ*, vel *rob sambuci*, vel *conueniente liquore* sumtus.

Confortantia.

Post vsum medicamentorum horum communium, id diligenter attendendum, vt membra principalia roborentur. Diuturnitate enim morbi ventriculus & hepar debilitantur: & hinc cùm prima, tum secunda coctio vitiatur, vnde lien, hepar & crura intumescunt, & cachexia, ac non rarò hydrops imminet. Huic rei inseruit in primis vsus trochiscorum de rhabarbaro, de absinthio, de rosis, de eupatorio, qui cum syrupis, & succis inspissatis, & extractis cardui bened. gentianæ, centaurij minor. & aliis conuenientibus in pilulas formantur, quæ vel solæ, vel cum aliquo syrupo, decocto, aut alio liquore conuenienti exhibentur. Vtiles etiam sunt species & rotulæ aromatici rosati, dialaccæ, diaxyloaloës.

Extra quoque ventriculo Roborantia adhibeantur, Cerotum stomachicum, &c. Vel potest tale fomentum parari.

℞. *Absinthij menthæ, rof. rub.* an. M. j. *mastiches, cortic. citri, cinnamom. macis*, an. ʒ. ij. *garyophyll. galang. ligni aloes*, an. ʒ. j. *santalor. omn.* an. ʒ. ß. F. cum linteo albo tres sacculi, quorum duo madefiant in vino calido, & per vices calidi ventriculo applicentur, tertius posteà siccus apponatur: vel post fomentationem, emplastrum vel cerotum idoneum applicetur, vel tali vnguento ventriculus illinatur.

℞. *Ol. absinth.* ℥. ij. *nardini, mastichini*, an. ℥. j. *garyophyll. macis, rosar. rub. nuc. mosch. specier. aromat. rosati*, an. ʒ. sem. *Vini optimi* ℥. ij. Coqu. lenen igne ad vini consumtionem, posteà colentur & exprimantur: Hinc addantur *ladani* Drach. ij. *ceræ* parum, F. Linimentum.

Valde efficacia sunt, si addantur, olea destill. absinthij, menthæ, garyophyll. moschatæ.

Diæta.

Cibus.

Victûs ratio tota sit attenuans, incidens & abstergens. Cibi ergo sint boni succi, facilis coctionis, pauci excrementi: atque hinc vtiles sunt carnes pullorum, gallinarum, caro hœdina, oua, &c. Pisces in hac febre minùs conueniunt. Cibi condiantur attenuantibus & incidentibus, vt radicibus petroselini, fœniculi, hyssopo, thymo, satureia, rosmarino, cinnamomo. Vtiles quoque sunt cappares aceto conditi. Panis sit optimè fermentatus, pauco sale adiecto. Licet eidem & aliquid seminis anisi, fœniculi, cumini, vel carui adiicere. Prout tamen humor, à quo febris accenditur, magis vel minùs frigidus fuerit: ita magis & minùs calefacientia & attenuantia adiicienda sunt; & primis diebus mitiora, in progressu morbi fortiora.

De tempore & quantitate cibi administrandi, non idem sentire videntur Græci & Arabes. Hipp. & Galen. 1. *aph.* 10. & alibi docent, in morbis, quibus status statim futurus est, tenuiter in principio cibari oportere, quibus autem posteriùs, & in ipso vigoris tempore & paulò sub ipsum, de victu demendum, antè verò pleniùs alendum esse, vt ægrotus perferre queat. Auicennas contrà primis diebus tenuem victum & diætam instituere, & inediam adhibere iubet. Hippocratem & Auicennam conciliare nititur Massarias, dum dicit: Auicennam id facere sperando, quòd status febris sit futurus propinquior, propter subtilitatem & paucitatem materiæ: Quòd si contrà

status

status futurus esset diuturnior, primò crassiore, deinde tenuiore victu vtendum esse, Verùm hæc in speciem dissensio, hoc modo non conciliatur. Omnis enim febris quotidiana longa est, & in nulla quotidiana sperandum, statum breui futurum. Ideóque secundùm Hippocratem in omni quotidianæ principio pleniùs alendum, vt ægrotus ad statum perdurare possit, postea verò statu appropinquante, de victu sensim detrahendum. Interim & Auicennæ præceptum locum habet, qui non hoc sentit, vt toto morbi principio victus tenuior, quàm in augmento, præscribatur, sed hoc saltem vult, vt primis tribus diebus cibo pauciore, aut etiam ediâ æger vtatur, vt cruditates in ventriculo & primis viis absumantur, & concoquantur; cæterùm idem sentit cum Hippocrate, & in principio pleniore victu vtendum censet, de quo postea seorsim detrahendum sit.

Ptisana & ipsa, vt in aliis febribus, ita & in hac conuenit, cùm attenuet, abstergat, aluum leniat; sed quia humor est frigidus, alteretur paucâ cinnamomi vel piperis quantitate adiectâ.

Notandum autem hîc, cùm in hac febre, vt & in aliis diuturnis, æger plerumque adstrictam habeat aluum, quam tamen solutam esse expedit, nonnullos quotidie, vt aluum lubricam conseruent, pruna exhibere: verùm cùm in talibus morbis diuturnis ventriculus frigidus & debilis esse soleat, omnino à talibus frigidis fructibus abstinendum, & potiùs melle ros. solut. & huiusmodi aliis aluum lubricantibus vtendum.

In principio æger à vino abstineat, & aqua mulsa eius loco vtatur: si tamen vires vel consuetudo id postulet, vtatur vino tenui & aquoso. Conuenit & cereuisia tenuis. Apparente autem concoctione, vinum tutiùs & commodiùs vsurpatur. Concoctio enim eius vsu adiuuatur, ventriculus roboratur, & humores per vrinam educuntur.

De Febre Epiala.

Febris Epiala.

Cùm autem pituitæ variæ sint species, etiam febris huius, pro variis pituitæ generibus quædam differentia deprehenditur. Inter illas verò differentias insignis est ea, quæ Græcis πυρετὸς ἠπίαλος, febris epiala nominatur, vel ἀπὸ τοῦ ἠπίου, vnde interpretes blandas & lenes febres vertunt, vel à rigore, quòd ἠπίαλος Atticis, rigorem qui febres præcedit, significet. De eius autem natura & causis variæ controuersiæ occurrunt eáque febris hoc loco inter pituitosas & quotidianas febres explicanda videtur. E Quotidianarum genere esse Epialam omnes concedunt: An sit autem continua vel intermittens, dubium. Inter continuas refert Gal. 6. *epid. com.* 1. *t.* 29. cùm scribit: *Continuarum aliam semitertianam, aliam ardentem, aliam gelidam, aliam succensam, aliam pestilentem, aliam Epialam dicimus.* Alij autem hoc factum putant ob imperfectam intermissionem. Atque hæc febris insignem, quâ à reliquis quotidianis discernitur, habet differentiam. Eodem enim febris tempore, ægri simul & rigorem, & calorem percipiunt. Verùm quomodo illud fiat, authores non consentiunt, Gal. quidem, *de inæq. intemp. c.* 8. *& 4. de differ. febr. cap.* 6. Epialam febrim fieri docet, quando ægri simul febricitant & rigent, atque eodem tempore in toto corpore vtrumque sentiunt affectum, seu quando calidum & frigidum simul per minimas corporis particulas dispersum est. Auicennas verò, quem Arabes plerique sequuntur, *lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *c.* 50. aliter hac de febre loquitur, & Epialam fieri dicit, cùm in toto parosysmo interna frigent, exteriora calent. Verùm hanc febrem, vt quidem ab Auicenna & Arabibus describitur, plerique figmentum esse putant: cùm impossibile videatur, vt externa caleant, interna verò frigeant; siquidem febrilis calor à corde incipit, atque hinc in totum corpus diffunditur. Conatur quidem Costæus, *comm. in locum allegatum,* Auicennam defendere, & qua ratione hæc febri dari possit, monstrare, dum dicit: pituitam vitream, dum putrescit, intra venas præcipuè putrescere: cùm verò actu frigidus hic sit humor, fieri putat, vt partes quas tangit, reddat frigidas; cùm verò putrescat, ex concepta putredine calidos vapores excitari, qui cùm per vniuersum corpus ferantur, illud calefaciant, solis iis partibus, in quibus pituita residet, ob illius contactum frigescentibus. Verùm ex hac difficultate se hoc modo non euoluit. Nam cùm febris non fiat, nisi calor primò cordi communicetur, si vapores è pituita putrescente attolluntur, impossibile est, vt ab iis calor febrilis exterioribus communicetur, nisi priùs ille in corde accensus fuerit. At vbi calor in corde accenditur, certè priùs interioribus, vtpote magis cordi vicinis, quàm exterioribus, & à corde remotioribus communicatur. Neque pituitæ, & quidem putrescentis, frigiditas potest esse tanta, vt calorem illum planè obtundat, præcipuè in venis, in quibus, ex Costæi sententia, continetur pituita vitrea; neque, cùm crassus admodum & viscidus humor sit, ferri per musculos & extra venas facilè possit. Quapropter vnicam saltem Epialæ speciem cum Galeno agnoscimus, vbi scilicet eodem tempore per vniuersi corporis minimas particulas calor & frigus sentitur. Etsi verò vna eadémque pars alterationibus contrariis moueri eodem tempore non possit; & propterea non rectè à Galeno dictum esse alicui videri posset, quòd eodem tempore tum calidum, tum frigidũ, per minimas particulas dispersum sit: tamen id de minimis particulis, quoad sensum, non verò reuerà minimis accipiendum est. Sensus enim nequit discernere partem illam, in qua calor, ab ea in qua frigus percipitur.

Causæ.

Epialæ causa.

De Epialæ quoque causa Authores, vt & Gal. idem docere non videntur. Nam Gal. *lib.* 2. *de diff. febr. c.* 6. febrem epialam à pituita acida & vitrea fieri docet, dum ita scribit: *Acida & vitrea si per sentientes corporis partes moueatur, sine febre rigores generat. Quod si modica aliqua in iis fiat putrefactio, febrem epialam appellatam inducit. Lib.* verò *de inæq. intemp. cap.* 8. addere videtur bilem amaram, dum inquit. *Si pituitosus humor, qui frigidus est, quémque Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis, quæ calida est, simul abundent, ac per sensibilia membra moueantur: nihil mirum est, vtrúmque ab ægro pari modo sentiri.* Et mox: *in febribus, quas epialas vocant, vniuersum corpus ambo sentire videtur. Cùm enim tenuissimis particulis aspersum per corpus, tum calidum sit, tum frigidum, nullam sensibilem alterius portionem ita paruam desumas, in qua non sit alterum comprehensum.* Verùm à contradictione hîc Galenus liberari potest, si dicatur, Epialam aliam esse legitimam, aliam spuriam: legitimam quæ ex sola pituita fit; spuriam verò, quæ ex pituita cum bile gignitur.

Cur calor & frigus simul percipiantur.

Quam ob causam autem calor & frigus, ac rigor simul percipiantur, Authores etiam dissentiunt. Vbi pituita & bilis amara est permixta, calorem & frigus simul percipi, docet Galenus, *alleg. loc. de inæq. intemp.* quia simul calidum & frigidum per vniuersum corpus dispersum est. Cùm verò ex sola pituita vitrea & acida, Epiala prouenit, Galenus 2. *de diff. febr. c.* 6. causam hanc reddit, quòd id, quod ex pituita putrescit, calorem accendat, reliquum verò, quod nondum putrescit, rigorem excitet. Vitrea enim pituita est humor crassus, lentus & cruda, ac omnino frigidissimus, nec promptè putrescit, sed dum putredine modicè corripitur, alia parte putrescit, alia non, vnde per sentientes corporis partes delata pars quæ nondum putrescit, vtpote frigidissima, vehementem rigorem; reliqua verò, quæ iam putredinem concepit, calorem efficit. Atque ita corpus vniuersum eodem tempore calorem ac frigus percipit. Quòd si vehementiùs & æqualiter, quòd tamen non facilè fit, putrescit, tunc cum rigore inuadit, postea superata frigiditate calor superuenit.

Verùm hæc sententia non placet Eustachio Rudio, qui, *lib.* 3. *pract. c.* 28. aliam causam reddit. Nimirum calorem prouenire à causa positiua, vaporibus scilicet putridis, per vniuersum corpus distributis, & à putrescente humore eleuatis, rigorem autem habere causam priuatam, nempe caloris ad internas partes retractionem. Et omnino potiùs ad intermittentes, quàm continuas referenda hæc febris videtur. Neque enim credibile, in venis humorem tam frigidum coaceruari posse. Et si quis inter continuas referre velit, potiùs ad symptomaticas quàm primarias referenda videtur, vbi in primis viis, humores crudi & pituitosi è debili ventriculi coctione & cruditate cumulantur & putrescunt. Quod tamen ipsum Platero difficile videtur, qui neque credibile putat, humorem tam frigidum putrescere posse. Ipse itaque Epialas ad intermittentes refert, ac in ea est sententia, eas generari, cùm intermittentes febres eodem die coincidunt, frigúsque vnius, antequam calor alterius febris cessarit, incipit: vel etiam quando intermittentes cum continuis concurrunt: cùm in continuis calor semper perseueret, & intermittente febre accedente, horror quidam & frigus in principio simul infestet.

Curatio.

Rara est ista febris, & vbi excitatur, vix talis ad finem perdurat, & putrescente pituita ac calore agente in eam, in aliam febrem degenerat. Curationem eius quod attinet, ea à curatione aliarum febrium pituitosarum non est diuersa: ad humoris tamen peculiarem naturam est respiciendum. Cùm enim maior sit humoris, ex quo hæc febris oritur, frigiditas & cruditas, quam in aliis febribus pituitosis: tantò fortiora medicamenta calefacientia, attenuantia & incidentia in hac febre requiruntur, quantò hæc pituitæ species est frigidior & crudior. Vires in hac febre valde sunt debiles, ideóque etsi à contumaci & rebelli humore fortiores purgationes indicentur: vires tamen debiles eas non ferunt: ideóque frequentia supplendum est id, quod vna vice fortiore medicamento exequi non licet.

De Febre syncopali.

Febris syncopalis.

Ad febres pituitosas reuerà etiam referenda est febris Syncopalis, humorosa appellata. Auicennas enim & eius interpretes vulgò duas febris syncopalis species statuunt: Vnam, quæ ab humore bilioso, tenui, pauco, sed corrupto & venenato oritur quã syncopalem minutam appellant: alteram, quæ à pituitosorum & crudorum humorum copia proueniat, quam syncopalem humorosam nominant. Atque hæc omnino ad febres pituitosas pertinet, & ab aliis non differt, nisi quòd pituitosorum & crudorum humorum in hac maior, quã in aliis febribus pituitosis, est copia, & præterea coniuncta est oris ventriculi debilitas, vnde ægri facilè, in primis febre ingruente, in syncopen incidunt, vnde & febris ista nomen habet. Febris ista curatu difficilis est. Etsi enim in hac febre vacuantia necessaria sint: tamen ægri neque sanguinis missionem neq; purgationem sustinent, ob virium imbecillitatem, & quòd facilè in syncopẽ incidunt. Ac propterea si pulsus fuerit paruus, debilis, & valde inæqualis, æger in summo periculo versatur. Ergò Gal. 12. *meth. med. c.* 3. nullam aliã cõ modiorẽ vacuandi rationem se potuisse inuenire scribit, quàm quæ fiat per frictiones; ideóq; ibi quas partes fricare, & qua ratione oporteat, docet. Licet tamen & clysteribus lenioribus vti. Imo nostro seculo multa innotuerunt medicamenta, quæ nulla vi naturæ illata, aluũ solùm lasant, citra omnẽ humorũ reliquorum, qui ex

venoso

venoso genere sunt, perturbationem; qualis sunt mel rosatum solutiuum, manna, cremor tartari, & ex his confecta alia medicamenta.

Imminuta hoc modo humorum in ore ventriculi & primis viis existentium copiâ, & ita syncopes causâ sublata, opera dāda est, vt humores reliqui crudi in venis côcoquantur. cui fini inseruit hydromel cum hyssopo & cinnamomo paratum, cui aliquot diebus exactis modicum oxymelitis adiici potest. His ita peractis vt iam de præcipiti virium lapsu ampliùs metus non sit, purgatio humorum, vt in reliquis pituitosis perficienda.

De Diæta inter authores non conuenit. Galenus totam ferè curationis spem in frictionibus, quiete, inedia & tenui victu constituit: Alexander verò Trallianus id reprehendit, atque impossibile esse putat, vt cum exquisita inedia tam vehementes frictiones æger sustinere possit: cùm secundum Hipp. 2. *aph.* 1.6. vbi fames, laborandum non sit. Massarias Galenum defensurus respondet, pituitam attenuatione & longiore coctione in sanguinem conuerti posse, vt ex animalibus nonnullis videre est, quæ tempore hyberno sine assumto alimento ea sola pituita nutriantur. Ex quibus concludit, pituitosâ tali febre laborantes famem non pati, cùm humor ille pituitosus frictionibus & moderata caliditate attenuetur, & in alimentum conuertatur. Quæ responsio quidem locum haberet, si pituita, à qua hæc febris oritur, semper talis naturæ esset, vt in alimentum verti possit; cùm potiùs corrupta sit, & nisi syncope in hac febre metuenda esset. Quam ob causam tutissimum est, hac febre laborantes roborare alimentis paucissimis & minimè pituitam generantibus, sed quæ sint tenuis substantiæ & coctu facilia, atque ea sæpius præbenda, quales cibi sunt, vitelli ouorum, iuscula carnium, cinnamomo, garyophyllis, ligno aloës & similibus côdita. Potus sit vinum, quod vim nutriendi, calefaciendi, attenuādi habet, nec pituitam vllo modo auget. Vtile est & hydromel, in quo hyssopus ebullierit. Et quia ob Syncopen ægri valde debilitantur, ea quæ ad syncopen destinata sunt medicamenta, tam externa, quàm interna adhibenda, de quibus alibi.

CAPVT XV.

Quartana Continua.

Quartana continua.

QVartana denique continua est febris putrida, cuius calor quidē continuò durat, quarto tamē quoq; die incenditur, à sanguine melācholico cacochymico, in venæ cauæ ramis putrescente ortū habens. Causa nimirū huius febris est melācholis putrescens. Vnde omnia, quæ melancholiam generare, & putredinem eius excitare valent, huius febris causa esse possunt.

Signa diagnostica.

Signa Quartanæ cōtinuæ.

Signa eius sunt, quòd calor quarto quolibet die inualescit, sine tamen frigore, horrore, aut rigore præcedente, vel sudore subsequēte. Quâ ratione ab intermittētibus differt. Aliâ enim signa omnia iis cōmunia sunt, cùm ab eadem ferè materia proueniant. Etenim si humor melancholicus multus in prima coctione ac venis mesaraicis, quibus à liene attrahi debet, vt purus sanguis in hepate ex reliquo generetur, colligatur, ibique putrescat ac corrumpatur, intermittens generatur; si verò ad hepar deferatur, vel etiam hepatis vitio pro bono & temperato crassus ac feculentus sanguis generetur, & cacochymia talis in venis cumuletur, tandémq; putredinem concipiat, Quartana continua oritur. Reliquis verò diebus remittit hæc febris, non tamen planè ad ἀπυρεξίαν peruenit. Pulsus initio est paruus, tardus & submersus, postea magnus, plenus, & celerior, quàm in intermittente, qui in statu magis intenditur.

Prognostica.

Prognostica.

Est autem hæc febris omnium rarissima, verùm satis periculosa & intermittente longè periculosior, cùm vires magis deiiciat. Quandoque quartanæ intermittentes intempestiuo medicamentorum vsu in eam mutātur, atque tunc ægri vix euadunt. Extenditur hæc febris sæpe ad diem quadragesimum, & vltra.

Curatio.

Curatio ferè tum intermittente conuenit. Et primò quidem, præmissis iis quæ primas vias euacuant, omnino mox in initio venæsectio instituenda est, cùm humor melancholicus in venis maioribus sanguini permixtus sit. Sanguine euacuato, materia præparanda & coquenda. In continuis autem parciùs calefacere & attenuare conuenit, plus verò humectare oportet, quàm in intermittente, & addenda, quæ feruorem humorum mitigant, qualis sunt Syrupus violarum, de cichoria, acetosa. Vt:

♃. *Rad. bugloss. polypod. q. graminis, fœniculi, asparagi*, an. Vnc. ß. *summit. lupuli, cuscuta, capill.* ♀. *fumaria*, an. M. j. *flor. borragin. bugloss. violar.* an. M. ß. *sem.* 4. *frig. maior.* an. Drach. j. *endiuia, fœnic. basilici*, an Scr. ii. Coq. *in aq. hordei*, ad remanentiam ℔. i. Colat. add. *Syr. de pomis, violar.* an. Vnc. ii. *cichorei, acetosi*, an. Vnc. j. *aq. cinnamom.* Vnc. ß. Misce. Dosis, Vnc. iv.

Vel ♃. *Aq. borrag. bugloss. asparag. endiuia*, an. Vnc. ii. *syr. byzant. s. endiuia, violar. acetosit. citri*, an. ℥. i M. pro trib. dosibus.

Vel ♃. *Conseru. flor. borrag. bugloss. meliss. violar. cichorei*, an. Vnc. j. *cort. e. citri condit. flor. citri condit.* an. Vnc. ß. *specier. diamarg. fr.* Scr. i. Cum *syr. de pomis*, F. Electuar.

Præparato humore instituatur purgatio.

♃. *Rad. polypod. q.* Vnc. ß. *fumaria, cuscuta, capill.* ♀. an. M. ß. *flor. bugloss. violar.* an. P. j. *epithymi*, Vnc. ß. *fol. sena ol.* Drach. v. *in decocti* Vnc. iij. ß. *dissolu. electuar. lenitiu.* Drach vi. *vel diacarthami* Vnc. ß. Iterum coletur. Adde *syr. de pomis, vel viol. so.* Vnc. ß. F. Haustus, qui sumatur postridie exacerbationis febrilis.

Et si natura nullam crisin molitur, ad fortiora post coctionem attendendum.

Licet & post coctionem vrinam cientia & sudorifera exhibere: verùm minùs calida sint in hac febre, quàm in intermittentibus. Et cùm vires in hac febre valde laborent, confortantia medicamenta, ex conserua borraginis, buglossi, violar. melissæ, cichorei, anthos, vel Syrupis eiusdem generis, acetos. citri, è corticibus citri, confectione alchermes, spec. elect. de gemmis, diamarg. frigidi, & similibus paranda sunt. Reliqua ex Curatione Quartanæ Intermittentis patebunt.

Diæta.

In continuis Quartanis cibus parciùs nutriat, magis refrigeret, quàm in Intermittentibus. Maior enim calor est, & status propior: ne tamen is sit nimis tenuis, præcipuè extra exacerbationis dies. Vini vsus sit parcior, quàm in intermittentibus, sitq; illud ὀλιγοφόρον. Imò interdum, si calor sit vehementior, planè à vino abstinendum.

CAPVT XVI.

De Febribus continuis Symptomaticis.

Febres symptomatica.

HActenus enumeratæ & explicatæ sunt omnes febrium primariarum continuarum differentiæ, quæ scilicet nullo alio præcedente morbo oriuntur. Restant adhuc aliæ febres continuæ, quæ Symptomaticæ & accidentes nominantur, quæque alterius cuiusdam morbi primarij occasione hominem inuadunt. Etsi enim omnis febris morbus sit, putà intemperies calida: tamen ideo quædam Symptomaticæ & accidentes appellantur, & à nonnullis, vt habet Auicenna, *lib.* 4. *can. fen.* 1. *tr.* 1. *c.* 1. febris in febrem morbum, & accidens diuiditur, quòd quædam febres cum symptomatibus cognationem habent. Nam vt Symptomata morbū sequitur, tolliturque ad morbi ablationem: ita & febres istæ non primariò excitantur, sed alios morbos sequuntur, & proinde non per se, sed sublatis morbis quos sequuntur, euanescunt. Idcóque vel ob curationem has febres ab aliis discernere vtile est. Nam primariæ febres habent principales indicationes, à febris essentia & causa petitas: Harum verò febrium tota curandi ratio fere pendet à morbo, à quo accenduntur, vnde etiam antiqui affectus illos non à febre, sed à morbo quem febris sequitur, denominabant, vt videre est apud Galenum, 4. *aph.* 73. Vbi in *comm.* hæc habet; *A febribus malè habere, & vexari Antiqui dicebant eos, qui sine certa inflammatione, aut abscessu, aut dolore, aut erysipelate, aut, vt generatim & vniuersim dicam, absque aliquo membro eximiè præ aliis affecto ægrotabant. Quòd si vel propter lateris, aut pulmonis, aut alterius cuiusdam partis inflammationem febricitabant: non tam febricitantes ipsos appellant, neque febribus vexari dicebant, sed pleuriticos, aut peripneumonicos, aut hepaticos, aut similibus aliis nominibus nuncupabant.*

Febriū symptomaticarū differentia.

Sunt autem febrium Symptomaticarum plura genera. Præcipuum & frequentissimum Symptomaticarum febrium genus vulgò istud censetur, quod ab humorum putredine extra venas oritur; cuius generis sunt febres omnes, quæ interiorum cordique vicinarum partium inflammationem, calidósque tumores sequuntur. Sic secundum vulgatam sententiam in phrenitide, angina, peripneumonia, pleuritide, hepatide, talis febris oritur, eóque vehementior, quò pars inflammata nobilior est, cordique vicinior.

Febriū symptomaticarū à primariis discrimen.

Atque has febres à primariis ita discernere docet Fern. *de febrib. cap.* 7. Quòd vtraque acuta sit & putredinis notas exhibeat, sed Symptomatica nullis statis periodis exacuatur, vrina nullum putredinis indicium habeat, nisi ex affecta sede putredo sensim obrepat in venas; si non statim initio, mox tamen inflammatæ sedis indicia sese proferant; tardò vel 7. vel 14. die, aliisve decretoriis iudicin soluatur; cùm in febre continuâ primariâ hisce contraria appareant omnia.

Febres continua comitata.

Verùm à vulgata ista doctrina dissentit Felix Platerus, Clarissimus & experientissimus ille Basiliensium Medicus. Cùm enim vulgò has febres omnes à partium interiorum, & aliarum inflammatione oriri statuant, & putridas esse affirment: ille contrà inflammationes & tumores illos calidos à febri potiùs oriri statuit, & potiùs comitatas, quàm symptomaticas appellanda censet, quòd scilicet hæ febres inflammationem alicuius partis tanquam comitem sibi adsciscant. Deinde cum vulgò istæ febres pro putridis habeantur: ille contrà simplices has & puras adhuc non putridas nominat.

Nam primò etsi concedat, sanguine, non è venis, causâ febris præcedentis excidente, sed aliam ob causam, veluti calorem doloréműe commoto, in partem influente, id quod sæpe in vulneratis partibus accidit, illicque vel intemperiem solam, vel inflammationes, aut erysipelata accendente, febres eiusmodi protrahi: tamen non omnes tales esse admittit, sed plerasq; febres, quas vulgò pro symptomaticis habent, & inflammationibus, ac calidis tumoribus superuenire statuunt, esse primarias, quibus ceu comites tales inflammationes postea adueniant, asserit, vnde illas Synochas primarias, sed comitatas appellat. Sæpissime enim fieri statuit, vt sanguis, quando ob copiam vel

Digitized by Google

feruorem & tenuitatem, vel etiam impuritatem aliquam naturæ grauem, in venis subsistere nequit, vel statim in prima febris inuasione, vel mox postea vi naturæ propulsus, è venis in partem aliquam effundatur, & tum in parte, ad quam fertur, nouum morbum excitet, inflammationem scilicet, ob quam febris appellanda comitata, non symptomatica, vt hactenus creditum, cùm morbum sequatur, sed illum præcedat, illiusque causa sit: quod vel ex eo patére potest, quòd hæ febres, antequam doloris aut inflammationis alicuius partis indicia sese exhibent, tum horrore & subsequente calore inuadant, & quandoque horis aliquot præueniant.

Talésque febres sæpissimè generari solent, cùm scilicet in viscera interiora aliqua, præsertim carnosa & sanguinea, venisq; copiosis referta, & cordi vicina, tales influxus fiunt. Id quod ob situm & constitutionem ad influxum humorum recipiendum aptum frequentissimè fit in pulmonibus, vnde peripneumonia & pleuritis. Idem etiam fieri potest in hepar & lienem sanguine effuso, quandoque etiam in cerebrum, ac tum phrenitis febri copulatur. Idem etiam accidere potest in ventriculo, intestinis, vtero, vesicâ: sicut & in colli musculis ac glandulis, vnde angina. Verû & arthriticos tumores & dolores eiusmodi febres præcedere statuit, Naturâ sanguinem & humores in articulorum sedes propellente. Quin etiã in febribus hisce Synochis materiam in corporis superficiem interdum effundi existimat, vnde rubores, ardores, pustulæ, tumores, & ex his frequenter Carbunculi ac bubones excitantur. Frequentissimè autem sanguine in crurum inferiores partes descendente, erysipelas oritur. Atq; his omnibus erumpentibus, febrẽ remittere plerumque solere, non verò tunc primùm incipere, atque illorum affectuum sobolem esse docet.

Deinde febres istas non putridas, sed simplices & puras esse, contra vulgatam opinionem statuit.

Atq; isti Medici huius experientissimi sententiæ in eo quidem non sine causa adstipulamur, quòd statuit, febres plerasque, quæ vulgò pro symptomaticis habentur, & à partium certarum inflammatione excitari creduntur, primarias esse, & non ab inflammationibus prouenire, sed contra inflãmationes producere, ob causas supra allatas, ipsiúsq; experientiæ testimoniũ. Qui enim ea, quæ in febribus eueniunt, diligenter perpenderit, animaduertet, Naturam vitiosorum humorum onere grauatã, illos, quantum potest, è vasis maioribus, quasi regiâ & publicâ sede, ad minores venas & determinatas corporis partes depellere. Imò sæpe materiam ex vna parte depulsam in aliam transire; vnde morborum computationes fiunt. Et tales febres comitatæ præcipuè quidem sunt eæ, quæ inflammationem alicuius partis habent comitem: possunt tamen & eæ ita appellari, quibus alia mala perpetuò coniunguntur, vt sunt dysenteria, variolæ, morbilli, petechiæ, dolores vagi, arthritis, catarrhi ferè epidemij. Hæc enim mala omnia oriuntur, vbi natura onere vitiosorum humorum grauata, partem aliquam vitiosi humoris è vasis maioribus protrudit, siue eam a corpore planè expellat, siue in partem aliquam deponat.

Huius generis etiam febris est, quam erysipelas, Germanis *Rosa*, comitatur. Non enim ex φλεγμονῇ & incendio partis externæ febris natus, sed febrim malum hoc comitatur: de quo postea dicetur. Ideóque licèt in hoc tractatu communem loquendi consuetudinem secuti fuerimus, & febres, quæ pleuritidem, anginam & similes affectus sequuntur, symptomaticas appellauerimus: tamen omnino censemus, plerosque tales morbos potiùs febrem sequi, quam vt febres ipsas accedant.

Febres Comitatæ an sint absque putredine.

Verùm in eo Platero non assentimur, quòd febres has omnes simplices & puras continuas absque putredine esse statuit. Vt enim iam alia indicia, quæ putredinem arguunt, taceamus, vrinæ in pleuritide, angina, reliquísque viscerum inflammationibus eiusmodi satis monstrant, adesse putredinem. Crudæ enim principio apparent; hinc per coctionem indies in salubribus meliores euadunt, id quod putridorum humorum proprium est. Et certè rationi cõsentaneum non videtur, febres, à quibus erysipelata, carbunculi, ecthymata excitantur, ab humore puro & non putri excitari. Tanta enim in materia, quæ in superficiem corporis expellitur, corruptio apparet, vt illa aliunde facilè, quã ex putredine prouenire non possit. Deinde cùm, vt ipse Platerus docet, febres ephemeræ & synochæ simplices puræ, non putridæ, subitâ excretione, quam crisin vocant, non terminentur, sed sensim per occultam transpirationem, vel madorem sudorémque desinant: in febribus his contrarium accidit. Nam natura non solùm quantitate, (neque enim materia, quæ è venis in corporis superficiem expellitur, semper benigna est, vt solùm copiâ molesta esse possit,) sed & qualitate materiæ, quæ cacochymiæ propria est, stimulata: illud quod molestum est, nunc symptomaticè, nunc initio, nunc etiam criticè, vt in bubonibus & erysipelatibus non rarò videre est, excernit: id quod natura non nisi in putridis humoribus tentare solet, vnde & horrores ac rigores, tales febres & excretiones præcedere solent.

Imò sum in ea sententia, febres illas à bubonibus ortas, quas Gal. saltem per alterationem & caloris communicationem, sine putredinis in venis accensione, oriri statuit, quásque suprà etiã, *lib.* 1. *c.* 5. ex eius mente inter febres Ephemeras retulimus, potiùs putridas esse: id quod tùm vrinæ, tùm alia satis docent. Et per vasa, per quæ materia ad bubones affluit, per eadem etiam vapores putridi remeare, & ad ea penetrare possunt.

Est autem febrium harum, siue eæ propriè dictæ symptomaticæ sint, siue quæ partium aliquarum inflãmationem tanquã comitem sibi adsciscunt, quædam differentia. Si enim inflammatio vera & pura sit, & ex sãguine, copiâ maximam partẽ peccãte excitetur, φλεγμονώδεις πυρετοὶ, eæ febres appellantur. Si verò viscus aliquod erysipelate aut inflammatione ἐρυσιπελατώδει laboret, & in primis, si hepar tale quid patiatur, τυφώδης πυρετὸς nominatur.

Febriũ symptomaticarũ differentia.

Febris typhodes.

Λειπυρίας πυρετὸς etiã huc pertinet, quæ est febris valde ardens & vehemẽs, in qua interiora omnia quasi vrũtur, exteriora verò frigẽt, & quidem toto morbi decursu: atq; ortũ habet à magna & vehementi visceris alicuius, in corporis parte profunda, inflammatione, vt & erysipelate præcipuè vẽtriculi: Nã calor ille vehemens in interioribus sanguinem & spiritũ ad locũ inflãmatum tanquam cucurbitula trahit; vnde incendium in interioribus incenditur, extrema verò calore & sanguine destituta frigent.

Lipyrias febris.

Alterum febrium symptomaticarum genus est; quod lentam appellant. Eius vnam differentiam vulgò esse statuunt, quæ oritur, vt habet Fern. *de febr. c.* 8. non ex visceris partísque cuiuspiam inflammatione, sed è latente obstructione putredine, quæ visceri contumaciter adhærescit, impactáque est adeò, vt substantia visceris plerumque labefactetur. Putredinis portio cũ nonnunquam in venas effundatur, & sanguini permisceatur, febrem excitat, sed omnium mitissimam, quæ nullo graui symptomate ægro molesta est, adeò vt æger vix se ægrotare putet. Putredinis tamen aliquæ notæ in vrina & pulsu apparent. Vires ægri collabuntur, vt æger vix præ imbecillitate progredi possit, nihilque ex alimento reficiuntur, sed corpus sensim contabescit & absumitur. Diuturnior est, & non prius desinit, quam impacta visceri materia putredine absumitur, quod sæpe non fit ante diem quadragesimum. Huius itaq; febris cùm suspicio aliqua est, omnes corporis partes diligenter peruestigare iubet Fernelius, atque in primis hypochondria & hypogastrium, vtrùm in his tumoris aliquis sensus deprehendatur.

Febris lenta.

Atque huius febris quandã differentiam constituit Eustachius Rudius. Nunc enim eam oriri docet, cùm humor in vasis impuri & imperfecti sanguinis, quæ venæ chyli ab Arabibus appellantur, putrescit, ita tamen, vt in vna quapiam parte fixus & immobilis, principium, progressum, atque finem putredinis assequatur. Nunc verò excitari ab humore, in vasis non quidẽ communibus, sed viscerum & organicarum partium propriis, putrescente.

Verum enimuerò circa hanc, quæ vulgò à plerisq; traditur de primo febrium lentarum genere doctrinam, illud explicandum videtur, quid per latentes & contumaces obstructiones intelligendum sit. Nam si, vt Rudius & plerique explicare videntur, vel de mesaraicarum venarum, vel de vasorum alicui visceri propriorum obstructione explicetur, dubitatione non caret hæc doctrina. Nam si in mesaraicis putrescat materia, non impossibile videtur, vt natura illud, quod putrescit, expellat, vnde intermittentes potiùs febres, etsi diuturnæ, quàm continuæ symptomaticæ oriuntur. Si verò in vasis cordi continuatis materia putrescat, citra vllam partis aut visceris inflãmationem, aliúmue affectum, non video, cur non putrida continua primaria excitari debeat. Itaque per latentem & contumacem, ac visceri alicui impactam obstructionem & putredinem, ea quæ in spatiis saltem partium, aut certè in capillaribus venis per substantiam visceris alicuius dispersis consistit, intelligenda est. Et proinde cum Platero potiùs has febres generari statuo, cùm extra vasa hoc est, venas & arterias materia putrescit, vnde tantâ copiâ, sicut cùm in vasis patentioribus continetur, eóq; ordine, ad cor transmitti nequit, sed portio saltem aliqua per vasa ad cor transmittitur, vnde febris lenta excitatur: quæ febres propterea plerumque inæquales sunt, cùm materia extra vasa consistens, vt dictum, tanta copia, sicut cùm in vasis hæret, atque eo ordine ad cor transmitti nequeat.

Fernelius ad hoc genus febrium refert eam etiam, quæ eos qui cachexiâ afficiuntur, & virgines leucophlegmaticas molestat, eámque ex serosæ pituitæ in corpus effusæ leui putredine prouenire statuit.

Tertium symptomaticæ febris genus est adhuc longè peius, quod ex visceris alicuius putredine & corruptione oritur, è quo per venas visceri insertas putridi & calidi vapores ad cor exspirant, eiúsque calorem igneum reddunt, febrémque continuam lentam excitant, quâ ægri vires valde deficiuntur, corpúsque sensim extenuatur & contabescit.

Sæpissimè febris talis excitatur ex pulmonũ vlcere in phthisicis, quam vulgò plerique hecticã vocãt. Verũ monet Fernelius, potiùs putridã esse, quã hecticã, vtpote quæ ortũ habeat ex putrescente pulmonum substãtiâ, è qua continuò vapores putridi ob vicinitatẽ cordi cõmunicãtur, qui illud calefaciunt. Eadẽ febris generatur, si hepatis lienisq; substãtia putredinẽ cõcipiat, quã ἀτροφία & καχεξία sequitur. Ita & circa mesẽteriũ, omẽtum & vterum, sæpe putredo incidit, quæ quia lenta est, talem etiã lentã febrem producit. Accidit, quoq; vt interdũ fœtus vnã cũ secũdina, sæpe etiã sola secũdina in vtero putrescat. Vnde febres, pro ratione putredinis diuersâ, vario modo excitantur, nũc acutæ, nũc lentæ. Eodẽ modo è fistulis ad interiora penetrantibus, febre lenta excitata, nonnullos contabuisse obseruatum est.

Phthisicorũ febris quali[s].

Quartum febrium symptomaticarũ genus est, cùm vel ex lacte

corrupto,

corrupto, quod sæpe in infantibus accidit; vel ex sanguine alicubi extra vasa putrescente; vel ex vermibus putridi vapores cordi communicantur, illúdque calefaciũt, & febrẽ excitant. Huc referri potest & febris illa ex cruditate, quæ infantibus ex ἀδδηφαγίᾳ familiaris est, cum hypochondriorum tumore & inflatione, quam Germani *das Hertzgespan* nominare solent, ex colluuie crudorum humorum in ventriculo & vicinis locis collectorum, qui putrescere incipiunt, & in flatus mutantur.

An dentur symptomatica intermittentes.

Sed quæritur iam, an præter hasce continuas symptomaticæ aliæ dentur intermittẽtes. Symptomaticas febres omnes continuas esse: equidem cõmunis Medicorum sententia est. Ab ea tamen recedit Adrian. Spigel. *de febre semitert. l. 1. c. 18.* Qui quidem concedit, eas febres symptomaticas quæ in phrenitide, angina, pleuritide, peripneumonia, magnis iecoris lienísque inflãmationibus proueniũt, esse cõtinuas, si verò eæ etiam febres pro symptomaticis habẽtur, quę ab obstructionibus partiũ, & a quauis partis alicuius inflammatione fiunt, negas eas esse continuas.

Verùm enimuerò de obstructionibus res manifesta est, cùm ab iis intermittentes fieri possint: etsi quandoque etiam continuæ symptomaticæ ab iis proueniunt, quæ lentæ dicuntur. Sed de iis, quę ab inflammationibus partium proueniunt, quæstio est. Vbi vulgatæ Medicorum sententiæ subscribimus, statuimúsque omnes eas febres continuas esse. Si enim inflammatio sit tanta, vt febrem accendere possit, durat ea febris tamdiu, quamdiu durat inflammatio. Neque quæ probationis loco adducit, contrarium demonstrant. Nam quod ex Donati Marcelli *histor. mirab. lib. 5. c. 4.* affert, de quodam in musculo temporali vulnerato, qui septima die superuenientibus rigoribus vsque ad quadragesimum quintum diem riguit, & quotidie fere semper sudauit, alternatim rigoribus succedẽtibus sudoribus, hoc non probat. Neque enim ea febris intermittens fuit, sed continua, quod ex eo apparet, quòd septimo demùm die rigor superuenit. Ideóque huic casui non competit, quem allegat, *aphor. 63. sect. 4.* sed potiùs alter è *Coacis, Febres in suppuratione intermittentes, multa exsudãtes* (ἱδρώεντες) *sunt.* Vbi, vt rectè Iacotius, *in Commentario* monet, per febres διαλείποντες, intermittẽtes haudquaquam intelligendum est, quasi eæ ad ἀπυρεξίαν perueniant, sed dicuntur intermittentes, quòd aliquam caloris intensionem & remissionem habeant. Fiunt illi rigores, quoties inflammatio vel nouam partem occupat, vel in pus mutatur, vel dum abscessus rumpitur. Neque etiam sudor criticus est, qui in hac febre accidit, sed ἱδρῶτες, ab euaporatione vel halitu puris, cum cordis compressione, tùm ex infirmitate partium solidarum, quæ alimentum in poris contentum effluere sinunt. Neque febris illa intermittens tertiana, si modò fuerit verè intermittens in ischiade, ex ischiade ortum habet, sed ischiadicus morbus febrem istam comitatus est.

Signa diagnostica.

Signa quibus symptomatica & comitata febres discernãtur.

Cùm autem non parua in curandis hisce febribus occurrat diuersitas, omnino vt signis suis discernantur, laborandum. Cognoscuntur autem febres symptomaticæ propriè dictæ ex eo quòd partium priuatarum affectus sequuntur. Et primum quidem genus harum febrium ex eo patesit, quòd sequitur priuatarum partium inflammationes; atque inflammatio priùs apparet: contrarium verò accidit in febribus Comitatis, quæ ante inflammationem plerumque cum horrore vel rigore inuadunt, & inflammationem sæpe satis longo spatio præcedunt. Accedit his & hoc, quòd in hisce Comitatis febribus criticus quasi naturæ motus est (etsi imperfectus, cùm natura vitiosum humorem non è corpore expellat, sed in alium locum deponat) vnde cùm naturæ ille motus cum aliqua corporis perturbatione fiat, symptomata etiam in hisce febribus longè apparent grauiora, quàm in symptomaticis febribus.

Lentæ autem illæ febres cognoscuntur ex calore lento, cùm quo notæ putredinis in vrina & pulsu apparent. Vires sunt imbecillæ, vt æger vix progredi possit, corpúsque sensim contabescit, febrísque diu & vltra 40. diem plerumque protrahitur. Exasperatur purgantium vsu. Vbi autem causa harum febrium lateat, sæpe difficulter cognoscitur, ideóque hypochondria & aliæ partes internæ diligenter perlustrandæ, & an aliquis tumor vel dolor appareat, inquirendum. Quæ verò ex partis alicuius putredine oriuntur, faciliùs cognoscuntur. Neque enim partis corruptio facilè latere potest, nisi sit planè ignobilis.

Ita quæ ex lacte vel sanguine corrupto oritur Febris symptomatica, etiam suis signis facilè cognoscitur. Vt & illa quæ ex cruditate oritur, ex hypochondriorum inflatione & intumescentia, & nausea patesit.

Prognostica.

Febres hæ etiamsi ferè sui ratione non sint periculosæ, quia sunt mites: tamen causarum ratione, à quibus pendent, an sint periculosæ, néc ne, æstimandum. Vt & an sint longæ vel breues. Quæ enim partis affectæ alicuius inflammationem sequuntur, breues sunt; cùm & inflammatio ipsa longa esse non possit. Periculum autem earum ex inflammatione pendet.

Curatio.

Curatio febrium symptomaticarũ.

Curatio non tam ad febrem, quàm ad causam, à qua ea pendet, dirigẽda est. Si ergo febris symptomatica ab inflammatione alicuius partis dependet, curatio præcipuè ad ipsam inflammationem dirigenda. Curatâ enim inflammatione, febris & ipsa cessat. Et pleraque remedia, quæ inflammationis causâ adhibentur, vt venæsectio, alui lenitio, etiam febri occurrere possunt. Febris tamen non planè negligatur. Ideóque Alterantia, & quæ putredinem inhibeant, hîc etiam ipsius febris gratiâ exhibenda sunt. Ita tamen illa moderanda sunt, ne parti affectæ & morbo primario noceant.

Lentæ febres, cùm ex pertinaci obstructione viscerum ortum habeant, aperientibus: attenuantibus & detergentibus opus est. Et eligenda medicamenta, quæ cuilibet parti appropriata sint, viscerúmque tonum, qui plerumque labefactatur, roborent. Per interualla tamen lenis purgatio interiicienda. Nec negligenda suo tempore diuretica. Extra quoque, si locus affectus id ferat, Topica emollientia & discutientia applicanda.

Si ex partis alicuius corruptione & putredine febris symptomatica proueniat, curatio ea instituenda, quæ partium internarum vlceribus & fistulis conuenit.

Si ex lacte vel sanguine corrupto, vermibus, vel cibis crudis & corruptis ortum habeat, danda opera, vt eæ causæ conuenienti modo, vel vomitu, vel abluentibus & euacuantibus medicamẽtis tollantur, simúlque putredini & calori febrili resistatur.

Febrium Comitatarũ curatio.

Febrium verò, quæ inflammationes & alios morbos producunt, curandi ratio alio modo sese habet. In hisce enim febribus, quas Platerus Comitatas appellat, non minùs ad ipsam curatio dirigenda, quàm ad morbum, qui febri succedit. Et in primis cùm motus hic naturæ sit, non impediendus. Etsi enim melius fuisset, si natura humorem illum planè è corpore expulisset, & quandoque ob partem priuatim affectam grauia inducantur symptomata: tamen si humor in venis & interioribus corporis partibus retentus fuisset longè maius periculum induxisset, quod etiam interdum accidit, si materia in corpus retrocedat, vt in erysipelate, & arthritide criticâ videre est. At si incipientem inflammationem prohibere, ob grauitatem symptomatum, quæ interdum accidunt, necesse sit: talia fiant auxilia, quæ humorem mali causam, simul è corpore tollant. Hoc enim nisi fiat, metus est ne natura eundem ad alium locum non minore cum periculo pellat. Ergò in primis danda opera, vt materia quæ naturam grauat, & ad expellendum stimulat, euacuetur, putredo inhibeatur, partique affectæ prospiciatur. Euacuatio commodissimè fit plerumque venæsectione, cùm materia, quæ ad partem aliquam ruit, in venis contineatur, & venæsectione non solùm reuelli, sed & euacuari possit.

Euacuandæ sunt & primæ viæ, cùm non rarò materia talis in iis colligatur. Et cùm materia plerumque tenuis sit, sæpissimè ad ambitum corporis tendit, & non rarò malignitatis particeps commodissimè per sudores expellitur. Illud enim malignum, quod naturam stimulat, tùm in venis ad expulsionem, tùm in parte, in quam propellitur, acrimoniâ & malignitate dolorem ciet, inflammationem parit & auget. Ita pleuritides tales non infeliciter venâ sectâ, & sudoriferis ex carduo mariæ, carduo benedicto, papauere rhœade, scabiosâ, & similibus curantur; non tamen neglectâ parte affectâ, aliísque, si opus sit, euacuationibus, & alterationibus.

Verùm cùm, vt dictum, materia tales febres generans rarò malignitatis expers sit, sed ab eâ stimulata natura tales motûs instituat: curandi tales febres ratio ex curatione febrium malignarum clarior fiet. Exempli gratiâ vnam tantùm febrem talem, cui erysipelas seu rosa vulgò dicta coniungitur, proponere libet.

De Erysipelate, seu Rosa.

Erysipelas seu Rosa.

Quod malũ nostris Rosa, a roseo colore & rubore, quo cutis perfunditur, item *das Rothlauff*, ex rubore citò incidente, aut etiã ex vna parte in aliã migrãte, nominatur: Græcis ἐρυσίπελας dicitur, quod vocabulũ alij deriuant παρὰ τὸ ἐρύειν ἐπὶ τὰ πέλας, quòd serpat ad vicina, vnde etiam à nonnullis appellatur *das Flogfeuwer*: alij ab ἐρυθρὸς deriuant: à colore rubro: antiqui enim pro ἐρυθρὸν, ἐρυσὸν dicebant: Est enim morbus hic febris continua, à sanguinis parte tenuiore corrupta & inflammata originem habens, quâ vt Natura se liberet, eam in corporis aliquam partem externam expellit, in qua tumor, aut potiùs (cùm tumor adeò notabilis sæpe non appareat) macula rubra, lata, dispersa, quam Erysipelas, vulgò Rosam appellant, oritur.

Erysipelatis causa.

Quæ autem huius mali causa sit, non omnes idem sentiunt. Ex pituita, melancholia, aut sero salso hunc tumorem excitari, nemo, vt opinor, est, qui crediderit, aut credat, præcipua de sanguine & bile lis est. Volgò quidem creditur, Erysipelas à bile flaua ortum habere: verùm sunt ex recentioribus, qui huic sententiæ contradicunt: atque Erysipelas non ex flaua bile, sed potiùs ex sanguine tenui oriri afferunt, has ob causas. Primò enim ipse color, sanguinis potiùs quàm bilis indicium est, qui ruber est; vnde etiam nomina huic malo à Germanis indita sunt: cùm si à flaua bile esset, vt aliquibus creditur, pallido aut flauo colore potiùs, vt in Ictero fieri consueuit, pars affecta tingi deberet. Quanquam verò interdum ex rubro nonnihil ad albedinem vergit color: tamen is color non omni Rosæ, sed saltem alicui eius differentiæ competit. Insuper quanquã calor satis vehemens sit: tamẽ non est tã acer, vt in affectibus à bile flaua. Vnde non tam frequenter exulceratur hic tumor, vt Herpes, & alij tumores ex bile nati. Et cùm exulceratur Erysipelas, id non tã ex ipsius natura est, quàm ex transmutatione. Idem etiã hoc testatur, quòd ij qui calido & sicco temperamento sunt, vt macri, fusci, nigri, quod flauæ bili generandæ accommodatissimum est, rariùs quàm sanguinei: & alij, vt obesi, carnosi, ruffi, hoc malo infestantur:

& quòd carnoſæ corporis partes, vt femora, crura, facies, collũ, mammæ, & ſimiles, crebriùs quàm aliæ occupantur. Atque inuadit hic morbus plerumque ab anno 30. ad 40. quanquam & aliquoſ ante vel poſt hos annos infeſtet: circa annum verò 35. plurimum ſanguinis in corpore eſſe, ſcribit Gal. 1. progn. c. 33.

Etſi autem verum ſit, potiùs à ſanguinis tenuiore parte oriri hunc morbum, quàm à bile flaua: tamen à vera inflammatione etiam differt, quòd minùs tumeat, minùs pulſet, minùs tenſitatur & tendatur; non tamen minùs, ſed etiam magis rubeat & caleat. In vera enim inflammatione ſanguis craſſior eſt, & in muſculorum cauitatem & ſpatia effunditur, hincque faciliùs ſuppuratur, quàm diſcutitur; contrà verò in Eryſipelate ſeu Roſâ, ſanguis eſt tenuior, calidior, & ex capillaribus venis per poros in cutem diſperſus: vnde & faciliùs diſcutitur, quam ſuppuratur.

Rectiſſimè tamen ij ſentire videntur, qui non in plethoram ſimpliciter, & copiam ſanguinis, ſed potiùs deprauatam & peculiarem qualitatem, quæ ſanguinis tenuioris putrefactione & corruptione prouenit, cauſam huius mali referunt. Malignâ enim illâ qualitate Natura ſtimulata, humorem vitioſum ad ambitum corporis expellit.

Eryſipelatis cauſæ.

Eſt autem hoc malum noſtris regionibus ſatis familiari, quod nonnullos poſt menſtrua, alios poſt trimeſtria, aut ſemeſtria, aut longiora etiam interualla inuadit: vbi nimirum ſanguis, in primis qualitate peccat, atq; calidior & bilioſior & peculiari modo naturæ infeſtus collectus eſt. Hic enim, ſi qualecunque initium motûs, ſeu in corpore, ſeu extra corpus nactus fuerit, vt pote ambientis aëris caliditatem, laborem, vigilias, vini potẽtis liberaliorem potum, inediam, ciborum acrium, calidorum vſum, in primis iram, terrorem, (quæ ipſa tamen non ſolùm humores mouere, ſed & corrumpere poſſunt) in venis agitatur, atque ex iis à natura eiectus ad ſuperficiem corporis erumpit. Sanguinis hoc vitium proficiſcitur ab intemperie hepatis, ſine controuerſia calidiore, atque aliquo modo humidâ; non autem ſimpliciter humidâ, ſed humiditate, quæ à ſiccitate quodammodo ſit temperata & caſtigata, vt ſanguinem calidiorem, pinguiorem & mobiliorem producere poſſit. Si enim ſiccum ſit hepar, vix talem humorem, qui Roſam excitat, ſed ſanguinem potiùs craſſiorem generabit, cúmque parciorem, & habitum corporis ſicciorem efficit, quem huic malo minùs eſſe obnoxium experientia docet. Atque hæc temperatura hepatis cùm hæreditario quaſi iure à parentibus in liberos tranſeat, non rarò etiam hoc malum à parentibus in liberos propagari ſolet. Decumbit autem hic tamen in carnoſarum partium ſuperficiem, vt crura, vbera, faciem, brachia, & ſimiles partes, modò in hanc, modò in illam, prout hæc vel illa imbecillior eſt, ex vulnere, fractura, contuſione, luxatione, vlcere, aliíſque de cauſis, vt calefactione fatigatione, dolore. Quò facit etiam ſitus, vnde plerumq; crura occupantur, vt & raritas & mollities membri; vnde nonnullis in facie vel mammis Eryſipelas oboritur.

Inter Eryſipelata meritò etiam refertur affectus, qui Plinio l. 26. c. 11 ζώνη ſeu Zona appellatur, qui à cruribus vſq; ad lumbos ſeu locum cincturæ ſerpit, & rubedine, veluti faſcia iniectâ, eas partes cingit, ſicque, vbi medium hominem ambiit, enecat.

Eryſipelatis.

Malum hoc cùm his regionibus ſatis familiare ſit, à vulgo etiam vno ſolum præſens, ſed & imminens agnoſcitur. Dum enim materia glandulas & emunctoria ſub axillis & inguinibus inuadit, aliquid agitati humoris ibi hærere ſolet, vnde vel in inguinibus, ſi ad crura materia tendit, vel ſub alis aliquis dolor aut tumor percipitur, vt etiam in peſte fieri conſueuit, & à loco dolente vel tumente macula quædam rubra ſecundùm rectum ductum ad crura conſpicitur. Et fere inuadit hoc malum, vt peſtilentia, cum horrore & inſequente calore febrili, ita vt qui malum hoc antea non ſunt paſſi, eiúſque crebrioribus paroxyſmis non ſunt aſſueti, exiſtiment, ſe peſtiferâ ſe corripi, donec tandem in crure aut alio loco ſeſe affectus prodat. Vbi enim præſens eſt, facilè agnoſcitur calore inſigni, dolore, colore igneo. Quia tamen, vt antea etiam dictum, valde cognatum malum eſt ipſi inflammationi, diſtinguẽda ſunt hæc duo tumorũ genera. 1. Digito applicato ſupra Eryſipelas, pars exalbeſcit, refugiẽte ſanguine, qui tamen mox redit, quod non fit in phlegmone, niſi pars prematur, vtpote in qua maior eſt materiæ copia, eiuſdem craſſities, atq; inde maior ἀντιτυπία. Quâ de cauſâ etiam Eryſipelas magis in cute hæret, phlegmone verò ipſam carnem quoque occupat. Quòd ſi in Eryſipelate maior ſit tumor, id Eryſipelas potiùs nothum eſt, quàm exquiſitũ & purum. 2. In Eryſipelate maior calor eſt, quam in phlegmone, vnde non rarò cutis ita aduritur, vt veſiculæ excitentur & pars exulceretur, quod in phlegmone nunquam accidit, & febres in Eryſipelate ſunt maiores, quàm in phlemone. 3. Eryſipelas habet colorem rubicundiorem & igneam rubedinem cum aliqua interdum citrinitate, in phlegmone verò eſt color rubeus, ſed ad nigrum aut fuſcum vergens, propter ſanguinem craſſiorem. 4. Dolor eſt maior inflammatione, vtpote in qua non ſolùm eſt intemperies, ſed etiam tenſio; minor in Eryſipelate. Denique Eryſipelas ſerpendo ad vicina progreditur & creſcit; inflammatio verò in vno loco fixa manet, & nunquam ab eo dimouetur.

Prognoſtica.

Eryſipelas ſeu Roſa etſi plurimos ſæpius ſine vllo periculo inuadere ſoleat: tamen danda eſt opera, vt diligens curatio adhibeatur, ne aliud malum inde procreetur. Nam vt eſt, 6. aphor. 25. *Eryſipelas ab exterioribus ad interiora conuerti, malum eſt; ſicut contrà ab interioribus ad exteriora, bonum.* Ea materiæ enim illius ad interiora recurſu, ſiue à praua curatione, vt medicamentis repellentibus, ſiue ab aëris frigore id accidat, ægri etiam in maximum periculum ſæpe coniici ſolent. *Malum* etiam eſt, vt docet Hipp. 7. aphor. 20. *ab Eryſipelate putredo & ſuppuratio.* Quapropter, vt dictum, in curatione diligentia adhibenda; quæ tutiùs è Germanorum noſtrorum experientia & obſeruatione, quàm cæterorum libris peti poteſt.

Curatio.

Quantum itaque curationem attinet, vſitatum eſt vulgò, vbi paroxyſmus inuadit, & Roſa emicat, medicamenta aſſumere, quibus naturæ motum adiuuant, & materiam ab interioribus ad exteriora excutiunt, ac, vt loquuntur, *die Roſs von hertzen treiben*: in quem finem ſolent theriacam, aut mithridatium, vel aquã Sambuci, aut Rob Sambuci exhibere. Aliqui nucem moſchatam obuolutam lino aut cannabe ſub cineribus calidis aſſant, atque cum ſemine Aquilegiæ itidem toſto, in vino albo tenui, aut aquâ ſcabioſæ exhibent, & huic medicamento hanc laudem tribuunt, vt eum qui ſemel, morbo incipiente, eo vſus fuerit, ab hoc morbo in poſterum tutum reddere poſſit. Hæc medicamenta, quæ per ſudorem & tranſpirationem inſenſibilem, materiam euacuant, etſi meritò laudentur, & hac in parte antiquorum cura manca ſit, atque etiam ſæpe mox ab initio, vbi humorum copia venæſectione aut purgatione tollenda, non vrget, poſſint adhiberi: Medicus tamen non ſemper mox à talibus inchoare debet. Quanquam enim methodus iubeat, primò cauſam antecedentẽ tollere, poſtea ipſum affectum curare, & ad cauſæ diſcuſſionem etiam illa ſudorifera faciant: tamen ſi animaduertatur copiam humoris adeſſe, ne eius nimia copia ad locum affectum confluat, primò eius pars aliqua aliis rationibus euacuanda eſt.

Venæſectio. Purgatio.

In principio itaque ſi ſanguis ſimul abundet, & Eryſipelas ſit φλεγμονῶδες, vt fieri plerumque in corporibus plethoricis & craſſioribus ſolet, venam hepaticam aut medianam aperire vtile eſt. Si autem ſanguis non abundet, purgatione vtendum, ſed tali, quæ humores non inflammet, & membra non ſiccet, ſed ſeroſos, acres ac tenues humores educat, ac poſt refrigerationem quamdam relinquat, & tonum membrorum conſeruet. In hunc vſum adhibetur Rhabarbarũ, Syrupus roſar. & violar. ſolutiuus pulpa tamarindorũ, & cortices interiores radicis frangulæ: v. g.

℞. *Tamarind.* ℥. vi. *flor. cordial.* an. P. i. Coqu. in ſ. q. *aq. endiuiæ*, In colatura infund. per noctem *rhabarbari el.* ʒ. ii. *ſpica* Scrup. ß. Colaturæ, ℞. ℥. iii. ß. In quibus diſſolu. *ſyr. roſar. ſol. de cichor. c. rhab.* an. ʒ. vi. Miſce.

Sudorifera.

Purgato iam, ſi opus eſt, corpore, vt reliquum materiæ peccantis, & vapores alii in corpore fluctuantes expellantur, ac naturæ expellenti ſubueniatur, danda opera. Verè enim aliquid malignitatis videtur hæc materia habere. In hunc finem ea poſſunt vſurpari, quæ iam ſuprà recenſuimus Solenandri hoc Electuar. quo etiam in peſte vtitur, commendat.

℞. *Theriac. opt.* ℥. i. *terræ ſigillat. vel boli armeni* ʒ. i. ß. *granorum iuniperi recent. radic. tormentillæ, ſem. cardui bened.* an. ʒ. ß. *ſpec. electuar. de gemmis, diamargar. frigid.* an. Scr. i. *oſſ. de corde ceruì, ſem. acetoſæ, corallorum rubr. præpar.* an. ʒ. ß. Cum Syrupi *de acetoſitat. citri* ſ. quantitat. F. Electuarium liquidius, cuius ʒ. i. vel ʒ. ii. cum ℥. iv. aut v. *aquæ cichorij, ſcabioſæ. fl. ſambuci, aut cardui benedicti* propinentur. VVierus vtitur hac potione.

℞. *Aq. flor. ſambuci* ℥. iii. *ſem. apij* ʒ. ß. *terræ ſigillatæ* ℈. ß. M.

Interim etiam illa ipſa intemperies calida humorum non negligenda, ſed per conuenientia medicamenta alteranda, parata è cichorio, taraxaco, endiuiâ, violis, roſis, ſambucco, ſcabioſâ, citro, ribes, & ſimilibus.

Vbi hoc modo cauſa amota, & febri proſpectum eſt, iam ad ipſam partem extra affectam accedendum: quâ in re cautione non leui opus eſt. Antiqui & plurimi Chirurgiæ ſcriptores adhibent valde refrigerantia, ipſam quoque aquam frigidiſſimam, imò etiam adſtringentia & ſtupefacientia admiſcent, vt hyoſcyamum, mandragoram opium, cicutam.

Verùm antiquis & Chirurgorum libris vulgatam ac familiarem hanc curam non ſine ratione & experientiæ ſuffragio reprehendunt Recentiores. Cùm enim materia Roſam excitans acris ſit, & plerumque non ſine omni malignitate, quod inuaſio & alia ſymptomata docent: ſi illis valdè refrigerantibus, adſtringentibus, & repellentibus eius exitus prohibeatur, ad interiora, (quod, vt ex Hippocrate dictum, malum eſt) regreditur, & membra interiora & nobilia occupat, atque ægrum etiam in vitæ periculum præcipitare poteſt. Vnde ſi Eryſipelas ſit in capite, & per refrigerantia repercutientia ad interiora repellatur, Eryſipelas in cerebro, & phrenitis, vel angina; ſi ad cor pellatur, febris ardens, ad hepar, eius inflammatio vel Eryſipelas excitari poteſt. Deinde in ipſa parte affectâ, materia per eadem medicamenta concluditur; vnde putredo & ſuppuratio, quæ & ipſa, ſecundùm Hippocratem, mala; non rarò gangræna & membri ſphacelus oritur, vt ipſa experientia teſtatur. Quod cùm ea Græcorum & Arabum curatione non rarò acciderit, monent illi, vt pars non diu nimis refrigeretur, ſed ſolùm vſque ad caloris remiſſionem, quam ex ægri relatione, qui fatetur, ſe non ampliùs tam inſignem calorem ſentire, ex tactu & colore rubicundo remiſſo, ac qui in liuidum mutari incipiat, agnoſcere iubent. Sed facilè fieri poteſt vt antequam ſatis cautionis iſte adhibeatur, enumerata pericula & incommoda iam præſtò ſint.

Qua

Digitized by Google

Quapropter hîc res non multum aliter se habere videtur, quàm in ambustis. Si enim membrum aliquod ambustum aquæ frigidæ immergatur, aut aliàs valde refrigeretur, nihil aliud agitur, nisi vt calor, qui in parte ambusta est excitatus, concludatur, atque ita dolor augeatur, & alia pericula accersantur: sed cùm commodiùs calida adhibentur, quæ cutem laxent, poros reserent, serosos humores, qui pustulis causam præbēt, resoluāt ac dissipent, & calorem in parte excitatum extrahant. Eodem modo, & hîc illa intemperies in parte tollitur, non solùm si intēperiei per refrigerātia obuiam eatur, sed in primis si ipsa causa tollatur. Nam & hoc modo parti sua temperies restituitur. Itaque etsi frigida omnia simpliciter non reiiciamus, sed si moderata sint, etiam adhiberi possint: tamen cùm absente Medico, ægri, adstantes, Chirurgi, illa temporum & morbi discrimina non satis intelligant, non sine periculo sæpe illa adhibentur.

Tutiora verò sunt à recentioribus vsu probata medicamēta.

Vt ℞. *Lixiuij facti ex cineribus fagi* ℔. iiij. *album. ouorum* iij, *camphoræ* ℨ. ij. His mistis linei panni mundi imbuantur, & in vmbra exsiccentur, atque vnus ad ignem calefactus parti applicetur, atque per diem ter aut quater mutetur.

Vel ℞. *Sapon. alb.* ℥. j. Dissoluatur *in aq. communis*, aut quod melius, *sambuci vel scabiosæ* ℔. iij. & ebulliat. In decocto imbuantur panni linei, tepidè parti affectæ applicentur, ac quotiescunque fuerint exsiccati renouentur. Alij eosdem prius exsiccant, & exsiccatos admouent.

Ex vulgo multi parte affectâ suffitum ex mastiche, thure, & hyperico excipiunt, & lineum pannum nondū lotum apponūt.

Alij corticem sambuci abrasum parti circum circa applicant, & de die ter immutant. Commendant & hoc.

℞. *Theriacæ* Drach. i. *aq. sambuci* ℥. v. M. & in eo panni linei immergantur, atque nonnihil expressi parti affectæ tepidè applicentur.

Feliciter etiam adhibetur mistura è lisinio & oleo rosato, aut quod commodius, sambucino, quam *lac aureum* nominant. Vsurpant & nonnulli stercus vaccæ, & vel cum dimidia parte saponis, vel cum albuminibus ouorum, & panis bolo miscent. Alij potiùs aquam è stercore bubulo mense Maio destillatam applicant. Possunt & furfures macri, in primis hordei, cum lactuca coqui & applicari. In vsum etiam venit cortex interior tiliæ prius per noctem in aqua sambuci maceratus. Secretum ad rosam VVierus esse scribit fel carpionis piscis, si pennâ tepidè membro affecto illinatur, & postea pannus lineus mundus siccus imponatur.

Si tamen omnino frigidis vti libet, accipe aliquot folia fabariæ seu crassulæ maioris, & exteriori foliorum parti pellicula detrahatur, & pars folij, quâ pellicula detracta est, cuti imponatur. Calorem enim & dolorem mitigat.

Vel ℞. *Folia solani, semperuiui*, an. partem i. *dentis leonis, fabariæ*, an. part. ij. Contundantur cum pauxillo *aceti, aq. plantaginis & solani*, ac succus exprimatur, quo linteamina imbuantur, & frequenter mutentur.

Nonnulli aquam destillatam ex foliis quercus cum succo lactucæ applicant.

Vbi tamen per hæc calor iam deferbuit, suprà enumerata applicanda, vt materia discutiatur & resoluatur. Ab vnctuosis & vim emplasticam habentibus omnino abstinendum, ne acres vapores detineantur.

Diæta. Interim etiam victûs ratio habenda est, qui sit refrigerans & humectans, sed tamen simul incrassans, non qui multum aquosi & serosi humoris generat. Quapropter vitentur calida & sicca, & omnia quæ sanguinem calidiorem & sicciorem generant, vt aromatica, acria, salsa, pinguia, oleosa, dulcia, butyri multus vsus, porrum, cæpe, raphanus, sinapi, sale macerata & fumo indurata. Abstinendum etiam à vino potentiore, ceruisiâ crassâ, carne suilla, anserina. Sit contrà vsus frequens cichorei, ptisanæ hordeaceæ, & omnium ex hordeo paratorum: conuenit & oryza, lactuca, acetosa, portulaca, endiuia, quæ in acetariis adhibeantur, aut cibis reliquis misceantur: Acetum ipsum quoque admittitur, sed sit psillulatum, rosaceum vel sambucinum. Vtilis quoque est agresta, succus ribium, berber. cydoniorum, cerasorum. Nec serum lactis inutile est. Conceditur & vinum absinthites. In omni autem potu aurum ignitum extinguere, commodum nonnullis videtur. Viscera enim hisce roborantur, & nimia flusilitas sanguinis tollitur, atque stabilitas quasi quædam ipsi conciliatur. In aliis etiam rebus non naturalibus consideratio adhibenda. Vitandus est corporis & animi motus nimius. Somnus, si in cruribus sit Erysipelas, sit mediocris: si verò in facie sit, quantum fieri potest, à somno temperandum est.

Præseruatio. Non solùm autem sciendum, qua ratione præsens hic morbus tollendus sit, sed etiam laborandum, vt in posterum præcaueatur. Solet enim hic morbus nonnullis familiaris & quasi hereditarius esse, eósque sæpius inuadere. Ad quam cautionem inprimis facit, si circa Æquinoctium vernum & autumnale, corpus à superfluis humoribus venæsectione aut purgatione, prout opus est, liberent. Sunt autem purgantia talia, quæ biliosos humores purgent, simul viscera temperent ac roborent, vt sunt Rhabarbarum, Tamarindi, Myrobalani citrini, Syrupus rosarum solutiuus, passulæ purgantes cum Rhabarb. Postea ad præseruationem hoc medicamentum valde commendatur.

℞. *Cymarū absinthij* parum, *aliquot folia taraxaci, chamædryos vulgaris* tantundem. Ex his recentibus, & manè collectis, ac minutim concisis, cum *duobus ouis recentibus, ac pauco butyro* coquatur placentula mollis.

Hac si quis singulis nouem mensis Maij diebus (forsan non inutile esset, non solùm primis nouem, sed singulis Maij diebus tali placentula vti) manè vescatur, per integrum annum ab hoc morbo præseruari scribitur. Neque rationibus destituitur hoc medicamentum. Nam hepatis laxitatem nonnihil cohibet & constringit, eius obstructiones liberat, superfluas humiditates absumit, biliosa excrementa abstergit, atque ita hepati moderatam quandam temperiem conciliat.

Alij & hoc laudant.

℞. *Flor. sambuci recentium*, vel cùm non habentur, *rectè siccatorum* M. i. *Lactis vaccæ* (rubram quidā eligunt) ℥. viij. Lac bibatur manè quoties Luna decrescit, bis, ter, quater, vel per integrū etiam, si libet, annum singulis mensibus. Hoc modo si quis vtatur lacte isto, planè in posterum immunem ab hoc malo reddi scribunt. Ab hoc malo eos etiā præseruari tradunt, qui singulis mensibus semel aut bis, vel potiùs singulis septimanis semel, in principio mensæ, aut potiùs manè, 5. vel 6. glandes rancidas edunt, aut haustum aquæ tenerioribus foliis quercus destillatæ bibunt. Superfluæ enim humiditates in sanguine absumuntur, vnde minus fluxilis redditur: hepatísque tonus conseruatur. Maximè commodus est acidularum potus: Obstructiones enim tollunt, hepar refrigerant, atque ad talia ex fluxionibus mala in primis vtiles sunt.

Interim etiam partis recipientis habenda est ratio, quæ propterea lauetur aqua chalybeata, in qua plantago, verbascum, taraxacum, & parum aluminis coctus sit.

In primis verò ad præcautionem Erysipelatis facit, rectam rationem victus obseruare, talem nempe, qualis in curatione descripta est. Abstinendum à pinguibus, oleosis, salsis, acribus; vel iis parcissimè vtendum. Contrà vsurpanda subausteta, subacida, amaruscula, acetosa, talia tamen quæ obstructiones liberent, illud mediocriter refrigerent & siccent, acrimoniam & tenuitatem humorum temperent, sanguinísque nimiam mobilitatem tollant: quæ omnia repetere opus non est.

CAPVT XVII.

De Febribus Intermittentibus.

Atque ista de febribus continuis dicenda videbantur. Iam ad doctrinam de Intermittentibus accedimus. Vbi illud mox ab initio rursum monendū videtur, quod etiam suprà monuimus, Antiquos nomen febris intermittētis latiùs, quam hodie fit, extendisse. Ij enim omnes febres, quæ aliquam in calore mutationem certis interuallis habēt, & nunc exasperantur, tunc remittunt. Intermittentes nominabant, omnésque febres, Synochis seu continentibus exceptis, intermittentes appellabant, & eas quoque hoc nomine complectabantur, quæ calorem continuum habent, modo caloris in iis fiat intensio & remissio, vt ex Galeno, *1. epid. com.* 3. *t.* 2. patet. Iam verò vsus obtinuit, vt eæ solùm febres intermittentes propriè dicantur, quæ aliquando desinunt, tempúsque aliquod habent per se accessione vacuū, quod *ἀπυρεξίαν, infebricitationem*, seu febris vacuitatem nominant. *Ἀπυρεξία.*

Vt autem, quæ sit harum febrium natura, manifestum fiat, illud in primis quærēdum. Quænam sit causa, cur intermittentes dictæ febres non continuum calorem habeant, sed tempus aliquod calore vacuum, quod *ἀπυρεξίαν* Græci nominant. Verùm id inuestigare non facilè est, & vt Galenus, *de differ. febr. c.* 11. habet, difficilius est earum febrium, quę per circuitus accessionē faciunt, causam inuenire, quàm earum quæ Synochæ dicuntur. *Intermissionis caussa in Intermittent.*

Vt verò continuarum febrium proxima, & continens causa sunt, putridi vapores continuò ad cor missi, idque præter naturā calefacientes: ita febrium intermittentium causa sunt vapores putridi, non continuò, sed per interualla quædam & periodos cor affligentes. Quî autem fiat, quòd vapores putridi in Intermittentibus non continuò, vt in Continuis, ad cor mittantur, porrò inquirendum est. Hoc quidem certū est, intermissionem fieri propterea, quòd humor putridus expellitur singulis paroxysmis, neque tantum eius supperit, vt continuum incendium fouere possit. Sed cur hoc fiat, An materia sit causa, an locus, an vtrumque, non satis inter Authores conuenit. Cùm tamen id cognitum habere, ad curationem rectè instituendam vtile sit, diligenter causa inquirenda. Et quia cognitio loci, in quo humores febrem excitantes continentur, summopere ad rei huius explicationem facit, primò omnium dicendum videtur,

De loco, in quo continentur Humores, Febrium Intermittentium causa.

Primò autem hoc monendum, differre subiectum Febris à loco putrescētis humoris. Subiectum enim omnis febris totum corpus, & præcipuè cor esse, suprà monstratum. Locum verò putredinis, vnde febris accenditur, à subiecto distinguit Galenus, 1. *ad Glauc. c.* 6. cúmque focum seu fomitem nominat, 2. *de differ. cap. vltim. &* 5. *meth. med. cap.* 4. Qui focus in diuersis febribus alius atque alius est, & omninò explicatu difficillimus, ob dissidentes Authorum hac de re sententias, cognitu tamen vtilissimus; cùm ad ipsam febrium intermittentium, quæ frequentissimæ sunt, curationem plurimùm faciat. De eo

Digitized by Google

itaque paulò exactiùs agere libet, & plerasque Medicorum opiniones recensere & expendere.

Galeni de loco putredinis in intermittentibus sententia.

Galen. 2. *de crif. c. 6.* febres continuas & intermittētes hoc modo discernit. *Quæ*, inquit, *ob flauam bilem febris accenduntur, sine aliquo visceris affectu, siquidem manente adhuc intra vasa bile accendatur, exquisita febris ardens nuncupatur; si verò per totum corpus deferatur, tertiana. Sic si ab atra bile sit febris, cum per totum corpus delata fuerit, quartana efficitur; cum immobilis illa quæ quarto quoque die excrescit. Sicuti si ex pituita ortum habeant febres, vel quotidianæ sunt, vel quæ singulis diebus accenduntur. Nam quæ ad infebricitationem desinunt febres tertiana, quartana & quotidiana, eandem habent hypothesin cum continuis, vno saltem inter se differunt, quòd per venas vel per totum corpus in eis deferantur humores.* Et c. 4. *aphor.* 56. *Tertiana febris*, inquit, *quod ad humorem morbum facientem, non differt ab ardente, sed eo mutuò inter se differunt, quòd ardens in venis vnà cum sanguine flauam bilem abundantem & feruentem habeat; in intermittente verò eadem bilis toto feratur corpore.* Ex quibus locis apparet, Galeni mentem esse, febres continuas fieri, cùm humores intra vasa quieti putrescunt: intermittentes verò, cùm per corpus mouentur. Quâ de re prolixè & ex professo agit, *lib. 2. de differ. febr. vlt.* vbi tandem summatim quasi rem ita concludit. *Quicunque circuitibus quibusdam accidunt morbi, partium superuenientibus dispositionibus vel mittentium, vel suscipientium, vel gignentium, vel attrahentium excrementa. Quæ verò nullum circuitum habent, in his nulla est pars corporis, quæ præcipuè sit offensa, sed humores in venis & arteriis omnibus, maximéque maximis & calidissimis sunt.*

Alex. Tralliani.

Nonnulli hoc discrimen non admittunt, & vt Alex. Trallianus, *lib.* 12. *c.* 2. refert, Intermittentes etiam febres intra vasa consistere, quemadmodum & continentes arbitrantur, ac nihil prorsus loco, sed quantitatis ac qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam, & crassam esse materiam, atque ideò neque extra vasa emitti posse; intermittentium verò tenuiorem, & vt in extremam cutem efferatur, magis idoneam existimabant.

Auicenna.

Auicennas, *lib. 4. fen. 1. tr. 2. c. 5.* febres continuas & intermittentes ita discernit. *Putredo sanguinis*, inquit, *facit continuam, & locus eius est intra vasa; cholera autem, & phlegma, & melancholia quandoque putrescunt intra venas, & quandoque extra venas. Et quando putrescunt extra venas, & si non est causa alia, neque est putredo in apostemate intrinseco, quod det cordi putredinem continuam, faciunt periodos quas diximus. Et quando putrescunt intra vena, faciunt febres assiduas.*

Et tribuitur plerisque antiquis Medicis ista sententia, & vt Fernel. *lib. de febr. c. 9.* habet: *Vetus tam opinio increbuit, humorem, qui continens & proxima est intermittentis febris materia, in solo corporis habitu, & extra venas computrescere, hunc accessionis initio è venis maioribus, in quibus conditus erat, sanguini permixtus, in minores, ex hisque in corporis habitum propelli. Hoc impetu summas corporis partes, quarum exquisitior est sensus, ferientis humoris occursu vel inhorrescere, vel rigere. Eum mox sensim illic incalescere, inflammari ac putrescere: tum demum extenuatum caloris vi vniuersum dissipari in sudores, sic accessionem finiri, dum noua similiter recurrat.*

Fernelij.

Ipse verò Fernelius hanc opinionem reiicit, & *cap. seq.* Intermittentes tum materiâ, tum materiæ sito & foco à continuis secernit. *Tertiana*, inquit, *materia bilis est flaua, affinis ei, quæ in fellis cysti conditur. Quartana, bilis atra in lienem refusa. Quotidiana, (si qua vera est) pituita mucosa & superuacanea, quæ in ventriculo, intestinisque plurima colligitur. Omnium propria sedes & origo in prima est corporis regione circum præcordia, circa ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum aut mesenterium.*

Don. Ant. ab Altomari.

Donatus ab Altomari. *de med. febr. part. 2. c. 3.* Galeni sententiam ita explicat: Humores, qui à Galeno per totum corpus ferri dicuntur in intermittentibus, statuit in sentientibus corporis partibus, seu vniuerso corporis habitu contineri, ibique putrescere; idque tribus modis. Vel enim accessionis tempore humores ex vasis primò maioribus ad minora protrudi: deinde ex istis ad reliqua, quoad extrà ad sentientes corporis partes propellantur, vel sentientes corporis partes, carnes scilicet seu partes solidas, dolore aut immodico calore affectas, humores vitiosos trahere venis, vel deniq; neque attrahere, neque suscipere excrementa partes sentientes, sed in seipsis eadem generare.

Sim. Simonij.

Simon Simonius. *in synopsi de nat. febr. humor. c. 4.* Intermissionis causam statuit materiam, quæ ardet, priùs discussam quàm noua vel generatur: vel affluat ad incendij locum: Cōtinuationis verò fomitem, qui suâ vel copiâ, quæ non tam citò potest absumi, vel crassitie, quæ dissipationi resistat, vel visciditate nutrire febrē tamdiu possit, donec iterum alia superueniat, quæ continuetur incendium. Asseritque eam posse intermittentē excitari, cùm materia in corde primò accenditur, quàm continuam, cum aliunde, id est ex aliquo alio viscere accensa defertur.

Fel. Plateri.

Platerus, in vasis mesaraicis sanguinis putredinem causam febrium putridarum intermittentium, statuit. In venis enim mesaraicis si humor putrescat, etsi ex cordi non sint continuæ, quia tamen cum venæ cauæ ramis, interueniente hepatis substantiâ, communionem habeat, huius causâ accidere potest, vt vapores putridi in venis mesaraicis excitati cor petant, febrésque putridas excitent, non tamen continuas, sed statis temporibus intermittentes & redeuntes: Idque quòd materia putris non solùm procul à corde sit dissita, sed quoque ob viarum interclusionem aliquam. Tamdiu enim intermittere febres quamdiu materia putris in suo quasi foco coërcetur. Vbi verò veluti turgens & excedens, multum de sese vaporem emittere incipit, natura irritata in venæ cauæ ramos & arterias eam expellit, per quos ad cor penetrans, febres accendit, tamdiu durantes, donec quicquid è foco excessum est, calore dissipetur.

Hor. Augenij.

Hor. Augen. *l. 5. de febr. c. 4.* ipsa quidem etiam concedit, humores putridos in febribus intermittentibus maiori ex parte moueri in partib. intrinsecis, quas primas vias nominamus, id quod ex vomitu, oscitatione, oris amaritudine, caloris & sanguinis retractione ad viscera colligi possit: aliquando tamen, & rarò in corporis ambitu coërceri. Et quidem instante accessione per profundas corporis partes deferri, in declinatione verò vaporis specie per ambitum corporis discuti. Ipsam enim humoris putrefacti substantiam ad superficiem corporis deferri non concedit, quandoquidem, si ipse humor putridus per venas transiret, totam sanguinis massam coinquinaret, & exitialia symptomata excitaret.

In extrinsecis verò partibus humores contineri docet, primò in corporibus biliosis, in quibus vapores acres & fuliginosi solent per cutaneos meatùs expurgari. Meatûs enim illi, si obstruantur, bilis multa colligitur, vt tertiana generetur. Deinde si eædem partes vel nimis calefactæ, vel dolore affectæ excrementa ad se trahant; quæ tamen vel propter illorum copiam, vel visciditatem, vel crassitiem, vel imbecillitatem facultatis expultricis, expellere non valent. Si autem porrò quæratur, à quibus partibus humores transmittantur ad sensibiles istas corporis partes, docet, quòd ab iisdem partib. sensibilibus fluxio fiat, cùm sensibiles partes vim quandam habere possint generandi in se huiusmodi humores, qui postea putrefacti & moti paroxysmum febrilem efficiant, deinde statuit, quòd à venis deduci possint putrefacti, & ad sensibiles corporis partes tam intrinsecas quàm extrinsecas appellere.

Hercul. Saxonia.

Hercul. Saxonia, *lib. 8. pract. med. c. 6.* causam periodorum, & recessus ac reditus in febribus, esse materiam non alimentalem, sed excrementitiam statuit, quæ scilicet facultati expultrici grauis est & molesta; & quidem tertiæ coctionis, quæ fit & augetur à quacunque corporis parte determinatâ. Locum verò quod attinet, cum duplicem illi constituit; vnum, in quo continetur materia antecedens, quæ est excrementum tertiæ coctionis, antequam corrumpatur; alterum, in quo materia conclusa est, quæ actu facit febrem putridam intermittentem. Priorem locum esse posse docet quamcunque corporis nostri partem, internam & externam, communem & determinatam, omnes partes vno verbo, cùm omnis pars possit excrementa generare & colligere ac suscipere. Veruntamen hominem non semper collecto excremento febricitare, sed colligere posse hoc excrementum absque febre. Locum verò, in quo materia putrida actu febrem faciens continetur, quod attinet, statuit materiam febris intermittentis nunquam esse in carnibus seu parenchymate viscerum, cùm si materia in ipso parenchymate hæreat, non in loco aperto contineatur, & potiùs inflammationem pariat, neque tum virtus ad expellendum sit satis robusta. Deinde nec in ambitu corporis putrescere statuit. Aliàs enim in scabie & leprâ, materia in ambitu putrescens febrem faceret, & febris hæc solo balneo, frictionibus & cucurbitulis curaretur. Præterea venæsectio, vomitus, alui deiectio, essent perniciosissima. Insuper si transmissâ materia à venis extra venas in ambitum corporis, febris tollitur, non generabitur eodem modo.

Ipse verò statuit, *primò* in omni febre intermittente materiam coniunctam in principio, augmento & statu putrescere intra venas: quod probat primùm ex vrinis, quæ in omnibus febribus etiam intermittentibus, coctionem vel cruditatem in humoribus ostendunt. Secundò idem probat ex natura temporum febris. In principio enim paroxysmi mouentur humores à circumferentia ad centrum; in augmento & statu à centro ad circumferentiam; in declinatione discutiuntur per insensibilem halitum, vel sudores. At hic motus non fit, nisi per venas; neque possunt moueri humores à visceribus ad ambitum corporis, nisi per venas. Tertiò probat id ex euacuationibus, quæ contingunt vno & eodem die in febribus intermittentibus; quod fieri non posset, si materia contineretur vel in solo corporis ambitu, vel in carne viscerum.

Secundò statuit, materiam hanc, quæ continetur in venis, in principio transmitti etiam aliquâ parte extra venas membranas scilicet viscerum, vel carnem totius corporis, quia rigor & horror non potest fieri, nisi materiâ stimulante carnes viscerum & totius corporis.

Tandem materiam hanc, quæ febris intermittentis causa est, docet nunquam totam simul esse collectam in venis. Si enim materia simul sit in venis collecta, fieri continuam; neque intermittentes fieri ex materia genita, retenta & corrupta in vno eodémque loco: sed intermittentem fieri ex materia attracta vel transmissa à loco ad locum.

Iul. Cæsar. Claudini.

Iulius Cæs. Claudinus, *in respons. med. resp. 1.* ita continuas proportionatas & intermittentes distinguit; & febres continuas periodicas, seu proportionatas oriri statuit ex materia putrescente

ceore

Digitized by Google

centè in venis remotis à corde, quæ mediæ inter magnas & capillares dici possunt. Intermittentes verò, partim ex materia in venis capillaribus, partim in mesaraicis putrescente, ortum habere existimat. Atque huius suæ assertionis hæc ponit fundamenta. Illa inquit, vasa sunt locus putredinis in febre continua proportionata, in quibus materia collecta, ob fluxionem motúmque transmissionis, vel attractionis à venis magnis pendentē, inculcatur, transpirationéque prohibita propter obstructionem putrescit, putrefacta non expurgatur, fuliginésq; continuò, sed non ita commodè ac statim ad cor transmittit. Febres autem continuas periodicas non alia de causa accessiones habere statuit, nisi quia in iis materia non solum tota adest, sed fit eius attractio, aut transmissio, quæ singulas accessiones facit, & non excernitur, sed retinetur, vnde febris continua, & perpetua in cor effumatio, sed non ita subita, nec ita facilis, sicut in continente. A venis enim remotis non ita facilè & subitò cordi suppeditatur fuligo. At talia vasa esse venas medias statuit. Sicut enim in his venis colligi potest materia, vel per transmissionem, vel per attractionem: ita in iisdem venis potest materia detineri & putrescere, quæ non euacuata continuò serpit, nouámque materiam inficit, vnáque continuò cordi communicatur, sed non statim, neque ita commodè, ob causam suprà adductam.

Febres verò intermittentes fieri tradit, partim ex putredine humorum in venis capillaribus, partim ex putredine humorum in vasis partium in præcordiis existentium, putà ventriculi, cauæ partis hepatis, lienis, pancreatis, omenti, intestinorum, mesenterij. In iis nimirum febribus, quæ fiunt cum fluxione & motu materiæ, pro sede putredinis constituit venas minores, per particularum carnes, & habitum corporis dispersas. Ex his autem & facilè egredi humores putrescentes, & ab iis non patere aditum fuliginibus, vt cor facilè petant. Verùm febres, quæ sine motu & fluxione humorum fiunt, habere locum in præcordiis, vt dictum, eas nimirum febres, in quibus nullus fit rigor ac horror, nulla extremorum frigiditas obseruatur, quæ citra sudorem finiuntur, & incipiunt cum oscitationibus, præcordiorum distensionibus, nausea, vomitu.

Controuers. explicatio.

Atque has authorum opiniones recensere volui, vt & difficultatem huius doctrinæ quisque agnoscat, & de ea diligentiùs cogitandi materiam habeat. Quæ verò singuli pro suis sententiis, & contra aliorum opiniones prolixè afferunt, omnia hîc recensere, operæpretium non puto. Id potiùs dabo operam, vt quàm breuissimè, in re tam obscurâ, & tot dissentientibus opinionibus intricata, veram, quantum potero, sententiam proponam.

Continuarũ, & intermittentium discrimen.

I. Autem discrimen Synocharum, continuarum periodicarum & intermittentium, in conspectu habendum. In Synochis humores, qui febrem excitant, toti simul in venis continentur, eorúmque putredine & coctione, tota febris Synochæ periodus absoluitur. In intermittentibus, singulis paroxysmis materia, febris causa, absumitur vel excernitur, & rursus noua quæ putrescat, nouúmque paroxysmum inducat, subnascitur. In continuis periodicis partim aliquid, quod continuò putrescit, febrémque continuam facit, in ortu ipsius febris adsunt, partim noui aliquid, quod exacerbationis causa est, subnascitur & suppeditatur. Verùm nondum ex hoc patet, qui fiat, quòd in aliis febribus materia singulis paroxysmis expellitur; in aliis verò euacuatio maxima ex parte vsque ad integram morbi solutionem differtur. Causa itaque huius rei inquirenda erit.

Triplex locus materia febrilis in Intermittentibus.

II. Ergò diligenter hoc annotandum, in Intermittentibus triplicem locum considerari posse. Primò illum, in quo materia febris causa futura generatur, secundò eum, qui materiam proximam, & continentem febris in paroxysmo causam continet, quem etiam venas & arterias esse statuimus: tertiò eum, in quem materia è venis expellitur, quem extra venas esse putamus, ambitum corporis, ventriculum, intestina, renes: cùm in hæc loca omnia venæ terminentur, & materiam in paroxysmis febrium per has vias euacuari videamus.

Quo in loco materia in febribus intermittentibus generetur.

III. Locum, qui materiam febris causam primùm suppeditat, quémque focum & fomitem febris appellant, eum venas mesaraicas esse statuimus. Etsi verò à plurimis statuatur, in Intermittentibus extra venas humores putrescere: id tamen de vena caua accipiendum est, quæ interdum absolutè vena appellatur, in qua putrescentes humores continuas pariunt. Ex venis mesaraicis autem, etsi nullus ductus ad cor pertingat: tamen interueniente hepatis substantia, in quã vena portæ inseritur, & varios ramos spargit, cum vena caua communionem habent; atque ideò mediante cauâ materiam putridam cordi communicare possunt. Idémque etiam fit per arterias, quæ à corde progressæ in liene, ventriculo & intestinis, venis mesaraicis coniunguntur. Etsi verò vapores ex putredine humorum in venis mesaraicis excitati per ductûs venæ cauæ in arteriæ ramos communicantur, calorémque inde excitant: tamen non perseuerantem, vt in continuis febribus, sed statis periodis recurrentem calorem excitare possunt. Quod accidit non tam ob loci distantiam, sed quòd materia, quæ febris causa est, vbi in loco efferuescere incipit, naturámque irritat, ab ea excutitur, & in vapores resoluta, vel sensibiliter vel insẽsibiliter discutitur, & inde calor ac febris cessat, quæ tum demum recurrit, vbi noua materia non solùm generata est, sed & putrescere, ac iam veluti vrgens & efferuescens iterum putridos vapores per venæ cauæ & arteriæ ramos ad cor mittere incipit.

Sedes materia in febribus intermittentibus.

In intermittentibus autem originem materiæ febrilis in primis viis seu prima corporis regione, quæ quasi corporis sentina est, & in qua plurima excrementa primæ & secundæ coctionis cumulantur, hærere, omnia, quæ circa intermittentes vel semper vel plurimùm accidunt, satis euidenter docent. Nausea scilicet, vomitus, cardialgia, præcordiorum tẽsio & dolor, circa ventriculum intumescẽtia, oris amaritudo, appetitus defectus, singultus, atque alia symptomata, quę materiam in iis locis generari ostendunt. In intermittentium enim febrium initiis sæpe bilis citrina, prasina, cæruleáue sincera vomitu reiicitur; eáque reiectâ febris cessat; quod indicium est, & bilem illam febris causam, & in primis viis collectam fuisse. Nam è venis tam sincera & tam cõpiosa sine ægri damno per has vias euacuari non potest. Et biliosam talem materiam circum iecoris caua libræ pondo post mortem febricitantis inuentam esse, Fernelius obseruauit. Idem & hoc arguit, quòd si initio accessionis fomenta hypochondriis imponantur: horror & rigor, & alia symptomata postea leuiora fiunt.

Ex loci ratione facilè etiam ipsorum humorum, febres Intermittentes excitantium, natura patet. Elaboratur enim, & continetur in venis mesaraicis sanguis non adeò purus & perfectus, vt in vena caua, sed adhuc excrementitiis humoribus, qui etiam naturaliter in prima coctione generari solent, quiq; demum in secunda coctione in liene & hepate separantur, permiatus, quales humores sunt bilis, quæ in vesicula postea colligitur, & per aluum euacuatur, tum etiam humor melancholicus, qui cum chyli parte crassiore ad lienem transit; quibus & pituitosi aliquid nonnunquam permiscetur: Hi humores etsi sint excrementitij, tamen si moderatâ quantitate generentur, & generati in secunda coctione separentur, nihil mali procreant; si verò vel coctionis primæ vitio qualicunque copiosiùs generantur, vel non suo loco & tempore excernuntur, variorum morborum, tùm etiam febrium esse causa possunt. Neque enim statim hi humores febrim excitant, sed sæpe diu in corpore latent, donec putredinem concipiunt, febrémque excitant.

Causa remotiores.

Atque ex his etiam facile patet, quænam sint causæ remotiores febrium intermittentium, nimirum ea omnia, quæ vel ad generationem, vel cumulationem dictorum humorum excrementitiorum faciunt, vel in genitis & coacervatis putredinem accendunt.

Causæ nimirum remotiores, & quæ ad istorum humorum in venis mesaraicis generationem faciunt, sunt cibus & potus non boni succi, aut qui facilè corrumpuntur. Ij enim chylum vitiosis humoribus perfusum præbent: qui si non separentur, in venis mesaraicis collecti, tandémque putrescentes, febres sibi respondentes accendunt.

Facit deinde huc & ipsius ventriculi praua dispositio, in quo cibi assumti, præsertim ad id dispositi, nunc acescunt, nunc bilescunt & amarescunt, vt postea dicetur. Ad quam rem facit constitutio corporis non temperata satis; anni & cœli constitutio & ipsa intemperata, & aliæ causæ euidentes. Hinc tercianæ æstate, quartanæ autumno sunt frequentiores, imò nonnunquam & epidemiæ.

Nonnulli hîc nihil nisi obstructiones accusant. Verùm ad generationem humorum vitiosorum sola obstructio non sufficit. Quãuis enim obstructio adesse possit: tamẽ, obstructio quatenus talis, generationis illius & corruptionis humorum, quæ singulis paroxysmis accidit, sola causa non est, sed ἐνεργητικὸν aliquid requiritur, quod etiam absque obstructione adesse potest; obstructionésque & in febribus & in plurimis aliis morbis non rarò ignorantię pallium, & veritatis inuestigandæ obstaculum sunt. Ac si obstructiones vel etiam scirrhi adsint, non inde oritur, sed fouetur febris, & putredinis fermentum ita infarctum & quasi impactum difficiliùs loco moueri & euacuari potest. Vnde febres prolongantur, & sępe hydrops oritur. Causa ergò (si vitium non sit in ipso cibo) ἐνεργητικὴ requiritur:

Discrimen inter febres putridas.

Atque ex his, quæ de loco putredinis, ac materia febrium intermittentium dicta sunt, facilè quondam inter Synochas & periodicas, item inter continuas periodicas & intermittentes sit discrimen patet. Nam ratione loci, in quo materia, paroxysmi & exacerbationis causa generatur, quem focum appellant, synochæ à periodicis differunt. Synochæ enim tali loco destituuntur, nec aliunde iis materia febrilis submittitur, sed tota in venis continetur: in periodicis verò in singulis paroxysmis noua materia suggeritur. Nimirum materia, quæ periodicis continuis originem præbet, in secunda coctione generatur, sanguinique bono & alimentario permiscetur; ideóque nulla fit expulsio & crisis, antequàm coctio & humoris vitiosi à bono separatio facta sit. Vt verò febris statis tẽporibus exacerbetur & intendatur, noua, quæ transmittitur, præcipuè ab hepate, materia facit. In intermittentibus verò materia in prima coctione generatur, & hinc in venas transmittitur, è quibus etiam, vt aliena & heterogenea, singulis paroxysmis expellitur.

Quo in loco causa putridarum febriũ proxima continuatur.

IV. Verùm etiamsi in mesaraicis venis primò materia febrium causa generetur, non tamen semper in iis continetur, sed subinde aliquid in perpetuo illo, qui est ab iis in secundam regionem meatu, in venam cauam deriuari credibile est. Vnde à Galeno, 1. *de crisib. cap.* 7. & aliis passim Medicis, *febres passio*

Digitized by Google

venosi generis appellatur. Neque enim fidem meretur Horat. Augenij sententia, quâ Galeni & Medicorum communem doctrinam, quâ traditur, febrem esse affectionem venosi generis, ita explicat, quòd in omnibus febribus venæ & arteriæ per vniuersum corpus calorem febrilem deferant. Nam certè hoc ipso putridæ febres ab ephemeris differunt, quòd in ephemeris solùm calor sine putredine per venas & arterias cordi communicatur: at in putridis ipsi vapores putridi ad cor feruntur.

Quia verò materiam, quæ febrium intermittentium causa est, in venis contineri multi negant, paucis id probandum est.

Causa febris in intermittentibus, in venis continetur.

Primò autem materiam febrilem è mesaraicis in cauam transmitti ex eo patet, quod cruditas & coctio humorum non solùm in continuis, sed etiam in intermittentibus deprehenditur, atque ex vrinis animaduertitur.

Deinde motus humorum, qui fit in intermittentibus, idem docet. Nam in principio accessionis mouentur humores à circumferentia ad centrum; in augmento & statu à centro ad circumferentiam; in declinatione discutiuntur per insensibilem transpirationem vel sudorem. Is verò motus non potest fieri, nisi mediantibus venis & arterijs.

Imò ea, quæ motum humorum in Intermittentibus præcedere solent, satis testantur, in venis mouere materiam. Nam in Intermittentibus febribus, instante paroxysmo, quòd materia nondum extra oscula venarum expulsa est, neque dum rigor ac febrilis calor adest, sed materia febrem factura in venis quasi turget, signis quibusdam instans motus materiæ & paroxysmi percipitur; vnde illud tempus ἐπισημασία Græcis dicitur. In membris enim extremis spontaneæ lassitudines pulsuúmque compressio percipitur; quod non fieret, nisi in vasis illis communibus, vena caua scilicet & arterijs, materia paroxysmum febrilemq; parturiens etiam contineretur, nullúmque signum futuri paroxysmi ex pulsu & arterijs haberi posset, si materia extra illa vasa côtineretur, sicut nec lassitudinis causa dari posset.

Præterea docet Galenus, atque experientia ei adstipulatur, non rarò in Intermittentibus eodem die materiam per plures vias euacuari, & simul intrò foràsque ferri, vt eodem in paroxysmo vomitus, deiectiones alui, & sudores fiant: quod fieri non posset, si materia vel in solo ambitu corporis, vel alibi extra venas contineretur.

Indicio est & istud materiam in venis contineri, quòd in Intermittentibus vrinæ tempore paroxysmi meliores plerumque apparent, quam extra paroxysmum; & quæ extra paroxysmum valde crassæ aut turbidæ conspiciebantur, minùs tinctæ, clariores, & laudabiliores in paroxysmo conspiciantur. Denique in paroxysmis intermittentium febrium vrinæ non rarò copiosæ redduntur, & per eas materia febrilis euacuatur: quod fieri non posset, nisi materia per venam cauam transiret. Apparet hoc etiam ex sanguine, qui in Intermittentibus febribus, vena secta emittitur, & in morbi progressu plerumque non bonus est, sed vitiosos humores admixtos habet. Vnde etiam obseruatum, vena secta febrem cessasse, cuius rei exemplum annotauit Adrianus Spigelius, *lib. 1. de Febre semitertiana, cap. 15.* Docétque idem scabies, quâ erumpente febres intermittentes solui, iterúmque ea euanescente febres eædem recurrere solent.

Neque difficilè diluitur illud, quod hîc ex Fernelio contra hanc sententiam obiici potest. *Quo pacto,* inquit Fernelius, *tam repentè posset noxius humor sanguini permixtus, præsertim verò crassa lentáque pituita, aut bilis atra, à puriore sanguine prorsus secerni, & quasi momento in extimas corporis partes protinus extrudi?* Nam etsi prima origo humorum, qui intermittentium febriũ causa sunt, non sit in venis, sed in primis viis: tamen hinc in venas effunduntur. Et proinde respondemus ex Hippocrate: Non si tim morbi humores apprehendunt, sed paulatim generati subitò apparent. Humor scilicet facturus sua putredine paroxysmum, sensim & paulatim, & quidem extra venam cauam in primis viis colligitur, & hinc, præcipuè instante paroxysmo, in venas trãsmittitur: semper in deterius labitur, & paulatim ante paroxysmum succenditur, quod Galenus ὑποτυφος appellat & loco mouetur in venis; quando autem paroxysmus appropinquat, magis ac magis turget. Instante verò paroxysmo celerrimè motu expellentis facultatis extra oscula venarum euomitur quasi, ac magis magísque protruditur, facultate excretrice irritata, & subitò extra venas propellitur, vel in habitum corporis vel etiam loca interiora. Venæ enim cauæ rami non solùm in exteriora, sed etiam interiora terminantur, ac per oscula sua eructare possunt excrementitios & putridos humores.

Obiicit deinde & hoc Fernelius. *Cùm,* inquit, *in continuis febribus peccans materia in vasis maioribus tota consistat, cur non eius portio quoque in corporis molem effunditur, quæ sæpe rigorem efficiat?* Et quanquam ad hoc respondeant nonnulli, exilium venarum obstructionem in his, quam in Intermittentibus, maiorem esse, atque tantam, vt omnem humorem intus cohibeat: tamen hoc diuerticulum saltem esse putat. Nam plurimæ continuæ à rigore vel horrore inuadunt: *Quòd si ipsa statim initio bilis in corporis summa effundebatur, cur non etiam deinceps, quoties inardescit, aut motu nouo excandescit, eòdem similiter insilit?* Tutior & vero similior responsio est, quæ ex supra propositis c. 12. huius libri petitur: In continuis materiam febris causam, tum simul in venis contineri, & sanguini non solùm confusam, sed & permixtam esse, neq; ante coctionem separari, ideóque nisi coctione, quæ quidem vnica quasi fermentatione continuò perficitur, absoluta, eius expulsionem vix vtiliter tentari. In intermittentibus verò materiam sanguini non verè permixtam esse, nec totam simul esse in venis, sed in primis viis genitam, per interualla & periodos inde transmitti, saltem venas deriuari, & propterea singulis paroxysmis, dum statis temporibus quasi efferuescit, & naturam ad expulsionem irritat, ab eadem expellitur. Cuius rei exempla & in alijs morbis habentur. Et quanquam natura nonnunquam initio febrium continuarum, vel etiam alio tempore, prauitate aut multitudine materiæ stimulata, extremo conatu insurgat, humorémque vitiosum depellere annitens, rigoris causa sit: tamen conatus ille propter cruditatem materiæ plerumque est irritus, & nulla crisis sequitur.

Galeni sententia, de loco putredinis in intermittentibus, explicatur.

Neque hæc sententia Galeno aduersatur, vt plurimi existimant, quòd materiam febrilem in Intermittentibus pro carnea deferri pronunciauit. Concedimus hoc libenter, humores per ambitum corporis moueri, sed fomitem seu focum febris ibi esse negamus, neque id à Galeno affirmatum videmus. Est enim, vt dictum, in Intermittentibus triplex locus considerandus. Primò ille, qui materiam suppeditat: Secundò is, qui febris proximam causam continet: Tertiò, in quem materia è venis expellitur. Neque est, quòd hîc cum Augenio, si humor putridus in venis contineretur, eásque transiret, totius sanguineæ massæ coinquinationem & exitialia symptomata metuamus. Hoc quidem verum est, in febribus hisce sanguinem etiam coinquinari ab admixtis humoribus putridis; vnde illa etiam symptomata, quæ febricitantes molestant, ortum habent.

Verùm ea necessariò exitialia non sunt. Nam materia sanguini non permixta; sed saltem confusa, & ad expulsionem apta est, vltróque satis fortis. Itaque in declinatione vt sanguis, quantum potest, ab illis excrementitijs humoribus depuretur, & natura isto onere leuetur, solet ea illos vitiosos humores expellere.

Nec illud obstat, quod statuit Augenius, in venis contineri nihil, nisi sanguinem: verùm bilem flauam & cæteros humores, quos excrementitios nuncupamus, extra venas proprijs quibusdam receptaculis recondi. Nam hoc quidem libenter Augenio concedimus, in sanis ita sese rem habere. At in corpore ægro etiam vitiosi humores sanguini permiscentur: qui & in sanguine per venæsectionem effuso apparent, & per purgationem tam sponte quàm arte institutam è venis expurgantur. Neque etiam hoc modo tollitur discrimen febrium continuarum & intermittentium, vt antea iam dictum.

Causa febris in Intermittentibus non tantùm in primis viis hæret.

Atque ita sententiam eorum admittere non possumus, qui statuunt saltem in primis viis hærere materiam febrium intermittentium. Si enim Fernelij opinionem ita interpretantur, vt per præcordia ac viscera primas illas vias intelligant, rationes Fernelij, & ipsorum nihil aliud concludunt, nisi aliquam in venis illis putredinem humorum consistere, atque ita humores, qui febrium intermittentium causa sunt, ibi generari, atque etiam initium putredinis concipere. Interim non sequitur, non posse eandem materiam venis communibus communicari. Nisi enim hoc fieret, neque lassitudinis, neque mutationis pulsûs, neque aliorum symptomatum, quæ in ἐπισημασίᾳ fiunt, causa, vt dictum, reddi, neque coctio humorum ex sanguine cognosci, aut ex eo emisso aliquid iudicari posset. Ideò hîc distinguimus inter locum, in quo generatur materia & causa antecedens febrem factura, & locum, in quo materia continetur, quæ actu facit febrem putridam intermittentem; & illum quidem circa viscera & primas illas vias admittimus, & in locis illis multas superfluitates colligi & contineri concedimus, imò etiam ibi initium putredinis concipere non negamus: febrem tamen generari non statuimus ex materia tantùm in illis locis putrescente; sed materiam vitiosam & superfluitates illas, vel in venas communes transire, atque ibi putrescere, vel si putredinem ibi concipiat, venis communibus tamen communicari putamus.

Deinde & ab iis dissentimus, qui statuunt, materiam in intermittentibus tantùm extra venas in habitu corporis & cauitibus putrescere. Nam quomodo ex hac opinione vomitûs, oscitationis, amaritudinis oris, aliorúmque, quæ in febribus intermittentibus accidunt, symptomatum causa reddi posset, si materia in habitu corporis tantùm putresceret? & quomodo ex habitu corporis ad vasa iterum retraheretur?

Paroxysmorum in Intermittentibus causa.

V. Tandem locum, in quem in ipso paroxysmo materia à natura protruditur, quod attinet. Vbi humor in primis viis cumulatus putrescere & efferuescere incipit, Natura ab eo stimulata & lacessita eum expellere incipit, ideóque per varias sæpè vias, initio quidem per vomitum & aluum, postea verò per sudores & vrinas sensibiliter, euacuat, vt & per poros cutis ac insensibilem transpirationem, in vapores & halitus resolutum discutit. Cùm enim humor ille vitiosus sanguini exactè permixtus non sit, sed saltem confusus, Natura eum facilè à bono sanguine separare potest, & propterea eum singulis paroxysmis excutit.

Neq; opus est hîc cum Fernelio ad cæcos ductus, per quos vapores isti ad cor, & illinc quoquouersum per arterias effundantur, confugere: cùm ductus satis manifesti sint. Cùm enim venæ

venæ portæ sant in hepatis substantiam inseruntur, & horum oscula cum ramis venæ cauæ communionem habeant; & arteriæ à corde progressæ in ventriculo, intestinis, liene & alibi venis mesaraicis coniungantur: vapores putridi in venis mesaraicis excitati facillimè in venæ cauæ & arteriarum ramos proximos irrumpere, & hinc ad cor & totum corpus diffundi possunt. Atque extant huius non solùm vaporum, sed & humorum è primis viis in venam cauam transitûs exempla etiam in aliis morbis, & præcipuè in erysipelate, quod Germani Rosam nominant, & paralysi illa, quæ Colicam nonnunquam sequitur, de qua *lib. 2. Instit. part. 3. sect. 2. cap. 5.* dictum, vt & in dysenteria, quæ nonnunquam intempestiuè suppressa pleuritidem & alios morbos generat. Et sicut hoc ignotum est, is saltem quæ in scorbuticis & hypochondriacis accidunt, diligenter perpendat, & animaduertet, quàm varij effectus & mala ex μεταστάσεως materiæ & vitiosorum humorum è primis viis in venam cauam & reliquum corpus oriantur.

Paroxysmorum causa.

Materiâ quocunque etiam modo discussâ, paroxysmus cessat, & calor febrilis desinit tamdiu, donec noua materia, quæ similiter suo tempore putrescit & efferuescit, genita sit. Accidit autem hoc ob vitiosam in parte dispositionem, & μίασμα seu inquinamentum, quod relictum post paroxysmum instar fermenti humores inquinat & corrumpit, & vt suo tempore putrescant & efferuescant, in causa est. Id quod docet Galenus, *2. de diff. febr. cap. vlt. Sed cum, inquit, in parte remaneat affectus, necessarium est in ipsa superfluitatem aliã generari: cùm id, quod deinde ad ipsam alimentum attrahitur, non totum exquisitè commutetur: quæ rursus à putridis superfluitatibus in parte relictis, ac proprio ex vitio, putredinis principium accipit, ac cùm satis caluerit, rursus ad ipsum influit, quemadmodum sanguis ex aliis partibus animalis. Atque eodem rursus modo principium, ascensus, consistentia, declinatio alterius fit accessionis. Neque hoc per circuitum desinit fieri, donec in prima particula superfluitates generante seruatur affectus: alter quidem imbecillitas partis, ex quâ fiunt superfluitates: alter verò, qui ex iisdẽ quotidie gignitur oritur. Neque enim existimes, in exterioribus istis vasis, in quibus elixatũ obsonium nidorosum factum est, quandam relinqui dispositionem, nullam autem in partibus, in quibus humores putruerunt.*

Qui locus omnino consideratione dignus est, cùm totam generationis febrium Intermittẽtium rationem, & recursûs paroxysmorum causam contineat. Estque in generatione materiæ, febris intermittentis causæ, duplex διάθεσις obseruanda, vna ἡ μέν τις ἀσθένεια τοῦ μορίου, καθ' ἣν γεννᾶταί τι περίττωμα· altera, quæ prouenit ὑπὸ τῶν ἐγκαταλελειμμένων τῷ μορίῳ σηπεδονωδῶν περιττωμάτων. Nimirum ob partis ἀσθένειαν seu debilitatem, περίττωμα seu excrementitius humor generatur, qui partim proprio vitio, ὑπ' οἰκείας μοχθηρίας, partim ab inquinamẽto & putredinali fermento, seu μιάσματι, seu, vt Galenus appellat, ὑπὸ τῶν ἐγκαταλελειμμένων σηπεδονωδῶν περιττωμάτων, initium putredinis concipit. Ac quamdiu ista in parte dispositio nouos vitiosos humores generans, & putredini causam præbens manet, tamdiu paroxysmi recurrunt. Vero tamen simile etiam videtur, humorem febris intermittentis causam, non totum de nouo in singulis paroxysmis generari; (id quod vel ex eo patet, quòd in primis aliquot paroxysmis sæpe multum bilis vomitu reiicitur, postea verò vomitus cessat) sed quæ in principio aderat, non totam simul putrescere in primo paroxysmo, sed eam eius partem, quæ putredini aptior est: in reliquis reliquam, donec totus absumatur. Prius tamen etiam non negandum, scilicet partis ob humore excrementitio inductam debilitatem, ad humoris similis generationem multum facere, támque continuationis paroxysmorum in febribus, diuturnis præcipuè, causam esse.

Quocunque autem modo & tempore generetur materia febris causa, nõ prius febris cessat, quàm ea tota sublata sit; quod fit, vel dum in vapores resoluta per poros cutis seu insensibiliter, seu sensibiliter per sudores discutitur, vel vomitu, alui fluxu, seu à natura, seu arte instituto, vel per vrinas, vel per hæmorrhoides euacuatur. Sæpe etiam, & præcipuè crassior materiæ pars, in ambitum corporis protruditur, & febre desinente scabies excitatur; quæ propterea etiam, si ad interiora recurrat, Recidiuam parit.

Atque hæc quidem est causa paroxysmorum & recursus febrium intermittentium ratio. Quæ autem causa sit, quòd statis temporibus febres redeant, aliæ citiùs, aliæ tardiùs: alia iam quæstio est, & proinde iam occurrit intricatissima illa, & quam multi mouerunt, nemo pro voto omnium forsan satis explicauit, controuersia.

De Causis Periodorum in Febribus.

De causis periodorum in febribus varia sententia.

Etsi enim iam causa reddi possit, Cur febres quædam intermittant & reuertantur: tamen nondum explicatum est? Cur hoc statutis temporibus fiat, & cur in aliis febribus, singulis diebus, in aliis alternis, in aliis quarto quoque die nouus paroxysmos redeat. Quanquam verò etiam id ipsum periodicis continuis conueniat: tamen quia periodorum ratio manifestior est in Intermittentibus, hoc loco de iis agere placet. Etsi verò nec mihi, multò minùs aliis me satisfacturum confidam: non prætereunda tamen ista fuit quæstio.

Astrologorum.

Variæ autem hac de re variorum fuerunt sententiæ. Astrologi quidem, quos sequitur Petrus Aponensis, Conciliator dictus, *diff. 88.* eiusmodi ordinem circuituum in astra retulerunt. Sicut enim illi aliarum rerum motum in hisce sublunaribus, vt maris, menstrui fœminarum fluxûs, partûs, referunt in astra: ita & ordinatorum circuituum in febribus, quos periodos nominant, causam ex astris petendam censent. Verùm plurimis hæc causa nimis remota videtur, imò nec satis explicatur, quæ aut quomodo astra periodos, & quidem diuersas efficiant.

Galenus.

Medici itaque plerique causam in ipso corpore humano quæsiuerunt. Galenus, *de differ. febr. cap. vlt.* causam quidem generalem periodorum tradidit, cùm periodos refert in dispositiones membrorum, quæ vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates. Vt si ex Galeni sententia de causa periodorum quæratur, hoc respondendum sit: febres alias singulis, alias alternis, alias quarto quoque die redire, prout partes affectæ excrementa putrescentia & paroxysmum facientia, vel singulis, vel alternis diebus, vel quarto quoque die, aut transmittant, aut generent. Verùm etsi ex his causa, cur paroxysmi redeant, satis clara dari possit: nimirum quòd ex partis alicuius priuatæ vitio, & mala dispositione noui humores vitiosi, noui paroxysmi causa producantur: tamen ex iisdem de diuersitate periodorum aliquid certi colligi posse, aut causam euidentem dari, cur aliæ febres singulis, aliæ alternis, aliæ quarto quolibet die demum redeant, plerique negant; & ideirco vlteriùs inuestigandum sibi proposuerunt, cur non omnes humores vel singulis, vel alternis, vel quarto die moueantur, & paroxysmum nouum faciant, sed pituitosi singulis, biliosi tertio, melancholici quarto die moueantur, & paroxysmum faciant.

Ex humorum & partium dispositione periodos deducentium sententia.

Nonnulli itaque sunt, qui è dispositionibus membrorum mittentium, & suscipientium, & generantium humores, ita periodorum causas inuestigari posse putant. Si pars, inquiunt, quæ mittit, aliqua intemperie laborauerit, alimentum corrumpet, quod postea, vbi copia vel prauitate eius grauabitur, transmittet in aliud. Quòd si præterea etiam alimentum ipsum, quod in partem defertur, vitiosum sit, multò magis excrementa in eo colligentur, quæ postea in partem, quæ imbecillior est, transmissa & putrescentia, nouum paroxysmum facient. Si autem in parte mittente aliqua vitium non sit, sed in ipsa parte generante, quæ nimirum id, quod in ipsam defertur alimentum corrumpit, atque definitis temporibus & quantitate coaceruat, vt ibidem putrescens paroxysmum inducat; dispositionem partis in se generantis & cogerentis excrementum, periodorum sequetur ratio.

Pituitæ igitur cùm sit magna in corpore copia, eam citiùs coaceruari & putrescere; aut in parte aliqua colligi, & inde ad alias mitti, atque ibi putrescere, & ita singulis diebus exacerbationes inducere aiunt. Bilis autem cùm non sit tanta in corpore copia, neque tam citò in parte siue mittente, siue generante, colligatur, eam etiam tardiùs ad excretionem stimulare, & non singulis, sed alternis diebus paroxysmum facere, existimant. Melancholiam denique, partim quia pauca sit in corpore, partim quia ineptior sit ad putredinem, tardiúsque putrescat, quarto saltem die naturam irritando, paroxysmi causam esse; atque periodorum rationem ita continuari, quamdiu hæ membrorum & humorum dispositiones non variant, & victûs ratio, omnésque causæ reliquæ eædem manent; variari autem & mutari, dum hæ mutantur, statuunt.

Verùm hanc sententiã alij reiiciunt: neque enim ista proportio humorum, quam isti præsupponũt, semper in corpore datur. Et licet concedatur, in sanis corporibus istâ analogiâ sese habere humores: tamen in corporibus ægris modò plus bilis, modò pituitæ, modò melancholiæ accumulatur. Quod cùm ita sese habeat, causam reddere nequeunt, cur pituita, si pauca putrescat, quotidie tamen moueatur, bilis verò flaua, quod sæpe accidit, si copiosior vno in loco colligatur, non tamen citiùs, quàm tertio die moueatur. Sæpe enim accidit, vt bilis sit pauca in tertianæ declinatione cõtra melãcholia multa in quartanæ principio; nihilominùs ibi tertiana, hîc quartana periodos obseruetur.

Ex natura humorum.

Alij itaque aliter hac de re sentiunt. Nam nonnulli nullam periodorum in febribus causam agnoscunt, quàm naturam humorum. Cùm enim pituita sit frigida, humida, crassa, lenta & tenacis consistentiæ quæ ideirco ægrè accenditur, tardè mouetur, & faciliùs in viis hæret, & accensa, antequàm deferuescat, longum tempus consumit: statuunt, & paroxysmos, qui à pituita proueniunt, esse longiores, & eam in declinatione exactè expurgari non posse, sed plurimas eius reliquias remanere, quæ iterum succensæ, mox sequenti die noui paroxysmi causæ sint. Flaua autem bilis cùm calida, sicca & tenuis sit, accensa propter subtilitatem tota ferè deferuet, & deflagrat, & minus reliquiarum, quàm pituita relinquit. Vnde & intermissio eius purior est, neque tam citò nouus paroxysmus, sed tertio demum die excitatur. Melancholia verò cùm etiam copiosiùs euacuetur, vtpote quæ minùs lenta & tenax est, quàm pituita, nouum paroxysmum inducit; sed cùm eadem etiam frigidæ & siccæ naturæ sit, ac terreæ substantiæ, difficiliúsque, quàm flaua bilis putrescat, tardiùs adhuc, quàm flaua bilis nouum paroxysmum facit, quarto nimirum demum die.

Verùm enimuerò hæc opinio saltem generalem periodorum causam, non verò specificam & determinatam, quæ quæritur, reddere videtur. Neque semper in crassitie, lentore, tenacitate,

tenuitate,

tenuitate, & similibus qualitatibus eodem modo sunt humores dispositi.

Ex putredine.

Alij ergo fuere, qui ex sola putredinis natura causam periodorum petendam censent. Cùm enim intermissio fiat febrium, dum humor, qui paroxysmi causa fuit, per halitum discussus, aut etiam alio modo euacuatus est; atque ea eò vsque duret, donec noua materia putrescere incipiat: ex humorum ad putredinem maiore vel minore aptitudine, periodorum causas colligunt. Nam cùm humidiora faciliùs putrescant; pituita verò omnium humidissima sit, idcircò breuiore tempore, nimirum saltem vnius diei interuallo, eam rursum putredinem concipere dicunt. Bilem cùm sicca sit, longius tempus requirere, nimirum dierum duorum spatium, Melancholiam denique, cùm humor sit frigidus & siccus, maximè omnium resistere putredini, & trium dierum interuallo solùm putredinem concipere.

Hæc opinio, etsi probabilis sit, animum tamen veritatis auidum non planè satiat. Pituitam quidem citiùs, quàm bilem: & hanc citiùs quàm melancholicam, putrescere docet: verùm cur hoc istis terminis & temporum interuallis fiat, cur pituita die vno elapso, bilis, duobus elapsis; melancholia quarto demùm die putrescat, non monstrat.

Ex occulta proprietate.

Itaque cùm hæc omnia quibusdam non satisfaciant, & cùm hic determinatus & definitus effectus sit, qui in omnibus indiuiduis sese eodem modo habet, statisque planè periodis paroxysmi redeant; determinatam & definitam, ac in omnibus eodem modo sese habentem causam requirendam censent. Talis autem cùm non possit esse membrorum dispositio, humoris qualitas, crassities, visciditas, tenacitas, ad putredinem aptitudo, & reliqua, quæ hactenus allata sunt; vtpote quæ infinitis modis, & in diuersis indiuiduis, & in eodem ægroto, diuerso morbi tempore variare possint: ad occultam proprietatem confugiendum existimant. Cùm enim ex nulla manifesta qualitate satis euidens & firma causa dari possit, cur in omnibus indiuiduis humor biliosus, cuiuscunque etiam sit speciei, in quo non parua manifestarum qualitatum differētia occurrit, tertio quoque die, & eodem modo pituita ac melancholia accessiones faciant: id in peculiarem & propriam conditionem ac occultam proprietatem referunt. Et alij quidem causam periodorum simpliciter è natura specifica humorum petunt; sicut attractionis ferri in magnete à forma specifica eiusdem. Verum cùm occultæ qualitates à forma pendeant, formæ verò in putredine intereant: in occultam proprietatem causam simpliciter reijci non posse, nonnullis videtur. Itaque alij non simpliciter ad formam humoris respiciunt, sed putredinem coniungunt, dicuntque, si humor aliquis putrescat, hoc tanquam inseparabile & proprium accidens eius naturam sequi, habere certas quasdam & statas periodos: pituitam nimirum dum putrescit, hanc occultam naturam & proprietatem habere, vt singulis; bilem, vt alternis, melancholiam, vt quarto quolibet die moueatur & paroxysmum conciteт. Imò alij locum adhuc addunt, dicuntque, si humor extra venas putrescat, hanc occultam qualitatem acquirere.

Verùm nec hoc alijs satisfacit. Cùm enim, vt ipse Fernelius, qui hanc sententiam tuetur, docet, *lib. de febr. cap.* 10. obseruatum sit, tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem desinere, qui nonnunquam, & in articulorum dolores, & in paralysin facessit; atque hic dolor tamen consueto accessioni; tempore ferè exacuatur & excandescat, pristinúmque circuitum retineat: hinc manifestum euadit, etiam circuitûs illos sine febre & putredine esse, ut proinde à putredine non prouenire. Præterea si ab occulta humoris proprietate periodi fiunt, numerus typorum numero humorum respondere debet. At tres sunt tantum humores causæ febrium periodicarum. Ergo tantùm tres debebant esse periodi: cùm tamen obseruatum sit, esse longè plures, quintanas, sextanas, & alias. Et ij ipsi authores in eosdem, quos vitare volunt, scopulos incidere videntur, dum, quod Fernelius facit, anticipationem & postpositionem paroxysmorum in auctam & imminutam materiam referunt.

Sanctorij opinio.

Sanctorius Sanctorius. *lib. 6. de vitandis error. in arte Med. cap. 5.* aliam adhuc habet sententiam & causam periodorum petit, à locorum & partium affectarum situ ac distantia à corde. Quòd enim idem humor diuersos pariat morbos, à loco pendere, & locum, non humorem dare esse specificum morbis, & periodis morbos consequentibus, docet. Atque hinc statuit, si humores biliosi sint in loco proximo cordi, naturam adoriri malos humores sine circuitu; quia agens proximum patienti non impeditum semper agit, & patiens reagit. Quando verò peccantes humores sunt magis in loco distante & remoto à corde, tunc cor vicinis partibus circumseptum extemplò in humores non agit, nec humores in illud reagunt, sed solùm per circuitum. Hinc sequitur, quòd quanto maior sit distantia loci affecti à corde, tantò periodus erit longior. Pituitam itaque facientem quotidianam intermittentem, semper suam sedem habere in ventriculo statuit; qui quia proximus cordi, ideò quotidie mouetur: Bilem verò facientem tertianam, esse modò in hepate, modò mesenterio, modò in varijs partibus hypochondriorum: Melancholiam tandem; quia sit in liene, causare quartanam.

Verùm contra hanc opinionem multa, quæ contra præcedentes dicta sunt, afferri possent, illúdque etiam in dubium vocari, an ventriculus hepate vel liene sit cordi propior, & quomodo ex varijs partib. (quod ipse concedit, cùm dicit bilem facientem tertianas, modò esse in hepate, modo in mesenterio, modò in varijs partib. hypochondriorum) vna periodus fieri possit. Hoc saltem præterire non possumus: si locus & distantia partium à corde, causa sufficiens est periodorum, quid opus est humores coniungere? & annon potest pituita etiam in mesenterio & varijs hypochondriorum partibus colligi? Quod si fiat, & illa faciet tertianam periodum. Sicut & illud dubium est, quòd expulsionem, quæ fit in febribus, cordi tribuere videtur, & non partibus, in quibus continentur humores vitiosi.

Platerus.

Platerus duas saltem febrium intermittentium differentias admittit, vnam à bile tenui, alteram à crassa seu atra: tenuísque putredinem, antequam eò deueniat, vt febrē excitare possit, ad triduum vsque ex sua natura, ab eo tempore, quo iam prior illius putredo discussa est, supputando, ferè extendi: crassiorem verò ac veluti adustam bilem, quia tardiùs putrescit, antequam eò degeneriat, vt febrem excitare possit, longius tempus quoque requirere & proinde ad quartum diem vsque paroxysmum protrahi docet.

Ridiculam Paracelsistarum & Scheunemanni opinionem de periodis febrium, *de Chymic. cum Aristot. & Galen. consf. & diss. c. 6.* proposui, quam, cùm nec minimam probabilitatem habeat, hic repetere non libet.

Periodos humorum negantium sententia.

Verùm alij adhuc sunt, qui omnes, quas recensuimus, opiniones, & omnes omnino, quotquot dari possunt de quæstione, cur pituita singulis, bilis alternis, melancholia quarto quolibet die moueatur, vnico modo simpliciter damnant, atque istos Authores omnes à ianua aberrare, & in inquirenda causa illius effecti, quod & nullum, & nunquā & nusquam fuit, sese frustra torquere dicunt. Falsum enim esse, quod vulgò creditur, pituitam singulis, bilem alternis, melancholiam quarto quolibet die moueri: cùm quilibet humor moueri subinde quocunque tempore vel celeriùs, vel tardiùs, vel frequentiùs, vel rariùs pro varijs occasionibus possit. Et proinde ab vno humore plures typos, quotidianos, tertianos, quartanos, quintanos, & siqui sint alij, oriri posse asserunt. Quā de re ita scribit Simon Simonius, *c. 5. Synops. de humoral. febr. nat. Præfari,* inquit ille, *hic libet: in tota Medicina arte fraudulentiorem perniciosiorémque opinionem humano generi nullam viguisse hactenus illā, quā periodici motus, qui per febres apparent, occultæ, vel etiam cœlesti nescio cui, secundum quam quisque moueatur humor, potestati attribuuntur. Hadie autem* (addit idem in fine capitis illius *Practici nostri, ita scilicet edocti ac persuasi, cùm ad ægrotantes ventum est, obseruato duntaxat circuitûs ordine, quem nosse non est difficile, tanquam certa & immota quadam ratiocinatione deprehensum iam tenere se peccantem humorem opinantur, pro quo deinde scopos curationis constituunt, præscribúntque remedia, cùm tamen in quotidianis tertianis, quartanisque accessionibus haud paucis, symptomatum à Galeno propositorum vel nullum, vel vix vnum aut alterum integrum vestigium sese illis offerat, imò & causarum, cum externarum, tum internarum series atque connexio, & signorum concursus, alius, quàm ipsi quærunt, humoris præsentiam, effectáque demonstrant.*

Atque huius assertionis has afferunt rationes. Si, inquiunt, humoribus attribuendæ sunt periodi, siue ex eorum natura, proprietate, qualitate, siue quocunque alio modo causa periodorum petatur, tres saltem erunt typi, tribus humoribus respondentes, quotidianus nimirum, pituitæ; tertianus bilis; quartanus melancholiæ. At dantur plures, quintus, sextanus, aliique, & ab Hippocrate, & ab alijs Medicis animaduersi atque annotati. Ergò ex humoribus non potest causa reddi periodorum. Si quis verò vni humori plures circuitûs attribuere velit; id quod nonnulli in melancholia faciunt, & periodum quintanam & sextanam in melancholiam referunt: is causam reddat oportet, cur solùm humor melancholicus, non verò etiam alij, plures periodos pariant. Itaque singulas periodos singulis humoribus ascribendas non censent, sed quamlibet à quolibet proficisci posse statuunt. Notas enim omnes sinceræ bilis aliquando, vt & non rarò pituitæ, in quartana febre æquè ac melancholia deprehendi: Temperiem nimirum, ætatem iuuenilem, mores, rationem victûs, anni tempus & constitutionem, vrinam & alia excrementa, pulsum, iuuātia, lædentia, bilem potiùs, aut pituitam, quàm melancholiam demōstrare. Et contrà in tertianis etiam pituitæ potiùs aut melancholiæ, quàm bilis indicia animaduerti. Plurimos certè quartanâ, largâ pituitæ vomitione, vel per aluum deiectione, liberatos esse sæpe obseruatum est; & aliæ quartanæ vomitione bilis cum pituita solutæ. Itaque si verum est, inquiunt, quod Hippocrates scribit, *sanatio morbos indicat:* dubium non videtur, ab iisdem humoribus istas febres ortas fuisse, post quorum euacuationem sublatæ illæ sunt. Ita in pueris & mulieribus, alijsque corporibus pituitosis, in quibus melancholici humoris nulla suspitio sed potiùs pituitæ certa indicia, febres quartanæ sæpissimè excitentur. Vnde Nicolaus Piso, *lib. de febr. cap.* 22. scribit: *Pituita ipsa crassa multum consistentiā melancholici humoris naturam induit. Quare circuitis interdum quartanarios facit. Ex hac pituita in his regionibus fiunt quartanæ quàm plurimæ, pueris, mulieribus, & alijs melancholicum nihil ostendentibus, sed candidis, pituitam vomentibus, & deijcientibus lentam & crassam.* Obseruatum

Digitized by Google

uarum etiam, non solùm tertianas in quartanas, sed contrà quartanas in tertianas mutatas finis:quod certè non fieret, nisi idem humor plures periodos excitare posset. Neque enim humoris natura mutatur, etsi permutetur materia, neque ex melancholia bilem fieri credibile est. Imò ipsa accessio, anticipatio & postpositio idem suadere videtur. Nam si ab humoris quantitate, crassitie, acrimonia, tenuitate, & similibus conditionibus fiunt accessionum anticipationes & postpositiones: ab iisdem causis auctis vel imminutis, vno die illas accelerari aut retardari posse impossibile non est. Si enim, quod sæpe accidit, aliquam ob causam per 12. horas fit paroxysmi anticipatio: cur non ab eadem causa aucta possit fieri per viginti horas anticipatio, & ita quotidiana periodus? Et cur non parcior pituitæ prouentus reditum febris in tertium aut quartum diem remorari possit? Si quae melancholiæ crassities & paucitati adscribendos censent quintanos & sextanos typos: cur non etiam pituitæ tertianus & quartanus adscribi possit?

Quæ res ipsa grauissimos Authores adegit, vt faterentur, typum tertianæ ab alio etiam quam bilioso; quotidianæ, ab alio quàm pituitoso, quartanæ, ab alio quam melancholico humore prouenire. Hippocrates certè febrium circuitûs secundùm humorum differentiam non videtur distinguere. Alex. Trallianus febrem quartanam aliam a melancholia, aliam à bile facit. Auicennas, *lib. 4. fen. 1. tr. 2. cap. 1.* phlegma, vt nimium, solùm facere quotidianam scribit. Idque etiam alij Medici faciunt.

Itaque hi nihil faciunt argumentum Valeriolæ, quod demonstrationis loco habet, *in app. loc. comm. c. 1. Qui*, inquit Valeriola, *effectus in vno quopiam rerum genere inueniuntur, qui perpetuo rei conueniunt: & paribus modis fiunt, in quodcunque tandem corpus aut tempus inciderint, hi ad propriam substantiam causæ, à quo fiunt, sunt referendi. Atqui per certos quosdam dies recursus facere, accessionesque prorritare, & perpetuo humoribus conuenit, & recursus huiusmodi paribus semper interuallis (nisi aliunde ordinem periodorum peruerso consequatur) fiunt. Itaque ex humorum tali vel tali natura erit, vt recursus eiusmodi fiat*. Minorem enim propositionem, simpliciter negant, & quotidianum, tertianum, ac quartanum circuitum non solùm a singulis, sed pluribus & diuersis humoribus fieri afferunt, ipsámque experientiam & diligentem ægrotantium inspectione teste extát.

Et proinde hi ex Gal. 2. *de febr. cap. vlt.* non aliunde causas periodorum in febribus petendas censent, quàm ex partis tam excrementum febrificum generantis & transmittentis, quàm recipientis, vel in ipsa se procreantis & ubi retinentis, vario & mutabili statu, necnon ex humoris transmissi vel collecti copia, natura & conditione multiplici. Cùm enim causa vniuersalis particularibus omnibus est ctibus sit communis, & ad quemlibet particulariter restringi oporteat, si vniuersalis periodorum causa est humorum contructio: etiam quotidianæ, tertianæ, quartanæ, & reliquæ vniuersalem causam certis conditionibus circumscriptam, definitam, & determinatam habebunt. Quotidianæ nimirum periodi causa erit humor quicunque, qualitate & quantitate naturæ molestà ita auctus, vt vltra diem contineri in corpore non possit: tertianæ verò periodi causa erit humor quicunque tertio die talem vel qualitatem, vel quantitatem acquirit: quartanæ, qui quarto die ad eam qualitatem vel quantitatem peruenit.

Neque istos ab hac sententia deturit periodorum constantia, & per definita temporum interualla certus febrium reditus. Nam non semper statis horis febres intermittentes redire, sed anticipare & postponere: neque etiam in anticipatione & postpositione certa tempora semper obseruari, ob variam causarum dispositionem, ex quotidiana febrium obseruatione constat. Et non impossibile esse existimant, si causæ illæ eodem in statu permaneant, quod non solùm in diebus, sed & horis circuituum eadem ratio & qualitas obseruari possit. Videmus hoc vel in alui egestione, quæ in hominibus sanis, moderatè cibo & potu vtentibus, nullúmque errorem in diæta committentibus, certis & definitis horis, bis vel semel singulis diebus accidere solet. Ac si qua in victu vel reliqua diæta mutatio contingat, etiam ille excernendi circuitus non planè obseruatur.

Controuersia explicatio.

Etsi verò, quæ inter tot dissentientes opiniones verior sit, perspicere difficile sit, imò difficillimum omnino, vt Mercurialis ait, vel ex Galeno, vel alio scriptore, irrefutabilem rationem afferre; & proinde in tenebris ignorantiæ humano generi communibus; & me hîc versari non diffitear, tamen vt & in hac parte, quantum possumus, veritatem, si non assequamur, sectemur, laborabimus.

Primò autem de illo omnino constet necesse est; An, quod à Simonio & aliis in dubium vocatur, singuli humores suas periodos habeant; an verò quilibet humor quacunque periodo, pro variis occasionibus, moueri possit; ne in effectus, qui nullus, & nunquam, & nusquam fuit, aut erit causa reddenda frustra laboremus.

Humores certis periodis mouentur.

Esse autem tales humorum periodos ipsa experientia satis testatur, in primis in epidemiis constitutionibus, vbi ab vna causa, geniti humores eiusdem generis, nunc tertianæ, nunc quartanæ typum obseruant, & adeò exactè, vt regularitate non rarò cum automatis horologiis certent.

Neque quæ abiiciuntur, tanti momenti sunt, vt contrarium persuadeant. Etenim etsi plures videntur periodi, quàm humores: tamen sciendum, humores eiusdem generis plores habere seu species, seu gradus, a quibus diuersæ periodi proficiscuntur. Neque enim humor, qui bilis nomine appellatur, omnis eiusdem generis est. Ideóque Andr. Cæsalpinus, *art. med. lib. 2. cap. 25.* quintanas ad bilem; septimanas ad melancholiam refert, testóque, se sæpius vidisse conuersam quintanam in tertianam, aliquando longam mensibus septem ex erraticis ortam in autumno, & tales similes typos species esse simplicium typorum interpolata vna accessione aut pluribus, & accidere idem, quod in menstruis, quæ deficientia vno mense, non mouentur tempore intermedio, sed expectent consuetum tempus. Quintanam nempe esse tertianæ speciem, in qua dies tertianæ est sine accessione, septimanam esse quartanæ speciem interpolatâ accessione dici quarti.

Deinde quod dicunt, humores, qui per sua signa deprehenduntur, non respondere periodis: id si de omnibus omnino signis intelligatur, admitti nō potest. Sit enim, quartanas (quod post illum hisce regionibus insolitum æstatis calorem & squalorem, Anno 1616. cùm epidemiæ essent quartanæ, accidit,) non solum senes & melancholicos, sed & iuuenes, imò infantes: biliosos, sanguineos corripere: tamen causam posse esse tam vehementem, qualis est insignis in aëris qualitatibus excessus, aut contagium, quæ etiam in puerili & sanguineo corpore humores adurere, exsiccare, ac ita corrumpere possint, vt inde quartana generetur, negandum non est.

Præterea, quamuis Quartana laborantes sæpe pituitam vomitu reiiciant, non tamen necessariò ea Quartanæ causa est, sed potiùs effectus. Cùm enim in Quartana ventriculus valde debilitetur, crudos in humores generari necessarium est: qui ipsi febrem fouere, & diuturniorum reddere possint: non tamen proxima periodi causa sunt.

Neque periodorum mutatio aliud persuadet; cùm humores degenerare posse notissimum sit; & ex bile humor ater fiat; vnde & sæpissime tertianæ autumnum attingentes in Quartanas mutantur.

Ac proinde argumentum Valeriolæ suprà propositum adhuc constare opinor, nec quemlibet typum à quolibet humore prouenire posse, statuendum censeo.

Interim etsi hæc ita sese habeant: in eo tamen libenter Simonio assentior, eos Medicos peccare, qui circuitus ordine obseruato, tanquam certa & immota quadam ratiocinatione deprehensum iam tenere se peccantem humorem opinantur, pro quo deinde scopos curationis constituant, præscribántque remedia. Etenim cùm dentur febres nothæ, dentur complicatæ & compositæ: non statim, si febris singulis diebus inuadat, pituitosa æstimanda: cùm duplex biliosa seu tertiana, & triplex quartana esse possit: ideóque Medici prudentis est, non solùm ex dierum numero, sed potiùs ex signis omnibus, causis scilicet & effectibus, iisque quæ præcesserunt & adsunt, naturâ humoris febrem parientis dignoscere, ac ad eum curam dirigere.

Periodorum causa.

Atque ita, cùm certum sit, humores singulos habere suas periodos, iam porrò, quomodo periodi ab iis pendeant, inquiramus. Vbi primò statim distinguendum inter recursum febris, & periodum, vt & inter causam, ob quam statis temporibus, tertio scilicet vel quarto die, reuertuntur. Equidem Galenus præcipuè recursûs febrium causam reddit, dum 2. *de diff. febr. cap. vlt.* scribit: *Quæcunque per circuitûs aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quæ scilicet vel mittunt, vel suscipiunt, vel attrahunt superfluitates* febriúmque, quæ per interualla repetunt causas ex professo ibi inuestigat: Cùm tamen nullam mentionem quotidiani, tertiani, aut quartani circuitûs fecerit: eo loco periodorum causam non ita manifestè reddidit.

Quia tamen distinguit Galenus eo loci, inter causam collectionis nouæ superfluitatis, eámque appellat, partis superfluitates generantis ἀσθένειαν & debilitatem: & causam corruptionis & putredinis, quam statuit esse ἐγκαταλειφθὲν τῷ χωρίῳ σηπεδονῶδες περίττωμα; à quibus generatæ superfluitates initium putredinis accipiunt: etiam hinc causa periodorum erui posse videtur.

Nimirum periodorum causam esse naturam humoris, & quidem non simpliciter eam, quam à membro debili, in quo fuit generatus, sed quam ex putredine, seu corruptione & fermentatione quasi accepit; seu inquinamentum μίασμα, & περίττωμα σηπεδονῶδες in putredine humorum genitum, quod instar fermenti sese habet. Vt enim videmus, fermentum massæ farinæ vel liquori alicui admixtum facere, vt massa illa seu liquor efferuescere incipiat: ita illud putredinale fermentum in corpore post paroxysmum relictum, initium efferuescentiæ & putredinis dat, facitque vt materia, quæ antea in suo quasi foco coercita quiescebat, iam, vt Plateri verbis vtar, veluti turgens & exardescens multum de se & tetrum vaporem diffundat: qui cùm ob copiam & aduersam qualitatem subsistere nequeat, naturámque irritet, ab ea quoque impulsus in venæ cauæ & arteriarum vicinos ramos irrumpens, & ad cor vsque penetrans, febrem accendit tamdiu durantem, donec quicquid e foco excussum est, dissipetur & discutiatur. Vt autem fermentorum varia sunt genera; ita & res, quæ fermenta illa participant, citiùs vel tardiùs efferuescere incipiunt, & breuiore vel longiore

temporis

Digitized by Google

temporis spatio fermentationem absoluunt. Præbet huius rei exemplum euidens mustum, quod, quò vuæ sunt maturiores, eò citiùs feruere incipit: ex vuis verò immaturis quod exprimitur, tardiùs feruere incipit. Idem & in aliis liquoribus, qui ex plantis earúmque fructibus exprimuntur, videre est, quorum alij, prout dulciores, acidiores, acerbiores sunt, citiùs vel tardiùs feruere incipiunt, & breuiore etiam vel longiore temporis spatio deferuent. Quæ res non parum declarat, cur humor biliosus citiùs, melancholicus tardiùs putrescere & efferuescere incipiat: Nimirū qualis est natura illius *συνδέσμου* aut *μίασματος*, & vt clarissimè dicam, fermenti: ita citius vel tardiùs humor paroxysmi causa efferuescere & putrescere incipit. Etsi verò istud putredinale fermentum humori ipsi respondeat, cùm ea simili humore generatum primò sit, & in omnibus tertianis bilem, in quartanis melancholiam peccare rectè dicamus: tamen in diuersis corporibus humorum esse aliquam differentiam, & humorem qui quartanam facit, secundùm corporum & temperamentorum diuersitatem nonnihil differre, non diffitemur. Illud tamen fermentum putredinale in omnibus est idem, & facit, vt certo & definito tempore humores, secundùm indiuidua nonnihil differentes, putrescere & efferuescere incipiant.

Periodi humoribus respondent.

Atque ita singulæ periodi suos humores, à quibus oriuntur, habeat, neque ea humoris transmissi vel allecti copia fatem, aut alia conditione proueniunt: Id quod duplices tertianæ & quartanæ euidenter demonstrant, in quibus licèt ea sit humoris copia, etsi in diuersis locis, vt duplicem febrem producere possit: quælibet tamen suam seruat periodum, neque ob copiam humoris, febris in aliam speciem, nisi & ipse humor aliam formam assumat, degenerat, sed tertiani vel quartani circuitus iisdem diebus, imò horis, illo semper respondeat. Neq; enim compositæ illæ differentiæ, quibus duplices tertianæ, duplices & triplices quartanæ constituuntur, simpliciter, tertianæ sunt, & quæ duplices aut triplices febres vocantur, quotidianæ nominandæ. Nam etsi, si diem spectes, ita nominari possint: tamen, cùm sæpe accidat vt in diuersis locis generentur & putrescant humores, pro complicatis illæ potius, quam simplicibus merito habentur. Quæ etiam eo signo discernuntur, quòd plerumque tertia accessio in duplici tertiana primæ, in hora reditus & symptomatibus; quarta secundæ; quinta tertiæ; sexta quartæ, septima quintæ, & sic consequenter respondeat. Sic in quartana triplici in hora reditus, duratione, vehementia paroxysmi, & cæteris symptomatibus, quartus paroxysmus respondebit primo; quintus secundo, sextus tertio; septimus quarto; octauus quinto. Quanquam nihil obstet, quin etiam duplices vel triplices febres eam horam in periodo obseruare possint. Contra etsi materiæ copia decrescat, quod fit in declinatione; ac paroxysmi fiant breuiores, nihilominus statu tempore recurrunt.

Si quis tamen etiam cœlestes causas coniungere velle, non planè obstamus. Quanquam cùm periodi à suis humoribus dependeant, tamen ad primam febris & fermenti illius putredinalis generationem, causæ etiam cœlestes aliquid facere posse videntur. Videmus enim multum in febribus & has posse, ac circa solstitia & æquinoctia febres quartanas, atque alias diuturniores incipere & terminari, & raiò, quamuis magna diligentia adhibeatur, ante eos terminos cessare; & vix vllam quartanam post solstitium hybernum incipere, sicut circa æquinoctium autumnale incipiunt frequentissimè.

Longitud. paroxysmorum causa.

Longitudinem verò, breuitatem, atque ordinem paroxysmorum quod attinet, pendent hæc omnia ex humoribus, viribus & corporis constitutione. Humor enim copiosus longioris paroxysmi causa est, quàm paucus. Ita quoque crassus longiorem paroxysmum facit, quàm tenuis. Nam citiùs discuti potest humor paucus & tenuis, quàm multus & crassus. Si vires sunt robustæ, breuior est paroxysmus, quàm si languidæ. Validior enim virtus citiùs id quod molestum est, potest expellere, quam debilis. Corporis denique constitutio rarior, causa est paroxysmi breuioris; densior, longioris. In habitu enim raro, viæ per quas humores vitiosi in paroxysmis euacuari debent, sunt patentiores; in denso verò angustiores & magis conclusæ. Atque vbi omnes causæ, quæ breuem paroxysmum efficiunt, concurrunt, fit is breuissimus: vbi omnes, quæ longum producunt, adsunt, fit longissimus: vbi quædam causæ, quæ paroxysmum breuem efficiunt, adsunt, quædam deficiunt fit paroxysmus medio modo sese habens.

Ordo paroxysmorum.

Est & in ordine periodorum quædam differentia. Nam interdum paroxysmus eodem planè tempore redit: Aliquando sequens paroxysmus citiùs, quàm prior, recurrit; qui typus appellatur *προληπτικὸς*. Aliquando verò sequens paroxysmus tardiùs, quàm prior redit, & nominatur *ὑστερητικὸς* typus. Et quidem nunc per totum morbi decursum talis typus obseruatur, & sæpe à principio febris vsque ad integram solutionem omnes paroxysmi anticipant vel postponunt, nec verò in aliquibus saltem accessionibus fit anticipatio, in aliquibus postpositio.

Anticipationis & postpositionis causa.

Accidere autem anticipationem plerique dicunt, cùm humores ob aliquod in victu erratum augentur, aut mouentur medicamentis, irâ, motu & similibus causis. Tardiùs autem redire dum materia imminuitur, vel crassior redditur. Quod quidem, vbi typus consuetus mutatur, ita fieri posse, vt non negamus, ita cùm febris aliquem typum vel *προληπτικὸν*, vel *ὑστερητικὸν* semper obseruat, causa potiùs ex humoris diuersitate petenda videtur. Etsi enim bilis suo modo corrupta, tertianæ periodi; melancholia, quartanæ causa sit: tamen bilis & melancholia secundùm corporum & temperamentorum diuersitatem nonnihil sæpe variat. Hinc etiam accidit, vt licèt illud fermentum putredinale, vel qualitas occulta bili inducta, sit causa tertiani circuitûs; melancholiæ inducta, quartani: tamen secundum humoris differentiam fieri potest, vt horis aliquot citiùs vel tardiùs illa humorum efferuescentia accidat. Ordo verò accessionum variatur, vbi vel humores mutantur, & in aliam naturam abeunt, vel errata in victu committuntur.

Rigoris & horroris causa.

Solet & hoc loco ab Authoribus pluribus disputari de rigore & horrore: verùm cùm ea de re alibi sit dictum pluribus, breuiter rem complectemur. Est rigor, à quo horror saltem magnitudine causæ differt, vt Galenus, *lib. 2. de sympt. caus. cap. 6. & 14. meth. med. cap. 4.* docuit, expultricis facultatis validus motus, à re molesta eam stimulante excitatus. Etsi verò variæ de Rigoris natura & causis disputationes moueri soleant: tamen ex iis facilè se expediet, qui distinguet inter subiectum rigoris, causámque eius proximam, & causas rigoris remotas. Subiectum nimirum rigoris sunt externæ corporis partes, quæ præter naturam concutiuntur & vibrantur. Causa proxima est, quicquid partes in ambitu corporis vniuersi sentientes subitò & confestim vellicare, iísque molestiæ sensum exhibere potest. Id enim vt amoliatur natura, partes illas concutere & vibrare solet: & vt ipse rigor est illarum partium concussio; ita causam proximam ibidem consistere necesse est. Causæ verò remotiores alibi etiam consistere possunt. Et vt de aliis, quas in *Instit. lib. 2. part. 3. s. 2. cap. 5. & lib. 1. pract. p. 1. cap. 24.* exposuimus, nihil dicamus, in febribus rigor accidit, cùm vel materia acris ex putrescentibus humoribus ad ambitum corporis delata sufficienter exhalare non potest, & per partes sentientes ibi confestim & subitò delata eas vellicat; vel cùm partes internæ ab humoribus acribus vellicantur. Sunt enim partes internæ ventris inferioris pleræque membranosæ, vel membranis inuestiuntur, quæ sensu exquisito præditæ sunt. Hæ ergò si afficiantur, vniuersi corporis partes in consensum trahuntur: hinc calore subitò ad eas recurrente, non solum externæ partes subitò refrigerantur, sed & à sanguinis ac caloris ad interiora recursu, tenues acrésque humores & vapores, qui sunt in ambitu corporis, subitò mouentur, iique agitati sentientes ibi partes vellicant.

Atque hæc de causæ proximæ, quæ febres intermittentes excitat, natura, loco & motu dicta sint. Causas verò remotiores, & quæ ad istius materiæ in venis mesaraicis generationem faciunt, supra explicauimus. Sunt omnium eæ, vt supra iam dictum, præcipuè cibus & potus non boni succi, sed humoribus vitiosis suæ naturæ respondentibus materiam præbentes, ventriculi praua dispositio, ob quam cibi bilescunt vel acescunt; Aeris constitutio intemperata. Atque est causarum illarum, præcipuè aeris nos ambientis, & victûs ea sæpe vis, vt quoscunque humores etiam in corpore inuenit, eos nihilominus corrumpere, & ad certam febris speciem inducendā determinare possit, vnde non solùm continuæ, sed & intermittentes sæpe populariter grassantur; & nunc tertianæ, nunc quartanæ frequentiores vel rariores grassantur.

Etsi enim in diuersis diuersi temperamenti corporibus, in quibus diuersi etiam humores naturaliter generantur, diuersi quoque plerumque morbi, cuiuis constitutioni & temperamento familiares producantur: tamen si magna sit causarum euidentium vehementia, etiam in diuersi temperamenti corporibus iidem morbi producuntur, dum diuersi humores eandem corruptionem incurrunt. Et in eiusdem temperamenti corporibus diuersi morbi produci possunt, prout diuersæ causæ iis occurrunt, quæ diuerso modo humores corrumpunt. Ideóque plerumque potiùs ad causarum agentium vim, quàm ad corpora ipsa respiciendum. Etsi enim agens agat in subiectum dispositum: tamen ea sæpe est causarum vehementia, vt nullum corpus ab ea sibi immunitatem polliceri possit. Et hinc diuersitas effectûs diuersitatem causæ arguit, & contrà identitas effectûs identitatem causæ indicat.

De Differentia Febrium Intermittentium.

Febrium Intermittentiū differentia.

Differunt autem Intermittentes inter se, maximè humorum à quibus ortum habent, varietate. Tot enim sunt febrium Intermittentium species, quot humorum, a quibus producuntur. Sunt autem humores, ea quibus oriuntur, tres illi excrementitij, Bilis, Pituita, Melancholia, atque ita tres febrium Intermittentium species, Biliosa Pituitosa & Melancholica, quas differentia, tertianam Intermittentem quartanam Intermittentem, & quotidianam Intermittentem nominare solemus. Verùm si humores non semper sinceri sunt, sed sæpe mixti: hinc rursum febrium quædam differentia oritur. Nam quæ ex sincera bile ortum habet febris, vulgò tertiana pura, aut febris biliosa pura intermittens nominatur; quæ verò à bile simul cum alio humore oritur, tertiana notha seu spuria appellatur, & ita de reliquis.

An dentur febres pituitosa intermittent.

Verùm vulgata hæc doctrina à quibusdam in dubium vocatur, & præcipuè de pituitosis febribus ambigitur. Fernelius quidem hanc omnium rarissimam esse, & quæ via ex sexcentis vna obtingat: sedulùm laborans quotidie febre conflictatur, id ferè à duplici tertiana fieri scribit. Platerus verò planè has febres

negat,

Digitized by Google

negat, & duo saltem febrium intermittentium genera constituit. Tertianam è bile tenuiore; Quartanam verò ex crassiore & veluti adusta; pituitosam verò seu Quotidianam intermittentem non admittit. Et Platero ea, quæ Galenus, 8. *meth. med. cap.* 5. tradit, non parum fauere videntur. Etenim cùm eo loci duplicem cruditatem saltem constituat, vnam nidorosam, alteram acidam, & vtramque febribus originem præbere doceat: duplices saltem erunt febres, vna ex nidorosa, altera ex acida cruditate originem habens, aut certè hæ febres erunt frequentiores. Quia tamen ex cruditate illa, quæ nidorosæ opponitur, etiam pituita generatur, & pituitosos humores, à bile & melancholia diuersos, in primis viis sæpe cumulari certum est, neque eos putrescere posse est planè impossibile: etiam Quotidianæ febres dari videntur. Quia tamen pituita est frigida, vix sola putredinem concipit, atque ita, vt Fernelius scribit, è sexcentis febribus vix vna erit quotidiana intermittens è pituita.

E Chymicorum principiis intermittentium differentia explicata.

Chymici illam geminam cruditatem nidorosam & acidam, per sal amarum & acidum explicare conantur. Cùm Natura in coctione in animalibus quandam *ἀντιφάτων* intendat, & fermentationem quasi quandam instituat: in animalis coctione rectè sese habente vix vllus sal fixus generatur. Si verò in coctione aliquod vitium accidat, humores nunc amari, nunc acidi, atque ita salis fixo abundantes generantur. Vt enim in fructibus, vino, & cereuisia, vbi in coctione & fermentatione aberratur, atque aliqua fit corruptio, aliter atque aliter, quæ producuntur, sese habent: ita & cùm in nostro corpore natura in suis operibus aberrat, sese res habet. Et si ea, quæ vomitu, per aluum, per cutim excernuntur, consideremus: in tertiana quid amarum, in quartana acidum quid abundare animaduertemus. Est autem maior fixitas in sale acetoso quàm amaro. Atque hinc accidit, vt tertiana citiùs soluatur Quartanâ, & paroxysmi breuioribus redeant interuallis. Qui enim aliarum rerum extra corpus humanum, præcipuè vini, cereuisiæ & musti ex pyris, pomis & aliis fructibus facti fermentationé & feruorem (cui meritò putredo febrilis assimilatur,) considerare voluerit, animaduerteret, alia ad acetositatem, alia ad amaritudiné transire: & quæ ad amaritudiné tendunt, citiùs feruoré côcipere, acida tardiùs efferuescere: amaritudinis item motum breuiorem esse, acetositatis longiorem; licet amaritudinis calor maior sit. Hinc etiam accidit vt ob salis acetosi fixitaté & corpulentiam, Quartanæ faciliùs transeant in hydropem, quàm tertianæ. Neque enim, vt Paracelsistæ sibi imaginantur, ex sale resoluto fit hydrops, sed si ex Chymicorum principiis hac de re loqui libet abundat & excedit Salis *ὑγρότης*. Verùm etsi hoc modo è Chymicorum principiis febrium intermittentium differentiæ explicari possint; hoc tamen monendum, cùm sal ad putredinem & inflammationem aptus non sit, aliquid in vtroq; humore præterea requiri, ob quod ad inflammationem & putredinem aptus sit, sulphureum scilicet & φλογιστόν.

Ad bilem ergo amaram, & atram seu acidam, aut quomodocunque appellare libeat, differentiæ febrium & earum periodi non ita incommodè referuntur: & ex humore atro, & salem acidum, aut certè fixum nimium continente, Quartana; ex bile seu amaro humore, Tertiana deducitur. Cùm tamen horum humorum, & præcipuè bilis, aliqua differentia appareat, & nunc flaua, nunc viridis, nunc æruginosa vomitu reiiciatur: si quis vni harum specierum etiam quotidianum circuitum tribuere velit, per me id licet, cùm non parua sit inter eas differentia. Non tamen à pituita, aut certè pituitæ admixtione eam fieri impossibile est.

Verùm an alij adhuc, quam hi tres dentur Typi, Medici dissentiunt. Galen. *lib.* 1. *de differ. febr. c.* 8. negat, se vllam febrem, quæ vltra quartanum circuitum extenderetur, obseruasse: Et idem cum eo plurimi alij negant. Hipp. verò 1. *Epid. comm.* 3. *text.* 2. 7. & 17. talium febrium mentionem facit. In t. 2. enim scribit: *Nonnullæ febres semitertianæ sunt, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonanæ*, t. 7. *septimana longa est, verumtamen lethalis: nonnna has longior etiam, at non lethalis* t. 17. *Proterea erraticæ febres, quartanæ, quintanæ, septimanæ & nonanæ quibus indicentur circuitibus, considerandum.*

Hoc verò nonnulli ita explicant, fieri quidem posse, vt aliqua febris quæ priùs quarto die semper redierit, ex inordinato viuendi modo, aut aliâ de causâ, non quarto, sed quinto, aut septimo die semel redeat, non tamen tales febres peculiarem atque integram periodum obseruare.

An dentur febres quintanæ, septanæ, &c.

Verùm referunt doctissimi Medici, de quorum fide non est quod dubitemus, se febres vidisse, quæ non semel saltem, sed per longum temporis spatium periodus quartanis longiores obseruarint. Auicenna, *lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *c.* 68. scribit: *Retulit mihi fidelis quidam se vidisse nonanam. Quintanam verò nos multoties vidimus.* Nicolaus Florentinus, *serm.* 2. *tract.* 2 *summa* 4. *dist.* 5. *c.* 9. refert, Gentilem vidisse febrem, quæ de decimoquinto in decimumquintum inuadebat. Cornel. Gemma, *lib.* 1. *Cosmocritic. c.* 1. se vidisse quintanam & septimanam febrem refert. Franciscus Vallesius, *lib.* 5. *contr. c.* 25. scribit, se multò antè, quam Medicinæ studere cœperit, febrem octauam, in quodam sene, quæ multos annos durauit conspexisse, Petrus Salius Diuersus, c. 12. *annot. in Altimarum*, ita scribit: *Experientia mihi hoc testata est, dari certò octauum circuitum, & octauam febrem. Alteram enim vidi in nobili Equite, non vltra 25. annum agente. Alteram in muliere quinquagenaria.* Eiusdem rei exemplum etiam Amatus Lusitanus annotauit: Et Petrus Forestus, *lib.* 3. *de febr. obs.* 43. exemplum habet febris quintanæ.

Ita que etsi ipsi tales febres non viderimus: viris tamen fide dignis, qui eas se vidisse referunt, credendum. Vita enim breuis, ars longa, vt habet Hippoc. 1. *aph.* 1. neque facilè vni homini omnia morborum genera curanda obueniunt.

Porrò de causis harum periodorum multi anxiè disputant, atque illud eos maximè torquet, quomodo, cùm tres tantùm sint humores, plures possint dari circuitus. Ergò variant hîc humoris melancholici cum aliis misturam afferunt. Andreas Cæsalpinus, vt suprà dictum, *lib.* 2. *art. medica. c.* 15. quintanas ad bilem, septanas ad melancholiam refert, statuitque tales rariores typos esse species simplicium typorum, interpolata vna accessione aut pluribus; quintanam nimirum esse tertianæ speciem in quâ tertia dies est sine accessione, septanam esse quartanæ speciem interpolatâ accessione quarti diei: & accidere hîc idem, quod in menstruis, quæ deficientia vno mense non mouentur tempore intermedio, sed expectant consuetum tempus. Quæ opinio etsi satis sit probabilis: tamen typorum horum causa non incommodè ad humorem melancholicum referri potest. Sunt enim hæ febres omnes longæ, & tempore autumnali, ferè vt quartanæ, oriuntur. Non tamen peculiari humoris melancholici cum aliis mixturâ opus est, cùm nullus humor detur, qui longiorem typum, quàm melancholia, excitare possit: sed sufficit ipsa humoris melancholici diuersitas, qui, vt bilis etiam, non semper est eiusdem generis, & propterea etiam corruptio quam patitur, non semper eadem. Vt mirû non sit, si ei ea proprietas induci potest, vt quarto die moueatur, etiam induci posse, vt longiore interuallo moueatur. Et vt in morbis epidemiis interdum raræ & mirandæ humorum corruptiones accidunt: ita in febribus intermittentibus talia quædam interdum accidere posse, absurdum non est.

Signa febriũ intermittentium.

Antequam autem ad species has febrium Intermittentium accedamus, in genere adhuc quædã de Intermittẽtibus monenda videntur. Et primò signa harum febrium quod attinet, docent plerique ex Galeno, 1. *ad Glauc. c.* 5. 2. *de cris. c.* 3. 2. *de differ. feb. c.* 3. quòd febres, quæ cum rigore inuadunt, ex eorum numero sint, quæ per circuitum infestant: & ea hoc primùm à biliosa continua periodica intermittentes distinguendas censent; quia continuæ cum rigore non incipiant, in Intermittentibus autem fiat rigor, cùm tertianis, tum quartanis. Verùm in tertianis in primo insultu cum vehementia rigorem accidere; quartanam verò non cum vehemente rigore incipere, sed post tempus magnitudinem illi aduenire docent. Et quidem per rigorem, cum quo tertiana inuadit, corpora quasi pungi videri; in quartana autem, adesse magnum refrigerationis sensum. Quotidianam autem neque statim in primo paroxysmo, neque etiam post rigorem habere, sed solùm refrigerationem aut horrorem antecedere. Et proinde tertianam notham etiam, cùm non à bile sola, sed à bile cum pituita aut melancholia mixtâ oriatur, non inuadere cum rigore, sed cum horrore.

Verùm contradicit huic sententiæ Simon Simonius, qui *in Synopsi de humoral. febr. natur.ú, c.* 8. ita scribit: *Etsi in continuis assiduo igne concalefactæ partes, minùs priuari calore, vel sentire malitiam commoti humoris possint: ut tamen continuas haud sanè paucas, tum priore accessione suâ, tum sequentibus exacerbationibus, non obscuri horroris indicia, propter largioris videlicet copiosiorisque, aut etiam malignioris humoris in cor, vel circum præcordia motum concitatiorem, præter vomitus molestiam, afferentes; vt contrà tertianas quotidianásque & quartanas febres intermittentes aliquot, quæ nullo, vel aliquo illo quidem rigore, sed exiguo frigoris sensu, absque vomitu, & citra omnem corporis perturbationem, aggredi solebant ægrum, in ἀπυρεξίας tamen aliquando purum illam, aliquando paulò minus integram desinentes, nostris nos auditoribus multoties, ex arteriæ corporisque tactu, aliorúmque omnium diligenti circumspectione obseruandas exhibuimus. Vt ergo illud Galeno largimur, quod libro* 2. *de diff. febr. c.* 8. *docuit, Continuam febrem vt continuam, non habere rigorem aut horrorem necessariò adiunctum; ita febrium intermittentium propria indicia ista dici debere, quasi pathognomonica sint, quæque ex necessitate omnibus solisque eiusmodi febribus adsint, constanter denegamus.* Et paulò post: *Continuarum febrium παραυτίκα frigore & horrore succedentis paroxysmi non raro excipitur: Et contrà intermittentes, quæ in perfectam ἀπυρεξίας terminantur, multæ absque euidente frigoris, ne dicam horroris, sensu, etiam ipsius ægri confessione redisse visæ sunt.* Hæc Simonius.

Verùm enimuerò hæc quidem non sunt de nihilo, & si quis ea quæ in praxi quotidie occurrunt, diligenter obseruare & annotare velit, comperiet, plurimas dari febres, quæ videntur Intermittentes, tertianas & quartanas, quæ non solùm absque rigore & horrore, sed sæpissimè etiam sine frigoris aliquo sensu inuadunt.

Verùm sæpe febres tales potiùs continuæ sunt, vt facilè ex pulsu patet, quàm intermittentes: & si sunt, intermittentes, non, puræ illæ febres sunt, quarum Galenus ideam quasi proposuit sed nothæ. In continuis verò natura quoque interdum, quod molestum est, mox in principio tentat expellere, atque eâ de causâ rigor excitatur; sed cùm id assequi non possit, quia materia in venis cum probo sanguine adhuc permixta est, sæpe etiam viæ non patent, ab opere desistit, atque in reliquis accessionibus nullus rigor accidit; nisi forsan cocta iam vel subacta materia, &

humoribus putridis ab vtilibus separatis, vel etiam malitia materiæ stimulata natura iterum ad expellendum insurgat. Præterea videntur nonnunquam febres continuæ, quæ tales sua natura non sunt, sed ex accidente; cùm scilicet antequam vnus paroxysmus absolutus est, nouus succedit.

Curatio febrium Intermittentiũ in genere.

Deinde in genere quædam de curatione Febrium Intermittentium tradi posse videntur. Etsi enim materia, & proxima caussa discrepent, & ceteous quælibet peculiarem curationem desideret: tamen cùm loco, in quo materia generatur & putrescit, & præterea solutione, quæ fit singulis paroxysmis, conueniant, non pauca sunt, in quibus curandi febres has ratio conuenit. Etenim in prima corporis regione, & venis mesaraicis ac vicinis locis, materia febrem producens primò colligitur, putredinem concipit, & hinc in venas & totum corpus diffunditur, tandémque per sudores aut insensibilem transpirationem discutitur, atque ita paroxysmus cessat. Relinquitur verò post paroxysmum, vt Galenus, 2. *de diff. febr. c. vlt.* tradit, duplex in corpore vitiosa διάθεσις; vna, inquinamentum quoddam, aut σπινθηρῶδες ἔναυσμα, ex humore in præcedente paroxysmo relictum; altera membri excrementitios humores generantis debilitas. Hinc accidit, vt pars hæc ob debilitatem superfluitates generet, quæ & ab innato vitio, & à putredinoso inquinamento, seu fermento à priore paroxysmo relicto, initium putredinis concipiunt, atque ita nouus paroxysmus oritur. Idque tamdiu durat, donec & illa dispositio ac partis debilitas, excrementitios humores generans, sublata, & fermentum illud ac σπινθηρῶδες ἔναυσμα, humores inquinans, planè discussum sit.

Ex his ergò omnibus apparet, cùm initium generationis & corruptionis humorum febrem producentium sit in primis viis, commodissimè fieri, si humor is qui primum vitium concipit, expurgetur, antequam reliquum sanguinem corrumpat, & vitiosam dispositionem ac debilitatem parti inducat, quod fit rectissimè per aluum purgantia & vomitoria. Atque experientia testatur, nonnunquam vnico medicamento purgante, vel vomitu, seu à natura seu arte concitato, vitiosis humoribus reiectis, febrem planè cessasse.

Imò vulgus non raro statim in prima inuasione interdum sudorifera exhibere solet, & curandi ista ratione, etsi non satis cautâ, interdum febres, dum hoc modo ἔναυσμα illud σπινθηρῶδες discutitur, tollere obseruatum est. Verùm cautè in istis euacuationibus procedendum, cùm non omnium febrium intermittentium eadem sit ratio. Nam cùm humor ille vitiosus & excrementitius, febris caussa, in mesaraicis sanguini permixtus sit, etiam cruditas & coctio quædam suo modo necessaria est, qua humores vitiosi à bonis separentur, & ad euacuationem apti reddantur. Idque sæpe breui tempore in febribus biliosis accidit, & humor biliosus aliàs ad motum satis aptus est. In quartanis verò in quibus humor contumacior est, de Galeni quidem consilio, 1. *ad Glauc. c.* 11. nullum fortè medicamentum ab initio facilè exhibendum, & Quartana ab initio leniter tractanda. Si tamen signa bona adsint initio, vomito & alui purgationibus, Celsus, *lib. 3. c.* 16. periculum facit, antequam inualescat. Et omnino sudorifera tutò non exhibentur, nisi priùs euacuationes præcesserint. Si enim multi vitiosi & excrementitij humores adhuc in primis viis consistunt, facile fieri potest, vt sudoriferis intẽpestiuè exhibitis ad alias nobiliores partes detrudantur, ac malorum grauium, & quæ plus periculi, quàm ipsa febris afferant, caussa fiant: obseruatúrque quotidie à Medicis, atque annotauit illud D. Iacobus Oethens, *in obseru. Schenck. l. 6. obs.* 60. multos necessariis euacuationibus in principio intermittentium neglectis, plurima incommoda sibi attraxisse, & in varios abscessus, maximè verò coxendicum dolores, in impetigines fœdas, in icteritiam cum hydrope coniunctam, in insanabiles colicos dolores, quos tandem epilepsiæ & paralyses, aut arthritides secutæ sunt, item in tabem ac conuulsionem incidisse.

Venæsectionem quod attinet, dicetur de ea in specie postea suo loco. In genere tamen hoc notandum, à caussa febrium intermittentium primaria, quæ in venis mesaraicis generatur, & maximam partem hæret, eam non indicari; cùm venarum, quas secamus, nulla ex iis euacuet: quia tamen interdum sanguis in vena caua simul abundat, qui facilè corrumpi, ac vitiosis humoribus inquinari, & à natura febre debilitata satis regi, si copiosior sit, non potest, & progressu morbi subinde aliquid peccantis materiæ in venam cauam transit, ac sanguini permiscetur: habet quandoque locum venæsectio, quæ tamen non mox initio & ante primarum viarum euacuationem instituenda est.

Euacuationibus his si febris non tollatur, danda opera, vt caussæ recursus paroxysmorum tollantur, & propterea duo omnino agenda, vt illa dispositio & debilitas partis vitiosos humores generans tollatur; quod fit alterantibus, quæ simul & humoris vitium emendant: & inquinamentum illud ac μίασμα ex humorum putredine relictum discutiatur. Etsi ea, quæ in febribus hisce accidunt, obseruemus, videtur illud μίασμα & ἔναυσμα σπινθηρῶδες sæpe quidem esse mole exiguum, sed vi maximum, vtpote quod primaria paroxysmi caussa est, & quo discusso paroxysmus cesset. Id quod interdũ à natura fieri solet, quæ id è venis expellit, dum circa labia, nares, & alias faciei partes pustulæ excitantur, *Wenn der Mund, oder die Nase ausschleget*, quæ etiam à vulgo, quem experientia id docuit, febris iam cessaturæ indicium habentur. Imò non solùm circa labia & nasum ac in facie, sed & in aliis partibus interdum eiusmodi pustulæ erumpunt. Ita memini studiosum febre tertiana liberatum, dum pustulę tales paruæ in toto digito tertio seu maiore erumperent.

Tollitur autem id μίασμα commodissimè sudoriferis: Vnde apud Germanos nostros plures pulueres ex carduo benedicto, dictamno, tormentilla, pimpinella, cornu cerui, gentiana & similibus, & alia sudorifera sunt in vsu, quæ procul dubio nihil aliud faciunt, nisi quòd illud inquinamentum, fermentum & ἔναυσμα σπινθηρῶδες, seu in mesaraicis seu in vena caua contentum discutiunt. Et frustra purgantibus sæpe ægri macerantur; nisi dispositio & debilitas partis humorem vitiosum generantis, ac inquinamentum illud humores corrumpens tollatur. Sempérque præstat, vitiosos humores non generari, quam genitos euacuari.

Febrifuga.

Dantur tamen & alia quædam medicamenta, quæ & à Medicis & à vulgo nonnunquam vsurpantur, quæ paroxysmos Febriles tollunt, & propterea Febrilia, & πυρετηγά, & specifica febrifuga appellantur, quæ tamen sudores non mouent, sed alio procul dubio modo illud μίασμα, & per consequens paroxysmum tollunt: qualia vulgò sunt, puluis è cochlearum testis à Crollio descriptus, & mulierculis etiam dudum notus, in primis puluis è conchis margaritiferis seu matre perlarum calcinata, à Scrup. j. ad Scrup. iv. Puluis è cancris fluuiatilibus vstis, & præcipuè ex oculis 🜍 dictis paratus. Quis autem ille modus sit, ab authoritatibus non explicatur. Vt quod mihi videtur dicam, talia medicamenta præcipitatione quadam vim illam efferuescendi, & paroxysmum excitandi in humoribus tollere videntur. Cuius rei documenta passim occurrunt. Vt iam non dicam de eo, quòd cereuisiæ acescentis vitium creta iniecta à vulgo emendatur, & acetum aciditatem creta iniecta amittit, ac Spiritus vitriol. cum sale tartari mixtus aciditatem perdit: manifestum huius rei argumentum est in ardore stomachi, quem Germani *den Sodt* nominant, cùm à bilis in ventriculo ebullitione vapor quidam & flatus ardens attollitur, & dolorem ac ardorem in orificio ventriculi & œsophago excitat. Ad quem effectum tollendum cretam, oculos cancri, bolum armenum & similia, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam adimunt, vsurpari, vulgo etiam notum est.

Tutò tamen talia non exhibentur, nisi humores vitiosi, & qui caussæ antecedentis rationem habere possunt, priùs tollantur. Aliàs enim, qui à natura in paroxysmo stimulata expelli poterant, in corpore relinquuntur, & postea cachexiæ, hydropis, icteri, doloris colici, & aliorũ grauiũ malorũ caussa esse possunt.

Topica.

Applicantur & extrà quædam medicamenta ad intermittentes febres tollendas, ex telis aranearum, & oleo aranearum, & vesicatoriis quibusdam, & similibus, quæ postea *de tertiana* proponentur, quæ procul dubio id quod præstant, μίασμα seu inquinamentum illud febrile extrahendo & euacuando præstant, de quibus postea in specie dicetur. Et cùm, vt Scalig. *Exercit.* 218 *sect.* 6. docet: In Zeilam fluuius Arotan pisces habeat, è quorum numero *vnum, si quis manu capiat, continuò febre corripitur, amisso pisce statim liberatur*: quidni etiam talia dari possint, quæ μιάσματα illa febrilia è corpore euacuare possint?

Est è recentioribus Chymicis Angelus Sala, qui *in ternario bezoard. cap.* 22. in ea est sententia, materiam quæ febris quartanæ caussa est, (eadem ratio esset tertianæ) primò quidem in stomacho & primis viis cumulari; in quartana verò confirmata in venis hospitari, non in primis viis; ea de caussa, quòd quartana confirmata tollatur medicamentis externis, ex telis aranearum, apio, ruta, & similibus, quæ carpis imponuntur; internísque vt theriaca, mithridatio, spiritu vini cum zingibere, pipere & similibus, quæ sanguinem agitant, spiritus alterant, & sudorem cient. Non verò consistere in prima corporis regione, ideo quòd epithemata ista pulsibus applicata, ad profundas istas corporis partes penetrare non possint; ac quòd purgantia medicamenta Quartanas confirmatas non tollant.

Qua re persuasus ipse, in principio quidem humores vitiosos, antequam massam sanguinis coinquinent, purgare iubet. Si verò inueterata iam sit quartana, primis viis leniter euacuatis, iis quæ meatus cutis aperiunt, sudorémque cient, curam absoluendam putat.

Verùm enimuerò, si per istam subtilem & in sanguine hospitantem materiam, cuius motu paroxysmi efficiantur, intelligit illud inquinamentum, quod post paroxysmum relinquitur, & quod Galenus σπινθηρῶδες ἔναυσμα nominat, atque etiam σπινθηρῶδες fermentum appellare possumus: in eo non malè loquitur. Putridos enim humores in venis etiam in Intermittentibus contineri, antea etiam docuimus, testantúrque id cùm alia, tùm sudores in declinatione erumpentes, sanguis venæsectione emissus: & fomitem illum, à materia, quæ præterita accessione computruit, etiam in ipsis venis relinqui, docet vrina è qua post paroxysmum de coctione & cruditate, & ex eius sedimento de actione naturæ in materiam febrilem, præcedente paroxysmo facta, indicare licet. Testantur idem & pulsus, qui in febribus Intermittentibus, etiam post paroxysmum, inæqualitatem retinet, de qua Galen. 2. *ad Glauc. c.* 5. *& alibi.*

Verùm non tota tamen ibi semper continetur materia: sed plerumque multò maxima pars, & quod crassius est, in venis mesaraicis

saraicis & locis vicinis hæret: id quod dolores hypochondriorum, inflationes & tumores, & febribus diuturnis subsequentes cachexiæ & hydropes satis docent.

Quapropter concedimus quidem, nonnunquam in declinatione febrium id accidere posse, atque & à me & ab aliis Medicis plurimis obseruatum, externis eiusmodi appositis febrem finiri: non tamen semper hoc accidit. Euenire nimirum potest, vt illa dispositio vitiosum humorem generans sublata sit: neque etiam ampliùs in primis viis aliquid de *eiusmodi* illo inquinamento & fermento hæreat, sed in venis aliquid eius adhuc reliquum sit: tùm ergò medicamentis eiusmodi extra applicatis illud euocari, & febris cessare potest: sicut & naturam nonnunquam idem tentari videmus, dum vlcusculis, vt antea dictum, circa labia erumpentibus febris finitur. Et hærere tandem materiam febris causam etiam in ipsis venis, vel ex eo patet, quòd vena secta quandoque paroxysmus statim tollitur: cuius rei exemplum habet Andr. Spigel *lib. 1. de semitert. cap.* 15. Idem docet Scabies, quæ si erumpat, febres & tertiana & quartana cessare solent, scabiéque euanescente Recidiuæ fiunt. Vbi certa materia è venis caua in cutem protruditur, & vbi scabies euanescat, non credibile est, materiam illam ad venas vsque mesaraicas, sed solùm ad cauam recurrere. Et *μιάσματα* talia in venis & reliquo corpore diu contineri, & certis interuallis moueri, & paroxysmorum authores esse posse, epilepsia, venenum canis rabidi, vt & inquinamenta post alia venena in corpore relicta, satis testantur, quæ & ipsa sæpe statis periodis mouentur. Verùm si materia febris adhuc copiosa in venis mesaraicis & vicinis locis hæreat & suppeditetur, frustra talia externa, vt & sudorifera, exhiberi, ipsa experientia testatur. In primis nihil talibus proficitur, si accedant pertinaces viscerum obstructiones, à quibus febres prolongari posse, iam antea dictum.

CAPVT XVIII.

De Tertiana Intermittente.

Tertiana Intermittens.

FEbres biliosæ frequentissimæ sunt, adeò vt nonnulli in eam sententiam venerint, omnes febres à bile ortum habere. Sunt autem duorum generum. Aliæ quidem continuæ, quæ ardentes & tertianæ continuæ vulgò nominantur, de quibus suprà dictum. Aliæ intermittentes, de quibus iam agendum est, quæ quia plerumque tertianam periodum obseruant, vulgò tertianæ Intermittentes nominantur. Cùm autem dicimus, à bile has febres prouenire, non intelligimus sanguinem biliosum, seu quartam illam massæ sanguineæ partem, quæ ob tenuitatem, caliditatem & siccitatem, atque ita conuenientiam, quam cum bile excrementitia habet, vulgò etiam bilis appellatur: sed humorem excrementitium, & de qua etiam iam diximus. Hæc enim in primis viis collecta, vt à naturali calore ampliùs gubernari & conseruari non possit, putrescit, & febrem hanc excitat.

Tertianarum intermittentium differentia.

Est autem quædam harum febrium differentia. Nam primò bilis è qua febres hæ generantur, non est eiusdem generis. Interdum enim est bilis naturali illi, quæ in vesicula fellis colligitur, similis; aliquando verò præternaturalis, viridis vel æruginosa, qualis etiam in febricitantibus interdum per vomitum vel aluum reiicitur. Deinde bilis vel sola putrescit, vel alium humorem habet admixtum, pituitam vel melancholiam. Illa puram, hæc notham tertianam constituit. Differunt etiam ratione durationis. Nam si paroxysmi vltra 12. horas non extendantur, tertianæ puræ solent nominari; si verò paroxymus vltra 12. horas extendatur, non ampliùs tertianæ exquisitæ, sed vel tertianæ simpliciter, vel nothæ appellantur. Et quarum paroxysmus vltra 24. horas extenditur, tertianæ extensæ dicuntur. Accidit autem hoc ob humoris vel tenuitatem aut crassitiem, vel copiam aut paucitatem. Quò enim bilis est tenuior vel paucior, eò citiùs discutitur: quò verò crassior, aut cum crassis humoribus magis mixta, vel copiosior, eò diutiùs durat paroxysmus.

Tertiana notha.

Verùm de humorum cum bile permixtione authores dissentiunt. Galenus enim tantùm tertianam ex bile cum pituita mixta nominat, neque in *lib. de diff. febr.* neque 1. *ad Glauc.* neque in 2. *de cris.* neque passim in Hippocratis expositione alterius mentionem facit. Verùm recentiores plerique etiam tertianam ex bile cum melancholia mixta proponunt. Si enim, inquiunt, bilis potest misceri cum pituita: cur non etiam cum melancholia permisceri possit. Sed hic sese opponunt alij, & Galenum non oscitantia aut negligentia quadam has febres prætermisse putant, sed ideo quòd nullæ vnquam dari possint. Primò enim, dicunt, flaua bilis & melancholia in diuersis, imò oppositis partibus locum habent: hæc in liene, in sinistro hypochondrio; illa verò in dextro, in folliculo fellis. Ideóque ita facilè misceri non possunt. Pituita verò facilè bili misceri potest; cùm omnes illas partes, in quibus bilis solet colligi, in primis hepatis cauum & mesenterium, permeet & prætérlabatur. Deinde febres illæ nothæ sunt, cùm duo humores ita permiscentur, vt ex iis vnus humor fiat, (nisi enim hoc fieret, vnica periodus non fieret, sed potiùs duæ febres.) Cùm autem mixtio sit miscibilium alteratorum vnio: impossibile esse putant, vt inter omnium crassissimum & tenuissimum succum talis intercedat vnio, sicut prolixè hac de re disputat Eust. Rud. *lib. 3 pract. c.* 57.

Verùm enimuerò impossibile non videntur, hosce duos humores misceri, quamuis rariùs à bile cum melancholia mixta, quàm à bile cum pituita mixta febres proueniant. Nam etsi hepar & lien locis distideant: tamen, vt Hippoc. habet, est mutuus confluxus & consensus partium, & præcipuè in febribus humores ex parte vna in alteram facilè transire videmus. Et licèt diuersas habeant qualitates bilis & melancholia: tamen ambo humores sunt, id est, talem naturam habent, quæ facilè miscetur.

Vbi autem ista bilis generetur, authores non idem sentire videntur. Nonnulli enim legitimas tertianas ex bile, naturali illi quæ in vesicula fellis colligitur, simili fieri statuunt; quæ verò à præternaturali, qualis est vitellina, porracea & æruginosa, fiunt, nothas appellant. Verùm enimuerò cùm bilis illa naturalis non tam generetur in secunda coctione, quàm, vt inutilis ad alendum corpus, separetur: non negandum, ex cibis humori bilioso generando aptis, vt & ex ventriculi, in quo cibi bilescunt, vitio, mox in mesaraicis, ob copiam talem humorem colligi. Cur verò febres, quæ à viridi & æruginosa bile proueniunt, nothas appellare debeamus, causam non video, cum nullum alienum humorem admixtum habeant; imò febres longè ardentiores, quàm bilis flaua, generent. Dubitant quidem nonnulli, an ex bile vitellina, porracea & præcipuè æruginosa, Febris Intermittens fieri possit, vt videre est apud Conciliatorem, *differ.* 91. cùm bilis æruginosa quasi venenum sit, quod hominem subitò iugulet. Verùm testatur experientia, talium humorum, vel per vomitum, vel per aluum reiectione interdum ægros à febribus tertianis liberari. Verùm febres, quæ ab iis excitantur, longè grauiores sunt, quàm quæ à bile flaua fiunt, & sunt pleræque febres eæ ardentes, de quibus pluribus agit Franc. Valleriola, *lib. 4. enarrat.* 34. vbi ipsa experientia & suis obseruationibus probat, dari tales febres è bile porracea & æruginosa, & bilem hanc veramque non solùm in ventriculo è prauis alimentis, sed etiam in hepate & venis, ab earum calore nimio generari, simúlque rationem curandi has febres tradit, quæ cum iis, quæ supra *de febre ardente* diximus, conferri possunt.

Causa febris tertianæ.

Causæ ergò febrium biliosarum Intermittentium sunt, quæ bilem excrementitiam generare valent; intemperies nimirum corporis, in primis hepatis & ventriculi, calida & sicca, ætas iuuenilis, æstas, ac calida & squalida aeris constitutio, vigiliæ, curæ, iræ, inedia, ciborum calidorum & biliosos humores generantium, potus calidi, vt & medicamentorum calefacientium nimius vsus, labor & exercitia nimia. Cùm autem plures bilis species esse diximus, flaua bilis in primis in hepate calidiore & sicciore colligitur, & hinc in primas vias regurgitat: non tamen impossibile esse, etiam in mesaraicis, ob ciborum vel ventriculi vitium, colligi, modò diximus. Porracea autem & æruginosa etsi in vasis, etiam ob nimium calorem: tamen & in ventriculo ex prauis cibis producitur. Inter causas autem febrium harum non solùm numerandæ sunt eæ, quæ bilem generare & multiplicare, sed etiam quæ genitam in mesenterium vel attrahere, vel impellere possunt. Vnde febrium tertianarum differentia oritur, prout ex hac vel illa causa, fortiore vel debiliore, & ex hac vel illa bilis specie oriuntur.

Causa tertianæ nothæ.

Causis bilem generantibus si coniungantur causæ pituitam & melancholiam gignentes, fiunt tertianæ nothæ. Vt enim sit exactè pura tertiana, omnes causæ bilem generantes concurrant necesse est, corpus calidum & siccum, ætas interuallis & consistens, aër ambiens calidus, victus ratio calefaciens & siccans: quarum si vna deficiat, febris non erit exactè pura. Hinc si causæ bilem generantes incidant in senem, hominem habitus crassioris, in otio viuentem, crapulæ deditum, aut qui quacunque de causa crudos humores in ventriculo, intestinis, pancreate, cumularit, fiunt nothæ febres biliosæ. Quæ ideò etiam diutiùs durant & protrahuntur, quòd fomitem ab illis crudis humoribus suscipiunt. Ita sæpe tempore æstatis crudi humores ex defectu caloris interni, vel copia potus, vel crudorum fructuum vsu generantur, qui bili mixti nothas biliosas pariunt. Sic autumnus, etsi aliàs affectus melancholicos soleat generare: tamen quia æstatem excipit, tertianas non rarò generat: vnde ab Hippocrate scriptum, 3. *aph.* 22. *Autumno plurimi æstiui morbi fiunt*; manente scilicet, vt Galen. *in com.* habet, per id temporis adhuc humore æstiuo, nimirum flaua bile: cui accedens melancholicus humor facit nothas eas febres. Atque ita etiam à naturis biliosis, vel victus ratione, vel alia de causa, aliquid humoris pituitosi aut melancholici colligi potest. Vnde tertianæ exquisitæ admodum raræ sunt: & quæ ab Antiquis describitur, Idéa exquisitæ tertianæ est, ad quam quæ propiùs accedit febris, pro tertiana exquisita habetur: quæ longiùs abest, pro notha.

Signa Diagnostica.

Signa tertianæ Intermittentis.

Signa tertianæ Intermittentis exquisitæ quod attinet, egit de iis diligenter Galenus, 2. *de sympt. caus. cap.* 5. 2. *de differ. febr. cap.* 3. 2. *de crisib. cap.* 1. & 1. *ad Glauc. cap.* 5. Primò febres hæ statim cum vehementi rigore carnem quasi pungente incipiunt. Quo ipso non solùm à continuis, sed & aliis intermittentibus differre, *cap. præcedenti* diximus. In quotidianis fortis rigor non accidit, sed leuis horror aut frigefactio: In quartana, prima die rigor fortis non accidit, sed in progressu. Itaque vbi in prima accessione animaduertitur vehemens rigor, certò affirmari potest, esse febrem tertianam intermittentem puram & le-

gitimam. Accidere tamen potest, vt in initio tertianæ etiam putæ sit rigor exiguus, vbi scilicet materia non confestim mouetur, & est in minore copia. Quod si accidat, non statim pronunciandum, non esse putam tertianam, sed etiam reliqua signa perpendenda. Non enim vnum signum sufficit, sed tota signorum syndrome consideranda.

Deinde vbi rigor cessat, mox oritur calor multus, acer & mordax, atque in vigore æqualiter quoquouersum extenditur. Si tamen manus diutiùs admoueatur, calor, qui primo occursu acer & mordax sentiebatur, mitior apparet, & manu superatur. Bilis enim flaua, cùm tenuis sit, statim discutitur, & mox ad summum vigorem peruenit. Hinc laborantes ita exuruntur, vt corpus nudent, spirandi difficultatem sentientes, magnum multùmque spiritum ducant, siti crucientur, & frigidam subinde expetant, vigiliis, sæpe etiam capitis doloribus, & præcipuè circa statum, deliriis infestentur.

Pulsus in tertiana.

Pulsus, cùm paroxysmi inuadunt, sunt parui, debiles, tardi, ac rari, non tamen parum à pulsu quartanæ differunt. In quartanæ enim principiis arteria videtur quasi alligata esse, atque ad interiora retracta, neque liberum habere ascensum, & quamuis æger sit iuuenis, talis tamen est motus arteriæ, qualis est senum: In tertiana verò nihil tale percipitur, tarditásque ferè similis est ei qui secundùm naturam est, motui. Increscente iam paroxysmo pulsus mox vehementes, veloces, frequentes, atque alio modo duri euadunt, omnísque inæqualitatis, præterquam febrilis, expertes, ob tenuitatem materiæ, quæ facile inflammatur, & quia non minor est refrigerij per diastolen, quam expellendarum fuliginum per systolen necessitas. Quòd si vbi iam febris remisit, illa febrium propria in arteriarum motu inæqualitas relinquitur, certissimum est tertianæ, seu febris biliosæ intermittentis signum. Oritur autem hæc inæqualitas febrium propria, in qua nimirum dilatatio contractione arteriarum velocior est, ex caliditate illa præternaturali, qua prædita est portio illa biliosi humoris, quæ post paroxysmum in foco putredinis relinquitur, & tertio die rursum noui paroxysmi causa futura est. Cùm enim hæc caliditas successiuè reliquis humoribus communicetur, & ita ad cor perueniat, inæqualitas illa febrilis in pulsu remanet eò vsque, donec ex caliditate rursum nouæ putredinis quoddam principium appareat. Tunc enim pulsus in oppositam transit inæqualitatem, in qua contractio velocior est. De hac inæqualitate putredinis propria scribit Galenus, *de differ. febr. c. 3.* quòd tempus intermissionis in hac febre nullum habet humoris putrescentis ex pulsu perceptibile signum, in die ac nocte, quæ consequitur paroxysmum; cùm verò parum per succenditur, vix agnosci potest in primis diei ac noctis subinde sequêtis partibus, manifestiùs proxima, quæ accessionis diem ac noctem antecedit. In illa verò iam signum euidentiùs apparet, ac multò etiam magis accessione incipiente, atque adhuc magis plus iam incalescente febre. Cùm verò iam consistit, minus, quam cùm augebatur, multo verò minus, vbi iam declinat. Post quotidianæ autem febris paroxysmum, quid breuissimum habet interuallum, & semper aliquod putredinis vestigium remanet: inæqualitas non illa febrium, sed putredinis propria in pulsu relinquitur. Post quartanæ verò intermissionem inæqualitas febrilis in pulsu non relinquitur, quia humor natura sua frigidus est, & vix perceptibilis ex pulsu est illa caliditas, quæ in foco relinquitur, & post longum tempus insensibilis demum euadit.

Vrina.

Vbi iam ad statum paroxysmus peruenit, tunc iam bibendi tempus adest, & post potum vapor plurimus per cutem erumpit, superuenit bilis vomitus, qui tamen sæpius mox post rigorem accidere solet, venter soluitur, biliosa minguntur, borum etiam plura eueniunt. Sudor iam incipit vaporosus & calidus, qualis in balneis, sudátque totum corpus æqualiter, pulsúsque talis est, qualis in iis, qui cùm sani & validi sunt, exercentur, balneo vtuntur, velox nimirum, magnus & vehemens.

Vrina est subrufa aut subflaua, consistentiæ mediocris, & paulò post vel nebulam albam vel enæorema habes, quæ tum etiam vltra quatuor paroxysmos non durat. Si autem vrina sit rubicundior, & neque nebula primo circuitu appareat, neque sublime aliquid, seu suspensio aliqua ad septimum vsque circuitum extendetur.

Quæ autem omnia supradicta signa, ac mox primo die in vrina subsidentiam læuem & æqualem habuerit, ea exquisita est, & vltra tertium paroxysmum non extendetur.

Ex causis etiam quæ præcesserunt, sumuntur signa. Accidunt tertianæ frequenter tempore anni æstiuo, & regione ac cœli constitutione calida, ætate iuuenili, eósque inuadunt potiùs, qui exercentur, quam qui vitam otiosam & quietam agunt; sicut & eos qui diu vigilant, aut inediam patiuntur.

Paroxysmi tempus vltra horas duodecim non durat. Nonnunquam nouem aut septem horis, aut etiam citiùs terminatur, prout causa breuioris vel longioris paroxysmi adfuerit.

Denique in hac febre etiam reliqua adsunt signa, quæ ipsi cum continuis biliosis sunt communia, vt vigiliæ, oris amaritudo, & siccitas, sitis, appetitus deiectio, & similia.

Signis tertianam exquisitã à notha discernentia.

Vt febris tertiana notha ab exquisita differt causis: ita etiam signis. Inuadit enim febris hæc notha corpora ea, quæ planè biliosa non sunt, & sinceram bilem non cumulant. Hinc quamuis adolescentes frequenter inuadat, tamen non eos qui biliosi sunt, sed qui inordinata diæta vtuntur, ex qua cibi non bene coquuntur, & humores pituitosi aut melancholici vnà colliguntur. Inuadit etiam non solùm æstate, verùm frequenter vere, autumno, imò etiam hyeme. Calor quoque non similis est exquisitæ, sed mitior: neque etiam confestim per vniuersum corpus diffunditur. Non soluitur hæc febris flauæ bilis vomitu, neque per sudores, sed humidi quidam vapores pauci exeunt in declinatione, ex quibus febris remittit, ac vix intermittit. In hac enim febre bili admixti sunt crassiores humores, qui neque per superiora facilè reiici, neque etiam per angustos cutis meatus discuti possunt. Sudores quidem interdum accidunt in paroxysmis, sed ij vel vniuersales non sunt, vel si vniuersales sunt, parum tamen iuuant, & febrem non tollunt. Interdum tamen, sed rariùs attenuatis illis crassis humoribus, & expurgato corpore, sudores critici accidunt. Vrina non est adeò tenuis & ignea, vt in exquisita, neque in ea tam citò coctionis signa apparent, vt in exquisita, sed demum post septimum paroxysmum. Pulsus initio est durus, & durities illa indies augetur, sæpe vsque ad septimum, vbi ad magnam duritiem peruenit. Deinde sensim mollior euadit, minoréſque fiunt accessiones, & vrinæ magis coctæ apparent, mediocrémque subsistentiam habent. Ex eadem etiam causa, quia humores crassi tenuibus permixti sunt, paroxysmi in hac febre fiunt longiores, & sæpe 12. horas excedunt, & ad horas 18. imò quoque plures extenduntur. Terminantur non septem periodis, sed aliquando vsque ad 14. aliquando vsque ad 20. pertingunt.

An notha tertiana intra 12. horas terminari possint.

Hoc autem loco quæritur à nonnullis, an etiam nothæ tertianæ, seu biliosæ febris paroxysmi horis 10. 11. vel 12. terminari possint. Nonnulli quidem planè possibile esse existimant, tertianam notham inter horas 12. terminari. Verùm & experientia id testatur, & rationes euidentes suadent. Nam cùm breuitas paroxysmorum accidat ex paucitate & tenuitate materiæ, ac virtutis robore, si humor putrescens sit paucior, virtus fortis nihil obstare videtur quin paroxysmus horis 5. 7. 10. 12. pro varietate harum causarum, terminari possit.

Considerandum etiam est, in quo loco præcipuè generetur bilis. Si enim in hepate generatur, adsunt signa hepatis caliditatis, & vrina magis tincta apparet, neque error aliquis in victu præcessit, ob quam bilis potuerit in ventriculo generari potuerit. Si verò in ventriculo generatur bilis, vel ob eius caliditatem, vel ob alimenta, quæ in bilem facilè degenerant, adest vomitus bilis, vrina ratione caloris febrilis etiam intensioris non ita tincta est.

Etsi verò semper è venis mesaraicis aliquid materiæ febrilis per venas in ambitum corporis propellitur: tamen interdum etiam magna eius portio per alias vias eiicitur, id quod ex vrina, vomitu, & alui deiectione cognoscitur. Interdum etiam magna pars materiæ in venis mesaraicis subsistit, nec in paroxysmo euacuatur. Nam si materia per venas maxima ex parte euacuatur, non fit vomitus, aut si fit, non copiosus, nec paroxysmus per eum minuitur, vtroque ratione febris mutantur. Si verò materia tota non in venas transmittitur, accidunt vomitus, alui deiectiones, atque inde paroxysmus minuitur, vrinæ etiam non mutantur pro ratione febris. Quòd si materiæ magna pars in venis mesaraicis subsistit, nec rigor, nec vomitus, nec sudor apparet, & febricitantes circa præcordia angustiam, & dolores percipiunt, vnde sæpe etiam inflammationes iis in locis excitantur.

Prognostica.

Signa Prognostica quod attinet, sunt hæ febres febrium putridarum fere frequentissimæ, eædemque securissimæ. Vnde Hipp. 4. *aph.* 43. scribit: *Quæcunque febres non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosæ sunt: quocunque autem modo intermiserint, per iculum abesse significant.* Neque etiam diu durant. Nam quæ legitimæ sunt, vt Hippoc. 4. *aph.* 59. habet, septem circuitibus ad summum iudicantur. Et quidem *ad summum* dicit Hippocrates. Si enim materia sit tenuior aut paucior, nonnunquam in tribus aut quatuor periodis absumitur. Hoc tamen intelligendum est, si rectè curentur, & error nullus ab ægro committatur. Nam si error aliquis committatur, non solùm curatu difficiles fiunt, sed & in morbos lethales degenerare possunt. Cuius rei exemplum proponit Galen. 1. *ad Glauc. cap.* 9. dum refert, quendam deprauato iudicio balnei vsum extenuato corporis habitu, in tabem lethalem coniectum fuisse.

Tertianæ verò nothæ vt sunt frequentes, ita sunt periculosiores. Nam interuallum plerumque est breuius, vnde ægri magis affliguntur. Difficiliùs quoque curantur propter bilis vel pituitæ admixtionem. Humores enim hi non solùm crassiores sunt, & difficiliùs remediis cedunt, sed & Indicationes præbent contrarias. Cùm enim ratione bilis refrigerare & humectare oporteat, calefacere & siccare oportet ratione pituitæ, calefacere & attenuare ratione melancholiæ. Febres etiam ipsæ longiùs durant; rarò quatuordecim periodis iudicantur, sed sæpe ad 40. diem extenduntur, nonnunquam durant ad menses sex, & desinunt in vitia hepatis vel lienis; aut etiam à vitiis hepatis vel lienis fouentur, & diuturnitatem inde accipiunt. Sunt tamen ex nothis tertianis quædam, quæ quinto vel septimo paroxysmo terminantur: si nimirum materia sit paucior, & vtilia medicamenta tempestiuè exhibeantur, vt modò dictum. Et licet Galen. 2. *prognost. text.* 8 peiores affectiones esse dicat, quæ oriuntur ab humore sincero, quàm quæ a mixto: tamen id saltem verum est de symptomatibus. Hæc enim, vt etiam Auicennas *in cap. de tertiana*

Digitized by Google

tertiana notha, testatur, sunt mitiora in tertiana notha, quàm in pura; cùm pituita calorem & acrimoniam bilis obtundat. Longior tamen & curatu difficilior est tertiana notha, quàm pura.

Verùm licèt tertianas febres Intermittentes, omnium putridarum breuissimas & securissimas esse, vulgò tradatur: quia tamen Ludouicus Mercatus, *lib. de febr. 6.* experientia sibi compertum scribit, etiam tertianas nonnunquam periculo non carere, & febres etiam Intermittentes inopinatò ægros non paucos perdidisse, breuiter complecti libet, quæ ille annotauit.

De Tertiana perniciosa.

Tertiana perniciosa. Pluribus autem modis Tertianam periculosam, imò lethalem fieri posse statuit.

1\. Primò, si humor, quem natura è vasis extra vasa mittit, in membrum aliquod præcipuum decumbat. Quod quidem contingit, vbi vel vasorum corporis extremitates adeò vel obstructæ, aut oppressæ sunt, vt natura per eas liberè humores vitiosos non possit expellere, vel virtus est debilis. Vnde accidit, vt quem è vasis maioribus conatur humorem natura depellere, ad partes internas per proxima vasa transmittat, nunc in venas iuxta cor, nunc ad orificium ventriculi, nunc ad caput, nunc ad hepar; id quod ex signis membra illa affecta demonstrantibus constat.

2\. Secundò, quando humor, qui è venis reiicitur, tenuis admodum est & summè putridus, qualis est bilis copiosa ichore plena. Vnde accidit, vt qui tali febre laborant, frequenter syncope corripiantur, sudore nimio dissoluantur, & facilè virium iacturam patiantur. Itaque tales ægri vel leui corporis motione animo deficiunt, animique deliquium præcedit tenebricosa vertigo, facilè sudant, nihilque inde leuantur. pulsum habent paruum, debilem ac frequentissimum.

3\. Tertiò, perniciosas fieri Tertianas tradit, ob humorum prauitatem, ex prauis alimentis contractam, aut ob vstionem & peculiare vitium, quale est in bile vitellina, porracea & æruginosa. Humores enim hi per se praui sunt, & si accedat putredo, deteriores euadunt, vt in quamcumque partem ferantur, mala inducant symptomata. Tales febres oriuntur plerumque mediâ æstate, ob humorum resolutionem & nimiam exustionem, præsertim si homo irâ, aut aliis vehementibus animi pathematis percellatur. Mox à rigore febres hæ vehementer crescunt, humorésque statim inflammantur, à qua inflammatione sitis & linguæ asperitas ac nigredo, sitisque inexhausta oritur. Oculi ob magnam spirituum resolutionem cauantur, homo redditur anxius & inquietus, ac toto corpore dolorem quasi vlcerosum percipit. Vrina ignea, & veluti lixiuium apparet, ac pauca est. Alui deiectiones bilis vitellinæ, porraceæ ac æruginosæ naturam referentes, nonnunquam etiam dysenteriam efficientes. Vomitus eosdem humores æmulantur colore, cum maxima angustia. Ægri parum sudant, quòd crassior sit materia.

4\. Quartò fit tertiana perniciosa ex mixtione crassorum humorum cum tenuibus. Cùm enim humor crassus, quem mouet ac secum ducit biliosus ac tenuis humor, ad extremas venas effunditur, non protinus simul incalescit, & succenditur, sed paulatim, tum quod copiosus sit, tum quòd inæqualis. Quo fit, vt tenuior pars primò succendatur, & ex crassioribus quæ primò transmittitur, & reliquæ sic successiuè, vt natura pellit. Præterea cùm mox tenues partes succendantur, quæ crassæ sunt, simul incalescunt & tardiores fiunt. Quo fit, vt ea humorum copia, quæ in vasis maioribus non erat magna, nunc in extremis vasis liquata & fusa, maxima fiat, grauis & molesta; ex quo metus, ne vniuersi corporis calor suffocetur, aut æger syncope corripiatur. Cognoscitur verò febrem ex humoribus inæqualiter crassis prouenire, quòd lentè ac cum diuturno rigore incipiunt, quem nonnunquam calor quidam interrumpit, velut flamma exurgens, quem iterum rigor compescit, ita vt per interualla rigeant ægri, & calore affligantur. Æger etiam tardè toto corpore incalescit, calórque diu durat, & licèt mitis appareat, anxium tamen reddit ægrum & debilem toto morbi tempore, vt vix sese mouere possit. Totum corpus tumere quasi, & liuido colore præditum videtur: Vrina est aquosa & subalbida, cum copioso & crasso sedimento Pulsus in paruitate & magnitudine inæqualis est, aliquando interceptus. Sæpe animo deficiunt ægri respiratio est frequens & cum suspirio. In febris declinatione ægri maxima cum inquietudine ab vmbilico ad caput sudant. Tandem nec augmentum, nec status, nec declinatio in tali febre æqualiter fit, sed in augmento sæpe aliqua fit inclinatio; vnde potu exhibito, aut etiam sine ipso, febris rursum increscit.

Quintò redduntur perniciosæ febres, non ex propria natura & conditione, sed ex aliquo accidente, quod illis superuenit, ob quod periculosæ efficiuntur, licet natura sua tales non sint. Id fieri potest, 1. Si in paroxysmo crassus humor à calore fusus in aliquam partem decumbat, & suffocatiuum catarrhum, vel difficilem respirationem, vel articulorum dolores excitet. Obseruatum enim sæpe est, vt ij, qui caput habent humidius & fluxionibus obnoxium, si tertiana febre corripiantur, & in paroxysmo pituita à calore fusa copiosè defluat, aut suffocationis metum, aut dolores lateris grauissimos pleuritidi similes incurrant. Ita qui asthmati sunt obnoxij, & quibus vasa thoracis à crassis & viscidis humoribus obsidentur, ij febre tertiana laborantes, ob humores illos fusos & motos non rarò grauissima orthopnœa tentantur. Ita qui arthriticis doloribus sunt obnoxij, etiam per tertianas iis aliquando tentantur. Atque hæc symptomata omnia, finito paroxysmo, aliquando planè cessant, si scilicet calor humores, quos fudit, quoque absumat: aliquando aliquid mali relinquitur, quod sequentem paroxysmum periculosum fore arguit. Malum enim malo succrescit. 2. Periculosæ fiunt hæ febres, si calor febrilis vterum in consensum trahat, humorésque corruptos in eo hærentes moueat; quibus motis ea symptomata accidunt, quæ hystericis fœminis accidere solent. Facilè hæc febris ab aliis distinguitur, & non difficile est cognoscere, non accidere talia symptomata ob humores febriles, sed ab aliis potiùs humoribus, quàm qui tertianam efficiunt.

Tandem redditur perniciosa tertiana ob pestilentem ac malignam, & contagiosam humoris, qui tertianam efficit, qualitatem. Verùm de hoc, & an dentur febres Intermittentes malignæ & pestilentes, suo loco plura dicentur.

Curatio.

Curatio. Sed vt ad curationem accedamus, vna opera Tertianæ exquisitæ & Nothæ curationem proponere, & quomodo pro humorum permiatione febris hæc tractanda sit, monstrare placet.

Superiorum seculorum Medici, quos hodie Barbaros appellant, tam confusam, vt Platerus hac de re scribit, & multiplicem curandarum febrium descripserunt tractationem, tamque varios purgationum pro humorum diuersitatibus, à quibus febres nasci crediderunt, modos proposuerunt, à quibus starent integra febrium curandarum volumina, vt siquis ea imitari vellet, ægro curam incertiorem redderet, quàm si totum negotium naturæ committeret, quæ per se sola ad febres tales sanandas sufficit.

Indicationes. Vt rem igitur breuibus complectamur; curatio, vt in aliis febribus, ad febrem, causam & virtutem dirigenda. Febris, vt antea dictum, refrigerantia & humectantia indicat. Easdem etiam bilis, quæ febribus causa est, requirit, simulque vt euacuantibus idoneis tollatur, postulat. Et si febris non exquisita sit, sed notha, cùm concoquentia seu alterantia, tum euacuantia, humorem cum bile mixtum respicere debent. In quibus tamen expediendis simul ad locum affectum attendendum.

Et quia, vt antea in generali febrium Intermittentium Curatione dictum, in primis viis & venis mesaraicis febris causa colligitur, primò per vomitoria aut aluum ducentia, antequam reliquos humores inquinet, euacuanda. Hinc bilis alterãda, & partis, vitiosos humores generantis dispositio contrariis tollenda, ac bilis generatio prohibenda. Ideóque si ventriculi sit calida constitutio, ob quam cibi bilescunt ac amarescunt, aut, quod in tertiana plerumque fieri solet, hepar sit calidius, quod multam bilem suppeditat: eius intemperies calida alteranda. Si autem tertiana notha sit, & ea pituita admixta ortum habeat, ventriculi imbecillitati succurrendum; si melancholia adiuncta sit, lieni quoque subueniendum. Tandémque illud inquinamentum ac fermentum putredinosum sudoriferis discutiendum.

Purgatio. Principiò ergò in febre tertiana Intermittente primæ viæ euacuari debent. Nisi enim materia, quæ in venis mesaraicis & vicinis locis collecta est, euacuata sit, reliqua medicamenta cum commodo [illegible] exhibentur. Et refrigerantia saltem ob calorem adhiber[illegible]. neque materiam caloris febrilis fomitem priùs euacuat[...] est symptomata curare, & morbum deteriorem reddere.

Instituuntur huic rei clysteres: & quidem in tertianis legitimis ij conueniunt, qui antea in continuis propositi fuere. Si verò pituita vel melancholia admixta sit, tales parari possunt.

℞. *Rad. althææ.* ℥. j. *maluæ parietariæ, betæ*, an. M. j. *centaurij min. flor. chamameli, furfuris*, an. M. ß. *sem. 4. frig. mai.* an. ʒ. ß. *anis.* ʒ. j. *prunor.* num. 2. Coqu. in s. q. *aq. f.* Colaturæ ℞. ℔. j. In qua dissolue *El. lenit. f. vel cass. pro clyst.* ℥. j. *diaphœnic.* ʒ. ij. *mell. rosat. col.* ℥. j. *ol. chamamel. violac.* an. ℥. j. ß. *salis.* ʒ. ß. F. Clyster.

Verùm cùm materia plerumque copiosior in hisce febribus in primis viis & locis superioribus circa ventriculum hæreat, clysteres soli non sufficiunt. Ideóque medicamenta per aluum purgantia propinare, aut vomitoria, præsertim si æger cardialgia, nausea & desiderio vomendi molestetur, exhibere conuenit. Si tertiana sit legitima, ea medicamenta idonea sunt, quæ antea in tertianæ continuæ curatione enumerauimus. Si verò pituitæ admixta, sit agaricus; si melancholiæ, folia sennæ adiungenda sunt: Ideóque vbi melancholia admixta est, commodissimus est vsus diacatholici. Exempli saltem gratia, vnam atque alteram formulam addere libet. Neque enim (quod semel hic monere libet) quæ omnibus indiuiduis accommoda sunt, hîc præscribi possunt: sed qui methodi medendi gnarus est, & materiam medicam ac methodum componendi medicamenta cognitam habet, præscriptis formulis non indiget, sed pro re nata commodas, & morbo atque ægro præsenti aptas concinnare valet.

℞. *Aq. endiuiæ, vel decocti tamarindor. & radic. cichorij vel taraxaci* ℥. iv. Infunde in iis *rhabarb.* ʒ. j. ß. *spica* ℈. ß. In colat. dissolu. *mannæ el.* ℥. j. Iterum Colat. & add. *syr. rosar. vel violar. solut.* ℥. ß. *vel* horum loco ʒ. ij. vel q. s. *elect. de psyllio, aut de succo rosar. aut rosati Mes.* dissolue M.

Vel ℞. *Radic. taraxaci, cichorij*, an. ℥. ß. *asari* ℥. j. ß. *endiuia*,

M. j. *centaurij minor. cardui bened.* an. M. ß. *fol. senæ elect.* Vnc. ß. *rhabarb.* Drach. j. *flor. cordial.* p. j. *zingib. cinnam.* an. Scrup. j. Infundantur in s. q. *aq. s.* Postea leniter coquantur, & colentur. In Col. Vnc. iij. ß. dissolu. *manna* ℥. ß. ʒ. vj. *vel* ℥. j. pro ægri natura.

Vel ℞. *Flor. cassia*, ℥. j. *rhabarb.* ʒ. j. *spica* gr. vj. Cum *sacch.* F. Bolus. In notha verò tertiana.

℞. *Flor. cassia* Drac. x. *spec. hiera*, Scrup. j. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Rhabarb. opt.* Drach. j. *cinnam.* Scrup. j. *Spica* gr. vj. Infundantur in s. q. *aq. endiuia.* Item *agaric. alb.* Scrup. iiij. *zingiber.* Scrup. j. Infundantur in *oxymel.* s. q. ℞. Colat. vtriusque Vnc. j. Drach. vj. & addatur *elect. rosar. Mes.* Drach. j. vel Drach. ij.

Vomitoria.

Verùm talia multa è radicibus cichorij, taraxaci, polypod. q. asari, endiuia, carduo benedicto, centaurio minor. absinthio, centumnodia, pilosella, scolopendr. betonica, Rhabarbaro, foliis senæ, agarico, manna, elect. diacatholico, rosato Mes. de psyllio, de succo rosar. Syr. rosar. & violar. solutiuo, & similibus in rem præsentem parari poterunt. Habet & inter hæc medicamenta locum tartarum, quod commodè & decoquendis rebus addi, & cremor eius decoctis atque aliis admisceri potest.

Vomitoria suprà, *de curatione febrium putridarum in genere*, sunt proposita. Sunt autem in puris tertianis minora, & vim temperandi bilis acrimoniam habentia, parata ex aq. hordei tepida, & syr. acetoso s. In nobis autem febribus etiam fortiora locum habent. Inter quæ asarum primas ferè obtinet. Chymici vtuntur vomitoriis ex ♁ij. floribus, croco, vitro: quæ vt materiam in primis viis stabulantem nonnunquam feliciter euacuant: ita prudentem & peritum, qui ea exhibeat, Medicum requirunt. Alias sunt culter acutus in manu infantis, aut gladius in manu furiosi. Et quamuis in ipso paroxysmo non facilè aliquid mouendum: tamen necessitatis gratiâ in ipso etiam paroxysmo vomitoria, præcipuè illa leniora, exhibere licet. Vbi enim bilis seu flaua, seu prassina, seu alia circa ventriculum hæret, & initio paroxysmi angustia & dolores circa præcordia percipiuntur, vnde ægri interdum in lipothymiam incidunt, licet vomitoria exhibere, vnde non solùm angustia illa tollitur, sed & paroxysmus imminuitur.

Neque medicamenta, quæ paulò quàm lenientia fortiora sunt, reiicienda sunt. Rectè enim hac de re scribit Ludouicus Mercatus: *Si in primis viis aut locis iis proximis subsistat flaua bilis, vtendum est purgatione, quæ nec omnino sit eligente pharmaca facta, ne plus quàm par sit, ipsius flaua bilis ad communes vias è venis trahatur; nec omnino leni, vt aliquid agere possit. Quippe eo tempore habemus naturam adminiculantem*, mouentémque materiam ad loca euacuationis sibi conuenientia; vnde in principio febrium, vomitus & alui fluxus non rarò oriuntur. Et plerúmque materiæ in primis viis maior est copia, aut lentos humores ea admixtos habet, vt lenissimis illis, Syrupo ros. & viol. solutiuo, manna, cassia, tamarindis, & similibus via loco moueri & euacuari possit. Neque coctionem expectare opus est, cùm materia illa in primis viis hæreat, ad expulsionem irritet, & ad euacuationem plerumque apta sit.

Venæsectio.

Euacuatis aluo ac primis viis, Medicus de venæsectione sit sollicitus: de qua inter Medicos non planè conuenit. Reddidit verò non paucos dubios Galenus, qui vbi 1. *ad Glauc. cap. 9.* de curatione tertianæ exquisitæ agit, venæsectionis nullam mentionem facit; cùm tamen postea in curatione tertianæ nothæ eius meminerit. Hinc enim aliqui authoritate Gal. ducti, venæsectionem in tertiana Intermittente exquisita omittendam censent. Alij verò qui eam admittunt, varias causas afferunt, cur Galenus mentionem venæsectionis non fecerit. Nonnulli putant, eum ideò omisisse venæsectionem, quòd eam, tanquam quiddam clarum & extra dubium, præsupposuerit vel breuitatis studio omiserit. Quod tamen vix locum habet, tùm adeò clarum non sit, a quo indicetur venæsectio in febre tertiana intermittente, & postea in tertiana notha eius in mentionem fecerit, neque necessaria præsidia breuitatis studio omittenda sunt. Alij putant, ideò eum omisisse, quòd in hac febre id quod maximè ad venæsectionem desideratur; non adsit, virium scilicet robur. In tertiana enim exquisita omnia, ætas, tempus anni, regio, temperamentum, ad calidum & siccum vergunt, & proinde tale corpus viribus valentibus esse non potest.

Verùm etsi concedamus, vt postea dicetur, si ista omnia concurrant, venæsectionem vix locum habere: tamen rarò ista omnia concurrunt, & sæpe in his febribus, quæ aliàs securæ sunt, vires satis robustæ inueniuntur, vt peream, si illa opus sit, venæsectio facilè permitti possit.

Cur non semper in tertiana sanguis mittendus.

Ideóque illa potiùs huius rei causa esse videtur, quòd in tertiana exquisita non semper indicans venæsectionis adsit, de quo supra dictum. Nam accidere potest, vt in tertiana exquisita neque sanguinis copia adsit, neque enim sanguine vitiosus humor in venis permisceatur. Imò cùm bilis maxima ex parte in primis venis contineatur, metuendum, ne venis sanguine detracto inanitis, ea in venas superiores rapiatur, atque inde febris periculosior reddatur. Ideóque in tertiana exquisita omni sanguis non mittendus est. Neque enim semper, vt dictum, indicans adest, sanguis scilicet abundans, vel bilis in venis communibus sanguini permixta. Neque etiam vires eam semper ferunt. Nam si quis temperamento biliosissimus, æstate & regione calida, ex fame, vigiliis, laboribus & defatigatione in febrem inciderit, sanguis mittendus non est. Vires enim hoc modo debilitatæ, venæsectionem non admittunt. Ac proinde cùm febris ista naturâ suâ periculosa non sit, si quis de sanguinis vitio aut virium robore dubitet, ac propterea venæsectionem omittat; in primis signis coctionis iam apparentibus, is non peccabit; modò bilis euacuationem per eas vias, ad quas vergit, adiuuerit. Imò venæsectio intempestiuè adhibita plus nocere, quàm omissa potest.

Quando venæsectio in tertiana locū habeat.

Si autem tertiana non sit exactè pura, interdum vena secanda est, interdum non. Nam si vires sint fortes: adsitque sanguinis abundantia, & bilis in hepate generetur, & hinc facilè sanguini in venis permisceatur, id quod ex empiris constitutione, vrinisque rubicundis ac crassis, ac calore aliquo post paroxysmum remanente cognoscimus, venam secare licet, cùm hoc modo & copia sanguinis minuatur, & humor peccans euacuetur. Si verò in ventriculo & locis vicinis bilis generetur & subsistat, neque adsit insignis aliqua sanguinis abundantia, vena secanda non est; cùm per eam saltem bonus sanguis euacuaretur, & facilè fieri posset, vt bilis in venas deduceretur. Si tamen accidat, vt progressu temporis bilis sanguini permisceatur; id quod frequenter accidit: siquidem cum cibo & potu & chylo inde generato, in prima corporis regione contenta bilis facilè in venas penetrare potest, & ex vitiosis humoribus in prima regione, secunda regio afficitur & inquinatur, neque adsit sanguinis penuria, venam secare licet, quæ simul corpus ventilat & refrigerat, ac humoris vitio aliquid cum sanguine euacuat.

Quando vena secanda.

De tempore venæsectionis instituendæ, authores non conueniunt. Plerique Medici, & Auicenna *lib. 4. tr. 2. cap. 29.* non ante tertium paroxysmum venam aperiendam censent, idque ideo, quod in hisce febribus bilis non in venis supra hepar, sed in venis primis contineatur, & propterea metuendum sit, ne venis sanguinis missione inanitis, in superiores venas rapiatur, & inde febris continua excitetur. Quod damnum euitari possit, si post tertium demum paroxysmum vena secetur. Nam in tribus primis paroxysmis bilis magna pars per vomitum, vt & per aluum purgatur, manúsque in primis paroxysmis est materiæ motus, vt ex rigoris vehementia apparet; cùm bilis tum sit copiosior, calidior, tenuior & acrior, quæ post primos paroxysmos à natura domatur, & mitior redditur. Cui rei accedit & hoc, quòd primis paroxysmis sanguini demùm bilis permiscetur, sanguisque inde vitiosus redditur, vt hoc modo plus de materia peccante post primos paroxysmos tolli possit, quàm si mox à principio vena aperiatur, vbi mixtio bilis cum sanguine nondum facta est. Et monent hîc Medici, ægro prædicendum esse paroxysmum, qui venæsectionem sequitur, quartum scilicet, grauissimum futurum, vtpote in quem morbi vigor incidit: ne venæsectionis causâ atque errore aliquo id contigisse videatur.

Hæc etsi non negat Mercatus, atque in eo casu, vbi bilis in primis venis, & iis qui prope hepar sunt ductibus hæret, ægrúmque nauseabundum reddit, non statim in principio, cùm scilicet nondum sanguini bilis permixta est, esse venam aperiendam, sed priùs purgatione facta, & post tertium paroxysmum venam aperiendam esse, concedit: tamen si bilis mox in principio sanguini permixta sit, sibi illam versionē Auicēnę, quę legit, *ante tres periodos*, omissa negatione, *non*, magis arridere scribit.

Et certè, si rem perpendamus diligenter, hoc quidem vero consentaneum esse comperiemus, non mox initio, & ante primarum viarum euacuationem, venæsectionem commodè institui posse: illud tamen minùs verisimile est, sectionem venæ post tertium paroxysmum in tertiana legitima differendam esse. Etsi enim in tertiana notha id locum habere possit: tamen quia in exquisita tertiana post tertium paroxysmum status morbi, vel adest vel instat: melius est eo tempore quiescere, quàm remedio tam generoso naturam molestare. Etsi in summa, in tempore venæsectionis eligendo non tam respiciendum ad paroxysmorum numerum, quàm ad præsentiam Indicantium & permittentium sanguinis missionem. Nam si adsint sanguinis missionem Indicantia, & vires permittant, maturè instituenda venæsectio, antequam vires deficiantur.

In minore autem copia sanguis educendus in tertiana legitima; cùm vt in continuis, is non sit, primarium indicans, & maiorem copiam euacuari vires vix ferant. Tutiùs autem & maiori copia potest sanguis mitti in tertiana notha. Cùm enim in tertiana notha, vel calidum & siccum corporis temperamentum, vel regio, vel anni tempus, vel victus ratio præcedens, vel aliquid aliud ex iis, quæ in tertianis puris requiruntur, absit; atque ea præcesserint, quæ non solùm bilis, sed & aliorum humorum generationem iuuare possunt: sanguinis euacuatio faciliùs admitti potest, in primis si vrinæ crassæ & rubræ appareant. Ac proinde ℥. iiij. v. vel vj. pro corporis natura, emitti possunt.

Quo die instituenda sit venæsectio.

Instituitur commodissimè venæsectio die ἀπυρεξίας, seu tempore quietis. Quamuis enim venæsectio, si circa paroxysmi principium fiat, eum vel retardare vel impedire possit, tamen impedit naturæ motum, quo partem materię excutere solet, & vires, sequente mox venæsectionem paroxysmo, non parùm debilitat.

Præparantia & concoquentia.

Post venæsectionem præparantia & concoquentia adhibeantur, id est, talia medicamēta, quæ & humoris biliosi qualitates excedentes, quibus naturę molestus est, emendent, dispositionémq; in

parte

parte vitiosos & excrementitios humores generantem corrigant, ipsique inquinamento à putredine relicto contraria sint: qualia in hac febre sunt refrigerantia & humectantia: quæ tamen simul vim aperiendi habeant, non quòd semper (etsi sæpe hoc accidat,) obstructiones adsint, verùm vt præcaueatur, ne humores in primis viis hæreant, sed extergantur, & ad excretionem apti reddantur, & humorum illa fermentatio ac putredo impediatur.

Talia autem quæ in legitima conueniunt, sunt *cichorium, taraxacum, endiuia, acetosa, hordeum, semina frigida maiora & minora, succus citri, ribes, & ex his parata, syr. acetosæ, acetosus simplex, Oxysacch. de cichor. de endiu. de acetosit. citri, cum aq. & decoctis eorundem.* Quib. in nothia tertiana addere licet, quæ pituitam vel melancholiam respiciunt, *radices fœniculi, graminis, asparagi, asarum, polypodium, carduum benedict. centaurium minus, absinthium, scolopendrium, betonicam.* Vtilis est etiam spiritus salis, & vitriol. & alia suprà c. 13. proposita.

℞. *Syr. acetosæ, de end iu.* an. Drach. vi. *aq. cichor.* Vnc. iii. *vel* iv. *spir. vitriol.* gutt. iv. *vel* vi. misce.

Vel ℞. *Syr. acetos. s.* Vnc. i. *de cichor. s.* Vnc. ß. *decocto vel aq. cichor.* Vnc. iii. Misce.

Conuenit & serum lactis, vel solum & simplex, vel cum emulsione sem. 4. frig. maiorum.

Vel ℞. *Radic. taraxaci,* Drach. vi. *endiuia,* M. i. *hepatica.* M. ß. *flor. violar. bugloss.* an. P. i. *Sem. 4. frig. maior.* an. Drach. i. F. decoctio. Colaturæ ℞. ℔. i. Adde *Syr. acetosi s. oxysacch.* an. Vnc. ii. Misce pro iv. dosibus.

Vel coquantur hordeum & rad. cichorij eâ quantitate, quæ ægro ob amaritudinem nauseam non conciliet, & colat. ℔. ij. adde sacchari ℥. ij. aceti, succi citrium maturor. vel spir. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem]: Fiat potus, quem æger aliquot vicibus exhauriat.

Vel radic. cichorij decoctum cum conseruæ rosat. vel violar. s. q. per manicam Hippocratis trajici potest, vt fiat potus gratior.

Vel ℞. *Hordei* M. i. *sem. endiuia, acetosa, plantagin.* an. Drach. ii. *Sem. 4. frig. maior.* an Drach. i. ß. Coqu. in aq. pura. Colaturæ ℞. lib. i. Adde *vini granator.* Vnc. ii. ß. *Syr. acetosit. citr. sacch. candi,* an. Vnc. i. ß. Ad ignem denuò bulliant in formam iulebi.

In horum autem medicamentorum vsu obseruandum: Primò vt illa alterantia sæpius exhibeantur, & sufficiente quantitate, ac continuentur. Nam si toto die vel etiam biduo ℥. iv. exhibeantur, facilè conijcere est, per totum corpus dispersum tantillum liquorem, parum illud afficere posse. Deinde notandum, vt in principio & augmento febris magis refrigerantia dentur: instante verò tempore purgationis, ea quæ mediocriter aperiant & incidunt, adiungenda sunt.

In notha tertiana cum refrigerantibus & bilem præparantibus ea commiscenda, quæ pituitam & melancholiam respiciunt, & attenuant ac detergunt, vt *oxymel. s. syr. acetosus compos. mel rosatum. Syr. de beton. ca, de endiuia comp. de 5. radic. de 5. rad. byzantinus, de carduo benedicto, cum aquis vel decoctis radic. fœnic. apij, betonica, capill. ♀ sem. fœnic. virid s.*

In seminum calidorum vsu notandum. Semen enim fœniculi siccum, vt hoc obiter moneam, & alia fortiora semina, adurunt humores: Ideóque si adhibentur, siccitas illorum mitigari potest glycyrrh. seminib. frig. mai. passulis. Et quidem semper à mitioribus incipiendum, ne fortiorum aperientium vsu materia, in primis viis adhuc contenta, in venas remotiores moueatur, & sic obstructiones augeantur vt si primis diebus tribus vel quatuor exhibeatur Syr. acetosus s. sequentibus diebus compositus detur, vt:

℞. *Rad. cichor. fœnic.* an. Vnc. i. *endiuia, capill. ♀. hyssopi, agrimonia,* an. M. ß. *Sem. 4. frig. mai.* an. Drach. i. *petrosel.* Drach. ß. *passul,* Vnc. s. Coqu. in s. q. a. s. Colat. ℞. Vnc. viii. Adde *Syr. de 5. rad. acetos. s.* an. Vnc. i. ß. M. pro iii. dosibus.

Vel ℞. *Oxymel. s. Syr. byzantini s.* an. Drach. vi. *aq. cichor. asparagi.* an. Vnc. i. ß. M. pro haustu.

Vel ℞. *Rad. asparagi, rusci,* an. Vnc. i. ß. *endiuia, scariola, hepatica, agrimon. cardui bened.* an. M. ß. *Sem. 4. frig. mai.* an. Drach. ß. *glycyrrh. passul.* an. Drach. vi. Coqu. in s. q. a. s. Colat. addantur aceti Vnc. ii. *mellis vel sacch. alb.* q. s. F. Syrup. qui cum iisdem aquis destil. dilui potest.

In humoris melancholici admixtione talia vsurpari possunt.

℞. *Rad. cichorij, polypod. q.* an. Vnc. i. *sal. endiuia, capill. ♀. fumaria, summit. lupuli,* an. M. ß. *fl. cichor. bugloss. borrag.* an. P. i. *tartari, passul.* an. Vnc. ß. Coq. in s. q. *aq. s.* Colat. clarif. ℞. Vnc. viii. Adde *Syr. byzant.* Vnc. iij. Misce.

Vel ℞. *Rad. cichor. asparagi,* an. Drach. vi. *cort. rad. capp.* Drach. ii. *endia. cichor.* an. M. ß. *ceterach, f. mar.* an. P. j. *Sem. 4. frig. maior, scariola,* an. Drach. ß. *flor. cordial.* an. P. i. *passular.* Vnc. ß. Coq. in s. q. *aq. s.* Colat. ℞. Vnc. iii. Atque in calida adhuc infundantur *specier. diarrh. abb.* Drach. i. *conserua cichorij, borrag.* an. Vnc. sem. Colentur & depurentur, *& spirit. vitriol. vel sal.* aliquot gutt. addantur.

Post potiones eiusmodi aliquot rotulæ diarrhodi abbatis, vel diatrionsantal. vel aromat. ros. sumantur, quæ sunt gratiores, si aliquot guttis Spir. Vitriol. vel sal. conspergantur.

Appropriata in tertiana. Taraxacum. Inter ista autem medicamenta sunt quædam, quæ appropriata quasi in febribus tertianis habentur, inter quæ plerique primo loco habent taraxacum in tertiana febre, præcipuè Infantium, si detur nutrici, vel temperetur cum saccharo & lacte amygd. dulc.

Chamæmeli in tertiana vsus. Deinde commendatur ad tertianas Chamæmelum, de quo Galenus 3. *de sim. fac. c.* 110. ita scribit: *Chamæmelum febres, quæ citra visceris alicuius inflammationem infestant, discutit, dissoluitque, ac præsertim, quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate proueniunt. Quâ de re & ab Ægyptiorum sapientioribus Soli consecratum est, febriúmque omnium putatur remedium. Verùm hac quidem in re à veritate aberrant. Solas autem eas, quas dixi, febres sanare potest, easque perenctas: licèt reliquis etiam adiuuet, quæ melancholica sunt, aut pituitosa, aut ex viscerum inflammatione procreata. Nam & harum remedium est strenuissimum Chamæmelum, vbi concoctio adhibetur scilicet. Quapropter & hypochondrijs, vt si quid aliud, gratum existit.* Ex quo loco apparet, ex sententia Galeni, Chamæmelum præparatâ & coctâ materiâ, ad euacuandam potiùs materiam & discutiendam adhibendum esse. Scribit tamen Iohan. Angelicus, *cap. propr.* se Chamæmelum & ante & post digestionem exhibuisse, & contulisse: additque, à se frequenter exhibitum Chamæmelum pauperibus, senibus, & aliis non valde delicatis, religiosisque, qui viuunt ex piscibus, & similibus cibis frigidis. Recipit nimirum succum Chamæmeli colatum, clarificatum ad pondus ℔. ß. vel ℔ i. eúmque dulcem reddit saccharo vel glycyrrhizâ, exhibétque per tres dies continuos, manè ad pondus quartarij vnius vel dimidij. Et quia Chamæmelum parum succi habet, infundit in lacte amygdalarum dulcium, vel ptisanâ hordei, & sic etiam è floribus Chamæmeli exsiccatis succum exprimit. In notha tamen potiùs, quàm legitima locum habet. Laudatur & centaurium minus, quod & febrifuga inde appellatur. Commendant in tertiana nonnulli etiam plantaginem & morsum diaboli.

Spir. vitr. Salis, & tartari in tertiana vsus. E Chymicis medicamentis hîc in primis commendantur in febribus longioribus & obstructionibus viscerum, Spiritus vitriol. & sal. aliquot guttarum quantitate, in iusculo carnis vel alio conueniente liquore exhibitus, præcipuè verò tartarum vitriolatum.

Non autem solùm formâ potabili, etsi ea commodior sit, cùm faciliùs penetrent liquida, sed & aliis, medicamenta ad præparandum & alterandum humores vsurpari possunt, vt conseruarum formâ, conditorum, electuariorum, rotularum, morsulorum, puluerum, de quibus postea dicetur, cùm monstrabitur, quâ ratione viscera in hisce febribus roboranda.

Purgantia. Præparatâ materiâ, nisi febris cesset, rursum ad purgationem accedendum. Imò si febris sit pertinacior & diuturnior, pluribus vicibus præparatio & purgatio vitiosorum humorum repetenda. Hic autem occurrit quæstio; An liceat die paroxysmi purgationem instituere. Plerique id negant cum Auicenna, qui hoc loco scribit: *Et non moueas in die paroxysmi, quantum est possibile.* Afferúntque huius rei hanc rationem, quòd natura aliàs die paroxysmi sit afflicta, idcóque ampliùs medicamentis non sit molestanda. Et cùm venæsectionem non liceat instituere die paroxysmi, eandem rationem purgationis esse dicunt, cùm hæc non minorem naturæ molestiam afferat. Præterea dicunt, medicamentum purgans trahere à circumferentia ad centrum; cùm ex parte alterâ natura in paroxysmo à centro ad circumferentiam pellat: atque ita institui duos motûs contrarios, quos natura sine damno ferre non possit. Insuper, si natura in paroxysmo per sudorem euacuationem instituere velit, motus iste naturæ per purgationem impeditur. Aut si natura moliretur purgationem per aluum, Medicúsque eodem tempore exhiberet purgationem, metuendum, ne ex vtroque motu immoderata sequeretur purgatio.

An liceat die paroxysmi purgare.

Alij contrarium sentiunt, idque has ob rationes. Primò, inquiunt, natura vtiliter euacuat die paroxysmi, ac die paroxysmi ferè semper crisin instituit. Ergo & Medicus, qui minister est naturæ, eam imitari debet; & quidem iure. Nam humores tùm temporis mouentur & agitantur, ac natura cùm motu, tum onere humorum irritata euacuationem adiuuabit. Testatur quoque Petrus Monauius, *in Epist. à Laurentio Scholtzio edita, Epist.* 88. tali curandi ratione plures, & longissimis febribus laborantes multò citiùs, quàm aliàs liberatos se animaduertisse. Et refert Prosper Alpinus, *de Medicina Ægypt. lib.* 4. *c.* 15. Ægyptiis planè familiare esse, vnâ vel binis horis ante accessionem, agarici vel rhabarbari Drach. i. cum decocto chamædryos vel absynthij exhibere, & pro singulari secreto apud quosdam celebrari, potionem quandam ante accessionem, per binas horas oblatam, quam parant ea mannæ, pulpæ cassiæ, tamarindorum, an. ℥. iv. quæ in aquæ endiuiæ vel communis ℔. i. vsque ad consumptionem duarum partium coquunt, colatutæque miscent olei sesamini Vnc. ii.

Quæstionis explicatio. De qua quæstione vt nostram sententiam breuiter addamus, motum naturæ, & locum, in quo materia continetur, attendendum censeo. Nam si materia instante paroxysmo ad ventriculum inclinat, iubent præstantissimi Medici plerique, instante paroxysmo medicamentum vomitorium, non tamen adeò forte, quod naturam multum debilitare posset, exhibere. Ita si materia ad aluum inclinat, & materia plurima non procul à primis viis hæreat, commodè leniore aliquâ purgatione die etiam paroxysmi educitur, ita tamen vt ante initium paroxysmi

purgationis motus absoluatur. Hoc modo enim futuro paroxysmo materia subtrahitur, & naturam adminiculantem in purgatione habemus. Atque hoc si fiat, non metuendum, vt vel contrarij motus instituantur, vel sudores impediantur, vel nimia purgatio accidat. Neque tamen medicamenta illa nimis fortia esse debent, vt naturam valde debilitent. Ægyptiorum verò medicandi ratio, tota ad naturam stimulandam comparata videtur. Venæsectionis quoque longè alia est ratio, quæ & plus spirituum exhaurit, & materiam proxime paroxysmum instantem parituram, non subtrahit; id quod medicamentum purgans facere potest. Quòd si die paroxysmi non detur occasio purgandi, aut naturam in hoc motu adiutricem non habeamus, aut materia loco remotiore sita sit, vt aliquo mitiore medicamento euacuari ante paroxysmum non possit: potiùs die quietis & ἀπυρεξίας instituenda est purgatio.

Vomitoria. In purgatione autem instituenda videndum, per quam viam materia faciliùs educi possit. Nam si materia circa intestinorum venas hæreat, purgatione per aluum educenda: Si autem circa ventriculum vel superiores venas mesaraicas contineatur, vomitu eiicienda, in primis si nausea aut cardialgia adsit, & æger ad vomitum non sit difficilis. Licèt enim vomitus proximè solùm è ventriculo videatur euacuare: tamen sæpe magnam bilis copiam in venis mesaraicis & vasis remotioribus contentam excutit, febrémque causâ ac motu sublato, vel tollit, vel mitigat; & quas purgationes sæpius sanare non potuerunt febres, vomitiones repetitæ sanant.

Potest autem vomitus vel die quietis, post sumtum cibum, vel instante paroxysmo institui: & quidem qui die quietis post sumtum cibum instituitur, causam antecedentem, & materiam causam antecedentem auctoram, tollit: qui verò instante paroxysmo cietur, materiam paroxysmum facturam, atque ita ipsum paroxysmum minuit. Vomitoria autem suprà proposita sunt, & magis exquisitis conueniunt. In febribus autem nothis & diuturnioribus, paulò fortiora ex iis adhibenda sunt. Hodie apud multos in vsu, vt suprà dictum, est asarum, cuius folia, vel radices, vel totum, ℥ ß. vel ʒ. iii. pondere coquuntur, & decocti ℥.iv. vel ℥.v. propinantur; vel pulueris radicum asari ʒ. ß. cum conuenient liquore exhibetur. Nonnulli commendant aquam nucum iuglandium, cum aceto destillatam, ℥.iii. pondere.

Genistæ etiam semen, flores & radicum cortices satis potenter vomitum cient, si in aqua decoquantur: sed lenior sit illa decoctio. Reliqua suprà sunt proposita.

Hoc tamen de omnibus fortioribus vomitoriis obseruandum, vt antequam exhibeantur, & humores & corpus præparentur, crassi scilicet & viscidi humores attenuentur & incidantur, ac ita ad motum aptiores reddantur; ipsum verò corpus bene antea humectetur.

Purgantia. Purgantia per aluum, tertianæ Intermittenti exquisitæ conuenientia, ferè eadem sunt, quæ *capite præcedente*, & hoc ipso iam explicauimus. Commodissimum est rhabarbarum ʒ.i. vel ʒ.i. ß. si in aqua vel decocto cichorij, endiuiæ, vel seru lactis, cum spicæ & schœnanthi ℈. ß. infundatur, & colat. expressæ pulpæ tamarindorum, vel mannæ, & syr. ros. s.q. addatur.

Vel ℞. *Extr. rhab.* Drach. ß. vel ℈. ii. *syr. ros.* vel *viol. sol.* Vnc.i. ß. Misce.

Robustioribus Elect. de succ. ros. rosatum Mesuës, de psyllio, exhiberi potest.

Absinthij vsus. Galenus, 1. *ad Glauc. c. 9.* signis coctionis apparentibus cum fiducia absinthium exhibet, idque alioqui summum remedium in mordicatione stomachi, quæ à bile prouenit, esse scribit: si præsertim ex ipsius coma sufficiens quantitas mellicrato immergatur, & colatum exhibeatur. Detergit enim & ad inferiora detrudit biliosam materiam, & plus prodest contra bilem, quàm pituitam. Nam pituita propter crassitiem & viscididatem non ita cedit absinthio.

In Nothis febribus ea purgantia conueniunt, quæ non solùm bilem, sed & pituitam, vel melancholiam admixtam euacuare valent, quorum formulæ passim exstant.

Et quia humores excrementitij in primis viis sæpius colliguntur, etiam in progressu morbi lenientia repetere vtile est. Quia tamen materia lenientibus medicamentis non semper cedit, fortiora addere oportet, vt in pituita.

℞. *Flor. cassiæ* Drach. vi. *spec. diaturbith, cum rhabarb.* Drach. ß. Cum *sacch.* Fiat Bolus.

In Melancholia, ℞. *Cassiæ* ℥. ß. *elect. diacathol.* Drach. iii. *pulu. senæ præpar.* Drach. ß. Cum *sacchar.* F. Bolus.

Et omnino necessarium est, vt in hac febre sæpius purgetur. Vtiles sunt, præter medicamenta suprà proposita, trochisci de absinthio, de rosis, de rhabarbaro, de capparibus, in primis cùm febris in cachexiam declinare videtur: qui commodissimè in pilulas formantur, cum *succo absinth. agrimoniæ, centaur. min. fumariæ, extracto absinthij, cardui bened. scolopendr. syr. de cichor. cum rhabarb.*

Si post sumtas pilulas syrupus vel aliquis liquor sumatur, faciliùs ad interiora penetrant.

Longè verò commodissimum est, vt in febribus hisce nothis, & præsertim longis, quæ repetitis præparationibus aut euacuationibus opus habent, ea medicamenta, quæ materiam simul præparare, viásque aperire, & simul euacuare valent, exhibeantur: quæ si opus sit, per aliquot dies continuari possunt; & post eorum vsum medicamentum purgans paulò fortius commodè propinatur. Ac talia decocta & syrupi plerumque ad omnes tres humores excrementitios diriguntur, quia in febribus istis aliquid bilis, ob febris ardorem, in humorem atrum degenerat.

Vsuales tales syrupi sunt: syrupus de cichorio cum rhabarb. diasereos; & in humore melancholico admixto, de fumaria compositus, & oxymel helleboratum.

Vel potest tale decoctum fieri. ℞. *Rad. cichor. fœnicul, taraxaci*, an. Vnc. ß. *asari* Drach. i. sem. *endiu. agrimon. capill.* ♀. an. M. sem. *passul.* Vnc. sem. Coqu. in s.q. *aq. f.* In colatura infund. *fol. senæ el.* Vnc. sem. *rhabarb. opt.* Drach. sem. *cinnamom. turbith. el.* an. Scr. i. *flor. cordial.* an. P. i. Colaturæ ℞. Vnc. iii. sem. Adde *syr. de cichor. cum rhab. mell. ros. sol.* an. Vnc. i. Drach. vi. Vel drachmam vnam atque alteram *de conueniente purgante electuario*. F. Haustus, qui si opus sit, aliquoties repeti potest.

Vel ℞. *Rad. cichor. asparagi, graminis, fœnicul. taraxaci, oxylapathi, polypod. q.* an. Vnc. sem. *endiu. capill.* ♀. *hepaticæ, chamædryos, cardui benedicti*, an. M. i. *semin. 4. frig. mai.* an. Drach. ii. *fœnicul. genistæ*, an. Drach. i. sem. *passul.* Vnc. i. Coqu. in s.q. *aq. f.* In Colat. ℔. i. Infund. per noctem *fol. sen. el.* Vnc. i. sem. *rhabarb. opt.* Drach. i. *agar. albiss. turbith. el.* an. Drach. sem. *zingiberis* Drach. i. *cinnam.* Drach. sem. *spicæ* Sc. i. *flor. cordial.* an. P. i. Col. adde *syr. de cichor. c. rhabarb.* vel *diasereos, rosar. sol. endiu. comp.* an. Vnc. i. ß. Fiat Potus, de quo alternis diebus manè dentur ℥. iv. vel ℥. iv. ß. Aut Colat. addatur *sacch. albi* q. s. & coqu. lento igne ad syr. liquidioris consist. ac sub finem syr. de cichorio cum rhab. aut diasereos affundatur, & F. syrupus, qui aromatizetur spec. diarrhodi abbat. in nodulo suspensar. ʒ. i. De quo cochlearia duo aut plura, seu quantum opus, exhibeantur. Vtile est in febribus diuturnioribus & Tartarum, atque ex eo parata medicamenta, quæ vel sola vsurpantur, vel aliis addantur; dum scilicet decoctis & potionibus parandis ipsum tartarum; paratis cremor tartari, vel tartarum vitriolatum, vel sal tartari admiscentur.

In decoctis autem talibus longis, vt & syrupis, qui minùs crassam habent consistentiam, hoc obseruandum: cùm optima clarificatio sit, quæ fit per subsidentiam, vt inclinatione id quod clarum, à fecibus sæpius separetur, clarúmque, si opus rursus calefiat. Hoc enim modo situs & corruptio præcauetur.

Sitis, quod plerumque fieri solet, si sit molesta, sedetur iis medicamentis, quæ infrà *lib. 4. c. 16.* proponentur. In primis hîc vtile est decoctum hordei cum radic. fœniculi, si ad M. iii. radic. fœniculi Vnc. ß. addatur, & ad remanentiam ℔. iv. coquatur, qui potus largiter exhiberi potest, cùm non solùm febrim sedet, sed & sudorem ac vrinam promoueat.

Post purgationes si febris non cesset, ad reliquias humorum euacuandas vtilia medicamenta vrinam mouentia. Vnde nonnulli in ea sunt sententiâ, Galenum absinthium potiùs vrinam ciendi, quàm purgandi gratiâ (cùm vtramque vim habeat) propinasse. *Vrinam mouentia.*

Sunt autem è diureticis vel frigida vsurpanda, vt emulsio sem. 4. frig. maior. facta cum sero lactis caprini, vel aquâ graminis, fragorum, cichorij, asparagi, hordei: vel è calidis, quæ non sunt valde calida, vt decoctum rad. graminis, asparagi, fœniculi, capillorum ♀, cicer. rubrorum, absinthij, cuscutæ, flor. chamæmeli, sem. genistæ, Syrupus acetosus compositus, de duabus radicibus.

Possunt his diureticis addi aliquot guttæ spiritus vitriol. vel sal. aut aliquid tartari.

Inseruiunt etiam huic rei aquæ, spiritûs, extracta, ac sales ex plantis huic vsui accommodatis; Item trochisci de absinthio, de rhabarbaro, de eupatorio.

Discutitur quoque materia febrilis per sudores, id quod natura ipsa plerumque facit in fine paroxysmi, quam Medicus rectè imitari potest. Licet autem & post paroxysmum, & ante ipsum sudores instituere. Et cùm, vt suprà dictum, inquinamentum illud ac συμπερισσώματα [?], Post paroxysmum relictum, reliquos humores iterum inquinet ac corrumpat, illud discutiendum & è corpore expellendum est, quod commodissimè fit per sudorifera. Ideóque vix aliqua febris integrè & perfectè, ac sine recidiuæ metu sine sudore curatur ac soluatur. *Sudorifera.*

In tertianis legitimis sufficit, si natura, quæ aliàs in fine paroxysmi sudores mouere solet, adiuuetur, & detur opera, vt materia biliosa per sudorem planè discutiatur. Quâ in re interdum in hisce febribus à Medicis peccatur, qui ægro omnem planè potum interdicunt, atque hoc modo in febribus calidioribus in causa sunt, vt corpus valde incalescat, exsiccetur, æger; minùs sudet, vnde metuendum ne æger in hecticam incidat. Ergo tum propinanda ægro aqua hordei, vel distillata acetosæ, buglossi, borraginis, cichorij, quibus aliquid aquæ cardui bened. fumariæ, scabiosæ, addi potest, cum syr. vel Iulepo viola. syr. acetos. oxysacchara. s. syr. acetosit. citri. Antiqui ad sudores mouendos balnea vsurpabant, quæ in desuetudinem venisse iam aliquoties dictum est. Iidem & inunctionibus quibusdam sudores ciebant; quod & hodie Ægyptij faciunt, teste Prospero Alpino, *de medic. Ægypt. lib. 4. cap. 15.* qui inunctionibus cum oleo rutæ, aut amygdal. amararum, aut chamæmelino, aut iuniperino, aut nitro rubro, cum leuibus perfrictionibus administratis, sudores cient. Verùm cùm inunctionum harum vsus maximus sit in

malignis,

malignis, dicetur de iis infrà, *in Curatione febrium malignarum.*

In Nothis tertianis, calidioribus sudoriferis vti licet, vt aquâ vel decocto cardui bened. centaur. min. scabiosæ, chamæmel. fumariæ; sale absinthij, cardui benedicti; extracto cardui benedicti, & similibus; imò nonnunquam ipsa theriaca & mithridatio. Atque illa ipsa interdum tribus, 4. 5. vel 6. horis ante paroxysmum adhibentur, vt materia paroxysmum paritura per sudores discutiatur, quorum vsu sæpe accidit, vt paroxysmus planè tollatur & auertatur. Hisce scopis & hæc aqua inseruire potest.

℞. *Cardui bened. centaurij min. absinthij*, an. M.i. *radic. gentianæ*, Vnc.ii. Infundantur in f.q. *aq. cardui bened. & buglos.* horis 24. postea destillentur. Aqua hæc & sola, & cum aliis vsurpetur.

Commendatur & verbena cum radice in vino cocta, si haustus ante paroxysmum exhibeatur: vel si verbena cum carduo benedicto & asaro in vitro coquatur, & haustus ante paroxysmum propinetur.

Et quia ipsa experientia Germanos docuit, felicissimè sudoriferis febres expugnari, ac sine iis vix tolli: plurimi apud eos circumferuntur pulueres & alia medicamenta, quibus ante paroxysmum exhibitis, sudore concitato, febres tolluntur: quorum aliquot hic adscribere libet.

℞. *Dictamni, tormentillæ*, an. ℈.ii. C.C. *vsti*. Drach.i. *succini albi* ℈.i. F. Puluis, qui D. Brambachio adscribitur.

Alius: ℞. *Centaurij minor. dictamni albi*, an. ℈.i. *radic. tormentill.* ℈.i. sem. *cardui bened.* ℈.i. *cortic. aurantior.* ℈.ii. F. Puluis, & addantur *sacchar. albi* Drach. iii. pro iii. dosibus. Adscribitur hic D. Bormanno.

Alius: ℞. *Dictamni, tormentill.* an. Drach.ii. *pimpinell.* Vnc. sem. C.C. Drach.ii. F. Puluis.

Alius: ℞. *Aristoloch. rotunda, gentianæ, dictamni albi, calam. aromat. zingiber.* an. Drach.i. *piperis longi, radic. pimpinell.* an. Drach.ß. F. Puluis. Dos. Drach.i.

Alius: ℞. *Rad. dictamni, petasit. zedoariæ, gentianæ, fol. scordij, cardui bened. sem. cardui mariæ*, an. Drach.ii. F. Puluis.

Alius D. G. Leuschneri.

℞. *Ocul.* ♋. *præparat.* Vnc.ii. *nuc. mosch.* Vnc. sem. *Fol. cardui bened.* Drach.i. *rad. pimpinell. dictamni alb.* an. Vnc.i. *Carab. alb. præpar.* Vnc. sem. F. Puluis subtilissimus. Alius eiusdem.

℞. *Ocul.* ♋. *præparat. herb. cardui ben.* an. ʒ.i. *rad. dictamni alb.* Scr.ii. *pimpinell. flor. filiginis, spongiæ sambuci, nuc. mosch.* an. Scr.i. *myrrhæ*, g̃. vi. F. Puluis subtilissimus. Dosis ʒ.i. in aceto calido ante paroxysmum.

Imò sunt, vt supra etiam diximus, qui mox in principio febrium calidis sudoriferis vtuntur: hac tamen lege, vt humores è primis viis priùs euacuentur. Hoc modo enim illud inquinamentum & fermentum putredinis discutitur, eóque sublato nullus paroxysmus alius subsequitur.

Ægyptij, referente Prosp. Alpino, *de Medicina Ægypt. lib.* 4. c. 8. ad tertianas nothas & febres quotidianas pro secreto habent, ante accessionem, pulueris chamædryos ʒ.i. ex iure pulli, vel ex herba paratum decoctum cum sacchar. multis diebus exhibere.

Roborantia. Roborantia etiam non negligenda. Et quamvis corpus euacuatum sit, aut febris cesset, non statim a medicamentorum vsu desistendum; cùm facilè fieri possit, vt remaneus aliqua in visceribus intemperies calida bilem rursum generet, è qua febris iterum accendi possit. Itaque hepati & ventriculo succurrendum medicamentis cùm internis tum externis, ex rosis, cichorio & similibus.

Quòd si febris sit pertinacior, procul dubio viscus aliquod vitium contraxit, febrique materiam suppeditat. Quapropter membri illius cura habenda, & quidem pro variâ membri naturâ varia. In intermittentibus enim hoc obseruandum, vt ad membrum mandans in primis respiciatur. In tertiana Intermittente Hepar si malè affectum ac calidius sit, copiosè bilem generat, quam non semper in se retinet, cùm membra nobiliora, quantum possunt, se ab humoribus vitiosis liberent, eósque ad partes ignobiliores mittere soleant; sed ad pancreas, mesenterium, & alia hypochondriorum loca mittit. Hepar autem

Hepar vt curandum. ob plures causas ad bilem generandam aptum redditur. Primò dum calefactum est: deinde, dum à crassa bile obstruitur: tertiò, dum in eius vasis bilis abundat, à qua chylus inquinatur, & facilè in bilem mutatur. Itaque si tale aliquid animaduertatur ex siti, quam æger patitur, aut vrina biliosa, ex calore vnlæ manus, ex dolore, duritie, tumore hepatis, aut totius corporis pallente colore: Hepati in primis prospiciendum est. Vnde rectè scribit Gal. 1. *ad Glauc. c.* 9. *semper oportet contrarias qualitates illis, quæ præter naturam inualuerit, opponere, & hæc alteratio plus iuuat, quàm crebra euacuatio.* Licèt enim frequentibus purgationibus æger molestetur, tamen nisi causa bilem generans tollatur, frustra æger purgantibus affligitur. Ergo si hepar & viscera intemperie calidâ laborent, refrigerantia & roborantia conueniunt, tum quæ supra sunt proposita, tum quæ parantur ex eius generis consf. tuis, conditis, speciebus; exempli gratiâ, conserua cichorij, violar. acetosæ, radic. condit. cichorij, spec. diarrhod. abb. diatrionsantal. spirit. salis, vitrioli, & similibus.

Si autem hepar obstructum sit, aut bilis in eius viis hæreat, medicamenta vsurpanda, quæ vias hepatis aperiunt, & bilem per vrinas educunt, tum etiam per aluum leniter euacuant. Atque hæc est causa, cur Galenus adeò absinthium in hisce febribus commendat. Vim enim habet bilem detergendi, & eam cùm per aluum, tum per vrinam educendi. Vtile etiam est decoctum hordei & radicum cichorij dilutius, & saccharo dulcoratum: vt & conserua rosarum recens, cum decocto hordei, vel radic. cichorij.

Absinthij vsus in febribus.

Mindererus *de chalcantho c.* 9. in omnibus iecoris, mesenterij, hepatis ac venarum obstructionibus, Syrupum hunc, quo plurimi per diuturnas febres in cachexias ac hydropes deuoluti, pristinam sanitatem rursus sunt adepti, commendat.

℞. *Succ. radic. cichorij, pimpin. depuratorum*, an. ℔.i. *fumariæ, lupuli.* an. ℥.vi. *petroselini, fœniculi*, an. ℥.iii. *rad. apij, enulæ, asparagi, eryngij, vincetoxici*, an. ℥.i. *herbarum agrimoniæ, Sanctæ Kunegundis, seu Eupatorij Auicennæ, ageratí*, an. M.i. *flor. centaurij min. fol. ceterach. adianti albi & nigri, cuscutæ, cardui benedicti, comarum absinthij Pontici*, an. M.ß. *granorum alkekengi* ℥.i. *aquæ fontanæ* ℔. vi. *aceti scillitici* ℔.ii. Arida omnia ex prædictis sex libris aquæ coque, vsque dum supersint libræ duæ: has transcola diligenter, & cum succis & Aceto Scillitico, additis Sacchari albi libris tribus semis, coque in Syrupum iustæ consistentiæ.

Huic Syrupo adiiciatur, vel admisceatur tantum olei Chalcanthi seu vitrioli, quantum sapor tolerare posse videbitur, vt assumpto grata obueniat aciditas. Huius, tria porrige cochlearia ægro ante ientaculum, totidémque ante prandium & cœnam.

Topica. Extrà etiam Topica adhibenda sunt hepati, qualia passim extant.

Et quia in febribus nothis materia plerumque difficiliùs concoquitur, ac præterea ab affecto Hepate, cruditas in eo, & sanguis frigidior generatur, vnde tumor pedum & oculorum oriri solet. Ideò & extra talia hepati adhibenda, quæ illud roborant, vias aperiunt, partes dilatant, & humores fundunt, ex endiuia, cichorio, taraxaco, agrimonia, rosis, absinthio, spica, schœnantho, chamæmelo & similibus.

Lienis cura. Lienis similiter ratio habenda est, qui in febribus diuturnioribus frequenter obstrui, & duritiem contrahere solet: de quo in *curatione Quartanæ* dicetur.

Ventriculi cura. In primis verò in febribus longioribus habenda est ratio ventriculi. Solet enim is à calore febrili debilitari; debilitatus verò malè coquit: vnde vitiosus chylus prouenit, qui in secunda coctione non corrigitur, sed vberem potiùs febri materiam suppeditat. Hoc si animaduertamus, vtilissimum est his in septimana id quod crudum est, ea alimento in ventriculo, & primis viis vomitu euacuare. Quo remedio pertinacissimas febres longè faciliùs, quam vllo alio remedio tolli, omnes Medici consentiunt. Et quidem die quietis, vomitus post cibum, materiæ antecedentis tollendæ gratiâ, commodè instituitur. Nam, vt etiam supra de vomitu instituendo dictum, duplex est occasio vomitum instituendi. Vna, qua commodissimè materia antecedens, & quæ materiam antecedentem auctura est, tollitur; & secundùm hanc occasionem rectissimè instituitur vomitus die quietis post sumptum cibum: Altera, quâ fit vomitus ob instantem paroxysmum, qui vt imminuatur, paulò ante ipsum vomitus instituitur. Deinde fouendus ventriculus. Exempli gratia.

℞. *Rad. rubiar. absinthij, menthæ*, an. M.ß. *spicæ nardi*, ʒ. ii. *mastiches*, ʒ.ß. *cyp. rt* ʒ.i. *flor. cham. mel. meliloti*, an. M.ß. Coq. in f.q. *aq.* vel *vini albi*, ac spongiis decocto calido madida ventriculus foueatur; vel herbæ sacculo insuantur, qui coquatur, & calidus ventriculo applicetur. Post fotum ventriculus inungatur oleo absinthij, mastich. cydoniorum, nardino, nucis moschatæ expresso, vel applicetur cerotum stomachale, & alia, quæ aliàs ventriculo debili conueniunt, atque alibi explicantur.

Scorbuti generatio. Sæpe quoque accidit in hisce regionibus, vt in febribus diuturnis & tertianis & quartanis scorbutus coniungatur. Materia enim febrilis & vitiosa in mesaraicis collecta & diutiùs hærens, tandem dispositionem scorbuticam induit; vnde febres curatu difficiliores redduntur, imò non curantur, nisi simul medicamenta, quæ scorbutus requirit, adhibeantur. Verùm *de scorbuto*, peculiari tractatu.

Externa medicamenta in tertiana. Præter ista medicamenta omnia, quædam adhuc occurrunt, quæ vulgò extrà corpori ad febrem tollendam applicantur, nec omnia à Medicis improbantur. Inter quæ à plurimis commendatur emplastrum ex telis aranearum & vnguento populeo. De quo Abraham Seilerus, *in epistola à Scholtzio collectis, epist.* 3. ita scribit: *Expertus sum, si ante accessionem febrilem tela aranea cum vnguento populeo incorporata carpo & temporibus, vbi pulsus deprehenditur, apposita fuerint, plurimum contulisse.*

Alij idem medicamentum ita parant:

℞. *Vrticæ min.* M.i. *tela aranearum* ʒ.ß. *Salis communis* cochlear. i. Contundendo, & addendo *aceti cochlear.* i. M. pro Emplastro, quod ad pulsus vtriusque manus per duas horas ante paroxysmum applicetur.

Alij folia bursæ pastoris cum sale & aceto trita carpis applicant. Alij fuliginem è furno, & saluiam contusam & cum albumine oui mixtam: Alij eandem fuliginem cum allio, cæpis, & oui albumine ac aceto mixtam carpis alligant. Nonnulli contundunt anserinam cum sale & aceto, ac carpis applicant.

Alij & quæ vesicas excitant, & hoc fine folia ranunculi

recentia

recentia contusa, vel allium & cæpas carpis applicant. Alij recipiunt corticum interiorum nucis ramorum, q.s. macerant in aceto, & carpis applicant, quo remedio se feliciter vsum Platerus scribit.

Nonnulli hoc emplastrum toti abdomini ante inuasionem apponunt, & ibi relinquunt, donec exsiccetur, idque die altero renouant.

℞. *Farinæ* q.s. *oua* Num. iiij. *succi verbenæ, plantaginis, radic. vrticæ Rom.* an. q.s. Et ad formam Cataplasmatis redigantur.

Ægyptij vt refert Prosp. Alpinus, *de medic. Ægypt. lib. 4. c. 15.* audaciores in hoc genere sunt, dum vnguentum parant ex araneis vnà cum suis telis contusis, & cum oleo rosaceo ad modum linimenti mixtis, vel araneis in oleo rosarum coctis; quo calido carpum vtriusque manûs inungunt.

De modo si quæratur, quo hæc medicamenta agant, vix alia quàm hæc ratio reddi potest, quòd ab istiusmodi medicamentis putridus vapor à corde & suo foco reuocatur & reuellitur: ac præcipuè inquinamentum illud ac μίασμα humores corrumpens euocatur, maximè si pauca ampliùs putredo restet, & febris in declinatione sit, de quo *cap. præcedente* dictum.

Paroxysmum impedientia.

Habet interdum vulgus & Empirici alia quædam, quibus paroxysmum impediunt. Verùm nisi adhibeantur purgatâ materia, non tutò adhibentur; cùm si materia in corpore relinquatur, licèt febris cesset, grauiora mala sæpe inde sequantur, vt dolor colicus, cachexia, hydrops, icterus: Aut nisi medicamentum simul vim diaphoreticam & confortandi habeat, qualis anodyno Bannisterij tribuitur, quod describit Andr. Libauius *in Syntagmate arcan. Chymicor. in fine* item Laudano opiato, quod VVilh. Pithopœus miris modis commendat, & hoc modo parat.

℞. *Quinta essentiæ opij* ℥. i. ß. *essentiæ croci* Drach. vi. *essentiæ quintæ lapid. pretiosor. magisterij corallorum rubr. cum auro, perlarum*, an. ℨ. ii. *lapid. bezoartic. orient.* ℈. ii gr. v. *auri diaphoret. siue potabil.* ℨ. ß. *ambræ griseæ* ℈. ii. gr. v. *moschi* ℈. ß. *ol. cinnamom. caryophyll. succini*, an gutt. ii. Misceantur s.a. & in vitro satis capaci digerantur, atque interea semel atque iterum agitentur. Dosis gr. ii.

Diæta in tertiana Intermittente.

Victus tandem ratio in hac febre etiam diligens habenda: cùm natura in exquisita tertiana modò victus ratio rectè instituatur, sæpe morbo abigendo sola sufficiat.

In pura igitur tertiana victus ratio requiritur eadem ferè, de qua in continua biliosa diximus. Cibus nimirum sit refrigerans & humectans: eius quantitas tanta, quantam natura rectè concoquere potest. In primis conuenit ptisana, & reliqui cibi, qui sunt boni succi & facilis coctionis, simúlque refrigerant. A melle autem & dulcibus, sinapi, salsis & acribus omnino abstinendum, cùm facilè in bilem degenerent. Vinum, antequam materia coquatur, non exhibendum. At vbi concoqui cœperit, dandum est tenue, aquosum ac purum. Circa declinationem verò liberaliùs potest offerri.

Exhibendus verò cibus est extra accessiones: nisi virium ratio, spirituum dissolutio, & imminens Syncope contrarium suadeat: id quod in siccis & calidis naturis fieri solet: Calidis enim ac siccis naturis aduersissima est inedia, & febrium causa præsentissima: vnde Galenus, vt ex 10. *meth. med. c. 5.* videre est, nonnunquam tales, ne syncope periclitentur, in paroxysmorum principio cibare coactus est.

In Nothis verò tertianis ad duo in primis in victu præscribendo attendendum, curandúmque, ne vel morbus augeatur, vel vires, quæ in morbo longiore diu sufficere debent, periclitentur. Quorum vtrumque exactè præstare non ita facile est. Inedia enim quantum potest ad morbi coctionem, tantum vires labefactat: Cibus contrà, quantum vires auget, tantum coctionem materiæ febrilis impedit: Ergò morbi & virium magnitudo diligenter inter se comparanda est. Victu tenui enim valentibus viribus, & materiâ coctu difficiliore audaciùs vtimur; largiore autem cibo vtendum, cùm vires sunt imbecilliores, atque materia non admodum coctu difficilis. Copiosiore tamen omnino cibo opus est in tertiana Notha, quàm pura; cùm morbus sit diuturnior. Cibus verò porrigatur in primis die Intermissionis. Verùm cùm non omnes naturæ id ferant, vt tertio solùm quóque die cibum sumant, & præcipuè ob potus necessitatem: ideò & die paroxysmi aliquid cibi, sed qui sit omnino facilis coctu, post paroxysmum, aut pluribus horis ante paroxysmum præbendum, sed omnino minus, quàm in tertiana pura; cùm paroxysmus longiùs protrahatur: die verò quietis solidior cibus, & maiore copiâ, quàm in tertiana pura, exhiberi potest, vt carnes pullorum, gallinarum, hœdinæ, vitulinæ. In nostris regionibus commodissimus est potus, cereuisia tenuior. Cibus autem non solùm refrigeret & humectet, vt in exquisitis, sed etiam nonnihil attenuet & incidat. Vinum tamen etiam album tenue concedi potest. Galenus ptisanæ succo vtitur, adiecto pipere, & loco potus, aquâ mulsâ, in qua origanum vel hyssopus cocta fuerint. Verùm alij hæc sine periculo fieri posse non putant, præsertim si pituita pauca admixta sit, & corpus sit calidius. Et satius esse censent, ptisanâ vti cum apio, petroselino & cinnamomo decoctâ. Quâ in re tamē ad mixtionem humorum attendendum. Si enim parum pituitæ admixtum sit, etiam parum calidorum admiscere oportet; si verò febris multum à tertiana pura decliuet, plus admiscere licet. Potest tamen illud χολῶδες in melle, aceto addito facilè emendari. Aliàs vt dictum; consuetus & vtilis potus est cereuisia tenuior, quæ & ipsa, si opus sit, commodis & idoneis plantis condiri potest.

CAPVT XIX.

De Quotidiana Intermittente.

SEcunda febris Intermittentis species est, quæ è pituita oritur; quæ quia singulis diebus inuadit, quotidiana communiter nominatur. Hanc Fernelius, *lib. de febr. c. 12.* omnium febrium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis vna obtingat, scribit. Platerus verò eam dari planè negat, & quamvis multi quotidie febri conflictentur, id tamen non à quotidiana, sed duplici tertiana, vel etiam triplici quartana fieri. Et ita reuerâ sese res habet. Plerique enim, qui singulis diebus febri corripiuntur, febricitant ob humorem biliosum aut melancholicum, rarò ob pituitosum. Atque tales febres potiùs duplices tertianæ, aut triplices quartanæ sunt. Simon Simonius quidem planè istas differentias compositas, & appellationes duplicis aut triplicis tertianæ ac quartanæ reiicere videtur: Verùm planè & per omnia illi non assentimur. Si simili typo non inuadat quotidie febris, & primus paroxysmus tertio, secundus quartò & sic consequenter; aut primus quarto, secundus quinto, & sic deinceps respondeat: tales febres non iniuriâ tertianas duplices, vel triplices quartanas nominari posse statuimus; id quod præcipuè ex duplici quartana apparet. Hoc tamen semper obseruandum censemus: nomina quotidianæ, tertianæ, quartanæ, non constituere febrium differentias, sed humores. Itaque iam de quotidiana intermittente agimus, non eâ, quæ à bile fit, & quotidie recurrit, sed de ea, quæ à pituita.

Causa.

Generatur hæc febris rarò citra ventriculi aut hepatis offensionem. In his enim duobus locis pituita generatur, nimirum in hepate, ex frigidiore chyli parte, in primis verò ex alimentis ac præcipuè pituitosis in ventriculo. Et cùm hæc febris à pituita fiat, omnia ea quæ faciunt, vt pituita in corpore colligatur, huius febris causa esse possunt. Ista autem ad tria capita commodè reducuntur, nimirum ad debilem & imminutum viscerum calorem; ad alimentorum frigidam & humidam naturam, & eorum copiam atque abundantiam. Hinc colligitur pituita in iis, quibus hepar & ventriculus, aut etiā tota corporis constitutio est frigida & humida: quibus nimirum habitus corporis est obesior, albicans, venæ & arteriæ angustæ. Ætas ad pituitæ generationem apta est senilis, ob natiui caloris paucitatem; & puerilis, ob voracitatem. Sexus verò muliebris, & vita otiosa etiam facit ad pituitæ generationem: victus plenior & liberalior, aëris constitutio, siue ratione temporis anni, siue cœli, siue loci, frigida & humida; somnus longus, præsertim mox à cibo initus; refrigerantium medicamentorum vsus.

Signa diagnostica.

Signa quotidianæ Intermittentis.

Signa febris Intermittentis pituitosæ petuntur, tum ex iis quæ præcesserunt, quales sunt, causæ pituitam generantes & cumulantes, modò enumeratæ; tum ex iis, quæ pituitæ in corpore copiam arguunt; tum propriis Symptomatis. Pituitæ copiam indicant faciei corporisque color albicans, nonnunquam pallidus aut liuidus, moles eiusdem ampla ac mollis, & ad tactum frigidior; mens & sensus sunt hebetiores, somnus profundus, insomnia de aquis, pluuiis, niue, submersione. Pulsus est paruus, tardus ac mollis. Vrina alba vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa, cum multo sedimento. Quòd si putredinem iam concipiat pituita, & inde febris excitetur, tempore nocturno ea præcipuè affligere solet; vnde apud Hippocr. 3. *epid.* per nocturnas febres, pituitosas intelligendas esse aliqui existimant.

Signa febrium ex hora inuasionis.

Non enim hîc prætereundum, quosdam monere, signa febrium humorísque peccantis aliqua etiam haberi posse ex hora inuasionis, & cuique humori suam horam tribuere. Sanguinem moueri nimirum ab hora nona noctis vsque in horam diei tertiam dicunt: ab hora diei tertia ad horam diei nonam, bilem: ab hora diei nona ad horam tertiam noctis, melancholiam; ab hora tertia noctis vsque ad horam nonam noctis, pituitam dominari.

Inuadit autem hæc febris non subitò, sed sensim, cum extremitatum saltem refrigeratione aut horrore. Rigor autem, vt Galenus scribit, eam non antecedit, neque initio, neque in progressu. Cùm enim materia hæc (de legitima pituitosa hoc intelligendum) benigna sit, & naturæ non adeò infensa, & calor ex putredine remissus, minùs quoque naturam lacessit, & propterea calor non cum impetu, sed leniter ad interiora reuocatur.

Calor quotidianarum.

Calor post refrigerationem cum difficultate accenditur, & tardè inualescit, ac cum magna inæqualitate, quâ modò calor, modò frigus sentitur. Humor enim pituitosus est frigidus, humidus ac crassus: accensus verò calor non est acris, sed halituosus primùm occurrit, quasi ex accensis lignis viridibus vapor sublatus, & quidem inæqualiter manum ferit, vt veluti per cribrum transmitti videatur, vt docet Galenus. At si manus diutiùs admota teneatur, aliquantum mordax & acris apparet. Calor postea per totum corpus diffusus illud non valde vrit, neque denudare membra, & tegumenta abiicere cogit, neque multum aut frequenter respirare, potúmque appetere. Qui enim hac febre laborant, minùs sitiunt, tantúmque abest, vt lingua sicca sit,

Digitized by Google

vt etiam humiditate perfundatur. Cùm etiam febrire incipiunt, præcordia intumescunt, inflantur ac distenduntur: color iis est pallidus, etiam cùm paroxysmus ad statum peruenit, faciésque ferè sublinida & subtumida; corporis adest grauitas, & maxima ad somnum inclinatio. In paroxysmi initio, non raro accidit lipothymia, potissimùm ob os ventriculi, quod in hac febri afficitur.

Vrinæ in primis diebus tales sunt, quales in quartanis incipientibus, albæ, tenues & crudæ, ob materiæ copiam, quæ & meatûs obstruit, & calorem natiuum obruit. In principio morbi etiam plerumque in fundo matulæ apparet & residet aliquid sedimento simile, quod tamen verum sedimentum nō est, neque vllam coctionis notam exhibet, sed est humoris crudi adhuc peccantis portio, & propterea cruditatem materiæ potiùs, & principium morbi, quàm coctionem ostendit. Posteà verò, cùm materia concoquitur, eiúsque nonnihil per vrinas expurgatur, crassiores sunt & turbidæ, sæpe etiam rubræ. Verùm & alui deiectiones crudæ sunt & pituitosæ: quia corpus frigidis & crudis humoribus refertum est. Quâ de causâ etiam primis diebus non sudant; progrediente verò tempore in declinatione paroxysmi parum sudoris emittunt.

Pulsus, vt hac de re Galenus scribit, tantò minor est pulsu quartanæ, quantò quartanæ pulsus tertianæ pulsu minor est. Pulsus item rarior, quàm tertianæ & quartanæ, æque verò tardus. Quotidianæ ergò est minimus, rarus, tardissimus; tertianæ maximus, velocissimus & frequentissimus; quartanæ paruus, tardissimus & rarissimus. Cuius rei causa est, quia cùm in tertiana magis vrgeat vsus, quàm in quartana, & in hac rursus magis, quàm in quotidiana: mirum non est, maiorem esse in vna, quàm in alia. Celeritas verò in quotidiana & quartana par est, etsi maior sit calor in quartana, quàm in quotidiana: quia id, quod magnitudine in quartana adimpletur, in quotidiana, mediante maiore celeritate fit. Itaque est quartanæ pulsus tantò rarior quotidianæ, quantò tertianæ frequentior quotidianæ, ob fuliginum copiam & acrimoniam in tertiana.

Paroxysmus ad horas 18. extenditur; vnde intermissio & interuallum est saltem 6. horarum: quæ etiam raro integra & pura est, sed solùm ad sensum, & humoris putrefacti in calore & pulsibus semper relinquitur indicium. Imò sæpè ad 24. horas extenditur; vnde continuæ similis apparet. Calor enim in hac febre est similis calori in lignis viridibus accenso, qui & tardè deflagrat, & multum fumorum relinquit.

Quotidianæ Intermittentis notha signa.

Quæ quidem signa omnia in exquisitis pituitosis seu quotidianis inueniuntur. In nothis verò non omnia, sed quædam ipsorum adsunt, quædam desunt; atque alia in febre à pituita acida, alia à pituita salsa adsunt. Vnde Galenus, *de plenit. c.* 11. scribit, à salsa siticulosi, ab acida famelici, à dulci somnolenti, ab insipida inappetentes fiunt. Ita quæ ab acida & pituita vitrea ortum habent febres, teste Galeno, 2. *de differ. febr. c.* 6. rigorem coniunctum habent.

Prognostica.

Prognostica.

Febris hæc, cùm ex humore pertinaci generetur, ac longa sit, periculo non caret: & cùm in eâ viscera, ventriculus & hepar præcipuè afficiantur, facilè qui ea detinentur, in cachexiam, hydropem, atque alios graues ac periculosos affectûs, vt earum, ac similes labuntur. Et quò pituita crudior, eò febris diuturnior & periculosior est. Et quò exquisitior est quotidiana, eò est diuturnior & periculosior, duratque ad dies quadraginta, nonnunquam ad menses tres, imò nonnunquam plures.

Breuitatem autem vel longitudinem morbi ostendent signa coctionis in vrina, quæ quò citiùs vel tardiùs apparebunt, eò morbus erit longior vel breuior. Paroxysmorum quoque longitudo vel breuitas idem ostendent. Sicut & si in paroxysmi initio vomitus siue sudor appareat, breuiorem morbum ostendit. Indicio enim est materiam non admodum esse crassam & viscosam, & actionem naturæ non planè respuere. Contrarium sequitur, si nulla euacuatio accidat, morbúsque in eodem statu permaneat. Ideóque si vires & appetitus valde deiiciantur, accessiones sint longæ, cum nullo sudore, parua salutis spes superest.

Etsi verò hæc febris noctu inuadit, tamen interdum interdiu etiam inuadere solet. Diurna verò nocturnâ est periculosior, & ad tabem plærumque deducit, cùm aliis de causis, tum quòd tempus medicationi non suppetit. Etenim cùm interdiu in paroxysmo medicamenta commodè offerri non possint: vel sine medicamentis æger relinquendus: vel tempus quod somno & quieti dandum erat, medicationi tribuendum. Quæ res vires deiicit, corpúsque tabescit.

Curatio.

Curatio.

Curationem autem huius febris quod attinet, de ea multa dicere opus non est, cùm ea, quæ suprà de *curatione Quotidianæ continuæ* dicta sunt, facilè Intermittenti applicari possint.

Primæ viæ euacuentur clystere, parato ex decocto mercurialis, parietariæ, betæ, flos. chamæmel. summit. anethi, sem. anisi, fœniculi, carthami, furfur. cum Elect. diaphœnic. mell. rosato col. & similibus.

Venæsectio.

Venæsectio in hisce febribus puris vix locum habet; cùm venâ incisâ sanguis bonus emittatur, & vitiosi ac crudi humores in primis viis hærentes in venas attrahantur.

Vomitoria.

Vtilis verò est vomitus, vt vix in vlla febre sit vtilior; cùm ventriculum, qui in hac febre maximè afficitur, in primis euacuet: & quidem is, per interualla sæpius instituendus. Cautione tamen in hac re opus est, ne ventriculus, qui aliàs, vt dictum, in hac febre laborat, fortioribus vomitoriis debilitetur. Etsi autem vulgò feratur, ventriculum priùs roborandum esse: tamen nec id satis tutum videtur. Etenim si ventriculus roboretur, non facilis erit ad vomitum. Ergò distinctione hac in re opus est. Nam si ex hepate & venoso genere præcipuè materia febris suppeditetur, non facilè, & nonnisi fortioribus vomitoriis materia euacuatur, quibus ventriculus non parùm debilitatur. Si verò ventriculus pituitosos humores suppeditat, tunc commodiùs vomitus instituitur. Cùm autem pituitosi humores in ventriculo, qui causa sunt, vt alimenta assumta non rectè concoquantur, sed potiùs in pituitosos humores conuertantur, plerumque crassi & viscidi sint, humores illi priùs præparandi sunt hydromelite, in quo folia origani vel hyssopi macerata sint, additâ parte aliquâ oxymelitis, vt faciliùs postea vomitu reiici possint.

Est autem in vomitu ciendo hîc conueniens raphanus, cuius vel decoctum, vel succus, vel infusum cum oxymelite, ℥ iv. vel plurium pondere propinari potest. Licet & alia addere, vt semen atriplicis, anethi, flores genistæ, chamæmeli, quibus & ʒ. i. agarici addi potest, vt:

℞. *Sem. raphani, atriplicis, anethi,* an. ℥. ß. *flor. genistæ, chamæm.* an. P. i. Coq. in s. q. aq. pro ℥. v. Col. adde *oxymel. s.* ℥. i. Misce.

Præparātia.

Efficax est & hîc in fortioribus, extractum Esulæ. Verùm de vomitoriis iam aliquoties satis dictum.

Postea materia præparetur medicamentis alterantibus, incidentibus & detergentibus; initio quidem mitioribus, hinc fortioribus, ex radicibus aperientibus, *hyssopo, origano, betonica, agrimonia, capillo ♀ chamædry, chamæmelo, calamintha*, quibus & cichoracea admiscere licet, ob calorem febrilem: cum *Syrupo acetoso s. melle rosaceo, oxymel. simp. & comp. Syr. byzant. s. & composito, de endiuia comp. de hyssopo, de duabus radicibus, de quinque radicibus. oxymel. scillitic. helleborato Gesneri, Spir. vitriol. salu.*

Purgantia.

Materia præparata conuenientibus medicamentis expurganda, vt agarico, mechoacannâ; quæ in hac febre commodissima est: cùm non solùm pituitam educat, sed & resoluat atque exsiccet, & temperatè ventriculum calefaciat ac roboret: turbith, trochisci alhandal, elect. Indum, diaphœn. diacarthamum, extractum panchymagogum, & esulæ, pilulæ de hiera cum agarico, de agarico.

Sudorifera.

Sudorem quoque & vrinam cientia hactenus proposita non negligenda; & quidem fortiora in hac febre vsurpanda, ex scorodiculo, carduo benedicto, salsa parillâ, ligno sancto, sassafras, theriacâ, sale cardui benedicti, ebuli. In primis ad sudorem ciendum, & febrem quotidianam depellendam, commendatur radix caua, quæ ʒ. i. vel ℈. iv. pondere, ante paroxysmum in haustu vini ter vel quater exhibeatur, vt æger sudet. Tandémque vt pituitosi humoris generatio prohibeatur, viscera, & in primis ventriculus roborandus, cùm externis, tùm internis medicamentis, vt:

℞. *Conserua hyssopi, betonicæ, anthos.* an. ℥. i. *cortic. citri condit.* ℥. ß. *rad. condit. helenij, pimpinellæ.* an. ʒ. iii. *spec. aromatici rosati* ʒ. ß. *spir. vitriol.* ℈. ß. Cum *syrup. conseruat. calami aromatici, vel zingiberis in Chinâ condit.* F. Electuar.

CAPVT XX.

De Quartana Intermittente.

Quartana Intermittens.

TErtia Febrium Intermittentium species est, quæ ab humore melancholico oritur, quæ quòd quartanā periodum obseruat, quartana appellatur: Febris nimirum putrida, intermittens, quarto quóque die recurrens, ab humore melancholico in primis viis collecto & putredinem concipiente ortum habens.

Melancholiæ differentia.

Melancholicus autem humor non est vnius generis, sed plures humores sub melancholiæ nomine comprehendūtur. Alius nimirum dicitur esse humor melancholicus naturalis, alius præternaturalis. Naturalis primò est crassior sanguinis pars, quæ cum sanguine in venis continetur. Sed hic rectiùs sanguis melancholicus, quàm melancholia dicitur, neque huius febris causa est. Deinde melancholia, & quidem propriè dicitur humor excrementitius, qui tamen secundùm naturæ leges generatur, & secundùm vulgatam opinionem in lienem secedit. Melancholia autē præternaturalis, aut potiùs atra bilis (ita enim proprio nomine appellatur) est, quæ adustione aliorum humorum fit. Huius differentias quatuor constituit Auicennas. Alia enim ex adustione & torrefactione quasi bilis flauæ; alia ex pituitæ; alia ex sanguinis; alia ex melancholiæ naturalis adustione fit.

Vnde cùm Auicennas eiúsque Interpretes scribunt, dari Quartanam biliosam, sanguineam, & pituitosam, id non aliter intelligendum est, quàm has febres fieri ab atra bile, generatâ ex adustione vel sanguinis, vel bilis, vel pituitæ salsæ. Et quidem ex bile immediatè atra bilis generatur: cùm verò ea sanguine tenuiore, & pituitâ salsa fit humor ater, priùs in bilem, & ex bile in humorem atrum mutari credibile est.

Cùm autem tot sint humoris melancholici differentiæ: quæritur

Quinam humor melancholicus, Quartanæ causa sit.

quæritur iam; An à qualibet eius differentia febris excitari possit: de qua re alij aliter sentiunt. Alij enim ex his humoribus omnibus febres quartanas oriri statuunt: alij ex melancholia solùm naturali febres quartanas prouenire posse; ex iis verò differentiis, quæ ex humorum aliorum adustione & torrefactione proueniunt, nullas febres prouenire posse existimant. Cùm enim atrâ bile nullus humor sit peruiciosior, & omnes partes, quas transit, erodat & exulceret, si febrem excitaret, eam non diuturnam, qualis est quartana, sed acutam faceret; tum etiam pessima Symptomata inueheret, qualia non apparent in quartana. Imò putant, tantam esse huius humoris malignitatem, vt si in corpore generetur, priùs hominem iugulet, quàm putrescat, aut febrem excitet. Vnde etiam Galenum solùm quartanæ, quæ ex humore melancholico naturali fit, mentionem facere censent.

Videtúrque Galenus hoc expressè non decidisse, quo nomine & à Tralliano, *lib.* 12. *cap.* 8. reprehenditur, quasi vnam saltem Quartanæ curationem tradiderit, *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 11. cùm tamen Quartanæ febris non vna sit species, sed alia ex bile flaua nimiùm adusta, alia ex feculento sanguine nascatur, quæ curationis modo etiam differant. Nam eam, quæ ab humore melancholico creatur, calefacientibus humectantibúsque iuuari: quæ verò ex nimia bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus. Miratúrque Trallianus, quomodo Gal. in omnibus quartanis non alium victum, quàm qui calefacere & siccare possit, præcipiat; ab iis verò, quæ refrigerant & humectant, abstinere iubeat. Ipse verò diuersam curam præscribit quartanæ à melancholia. Nam si æger naturâ calidus sit & siccus, ætate vigens, anni tempus sit æstiuum, curæ, vigiliæ, tristitia, ira, acrium medicamentorum vsus præcesserint; etiam valde refrigerantia adhibet.

Verùm enimverò etsi possit concedi, quartanam legitimam, seu febrem melancholicam puram tantùm prouenire ab humore melancholico naturali: tamen impossibile non est, quin etiā febris quædam Quartana ex humore adusto fieri possit, in primis si alij humori permisceatur. Tum enim is ita malignus non est: neque etiam semper eiusdem gradus est humor adustus. Et tales febres quartanæ sunt pleræque eæ, quæ à principio hominem non inuadunt, sed aliis febribus & morbis succedunt. Atque ita se non habere, signa & symptoma docent, atque illud in primis, quòd aliquoties quartanas in scabiem, eámque fœdissimam lepræ non dissimilem, terminari vidimus.

Neque planè hoc indeterminatum reliquit Galenus, cùm, 3. *aph.* 22. atram bilem, ex qua Quartanæ ortum habent, geminam sortiri generationem, vnam ex flaua bile retorrida & perusta, alteram ex crasso sanguine scribat, quod & 3. *prognost. aphor.* 27. docet.

Causa Quartanæ proxima.

Neuter tamen hic humor Quartanam producit, antequam putrescat; sed sæpe diu in corpore cumulatur, antequam putrescat. Itaque proxima febris Quartanæ causa est humor melancholicus, in primis viis, circa lienem & vicina viscera, putredinem concipiens.

Remota.

Remotæ verò sunt ea omnia, quæ ad humoris melancholici & atri generationem faciunt. Vbi enim humores à causa calida quacunque aduruntur, accidit, vt vbi feruor ille desiit, quasi cineres quidam relinquantur, nunc planè frigidi & sicci, nunc caloris alicuius adhuc participes. Hinc euenit, vt quartanæ potiùs post quadragesimum annum, quàm ante, & præcipue autumno accidant, & tertianæ in Quartanas mutentur. Nam ætate iuuenili, & in æstate in primis calidâ, & per febres tertianas humores aduruntur, quorum quasi cineres postea accedente ætate & tempore frigidiore in corpore retinentur, tandémque putredinem concipientes, Quartanam generant. Generatur nimirum humor melancholicus in iis præcipuè, qui corpus calidum & siccum habent, lienem tumidum, obstructum & imbecillem. In talibus enim crassi & terrei quasi humores colliguntur, & in liene & vicinis locis cumulantur, vel etiam in totum corpus effunduntur. Cumulantur verò ex crassorum ciborum vsu, quales sunt carnes bubulæ, ceruinæ, aprugnæ, sale conditæ & fumo induratæ: pisces ex limosis aquis, olera & legumina, panis non fermentatus, vinum crassum, cereuisia feculenta. Vt enim vinum, cereuisia, aut alius succus, crassus & feculentus, dum fermentatur & digeritur, multum fecis deponit: ita & ex crasso & impuro chylo & chymo, dum coquitur, multum feculentæ materiæ separatur.

Acetum etiam melancholico humori generando aptissimum est, ob vires & qualitates melancholiæ similes. Est enim melancholis, & præcipuè atra bilis aceto persimilis, quod insignis acrimonia ostendit, præterquam quod exsiccat simul & refrigerat. Et diximus antea, in Quartana fieri humorum in acidum mutationem: neque aliter fieri è vino acetum, quàm ex sanguine melancholiam, Gal. 3. *de sympt. caus. c.* 5. innuit. Qua de causa & Hippoc. 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. melancholicis acetum noxium esse ducet: siquidem siue temperiem, siue generationis modum spectes, acetum melancholiæ pabulum est. Et omnino locus iste Hippoc. consideratione dignus est, cùm ansam cogitandi de fermentatione & generatione humorum salsorum in corpore nostro præbere possit: siquidem non in alteratione qualitatum primarum Hippocr. subsistit, sed acidi, amari, fermentationis, exaltationis mentionem facit. Reuera enim hîc, non tam ad qualitates primas, quàm ad diuersas salium naturas respiciendum, quibus multas mutationes perfici Chymia docere potest. Ita autem ille: Αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι συμφέρουσι. Τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται καὶ φλεγματοῦται, μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ· τὰ δὲ μέλαινα ζυμοῦται καὶ μετεωρίζεται καὶ πολλαπλασιοῦται, ἀναγωγὸν γὰρ μελαίνης ὄξος, id est, *Aceti aciditas biliosis naturis magis confert, quàm melancholicis. Amara enim dissoluuntur & in pituitam transeunt, dum ab ipso in sublime attolluntur. Nigra verò fermentantur, & in sublime attolluntur, & multis partibus augentur. Acetum namque nigra exaltat.* Vbi malè redditum vulgò puto: *Educit nigra acetum*: cùm potiùs verti debeat: *Exaltat nigra acetum.*

Ætas generationi melancholiæ apta est consistens & iam declinans: vita curis ac tristitiâ occupata, & studiis ac grauioribus occupationibus dedita. Nulli tamen ætati parcit Quartana, & ætatis rationem non habet, vt scribit Aetius, *lib.* 5. *cap.* 83. Etsi enim ætas consistens demum melancholico temperamento esse incipiat: tamen, præter temperamentum, causæ externæ & rerum non naturalium vitia & errores tam potentes sunt, vt etiam in sanguineo, vel alio corpore humorem melancholicum generare possint.

Tempus, quo maximè generatur melancholia, est Autumnus; vnde etiam Autumno frequentiores sunt quartanæ. Præsertim si calidam æstatem excipiat, quæ nimio æstu humores adussit, aut Saturnius influxus ac vis accedat; quod anno 1616. accidit; cùm Quartanæ ferè toti Germaniæ essent epidemiæ, & VVittebergæ hîc tam familiares, vt etiam infantes modò natos corriperent, quod filio meo tres menses nato tum etiam accidit, & vix domus aliqua esset, in qua non Quartanarios vnus vel etiam plures decumberent. Quæ Quartanæ etsi à communi aëris constitutione ortum haberent: accedebat tamen contagium, quo seminaria febris in alia corpora transferebantur.

Faciunt etiam hoc suppressæ euacuationes, qualis est præcipuè, quæ per hæmorrhoides fieri solet.

Adusta autem melancholia sensim ac paullatim generatur ob intemperie calida & sicca, de qua Galenus, *de atra bile, cap.* 4. & 6. Confertim verò, à febrili calore. Per febres enim humor melancholicus & ater contrahitur, vt Galenus 3. *de loc. affect. cap.* 7. & 3. *prognost. cap.* 27. docet. Nam humores febrili calore aduruntur, ac quod de bile restinctum est quodammodo, in atrum humorem vertitur. Hinc ardentes & tertianæ febres, præcipuè si autumnum attingant, in Quartanas desinunt; quod frequentissimè eodem anno accidisse, notissimum est. Si enim adustorum humorum quasi cineres non excernantur, sed permaneant in corpore & incalescant, putrem quandam dispositionem recipiunt. Hinc Aëtios, *lib.* 2. *cap.* 22. Conualescentes à febribus melanogogo egere scribit, vt humoris corrupti fex per assationem crassior reddita expurgetur.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica.

Signa huius febris quod attinet, primò sumuntur ea à causis, quæ præcesserunt, & modò enumeratæ sunt. Deinde ex illis, quæ præsentem melancholiam arguunt, & humoris melancholici in corpore abundantiam indicant: qualia sunt, faciei, totiúsque corporis color fuscus & nigricans, interdum æqualis, & per totum corpus, interdum maculis quibusdam saltem conspicuus: Habitus corporis siccus & macilentus, adspectus tristior; mœstitia, amor solitudinis: somnus turbulentus; insomnia de rebus nigris, fumis, morte, cadaueribus, sepulchris & similibus tristibus. Vrina, si nihil melancholiæ vnà excernatur, est tenuis, alba: Si verò melancholia vnà excernatur, crassa, liuida & nigra.

Quartanæ inuasio.

Atque hæc signa melancholiam in corpore arguunt, etsi febris non adsit. Verùm vbi iam melancholia putredinem concepit, & febrem generat, inuadit ea primò cum oscitatione, pandiculatione, & molesta quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor sequitur, qui initio paruus est, vel loco eius solùm refrigeratio & horror. Progressu verò temporis sensim fit maior; donec fiat vehementissimus, qui talis est, qualis accidit iis, qui tempore hyberno refrigerantur, sensúmque exhibet non rei pungentis, sed grauantis & quasi contundentis & constringentis ossa, quos dolores Græci ὀστεοκόπους vocant. Cùm enim materia sit crassior, primò cum impetu moueri non potest: postea verò sensim attenuatur, vaporésque ab humore melancholico crassi sunt, frigidi & sicci, ossiúmque, quæ crassiore sanguine nutriuntur, membranas ferientes, hos dolores excitant.

Calor.

Caloris enim modus ab aliis febribus differt. Succenditur paulatim, neque, vt in tertianis, velut adurens est & æstuosus, sed submissus. Materia enim crassa est & frigida, quæ difficulter putrescit, ac tardè accenditur. Desinatio est cum pura, simplici & longa ἀπυρεξίᾳ, adeò vt plerique ægri tempore intermissionis possint ad consuetas operas redire.

Pulsus.

Pulsus in melancholica intermittente febre toto morbi progressu rarus est; in principio tamen valde rarus. Qua ratione ab omnibus febribus differt, neque vlla alia febris est, quæ pulsum tam tardum ac carum habeat. Nam arteria videtur quasi ad interiora retracta, neque liberum habere ascensum; quale nihil apparet in tertianis. Et licèt, cùm augetur paroxysmus & increscit, fiant pulsus frequentes & veloces: tamen & tum seruatur ipsorum tarditas ac raritas; & si compararent pulsus tertianæ in vigore, multò velociores & frequentiores apparebunt pulsus in

tertiana

Digitized by Google

tertiana, quàm in quartana. Et licèt, vt suprà etiam dictum, æger sit iuuenis: tamen pulsum habet talem, qualis est in senibus. Bilem non vomunt, qui hac febre laborant, vt qui biliosâ febre afficiuntur. Sudores etsi primis diebus non multi sunt: tamen progressu morbi, attenuatâ materiâ, fiunt sudores copiosissimi. *Prima.* Vrina in principio alba est, tenuis & aquosa: Humores enim tum adhuc crudi sunt. Et quia hic humor reliquis est longè crassior, magnas obstructiones facit, vt via tenuior pars penetrare possit. Morbo procedente, coloratiores & crassiores redduntur vrinæ, quia materia coquitur, & obstructiones reserantur. Et quidem sæpe color & contenta mutantur; quia materia non rarò varia est, eiúsque modò parum, modò multum ad vias vrinæ penetrat. Paroxysmi, tempore durationis, ferè sunt similes paroxysmis tertianæ; nonnunquam etiã longiores. Sitis non est admodum magna; minor quidem, quàm in tertiana, maior autẽ, quàm in quotidiana. Lien vtplurimùm afficitur, & ad eius affectus quartana plerunque sequitur. Atque hæc signa in legitima febre melancholica intermittente omnia manifesta sunt. In notha autem seu spuriis etiã humoris admixti, seu ad quem humor præternaturalis declinat, notæ apparent: adustúmque humorem indicant grauiora symptomata, calor, sitis, vigiliæ, & symptomata omnia grauiora & periculosiora, quàm in ea, quæ à naturali melancholia ortum habet; & semper paroxysmi referunt aliquomodo & sapiunt reliquias humoris, ex quo melancholia adusta genita est.

Prognostica.

Prognostica. Quartana autem omnium febrium longissima est, & sæpe non solùm ad aliquot menses, sed & plures annos extenditur. *Æstiuæ* autem *sunt breuiores; autumnales verò longæ, maximè quæ non procul absunt ab hyeme*, 2. *aph.* 5. Primus terminus est proximum solstitium vel æquinoctium, id est quarti mensis initium; quo si non soluitur, extenditur ad alterum, siue septimum mensem. Inueteratæ Quartanæ *rarò soluuntur nisi vere*, scribit Celsus, *lib.* 3. *c.* 16. propter aëris temperiem & sanguinis dominium, qui melancholiæ planè aduersatur. Si tamen *non accidat in ea error, non addit vltra annum*, ait Auicenna. Verùm nonnunquam ad triennium, imò annos duodecim, pluréſque durasse, obseruatum est; & adhuc hodie inter vulgus reperiuntur, qui ab epidemia illa superiorum annorum quartana nondum liberati sunt. Refert Massarias, se vidisse matronam Venetiis, quæ 22. annis quartanâ laborauerat. Et quidem quæ à puro succo melancholico oritur, etsi minùs molesta sit, longior tamen est, quàm quæ à bile admixta vel adusta originem habet: cùm in tertiana contrarium fiat.

Est porrò Quartana febris quidem tutissima, & periculo carens, dat enim naturæ inducias sese colligendi diebus intermissionis. Vnde Phauorinus apud Gell. *lib.* 17. *cap.* 12. fortunatiorem vocat hanc biduo medio interuallatam febrem, in quâ *μία μητρυιὰ δύο μητέρες*. Si tamen sit legitima, & sine alicuius visceris affectu hominem inuadit, tuta est. Nam quæ ab atra bile prouenit, longè periculosior est; & quæ cum visceris alicuius, hepatis putà, aut lienis, grauiore affectu coniungitur, plerumque periculo non vacat, & ægros tandem in hydropem lethalem, aut in contumacem scorbutum conijcit. Simplex quoque toleratur faciliùs, quàm duplex vel triplex. Senibus quoque, quibus morbi diuturni commoriuntur, 2. *aph.* 39. periculosæ & plerumque lethales sunt hæ febres; quòd calor debilis humorem tam pertinacem vincere nequeat. Sicca enim corpora ad hecticam ac tabem deducit, eóque faciliùs, quò humor magis adustus est.

Vulgò de eadem etiam traditur, eundem hominem bis quartanâ non affici. Verùm experientia contrarium docet, quâ compertum habetur, eundem hominem bis vel ter quartanâ laborasse.

Quartana tandem homines liberat ab aliis morbis, & qui quartana laborant, magno morbo non corripiuntur, & si priùs corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur, vt testatur Hippoc. 2. *Epidem. com.* 5. *t.* 3. Et 5. *aphor.* 70. *A quartana correpti non admodum conuulsionibus corripiuntur, aut si corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur.* Dum enim materia melancholica ad hypochondria & ignobiliores partes vergit, neque ampliùs cum sanguine per venas miscetur, morbi isti soluuntur, aut ægri in eos non incidunt. Præterea vomitu multi mali humores euacuantur: calore etiam febrili diuturniore humores crassi, morborum multorum causæ, attenuantur & absumuntur.

Curatio.

Cùm ergo febris hæc sit longa & pertinax, vt etiam vulgò, Medicorum opprobrium & scandalum dicatur, Medicus in ea curanda eò maiorem diligentiam adhibeat, atque in id attendat, ne medicamentis importunè datis duplex, vel triplex efficiatur. Id etiam ægro prædicendum, breui febrem hanc curari non posse, & sat citò curari, si sat bene. Rectè autem curabis Medicus Quartanam, si curationem secundùm Indicationes curatorias dirigas. Petuntur verò Indicationes in primis ab ipsa causa morbifica, quæ est humor melancholicus maximam partem, qui & coqui & euacuari potest.

Indicationes. Is igitur quia crassus, attenuandus; quia frigidus & siccus, calefaciendus & humectandus; vt crassus, incidendus, vt putridus corrigendus, aut si adustus sit, aliquo modo refrigerandus: quod ex parte docet Al. Trallianus, *lib.* 12. *cap.* 8. distinctè verò Auicennas, *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 2. *cap.* 64. 65. 66. Galenus verò, 1. *ad Glauc. cap.* 11. tantùm exquisitæ Quartanæ Curationem tradit. Deinde medicamentis idoneis euacuandus est. Causæ etiam ipsum gignentes & cumulantes tollendæ: vnde in primis lienis habenda ratio, qui si obstructus sit, aperiendus; si intemperatus, alterandus; si imbecillus roborandus. Et omnino *διαίτης*, humorem istum generans, & inquinamentum humores corrumpens tollendum, cùm per contraria alterantia, & ne salsus acidus humor generetur, prohibentia, tùm per discutientia ac sudorifera. Si verò Quartana notha sit, & reliquorum humorum habenda est ratio. Febris ipsa refrigerantia & humectantia indicat. Vires equidem in hac febre plerumque satis fortes sunt. Earum tamen habenda est ratio, ne nimis citò deficiant, sed ad finem morbi, qui satis diuturnus est, durare possint. Si quoque febri scorbutus, hepatis vel lienis obstructio, aut alius morbus adiungatur, & is secundùm artem tollendus: cum eiusmodi causis & morbis præsentibus, febris tolli non possit.

Aluum purgantia. Et quidem ab initio leniter tractanda est hæc febris, vt Galenus, 1. *ad Glauc. c.* 11. monet, nullúmque forte medicamentum primò exhibendum. Qui enim fortioribus medicamentis vtuntur, vt Galenus, *loco allegato*, docet, ex simplici Quartana non rarò duplices aut triplices reddunt. Quanquam enim materia sit in primis viis, eius tamen alia longè ratio est, quàm in tertiana, cuius materia bilis est, humor mobilis, & qui facilè ductũ medicamentorum sequitur. Humor verò melancholicus lentâ quasi fermentatione sanguini magis permixtus est, ideóque coctione ac separatione longiore opus habet. Si tamen signa bona appareant initio, aut febris ex causa euidente incipiat, nec humores adhuc valde inquinati sint, ac dispositio interna humorum & corporis humori melancholico non multum consentiant, Celsi consilium *lib.* 3. *c.* 16. non negligendum, qui vomitoriis, purgantibus, & aliis periculum initio facit, an febris, ac primò conceptum humoris vitium corrigi; tolli & expugnari possit, antequàm reliquum sanguinem inficiat. Vnde etiã Hercules Saxonia statim ab initio in hac febre vomitum ſecandum censet, non semel tantùm, sed bis ac ter. Imò existimat Laur. Ioubertus, vt postea dicetur, in principio Quartanæ valentiora purgantia esse adhibenda, quàm in augmento & statu.

Si verò Curatio hoc modo non succedit, & febris nihilominus remanet, aliud ex toto sequendum curationis genus, vt idem Celsus, *ibid.* ait, idque agendum, vt quod diu sustinendum est, corpus facilè sustineat.

Ergo quod in aliis febribus fieri solet ac debet, venter primò emolliendus; & primæ viæ euacuandæ, vel medicamentis leuibus per os assumtis, vel clysteribus. Medicamenta ista antè satis nota sunt, atque vsurpari possunt cassia, el. lenit. manna, syr. violar. solutiuus, atque ea vel sola, vel cum aquis borragin. bugloss. ac vbi materia adusta est, in primis cum sero lactis. Clyster talis fieri potest.

℞. *Rad. althææ, polypod. q.* an. ℥. ß. *malvæ, mercurialis, pariet. veronicæ, betæ*, an. M. i. *summit. anethi. flor. chamam.* an. M. ß. *Ficus* num. vi. Colaturæ ℞. ℔. i. Adde *Elect. diacathol.* ℥. i. *ol. lilior. alb. chamamel.* an. ℥. i. ß. *salis* ʒ. i. F. Clyster.

Aut exhibeantur medicamenta è manna, cassia, electuario diacatholico, syr. de pomis Saporis Regis, foliis senæ. Fortiora verò locum facilè non habent. Minus tamen periculi est in vomitoriis, quæ postea proponentur.

Vbi primæ viæ euacuatæ fuerint, venam, si cum humore melancholico sanguis abundet, Galenus & Auicennas aperire iubent, quos Medici plerique alij sequuntur. Et monet Galenus, illud attendendum esse, an sanguis qui fluit, sit crassus & niger, qualis in liene colligitur. Si enim talis deprehendatur, expedit illum copiosè fluere. Nam cùm lien non rectè sese habet, non attrahit ad se, vt debet, sanguinem melancholicum: & proinde non parua eius portio reliquo sanguini permiscetur, quæ commodè venâ sectâ euacuatur. Idem etiam fieri potest cùm Quartana à melancholico sanguine, aut sanguine adusto oritur. In talibus enim febribus materia adusta ex sanguine maximam partem in venis maioribus continetur, & propterea venæ sectione magna eius pars euacuari potest. Licèt enim tunc proxima Quartanæ Intermittentis causa in dictis hypochondriorum locis consistat: præter eam tamen non exigua quoque melancholiæ portio in supremas venas diffusa est, quam venâ apertâ educere vtile & necessarium est, ne materiam peccantem & obstructiones in hypochondriis augeat & foueat. Sin autem sanguis effluens tenuis flauus appareat, statim supprimendus est. Tunc enim humor melancholicus peccans circa lienem, hepar, & in ramis venæ portæ atque hypochondriis continetur, qui venâ in brachio apertâ educi non potest.

Tempus venæ sectionis. De tempore venæsectionis non omnes Medici idem docent. Plurimi simpliciter cum Galeno in principio, post primarum viarum euacuationem venam aperire iubent, vt euacuatâ parte materiæ, quod reliquum manet, faciliùs concoqueri possit; reprehendúntque Auicennam, quasi sentientem post statum morbi & coctionem humorum venam aperiendam esse. Verùm non puto Auicennam id sensisse, vt post statum demum morbi in declinatione venæ sectio instituatur, sed potiùs rem distinctè proposuisse videtur, hoc modo. Si sanguis

guis in venis abundet, sanguinisque aliqua euacuatio suppressa sit, venæ sint turgidæ, corpus graue, & alia adsint, quæ sanguinis euacuationem requirunt: commodissimum est, vt à principio, euacuatis tamen priùs primis viis, venæsectio instituatur; sin autem quartana ortum habeat à melancholia melancholica pura, vt Auicennas loquitur, id est, si absque sanguinis abundantia, causa febris tota ferè circa lienem & in venis mesaraicis continetur, tum non mox à principio vena est secanda; cùm hoc modo de causa morbifica nihil tollatur, sed potiùs humor melancholiæ contrarius, bonus scilicet & laudabilis sanguis, temerè & sine causa educatur, & crassus ac vitiosus in primis viis relinquatur; sed tempore digestionis, vt docet Auicennas, id est, in progressu morbi, & coctione iam apparente. Non quòd ad venæsectionem coctio humorum requiratur, sed quòd materia per coctionem aliquo modo attenuata, & in superiores venas deducta, sanguini permisceatur. Quo tempore etiam vrinæ crassiores apparere incipiunt. Hoc enim modo venæsectione pars materiæ febrilis tollitur, vt natura reliquam partem faciliùs superare possit.

Quæ vena aperienda. De vena quoque aperienda non omnes idem sentiunt. Galen. basilicam vel medianam brachij sinistri aperire iubet, quem plerique sequuntur. Aetius verò, *tetrab. 2. serm. 1. cap. 84.* distinctionem adhibet, & liene affectu in sinistro brachio; si verò hepar afficiatur, in dextro brachio venam aperire iubet. Quam distinctionem breuitatis studio Galenum omisisse putant nonnulli. Sunt alij, qui Aetium reprehendunt, & Galen. defendunt, eúmque non breuitatis studio, dextri brachij mentionem non fecisse, sed studiosè eam omisisse putant: cùm in dextro brachio vena commodè in quartana aperiri non possit, sed solùm in sinistro aperiri debeat. Atque ita ista de re sentiunt. Ea semper vena aperiri debet, quæ ex loco, in quo sanguis, qui naturam tanquam onus premit, proximè, quantum fieri potest, euacuat: At in Quartana locus, in quo melancholicus sanguis abundat, est circa lienem. Etsi enim accidere possit, vt hepar sit calidum & siccum, sanguinémque natura crassum gignat: tamen ille in hepate, venisque illi propioribus non remanet, sed ad lienem transmittitur. Atque ea de causa semper in omni Quartana in sinistro brachio venam aperiendam cum Galeno censent.

Verùm si rem diligenter perpendamus, & ea quæ ex Thaddæo Duno, *in Institut.* proposuimus, neutra opinio planè satisfacit. Etsi enim vena aperienda sit, quæ ex loco, in quo sanguis vitiosus collectus est, plurimum, & proximè eum exhaurit; & hoc etiam negari non possit, lienem sanguini defecando inseruire, & in quartana laborare: tamen de hoc adhuc quæstio est: An vena in sinistro brachio aperta propior sit lieni, & plus ex eo euacuet, quàm vena dextri brachij aperta; cùm, vt hoc ipso loco rectè ait Hercul. Saxonia, venæ omnes ex hepate ortum ducant, & lien cum vena caua nonnisi mediante hepate connexionem habeat. Præterea licèt accidat, vt lien obstructus, aut sanguine melancholico nimis repletus, suum officium non faciat, sanguinémque feculentum non recipiat, atque is ea de causa in vena caua sanguini reliquo permisceatur: tamen causa nulla est, cur potiùs sanguis ille melancholicus saltem reliquo sanguini in venis sinistri brachij, non verò quoque in ramis dextri brachij permisceri debeat. Neque aliquã euidentem aliam causam video, cur sinistri potius, quàm dextri brachij vena eligenda sit: nisi forsan quis hic nõ tam ad manifestos venę cauæ ductûs, quàm simpliciter ad ἀϑυμίαν & illud κατ' ἴξιν, atque occultos meatus, per quos dextra dextris, sinistra sinistris consentiant, respicere velit.

De Saluatellæ sectione. Deinde plerique sectionem saluatellæ seu venæ minimo digito proximæ in sinistro brachio commendant. Ista sententia cùm aliis minùs probetur, & eam examinare libet. Galeno ista opinio ignota non fuit: eam tamen saltem recitat, non approbat. Ita enim, *lib. 3. de Administrat. anat. cap. 5.* scribit: *Reliqua pars venæ, quæ paruum digitum adit, dum ad cubitum perrepat, ramum quendam exilem ad posteriora medij digiti transmittit, mox bifariam scissa, altera parte mediam digiti medij & annularis regionem ingreditur, quam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentésque sanguinem ex ea effluere, quousque vltrò sistatur, lienem ex tali euacuatione iuuari censent.* Et, *de curand. rat. per sang. miss. cap. 14. Sicut nec siquis summã in manu aut pede venam secet, quemadmodum putant, qui lienem curari aiunt à vena ad secundum paruum digitum sita sectione.* Atque alibi, vbi ex professo de curatione lienis agit, nullam huius venæ mentionem facit, sed solam venam in cubito aperire iubet. Vt ita Galenus sectionem saluatellæ neglexisse videatur. Eandem sectionem & ratio dissuadere videtur. Nam sanguis melancholicus crassus est, vt per tam exilem ramum commodè euacuari non possit. Deinde nullum iste ramus cum liene peculiarem consensum habet.

Contrariam verò sententiam qui defendunt, rationibus destituuntur, & vix aliud, quod afferant in medium, habent, nisi experientiam. Verum nec ista ad hanc sententiam defendendam sufficit, & satis firma est. Nam primò, cum ratio huius venæ aperiendæ nulla dari possit, necessarium est, vt occulta aliqua proprietas vel in ipsa vena, vel in sanguine, qui in ea continetur, insit, quorum neutrum sine temeritate adfirmari potest. Deinde nec experientia satis certa est. Nam antiqui Medici plerique omnes de aperienda hac vena nullam mentionem faciunt, vt & doctissimi ex iis, qui superioribus seculis vixerunt. Licèt igitur nonnulli liene affectis huius venæ sectionem profuisse dicant: tamen istis hoc primò cum Galeno, *3. aphor. 11.* opponendum: *Etsi*, inquit Galenus, *quis expertus fuerit, sex vel septem homines aliqua medicina purgatos, dicere non poterit, quòd omnes postea homines ea ex necessitate purgabuntur.* Et *7. de compos. med. sec. gen. cap. 4. Quare*, inquit, *si quis post me æque studiosus & veritatis amator fuerit, ne temerè, ac subitò, vbi bis térve vsum expertúsve fuerit, ferat sententiam.* Deinde vt sit certa experientia, & vt omnis effectus alicui auxilio adscribatur, ipsum solum vsurpatum fuisse necessarium est. Nam si plura simul in vsum trahantur auxilia, atque aliquis effectus inde subsequatur, cui is tribuendus sit, dubium est. Id quod etiã in sectione saluatellæ locum habet. Nam si alia plura præcesserunt remedia, & postea saluatella quoque aperiatur, atque æger inde meliùs habeat, certè soli saluatellæ apertæ effectus is assignari non potest. Vnde autẽ opinio ista de venæ saluatella originem habeat, ex Aretæo colligere licet, qui *lib. 2. de acut. morb. cur. cap. 2.* ita scribit: *Sin à liene sanguis feratur, sinistra manus vena illa, quæ inter minimum annularémque digitum sita est, rescinditur: quandoquidem nonnulli Medicorum, eam ad lienem vsque pertingere arbitrantur.* Verùm opinio ista falsa est; cùm iste ramus è cubiti venis propagetur. Et licèt apud Hippocratem, Galenum, aliósque Medicos plurimis in locis, in lienis affectibus venam in manu sinistra aperiendam esse legatur: tamen manus nomine brachium intelligunt. Consuetum enim est Medicis, vt manus nomine, si id absolutè, & sine additione summæ seu extremæ ponatur, totum brachium intelligatur, vt ex *lib. 3. de admin. anat. cap. 5. & 6.* tum aliis locis videre est. Vnde & Auicennas, *4. prim. doct. 5. cap. 20.* sex manus venas aperiri dicit, & tres inter eas præcipuas supra brachij curuaturam.

Præparantia & concoquentia. Sanguine euacuato, materia præparanda & concoquenda est. Quibus autem medicamentis hoc fieri debeat, non adeò planum est. Galenus calidis & siccis vtitur, vt medicamento è tribus piperibus, & quod diaspoliticum appellatur. Recentiores plerique longè aliis vtuntur, nimirum humectantibus & calefacientibus, vt borragine, bugloss. Syr. de pomis. Imò Alexander Trallianus, *lib. 12. cap. 8.* Galenum reprehendit, quod sine discrimine talia calefacientia adhibeat. Etsi autem humor melancholicus frigidus sit: non tamen necessariò etiam siccantibus indigere scribit; cùm frigidus & siccus sit: sed potiùs calefacientibus & humectantibus. Nam calefacientia & exsiccantia terrestrea magis, & multò quàm prius crassiores, efficiunt humores, dum humiditatem, quæ in iis est, exsugunt absumúntque, vt natura ideò recrementa tardiùs excoquat. Ipse verò distinctione vtitur, & eam quartanam, quæ ab humore melancholico procreatur, calefacientibus & humectantibus curat: eam verò, quæ ex nimia bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus iuuat. Ne ergò in hac parte peccetur, diligenter humoris, qui peccat, natura peruestiganda est. Nam si quartana ex melancholia naturali sola, vel admixta bile atra quoque ortum duxerit, primò ferè saltem humectantia adhibenda sunt; cùm id siccissima huius humoris natura requirat. In actiuis verò qualitatibus leniora omnino in principio adhibenda sunt, neque fortiter vel calefaciendum vel refrigerandum, sed temperata potiùs vel temperatis proxima eligenda. Et in primis si adusti humores abundent, non valde calefaciendum; cùm tales humores potiùs refrigerantia, aut saltem attemperationem desiderent. In morbi verò progressu, vbi humores iam coqui incipiunt, vt faciliùs educi possint, incidentibus & attenuantibus opus est. Vbi autem humor pituitosus admixtus est, etiam ab initio aliquid attenuantium & incidentium admiscendum est. Et omnino in pituitæ admixtione audaciùs calefacere & incidere licet.

Ex quibus patet, quòd licèt siccantia admisceantur, non tamen ea ideò adhibentur, vt siccent, sed quia cum siccitate coniuncta est vis incidendi & abstergendi: ideóque talibus semper humectantia, qualia sunt borrago, buglossum, glycyrrhiza, &c. addimus, & vix à præparantibus humectantia abesse possunt. In refrigeratione autem aliqua obseruanda est differentia, prout materia alicuius vel nullius caliditatis est particeps, & propterea in materia adusta biliosa copiosiùs refrigerantia adhiberi debent.

Medicamenta alterantia in quartana. Talia sunt: *Borrago, buglossum, viola, melissa, capillus* ♀. *endiuia, cichorium, fumaria, radic. glycyrrhiza, althææ, filicis, ceterach, lingua ceruina, chamædrys, chamæpitys, carduus benedictus, radices aperientes, polypody, cortices tamarisci, capparum, radic. centaury maioris, flor. & sem. genistæ, viticis, fraxini, citri, ocymi, radix gentianæ.* Atque hinc parati Syrupi, aquæ, conseruæ, decocta, extracta; & vbi pertinaciores obstructiones sunt, *limatura & tinctura chalybis, ammoniacum extract. splenis bouis, medicamenta è tartaro parata* adiunguntur. Quibus in morbi progressu, ob metum scorbuti, meritò additur *cochlearia, bekabunga, nasturtium*, & alia medicamenta scorbuto conuenientia, vt:

℞. *Syr. borrag. bizantini s.* an. Drach. vi. *Aq. endiuic, borrag.* an. Vnc. i. sem. Misce.

Vel ℞. *Rad. cichor. borrag.* an. ℥. ß. *cortic. tamarisci.* ʒ. i. Coque *in iusculo gallinæ.* Detur haustus, qui aliquoties repetatur.

Aut

Aut vbi calor coniunctus est.

℞. *Aq. cichor. fragor. borrag.* an. Vnc. i. *Syr. endiu. byzantini s.* an. ʒ. vi. Misce.

Repetantur talia per octiduum, vel quandiu opus est.

Possunt & ista medicamenta formâ Electuariorum exhiberi, vt:

℞. *Conf. borragin.* Vnc. ii. *cichorij* Vnc. ß. *rad. condit. cichor.* ʒ. vi. *Cort. citri condit.* ℥. ß. *specier. diarrhodi abb. letific. Galen.* an. ℈. i. Cum *Syr. borrag. tunicis, vel violarum.* F. Electuarium.

Postea interiecto leni purgante ad fortiora accedendum. Nam in morbis talibus diuturnis per vices humores concoquere & euacuare oportet.

Vt ℞. *Rad. polypod. q. aperientium*, an. Vnc. ß. *Cortic. tamarisci, rad. cappar.* an. Drach. ii. *lingua ceruina, chamapit. ceterach. capil.* ♀. *fumaria, flor. borraginis, violar.* an. M. ß. *genista* P. ii. *sem. 4. frig. mai.* an. Drach. i. *Passularum* Drach. vi. Coq. in s. q. *aq.* Colaturæ clarificatæ ℞. ℔. Adde *Syr. byzantini s. de scolopendr. de fumaria, de succo borraginis*, an. Voc. i. ß. Misce. Dosis Vnc. iv. manè diebus intermissionis.

Vel ℞. *Rad. aperient.* an. Vnc. ß. *bugloss.* Drach. vi. *cichor.* Vnc. ß. *polypod. q.* Drach. vi. *Cortic. tamarisci.* Vnc. ß. *Ceterach. chamadr. chamapit. borrag. fumaria, cardui benedicti*, an. M. i. *cortic. citri*, Vnc. ß. *flor. borrag. buglossi, genista*, an. M. ß. *epithymi* Vnc. ß. *Passul.* ʒ. vi. *glycyrrh.* Vnc. ß. Coqu. in s. q. *aq.* Colaturæ clarificatæ Adde *sacch. alb.* q. s. F. Syrupus, cuius Vnc. i. vel Vnc. i. ß. cum aqua vel decocto conueniente propinari potest.

Vbi ad scorbutum morbus declinare incipit.

℞. *Cortic. tamarisci, radic. cappar. fraxini polypod. q.* an. Vnc. ii. *radic. aperient.* Vnc. i. *chamadryos, chamapityos, ceterach, cardui bened. flor. genista, centaurij min. sambuci, bugloss.* an. M. i. *epithymi* Vnc. sem. Macerentur omnia in *seri lactis caprini* ℔. i. *vini albi* ℔. ii. Deinde colentur & exprimantur. Colat. adde *succi fumaria, nasturtij aquatici, cochlearia*, an. ℔. sem. *trochisc. de cappar. de lacca*, an Drach. vi. Destillentur. In destillato cremor vel crystalli tartari dissoluantur.

Radices iuglandis.

Scheghius ad Quartanam & alias febres longas valde commendat decoctum radicum iuglandis, cum aliis conuenientibus herbis paratum. Easdem & alij laudant, & in aceto scillitico macerant, decoctásque cum syr. ros. solutiuo exhibent. Habent enim vim attenuandi, abstergendi & viscera roborandi.

Commendatur etiam valde, coctione iam appropinquante, Syr. de pomis Regis Sapor.

Laudatur & oxymel helleboratum Gesneri.

℞. *Oxymel. helleborat. Gesneri* Drach. vi. *syrupi borraginis* Voc. ß. *aq. endiuia, borrag.* an. Vnc. i. ß. Misce.

Vel ℞. *Trochisc. de cappar.* Drach. i. *de absinthio* ℈. ii. Cum *succo fumaria* vel *endiuia*, aut *extracto* vel *succo gentiana*, F. Pilulæ, quæ diuidantur in partes duas, & exhibeantur diebus intermissionis.

Commendantur hîc & crystalli ac cremor tartari, & tartarum vitriolatum.

Est & vtile hoc decoctum.

℞. *Tartari albissimi loti*, ℥. iii. *radic. cichorij, polypod. q. cortic. tamarisc. rad. capp.* an ʒ. vi. *sem. genista*, ℥. ß. *cuscuta, capill.* ♀, *chamadryos, flor. bugloss. borrag.* an. M. i. Contundantur grosso modo: adde mellis ℥. iv. aquæ pluuiæ destillatæ, vel seri lactis ℔. iii. vel q. s. Destillentur in vitro per arenam ad medietatem, & colentur. Colat. refrigeratæ & filtratæ adde spiritum destillatum, & si libet, etiam salem ex remanentia s. artem paratum.

Laudatur à Libauio, *lib. 7. Syntagm. arc. Chymic.* Antimelancholicum hoc.

℞. *Tartari albissimi*, Vnc. ß. Coqu. *in aqua chalybeata, aut vini per infusionem chalybis medicati*, ℔. ii. aut circiter, donec soluatur. Colaturæ adde *spiritus vitrioli* Drach. i. *oxymelit. scillit.* ℔. ß. *Syr. violar.* Vnc. iii. *vel* iv. Detur cyathus ad præparationem & alterationem, factâ euacuatione.

Raporum decoctum.

Iohan. Crato decoctum raporum commendat è consilio Guainerij, qui se Abbatem quendam feliciùs rapis, quàm aliis medicamentis curasse scribit. Sic autem Crato decoctum hoc exhibet. Primùm corticem exteriorem detrahi iubet: deinde coquit: ius primum abiicit, aliam aquam affundit, & iterum ad mollitiem coquit. Hinc succum exprimit, & butyrum s. s. cum saccharo addit. Si flatulentus sit æger, addit caryophyllos incisos. Matutinis horis dat v. nucleos persicorum mundatos; atque in ista curatione diebus 15. plerumque persistit.

Materiæ coctio & euacuatio per vices & interualla repetenda est, & quidem purgatio die ante paroxysmum instituenda, vt materia paroxysmum factura tollatur. Omnes autem Medici suadent, vt initio leniora purgantia adhibeantur, postea fortiora: Ioubertus tamen, *de cur. quartan. intermitt. exquisita*, contrarium sentit, & in principio Quartanæ valentiora purgantia adhibenda esse docet, in augmento & statu mitiora; eâ de causâ, quòd cocta iam attenuatáque materia suâ sponte ductum medicamenti purgantis facilè sequatur, imò sæpe à sola natura feliciter absque medicamentorum ope expellatur: Deinde, quòd in principio mitiora sint symptomata, virésque magis integræ; contrà morbo procedente vires magis debilitentur. Verùm enimuerò cùm Medicus naturæ imitator esse debeat, quæ priùs coquit, & postea expellit: meritò & Medicus in principio, & vbi adhuc materia parùm cocta est, imitari naturam debet, & mitiore saltem aliquo medicamento illud, quod coctum est, euacuare, non fortiore totam materiam crudam turbare. Postea verò, vbi materia iam concocta & motui apta est, vt rectè & perfectè euacuetur, Medicus valentioribus medicamentis vti debet. Et licèt per vires in principio purgare liceat: tamen cruditas materiæ id prohibet. In morbi progressu verò quamvis vires debiliores sint: tamen purgatio ipsis parum incommodi affert; cùm debito modo subtractâ materiâ febris remittat, atque ipsa purgatio die quietis instituatur.

Leniora igitur sunt, syrupus de pomis Regis Sapor, de epithymo, de foliis senæ, de fumaria compositus.

Vt ℞. *Rad. polypod. q.* Vnc. i. ß. *ceterach.* M. ß. *flor. borrag. bugloss.* an. P. i. *epithy. passul.* an. ℥. ß. *fol. sena*, ʒ. vi. *cortic. citri*, ʒ. i. Infund. in s. q. *aq.* Colat. ℞. Vnc. iv. Adde, *Syr. de pomis Regis Sapor*, vel *de epithymo* Vnc. ß. *tartari vitriolati* g̅. v. Misce.

Vel ℞. *Cassia rec. extr.* Drach. vi. *puluer. sena prapar.* Drach. ß. *cremor. tartari* ℈. ß. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Pulu. sena prapar.* Drach. i. *viol. purpur.* ℈. i. *zingiber. glycyrrh.* an. Scr. ß. F. Puluis. Detur cum iure carnis, vel alio conuenienti liquore.

Vbi fortioribus locus est, vtilis est Syrupus de pomis cum helleboro nigro Iohan. Cratonis, & oxymel helleboratum Gesneri.

℞. *Succi pomor. dulc.* ℔. i. ß. *borrag. melissa*, an. ℔. ß. *flor. borrag. violar.* an. P. i. *fol. sena, epithymi, cortic. hellebori nigri praparat.* an. Vnc. ß. Coqu. lento igne: Cum *sacch.* F. Syrupus. In quo suspendatur nodulus ex *cinnamom. caryophyll. croci, specier. aromat. rosati, diamoschi dulc.* an. ℈. ß. Huius ℥. ii. vel iii. Addatur *manna elect.* ℥. ß. vel ℥. i. ac parum *iusculi gallina*: & propinetur 3. horis ante prandium.

Vel ℞. *Succi pom. dulc.* ℔. ß. Infund. *fol. sena el.* ʒ. ix. *cortic. helleb. nigr. prapar.* ʒ. vi. *sem. ocymi contus.* ʒ. ii. Colat. adde *sacch.* q. s. F. Syrupus. Cuius cochl. i. atque alterum pluribus diebus assumatur.

Vel ℞. *Rad. borrag.* ʒ. vi. *polypod. q.* ℥. i. *glycyrrh. rasa* ℥. ß. *cort. rad. capparum, tamarisci*, an. Drach. ii. *fumaria, ceterach, lingua ceruina, cuscuta, cichorij*, an. M. ß. *sem. fænic.* Drach. i. *citri* Drach. ß. *4. frig. mai.* Drach. ß. *fol. sena el.* ℥. ii. *rad. helleb. nigri prapar.* ʒ. i. ß. *epithymi* ℥. ß. *zingiber.* ʒ. i. *cortic. citri* ʒ. ii. *flor. borrag. bugloss. genista*, an. M. ß. Stent in infusione per noctem: postea lento igne coquantur. Colat. ℞. ℔. i. quæ aromatizetur *cinnam.* ʒ. i. ß. Eius ℞. ℥. iii. Adde *Syr. de pomis, de succo borrag. de fumaria*, an. ʒ. iii. F. Haustus.

In robustioribus naturis, confect. Hamech, & diasena, reliquis purgantibus addi potest: Conceduntur & pilulæ de lap. lazuli.

Vel ℞. *Extr. helleb. nigri* ʒ. ß. *syr. de pomis Regis Sapor* ℥. ß. *aq. borrag.* ℥. i. ß. Misce.

Vel ℞. *Pil. aggregat.* ℈. i. *vel* ℈. ß. pro virium robore. *Extr. panchimagogi, hellebor. nigri*, an. ℈. ß. F. Pilulæ xviii.

Syrupum P. Andr. Matthioli, in quo ferè omnia medicamenta huic morbo conuenientia coaceruata sunt. Vide *l. 3. Epist.*

Efficacissimæ sunt in melancholicis affectibus & pilulæ, quas Quercetanus tartareas melanagogas appellat, & *cap. 14. Pharmacop. restit.* describit.

Sunt & vtiles pilulæ illæ de ammoniaco.

℞. *Aloes* ℥. ii. *gummi ammoniac. aceto dissoluti, myrrha*, an. ʒ. ii. *mastiches, spec. diatrionsantal.* an. ℈. ii. *croci* ℈. i. *trochisc. de cappar.* ℈. ii. *salis fraxini, absinthij*, an. ℈. i. Cum *succo rosarum*. F. massa pilularum. Platerus has commendat.

℞. *Aloes* ʒ. ii. *myrrha* ʒ. ß. *epithy.* ʒ. ii. *rad. gentiana, asari*, an. ʒ. ß. *gummi ammoniaci aceto dissol.* ℈. ii. *sem. petrosel.* ʒ. ß. *rhabarb. el.* ʒ. i. ß. *spica* ℈. i. cum *succo absinthij*. F. massa, de qua exhibeantur ℈. ii. vel plus, si opus.

Verùm hæc in genere satis describi non possunt, sed pro præsenti ægri statu, & humorum qui abundant, ratione, medicamenta necessaria præscribenda.

Et quia morbus hic diuturnus est & pertinax, & continuo medicamentorum vsu vires debilitantur, vtile est nonnunquam aliquandiu quiescere, & naturæ negotium committere, & postea rursum ad præparantia & purgantia accedere.

Vtilis & in his febribus est vomitus, qui, vt suprà dictum est, nunc post cibum sumtum, ad causam antecedentem tollendam, nunc ante paroxysmum ad materiam paroxysmum facturam tollendam, instituendus est. Scribítque Hercul. Saxonia, se nihil præstantius inuenisse in Quartanâ, quàm ipsam vomitionem, atque illam se non prætermisisse in principio, aduentantéque statu reperiisse, ac præbuisse decoctum radicum raphani cum oxymelit. s. & scillitico, & singulis accessionibus vel saltem alternis excitasse vomitum à cibo, & postea præbuisse ʒ. i. theriacæ. Quod ad imitationem Galeni fecisse videtur, qui, *lib. de theriac. ad Pison. cap. 15.* die ante paroxysmum à cœna vomitorium exhibet, postridiè manè succum seu dilutum absinthij, & duabus horis ante paroxysmum theriacam.

Vomitoria.

Vomitoriorum autem materia suprà fuit enumerata. Si mitiora placent, poterit propinari decoctum sem. raphani & anethi, ℥. v. pondere, cum oxymelitis ℥. i. Fortiora fiunt ex asaro & gratiola. Antiqui Helleborum album propinabant; sed nimis forte est medicamentum. Tutiùs licet vti vitro ♁. g̅. iiii. vel

Digitized by Google

plurium pondere, in vino infusi, vel croco metallorum appellato, vel floribus ♂, vel floribus è vitro ♂, paratis: quibus remediis non rarò, pertinaces quartanæ tolluntur.

Post vomitum ventriculum roborantia exhibenda.

Hæmorrhoidum apertio.

Plurimum verò commodi ex hæmorrhoidibus apertis sperandum est. Nam cùm Medicus Naturam imitari debeat: natura verò in iis, qui succum melancholicum accumulare consueverunt, hæmorrhoides aperire soleat, suis úsque harum venarum à multis morbis ex humore melancholico & adusto natis præseruet & liberet: Medicus naturam imitari, & operam dare debet, vt hæmorrhoides aperiantur; quod fit cum aliis modis, tum per hirudines. Commodissimè verò in hunc finem vsurpantur, quæ lienem aperiunt, quæ antea sunt proposita: inter quæ principem facilè locum hîc obtinent chalybs & aloë.

De medicamentis vrinam cientibus in specie, aliquid addere opus non est. Præparantia enim & aperientia illa fortiora, quæ antea proposita sunt, idem præstare apta nata sunt.

Discutientia reliquias & sudorifera.

Tandem post institutas purgationes per aluum & vomitum, calida quædam medicamenta exhiberi solent, quæ reliquias humorum dissipant, calore & partium tenuitate augmentum frigoris prohibent, humorémque febris causam, iam efferuescere incipientem, discutiunt & consumunt, atque hoc modo paroxysmum vel imminuunt, vel, si materia paucior sit, prorsus tollunt. Vnde horâ vnâ atque alterâ ante paroxysmum talia exhibentur. Eadem intemperiem longo morbo contractam corrigunt, habitum corporis malum emendant, & ventriculum ac omnia viscera diuturnitate morbi debilitata roborant. Galeno duo in primis sunt in vsu, medicamentum ex succo Cyrenaico, & theriaca. Medicamentũ ex succo Cyrenaico descripsit Aetius, *tetrab. 2. l. 8. c. 84.* ℞. nimirum *Succi cyrenaici, piperis, myrrhæ Troglodyticæ, fol. rutæ virid.* an. p. æq. *Singula seorsim leuissimè teguntur, & rutâ cum melle tritâ excipiuntur, fiuntque pilulæ,* de quibus aliis obulus vnus, aliis duo exhibentur.

Succus Cyrenaicus.

Cum autem dubitetur, An succus Cyrenaicus sit benzoë seu asa dulcis appellata hodie, aut quid omnino medicamenti apud Antiquos fuerit: tutiùs Theriaca, vel (quod aliis, qui theriacam magis venenis appropriatam putant, magis arridet) mithridatium ʒ. vnius pondere cum vino albo, tribus vel pluribus horis ante paroxysmum, semel in septimana, exhibetur.

Est etiam efficax & longo vsu iam probata radix gentianæ. Nonnulli tribus horis ante paroxysmum, exhibent castorei & myrrhæ, an. ʒ. ß. cum vini albi aquâ borrag. dilut. ℥. iii. & quartanas hoc modo plurimas fuisse sanatas scribunt, si tribus vel quinque vicibus assumatur.

Vel ℞. *Myrrhæ, castorei, opopanac. gentianæ, absinthij,* an. Scr. i. cum *mithridatio & succo gentian.* F. Pilulæ xxviii. de quibus per horas 2. ante paroxysmum æger septem deglutiat.

Gesnerus ad Quartanas laudat Antidotum Saxonicam. Aliqui commendant decoctum clinopodij Matthioli ex vino: alij septem semina calendulæ in vino albo propinant. Vtilis est omnino, vt dictum, in his febribus succus, aqua & extractum gentianæ. Carduus quoque benedictus, quocunque modo exhibitus, seu in decocto, seu puluere, seu extracto, seu sale, seu syrupo, seu aqua, in Quartana & aliis febribus longis maximè prodest; sicut & absinthium.

Sudorifera.

Huc pertinent & sudorifera. Quanquam enim nonnulli in Quartana, quàm melancholia sit humor crassior, quàm vt in vapores resolui queat, sudorifera exhibenda nõ censent: tamẽ quia melãcholici sero abundant, & Quartanarij in declinatione serè sudore tantum non diffluunt: Natura omnium in hoc motu imitanda, & sudorifera etiã exhibenda; qualia sunt plurima ex iam propositis, theriaca, mithridatium, carduus benedictus, antidotus Saxonica, sal & extractum cardui benedicti, absinthium, puluis, & extractum gentianæ, & eius generis plurima passim nota. Inter ea laudatur & hoc.

℞. *Mithridatij* ℈. iiii. *succi plantag. depurati* ℥. ii. M. Detur ante accessionem.

Asarum.

Imprimis verò commendatur asarum, si folia cum radice in puluerem redigantur, & pulueris huius ℈. iiii. cum aliquot granis piperis horâ vnâ ante paroxysmum cum vino generoso exexhibeantur, ægérque in lecto stragulis coopertus vomitum & sudorem expectet; Quin & finito paroxysmo plerumque aluus deiicitur. Idque bis vel ter repetatur. Proposuit hoc medicamẽtum Pedemontanus, *in lib. 5. secretorum,* his verbis: *Sume vini Cretici poculum vnum, & asari puluerisati* ℥. ii. *Misce, bibe calidè & in lectum ingreditor, pannísque te inuoluito, vt optimè sudare possis. Cùm autem sudaueris, sumito saluiæ, rutæ, bursæ pastoris, an. P. 1, aceti albi parum, omnia optimè contusa suprà brachij pulsus ligentur, & cùm sic per diem integrum relicta fuerint, remoueantur, ac tertiò iterentur, præsertim febris accessione instante. Quibus factis fieri non potest, quin gratiâ Dei liberetur æger perfectè. Quidã enim cum semel tantum hoc fecissent, fuerunt restituti, quidam cùm secundo remedia administrarent, omnino liberati.*

Hæc tamen omnia, vt dixi, cum cautione adhibenda, scilicet post statum, & coctione peractâ, ac humore satis enarrato, vt id, quod reliquum est, attenuetur & discutiatur. Nam si humore adhuc crudo, crasso & copioso existente talia medicamenta exhibeantur, liquabunt quidem & mouebunt humores, sed cùm eos planè discutere non possint; ex simplici duplicem aut triplicem Quartanam efficient.

Appropriata Quartanæ.

Huc pertinent pleraque etiam, quæ à proprietate prodesse dicuntur; cùm tamen plerorumque ratio non incommodè reddi possit ex eo, quòd reliquias humorum discutiant, attenuent, & viscera roborent. Sic succus absinthij cum aceto commendatur, & satis efficax deprehenditur; succus item verbenæ cum vino. Nonnulli propinant radic. Imperatoriæ ʒ. i. cum vino horâ vnâ ante paroxysmum. Alij laudant plantaginis radic. quatuor, vel pentaphylli folia 4. cum vino sumta. Verbenæ item supinæ quartum à terra geniculum cum adiacentibus foliis; quod tamen superstitiosum videtur. Laudatur & hoc.

℞. *Succi absinthij recentis,* ʒ. i. *theriacæ* ʒ. i. *vini albi potent.* ℥. i. Misce, & da ægro tribus horis ante inuasionem, quod ter vel quater repete.

Chymici hîc commendant salem Ammoniacum sublimatum, à gr. iii. ad ix. cum cereuisia calida exhibitum. Ægyptij, vt refert Alpinus *de Medicina Ægypt. l. 4. c. 15.* ante accessionem exhibent drachmam pilularum, quas parant ex *agarici gentianæ, castorei, myrrhæ, rutæ,* an. ʒ. ii. *piperis longi, calami aromatici, croci,* an. ℈. iiii. *theriacæ antiquæ* ʒ. iii. cum *syr. de granatis dulcibus.* Alij ex his exhibent drachmam agarici cum myrrhæ scrupulo dissolutâ in decocto polegij. Crollij specificum è cochlearum testis etiã mulierculis nostris diu notum fuit. Sed an id, quod ei adscribitur, præstet, cuilibet experiri facile est. Nonnulli cõmendant haustũ aquæ rosarum ante paroxysmũ. Verùm monet & annotauit Forestus, *l. 3. obs. 32. & 35.* quòd nisi vomitu reiiciatur, insignem dolorem & angustiam circa præcordia excitare soleat.

Cor leporis.

Commendatur & nunquam singulare secretum & experimentorum, *in Epist. à Laur. Scholtzio collectis, epist. 245.* & ab aliis, cor leporis. Verùm non semper prodesse, experientia ipsa me & alios docuit.

An paroxysmum impedire liceat.

Sunt qui & opiata ac narcotica ante paroxysmum exhibent. Sed nisi eadem & aliâ facultate prædita sint non tutò exhibentur. Etenim cùm facultatem expultricem sopiant saltem & obtundant, instantem paroxysmum, & materiæ ac naturæ motum quidem inhibere possunt, sed non sine periculo ac ægri damno; cùm humores vitiosi in corpore retineantur, atque obstructiones pertinaces, atque alios periculosos morbos generent.

Interim semper etiam prospiciendum visceribus, & danda opera, vt illa roborentur. Ac propterea ea exhibenda, quæ coctionem iuuant, humorémque melãcholicum alterant. In principio conueniunt rotulæ diarrhodi abb. aromatici rosati, diamargariti, Conserua borrag. buglos. anthos; postea confectio diaxyloaloes, lætificans Galeni, alkermes; tandem diatrionpipereon, diaspoliticum, diagalanga, theriaca, mithridatium. Commendantur & trochisci de capparibus, de absinthio, de rhabarbaro, quorum antea facta est mentio.

Scorbuti curatio.

Et cùm non rarò scorbutus quartanis, vt & tertianis diuturnis commisceatur, etiam diuturnæ hæ febres felicissimè medicamentis scorbuto dicatis curantur, de quibus suo loco dictum.

Rigorem mitigantia.

Ad Symptomata, & in primis rigorem & horrorem, qui sæpe magnus est, & ægrum valde molestat, mithridatij vel theriacæ, aut similium, quæ modò recensuimus, aliquid ante paroxysmum exhibetur.

Extra verò spina dorsi inungenda oleo chamæmelino, anethino, rosTino, rutaceo, irino, de piperibus, laurino cum theriac. mithridatio. Vt:

℞. *Theriac.* Vnc. ß. *caryophil.* ʒ. i. *castorei* Scr. i. *ol. laurini, chamæmel.* an. Vnc. i. F. linimentum.

Addi etiam potest aliquid spiritûs vini rectificati.

Vel ℞. *Nitrum dissolu. in oleo chamæmel. anethino, amygdalar. amar. castorei.* Inungatur eo spina dorsi.

Cætera Topica quod attinet, applicanda ea sunt illis partibus quæ febrem præcipuè fouent.

Commendatur tale emplastrum.

Emplastrum ad abdomen.

℞. *Absinthij puluerisati, picis pinguedinis porci,* an. ℔. i. Pix & pinguedo dissoluantur super prunis, & admisceatur absinthium, vt inde emplastrum fiat. Quod illitum linteo imponatur stomacho & toti abdomini, & ante dies quinque non amoueatur.

Topica ad lienem.

In primis verò lienis habeatur ratio, cui idonea fomenta, inunctiones & emplastra, ex radicibus althææ, cortic. radic. cappar. tamarisci, flor. & sem. genistæ, semine agni casti, lini, summit. anethi, flor. chamæmel. meliloti, ol. de cappar. lilior. albor. amygdal. amarar. ammoniaco, bdellio, emplastro de meliloto & similibus, applicentur.

Vtilis est valde in hoc genere Genista.

℞. *Flor. genistæ* q. v. Immergantur in *ol. chamæmel.* vel *de cappar.* f. q. & stent in sole loco calido per dies aliquot: postea calefiant super igne, & colentur, atque additâ *cera* f. q. F. vnguentũ.

Si efficacius habere cupis, oleũ, post primam infusionem colato; noui flores immergantur, atque iterum aliquandiu macerentur & colentur.

Vel ℞. *Flor. genistæ*, q. f. & coq. ad mollitiem, misceantúrque cum *vnguento dialthææ*.

Licet etiam addere ammoniacum aceto dissolutum.

Tandem & ea medicamenta, quæ suprà in curatione tertianæ, carpi, & pulsuum locis applicari diximus, hîc non sine commodo nonnunquam applicantur. Et memini ipse ante biennium hîc ciuem, cum toto autumno & hyeme quartana laborasset, tandémque acutissimos in sinistra scapula dolores percipere, mulieris cuiusdam persuasu, ranunculum carpo applicasse, & pustulâ excitatâ, à febre & dolore liberatum fuisse. Cæteris quoque membris, si opus sit prospiciendum.

¶ [Anno

Duæ de Quartana obseruationes. *Febris quartana sextuplex.* *Quomodo fiat.*

¶ [Anno 1620. in Autumno, inuasit iuuenem habitu melancholicum quartana, quæ totum annum durauit, & tandem sextuplex facta est in Autumno, anni 1621. vt singulis diebus bis ferè laboraret, manè hora nona vsque post meridiem, & vesperi hora octaua. Quæ autem tot paroxysmorum vnius febris caussæ sint, è generali doctrina duplici & triplici & quartana, superiùs tradita, patet. Si enim materia febrium intermittentium caussa, quam in primis viis generari, atque initium etiam putredinis ibi concipere, suprà *cap.* 17. docuimus vno in loco hæreat, atque ita vnus febris fomes sit, vel focus, è quo materia prodit, simplex tertiana vel quartana excitatur. Si verò pluribus in locis materia continetur, & putrescat, totidem etiam tertianæ & quartanæ oriri possunt, quot illa loca sunt. Vnde accidere potest, vt non solùm tertiana singulis diebus inuadat, verùm etiam vno die semel, altero bis, imò vtroque bis, atque ita quadruplex fiat, & quartana non solùm duobus diebus affligat, vno intermittente, quæ duplex quartana est, sed etiam singulis diebus semel inuadat, quæ triplex quartana est, imò singulis diebus bis, quæ sextuplex est quartana, qualis in nostro ægro fuit. Nimirum quot fomites vel foci sunt, in quibus materia, febris intermittentis caussa, generatur, & putrescit, & vbi putrescere incipit, paroxysmum excitat, tot febres fiunt.

Quartana ex scabie intrò recurrente.

Eodem anno 1621. iuuenis quindecim annorum, scabie fœdâ, sed in manibus tantùm, laborabat. Hunc quotiescunque scabies cessabat, febris quartana corripiebat. Vbi rursum scabies fumariâ, helenio, pimpinella, & similibus vsurpatis erumpebat, quartana euanescebat. Caussa huius rei etiam ex iis, quæ de loco materiæ febrem excitantis in intermittentibus, suprà *cap.* 17. dicta sunt patet. *Ratio rei.* Etsi enim locus, qui caussam febribus primò suppeditat, quem focum & fomitem febris appellant, in venis mesaraicis sit, & circa viscera ventris inferioris: tamen à natura ex eo loco materia non solùm in venam cauam, sed & porrò in externas corporis partes detruditur, & si natura tam potens sit, vt eam planè ex fomite expellere possit, febris cessat. Vnde si pustulæ & vlcuscula circa os & labra oriuntur, febris tertiana cessat. Quartanæ sæpe scabie terminantur, quod & in iuuene isto accidit, in quo vbi natura præcipuè medicamentis adiuta, materiam febris caussam, ad manus protrudit, febris cessauit; vbi verò natura tam potens non fuit, vt materiam è fomite illo, & ad consueta loca expellere potuerit, febris rediit.]

Diæta.

Diæta. Diætam in hac febre quod attinet, cibi sint boni succi, coctu faciles, & qui minimum humoris melancholici generent; imò melancholiæ generationi aduersentur. Aliàs victus sit humectans: qui tamen simul vim attenuandi habeat, & obstructionibus resistat. Vt enim medicamenta calida & humida solùm exhibita non possunt superare crassitiem humoris: ita & victui extenuandi vis necessaria est. Vbi humor adustus admiscetur, cibus magis inclinet ad refrigerandum & humectandum: ita tamen vt vi crassa attenuandi non destituatur.

Cibi. Conueniunt ergò oua sorbilia, pulli gallinacei & gallinæ, caro hœdina, vitulina, perdices, pisces saxatiles, lucius, amygdalæ dulces, vuæ passæ, poma dulcia, pruna, ptisana hordeacea, rapum item diligenter coctum. Cibi condiantur borragine, buglosso, radice fœniculi, petroselini, capparibus, cinnamomo, croco. Acetum etsi vim incidendi & attenuandi habeat: tamen, quia atram bilem & melancholiam fermentare solet, nō cōuenit.

Abstinendum verò a cibis, qui crassum & viscidum succum generant, quales sunt carnes porcinæ, bubula, pisces plerique, caro fumo indurata, legumina, panis furfuraceus & crassus, ac similia.

Auicennas monet, vt primis tribus aut quatuor paroxysmis victu tenuiore æger vtatur, cùm in principio morbi materia copiosior sit & crassior. Deinde, secundùm præceptum Hippocratis, victus paulò crassior, ob statum remotiorem, concedatur, & hinc versus statum tenuior præbeatur. Distinctione tamen hac in re opus. Nam considerandum, an quartana ea se inceperit, an verò febrem vel alium morbum insecuta sit. Etenim si per se sine morbo præcedente inceperit Quartana, hæc victus ratio conuenit. Si verò quartana post alium morbum prouenerit, simpliciter secundùm Hippocratis præceptum, primò victus crassior exhibendus, atque sensim versùs statum de eo aliquid detrahendum. Non enim consultum est, vt vires præcedente morbo debilitatas tenuiore diætâ ab initio institutâ magis debilitemus. Si æger id ferre possit, commodissimum est, vt die paroxysmi nihil cibi sumat: qui tamen inediæ assueti non sunt, & ieiunium facilè non ferunt, iis aliquid cibi liquidi & facilis coctionis post paroxysmum exhibendum.

An cibi insalubres ægro concedendi. Cùm verò ægri in morbo tam longo exactæ diætæ pertæsi, interdum cibos quosdam, non satis aliàs commodos, auidè expetant, & vulgò feratur, vsum ciborum, etsi paruæ substantiæ, sed auidè experiturum, à quartana nonnullos liberasse: Quæritur, An à Medico tales cibi ægris concedendi sint. Sciendum verò etsi per accidens fieri possit, vt talium ciborum esu, ægri à febre liberentur, quia scil. natura, quæ auidè appetit, faciliùs concoquit, & ex cibis rectè concoctis pauciora excrementa generantur, vel quia cibus, qui appetitur & copiosè sumitur, melancholiæ est contrarius, & minimum melancholici succi generat; vel quia cibo copiosiùs sumto onerata natura per vomitum, ad quem copiâ cibi incitatur: vnâ caussam morbificam excludit: tamen cum eundem effectum nemo sibi certò polliceri possit, & accidere queat, vt natura grauata cibum illum nō bene concoquat, indéque plus excrementi generetur, morbúsque augeatur: non facilè tale aliquid ægro indulgendum est.

Tempus cibi exhibendi. Tempus cibi exhibendi id obseruandum, quod in genere omnibus intermittentibus Hippocrates, 1. *aph.* 11. præscribit: *In ipsis exacerbationibus cibum adimere oportet. nam præbere noxium. Et cum per circuitum redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.* Et *ibid. aph.* 19. *Quibus per status circuitus accessiones fiunt. nihil dare, nec cogere, sed demere ante iudicationes oportet.* Etenim *Perpetuum est*, vt Celsus, *l.* 3 *c.* 5. habet, *cibum, quàm maximè semper ab accessione futura reducere. & hoc saluo, dare quàm integerrimo corpori.* Ideoque danda opera, vt paroxysmus ingruens, imò motus & efferuescentia humorum, quæ ante sensibilem paroxysmum sæpe satis diu antecedere solet, vacuum ventriculum inueniat. Nam qui cibi tunc dantur, non corpori, sed febri alimentum sunt. Multæque & tertianæ & quartanæ prolongantur, non suâ naturâ, sed diætæ erroribus, atque isto in primis, quòd ægri instante paroxysmo, cibo non abstineant.

Potus. Potus sit vinum album, tenue, maturum, non austerum; aut cereuisia probè defecata, quæ ventriculum non inflet, nec terrestribus fecibus aut crassitie obstruat. Condiatur eadem, vt & vinum, melissâ, linguâ ceruinâ, veronicâ, rosmarino, atque in primis absinthio.

Atque hæc de curatione quartanæ febris sufficiant. Licèt enim pleraque intermittentem exquisitam respiciant: tamen eadem facilè quoque nothis accommodari possunt. Vbi bilis admixta est, aut febris ab adusto humore prouenit, borrago, buglossum, endiuia, fumaria, capillus ♀, epithymum, serum lactis caprini conuenit. In purgantibus rhabarbarum additur. In quartana, quæ pituitam admixtam habet, calefaciendum, vt in aliis quartanis; sed minùs humectandum. Conueniunt nimirum radices aperientes, syrup. byzantinus, de duabus radicibus, de 5. radicibus, de corticibus citri, &c.

Quantum tandem ad Quintanas, Sextanas, Septimanas febres, & alias, quæ periodos, quàm quartana, longiores habent; cùm omnes seu ab humore melancholico, seu certè qui in humorem atrum & adustum iam degenerat, aut humorem atrum admixtum habet, proueniant, non aliter, quàm quartanæ curantur, & propterea de iis in specie nihil addimus. Hoc enim semper obseruandum, in curatione febrium plus semper ad naturam humoris peccantis, quàm ad periodum respiciendum esse, & ad humorem ex suis signis cognitum, curationem dirigendam.

CAPVT XXI.

De Febribus compositis, & Semitertiana.

Febres compositæ. Atque hæ sunt febrium simplicium differentiæ, præter quas compositæ quædam reperiuntur. Nihil hoc loco dicemus de complicatione febrium cum aliis morbis, vbi scilicet febri alius morbus non febrilis coniungitur; quòd fit, cùm vel febris alij morbo succedit, vel cùm febris alium morbum quasi comitem sibi adsciscit; vt cum febris pleuritidi coniungitur, vel cùm febri nonus aliquis morbus succedit, vt cùm febri hydrops coniungitur: sed solùm de ea compositione, cùm febris cum febre connectitur, quod fit variis modis. Nam febres aliæ appellantur ab Authoribus confusæ, aliæ implicitæ.

Compositionis febrium modi. *Febres confusæ.* *Confusæ* sunt, quando duæ febres eodem tempore incipiunt, & desinunt, vt vix discerni possint. Ortum habent eæ febres ex humoribus diuersis inter se confusis; ita tamen, vt licèt eodem loco contineantur, simúlque putrescant, quilibet propriam naturam seruet. Vnde etiam hæ febres omnia symptomata & signa confusa habent, vt neque caloris modo, neque aliis symptomatis discerni possint. Verùm non sine causa dubitatur, an dentur tales febres, cùm vix credibile sit, humores diuersos confusos in eodem loco putrescere posse, vt vterque suam naturam retineat. Fernelius *l. de febr. c.* 2. ad confusas febres etiā nothas refert, v.g. tertiam notham, quæ ex bile & pituita pariter corruptis fiat. Verùm febres nothæ non sunt compositæ. Nam licèt notha febris ex duobus humoribus eodem tempore & loco putrescentibus oriri possit: ita tamen illi duo humores sunt mixti, vt vnum mixtum constituant, & vnâ formâ contineantur: vnde etiam cùm mixtus ille & ex duobus aggregatus humor putrescit, simplex febris est, mixtam tamen ac mediam naturam quasi referens. Si autem humores duo ita in eodē loco coniungantur & putrescant, vt cōfusi potiùs, quàm verè mixti sint, & vterque suam naturam, vt vulgò docetur, obtineat, febris cōfusa oritur.

Febres implicitæ. Implicitæ autē febres sunt, quæ ita coniunguntur & concurrunt, vt vtriusque natura seorsim, & vtriusque symptomata ac signa peculiariter animaduerti possint. Complicatio autē illa fit pluribus modis. Nā primò putrida cum non putrida coniungitur, vt dum hectica putridæ cōplicatur. Deinde putrida cū putrida, & id quidem rursùm pluribus modis. Nā continua continuæ misceri potest. Fernelius quidem, *de febr. c.* 15. hoc negat, & cōtinuam cum continua saltē confundi, non autē complicari posse docet; & absurdum esse existimat, quod Auicennas scribit, vnius continuæ putredinem ex vno loco alterius ex altero effundi, cùm reuera in vtrâque humores putrescant in venis maioribus,

Digitized by Google

in hisque agitari permisceantur. Idem alij etiã docent, & si humor aliquis in venis putrescat, per reliquum vniuersum, qui in venis continetur, putredinem serpere censent; cùm & venæ sint continuæ, & humores in iis contenti sibi continui. Verùm contrà alij hanc opinionem, neque sine causa, reiiciunt. Nam licèt venæ sibi continuæ sint, & v. g. bilis, quæ in iis putrescit, sibi continua sit: tamen suprà dictum est periodicas febres, quales etiam sunt continuæ, fieri partibus determinatis affectis. Vnde mirum non est, materiam, quæ febribus cõtinuis materiam suppeditat, ex diuersis locis effundi, hanc ex vno, illam ex alio. Fieri etiã potest, vt omnes partes bilis ad putredinem suscipiendam æquè aptæ non sint, atque accidere, vt duæ partes bilis locis seiunctæ, ad putredinem dispositæ sint; ea autem portio bilis, quæ medium inter has locum occupat, ad suscipiendam putredinem apta non sit, atque ita si duæ illæ partes putrescant, duæ etiam fiunt febres continuæ; & accidere potest, vt cùm febris, quæ ex vna parte bilis accensa est, nonnihil iam remiserit, altera ex alia parte bilis putrescente incipiat. Et quod de bile diximus, idem de aliis humoribus dici potest, vt nimirum in diuersis locis materia contineatur, atque vnius corruptio ex vno loco, alterius ex alio effundatur.

Deinde implicantur Intermittentes cum Intermittentibus: & quidem Intermittentes vel eiusdem generis, vel diuersi complicantur. Eiusdem generis complicantur, quando plures ex vna specie humoris, diuersis tamen in locis putrescentis, ortæ ægrũ inuadunt, quæ paroxysmi quidem tempore variant, symptomatibus tamen ferè conueniunt. Tales febres sunt duplices vel triplices Tertianæ, duplices Quotidianæ, duplices vel triplices Quartanæ. Deinde implicãtur febres Intermittentes diuersi generis, sed rariùs, vt Tertiana intermittens cũ Quotidiana intermittente, quã qui laborant, singulis quidẽ diebus febricitant, altero tamen semel, altero bis. Ita obseruatũ est tertianam Intermittentem coniunctam fuisse quartanæ Intermittenti, qua febre mixta, qui laborant, tertio & quarto quóque die febricitant. Tertiò implicatur continua cum intermittentibus. Continuarum autem cum Intermittentibus complicatio duplex est. Aut enim implicatur tertiana Intermittens quotidianæ continuæ: aut intermittens quotidiana miscetur tertianæ continuæ, & vtraque appellatur πυρετὸς ἡμιτριταῖος, seu febris semitertiana, de qua postea in specie.

Illam doctrinam, vt supra etiam diximus, non vndiquaque approbat Simon Simonius. Ita enim, *in Synopsi de humoral. febr. nat.* scribit: *Scripsit Gal. lib. de typis c. 1. Idiotarum hoc esse, vt cùm viderint aliquem quolibet die accessionem experiri, imaginationem quandã periodi quotidianæ concipiant. Nos tamẽ longè melius sapere, & acutius cernere opinamur idiotas istos, quàm eos quos cùm febrem similis typi quotidie accedentem viderint, aut dissimilis, duarum tertianarum, vel trium quartanarum, aut nescio cuius monstrosi hemitritæi errabunda phantasia subit.* Verùm enimverò, vt libenter concedimus Simonio, in febrium natura definienda nõ tam ad periodos, quàm ad humoris naturam respiciendũ esse, & febrim, quæ quotidianas habet exacerbationes, quotidianã nominari posse: tamẽ omnes febres, quæ quotidie affligunt, simplices esse, non cõcedimus; atque ipse diffiteri nõ potest, vbi febris non vnius humoris genuinam naturã præ se tulerit, rectè implicatã appellari. Imò etsi vnus humor specie sit: tamen si in diuersis locis putrescat, & periodos per vices sibi respondentes habeat, & illa febris rectè composita nominari potest. Id quod in quartana manifestè apparet, quæ quandoque, cùm triplex est, singulis diebus inuadit; hinc, cùm vno die intermittit, duobus diebus affligit, vno quietis die interiecto; tandẽ planè simplex redditur.

Compositionis febrium modi. Subintrantes febres. Coalternæ. Communicantes.

Porrò compositionis febrium modos Auicenna, *prima quart. t. 4. c. 16.* tres ponit, & compositarum febrium triplicem differentiam constituit, Subintrantes, Coalternas, & Communicantes. *Subintrantes* febres appellat eas, cùm alterius paroxysmus incipit, antequam prioris paroxysmus desinit. *Coalternas* nominat illas, cùm vno paroxysmo finito, mox post breue interuallum alius incipit. *Communicantes* denique eas, quarum vnius paroxysmus mox post alterius paroxysmum incipit.

De his febrium compositarum modis obseruandum, secundùm Intermittentium proprium; reliquos autẽ duos continuis cum Intermittentibus communes esse. Subintrantes verò febres etsi plerumque ex tertianarum Intermittentium implicatarum numero sint: tamen etiã continuæ sæpe tales esse possunt. Nam cùm sanguini multi vitiosi humores sæpe admisceantur: cùm in eo accenditur putredo, primò id quod ad putredinem suscipiendam magis aptum est, putrescit, à quo deinde putredo in reliqua sensim propagatur; & quia humores vitiosi sæpe vno in loco non continentur, neque eodem tempore putrescere incipiunt; sed alij priùs, alij deinceps, prout magis aut minùs ad putredinem dispositi sunt: & ita plures febrium insultus, ac, vt appellant, introitus fiunt, sic vt vnâ nondum sublatâ, alia exoriatur. In quo etiã ad situm materiæ diuersum dissimilia symptomata excipiuntur, aliasque magis per lumbos molestis percipitur, aliàs præcordiis magis æstuans, aliàs lipothymia infestat, aliàs capitis dolor, vigiliæ, deliria; prout in hac vel illâ parte magis humor putrescit. Hinc & fallaces sæpe prædictiones fiunt. Nam quamvis vnâ parte humorum concoctâ, vrinæ iam coctæ & bonæ appareant: tamen paulò pòst aliâ parte humoris putrescente, post coctas vrinas aliæ crudiores sequuntur.

Foret autem longius, nec operæpretium, si istæ omnes compositæ differentiæ explicandæ essent, cùm ex simplicibus compositæ facilè pateant, & nonnullæ sint rarissimæ. Itaque exempli loco saltem de semitertiana, & de duplici ac triplici quartana, & quotidiana duplici aliquid dicemus.

Signa compositarum febrium.

Signa tamen compositarum differentiarum in genere quod attinet, ea signis quidem simplicium cognoscere compositas, adeò operosum non est, in primis tamen compositas arguit reditus rigoris, horroris aut frigoris post eius quietem. Quòd si planè continuæ & simplices videantur febres, attendendum, an post rigorem sudor subsequatur. Nam si in febre, quæ continua videtur, rigor fiat, & sudor non subsequatur; aut fortè post plures rigores vnus sudor, signum est, febrem illam non esse simplicem, sed compositam. Nam in Synocha rigor non apparet, nisi crisis tempore, quem sudor sequitur. Deinde etiam pulsus febris compositæ indicium exhibet. Nam quamvis febres quædam continuæ videantur: si tamen sæpius fiat pulsus contractio, illa noui paroxysmi, motúsque materiæ noui indicium est.

De Semitertiana.

Semitertiana.

Quia autem inter Febres compositas præcipuè notabilis est Semitertiana, de ea diligẽtiùs paulò dicemus. Febris, quæ Græcis πυρετὸς ἡμιτριταῖος dicitur, eodem nomine etiam a Latinis antiquis appellata fuit, vt ex Q. Sereni versibus apparet:

Mortiferum magis est, quod Græci Hemitritæum
Vulgamur verbis: hæc nostrâ dicere linguâ
Non potuere vlli, puto nec voluere, parentes.

Posteriores tamen Latini Semitertianam nominarunt. Dicitur etiam πυρετὸς φρικώδης, id est, *febris horrida*, non quòd cum horrore incipiat, quod multis febribus commune est, sed quòd vt postea etiã dicetur, toto durationis tempore horrores ipsi sint familiares. De nomine autem hoc notandum, non ita esse appellatam hanc febrem, quasi dimidia tertiana sit: sic enim vulgò dictio *Semis*, additur iis quibus integra deest perfectio, atque ita dicitur semuncia, semicirculus, semihora: sed in Semitertiana integra adest tertiana, atque symptomatum multitudine & vehementia longè deterior est, quàm tertiana. Verùm ita appellata est, respectu ad totius febris cõpositionem, cuius scilicet pars dimidia tertiana, dimidia quotidiana. Atque ita dici Semitertianam cẽsent, sicuti dicitur semibos, semiasinus, semivir. Verùm neque in semiasino integra asini natura est, neque in semiboue, & in semiuiro integra viri & bouis natura. In Semitertiana verò febre, & integra tertiana, & integra quotidiana adest, & ex vtraque febris hæc cõponitur, vt cõmunis est sententia.

Vnde dicta.

Verùm enimuerò quænam sit febris huius natura obscurissimum est; cùm nec antiqui nec Recentiores hac de re cõsentiant. Agathinus enim, vt Gal. 2. *de febr. c.* 8. testatur omnes febres tertianas intermittentes, quæ producuntur ad horas 24. vel 36. hemitritæos appellat. Cui assentitur Celsus, *lib. 3. c. 9.* Archigenes etiam tertianis & quotidianis intermittentibus idem nomen tribuit, vt *ibid.* Galenus docet. Galenus verò statuit, semitertianam continuam esse, quæ ex duabus febribus, tertiana & quotidiana, alterutra intermittente vel continua, copulata constat, quem posteriores Medici plerique sequuntur. Verùm & de semitertiana etiam hoc modo accepta, sunt quædam controuersiæ.

Semitertiana qualis febris.

Primò enim de hac febre dubitatur, an sit complicata vel confusa, & nonnulli quidem cõfusam esse censent, eo quòd in vasis vterque humor confundatur, vt neque propria tertianæ, neque quotidianæ signa appareant, sed ex duplici harum febrium genere veluti quoddam mixtum & confusum oriatur. Verùm rectiùs sentiunt ij, qui implicitam esse febrem statuunt, cùm tertianæ natura integra & non confusa ex paroxysmis tertio quolibet die inuadentibus appareat. Cùm autem febris biliosa cum pituitosa, quatuor modis possit commisceri, & quotidiana continua cum tertiana continua, aut intermittens cum intermittẽte, aut continua tertiana cum intermittente quotidiana, aut intermittens tertiana cum quotidiana continua coniungi possit: solùm tertiana intermittens mixta quotidianæ continuæ, verè & propriè dictam Semitertianam parit. Nam cum Hippocr. 1. *epid. com.* 1. *t.* 83. febres semitertianas appellet horrificas seu horridas, ex duabus continuis nõ componentur. Tales enim febres complicatæ non erunt horridæ: cùm febres continuæ vix rigorem vel horrorem habeant. Appellat verò Hippoc. febres horrificas seu horridas, nõ quòd initio solùm accessionis horror appareat, sed quòd toto durationis tempore horrores vigeant.

Febres horridæ.

Necesse est itaque, vt febris semitertiana ex duabus febribus cõponatur, quarum altera sit continua, altera intermittens. Etsi verò ex tertiana continua & quotidiana Intermittente etiã febris fiat continua & horrida, quæ continuitatem ex bile, horrorem ex pituita habet: non tamen verè & propriè dicta erit Semitertiana; quamvis etiam suo modo semitertiana appellari possit: sed propriè dicta Semitertiana oritur ex quotidiana continua & tertiana intermittente; continuitatémque ex pituita, horrorem verò ex bile habet. Nomen verò à tertiana potiùs accepit, quòd manifestiora sint tertianæ symptomata.

Semitertiana quot modis fiat.

Propriè verò dicta Semitertiana tribus modis fieri potest. Nã vel pituita excedit bilem, vel bilis superat pituitam, vel par est vtriusque copia: atque hæc vltima nõ solùm propriè dicta, sed & legitima ac maximè exquisita Semitertiana est, ac symptomata quasi media habet. Si verò alter humor abundet, etiã febris ex illo humore ortæ maior vis erit, & symptomata omnia huius humoris naturam magis redolebunt. Vt si bilis abundet, rigor potiùs

potiùs adest, quàm horror, calor feruidior erit, magísque ad ἀκμὴν festinabit, sitis & vigiliæ erunt maiores, aliquid etiam per vomitum vel sudores euacuabitur. Si autem pituita prædominabitur, frigus potiùs aderit, quàm horror. Pulsus sunt quodammodo coarctati, & tardi, febris tardiùs inualescit, neque inde quicquam notatu dignum euenit.

Semitertianæ & tertianæ nothæ discrimen.

Etsi verò etiam in tertiana notha bilis & pituita simul putrescit: tamen inter eas est differentia. In tertiana notha ex vtroque humore vna humoris forma emergit, & in vno loco ille humor mixtus putrescit: in semitertiana verò vterque humor seorsim putrescit. Itaque vt hæc summatim complectamur, est ex vulgata sententia, semitertiana febris, ex continua quotidiana & tertiana intermittente composita; qua de causa nunquam ad ἀπυρεξίαν peruenit: tertio tamen quolibet die cum horrore inuadit. Rigor enim in horrorem degenerat, quòd flaua bilis à pituita temperatur.

Deinde etsi hæc ita vulgò doceantur: tamen quia non solùm antiqui & Recentiores de febris huius natura non planè conueniunt: verùm etiam mixtura illa febris tertianæ & quotidianæ, bilisque ac pituitæ, non semper locum habere videtur, multóque grauiora in hac febre adsunt symptomata, maiúsque periculum, quàm quod solùm ex pituitæ & bilis mixtione prouenire possit: ego quæ mea hac de re sit sententia, liberè proponam, suum cuilibet tamen liberum iudicium relinquens. Equidem non negauerim, febres tales ex continuis & intermittentibus complicatas dari posse, libentérque concedo cum Platero, simul & eodem tempore in venis mesaraicis & vena caua humores putrescere posse, ac quidem vario modo, ex diuersitate materiæ, vel tertianas vel quartanas simplices aut duplices, nothas aut legitimas cum continuis complicari, febrésque, quæ varias exacerbationes & mutationes in symptomatibus habent, excitari posse. Modò hoc obseruetur, non necessarium esse, vt vna harum febrium semper sit Quotidiana. Sunt enim Quotidianæ febres raræ omnino & semper longæ: cùm semitertianæ sæpe sint satis frequentes, imò interdum epidemiæ, & non semper diuturnæ. Ideò sufficit, vt vna sit intermittens, altera continua, cuiuscunque etiam generis: quo modo illæ de variis differentiis & gradibus controuersiæ tolluntur. Verùm his omnibus concessis, sum in ea sententia, etiam febres naturâ suâ intermittentes, tertianas præcipuè, seu simplices, seu duplices, seu triplices, vel etiam, si cui ita libet, quotidianas, Semitertianas dari posse. Eas scilicet, in quibus causæ morbificæ pars aliqua ad ventriculum, intestina, ac vicina loca detrusa, inflammationem, atque inde febrem symptomaticam excitat, vt ita hæc febris ratione intermittentis febris sit horrida, ratione symptomaticæ continua. Vt enim natura in continuis febribus interdum partem materiæ ad partes aliquas priuatas, pleuram, pulmonem, fauces deponit: ita non est impossibile, eandem etiam in intermittentibus partem materiæ cum sanguine, ad intestina & ventriculum ac vicina loca depellere, quæ ibi hæreus inflammationem excitet; vnde etiam hæ febres tam periculosæ sunt.

Atque ita rem se habere, obseruationes aliquæ ex Adriano Spigelio, *de Semitertiana* docent. Is enim, *lib. 1. de semitertiana, cap. 15.* refert, quendam ex graui dysenteria in semitertianam spuriam incidisse, quæ postea febris intermittens facta fuerit. Ægro sexagesimo die mortuo, & corpore aperto, inuenta est interna ventriculi tunica, leui erysipelate inflammatorio affecta. Venæ mesaraicæ & quæ ad ventriculum tendebant, atque omentum, crasso nigróque sanguine refertæ erant; imò omentum semiputrefactum ab inflammatione erysipelatode, quæ in omnibus venæ portæ ramis minoribus inerat.

Idem *cap. 16. eiusdem libri*, scribit: Se plures, qui febre quotidie sese exacerbante, præcipuè circa vesperam, aut statim post meridiem, in modum duplicis tertianæ continuæ, vel semitertianæ, perierant, secuisse, & in his putredinem non in vena caua, sed inflammato alicuius primæ regionis viscere, vel alia aliqua recondita parte inflammationem paulò minorem, quàm vt dolore ab ægro, vel tactu hypochondriorum à Medico & ægroto cognosceretur, deprehendisse. Idem *cap. 14.* scribit: In dissectis semitertianâ mortuorum cadaueribus se reperisse inflammationes, ex sanguine bilioso & pituitoso factas circa iecoris cauam partem, in ventriculo, intestinis tam crassis, quàm tenuibus, mesenterio, omento, liene, & sæpius in vna partium commemoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis causa erant, superueniente gangrænâ vel sphacelo. Additque in plurimis dolores in ventre immanes, vel continuos, qui certis horis plerumque exacerbabantur, vel intermittentes eos aliquando affligebant, ortos fuisse, ex facto abscessu, sanie ac pure, aut bile saniosa & concocta per secessum vel vomitum reddita.

Persuadet istud & hoc, quòd febres hæ sint frequentiores, quando dysenteriæ contagiosæ grassantur, idem Adrianus Spigelius, *lib. 2. de Semitert. cap. 10.* Materiæ enim ad intestina impetus est in vtroque malo. Idémque, *eodem libro, cap. 11.* scribit: Rarissimè Semitertianâ laborare, qui firmis sunt visceribus, sed eos qui destillationibus laborant, iecur habent obstructum aut lienem, aut mesenterium, pulmones malè affectos, per longa interualla colicis doloribus infestantur. Additque se nullius eorum, qui à semitertiana perierant, cadauer inspexisse, in quo pulmones & iecur non malè haberent, vel vnà cum his caput, lien, renes, mesenterium, intestina magna ex parte inflammata, & in aliqua parte gangrænâ correpta erant, præsertim quo loco ileum colo iungitur. Atque eius rei historiam habet, refértque *cap. 16.* se in quodam iuuene Belga, qui post dysenteriam in semitertianam incidit, & die vigesimo mortuus est, reperisse intestina tenuia inflammata, ileum, quà parte colo & cæco adhærebat, sphacelatum. *Ibidem* recenset aliam historiam adolescentis cuiusdam Galli, qui etiam semitertianâ correptus, 27. die mortuus est: in cuius cadauere dissecto tenuia intestina inflammata fuerunt deprehensa, & ilei portio magna versus colum sphacelata, iecoris etiam cauæ partis portio inflammata fuerit.

Accedit his & illud, quòd febres hæ soluuntur doloribus colicis, alui fluxu, dysenteriâ, quæ omnia humorem ad intestina impetum habere indicant, & vt Adrian. Spig. *lib. 2. de semitertiana, c. 14.* docet, aliquando in momentaneam Apoplexiam & Paralysin mutantur, quæ procul dubio ea primis viis ortum habet, estque talis, qualis colicam quandoque sequi solet, quod vel ex eo patet, quod febris hæc ex Paralysi, superueniente dolore colico quandoque solui solet. Scribitque Adrian. Spigelius, se longo vsu edoctum, dolores hosce colicos post duplices tertianas, & tales febres sequi, quòd ortum habeant tales febres ab abscessu plerumque consistente in pancreate, mesenterio, vel cauo iecoris, è quibus materia ad intestina depellatur.

Ex quibus omnibus apparet, materiam semitertianæ non semper in vena caua, quod Spigelius concedit, sed in venis mesaraicis etiam contineri, & proinde febrem semitertianam ex febre primaria & symptomatica componi, & primò quidem naturâ suâ intermittentem febrem esse, cui postea continuus calor accedit ex inflammatione ventriculi, intestinorum & vicinarum partium, ex sanguine ac humoribus vitiosis in ea loca & extremitates vicinorum vasorum mesaraicorum eò desinentium confluentibus excitata. Vnde ipse Galen. *lib. de typis* scribit, non semper continuas, sed etiam intermittentes reperiri semitertianas, id est, vt Spigelius explicat, non omnibus morbi totius temporibus. Nam primò potest intermittens esse tertiana sola; huic postea accedit alicuius visceris inflammatio: quâ sedatâ nihilominus potest febris intermittens remanere. Imò fieri potest, vt sæpius hoc modo febris mutetur, prout sæpius noua alicuius partis inflammatio accedit.

Causa rigoris & semitertiana.

Atque ex his causa horroris & rigoris, & cur in febre hac continua toto morbi decursu horrores & rigores toties redeant, febrésque hæ φρικώδεις appellentur, reddi potest. Fit hoc primò ordinatè, & nunc sæpius, nunc rariùs pro febris intermittentis natura, quæ potest esse tertiana simplex, duplex, triplex, vel etiam forsan quotidiana: deinde inordinatè, cùm inflammatio nouam partem occupat, vel dum pus fit, secundùm Hippocr. 2. *aph. 47.* Sunt enim hæ partes, quas inflammari diximus, membranosæ, & proinde iis affectis facilè rigor vel horror excitari potest.

Neque ex rigore vel horrore semper initium nouæ febris colligere licet, sed sunt rigores & horrores etiam inflammationibus proprij vt modò ex Hipp. 2. *aph. 47.* dictum; qui etiam in *Coacis* scribit. *Qui subinde exudant, rigéntque, lethale, ac sub finem morbi suppurationem habere deprehenduntur, aluósque perturbari.* Ita *ibidem* Rigor in Phreniticis accidit. Et habentur in *Coacis* plures aphorismi, qui docent, Rigores non solùm in initiis febrium accidere, sed aliàs etiam ex materiæ commotione. Et experientia id confirmat. Refert enim Marcell. Donatus, *de historia medic. mirab. lib. 5. cap. 5.* cuidam in musculo temporali vulnerato septimâ die superuenisse rigorem, eúmque ad quadragesimum quintum diem riguisse, & quotidie ferè semper sudasse, alternatim rigoribus succedentibus sudoribus. Et ipse vidi ægrum inflammatione auris, quæ tandem ad suppurationem peruenit, laborantem, eodem die ter riguisse, idque aliquoties accidisse, etsi per interualla longiora. Et omnino faciliùs ex hisce quæ diximus, omnium, quæ in semitertiana accidunt, causam reddere licet, quàm ex difficili illa, & non semper probabili febris intermittentis & continuæ mixtione, præcipuè si hoc præsupponamus, quod suprà diximus, & à doctissimis Medicis approbatur, nimirum eundem hominem posse pluribus tertianis laborare, si in diuersis & pluribus ramis mesaraicis causa febris contineatur. Hinc enim fieri potest, vt non solùm antequam vna febris soluatur, alius paroxysmus inuadat, sed & accedens inflammatio calorem præcipuè continuat, vnde febris est continua. Toties verò rigor & horror inuadit, quot numero sunt tertianæ. Neque enim dupliti vel triplici saltem tertianâ, sed quatuor, vel quinque tertianis homo laborare potest, prout materiæ febrilis sedes in tot locis consistit.

De Causis.

Causa semitertiana.

Ex his facilè etiam patet, quænam sint semitertianæ causæ. Nam si ea ex continua quotidiana tertianæ intermittenti, vel alio modo complicata continua & intermittente constet, etiam causæ vtriúsque febris adsint necesse est. Si verò sit tertiana cum inflammatione alicuius partis, causæ illæ omnes, quæ tertianam constituere possunt, locum habent, si nimirum materia in pluribus venarum mesaraicarum ramis colligatur & putrescat, parsque eius effusa ad intestina vel ventriculum vel alia loca vicina, ea inflammet. Habet tamen humor hic procul

purgationis motûs absoluatur. Hoc modo enim futuro paroxysmo materia subtrahitur, & naturam adminiculantem in purgatione habemus. Atque hoc si fiat, non metuendum, vt vel contrarij motûs instituantur, vel sudores impediantur, vel nimia purgatio accidat. Neque tamen medicamenta illa nimis fortia esse debent, vt naturam valde debilitent. Ægyptiorum verò medicandi ratio, tota ad naturam stimulandam comparata videtur. Venæsectionis quoque longè alia est ratio, quæ & plus spirituum exhaurit, & materiam proximè paroxysmum instantem parituram, non subtrahit; id quod medicamentum purgans facere potest. Quòd si die paroxysmi non detur occasio purgandi, aut naturam in hoc motu adiutricem non habeamus, aut materia loco remotiore sita sit, vt aliquo mitiore medicamento euacuari ante paroxysmum non possit: potiùs die quietis & ἀπυρεξίας instituenda est purgatio.

In purgatione autem instituenda videndum, per quam viam materia faciliùs educi possit. Nam si materia circa intestinorum venas hæreat, purgatione per aluum educenda: Si autem circa ventriculum vel superiores venas mesaraicas contineatur, vomitu eiicienda, in primis si nausea aut cardialgia adsit, & æger ad vomitum non sit difficilis. *Vomitoria.* Licèt enim vomitus proximè solùm è ventriculo videatur euacuare: tamen sæpe magnam bilis copiam in venis mesaraicis & vasis remotioribus contentam excutit, febrémque causâ ac motu sublato, vel tollit, vel mitigat, & quas purgationes sæpius sanare non potuerunt febres, vomitiones repetitæ sanant.

Potest autem vomitus vel die quietis, post sumtum cibum, vel instante paroxysmo institui: & quidem qui die quietis post sumtum cibum instituitur, causam antecedentem, & materiam causam antecedentem auctura, tollit: qui verò instante paroxysmo cietur, materiam paroxysmum facturam, atque ita ipsum paroxysmum minuit. Vomitoria autem suprà proposita sunt, & magis exquisitis conueniunt. In febribus autem nothis & diuturnioribus, paulò fortiora ex iis adhibenda sunt. Hodie apud multos in vsu, vt suprà dictum, est asarum, cuius folia, vel radices, vel totum, ℥ ß. vel ʒ. iii. pondere coquuntur, & decocti ℥. iv. vel ℥ v. propinantur; vel pulueris radicum asari ʒ. ß. cum conueniente liquore exhibetur. Nonnulli commendant aquam nucum iuglandium, cum aceto destillatam, ℥. iii. pondere.

Genistæ etiam semen, flores & radicum cortices satis potenter vomitum cient, si in aqua decoquantur: sed leuior fit illa decoctio. Reliqua suprà sunt proposita.

Hoc tamen de omnibus fortioribus vomitoriis obseruandum, vt antequam exhibeantur, & humores & corpus præparentur, crassi scilicet & viscidi humores attenuentur & incidantur, ac ita ad motum aptiores reddantur; ipsum verò corpus bene antea humectetur.

Purgantia. Purgantia per aluum, tertianæ Intermittenti exquisitæ conuenientia, ferè eadem sunt, quæ *capite præcedente*, & hoc ipso iam explicauimus. Commodissimum est rhabarbarum ʒ. i. vel ʒ. i. ß. si in aqua vel decocto cichorij, endiuiæ, vel sero lactis, cum spicæ & schœnanthi ℈. ß. infundatur, & colat. expressæ pulpæ tamarindorum, vel mannæ, & syr. ros. s. q. addatur.

Vel ℞. *Extr. rhab.* Drach. ß. vel ℈. ii. *syr. ros.* vel *viol. sol.* Vnc. i. ß. Misce.

Robustioribus Elect. de succ. ros. rosatum Mesuës, de psyllio, exhiberi potest.

Absinthij vsus. Galenus, 1. *ad Glauc.* c. 9. signis coctionis apparentibus cum fiducia absinthium exhibet, idque alioquin summum remedium in mordicatione stomachi, quæ à bile prouenit, esse scribit: si præsertim ex ipsius coma sufficiens quantitas melicrato immergatur, & colatum exhibeatur. Detergit enim & ad inferiora detrudit biliosam materiam, & plus prodest contra bilem, quam pituitam. Nam pituita propter crassitiem & visciditatem non ita cedit absinthio.

In Nothis febribus ea purgantia conueniunt, quæ non solùm bilem, sed & pituitam, vel melancholiam admixtam euacuare valent, quorum formulæ passim extant.

Et quia humores excrementitij in primis viis sæpius colliguntur, etiam in progressu morbi lenientia repetere vtile est. Quia tamen materia lenientibus medicamentis non semper cedit, fortiora addere oportet, vt in pituita.

℞. *Flor. cassia* Drach. vi. *spec. diaturbith, cum rhabarb.* Drach. ß. Cum *sacch.* Fiat Bolus.

In Melancholia, ℞. *Cassia* ℥. ß. *elect. diacathol.* Drach. iii. *pulu. sena præpar.* Drach. ß. Cum *sacchar.* F. Bolus.

Et omnino necessarium est, vt in hac febre sæpius purgetur. Vtilea sunt, præter medicamenta suprà proposita, trochisci de absinthio, de rosis, de rhabarbaro, de capparibus, in primis cùm febris in cachexiam declinare videtur: qui commodissimè in pilulas formantur, cum *succo absinth. agrimonia, centaur. min. fumaria, extracto absinthij, cardui bened. scolopendr. syr. de cichor. cum rhabarb.*

Si post sumtas pilulas syrupus vel aliquis liquor sumatur, faciliùs ad interiora penetrant.

Longè verò commodissimum est, vt in febribus hisce nothis, & præsertim longis, quæ repetitis præparationibus aut euacuationibus opus habent, ea medicamenta, quæ materiam simul præparare, viásque aperire, & simul euacuare valent, exhibeantur: quæ si opus sit, per aliquot dies continuari possunt; & post eorum vsum medicamentum purgans paulò fortius commodè propinatur. Ac talia decocta & syrupi plerumque ad omnes tres humores excrementitios diriguntur, quia in febribus istis aliquid bilis, ob febris ardorem, in humorem atrum degenerat.

Vsuales tales syrupi sunt: syrupus de cichorio cum rhabarb. diasereos, & in humore melancholico admixto, de fumaria compositus, & oxymel helleboratum.

Vel potest tale decoctum fieri. ℞. *Rad. cichor. fœnicul. taraxaci,* an. Vnc. ß. *asari* Drach. i. sem. *endiu. agrimon. capill.* ♀. an. M. sem. *passul.* Vnc. sem. Coqu. in s. q. *aq. f.* In colatura infund. *fol. sena* el. Vnc. sem. *rhabarb. opt.* Drach. sem. *cinnamom. turbith. el.* an. Scr. i. *flor. cordial.* an. P. i. Colaturæ ℞. Vnc. iii. sem. Adde *syr. de cichor. cum rhab. mell. ros. sol.* an. Vnc. i. Drach. vi. Vel drachmam vnam atque alteram *de conueniente purgante electuario.* F. Haustus, qui si opus sit, aliquoties repeti potest.

Vel ℞. *Rad. cichor. asparagi, graminis, fœnicul. taraxaci, oxylapathi, polypod. q.* an. Vnc. sem. *endiu. capill.* ♀. *hepatica, chamadryos, cardui benedicti,* an. M. i. *semin. 4. frig. mai.* an. Drach. ii. *fœnicul. genista,* an. Drach. i. sem. *passul.* Vnc. i. Coqu. in s. q. *aq. f.* In Colat. ℔. i. Infund. per noctem *fol. sen. el.* Vnc. i. sem. *rhabarb. opt.* Drach. i. *agar. albiss. turbith. el.* an. Drach. sem. *zingiberis* Drach. i. *cinnam.* Drach. sem. *spica* Sc. i. *flor. cordial.* an. P. i. Col. adde *syr. de cichor. c. rhabarb* vel *diasereos, rosar. sol. endiu. comp.* an. Vnc. i. ß. Fiat Potus, de quo alternis diebus manè detur ℥. iv. vel ℥. iv. ß. Aut Colat. addatur *sacch. albi* q. s. & coqu. lento igne ad syr. liquidioris consist. ac sub finem syr. de cichorio cum rhab. aut diasereos affundatur, & F. syrupus, qui aromatizetur spec. diarrhodi abbat. in nodulo suspensat. ʒ. i. De quo cochlearia duo aut plura, seu quantum opus, exhibeantur. Vtile est in febribus diuturnioribus & Tartarum, atque ex eo parata medicamenta, quæ vel sola vsurpantur, vel aliis adduntur; dum scilicet decoctis & potionibus parandis ipsum tartarum; paratur cremor tartari, vel tartarum vitriolatum, vel sal tartari admiscentur.

In decoctis autem talibus longis, vt & syrupis, qui minùs crassam habent consistentiam, hoc obseruandum: cùm optima clarificatio sit, quæ fit per subsidentiam, vt inclinatione id quod clarum, à fecibus sæpius separetur, clarúmque, si opus rursus calefiat. Hoc enim modo situs & corruptio præcauetur.

Sitis, quod plerumque fieri solet, si sit molesta, sedetur iis medicamentis, quæ infrà *lib. 4. c. 16.* proponentur. In primis hîc vtile est decoctum hordei cum radic. fœniculi, si ad M. iii. radic. fœniculi Vnc. ß. addatur, & ad remanentiam ℔. iv. coquatur, qui potus largiter exhiberi potest, cùm non solùm febrim sedet, sed & sudorem ac vrinam promoueat.

Vrinam mouentia. Post purgationes si febris non cesset, ad reliquias humorum euacuandas vtilia medicamenta vrinam mouentia. Vnde nonnulli in ea sunt sententiâ, Galenum absinthium potiùs vrinam ciendi, quàm purgandi gratiâ (cùm vtramque vim habeat) propinasse.

Sunt autem è diureticis vel frigida vsurpanda, vt emulsio sem. 4. frig. maior. facta cum sero lactis caprini, vel aquâ graminis, fragorum, cichorij, asparagi, hordei; vel è calidis, quæ non sunt valde calida, vt decoctum rad. graminis, asparagi, fœniculi, capillorum ♀, cicer. rubrorum, absinthij, cuscutæ, flor. chamæmeli, sem. genistæ, Syrupus acetosus compositus, de duabus radicibus.

Possunt his diureticis addi aliquot guttæ spiritus vitriol. vel sal. aut aliquid tartari.

Inseruiunt etiam huic rei aquæ, spiritûs, extracta, ac sales ex plantis huic vsui accommodatis; Item trochisci de absinthio, de rhabarbaro, de eupatorio.

Sudorifera. Discutitur quoque materia febrilis per sudores, id quod natura ipsa plerumque facit in fine paroxysmi, quam Medicus rectè imitari potest. Licet autem & post paroxysmum, & ante ipsum sudores instituere. Et cùm, vt suprà dictum, inquinamentum illud ac ὑπολειπόμενόν τι, Post paroxysmum relictum, reliquos humores iterum inquinet ac corrumpat, illud discutiendum & è corpore expellendum est, quod commodissimè fit per sudorifera. Ideóque via aliqua febris integrè & perfectè, ac sine recidiuæ metu sine sudore curatur ac soluatur.

In tertianis legitimis sufficit, si natura, quæ aliàs in fine paroxysmi sudores mouere solet, adiuuetur, & detur opera, vt materia biliosa per sudorem planè discutiatur. Quâ in re interdum in hisce febribus a Medicis peccatur, qui ægro omnem planè potum interdicunt, atque hoc modo in febribus calidioribus in causa sunt, vt corpus valde incalescat, exsiccetur, ægérque minùs sudet, vnde metuendum ne æger in hecticam incidat. Ergo tum propinanda ægro aqua hordei, vel distillata acetosæ, buglossi, borraginis, cichorij, quibus aliquid aquæ cardui bened. fumariæ, scabiosæ, addi potest, cum syr. vel Iulepo viola. syr. acetos. oxysacchara. s. syr. acetosit. citri. Antiqui ad sudores mouendos balnea vsurpabant, quæ in desuetudinem venisse iam aliquoties dictum est. Iidem & inunctionibus quibusdam sudores ciebant; quod & hodie Ægyptij faciunt, teste Prospero Alpino, *de medic. Ægypt. lib. 4. cap. 15.* qui inunctionibus cum oleo rutæ, aut amygdal. amararum, aut chamæmelino, aut iuniperino, aut nitro rubro, cum leuibus perfrictionibus administratis, sudores cient. Verùm cùm inunctionum harum vsus maximus sit in

malignis.

malignis, dicetur de iis infrà, *in Curatione febrium malignarum.*

In Nothis tertianis, calidioribus sudoriferis vti licet, vt aquâ vel decocto cardui bened. centaur. min. scabiosæ, chamæmel. fumariæ; sale absinthij, cardui benedicti; extracto cardui benedicti, & similibus; imò nonnunquam ipsa theriaca & mithridatio. Atque illa ipsa interdum tribus, 4. 5. vel 6. horis ante paroxysmum adhibentur, vt materia paroxysmum paritura per sudores discutiatur, quorum vsu sæpe accidit, vt paroxysmus planè tollatur & auertatur. Hisce scopis & hæc aqua inseruire potest.

℞. *Cardui bened. centaurij min. absinthij*, an. M. i. *radic. gentianæ*, Vnc. ii. Infundantur in s. q. *aq. cardui bened. & buglos.* horis 24. postea destillentur. Aqua hæc & sola, & cum aliis vsurpetur.

Commendatur & verbena cum radice in vino cocta, si haustus ante paroxysmum exhibeatur: vel si verbena cum carduo benedicto & asaro in vitro coquatur, & haustus ante paroxysmum propinetur.

Et quia ipsa experientia Germanos docuit, felicissimè sudoriferis febres expugnari, ac sine iis vix tolli: plurimi apud eos circumferuntur pulueres & alia medicamenta, quibus ante paroxysmum exhibitis, sudore concitato, febres tolluntur: quorum aliquot hic adscribere libet.

℞. *Dictamni, tormentillæ*, an. ℈. ii. C. C. *vsti*. Drach. i. *succini albi* ℈. i. F. Puluis, qui D. Brambachio adscribitur.

Alius: ℞. *Centaurij minor. dictamni albi*, an. ℈. i. *radic. tormentill.* ℈. i. sem. *cardui bened.* ℈. i. *cortic. aurantior.* ℈. ii. F. Puluis, & addantur *sacchar. albi* Drach. iii. pro iii. dosibus. Adscribitur hic D. Bormanno.

Alius: ℞. *Dictamni, tormentill.* an. Drach. ii. *pimpinell.* Vnc. sem. C. C. Drach. ii. F. Puluis.

Alius: ℞. *Aristoloch. rotunda, gentiana, dictamni albi, calam. aromat. zingiber.* an. Drach. i. *piperis longi, radic. pimpinell.* an. Drach. ß. F. Puluis. Dos. Drach. i.

Alius: ℞. *Rad. dictamni, petasit. zedoaria, gentiana, fol. scordij, cardui bened. sem. cardui mariæ*, an. Drach. ii. F. Puluis.

Alius D. G. Leuschneri.

℞. *Ocul.* ♋. *praparat.* Vnc. ii. *nuc. mosch.* Vnc. sem. *Fol. cardui bened.* Drach. i. *rad. pimpinell. dictamni alb.* an. Vnc. i. *Carab. alb. prapar.* Vnc. sem. F. Puluis subtilissimus. Alius eiusdem.

℞. *Ocul.* ♋. *praparat. herb. cardui ben.* an. ʒ. i. *rad. dictamni alb.* Scr. ii. *pimpinell. flor. siliginis, spongia sambuci, nuc. mosch.* an. Scr. i. *myrrha*, ℥. vi. F. Puluis subtilissimus. Dosis ʒ. i. in aceto calido ante paroxysmum.

Imò sunt, vt supra etiam diximus, qui mox in principio febrium talibus sudoriferis vtuntur: hac tamen lege, vt humores è primis viis priùs euacuentur. Hoc modo enim illud inquinamentum & fermentum putredinis discutitur, eóque sublato nullus paroxysmus alius subsequitur.

Ægyptij, referente Prosp. Alpino, *de Medicina Ægypt.* lib. 4. c. 8. ad tertianas nothas & febres quotidianas pro secreto habent, ante accessionem, pulueris chamædryos ʒ. i. ex iure pulli, vel ex herba paratum decoctum cum sacchar. multis diebus exhibere.

Roborantia.

Roborantia etiam non negligenda. Et quamvis corpus euacuatum sit, aut febris cesset, non statim à medicamentorum vsu desistendum; cùm facilè fieri possit, vt remaneus aliqua in visceribus intemperies calida bilem rursum generet, è qua febris iterum accendi possit. Itaque hepari & ventriculo succurrendum medicamentis cùm internis tum externis, ex rosis, cichorio & similibus.

Quòd si febris sit pertinacior, proculdubio viscus aliquod vitium contraxit, febrique materiam suppeditat. Quapropter membri illius cura habenda, & quidem pro variâ membri naturâ varia. In intermittentibus enim hoc obseruandum, vt ad membrum mandans in primis respiciatur. In tertiana Intermittente Hepar si malè affectum ac calidius sit, copiosè bilem generat, quam non semper in se retinet, cùm membra nobiliora, quantum possunt, se ab humoribus vitiosis liberent, eásque ad partes ignobiliores mittere soleant; sed ad pancreas, mesenterium, & alia hypochondriorum loca mittit. Hepar autem ob plures causas ad bilem generandam aptum redditur. Primò dum calefactum est: deinde, dum à crassa bile obstruitur: tertiò, dum in eius vasis bilis abundat, à qua chylus inquinatur, & facilè in bilem mutatur. Itaque si calor aliquid animaduertatur ex siti, quam æger patitur, aut vrina biliosa, ex calore volæ manus, ex dolore, duritie, tumore hepatis, aut totius corporis pallente colore: Hepati in primis prospiciendum est. Vnde rectè scribit Gal. l. *ad Glauc.* c. 9. *semper oportet contrarias qualitates illis, qua prater naturam innatuerit, opponere, & hac alteratio plus iuuat, quàm crebra euacuatio.* Licèt enim frequentibus purgationibus æger molestetur, tamen nisi causa bilem generans tollatur, frustra æger purgantibus affligitur. Ergo si hepar & viscera intemperie calidâ laborent, refrigerantia & roborantia conueniunt, tum quæ supra sunt proposita, tum quæ parantur ex eius generis conf. ruis, conditis, speciebus; exempli gratiâ, conserua cichorij, violar, acetosæ, radic. condit. cichorij, spec. diarrhod. abb. diatrionsantal. spirit. salis, vitrioli, & similibus.

Hepar vt curandum.

Si autem hepar obstructum sit, aut bilis in eius viis hæreat, medicamenta vsurpanda, quæ vias hepatis aperiunt, & bilem per vrinas educunt, tum etiam per aluum leniter euacuant. Atque hæc est causa, cur Galenus adeò absinthium in hisce febribus commendat. Vim enim habet bilem detergendi, & eam cùm per aluum, tum per vrinam educendi. Vtile etiam est decoctum hordei & radicum cichorij dilutius, & saccharo dulcoratum: vt & conserua rosarum recens, cum decocto hordei, vel radic. cichorij.

Absinthij vsus in febribus.

Mindererus *de chalcantho* c. 9. in omnibus iecoris, mesenterij, hepatis ac venarum obstructionibus, Syrupum hunc, quo plurimi per diuturnas febres in cachexias ac hydropes deuoluti, pristinam sanitatem rursus sunt adepti, commendat.

℞. *Succ. radic. cichorij, pimpin. depuratorum*, an. ℔. i. *fumaria, lupuli*. an. ℥. vi. *petroselini, fœniculi*, an. ℥. iii. *rad. apij, enula, asparagi, eryngij, vincetoxici*, an. ℥. i. *herbarum agrimonia, Sancta Kunegunda, seu Eupatorij Auicenna, agerati*, an. M. i. *flor. centaurij min. fol. ceterach, adianti albi & nigri, cuscuta, cardui benedicti, comarum absinthij Pontici*, an. M. ß. *granorum alkekengi* ℥. i. *aqua fontana* ℔. vi. *aceti scillitici* ℔. ii. Arida omnia ex prædictis sex libris aquæ coque, vsque dum supersint libræ duæ: has transcola diligenter, & cum succis & Aceto Scillitico, additis Sacchari albi libris tribus semis, coque in Syrupum iustæ consistentiæ.

Huic Syrupo adiiciatur, vel admisceatur tantum olei Chalcanthi seu vitrioli, quantum sapor tolerare posse videbitur, vt assumturo grata obueniat aciditas. Huius tria porrige cochlearia ægro ante ientaculum, totidémque ante prandium & cœnam.

Topica.

Extrà etiam Topica adhibenda sunt hepati, qualia passim exstant.

Et quia in febribus nothis materia plerumque difficiliùs concoquitur, ac præterea ab affecto Hepate, cruditas in eo, & sanguis frigidior generatur, vnde tumor pedum & oculorum oriri solet. Ideò & extra talia hepati adhibenda, quæ illud roborant, vias aperiunt, partes dilatant, & humores fundunt, ex endiuia, cichorio, taraxaco, agrimonia, rosis, absinthio, spica, schœnantho, chamæmelo & similibus.

Lienis cura.

Lienis similiter ratio habenda est, qui in febribus diuturnioribus frequenter obstrui, & duritiem contrahere solet: de quo in *curatione Quartana* dicetur.

Ventriculi cura.

In primis verò in febribus longioribus habenda est ratio ventriculi. Solet enim is à calore febrili debilitari: debilitatus verò malè coquit: vnde vitiosus chylus prouenit, qui in secunda coctione non corrigitur, sed vberem potiùs febri materiam suppeditat. Hoc si animaduertamus, vtilissimum est bis in septimana id quod crudum est, ex alimento in ventriculo, & primis viis vomitu euacuare. Quo remedio pertinacissimas febres longè felicius, quam vllo alio remedio tolli, omnes Medici consentiunt. Et quidem die quietis, vomitus post cibum materiæ antecedentis tollendæ gratiâ, commodè instituitur. Nam, vt etiam suprà de vomitu instituendo dictum, duplex est occasio vomitum instituendi. Vna, qua commodissimè materia antecedens, & quæ materiam antecedentem auctura est, tollitur; & secundum hanc occasionem rectissimè instituitur vomitus die quietis post sumptum cibum: Altera, quâ fit vomitus ob instantem paroxysmum, qui vt imminuatur, paulò ante ipsum vomitus instituitur. Deinde fouendus ventriculus. Exempli gratia.

℞. *Ros. rubrar. absinthij, mentha*, an. M. ß. *spica nardi*, ʒ. ii. *mastiches*, ʒ. ß. *cyp. vt* ʒ. i. *flor. chamæmel. meliloti*, an. M. ß. Coq. in s. q. *aq.* vel *vini albi*, ac spongiâ decocto calido madida ventriculus foueatur; vel herbæ sacculo insuantur, qui coquatur, & calidus ventriculo applicetur. Post fotum ventriculus irrigetur oleo absinthij, mastich. cydoniorum, nardino, nucis moschatæ expresso; vel applicetur cerotum stomachale, & alia, quæ aliàs ventriculo debili conueniunt, atque alibi explicantur.

Scorbuti generatio.

Sæpe quoque accidit in hisce regionibus, vt in febribus diuturnis & tertianis & quartanis scorbutus coniungatur. Materia enim febrilis & vitiosa in mesaraicis collecta & diutiùs hærens, tandem dispositionem scorbuticam induit; vnde febres curatu difficiliores redduntur, imò non curantur, nisi simul medicamenta, quæ scorbutus requirit, adhibeantur. Verùm *de scorbuto*, peculiari tractatu.

Externa medicamenta in tertiana.

Præter ista medicamenta omnia, quædam adhuc occurrunt, quæ vulgò extrà corpori ad febrem tollendam applicantur, nec omnia à Medicis improbantur. Inter quæ à plurimis commendatur emplastrum ex telis aranearum & vnguento populeo. De quo Abraham Scultetus, *in epistolis à Scholtzio collectis, epist.* 3. ita scribit: *Expertus sum, si ante accessionem febrilem tela aranea cum vnguento populeo incorporata carpo & temporibus, vbi pulsus deprehenditur, apposita fuerint, plurimum contulisse.*

Alij idem medicamentum ita parant:

℞. *Vrtica min.* M. i. *tela aranearum* ℥. ß. *Salis communis* cochlear. i. Contundendo, & addendo *aceti cochlear.* i. M. pro Emplastro, quod ad pulsûs vtriusque manus per duas horas ante paroxysmum applicetur.

Alij folia bursæ pastoris cum sale & aceto trita carpis applicant. Alij fuliginem è furno, & saluiam contusam & cum albumine oui mixtam: Alij eandem fuliginem cum allio, cæpis, & oui albumine ac aceto mixtam carpis alligant. Nonnulli contundunt anserinam cum sale & aceto, ac carpis applicant.

Alij & quæ vesicas excitant, & hoc fine folia ranunculi

recentia contusa, vel allium & cæpas carpis applicant. Alij recipiunt corticum interiorum nucis iuniorum, q.s. macerant in aceto, & carpis applicant, quo remedio se feliciter vsum Platerus scribit.

Nonnulli hoc emplastrum toti abdomini ante inuasionem apponunt, & ibi relinquunt, donec exsiccetur, idque die altero renouant.

℞. *Farinæ* q.s. *cum* Num. iiij. *succi verbenæ, plantaginis, radic. vrticæ Rom.* an. q.s. Et ad formam Cataplasmatis redigantur.

Ægyptij vt refert Prosp. Alpinus, *de medic. Ægypt. lib. 4. c. 15.* audaciores in hoc genere sunt, dum vnguentum parant ex araneis vnà cum suis telis contusis, & cum oleo rosaceo ad modum linimenti mixtis, vel araneis in oleo rosarum coctis; quo calido carpum vtriusque manûs inungunt.

De modo si quæratur, quo hoc medicamenta agant, vix alia quàm hæc ratio reddi potest, quòd ab istiusmodi medicamentis putridus vapor à corde & suo foco reuocatur & reuellitur: ac præcipuè inquinamentum illud ac *μίασμα* humores corrumpens euocatur, maximè si pauca ampliùs putredo restet, & febris in declinatione sit, de quo *cap. præcedente* dictum.

Paroxysmum impedientia.

Habet interdum vulgus & Empirici alia quædam, quibus paroxysmum impediunt. Verùm nisi adhibeantur purgatâ materia, non tutò adhibentur; cùm si materia in corpore relinquatur, licèt febris cesset, grauiora mala sæpe inde sequantur, vt dolor colicus, cachexia, hydrops, icterus: Aut nisi medicamentum simul vim diaphoreticam & confortandi habeat, qualis anodyno Bannisterij tribuitur, quod describit Andr. Libauius *in Syntagmate arcan. Chymicor. in fine*: item Laudano opiato, quod VVilh. Pithopœus omnis modis commendat, & hoc modo parat.

℞. *Quinta essentia opij* ℥. i. ß. *essentia croci* Drach. vi. *essentia quinta lapid. pretiosor. magisterij corallorum rubr. cum auro, perlarum,* an. ʒ. ii. *lapid. bezoartic. orient.* ℈. ii gr. v. *auri diaphoret. siue potabil.* ʒ. ß. *ambra grisea* ℈. ii. gr. v. *moschi* ℈. ß. *ol. cinnamom. caryophyll. succini,* an gutt. ii. Misceantur s.a. & in vitro satis capaci digerantur, atque interea semel atque iterum agitentur. Dosis gr. ii.

Diæta in tertiana Intermittente.

Victus tandem ratio in hac febre etiam diligens habenda: cùm natura in exquisita tertiana modò victus ratio rectè instituatur, sæpe morbo abigendo sola sufficiat.

In pura igitur tertiana victus ratio requiritur eadem ferè, de qua in continua biliosa diximus. Cibus nimirum sit refrigerans & humectans: eius quantitas tanta, quantam natura rectè concoquere potest. In primis conueniunt prisana, & reliqui cibi, qui sunt boni succi & facilis coctionis, simúlque refrigerant. A melle autem & dulcibus, sinapi, salsis & acribus omnino abstinendum, cùm facilè in bilem degenerent. Vinum, antequam materia coquatur, non exhibendum. At vbi concoqui cœperit, dandum est tenue, aquosum ac purum. Circa declinationem verò liberaliùs potest offerri.

Exhibendus verò cibus est extra accessiones: nisi virium ratio, spirituum dissolutio, & imminens Syncope contrarium suadeat: id quod in siccis & calidis naturis fieri solet: Calidis enim ac siccis naturis aduersissima est inedia, & febrium causa præsentissima: vnde Galenus, vt ex 10. *meth. med. c. 5.* videre est, nonnunquam tales, ne syncope periclitentur, in paroxysmorum principio cibare coactus est.

In Nothis verò tertianis ad duo in primis in victu præscribendo attendendum, curandúmque, ne vel morbus augeatur, vel vires, quæ in morbo longiore diu sufficere debent, periclitentur. Quorum vtrumque exactè præstare non ita facile est. Inedia enim quantum potest ad morbi coctionem, tantum vires labefactat: Cibus contrà, quantum vires auget, tantum coctionem materiæ febrilis impedit: Ergò morbi & virium magnitudo diligenter inter se comparanda est. Victu tenui enim valentibus viribus, & materiâ coctu difficiliore audacius vtimur; largiore autem cibo vtendum, cùm vires sunt imbecilliores, atque materia non admodum coctu difficilis. Copiosiore tamen omnino cibo opus est in tertiana Notha, quàm pura; cùm morbus sit diuturnior. Cibus verò porrigatur in primis die Intermissionis. Verùm cùm non omnes naturæ id ferant, vt tertio solùm quóque die cibum sumant, & præcipuè ob potus necessitatem: ideò & die paroxysmi aliquid cibi, sed qui sit omnino facilis coctu, post paroxysmum, aut pluribus horis ante paroxysmum præbendum, sed omnino minus, quàm in tertiana pura; cùm paroxysmus longiùs protrahatur: die verò quietis solidior cibus, & maiore copiâ, quàm in tertiana pura, exhiberi potest, vt carnes pullorum, gallinarum, hœdinæ, vitulinæ. In nostris regionibus commodissimus est potus, cereuisia tenuior. Cibus autem non solùm refrigeret & humectet, vt in exquisitis, sed etiam nonnihil attenuet & incidat. Vinum tamen etiam album tenue concedi potest. Galenus prisanæ succo vtitur, adiecto pipere, & loco potus, aquâ mulsâ, in qua origanum vel hyssopus cocta fuerint. Verùm alij hæc sine periculo fieri posse non putant, præsertim si pituita pauca admixta sit, & corpus sit calidius. Et satius esse censent, prisanâ vti cum apio, petroselino & cinnamomo decoctâ. Qua in re tamē ad mixtionem humorum attendendum. Si enim parum pituitæ admixtum sit, etiam parum calidorum admiscere oportet; si verò febris multum à tertiana pura declinet, plus admiscere licet. Potest tamen illud χολῶδες in melle, aceto addito facilè emendari. Aliàs vt dictum; consuetus & vtilis potus est cereuisia tenuior, quæ & ipsa, si opus sit, commodis & idoneis plantis condiri potest.

CAPVT XIX.

De Quotidiana Intermittente.

SEcunda febris Intermittentis species est, quæ è pituita oritur; quæ quia singulis diebus inuadit, quotidiana communiter nominatur. Hanc Fernelius, *lib. de febr. c. 12.* omnium febrium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis vna obtingat, scribit. Platerus verò eam dari planè negat, & quamvis multi quotidie febri conflictentur, id tamen non à quotidiana, sed duplici tertiana, vel etiam triplici quartana fieri. Et ita reuerà sese res habet. Plerique enim, qui singulis diebus febri corripiuntur, febricitant ob humorem biliosum aut melancholicum, rarò ob pituitosum. Atque tales febres potiùs duplices tertianæ, aut triplices quartanæ sunt. Simon Simonius quidem planè istas differentias compositas, & appellationes duplicis aut triplicis tertianæ ac quartanæ reiicere videtur: Verùm planè & per omnia illi non assentimur. Si simili typo non inuadat quotidie febris, & primus paroxysmus tertio, secundus quartò & sic consequenter; aut primus quarto, secundus quinto, & sic deinceps respondeat: tales febres non iniuriâ tertianas duplices, vel triplices quartanas nominari posse statuimus; id quod præcipuè ex duplici quartana apparet. Hoc tamen semper obseruandum censemus: nomina quotidianæ, tertianæ, quartanæ, non constituere febrium differentias, sed humores. Itaque iam de quotidiana intermittente agimus, non eâ, quæ à bile fit, & quotidie recurrit, sed de ea, quæ à pituita.

Causa.

Generatur hæc febris rarò citra ventriculi aut hepatis offensionem. In his enim duobus locis pituita generatur, nimirum in hepate, ex frigidiore chyli parte, in primis verò ex alimentis ac præcipuè pituitosis in ventriculo. Et cùm hæc febris è pituita fiat, omnia ea quæ faciunt, vt pituita in corpore colligatur, huius febris causa esse possunt. Ista autem ad tria capita commodè reducuntur, nimirum ad debilem & imminutum viscerum calorem; ad alimentorum frigidam & humidam naturam, & eorum copiam atque abundantiam. Hinc colligitur pituita in iis, quibus hepar & ventriculus, aut etiã tota corporis constitutio est frigida & humida: quibus nimirum habitus corporis est obesior, albicans, venæ & arteriæ angustæ. Ætas ad pituitæ generationem apta est senilis, ob natiui caloris paucitatem; & puerilis, ob voracitatem. Sexus verò muliebris, & vita otiosa etiam facit ad pituitæ generationem: victus plenior & liberalior, aëris constitutio, siue ratione temporis anni, siue cœli, siue loci, frigida & humida; somnus longus, præsertim mox à cibo initus; refrigerantium medicamentorum vsus.

Signa diagnostica.

Signa quotidianæ Intermittentis.

Signa febris Intermittentis pituitosæ petuntur, tum ex iis quæ præcesserunt, quales sunt, causæ pituitam generantes & cumulantes, modò enumeratæ; tum ex iis, quæ pituitæ in corpore copiam arguunt; tum propriis Symptomatis. Pituitæ copiam indicant faciei corporisque color albicans, nonnunquam pallidus aut liuidus, moles eiusdem ampla ac mollis, & ad tactum frigidior; mens & sensus sunt hebetiores, somnus profundus, insomnia de aquis, pluuiis, niue, submersione. Pulsus est paruus, tardus ac mollis. Vrina alba vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa, cum multo sedimento. Quòd si putredinem iam conceipiat pituita, & inde febris excitetur, tempore nocturno ea præcipuè affligere solet; vnde apud Hippoc. 3. *epid.* per nocturnas febres, pituitosas intelligendas esse aliqui existimant.

Signa febriũ ex hora inuasionis.

Non enim hîc prætereundum, quosdam monere, signa febrium humorísque peccantis aliqua etiam haberi posse ex hora inuasionis, & cuique humori suam horam tribuere. Sanguinem moueri nimirum ab hora nona noctis vsque in horam diei tertiam dicunt: ab hora diei tertia ad horam diei nonam, bilem: ab hora diei nona ad horam tertiam noctis, melancholiam; ab hora tertia noctis vsque ad horam nonam noctis, pituitam dominari.

Inuadit autem hæc febris non subitò, sed sensim, cum extremitatum saltem refrigeratione aut horrore. Rigor autem, vt Galenus scribit, eam non antecedit, neque initio, neque in progressu. Cùm enim materia hæc (de legitima pituitosa hoc intelligendum) benigna sit, & naturæ non adeò infensa, & calor ex putredine remissus, minùs quoque naturam lacessit, & propterea calor non cum impetu, sed leniter ad interiora reuocatur.

Calor quotidianarum.

Calor post refrigerationem cum difficultate accenditur, & tardè inualescit, ac cum magna inæqualitate, quâ modò calor, modò frigus sentitur. Humor enim pituitosus est frigidus, humidus ac crassus: accensus verò calor non est acris, sed halituosus primùm occurrit, quasi ex accensis lignis viridibus vapor sublatus, & quidem inæqualiter manum ferit, vt veluti per cribrum transmitti videatur, vt docet Galenus. At si manus diutiùs admota teneatur, aliquantum mordax & acris apparet. Calor postea per totum corpus diffusus illud non valde vrit, neque denudare membra, & tegumenta abiicere cogit, neque multum aut frequenter respirare, potúmque appetere. Qui enim hac febre laborant, minùs sitiunt, tantúmque abest, vt lingua sicca sit,

vt

vt etiam humiditate perfundatur. Cùm etiam febrire incipiunt, præcordia intumescunt, inflantur ac distenduntur; color iis est pallidus, etiam cùm paroxysmus ad statum peruenit, faciésque ferè sublivida & subtumida; corporis adest grauitas, & maxima ad somnum inclinatio. In paroxysmi initio, non tam accidit lipothymia, potissimùm ob os ventriculi, quod in hac febri afficitur.

Vrinæ in primis diebus tales sunt, quales in quartanis incipientibus, albæ, tenues & crudæ, ob materiæ copiam, quæ & meatûs obstruit, & calorem natiuum obruit. In principio morbi etiam plerumque in fundo matulæ apparet & residet aliquid sedimento simile, quod tamen verum sedimentum nō est, neque vllam coctionis notam exhibet, sed est humoris crudi adhuc peccantis portio, & propterea cruditatem materiæ potiùs, & principium morbi, quàm coctionem ostendit. Posteà verò, cùm materia concoquitur, eiúsque nonnihil per vrinas expurgatur, crassiores sunt & turbidæ, sæpe etiam rubræ. Verùm & alui deiectiones crudæ sunt & pituitosæ: quia corpus frigidis & crudis humoribus refertum est. Quâ de causâ etiam primis diebus non sudant; progrediente verò tempore in declinatione paroxysmi parum sudoris emittunt.

Pulsus, vt hac de re Galenus scribit, tantò minor est pulsu quartanæ, quantò quartanæ pulsus tertianæ pulsu minor est. Pulsus item rarior, quàm tertianæ & quartanæ, æque verò tardus. Quotidianæ ergò est minimus, rarus, tardissimus, tertianæ maximus, velocissimus & frequentissimus; quartanæ paruus, tardissimus & rarissimus. Cuius rei causa est, quia cùm in tertiana magis vrgeat vsus, quàm in quartana, & in hac rursus magis, quàm in quotidiana: mirum non est, maiorem esse in vna, quàm in alia. Celeritas verò in quotidiana & quartana par est, etsi maior sit calor in quartana, quàm in quotidiana: quia id, quod magnitudine in quartana adimpletur, in quotidiana, mediante maiore celeritate fit. Itaque est quartanæ pulsus tantò rarior quotidianæ, quantò tertianæ frequentior quotidianæ, ob fuliginum copiam & acrimoniam in tertiana.

Paroxysmus ad horas 18. extenditur; vnde intermissio & interuallum est saltem 6. horarum: quæ etiam rarò integra & pura est, sed solùm ad sensum, & humoris putrefacti in calore & pulsibus semper relinquitur indicium. Imò sæpè ad 24. horas extenditur; vnde continuæ similis apparet. Calor enim in hac febre est similis calori in lignis viridibus accenso, qui & tardè deflagrat, & multum fumorum relinquit.

Quotidianæ Intermittentis notha signa.

Quæ quidem signa omnia in exquisitis pituitosis seu quotidianis inueniuntur. In nothis verò non omnia, sed quædam ipsorum adsunt, quædam desunt; atque alia in febre à pituita acida, alia à pituita salsa adsunt. Vnde Galenus, *de plenit. c.* 11. scribit, à salsa siticulosi, ab acida famelici, à dulci somnolenti, ab insipida inappetentes fiunt. Ita quæ ab acida & pituita vitrea ortum habent febres, teste Galeno, 2. *de differ. febr. c.* 6. rigorem coniunctum habent.

Prognostica.

Prognostica.

Febris hæc, cùm ex humore pertinaci generetur, ac longa sit, periculo non caret: & cùm in eâ viscera, ventriculus & hepar præcipuè afficiantur, facilè qui ea detinentur, in cachexiam, hydropem, atque alios graues ac periculosos affectûs, vt carum, ac similes labuntur. Et quò pituita crudior, eò febris diuturnior & periculosior est. Et quò exquisitior est quotidiana, eò est diuturnior & periculosior; duràtque ad dies quadraginta, nonnunquam ad menses tres, imò nonnunquam plures.

Breuitatem autem vel longitudinem morbi ostendent signa coctionis in vrina, quæ quò citiùs vel tardiùs apparebunt, eò morbus erit longior vel breuior. Paroxysmorum quoque longitudo vel breuitas idem ostendent. Sicut & si in paroxysmi initio vomitus siue sudor appareat, breuiorem morbum ostendit. Indicio enim est materiam non admodum esse crassam & viscosam, & actionem naturæ non planè respuere. Contrarium sequitur, si nulla euacuatio accidat, morbúsque in eodem statu permaneat. Ideóque si vires & appetitus valde deiiciantur, accessiones sint longæ, cum nullo sudore, parua salutis spes superest.

Etsi verò hæc febris noctu inuadit, tamen interdum interdiu etiam inuadere solet. Diurna verò nocturnâ est periculosior, & ad tabem plærumque deducit, cùm aliis de causis, tum quòd tempus medicationi non suppetit. Etenim cùm interdiu in paroxysmo medicamenta commodè afferri non possint: vel sine medicamentis æger relinquendus: vel tempus quod somno & quieti dandum erat, medicationi tribuendum. Quæ res vires deiicit, corpúsque tabescit.

Curatio.

Curatio.

Curationem autem huius febris quod attinet, de ea multa dicere opus non est: cùm ea, quæ suprà de *curatione Quotidianæ continuæ* dicta sunt, facilè Intermittenti applicari possint.

Primæ viæ euacuentur clystere, parato ex decocto mercurialis, parietariæ, betæ, flor. chamæmel. summit. anethi, sem. anisi, fœniculi, carthami, furfur. cum Elect. diaphœnic. mell. rosato col. & similibus.

Venæsectio.

Venæsectio in hisce febribus puris via locum habet; cùm venâ incisâ sanguis bonus emittatur, & vitiosi ac crudi humores in primis viis hærentes in venas attrahantur.

Vomitoria.

Vtilis verò est vomitus, vt vix in vlla febre sit vtilior, cùm ventriculum, qui in hac febre maximè afficitur, in primis euacuet: & quidem is, per interualla sæpius instituendus. Cautione tamen in hac re opus est, ne ventriculus, qui aliàs, vt dictum, in hac febre laborat, fortioribus vomitoriis debilitetur. Etsi autem vulgò feratur, ventriculum priùs roborandum esse: tamen nec id satis tutum videtur. Etenim si ventriculus roboretur, non facilis erit ad vomitum. Ergò distinctione hac in re opus est. Nam si ex hepate & venoso genere præcipuè materia febris suppeditetur, non facilè, & nonnisi fortioribus vomitoriis materia euacuatur, quibus ventriculus non parùm debilitatur. Si verò ventriculus pituitosos humores suppeditat, tunc commodiùs vomitus instituitur. Cùm autem pituitosi humores in ventriculo, qui causa sunt, vt alimenta assumta non rectè concoquantur, sed potiùs in pituitosos humores conuertantur, plerumque crassi & viscidi sint, humores illi priùs præparandi sunt hydromelite, in quo folia origani vel hyssopi macerata sint, additâ parte aliquâ oxymelitis, vt faciliùs postea vomitu reiici possint.

Est autem in vomitu ciendo hîc conueniens raphanus, cuius vel decoctum, vel succus, vel infusum cum oxymelite, ℥. iv. vel plurium pondere propinari potest. Licet & alia addere, vt semen atriplicis, anethi, flores genistæ, chamæmeli, quibus & ʒ. i. agarici addi potest, vt:

℞. *Sem. raphani, atriplicis, anethi*, an. ℥. ß. *flor. genistæ, chamæm.* an. P. i. Coq. in f. q. aq. pro ℥. v. Col. adde *oxymel. s.* ℥. i. Misce.

Præparātia.

Efficax est & hîc in fortioribus, extractum Esulæ. Verùm de vomitoriis iam aliquoties satis dictum.

Postea materia præparetur medicamentis alterantibus, incidentibus & detergentibus; initio quidem mitioribus, hinc fortioribus, ex radicibus aperientibus, *hyssopo, origano, betonica, agrimonia, capillo* ♀ *chamædry, chamæmelo, calamintha*, quibus & cichoracea admiscere licet, ob calorem febrilem: cum Syrupo *acetoso s. melle rosaceo, oxymel. simp. & comp. Syr. byzant. s. & composito, de endiuia comp. de hyssopo, de duabus radicibus, de quinque radicibus, oxymel. scillitic. helleborato Gesneri, Spir. vitriol. salis.*

Purgantia.

Materia præparata conuenientibus medicamentis expurganda, vt agarico, mechoacannâ: quæ in hac febre commodissima est: cùm non solùm pituitam educat, sed & resoluat atque exsiccet, & temperatè ventriculum calefaciat ac roboret: turbith, trochisci alhandal, elect. Indum, diaphœn. diacarthamum, extractum panchymagogum, & esulæ, pilulæ de hiera cum agarico, de agarico.

Sudorifera.

Sudorem quoque & vrinam cientia hactenus proposita non negligenda; & quidem fortiora in hac febre vsurpanda, ex fœniculo, carduo benedicto, salsa parillâ, ligno sancto, sassafras, theriacâ, sale cardui benedicti, ebuli. In primis ad sudorem ciendum, & febrem quotidianam depellendam, commendatur radix caua, quæ ʒ. i. vel ℈. iv. pondere, ante paroxysmum in haustu vini ter vel quater exhibeatur, vt æger sudet. Tandémque vt pituitosi humoris generatio prohibeatur, viscera, & in primis ventriculus roborandus, cùm externis, tùm internis medicamentis, vt:

℞. *Conserua hyssopi, betonicæ, anthos*, an. ℥. i. *cortic. citri condit.* ℥. ß. *rad. condit. helenij, pimpinellæ*, an. ʒ. iii. *spec. aromatici rosati* ʒ. ß. *spir. vitriol.* ℈. ß. Cum *syrup. conseruat. calami aromatici, vel zingiberis in Chinâ conditi.* F. Electuar.

CAPVT XX.

De Quartana Intermittente.

Quartana Intermittens.

TErtia Febrium Intermittentium species est, quæ ab humore melancholico oritur, quæ quòd quartanā periodum obseruat, quartana appellatur: Febris nimirum putrida, intermittens, quarto quôque die recurrens, ab humore melancholico in primis viis collecto & putredinem concipiente ortum habens.

Melancholia differentia.

Melancholicus autem humor non est vnius generis, sed plures humores sub melancholiæ nomine comprehendūtur. Alius nimirum dicitur esse humor melancholicus naturalis, alius præternaturalis. Naturalis primò est crassior sanguinis pars, quæ cum sanguine in venis continetur. Sed hic rectiùs sanguis melancholicus, quàm melancholia dicitur, neque huius febris causa est. Deinde melancholia, & quidem propriè dicitur humor excrementitius, qui tamen secundùm naturæ leges generatur, & secundùm vulgatam opinionem in lienem secedit. Melancholia autē præternaturalis, aut potiùs atra bilis (ita enim proprio nomine appellatur) est, quæ adustione aliorum humorum fit. Huius differentias quatuor constituit Auicennas. Alia enim ex adustione & torrefactione quasi bilis flauæ: alia ex pituitæ: alia ex sanguinis; alia ex melancholiæ naturalis adustione fit.

Vnde cùm Auicennas eiúsque Interpretes scribunt, dari Quartanam biliosam, sanguineam, & pituitosam, id non aliter intelligendum est, quàm has febres fieri ab atra bile, generatâ ex adustione vel sanguinis, vel bilis, vel pituitæ salsæ. Et quidem ex bile immediatè atra bilis generatur; cùm verò ex sanguine tenuiore, & pituitâ salsa fit humor ater, priùs in bilem, & ex bile in humorem atrum mutari credibile est.

Cùm autem tot sint humoris melancholici differentiæ: quæritur

Digitized by Google

Quinam humor melancholicus, Quartanæ causa sit.

quæritur iam; An à quolibet eius differentia febris excitari possit: de qua re alij aliter sentiunt. Alij enim ex his humoribus omnibus febres quartanas oriri statuunt: alij ex melancholia solùm naturali febres quartanas prouenire posse; ex iis verò differentiis, quæ ex humorum aliorum adustione & torrefactione proueniunt, nullas febres prouenire posse existimant. Cùm enim atrâ bile nullus humor sit perniciosior, & omnes partes, quas transit, erodat & exulceret, si febrem excitaret, eam non diuturnam, qualis est quartana, sed acutam faceret; cum etiam pessima Symptomata inueheret, qualia non apparent in quartana. Imò putant, tantam esse huius humoris malignitatem, vt si in corpore generetur, priùs hominem iugulet, quàm putrescat, aut febrem excitet. Vnde etiam Galenum solùm quartanæ, quæ ex humore melancholico naturali fit, mentionem facere censent.

Videturque Galenus hoc expressè non decidisse, quo nomine & à Tralliano, *lib.12. cap.8.* reprehenditur, quasi vnam saltem Quartanæ curationem tradiderit, *lib.2. ad Glauc. cap.11.* cùm tamen Quartanæ febris non vna sit species, sed alia ex bile flaua nimiùm adusta, alia ex feculento sanguine nascatur, quæ curationis modo etiam differant. Nam eam, quæ ab humore melancholico creatur, calefacientibus humectantibúsque iuuari: quæ verò ex nimia bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus. Miraturque Trallianus, quomodo Gal. in omnibus quartanis non alium victum, quàm qui calefacere & siccare possit, præcipiat; ab iis verò, quæ refrigerant & humectant, abstinere iubeat. Ipse verò diuersam curam præscribit quartanæ à melancholia. Nam si æger naturâ calidus sit & siccus, ætate vigens, anni tempus sit æstiuum, curæ, vigiliæ, tristitia, ira, acrium medicamentorum vsus præcesserint; etiam valde refrigerantia adhibet.

Verùm enimverò etsi possit concedi, quartanam legitimam, seu febrem melancholicam puram tantùm prouenire ab humore melancholico naturali: tamen impossibile non est, quin etiã febris quædam Quartana ex humore adusto fieri possit, in primis si alij humori permisceatur. Tum enim is ita malignus non est: neque etiam semper eiusdem gradus est humor adustus. Et tales febres quartanæ sunt pleræque eæ, quæ a principio hominem non inuadunt, sed aliis febribus & morbis succedunt. Atque ita se non habere, signa & symptoma docent, atque illud in primis, quòd aliquoties quartanas in scabiem, eámque fœdissimam lepræ non dissimilem, terminari vidimus.

Neque planè hoc indeterminatum reliquit Galenus, cùm, *3.aph.22.* atram bilem, ex qua Quartanæ ortum habent, geminam sortiri generationem, vnam ex flaua bile retorrida & perusta, alteram ex crasso sanguine scribat, quod & *3.prognost. aphor.27.* docet.

Causa Quartanæ proxima.

Neuter tamen hic humor Quartanam producit, antequam putrescat; sed sæpe diu in corpore cumulatur, antequam putrescat. Itaque proxima febris Quartanæ causa est humor melancholicus, in primis vas, circa lienem & vicina viscera, putredinem concipiens.

Remota.

Remotæ verò sunt ea omnia, quæ ad humoris melancholici & atri generationem faciunt. Vbi enim humores à causa calida quacunque aduruntur, accidit, vt vbi feruor ille desijt, quasi cineres quidam relinquantur, nunc planè frigidi & sicci, nunc caloris alicuius adhuc participes. Hinc euenit, vt quartanæ potiùs post quadragesimum annum, quàm ante, & præcipuè autumno accidant, & tertianæ in Quartanas mutentur. Nam ætate iuuenili, & in æstate in primis calidâ, & per febres tertianas humores aduruntur, quorum quasi cineres postea accedente ætate & tempore frigidiore in corpore retinentur, tandémque putredinem concipientes, Quartanam generant. Generatur nimirum humor melancholicus in iis præcipuè, qui corpus calidum & siccum habent, lienem tumidum, obstructum & imbecillem. In talibus enim crassi & terrei quasi humores colliguntur, & in liene & vicinis locis cumulantur, vel etiam in totum corpus effunduntur. Cumulantur verò ex crassiorum ciborum vsu, quales sunt carnes bubulæ, ceruinæ, aprugnæ, sale conditæ & fumo induratæ: pisces ex limosis aquis, olera & legumina, panis non fermentatus, vinum crassum, cereuisia feculenta. Vt enim vinum, cereuisia, aut alius succus, crassus & feculentus, dum fermentatur & digeritur, multum fecis deponit: ita & ex crasso & impuro chylo & chymo, dum coquitur, multum feculentæ materiæ separatur.

Acetum etiam melancholico humori generando aptissimum est, ob vires & qualitates melancholiæ similes. Est enim melancholia, & præcipuè atra bilis aceto persimilis, quod insignis acrimonia ostendit, prætereaquam quod exsiccat simul & refrigerat. Et diximus antea, in Quartana fieri humorum in acidum mutationem: neque aliter fieri è vino acetum, quàm ex sanguine melancholiam, Gal. *3.de sympt.caus.c.2.* innuit. Qua de causa & Hippoc. *3. de vict.rat. in acut. t. 38.* melancholicis acetum noxium esse docet: siquidem siue temperiem, siue generationis modum spectes, acetum melancholiæ pabulum est. Et omnino locus iste Hippoc. consideratione dignus est, cùm ansam cogitandi de fermentatione & generatione humorum salsorum in corpore nostro præbere possit: siquidem non in alteratione qualitatum primarum Hippocr. subsistit, sed acidi, amari, fermentationis, exaltationis mentionem facit. Reuera enim hic, non tam ad qualitates primas, quàm ad diuersas salium naturas respiciendum, quibus multas mutationes perfici Chymia docere potest. Ita autem ille: *Αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι συμφέρουσι. Τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται καὶ φλεγματοῦται, μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτέου· τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται καὶ πολλαπλασιοῦται, ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος*, id est, *Aceti aciditas biliosis naturis magis confert, quàm melancholicis. Amara enim dissoluuntur & in pituitam transeunt, dum ab ipso in sublime attolluntur. Nigra verò fermentantur, & in sublime attolluntur, & multis partibus augentur. Acetum namque nigra exaltat.* Vbi malè redditum vulgò puto: *Educit nigra acetum*: cùm potiùs verti debeat: *Exaltat nigra acetum.*

Ætas generationi melancholiæ apta est consistens & iam inclinans: vita curis ac tristitiâ occupata, & studiis ac grauioribus occupationibus dedita. Nulli tamen ætati parcit Quartana, & ætatis rationem non habet, vt scribit Aetius, *lib. 5. cap.83.* Etsi enim ætas consistens demum melancholico temperamento esse incipiat: tamen, præter temperamentum, causæ externæ & rerum non naturalium vitia & errores tam potentes sunt, vt etiam in sanguineo, vel alio corpore humorem melancholicum generare possint.

Tempus, quo maximè generatur melancholia, est Autumnus, vnde etiam Autumno frequentiores sunt quartanæ. Præsertim si calidam æstatem excipiat, quæ nimio æstu humores adussit, aut Saturnius influxus ac vis accedat: quod anno 1616. accidit; cùm Quartanæ ferè toti Germaniæ essent epidemiæ, & VVitebergæ hic tam familiares, vt etiam infantes modò natos corriperent, quod filio meo tres menses nato tum etiam accidit, & vix domus aliqua esset, in qua non Quartanarius vnus vel etiam plures decumberent. Quæ Quartanæ etsi à communi aëris constitutione ortum haberent: accedebat tamen contagium, quo seminaria febris in alia corpora transferebantur.

Faciunt etiam huc suppressæ euacuationes, qualis est præcipuè, quæ per hæmorrhoides fieri solet.

Adusta autem melancholia sensim ac paullatim generatur ab intemperie calida & sicca, de qua Galenus, *de atra bile, cap.4. & 6.* Confertim verò, à febrili calore. Per febres enim humor melancholicus & ater contrahitur, vt Galenus *3. de loc.affect. cap.7. & 3.prognost.cap.27.* docet. Nam humores febrili calore aduruntur, ac quod de bile restinctum est quodammodo, in atrum humorem vertitur. Hinc ardentes & tertianæ febres, præcipuè si autumnum attingant, in Quartanas desinunt, quod frequentissimè eodem anno accidisse, notissimum est. Si enim adustorum humorum quasi cineres non excernantur, sed permaneant in corpore & incalescant, putrem quandam dispositionem recipiunt. Hinc Aëtius, *lib.2. cap.22.* Conualescentes à febribus melanogogo egere scribit, vt humoris corrupti fex per assationem crassior reddita expurgetur.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica.

Signa huius febris quod attinet, primò sumuntur ea à causis, quæ præcesserunt, & modò enumeratæ sunt. Deinde ea illis, quæ præsentem melancholiam arguunt, & humoris melancholici in corpore abundantiam indicant: qualia sunt, faciei, totiúsque corporis color fuscus & nigricans, interdum æqualis, & per totum corpus, interdum maculis quibusdam saltem conspicuus: Habitus corporis siccus & macilentus; adspectus tristior; mœstitia, amor solitudinis; somnus turbulentus; insomnia de rebus nigris, fumis, morte, cadaueribus, sepulchris & similibus tristibus. Vrina, si nihil melancholiæ vnà excernatur, est tenuis, alba: Si verò melancholia vnà excernatur, crassa, liuida & nigra.

Quartanæ inuasio.

Atque hæc signa melancholiam in corpore arguunt, etsi febris non adsit. Verùm vbi iam melancholia putredinem concepit, & febrem generat, inuadit ea primò cum oscitatione, pandiculatione, & molesta quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor sequitur, qui initio paruus est, vel loco eius solùm refrigeratio & horror. Progressu verò temporis sensim fit maior, donec fiat vehementissimus, qui talis est, qualis accidit iis, qui tempore hyberno refrigerantur, sensúmque exhibet non rei pungentis, sed grauantis & quasi contundentis & constringentis ossa, quos dolores Græci *ὀστοκόπους* vocant. Cùm enim materia sit crassior, primò cum impetu moueri non potest: postea verò sensim attenuatur, vaporésque ab humore melancholico crassi sunt, frigidi & sicci, assiduúmque, quæ crassiore sanguine continentur, membranas feriunt, hos dolores excitant.

Calor.

Caloris enim modus ab aliis febribus differt. Succenditur paulatim, neque, vt in tertianis, velut adurens est & æstuosus, sed submissus. Materia enim crassa est & frigida, quæ difficulter putrescit, ac tardè accenditur. Declinatio est cum pura, simplici & longa *ἀπυρεξίᾳ*, adeò vt plerique ægri tempore intermissionis possint ad consuetas operas redire.

Pulsus.

Pulsus in melancholica intermittente febre toto morbi progressu rarus est, in principio tamen valde rarus. Qua ratione ab omnibus febribus differt, neque vlla alia febris est, quæ pulsum tam tardum ac rarum habeat. Nam arteria videtur quasi ad interiora retracta, neque liberum habere ascensum, quale nihil apparet in tertianis. Et licèt, cùm augetur paroxysmus & increscit, fiant pulsus frequentes & veloces: tamen & tum seruatur ipsorum tarditas ac raritas; & si comparetur pulsus tertianæ in vigore, multò velociores & frequentiores apparebunt pulsus in

tertiana

tertiana, quàm in quartana. Et licèt, vt suprà etiam dictum, æger sit iuuenis: tamen pulsum habet talem, qualis est in senibus. Bilem non vomunt, qui hac febre laborant, vt qui biliosâ febre afficiuntur. Sudores etsi primis diebus non multi sunt: tamen progressu morbi, attenuatâ materiâ, fiunt sudores copiosissimi.

Vrina.

Vrina in principio alba est, tenuis & aquosa: Humores enim tum adhuc crudi sunt. Et quia hic humor reliquis est longè crassior, magnas obstructiones facit, vt vix tenuior pars penetrare possit. Morbo procedente, coloratiores & crassiores redduntur vrinæ, quia materia coquitur, & obstructiones reserantur. Et quidem sæpe color & contenta mutantur; quia materia non rarò varia est, eiúsque modò parum, modò multum ad vias vrinæ penetrat. Paroxysmi, tempore durationis, ferè sunt similes paroxysmis tertianæ; nonnunquam etiã longiores. Sitis non est admodum magna; minor quidem, quàm in tertiana, maior autẽ, quàm in quotidiana. Lien vt plurimùm afficitur, & ad eius affectus quartana plerunque sequitur. Atque hæc signa in legitima febre melancholica intermittente omnia manifesta sunt. In notha autem seu spuria etiã humoris admixti, seu ad quem humor præternaturalis declinat, notæ apparent: adustúmque humorem indicant grauiora symptomata, calor, sitis, vigiliæ, & symptomata omnia grauiora & periculosiora, quàm in ea, quæ à naturali melancholia ortum habet; & semper paroxysmi referunt aliquomodo & sapiunt reliquias humoris, ex quo melancholia adusta genita est.

Prognostica.

Prognostica.

Quartana autem omnium febrium longissima est, & sæpe non solùm ad aliquot menses, sed & plures annos extenditur. *Æstiuæ autem sunt breuiores; autumnales verò longæ, maximè quæ non procul absunt ab hyeme*, 2. *aph*. 5. Primus terminus est proximum solstitium vel æquinoctium, id est quarti mensis initium; quo si non soluitur, extenditur ad alterum, siue septimum mensem. Inueteratæ Quartanæ *rarò soluuntur nisi vere*, scribit Celsus, *lib*. 3. *c*. 16. propter aëris temperiem & sanguinis dominium, qui melancholiæ planè aduersatur. Si tamen *non accidat in ea error, non addit vltra annum*, ait Auicenna. Verùm nonnunquam ad triennium, imò annos duodecim, pluréśque durasse, obseruatum est; & adhuc hodie inter vulgus reperiuntur, qui ab epidemia illa superiorum annorum quartana nondum liberati sunt. Refert Massarias, se vidisse matronam Venetiis, quæ 22. annis quartanâ laborauerat. Et quidem quæ à puro succo melancholico oritur, etsi minùs molesta sit, longior tamen est, quàm quæ à bile admixta vel adusta originem habet: cùm in tertiana contrarium fiat.

Est porrò Quartana febris quidem tutissima, & periculo carens; dat enim naturæ inducias sese colligendi diebus intermissionis. Vnde Phauorinus apud Gell. *lib*. 17. *cap*. 12. fortunatiorem vocat hanc biduo medio interuallatam febrem, in quâ *μία μητρυιὰ δύο μητέρες*. Si tamen sit legitima, & sine alicuius visceris affectu hominem inuadit, tuta est. Nam quæ ab atra bile prouenit, longè periculosior est; & quæ cum visceris alicuius, hepatis putà, aut lienis, grauiore affectu coniungitur, plerumque periculo non vacat, & ægros tandem in hydropem lethalem, aut in contumacem scorbutum conijcit. Simplex quoque toleratur faciliùs, quàm duplex vel triplex. Senibus quoque, quibus morbi diuturni commoriuntur, 2. *aph*. 39. periculosæ & plerumque lethales sunt hæ febres; quòd calor debilis humorem tam pertinacem vincere nequeat. Sicca enim corpora ad hecticam ac tabem deducit, eóque faciliùs, quò humor magis adustus est.

Vulgò de eadem etiam traditur, eundem hominem bis quartanâ non affici. Verùm experientia contrarium docet, quâ compertum habetur, eundem hominem bis vel ter quartanâ laborasse.

Quartana tandem homines liberat ab aliis morbis, & qui quartana laborant, magno morbo non corripiuntur, & si priùs corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur, vt testatur Hippocr. 1. *Epidem*. *com*. 5. *t*. 3. Et 5. *aphor*. 70. *A quartana correpti non admodum conuulsionibus corripiuntur, aut si corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur*. Dum enim materia melancholica ad hypochondria & ignobiliores partes vergit, neque ampliùs cum sanguine per venas miscetur, morbi isti soluuntur, aut ægri in eos non incidunt. Præterea vomitu multi mali humores euacuantur: calore etiam febrili diuturniore humores crassi, morborum multorum causæ, attenuantur & absumuntur.

Curatio.

Cùm ergo febris hæc sit longa & pertinax, vt etiam vulgò, Medicorum opprobrium & scandalum dicatur, Medicus in ea curanda eò maiorem diligentiam adhibeat, atque in id attendat, ne medicamentis importunè datis duplex, vel triplex efficiatur. Id etiam ægro prædicendum, breui febrem hanc curari non posse, & sat citò curari, si sat bene. Rectè autem curabit Medicus Quartanam, si curationem secundùm Indicationes curatorias dirigat. Petuntur verò Indicationes in primis ab ipsa causa morbifica, quæ est humor melancholicus maximam partem, qui & coqui & euacuari potest.

Indicationes.

Is igitur quia crassus, attenuandus; quia frigidus & siccus, calefaciendus & humectandus, vt crassus, incidendus, vt putridus corrigendus, aut si adustus sit, aliquo modo refrigerandus: quod ex parte docet Al. Trallianus, *lib*. 12. *cap*. 8. distinctè verò Auicennas, *lib*. 4. *fen*. 1. *tract*. 2. *cap*. 64. 65. 66. Galenus verò, 1. *ad Glauc*. *cap*. 11. tantùm exquisitæ Quartanæ Curationem tradit. Deinde medicamentis idoneis euacuandus est. Causæ etiam ipsum gignentes & cumulantes tollendæ: vnde in primis lienis habenda ratio, qui si obstructus sit, aperiendus; si intemperatus, alterandus; si imbecillus roborandus. Et omnino *diathesis*, humorem istum generans, & inquinamentum humores corrumpens tollendum, cùm per contraria alterantia, & ne salsus acidus humor generetur, prohibentia, tùm per discutientia ac sudorifera. Si verò Quartana notha sit, & reliquorum humorum habenda est ratio. Febris ipsa refrigerantia & humectantia indicat. Vires equidem in hac febre plerumque satis fortes sunt. Earum tamen habenda est ratio, ne nimis citò deficiant, sed ad finem morbi, qui satis diuturnus est, durare possint. Si quoque febri scorbutus, hepatis vel lienis obstructio, aut alius morbus adiungatur, & is secundùm artem tollendus: cum eiusmodi causis & morbis præsentibus, febris tolli non possit.

Alui purgantia.

Et quidem ab initio leniter tractanda est hæc febris, vt Galenus, 1. *ad Glauc*. *c*. 11. monet, nullúmque forte medicamentum primò exhibendum. Qui enim fortioribus medicamentis vtuntur, vt Galenus, *loco allegato*, docet, ex simplici Quartana non rarò duplices aut triplices reddunt. Quanquam enim materia sit in primis viis, eius tamen alia longè ratio est, quàm in tertiana, cuius materia bilis est, humor mobilis, & qui facilè ductũ medicamentorum sequitur. Humor verò melancholicus lentâ quasi fermentatione sanguini magis permixtus est, ideóque concoctione ac separatione longiore opus habet. Si tamen signa bona apparuerint initio, aut febris ex causa euidente incipiat, nec humores adhuc valde inquinati sint, ac dispositio interna humorum & corporis humori melancholico non multum consentiant, Celsi consilium *lib*. 3. *c*. 16. non negligendum, qui vomitoriis, purgantibus, & aliis periculum initio facit, an febris, ac primò conceptum humoris vitium corrigi, tolli & expugnari possit, antequàm reliquum sanguinem inficiat. Vnde etiã Hercules Saxonia statim ab initio in hac febre vomitum tẽtandum censet, non semel tantùm, sed bis ac ter. Imò existimat Laur. Ioubertus, vt postea dicetur, in principio Quartanæ valentiora purgantia esse adhibenda, quàm in augmento & statu.

Si verò Curatio hoc modo non succedit, & febris nihilominus remanet, aliud ex toto sequendum curationis genus, vt idem Celsus, *ibid*. ait, idque agendum, vt quod diu sustinendum est, corpus facilè sustineat.

Ergo quod in aliis febribus fieri solet ac debet, venter primò emolliendus; & primæ viæ euacuandæ, vel medicamentis leuibus per os assumtis, vel clysteribus. Medicamenta ista autẽ satis nota sunt, atque vsurpari possunt cassia, el. lenit. manna, syr. violar. solutiuus, atque ea vel sola, vel cum aquis borragin. buglosś. ac vbi materia adusta est, in primis cum sero lactis. Clyster talis fieri potest.

℞. *Rad*. *althææ*, *polypod*. *q*. an. ℥. ß. *maluæ*, *mercurialis*, *pariet*. *veronica*, *betæ*, an. M. i. *summit*. *anethi*, *flor*. *chamam*. an. M. ß. *Ficus* num. vi. Colaturæ ℞. ℔. i. Adde *Elect*. *diacathol*. ℥. i. *ol*. *lilior*. *alb*. *chamamel*. an. ℥. i. ß. *salis* ʒ. i. F. Clyster.

Aut exhibeantur medicamenta è manus, cassia, electuario diacatholico, syr. de pomis Saporis Regis, solius senæ. Fortiora verò locum facilè non habent. Minus tamen periculi est in vomitoriis, quæ postea proponentur.

Vbi primæ viæ euacuatæ fuerint, venam, si cum humore melancholico sanguis abundet, Galenus & Auicennas aperire iubent, quos Medici plerique alij sequuntur. Et monet Galenus, illud attendendum esse, an sanguis qui fluit, sit crassus & niger, qualis in liene colligitur. Si enim talis deprehendatur, expedit illum copiosè fluere. Nam cùm lien non rectè sese habet, non attrahit ad se, vt debet, sanguinem melancholicum: & proinde non parua eius portio reliquo sanguini permiscetur, qui commodè venâ sectâ euacuatur. Idem etiam fieri potest cùm Quartana à melancholico sanguine, aut sanguine adusto oritur. In talibus enim febribus materia adusta ex sanguine maximam partem in venis maioribus continetur, & propterea venæ sectione magna eius pars euacuari potest. Licèt enim tunc proxima Quartanæ Intermittentis causa in dictis hypochondriorum locis consistat: præter eam tamen non exigua quoque melancholiæ portio in supremas venas diffusa est, quam venâ apertâ educere vtile & necessarium est, ne materiam peccantem & obstructiones in hypochondriis augeat & foueat. Sin autem sanguis effluens tenuis flauus appareat, statim supprimendus est. Tunc enim humor melancholicus & peccans circa lienem, hepar, & in ramis venæ portæ atque hypochondriis continetur, qui venâ in brachio apertâ educi non potest.

Tempus venæ sectionis.

De tempore venæsectionis non omnes Medici idem docent. Plurimi simpliciter cum Galeno in principio, post primarum viarum euacuationem venam aperire iubent, vt euacuatâ parte materiæ, quod reliquum manet, faciliùs concoquere possit; reprehendúntque Auicennam, quasi sentientem post statum morbi & coctionem humorum venam aperiendam esse. Verùm vix puto Auicennam id sensisse, vt post statum demum morbi in declinatione venæ sectio instituatur, sed potiùs rem distinctè proposuisse videtur, hoc modo. Si sanguis

guis in venis abundet, sanguinisque aliqua euacuatio suppressa sit, venæ sint turgidæ, corpus graue, & alia adsint, quæ sanguinis euacuationem requirunt: commodissimum est, vt à principio, euacuatis tamen priùs primis viis, venæsectio instituatur; sin autem quartana ortum habeat à melancholia melancholica pura, vt Auicennas loquitur, id est, si absque sanguinis abundantia, causa febris tota ferè circa lienem & in venis mesaraicis continetur, tum non mox à principio vena est secanda, cùm hoc modo de causa morbifica nihil tollatur, sed potiùs humor melancholiæ contrarios, bonus scilicet & laudabilis sanguis, temerè & sine causa educatur, & crassos ac vitiosus in primis viis relinquatur; sed tempore digestionis, vt docet Auicennas, id est, in progressu morbi, & coctione iam apparente. Non quòd ad venæsectionem coctio humorum requiratur, sed quòd materia per coctionem aliquo modo attenuata, & in superiores venas deducta, sanguini permisceatur. Quo tempore etiam vrinæ crassiores apparere incipiunt. Hoc enim modo venæsectione pars materiæ febrilis tollitur, vt natura reliquam partem faciliùs superare possit.

Quæ vena aperienda.

De vena quoque aperienda non omnes idem sentiunt. Galen. basilicam vel medianam brachij sinistri aperire iubet, quem plerique sequuntur. Aëtius verò, *tetrab. 2. serm. 1. cap. 84.* distinctionem adhibet, & liene affecto in sinistro brachio; si verò hepar afficiatur, in dextro brachio venam aperire iubet. Quam distinctionem breuitatis studio Galenum omisisse putant nonnulli. Sunt alij, qui Aëtium reprehendunt, & Galen. defendunt, cùmque non breuitatis studio, dextri brachij mentionem non fecisse, sed studiosè eam omisisse putant: cùm in dextro brachio vena commodè in quartana aperiri non possit, sed solùm in sinistro aperiri debeat. Atque ita ista de re sentiunt. Ea semper vena aperiri debet, quæ ea loco, in quo sanguis, qui naturam tanquam onus premit, proximè, quantum fieri potest, euacuat: At in Quartana locus, in quo melancholicus sanguis abundat, est circa lienem. Etsi enim accidere possit, vt hepar sit calidum & siccum, sanguinemque natura crassum gignat: tamen ille in hepate, venisque illi propioribus non remanet, sed ad lienem transmittitur. Atque ea de causa semper in omni Quartana in sinistro brachio venam aperiendam cum Galeno censent.

Verùm si rem diligenter perpendamus, & ea quæ ex Thaddæo Duno, *in Instieut.* proposuimus, neutra opinio planè satisfacit. Etsi enim vena aperienda sit, quæ ex loco, in quo sanguis vitiosus collectus est, plurimum, & proximè eum exhaurit, & hoc etiam negari non possit, lienem sanguini defecando inseruire, & in quartana laborare; tamen de hoc adhuc quæstio est: An vena in sinistro brachio aperta propior sit lieni, & plus ex eo euacuet, quàm vena dextri brachij aperta; cùm, vt hoc ipso loco rectè ait Hercul. Saxonia, venæ omnes ex hepate ortum ducant, & lien cum vena caua nonnisi mediante hepate connexionem habeat. Præterea licèt accidat, vt lien obstructus, aut sanguine melancholico nimis repletus, suum officium non faciat, sanguinemque feculentum non recipiat, atque is ea de causa in vena caua sanguini reliquo permisceatur: tamen causa nulla est, cur potiùs sanguis ille melancholicus saltem reliquo sanguini in venis sinistri brachij, non verò quoque in ramis dextri brachij permisceri debeat. Neque aliquã euidentem aliam causam video, cur sinistri potius, quàm dextri brachij vena eligenda sit: nisi forsan quis hic nõ tam ad manifestos venę cauæ ductûs, quàm simpliciter ad συμφυΐαν & illud κατ' ἴξιν, atque occultos meatus, per quos dextra dextris, sinistra sinistris consentiant, respicere velit.

De Saluatellæ sectione.

Deinde plerique sectionem saluatellæ seu venæ minimo digito proximæ in sinistro brachio commendant. Ista sententia cùm aliis minùs probetur, & eam examinare liber. Galeno ista opinio ignota non fuit: eam tamen saltem recitat, non approbat. Ita enim, *lib. 3. de Administrat. anat. cap. 5.* scribit: *Reliqua pars venæ, quæ paruum digitum adit, dum obliquum cubiti perrepat, ramum quendam exilem ad posteriora medij digiti transmittit, mox bifariam scissa, altera parte mediam digiti medij & annularis regionem ingreditur, quam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentésque sanguinem ex ea effluere, quousque vltrò sistatur, lienem ex tali euacuatione iuuari censent.* Et, *de curand. rat. per sang. miss. cap. 14. Sicut nec siquis summâ in manu aut pede venam secet, quemadmodum putant, qui lienem curari aiunt à vena ad secundum paruum digitum sita sectione.* Atque alibi, vbi ex professo de curatione lienis agit, nullam huius venæ mentionem facit, sed solam venam in cubito aperire iubet. Vt ita Galenus sectionem saluatellæ neglexisse videatur. Eandem sectionem & ratio dissuadere videtur. Nam sanguis melancholicus crassus est, vt per tam exilem ramum commodè euacuari non possit. Deinde nullum iste ramus cum liene peculiarem consensum habet.

Contrariam verò sententiam qui defendunt, rationibus destituuntur, & vix aliud, quod afferant in medium, habent, nisi experientiam. Verùm nec ista ad hanc sententiam defendendam sufficit, & satis firma est. Nam primò, cum ratio huius venæ aperiendæ nulla dari possit, necessarium est, vt occulta aliqua proprietas vel in ipsa vena, vel in sanguine, qui in ea continetur, insit, quorum neutrum sine temeritate adfirmari potest. Deinde nec experientia satis certa est. Nam antiqui Medici plerique omnes de aperienda hac vena nullam mentionem faciunt, vt & doctissimi ex iis, qui superioribus seculis vixerunt. Licèt igitur nonnulli liene affecta huius venæ sectionem profuisse dicant: tamen istis hoc primò cum Galeno, *3. aphor. 11.* opponendum: *Etsi*, inquit Galenus, *quis expertus fuerit, sex vel septem homines aliqua medicina purgatos, dicere non poterit, quòd omnes postea homines ea ex necessitate purgabuntur.* Et *7. de com. med. sec. gen. cap. 4. Quare*, inquit, *si quis post me æquè studiosus & veritatis amator fuerit, ne temerè, ac fortè, vbi hæc tertiò vsus expertúsve fuerit, ferat sententiam.* Deinde vt sit certa experientia, & vt omnis effectus alicui auxilio adscribatur, ipsum solum vsurpatum fuisse necessarium est. Nam si plura simul in vsum trahantur auxilia, atque aliquis effectus inde subsequatur, cui is tribuendus sit, dubium est. Id quod etiã in sectione saluatellæ locum habet. Nam si alia plura præcesserunt remedia, & postea saluatella quoque aperiatur, atque æger inde meliùs habeat, certè soli saluatellæ apertæ effectus is assignari non potest. Vnde autẽ opinio ista de vena saluatella originem habeat, ex Aretæo colligere licet, qui *lib. 2. de acut. morb. cur. cap. 2.* ita scribit: *Sin à liene sanguis feratur, sinistra manus vena illa, quæ inter minimum annularémque digitum sita est, rescinditur: quandoquidem nonnulli Medicorum, eam ad lienem vsque pertingere arbitrantur.* Verùm opinio ista falsa est, cùm iste ramus è cubiti venis propagetur. Et licèt apud Hippocratem, Galenum, aliósque Medicos plurimis in locis, in lienis affectibus venam in manu sinistra aperiendam esse legatur: tamen manus nomine brachium intelligunt. Consuetum enim est Medicis, vt manus nomine, si id absolutè, & sine additione summæ seu extremæ ponatur, totum brachium intelligatur, vt ex *lib. 3. de admin. anat. cap. 5. & 6.* tum aliis locis videre est. Vnde & Auicennas, *4. prim. doct. 5. cap. 20.* sex manus venas aperiri dixit, & tres inter eas præcipuas supra brachij curuaturam.

Præparantia & concoquentia.

Sanguine euacuato, materia præparanda & concoquenda est. Quibus autem medicamentis hoc fieri debeat, non adeò planum est. Galenus calidis & siccis vtitur, vt medicamento è tribus piperibus, & quod diaspoliticum appellatur. Recentiores plerique longè aliis vtuntur, nimirum humectantibus & calefacientibus, vt borragine, bugloss. Syr. de pomis. Imò Alexander Trallianus, *lib. 12. cap. 8.* Galenum reprehendit, quod sine discrimine talia calefacientia adhibeat. Etsi autem humor melancholicus frigidus sit: non tamen necessariò etiam siccantibus indigere scribit; cùm frigidus & siccus sit: sed potiùs calefacientibus & humectantibus. Nam calefacientia & exsiccantia terrestres magis, & multò quàm prius crassiores, efficiunt humores, dum humiditatem, quæ in iis est, exsugunt absumuntque, vt natura ideò recrementa tardiùs excoquat. Ipse verò distinctione vtitur, & eam quartanam, quæ ab humore melancholico procreatur, calefacientibus & humectantibus curat; eam verò, quæ ex nimia bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus iuuat. Ne ergò in hac parte peccetur, diligenter humoris, qui peccat, natura peruestiganda est. Nam si quartana ex melancholia naturali sola, vel admixta bile atra quoque ortum duxerit, primò ferè saltem humectantia adhibenda sunt; cùm id siccissima huius humoris natura requirat. In actiuis verò qualitatibus leniora omnino in principio adhibenda sunt, neque fortiter vel calefaciendum vel refrigerandum, sed temperata potiùs vel temperatis proxima eligenda. Et in primis si adusti humores abundent, non valde calefaciendum; cùm tales humores potiùs refrigerantia, aut saltem attemperationem desiderent. In morbi verò progressu, vbi humores iam coqui incipiunt, vt faciliùs educi possint, incidentibus & attenuantibus opus est. Vbi autem humor pituitosus admixtus est, etiam ab initio aliquid attenuantium & incidentium admiscendum est. Et omnino in pituitæ admixtione audaciùs calefacere & incidere licet.

Ex quibus patet, quòd licèt siccantia admisceantur, non tamen ea ideò adhibentur, vt siccent, sed quia cum siccitate coniuncta est vis incidendi & abstergendi: ideóque talibus semper humectantia, qualia sunt borrago, buglossum, glycyrrhiza, &c. addimus, & vix à præparantibus humectantia abesse possunt. In refrigeratione autem aliqua obseruanda est differentia, prout materia alicuius vel nullius caliditatis est particeps, & propterea in materia adusta biliosa copiosiùs refrigerantia adhiberi debent.

Medicamenta alterantia in quartana.

Talia sunt: *Borrago, buglossum, viola, melissa, capillus* ♀. *endiuia, cichorium, fumaria, radic. glycyrrhiza, althæa, flores citrii, ceterach, lingua ceruina, chamædrys, chamæpitys, carduus benedictus, radices aperientes, polypody, cortices tamarisci, capparum, radic. centaury maioris, flor. & sem. genistæ, viticis, fraxini, cutri, ocymi, radix gentiana.* Atque hinc parati Syrupi, aquæ, conseruæ, decocta, extracta; & vbi pertinaciores obstructiones sunt, *limatura & tinctura chalybis, ammoniacum extract. splenis bouis, medicamenta è tartaro parata* adiunguntur. Quibus in morbi progressu, ob metum scorbuti, meritò additur *cochlearia, bekabunga, nasturtium*, & alia medicamenta scorbuto conuenientia, vt:

℞. *Syr. borrag. bizantini* ʃ. an. Drach. vi. *Aq. endiuia, borrag.* an. Vnc. i. sem. Misce.

Vel ℞. *Rad. cichor. borrag.* an. ℥. ß. *cortic. tamarisci*, ʒ. i. Coqu. *in iuscuio gallinæ.* Detur haustus, qui aliquoties repetatur.

Aut

Aut vbi calor coniunctus est.

℞. *Aq. cichor. fragor. borrag.* an. Vnc. i. *Syr. endiu. byzantini* ſ. an. ʒ. vi. Miſce.

Repetantur talia per octiduum, vel quandiu opus est.

Possunt & iſta medicamenta formâ Electuariorum exhiberi, vt:

℞. *Conſ. borragin.* Vnc. ii. *cichorij* Vnc. ß. *rad. condit. cichor.* ʒ. vi. *Cort. citri condit.* ℥. ß. *ſpecier. diarrhodi abb. laetific. Galeni.* an. ℈. i. Cum *Syr. borrag. tunicis, vel violarum.* F. Electuarium.

Poſtea interiecto leni purgante ad fortiora accedendum. Nam in morbis talibus diuturnis per vices humores concoquere & euacuare oportet.

Vt ℞. *Rad. polypod. q. aperientium,* an. Vnc. ß. *Cortic. tamariſci, rad. cappar.* an. Drach. ii. *lingua ceruina, chamapit. ceterach. capil.* ♀. *fumaria. flor. borraginis, violar.* an. M. ß. *geniſta* P. ii. *ſem. 4. frig. mai.* an. Drach. i. *Paſſularum* Drach. vi. Coq. in ſ. q. *aq.* Colaturæ clarificatæ ℞. ℔. Adde *Syr. byzantins ſ. de ſcolopendr. de fumaria, de ſucco borraginis,* an. Vnc. i. ß. Miſce. Doſis Vnc. iv. manè diebus intermiſſionis.

Vel ℞. *Rad. aperient.* an. Vnc. ß. *bugloſſ.* Drach. vi. *cichor.* Vnc. ß. *polypod. q.* Drach. vi. *Cortic. tamariſci.* Vnc. ß. *Ceterach. chamadr. chamapit. borrag. fumaria, cardui benedicti.* an. M. i. *cortic. citri,* Vnc. ß. *flor. borrag. bugloſſi, geniſta,* an. M. ß. *epithymi* Vnc. ß. *Paſſul.* ʒ. vi. *glycyrrh.* Vnc. ß. Coqu. in ſ. q. *aq.* Colaturæ clarificatæ Adde *ſacch. alb.* q. ſ. F. Syrupus, cuius Vnc. i. vel Vnc. i. ß. cum aqua vel decocto conueniente propinari poteſt.

Vbi ad ſcorbutum morbus declinare incipit.

℞. *Cortic. tamariſci, radic. cappar. fraxini polypod. q.* an. Vnc. ii. *radic. aperient.* Vnc. i. *chamadryos, chamapityos, ceterach. cardui bened. flor. geniſta, centaurij min. ſambuci, bugloſſ.* an. M. i. *epithymi* Vnc. ſem. Macerentur omnia in *ſeri lactis caprini* ℔. i. *vini albi* ℔. ii. Deinde colentur & exprimantur. Colat. adde *ſucci fumaria, naſturtij aquatici, cochlearia,* an. ℔. ſem. *trochiſc. de cappar. de lacca,* an Drach. vi. Deſtillentur. In deſtillato cremor vel cryſtalli tartari diſſoluantur.

Radices iuglandis. Scheghius ad Quartanam & alias febres longas valde commendat decoctum radicum iuglandis, cum aliis conuenientibus herbis paratum. Eaſdem & alij laudant, & in aceto ſcillitico macerant, decoctáſque cum ſyr. roſ. ſolutiuo exhibent. Habent enim vim attenuandi, abſtergendi & viſcera roborandi.

Commendatur etiam valde, coctione iam appropinquante, Syr. de pomis Regis Sapor.

Laudatur & oxymel helleboratum Geſneri.

℞. *Oxymel. helleborat. Geſneri* Drach. vi. *ſyrupi borraginis* Vnc. ß. *aq. endiuia, borrag.* an. Vnc. i. ß. Miſce.

Vel ℞. *Trochiſc. de cappar.* Drach. i. *de abſinthio* ℈. ii. Cum *ſucco fumaria* vel *endiuia*, aut *extracto* vel *ſucco gentiana*, F. Pilulæ, quæ diuidantur in partes duas, & exhibeantur diebus intermiſſionis.

Commendantur hîc & cryſtalli ac cremor tartari, & tartarum vitriolatum.

Eſt & vtile hoc decoctum.

℞. *Tartari albiſſimi loti,* ℥. iii. *radic. cichorij, polypod. q. cortic. tamariſc. rad. capp.* an ʒ. vi. *ſem. geniſta,* ℥. ß. *cuſcuta, capill.* ♀, *chamadryos, flor. bugloſſ. borrag.* an. M. i. Contundantur groſſo modo: adde mellis ℥. iv. aquæ pluuiæ deſtillatæ, vel ſeri lactis ℔. iii. vel q. ſ. Deſtillentur in vitro per arenam ad medietatem, & colentur. Colat. refrigeratæ & filtratæ adde ſpiritum deſtillatum, & ſi libet, etiam ſalem ex remanentia ſ. artem paratum.

Laudatur à Libauio, *lib. 7. Syntagm. arc. Chymic.* Antimelancholicum hoc.

℞. *Tartari albiſſimi*, Vnc. ß. Coqu. in *aqua chalybeata*, aut *vini per infuſionem chalybis medicati*, ℔. ii. aut circiter, donec ſoluatur. Colaturæ adde *ſpiritus vitrioli* Drach. i. *oxymelit. ſcill.* ℔. ß. *Syr. violar.* Vnc. iii. *vel* iv. Detur cyathos ad præparationem & alterationem, factâ euacuatione.

Raporum decoctum. Iohan. Crato decoctum raporum commendat è conſilio Guaineij, qui ſe Abbatem quendam felicius rapis, quàm aliis medicamentis curaſſe ſcribit. Sic autem Crato decoctum hoc exhibet. Primùm corticem exteriorem detrahi iubet: deinde coquit: iuſ primum abiicit, aliam aquam affundit, & iterum ad mollitiem coquit. Hinc ſuccum exprimit, & butyrum ſ. ſ. cum ſaccharo addit. Si flatulentus ſit æger, addit caryophyllos inciſos. Matutinis horis dat v. nucleos perſicorum mundatos; atque in iſta curatione diebus 15. plerumque perſiſtit.

Materiæ coctio & euacuatio per vices & interualla repetenda eſt, & quidem purgatio die ante paroxyſmum inſtituenda, vt materia paroxyſmum factura tollatur. Omnes autem Medici ſuadent, vt initio leniora purgantia adhibeantur, poſtea fortiora: Ioubertus tamen, *de cur. quartan. intermit. exquiſita*, contrarium ſentit, & in principio Quartanæ valentiora purgantia adhibenda eſſe docet, in augmento & ſtatu mitiora; eâ de cauſâ, quòd cocta iam attenuatáque materia ſuâ ſponte ductum medicamenti purgantis facile ſequatur, imò ſæpe à ſola natura feliciter abſque medicamentorum ope expellatur: Deinde, quòd in principio mitiora ſint ſymptomata, viréſque magis integræ; contrà morbo procedente vires magis debilitentur. Verùm enimuerò cùm Medicus naturæ imitator eſſe debeat, quæ priùs coquit, & poſtea expellit: meritò & Medicus in principio, & vbi adhuc materia parùm cocta eſt, imitari naturam debet, & mitiore ſaltem aliquo medicamento illud, quod coctum eſt, euacuare, non fortiore totam materiam crudam turbare. Poſtea verò, vbi materia iam concocta & motui apta eſt, vt rectè & perfectè euacuetur, Medicus valentioribus medicamentis vti debet. Et licèt per vires in principio purgare liceat: tamen cruditas materiæ id prohibet. In morbi progreſſu verò quamvis vires debiliores ſint: tamen purgatio ipſis parum incommodi affert; cùm debito modo ſubtractâ materiâ febris remittat, atque ipſa purgatio die quietis inſtituatur.

Leniora igitur ſunt, ſyrupus de pomis Regis Sapor, de epithymo, de foliis ſenæ, de fumaria compoſitus.

Vt ℞. *Rad. polypod. q.* Vnc. i. ß. *ceterach.* M. ß. *flor. borrag. bugloſſ.* an. P. i. *epithy. paſſul.* an. ℥. ß. *fol. ſena.* ʒ. vi. *cortic. citri.* ʒ. i. Infund. in ſ. q. *aq.* Colat. ℞. Vnc. iv. Adde, *Syr. de pomis Regis Sapor*, vel *de epithymo* Vnc. ß. *tartari vitriolati* g. v. Miſce.

Vel ℞. *Caſſia rec. extr.* Drach. vi. *pulu. ſena prapar.* Drach. ß. *cremor. tartari* ℈. ß. Cum *ſacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Pulu. ſena prapar.* Drach. i. *viol. purpur.* ℈. i. *zingiber. glycyrrh.* an. Scr. ß. F. Puluis. Detur cum iure carnis, vel alio conuenienti liquore.

Vbi fortioribus locus eſt, vtilis eſt Syrupus de pomis cum helleboro nigro Iohan. Cratonis, & oxymel helleboratum Geſneri.

℞. *Succi pomor. dulc.* ℔. i. ß. *borrag. meliſſa,* an. ℔. ß. *flor. borrag. violar.* an. P. i. *fol. ſena, epithymi, cortic. hellebori nigri praparat.* an. Vnc. ß. Coqu. lento igne: Cum *ſacch.* F. Syrupus. In quo ſuſpendatur nodulus ex *cinnamom. caryophyll. croci, ſpecier. aromat. roſati, diamoſchi dulc.* an. ℈. ß. Huius ℥. ii. vel iii. Addatur *manna elect.* ℥. ß. vel ℥. i. ac parum *iuſculi gallina*: & propinetur 3. horis ante prandium.

Vel ℞. *Succi pom. dulc.* ℔. ß. Infund. *fol. ſena el.* ʒ. ix. *cortic. helleb. nigr. prapar.* ʒ. vi. *ſem. ocymi contuſi* ʒ. ii. Colat. adde *ſacch.* q. ſ. F. Syrupus. Cuius cochl. i. atque alterum pluribus diebus aſſumatur.

Vel ℞. *Rad. borrag.* ʒ. vi. *polypod. q.* ℥. i. *glycyrrh. raſa* ℥. ß. *cort. rad. capparum, tamariſci,* an. Drach. ii. *fumaria, ceterach, lingua ceruina, cuſcuta, cichorij,* an. M. ß. *ſem. fœnic.* Drach. i. *citri* Drach. ß. *4. frig. mai.* Drach. ß. *fol. ſena el.* ℥. ii. *rad. helleb. nigri prapar.* ʒ. i. ß. *epithymi* ℥. ß. *zingiber.* ʒ. i. *cortic. citri* ʒ. ii. *flor. borrag. bugloſſ. geniſta,* an. M. ß. Stent in infuſione per noctem: poſtea lento igne coquantur. Colat. ℞. ℔. i. quæ aromatizetur *cinnam.* ʒ. i. ß. Eius ℞. ℥. iii. Adde *Syr. de pomis, de ſucco borrag. de fumaria,* an. ʒ. iii. F. Hauſtus.

In robuſtioribus naturis, confect. Hamech, & diaſena, reliquis purgantibus addi poteſt: Conceduntur & pilulæ de lap. lazuli.

Vel ℞. *Extr. helleb. nigri* ʒ. ß. *ſyr. de pomis Regis Sapor* ℥. ß. *aq. borrag.* ℥. i. ß. Miſce.

Vel ℞. *Pil. aggregat.* ℈. i. *vel* ℈. ß. pro virium robore. *Extr. panchymagog. hellebor. nigri,* an. ℈. ß. F. Pilulæ xviii.

Syrupum P. Andr. Matthioli, in quo ferè omnia medicamenta huic morbo conuenientia coaceruata ſunt. Vide *l. 3. Epiſt.*

Efficaciſſimæ ſunt in melancholicis affectibus & pilulæ, quas Quercetanus tartareas melanagogas appellat, & *cap. 14. Pharmacop. reſtit.* deſcribit.

Sunt & vtiles pilulæ illæ de ammoniaco.

℞. *Aloes* ℥. ii. *gummi ammoniac. aceto diſſoluti, myrrha,* an. ʒ. ii. *maſtiches, ſpec. diatrionſantal.* an. ℈. ii. *croci* ℈. i. *trochiſc. de cappar.* ℈. ii. *ſalis fraxini, abſinthij,* an. ℈. i. Cum *ſucco roſarum.* F. maſſa pilularum. Platerus has commendat.

℞. *Aloes* ʒ. ii. *myrrha* ʒ. ß. *opithy.* ʒ. ii. *rad. gentiana, aſari,* an. ʒ. ß. *gummi ammoniaci aceto diſſol.* ℈. ii. *ſem. petroſel.* ʒ. ß. *rhabarb. el.* ʒ. i. ß. *ſpica* ℈. i. cum *ſucco abſinthij.* F. maſſa, de qua exhibeantur ℈. ii. vel plus, ſi opus.

Verùm hæc in genere ſatis deſcribi non poſſunt, ſed pro præſenti ægri ſtatu, & humorum qui abundant, ratione, medicamenta neceſſaria præſcribenda.

Et quia morbus hic diuturnus eſt & pertinax, & continuo medicamentorum vſu vires debilitantur, vtile eſt nonnunquam aliquandiu quieſcere, & naturæ negotium committere, & poſtea rurſum ad præparantia & purgantia accedere.

Vtilis & in his febribus eſt vomitus, qui, vt ſuprà dictum eſt, nunc poſt cibum ſumtum, ad cauſam antecedentem tollendam, nunc ante paroxyſmum ad materiam paroxyſmum facturam tolleudam, inſtituendus eſt. Scribitque Hercul. Saxonia, ſe nihil præſtantius inueniſſe io Quartanâ, quàm ipſam vomitionem, atque illam ſe non prætermiſiſſe in principio, aduentantéque ſtatu repetiiſſe, ac præbuiſſe decoctum radicum raphani cum oxymelit. ſ. & ſcillitico, & ſingulis acceſſionibus vel ſaltem alternis excitaſſe vomitum à cibo, & poſtea præbuiſſe ʒ. i. theriacæ. Quod ad imitationem Galeni feciſſe videtur, qui, *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 15.* die ante paroxyſmum à cœna vomitorium exhibet, poſtridiè manè ſuccum ſeu dilutum abſinthij, & duabus horis ante paroxyſmum theriacam.

Vomitoria. Vomitoriorum autem materia ſuprà fuit enumerata. Si mitiora placent, poterit propinari decoctum ſem. raphani & anethi, ℥. v. pondere, cum oxymelitis ℥. i. Fortiora fiunt ex aſaro & gratiola. Antiqui Helleborum album propinabant: ſed nimis forte eſt medicamentum. Tutiùs licet vti vitro ♁. g. iiii. vel

plurium pondere, in vino infusi, vel croco metallorum appellato, vel floribus ♂, vel floribus è vitro ♂, paratis: quibus remediis non rarò, pertinaces quartanæ tolluntur.

Post vomitum ventriculum roborantia exhibenda.

Hæmorrhoidum apertio.

Plurimum verò commodi ex hæmorrhoidibus apertis sperandum est. Nam cùm Medicus Naturam imitari debeat: natura verò in iis, qui succum melancholicum accumulare consueuerunt, hæmorrhoides aperire soleat, fluxúsque harum venarum à multis morbis ex humore melancholico & adusto ortis præseruet & liberet: Medicus naturam imitari, & operam dare debet, vt hæmorrhoides aperiantur; quod fit cum aliis modis, tum per hirudines. Commodissimè verò in hunc finem vsurpantur, quæ lienem aperiunt, quæ antea sunt proposita: inter quæ principem facilè locum hîc obtinent chalybs & aloë.

De medicamentis vrinam cientibus in specie, aliquid addere opus non est. Præparantia enim & aperientia illa fortiora, quæ antea proposita sunt, idem præstare apta nata sunt.

Discutientia reliquias & sudorifera.

Tandem post institutas purgationes per aluum & vomitum, calida quædam medicamenta exhiberi solent, quæ reliquias humorum dissipant, calore & partium tenuitate augmentum frigoris prohibent, humorémque febris causam, iam efferuescere incipientem, discutiunt & consumunt, atque hoc modo paroxysmum vel imminuunt, vel, si materia paucior sit, prorsus tollunt. Vnde horâ vnâ atque alterâ ante paroxysmum talia exhibentur. Eadem intemperiem longo morbo contractam corrigunt, habitum corporis malum emendant, & ventriculum ac omnia viscera diuturnitate morbi debilitata roborant. Galeno duo in primis sunt in vsu, medicamentum ex succo Cyrenaico, & theriaca. Medicamentū ex succo Cyrenaico descripsit Aëtius, *tetrab. 2. l. 8. c. 84.* ℞. nimirum *Succi cyrenaici, piperis, myrrha Troglodytica, fol. ruta virid.* an. p. æq. *Singula seorsim leuissimè teguntur, & rutâ cum mella tritâ excipiuntur, fiúntque pilulæ*, de quibus aliis obulus vnus, aliis duo exhibentur.

Succus Cyrenaicus.

Cum autem dubitent, An succus Cyrenaicus sit benzoë seu asa dulcis appellata hodie, aut quid omnino medicamenti apud Antiquos fuerit: tutiùs Theriaca, vel (quod aliis, qui theriacam magis venenis appropriatam putant, magis arridet) mithridatium ʒ. vnius pondere cum vino albo, tribus vel pluribus horis ante paroxysmum, semel in septimana, exhibetur.

Est etiam efficax & longo vsu iam probata radix gentianæ. Nonnulli tribus horis ante paroxysmum, exhibent castorei & myrrhæ, an. ʒ. ß. cum vini albi aquâ borrag. dilut. ℥. iii. & quartanas hoc modo plurimas fuisse sanatas scribunt, si tribus vel quinque vicibus assumatur.

Vel ℞. *Myrrha, castorei, opopanac. gentiana, absinthij*, an. Scr. i. cum *mithridatio & succo gentian.* F. Pilulæ aaviii. de quibus per horas 2. ante paroxysmum æger septem deglutiat.

Gesnerus ad Quartanas laudat Antidotum Saxonicam. Aliqui commendant decoctum clinopodij Matthioli ex vino: alij septem semina calendulæ in vino albo propinant. Vtilis est omnino, vt dictum, in his febribus succus, aqua & extractum gentianæ. Carduus quoque benedictus, quocunque modo exhibitus, seu in decocto, seu puluere, seu extracto, seu sale, seu syrupo, seu aqua, in Quartana & aliis febribus longis maximè prodest; sicut & absinthium.

Sudorifera.

Huc pertinent & sudorifera. Quanquam enim nonnulli in Quartana, quàm melancholia sit humor crassior, quam vt in vapores resolui queat, sudorifera exhibenda nō censent: tamē quia melācholici sero abundant, & Quartanarij in declinatione ferè sudore tantum non diffluunt: Natura omnino in hoc motu imitanda, & sudorifera etiā exhibenda, qualia sunt plurima ex iam propositis, theriaca, mithridatium, carduus benedictus, antidotus Saxonica, sal & extractum cardui benedicti, absinthium, puluis, & extractum gentianæ, & eius generis plurima passim nota. Inter ea laudatur & hoc.

℞. *Mithridatij* ℈. iiii. *succi plantag. depurati* ℥. ii. M. Detur ante accessionem.

Asarum.

Imprimis verò commendatur asarum, si folia cum radice in puluerem redigantur, & pulueris huius ℈. iiii. cum aliquot granis piperis horâ vnâ ante paroxysmum cum vino generoso exhibeantur, ægérque in lecto stragulis coopertus vomitum & sudorem expectet; Quin & finito paroxysmo plerumque aluus deiicitur. Idque bis vel ter repetatur. Proposuit hoc medicamētum Pedemontanus, *in lib. 1. secretorum*, his verbis: *Sume vini Cretici poculum vnum, & asari puluerisati* ʒ. ii. *Misce, bibe calidè & in lectum ingreditor, pannisque te inuoluito, vt optimè sudare possis. Cùm autem sudaueris, sumito saluia, ruta, bursa pastoris, an. P. i. aceti albi parum, omnia optimè contusa suprà brachij pulsūs ligentur, & cùm sic per diem integrum relicta fuerint, remoueantur, ac tertiò iterentur, præsertim febris accessione instante. Quibus factis fieri non potest, quin gratiâ Dei liberetur æger perfectè. Quidā enim cum semel tantum hoc fecissent, fuerunt restituti, quidam cùm secundo remedia administrarent, omnino liberati.*

Hæc tamen omnia, vt dixi, cum cautione adhibenda, scilicet post statum, & coctione peractâ, ac humore satis euacuato, vt id, quod reliquum est, attenuetur & discutiatur. Nam si humore adhuc crudo, crasso & copioso existente talia medicamenta exhibeantur, liquabunt quidem & mouebunt humores, sed cùm eos planè discutere non possint; ex simplici duplicem aut triplicem Quartanam efficient.

Appropriata Quartana.

Huc pertinent pleraque etiam, quæ à proprietate prodesse dicuntur; cùm tamen plerorumque ratio non incommodè reddi possit ex eo, quòd reliquias humorum discutiant, attenuent, & viscera roborent. Sic succus absinthij cum aceto commendatur, & satis efficax deprehenditur; succus item verbenæ cum vino. Nonnulli propinant radic. Imperatoriæ ʒ. i. cum vino horâ vnâ ante paroxysmum. Alij laudant plantaginis radic. quatuor, vel pentaphylli folia 4. cum vino sumta. Verbenæ item supinæ quartum à terra geniculum cum adiacentibus foliis; quod tamen superstitiosum videtur. Laudatur & hoc.

℞. *Succi absinthij recentis*, ʒ. i. *theriaca* ʒ. i. *vini albi potent.* ℥. i. Misce, & da ægro tribus horis ante inuasionem, quod ter vel quater repete.

Chymici hîc commendant salem Ammoniacum sublimatum, à gr. iii. ad ix. cum cereuisia calida exhibitum. Ægyptij, vt refert Alpinus *de Medicina Ægypt. l. 4. c. 15.* ante accessionem exhibent drachmam pilularum, quas parant ex *agarici gentiana, castorei, myrrha, ruta*, an. ʒ. ii. *piperis longi, calami aromatici, croci*, an. ℈. iiii. *theriaca antiqua* ʒ. iii. cum *syr. de granatis dulcibus.* Alij ex his exhibent drachmam agarici cum myrrhæ scrupulo dissolutā in decocto pulegij. Crollij specificum è cochlearum testis etiā mulierculis nostris diu notum fuit. Sed an id, quod ei adscribitur, præstet, cuilibet experiri facile est. Nonnulli cōmendant haustū aquæ rosarum ante paroxysmū? Verùm monet & annotauit Forestus, *l. 3. obs. 32. & 35.* quòd nisi vomitu reiiciatur, insignem dolorem & angustiam circa præcordia excitare soleat. Commendatur & nunquam singulare secretum & experimentum, *in Epist. à Laur. Scholtzio collectis, epist. 245.* & ab aliis, cor leporis. Verùm non semper prodesse, experientia ipsa me & alios docuit.

Cor leporis.

Sunt qui & opiata ac narcotica ante paroxysmum exhibent. Sed nisi eadem & aliâ facultate prædita sint non tutò exhibentur. Etenim cùm facultatem expultricem sopiant saltem & obtundant, instantem paroxysmum, & materiæ ac naturæ motum quidem inhibere possunt, sed non sine periculo ac ægri damno; cùm humores vitiosi in corpore retineantur, atque obstructiones pertinaces, atque alios periculosos morbos generent.

An paroxysmum impedire liceat.

Interim semper etiam prospiciendum visceribus, & danda opera, vt illa roborentur. Ac propterea ea exhibenda, quæ coctionem iuuant, humorémque melācholicum alterant. In principio conueniunt rotulæ diarrhodi abb. aromatici rosati, diamargariti, Conserua borrag. bugloss. anthos; postea confectio diaxyloaloës, lætificans Galeni, alkermes; tandem diatrionpipereon, diaspoliticum, diagalanga, theriaca, mithridatium. Commendantur & trochisci de capparibus, de absinthio, de rhabarbaro, quorum antea facta est mentio.

Et cùm non rarò scorbutus quartanis, vt & tertianis diuturnis commisceatur, etiam diuturnæ hæ febres felicissimè medicamentis scorbuto dicatis curantur, de quibus suo loco dictum.

Scorbuti curatio.

Ad Symptomata, & in primis rigorem & horrorem, qui sæpe magnus est, & ægrum valde molestat, mithridatij vel theriacæ, aut similium, quæ modò recensuimus, aliquid ante paroxysmum exhibetur.

Rigorem mitigantia.

Extrà verò spina dorsi inungenda oleo chamæmelino, anethino, costino, rutaceo, irino, de piperibus, laurino cum theriac. mithridatio. Vt:

℞. *Theriac.* Vnc. ß. *caryophil.* ʒ. i. *castorei* Scr. i. *ol. laurini, chamamel.* an. Vnc. i. F. linimentum.

Addi etiam potest aliquid spiritûs vini rectificati.

Vel ℞. *Nitrum dissolu. in olea chamamel. anethino, amygdalar. amar. castorei.* Inungatur eo spina dorsi.

Cætera Topica quod attinet, applicanda ea sunt illis partibus quæ febrem præcipuè fouent.

Commendatur tale emplastrum.

℞. *Absinthij puluerisati, picis pinguedinis porci*, an. ℔. i. Pix & pinguedo dissoluantur super prunis, & admisceatur absinthium, vt inde emplastrum fiat. Quod illitum linteo imponatur stomacho & toti abdomini, & ante dies quinque non amoueatur.

Emplastrum ad abdomen.

In primis verò lienis habeatur ratio, cui idonea fomenta, inunctiones & emplastra, ex radicibus althææ, cortic. radic. cappar. tamarisci, flor. & sem. genistæ, semine agni casti, lini, summit. anethi, flor. chamæmel. meliloti, ol. de cappar. lilior. albor. amygdal. amarar, ammoniaco, bdellio, emplastro de meliloto & similibus, applicentur.

Topica ad lienem.

Vtilis est valde in hoc genere Genista.

℞. *Flor. genista* q. v. Immergantur in *ol. chamamel.* vel *de cappar.* s. q. & stent in sole loco calido per dies aliquot: postea calefiant super igne, & colentur, atque addita *cera* s. q. F. vnguentū.

Si efficacius habere cupis, oleo, post primam infusionem colato; noui flores immergantur, atque iterum aliquandiu macerentur & colentur.

Vel ℞. *Flor. genista*, q. s. & coq. ad mollitiem, misceantúrque cum *vnguento dialthaa.*

Licet etiam addere ammoniacum aceto dissolutum.

Tandem & ea medicamenta, quæ suprà in curatione tertianæ, carpi, & pulsuum loco applicari diximus, hîc non sine commodo nonnunquam applicantur. Et memini ipse ante biennium hîc ciuem, cum toto autumno & hyeme quartana laborasset, tandémque acutissimos in sinistra scapula dolores perciperet, mulieris cuiusdam persuasu, ranunculum carpo applicasse, & pustulâ excitatâ, à febre & dolore liberatum fuisse. Cæteris quoque membris, si opus sit prospiciendum.

Duæ de Quartana obseruationes.
Febris quartana sextuplex.
Quomodo fiat.

¶ [Anno 1620. in Autumno, inuasit iuuenem habitu melancholicum quartana, quæ totum annum durauit, & tandem sextuplex facta est in Autumno, anni 1621. vt singulis diebus bis ferè laboraret, manè hora nona vsque post meridiem, & vesperi hora octaua. Quæ autem tot paroxysmorum vnius febris caussæ sint, è generali doctrina duplici & triplici & quartana, superiùs tradita, patet. Si enim materia febrium intermittentium caussa, quam in primis viis generari, atque initium etiam putredinis ibi concipere, suprà *cap.* 17. docuimus vno in loco hæreat, atque ita vnus febris fomes sit, vel focus, è quo materia prodit, simplex tertiana vel quartana excitatur. Si verò pluribus in locis materia contineatur, & putrescat, totidem etiam tertianæ & quartanæ oriri possunt, quot illa loca sunt. Vnde accidere potest, vt non solùm tertiana singulis diebus inuadat, verùm etiam vno die semel, altero bis, imò vtroque bis, atque ita quadruplex fiat, & quartana non solùm duobus diebus affligat, vno intermittente, quæ duplex quartana est, sed etiam singulis diebus semel inuadat, quæ triplex quartana est, imò singulis diebus bis, quæ sextuplex est quartana, qualis in nostro ægro fuit. Nimirum quot fomites vel foci sunt, in quibus materia, febris intermittentis caussa, generatur, & putrescit, & vbi putrescere incipit, paroxysmum excitat, tot febres fiunt.

Quartana ex scabie intrò recurrente.

Eodem anno 1621. iuuenis quindecim annorum, scabie fœdâ, sed in manibus tantùm, laborabat. Hunc quotiescunque scabies cessabat, febris quartana corripiebat. Vbi rursum scabies fumariâ, helenio, pimpinella, & similibus vsurpatis erumpebat, quartana euanescebat. Caussa huius rei etiam ex iis, quæ de loco materiæ febrem excitantis in intermittentibus, suprà *cap.* 17. dicta sunt patet.

Ratio rei.

Etsi enim locus, qui caussam febribus primò suppeditat, quem focum & fomitem febris appellant, in venis mesaraicis fit, & circa viscera ventris inferioris: tamen à natura ex eo loco materia non solùm in venam cauam, sed & porrò in externas corporis partes detruditur, & si natura tam potens sit, vt eam planè ex fomite expellere possit, febris cessat. Vnde si pustulæ & vlcuscula circa os & labra oriuntur, febris tertiana cessat. Quartanæ sæpe scabie terminantur; quod & in iuuene isto accidit, in quo vbi natura præcipuè medicamentis adiuta, materiam febris caussam, ad manus protrudit, febris cessauit; vbi verò natura tam potens non fuit, vt materiam è fomite illo, & ad consueta loca expellere potuerit, febris rediit.]

Diæta.

Diæta.

Diætam in hac febre quod attinet, cibi sint boni succi, coctu faciles, & qui minimum humoris melancholici generent; imò melancholiæ generationi aduersentur. Aliàs victus sit humectans: qui tamen simul vim attenuandi habeat, & obstructionibus resistat. Vt enim medicamenta calida & humida solùm exhibita non possunt superare crassitiem humoris: ita & victui extenuandi vis necessaria est. Vbi humor adustus admiscetur, cibus magis inclinet ad refrigerandum & humectandum: ita tamen vt vi crassa attenuandi non destituatur.

Cibi.

Conueniunt ergò oua sorbilia, pulli gallinacei & gallinæ, caro hœdina, vitulina, perdices, pisces saxatiles, lucius, amygdalæ dulces, vuæ passæ, poma dulcia, pruna, ptisana hordeacea, rapum item diligenter coctum. Cibi condiantur borragine, buglosso, radice fœniculi, petroselini, capparibus, cinnamomo, croco. Acetum etsi vim incidendi & attenuandi habeat: tamen, quia atram bilem & melancholiam fermentare solet, nõ cõuenit.

Abstinendum verò à cibis, qui crassum & viscidum succum generant, quales sunt carnes porcinæ, bubula, pisces plerique, caro fumo indurata, legumina, panis furfuraceus & crassus, ac similia.

Auicennas monet, vt primis tribus aut quatuor paroxysmis victu tenuiore æger vtatur, cùm in principio morbi materia copiosior sit & crassior. Deinde, secundùm præceptum Hippocratis, victus paulò crassior, ob statum remotiorem, concedatur, & hinc versùs statum tenuior præbeatur. Distinctione tamen hac in re opus. Nam considerandum, an quartana ex se inceperit, an verò febrem vel alium morbum insecuta sit. Etenim si per se sine morbo præcedente inceperit Quartana, hæc victus ratio conuenit. Si verò quartana post alium morbum prouenerit, simpliciter secundùm Hippocratis præceptum, primò victus crassior exhibendus, atque sensim versùs statum de eo aliquid detrahendum. Non enim consultum est, vt vires præcedente morbo debilitatas tenuiore diætâ ab initio institutâ magis debilitemus. Si æger id ferre possit, commodissimum est, vt die paroxysmi nihil cibi sumat: qui tamen inediæ assueti non sunt, & ieiunium facilè non ferunt, iis aliquid cibi liquidi & facilis coctionis post paroxysmum exhibendum.

An cibi insalubres ægro concedendi.

Cùm verò ægri in morbo tam longo exactæ diætæ pertæsi, interdum cibos quosdam, non satis aliàs commodos, auidè expetant, & vulgò feratur, vsum ciborum, etsi paruæ substantiæ, sed auidè expetitorum, à quartana nonnullos liberasse: Quæritur, An à Medico tales cibi ægris concedendi sint. Sciendum verò etsi per accidens fieri possit, vt talium ciborum esu, ægri à febre liberentur, quia scil. natura, quæ auidè appetit, faciliùs concoquit, & ex cibis rectè concoctis pauciora excrementa generantur, vel quia cibus, qui appetitur & copiosè sumitur, melancholiæ est contrarius, & minimum melancholici succi generat, vel quia cibo copiosiùs sumto onerata natura per vomitum, ad quem copiâ cibi incitatur: vnà caussam morbificam excludit: tamen cum eundem effectum nemo sibi certò polliceri possit, & accidere queat, vt natura grauata cibum illum nõ benè concoquat, indéque plus excrementi generetur, morbúsque augeatur: non facilè tale aliquid ægro indulgendum est.

Tempus cibi exhibendi.

Tempus cibi exhibendi id obseruandum, quod in genere omnibus intermittentibus Hippocrates, 1. *aph.* 11. præscribit: *In ipsis exacerbationibus cibum adimere oportet. nam præbere noxium. Et cum per circuitum redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.* Et *ibid. aph.* 19. *Quibus per statos circuitus accessiones fiunt, nihil dare, nec cogere, sed demere ante iudicationes oportet.* Etenim *Perpetuum est*, vt Celsus, *l.* 3 *c.* 5. habet, *cibum, quàm maximè semper ab accessione futura reducere, & hoc saluo, dare quàm integerrimo corpori.* Ideoque danda opera, vt paroxysmus ingruens, imò motus & efferuescentia humorum, quæ ante sensibilem paroxysmum sæpe satis diu antecedere solet, vacuum ventriculum inueniat. Nam qui cibi tunc dantur, non corpori, sed febri alimentum sunt. Multæque & tertianæ & quartanæ prolongantur, non suâ naturâ, sed diætæ erroribus, atque isto in primis, quòd ægri instante paroxysmo, cibo non abstinent.

Potus.

Potus sit vinum album, tenue, maturum, non austerum; aut ceruisia probè defecata, quæ ventriculum non inflet, nec terrestribus fecibus aut crassitie obstruat. Condiatur eadem, vt & vinum, melissâ, linguâ ceruinâ, veronicâ, rosmarino, atque in primis absinthio.

Atque hæc de curatione quartanæ febris sufficiant. Licèt enim pleraque intermittentem exquisitam respiciant: tamen eadem facilè quoque nothis accommodari possunt. Vbi bilis admixta est, aut febris ab adusto humore prouenit, borrago, buglossum, endiuia, fumaria, capillus ♀, epithymum, serum lactis caprini conuenit. In purgantibus rhabarbarum additur. In quartana, quæ pituitam admixtam habet, calefaciendum, vt in aliis quartanis, sed minùs humectandum. Conueniunt nimirum radices aperientes, syrup. byzantinos, de duabus radicibus, de 5. radicibus, de corticibus citri, &c.

Quantum tandem ad Quintanas, Sextanas, Septimanas febres, & alias, quæ periodos, quàm quartana, longiores habent; cùm omnes seu ab humore melancholico, seu certè qui in humorem atrum & adustum iam degenerat, aut humorem atrum admixtum habet, proueniant, non aliter, quàm quartanæ curantur, & propterea de iis in specie nihil addimus. Hoc enim semper obseruandum, in curatione febrium plus semper ad naturam humoris peccantis, quàm ad periodum respiciendum esse, & ad humorem ex suis signis cognitum, curationem dirigendam.

CAPVT XXI.

De Febribus compositis, & Semitertiana.

Febres compositæ.

Atque hæ sunt febrium simplicium differentiæ, præter quas compositæ quædam reperiuntur. Nihil hoc loco dicemus de complicatione febrium cum aliis morbis, vbi scilicet febri alius morbus non febrilis coniungitur; quòd fit, cùm vel febris alij morbo succedit, vel cùm febris alium morbum quasi comitem sibi adsciscit; vt cum febris pleuritidi coniungitur, vel cùm febri nouus aliquis morbus succedit, vt cùm febri hydrops coniungitur: sed solùm de ea compositione, cùm febris cum febre connectitur, quod fit variis modis. Nam febres aliæ appellantur ab Authoribus confusæ, aliæ implicitæ.

Compositionis febrium modi.
Febres confusæ.

Confusæ sunt, quando duæ febres eodem tempore incipiunt, & desinunt, vt vix discerni possint. Ortum habent eæ febres ex humoribus diuersis inter se confusis, ita tamen, vt licèt eodem loco contineantur, simúlque putrescant, quilibet propriam naturam seruet. Vnde etiam hæ febres omnia symptomata & signa confusa habent, vt neque caloris modo, neque aliis symptomatis discerni possint. Verùm non sine causa dubitatur, an dentur tales febres, cùm vix credibile sit, humores diuersos confusos in eodem loco putrescere posse, vt vterque suam naturam retineat. Fernelius *l. de febr. c.* 2. ad confusas febres etiã nothas refert, v.g. tertiam notham, quæ ex bile & pituita pariter corruptis fiat. Verùm febres nothæ non sunt compositæ. Nam licèt notha febris ex duobus humoribus eodem tempore & loco putrescentibus oriri possit: ita tamen illi duo humores sunt mixti, vt vnum mixtum constituant, & vnâ formâ contineantur: vnde etiam cùm mixtus ille & ex duobus aggregatus humor putrescit, simplex febris est, mixtam tamen ac mediam naturam quasi referens. Si autem humores duo ita in eodẽ loco coniungantur & putrescant, vt cõfusi potiùs, quàm verè mixti sint, & vterque suam naturam, vt vulgò docetur, obtineat, febris cõfusa oritur.

Febres implicitæ.

Implicitæ autẽ febres sunt, quæ ita coniunguntur & concurrunt, vt vtriusque natura seorsim, & vtriusque symptomata ac signa peculiariter animaduerti possint. Complicatio autẽ illa fit pluribus modis. Nã primò putrida cum non putrida coniungitur, vt dum hectica putridæ cõplicatur. Deinde putrida cũ putrida, & id quidem rursùm pluribus modis. Nã continua continuæ misceri potest. Fernelius quidem, *de febr. c.* 15. hoc negat, & cõtinuam cum continua saltẽ confundi, non autẽ complicari posse docet, & absurdum esse existimat, quod Auicennas scribit, vnius continuæ putredinem ex vno loco alterius ex altero effundi, cùm tertia in vtrâque humores putrescant in venis maioribus,

potiùs adest, quàm horror, calor feruidior erit, magisque ad ἀκμὴν festinabit, sitis & vigiliæ erunt maiores, aliquid etiam per vomitum vel sudores euacuabitur. Si autem pituita prædominabitur, frigus potiùs aderit, quam horror. Pulsus sunt quodammodo coarctati, & tardi, febris tardiùs inualescit, neque inde quicquam notatu dignum excernitur.

Semitertiana & tertiana notha discrimen.

Etsi verò etiam in tertiana nota bilis & pituita simul putrescit: tamen inter eas est differentia. In tertiana notha ex vtroque humore vna humoris forma emergit, & in vno loco ille humor mixtus putrescit: in semitertiana verò vterque humor seorsim putrescit. Itaque vt hæc summatim complectamur, est ex vulgata sententia, semitertiana febris, ex continua quotidiana & tertiana intermittente composita; qua de causa nunquam ad ἀπυρεξίαν peruenit: tertio tamen quolibet die cum horrore inuadit. Rigor enim in horrorem degenerat, quòd flaua bilis à pituita remittitur.

Deinde etsi hæc ita vulgò doceantur: tamen quia non solùm antiqui & Recentiores de febris huius natura non planè conueniunt: verùm etiam mixtura illa febris tertianæ & quotidianæ, bilisque ac pituitæ, non semper locum habere videtur, multóque grauiora in hac febre adsunt symptomata, maiúsque periculum, quam quod solùm ex pituitæ & bilis mixtione prouenire possit: ego quæ mea hac de re sit sententia, liberè proponam, suum cuilibet tamen liberum iudicium relinquo. Equidem non negauerim, febres tales ex continuis & intermittentibus complicatas dari posse, libentérque concedo cum Plateto, simul & eodem tempore in venis mesaraicis & vena caua humores putrescere posse, ac quidem vario modo, ex diuersitate materiæ, vel tertianas vel quartanas simplices aut duplices, nothas aut legitimas cum continua complicari, febrésque, quæ varias exacerbationes & mutationes in symptomatibus habeant, excitari posse. Modò hoc obseruetur, non necessarium esse, vt vna harum febrium semper sit Quotidiana. Sunt enim Quotidianæ febres raræ omnino & semper longæ: cùm semitertianæ sæpe sint satis frequentes. imò interdum epidemiæ, & non semper diuturnæ. Ideò sufficit, vt vna sit intermittens, altera continua, cuiuscunque etiam generis: quo modo illæ de variis differentiis & gradibus controuersiæ tolluntur. Verùm his omnibus concessis, sum in ea sententia, etiam febres naturâ suâ intermittentes, tertianas præcipuè, seu simplices, seu duplices, seu triplices, vel etiam, si cui ita libet, quotidianas, Semitertianas dici posse. Eas scilicet, in quibus causæ morbificæ pars aliqua ad ventriculum, intestina, ac vicina loca detrusa, inflammationem, atque inde febrem symptomaticam excitat, vt ita hæc febris ratione intermittentis febris sit horrida, ratione symptomaticæ continua. Vt enim natura in continuis febribus interdum partem materiæ ad partes aliquas priuatas, pleuram, pulmonem, fauces deponit: ita non est impossibile, eandem etiam in intermittentibus partem materiæ cum sanguine, ad intestina & ventriculum ac vicina loca depellere, quæ ibi hærens inflammationem excitet; vnde etiam hæ febres tam periculosæ sunt.

Atque ita rem se habere, obseruationes aliquæ ex Adriano Spigelio, *de Semitertiana* docent. Is enim, *lib.* 1. *de semitertiana*, *cap.* 15. refert, quendam ex graui dysenteria in semitertianam spuriam incidisse, quæ postea febris intermittens facta fuerit. Ægro sexagesimo die mortuo, & corpore aperto, inuenta est interna ventriculi tunica, leui erysipelate inflammatorio affecta. Venæ mesaraicæ & quæ ad ventriculum tendebant, atque omentum, crasso nigróque sanguine refertæ erant; imò omentum semiputrefactum ab inflammatione erysipelatode, quæ in omnibus venæ portæ ramis minoribus inerat.

Idem *cap.* 16. *eiusdem libri*, scribit: Se plures, qui febre quotidie sese exacerbante, præcipuè circa vesperam, aut statim post meridiem, in modum duplicis tertianæ continuæ, vel semitertianæ, perierunt, secuisse, & in his putredinem non in vena caua, sed inflammata alicuius primæ regionis viscere, vel alia aliqua recondita parte inflammationem paulò minorem, quàm vt dolore ab ægro, vel tactu hypochondriorum à Medico & ægroto cognosceretur, deprehendisse. Idem *cap.* 14. scribit: In dissectis semitertianâ mortuorum cadaueribus se reperisse inflammationes, ea sanguine bilioso & pituitoso factas circa iecoris cauam partem, in ventriculo, intestinis tam crassis, quàm tenuibus, mesenterio, omento, liene, & sæpius in vna partium commemoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis causa erant, superueniente gangrænâ vel sphacelo. Additque in plurimis dolores in ventre immanes, vel continuos, qui certis horis plerumque exacerbabantur, vel intermittentes eos aliquando affligebant, ortus fuisse, ex facto abscessu; sanie ac pure, aut bile saniosa & concocta per secessum vel vomitum reddita.

Persuadet istud & hoc, quòd febres hæ sint frequentiores, quando dysenteriæ contagiosæ grassantur, idem Adrianus Spigelius, *lib.* 2. *de Semitert. cap.* 10. Materiæ enim ad intestina impetus est in vtroque malo. Idémque, *eodem libro, cap.* 11. scribit: Rarissimè Semitertianâ laborare, qui firmis sunt visceribus, sed eos qui destillationibus laborant, iecur habent obstructum aut lienem, aut mesenterium, pulmones malè affectos, per longa interualla colicis doloribus infestantur. Additque se nullius eorum, qui à semitertiana perierant, cadauer inspexisse, in quo pulmones & iecur non malè haberent, vel vnà cum his caput, lien, renes, mesenterium, intestina magna ex parte inflammata, & in aliqua parte gangrænâ correpta erant, præsertim quo loco ileum colo iungitur. Atque eius rei historiam habet, refértque *cap.* 16. se in quodam iuuene Belga, qui post dysenteriam in semitertianam incidit, & die vigesimo mortuus est, reperisse intestina tenuia inflammata, ileum, quâ parte colo & cæco adhærebat, sphacelatum. *Ibidem* recenset aliam historiam adolescentis cuiusdam Galli, qui etiam semitertianâ correptus, 27. die mortuus est: in cuius cadauere dissecto tenuia intestina inflammata fuerunt deprehensa, & ilei portio magna versus colum sphacelata, iecoris etiam cauæ partis portio inflammata fuerit.

Accedit his & illud, quòd febres hæ soluuntur doloribus colicis, alui fluxu, dysenteriâ, quæ omnia humorem ad intestina impetum habere indicant; & vt Adrian. Spig. *lib.* 2. *de semitertiana*, *c.* 14. docet, aliquando in momentaneam Apoplexiam & Paralysin mutantur, quæ procul dubio ex primis viis ortum habet, estque talis, qualis colicam quandoque sequi solet, quod vel ex eo patet, quod febris hæc ex Paralysi, superueniente dolore colico quandoque solui solet. Scribitque Adrian. Spigelius, se longo vsu edoctum, dolores hosce colicos post duplices tertianas, & tales febres sequi, quòd ortum habeant tales febres ab abscessu plerumque consistente in pancreate, mesenterio, vel cauo iecoris, è quibus materia ad intestina depellatur.

Ex quibus omnibus apparet, materiam semitertianæ non semper in vena caua, quod Spigelius concedit, sed in venis mesaraicis etiam contineri, & proinde febrem semitertianam ex febre primaria & symptomatica componi; & primò quidem naturâ suâ intermittentem febrem esse, cui postea continuus calor accedit ex inflammatione ventriculi, intestinorum & vicinarum partium, ex sanguine ac humoribus vitiosis in ea loca & extremitates vicinorum vasorum mesaraicorum eò desinentium confluentibus excitata. Vnde ipse Galen. *lib. de typis* scribit, non semper continuas, sed etiam intermittentes reperiri semitertianas, id est, vt Spigelius explicat, non omnibus morbi totius temporibus. Nam primò potest intermittens esse tertiana sola; huic postea accedit alicuius visceris inflammatio; quâ sedatâ nihilominus potest febris intermittens remanere. Imò fieri potest, vt sæpius hoc modo febris mutetur, prout sæpius noua alicuius partis inflammatio accedit.

Causa rigoris & semitertiana.

Atque ex his causa horroris & rigoris, & cur in febre hac continua toto morbi decursu horrores & rigores toties redeant, febrésque hæ φρικώδεις appellentur, reddi potest. Fit hoc primò ordinatè, & nunc sæpius, nunc rariùs pro febris intermittentis natura, quæ potest esse tertiana simplex, duplex, triplex, vel etiam forsan quotidiana: deinde inordinatè, cùm inflammatio nouam partem occupat, vel dum pus fit, secundùm Hippocr. 2. *aph.* 47. Sunt enim hæ partes, quas inflammari diximus, membranosæ, & proinde iis affectis facilè rigor vel horror excitari potest.

Neque ex rigore vel horrore semper initium nouæ febris colligere licet, sed sunt rigores & horrores etiam inflammationibus proprij vt modò ex Hipp. 2. *aph.* 47. dictum; qui etiam *in Coacis* scribit. *Qui subinde exudant, riguntque, lethale, ac sub finem morbi suppurationem habere deprehenduntur, aluósque perturbari.* Ita *ibidem* Rigor in Phreniticis accidit. Et habentur *in Coacis* plures aphorismi, qui docent, Rigores non solùm in initiis febrium accidere, sed aliàs etiam ex materiæ commotione. Et experientia id confirmat. Refert enim Marcell. Donatus, *de historia medic. mirab. lib.* 5. *cap.* 5. cuidam in musculo temporali vulnerato septimâ die superuenisse rigorem, eúmque ad quadragesimum quintum diem riguisse, & quotidie ferè semper sudasse, alternatim rigoribus succedentibus sudoribus. Et ipse vidi ægrum inflammatione auris, quæ tandem ad suppurationem peruenit, laborantem, eodem die ter riguisse, idque aliquoties accidisse, etsi per interualla longiora. Et omnino faciliùs ex hisce quæ diximus, omnium, quæ in semitertiana accidunt, causam reddere licet, quàm ex difficili illa, & non semper probabili febris intermittentis & continuæ mixtione, præcipuè si hoc præsupponamus, quod suprà diximus, & à doctissimus Medicis approbatur, nimirum eundem hominem posse pluribus tertianis laborare, si in diuersis & pluribus ramis mesaraicis causa febris contineatur. Hinc enim fieri potest, vt non solùm antequam vna febris soluatur, alius paroxysmus inuadat, sed & accedens inflammatio calorem præcipuè continuat, vnde febris est continua. Toties verò rigor & horror inuadit, quot numero sunt tertianæ. Neque enim duplici vel triplici saltem tertianâ, sed quatuor, vel quinque tertianis homo laborare potest, prout materiæ febrilis sedes in tot locis consistit.

De Causis,

Causa semitertianæ.

Ex his facilè etiam patet, quænam sint semitertianæ causæ. Nam si ea ex continua quotidiana tertianæ intermittenti, vel alio modo complicata continua & intermittente constet, etiam causæ vtriúsque febris adsint necesse est. Si verò sit tertiana cum inflammatione alicuius partis, causæ illæ omnes, quæ tertianam constituere possunt, locum habent, si nimirum materia in pluribus venarum mesaraicarum ramis colligatur & putrescat, parsque eius effusa ad intestina vel ventriculum vel alia loca vicina, ea inflammet. Habet tamen humor hic procul

Digitized by Google

dubio peculiarem qualitatem, ob quam ad hæc loca fertur, ficut & in dysenteriis humor peculiarem qualitatem, quâ intestinis infestus est, obtinet. Vnde & epidemiæ sæpe ac contagiosæ sunt semitertianæ. Imò nonnullis locis familiares sunt Hemitritæi, sicut Galenus Romæ, & in Æthiopia, totóque littore, tractúque terræ, vbi cœlum est calidius cum aduentitia humiditate frequentem esse scribit. Vnde sicut anginæ & pleuritides sæpe sunt epidemiæ & malignæ, ita & semitertianæ plerúmque prauitatem aliquam coniunctam habent. Et in primis ad humores semitertianæ gignendæ aptos facit constitutio cœli humida, vt ex Hippocr. 1. *epid. sect.* 1. videre est, quâ de causâ etiam Anno 1621. in Italia frequentes fuere semitertianæ, vt testatur Adr. Spigelius, *de febr. semitert. lib.* 1. *c.* 1.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica. Signa huius febris quod attinet, & illius quidem quæ vulgò describitur, cùm ex bile & pituita simul putrescentibus hæc febris accendatur, vtriusque humoris signa apparent. Alter enim humor quotidie affert paroxysmum, alter verò tertiò quolibet die, & ita altera dies duo habebit paroxysmos, altera verò vnum tantùm: nisi paroxysmorum tempora in vnam horam conueniant. Tunc enim ita tempora paroxysmorum confunduntur, vt neque quotidianæ, neque tertianæ formam præ se ferant. Atque, vt cum Galeno signa hemitritæi, exemplo declaremus; Corripiatur, exempl. grat. quis febre circa primam diei horam cum rigore, per quem carnes ægri, quasi pungi videntur; adsint alia febris tertianæ intermittentis signa; accidat vomitus, tandémque incipiat febris declinare circa horam diei nonam cum sudoribus, vt spes sit, circa diei horam vndecimam, febrem planè intermissuram: sed tum sobitò febris retineatur, cutisque densetur, aut etiam horreat, atque ita principium febris quotidianæ continuæ cognoscemus. Hoc enim si fiat, ex eo iam possumus colligere; duplicem causam, duplicémque febrem adesse, mixtámque esse tertianam intermittentem cum quotidiana continua, Secundo die circa horam diei nonam iterum accessio fiat, tertióque die circa horam diei primam iterum paroxysmus adueniat, & hora nona secundi diei sese habeat, vt hora nona primi diei, ac hora prima tertij diei, vt hora prima primi diei; semitertianam eam febrem esse facilè colligimus. Fieri tamen potest, vt vtraque aut altera anticipet, aut vtriusque paroxysmus in vnam horam conueniat, quæ omnia perspicuâ planè & prolixâ satis oratione explicat Galenus, *lib.* 2. *de differ. febr. c.* 7.

Quod autem eam semitertianam attinet, quam esse tertianam intermittentem simplicem, vel duplicem cum inflammatione alicuius visceris diximus, febris ipsa quidem intermittens suum typum obseruat, siue sit simplex, siue composita; calor tamen ob inflammationem est continuus, eáque etiam suis signis se prodit; adsúntque vomitus, dolores ventris, alui fluxus, clysteres iniecti nihil fecis educunt, sed mera clysteris materia sine excrementis, prout iniecta erat, statim, vel modico post iniectionem tempore exit, quod signum inflammationis intestinorum in eiusmodi febribus frequentissimum esse solet.

Malignitas si adsit, etiam suis signis, quæ de febribus malignis proponentur, sese prodet.

Prognostica.

Prognostica. Febres semitertianæ omnes periculosæ sunt. Nam, vt Hipp. 6. *epid. sect.* 3. scribit, in ea accidunt acuti morbi, & est maximè lethalis, & vt Galenus, *in lib. de typis*, habet, non os ventriculi solummodò, ac neruosas partes, & summatim media attingit, sed & veternosas cataphoras, vigiliasque cum delirio & diaphoreses cum syncope infert. Linguam præterea valde exsiccat, & animi defectionem efficit, vehementer, quæ in profundo sunt commouens, & omnino, vt Galenus, *lib. de typis* scribit, ferum typum habet hæc febris. Quorum omnium, vt quisque de semitertiana sentit, ita rationem reddit. Nos periculum huius morbi à quatuor causis procedere putamus. Prima est, quòd febris hæc non simplex est, sed vel ex continua & intermittente, vel ex pluribus tertianis constans. Et præcipuè hæ febres sunt curatu difficiliores, quæ ex diuersis specie humoribus componuntur. Licèt enim febris vnus morbus naturâ sit: tamen ex causis specie diuersis generatur, ex flaua bile & pituita. Ideóque remedia, quæ vni humori conueniunt, alteri sunt incommoda. Secunda, quòd sæpe etiam inflammationem visceris alicuius in ventre interiore coniunctam habet. Tertia, quòd ipsi plerumque mala grauissima & per se periculosissima superueniunt, vnde, vt etiam ante dictum, Hipp. 1. *epid. sect.* 3. Semitertianam præ cæteris lethalem esse dicit, in qua eueniunt morbi acuti, vtpote apoplexia, epilepsia, conuulsiones. Quarta, quòd plerumque maligna est, contagiosa, epidemia, & sæpe non secus ac ipsa pestis plurimos inuadit ac iugulat.

Est verò non solùm morbus acutus, sed quandoque morbus longus, & Auicennas scribit, aliquando hanc febrem extendi vsque ad septem menses. Quod quomodo verum esse possit, miratur Adrianus Spigelius, & quodammodo humanam intelligentiam superare scribit, continuam febrem tamdiu durare posse. Verùm præsupponit ille ex vulgari sententia, febres has esse per se continuas; cùm tamen sæpe potiùs sint subintrantes, vel continuitatem habeant ex inflammatione. Si tamen tamdiu extendantur, credibile est, inflammationem vel nullam vel leuem adfuisse, febrem verò ipsam ex tertianarum diuturnarum genere esse, quæ soluitur rarò quadragesimo, frequentiùs sexagesimo, frequentissimè octogesimo die.

Soluitur autem hæc febris per fluxum alui, dysenteriam, dolores colicos. Interdum mutatur in tertianas intermittentes vel simplices vel duplices, vel etiam Quartanas.

Curatio.

Curatio. Etsi febris hæc non rara sit, eáque satis periculosa; pauca tamen de eius curatione apud antiquos extant, forsan eâ de causâ, quod eius, vtpote febris compositæ curationem è simplicium febrium curatione patere posse putauerunt. Et omnino primò si hæc febris ex tertiana intermittente & quotidiana continua constet: Curatio eius tota dependet ex cognitione curationis simplicis tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ. Hoc tamen obseruandum, vt quæ febris magis vrget, eius præcipua habeatur ratio; reliqua tamen non plane negligatur. Quod quomodo fieri possit, non ita clarum est. Nonnulli censent, vt medicamenta vtramque febrem respicientia simul dentur, non tamen fermentata, vt natura quodlibet suo contrario opponere possit. Verùm alij hunc modum non admittunt. Mixta enim hoc modo medicamenta si offerantur, neutri morbo satisfiet. Et mixta medicamenta locum habent commodissimè, cùm causa ad vnam formam quasi redacta est; sicut hoc fit in nothis febribus. Cùm ergò hîc humores sint dispersi, commodius esse putant, vt diuersis temporibus diuersa medicamenta exhibeantur, atque vno die vni, altero alteri humori medicamentum opponatur, vel primò ad illum cura dirigatur, qui magis vrget. Ita cùm in semitertiana primò & faciliùs bilis coquatur: medicamenta purgantia, quæ primò exhibentur, præcipuè bilem spectare debent: Pituitosi verò humores diutius præparandi, & tardiùs euacuandi sunt. Itaque in semitertiana, aluum lenientia præcipuè bilem spectare debent, quæ in primis viis in hac febre magis abundat, & faciliùs ductum medicamenti sequitur: aliquid tamen etiam de medicamentis pituitæ destinatis admisceri debet. Nullum autem forte medicamentum, seu purgans, seu quodcunque aliud, in principio exhibeatur, ne agitata in venis materia, vel ad caput, vel ad thoracem, vel ad nobiliorem aliam partem ruat, & periculosum aliquem morbum vel symptomata inducat.

Leniora autem illa, vt syr. rosar. sol, manna, Cassia, agaricus, folia senæ, rhabarb. locum habent; scribitque Adrianus Spigelius, *de semitert. lib.* 3. *cap.* 7. se vsu quotidiano edoctum fuisse, rhabarbarum, agaricum, senam, atque aloën in initio huius febris data, plurimùm profuisse, castigata refrigerantibus, & viscera aperientibus permixtis, vt cichorio, gramine, soncho, borragine, chondrillâ, endiuiâ, sero caprino, & in malignis scordio ac carduo benedicto, additque, *ibid.* Rusticos, qui altos Morauiæ montes incolunt, & in hac febre, & in quotidiana ac tertiana duplici, non alio sibi remedio mederi, quàm agarico, totius in substantia ʒ.j. vel ʒ.ij. sumunt.

Venæ sectio etiam instituenda est: verùm parciùs sanguis emittendus; cùm crudi succi in venis, & biliosi humores in primis viis abundent. Imò si talis sit semitertiana, vt pituita abundet, venæ sectio omittenda. Hinc humores præparandi sunt, flauæ bilis feruor mitigandus, pituita verò incidenda & attenuanda est: Et danda opera, vt alter, quamprimùm fieri potest, euacuari possit.

Et consultissimum est, quod in aliis febribus longis fieri solet, vt in hac fiat, vt materia primò coquatur hinc paulatim euacuetur, atque iterum coquatur & euacuetur, donec tandem, coctione absolutâ, perfecta purgatio fortioribus paulò medicamentis, vt rhabarbaro, senâ, agarico instituatur.

Ex. gr. ℞. *Radic. graminis, taraxaci, cichory*, an. ʒ.ij. *endiuiæ agrimoniæ, capill.* ♀. an. p. j. *fol. senæ el.* ℥.ß. *agaric. trochisch.* ʒ.j. *flor. cordial.* p. j. *zingib.* ℈.j. *passul.* ℥.ß. Infundantur in s.q. *aq. s.* vel *sero lactis caprini.* In Col. ℥.iij.ß. dissolu. *manna* ʒ.vj. Coletur F. Haustus.

Diæta. Ad fortiora verò non facilè ascendendum, atque vt rectè Adrianus Spigelius, *de Semitert. lib.* 3. *cap.* 8. ait, *in acutæ febribus paulò leniore medicamento securior medela est, quàm paulò fortiori.* Et licèt nonnulli curentur eiusmodi fortibus medicamentis, (loquitur de antimonio & vnus in mortem præcipitetur, cum perpetua Medici & Artis ignominia id coniunctum est. Vbi morbus jam ad statum properat, Auicennas commendat decoctum absinthij. Aperit enim, & bilem, ac aquosam tenuémque pituitam euacuat, simúlque membra roborat, & appetitum excitat.

Victus ratio sit temperata, & ad frigidum ac humidum declinet, bile dominante. Initio, vt in quartana, per dies tres victus sit tenuior, vt humores crassi absumantur: deinde victus, vt mos est, in principio sit plenior, versus statum verò aliquid de eo detrahatur.

Secundò, si verò hæc febris è tertiana vna vel pluribus, atque inflammatione visceris alicujus, atque inde dependente febre continua constet; & ad febrem & ad inflammationem cura dirigenda est, Et quidem in principio statim venæsectio instituenda. Etsi enim alia causa non adesset, quæ venæsectionem indicaret: tamen ob inflammationem visceris alicujus ea necessaria est.

Si tandem malignitas conjuncta sit, cautè in venæsectione procedendum, & diligenter perpendendum, an locum habeat, de quo in febris malignis dicetur. Aperiatur autem vena statim

statim in initio, cùm vires statim in hac febre soleant concidere.

Purgationem quod attinet, de ea dubitari potest, vbi inflammatio coniuncta est; cùm per locum affectum purgandum non videatur. Verùm eodem modo sese res habet, vt in dysenteria. Nam nisi materia lenioribus medicamentis educatur facilè fieri potest, vt ad locum affectum confluat, atque inflammationem augeat. Neque necesse est, vt materia per locum affectum tota educatur, cùm adhuc aliæ viæ sint.

Reliqua etiam curatio, vt tertiana eam exigit, instituenda, nisi quòd semper inflammationis habenda est ratio. Ideóque illa medicamenta, quæ refrigerant, simúlque obstructiones aperiunt, commodissima hîc sunt. Non inutile quoque fuerit, extrà è regione partium earum, quæ inflammationem pariuntur, topica applicare, vt epithemata ex aqua cichorij, endiuiæ, sonchi, aceto rosaceo: vnguenta & emplastra, vt rosatum Mesuæ, & refrigerans Galeni: cataplasmata ex farina hordei, pulu. rosar. chamæmeli, absinthij, cum aq. endiuiæ, rosar. oleo rosaceo:

Tertiò si malignitas coniuncta sit, eius etiam habenda est ratio, & curatio instituenda, sicut de febribus malignis dicetur.

De duplici ac triplici Tertiana, de duplici Quotidiana, & de duplici ac triplici Quartana.

Febres intermittentes duplices ac triplices.

Duplex tertiana.

Duplex vel triplex tertiana fit ex bile duobus aut tribus locis putrescente. Si enim bilis, ex. gr. putrescat in duobus locis: fiunt duæ febres, quæ ægrum inuadunt vel singulis diebus semel, vel vno die bis, vt altero die æger à febre sit liber. Atque recentiores nonnulli distinguunt duas tertianas à duplici tertiana; & duas tertianas nominant, cùm tertio quolibet die bis febris affligit, secundus verò dies liber est à febre. Duplicem autem nominant, cùm singulis diebus febris intermittens ex bila affligit. Alij tamen contrà duplicem tertianam nominant, quando duo sunt loca, è quibus eodem die protruditur materia: duas verò tertianas, quando causa morbifica prodit è duobus locis, sed non eodem die, verùm vno die ab vno, altero verò die ab altero. Verùm hæc distinctio magni momenti non est. Etsi, quam illi appellant, duplex tertiana sit frequentior, febris nimirum ex bile in diuersis locis putrescente orta, singulis diebus affligens, sed plerumque nec par, nec iisdem horis. Ferè enim quæ diebus imparibus accessiones fiunt, similes inter sa sunt, & iis dissimiles, quæ paribus diebus accidunt. Quamuis autem, ratione periodi, quotidianæ videantur: tamen quotidianæ, id est, quæ ex pituita fiunt, non sunt, habentque symptomata, & omnia signa, quæ arguunt bilem, non pituitam. Nam inuadunt cum rigore, soluuntur sudore, adest sitis, oris amaritudo, vigiliæ, & reliqua signa pleraque in simplici biliosa conspicua. Ex quibus à quotidiana seu pituitosa eam discernere non est difficile. Neque enim circuitu solùm, sed ex propria natura febres discernendæ sunt.

Tertiana triplex.

Si materia tribus in locis putrescat, fit inde tertiana triplex, quæ duorum dierum spatio ter affligit, vno scilicet semel, altero bis. Tali febri laborabat adolescens, cuius mentionem facit Galenus, *lib. 2. de crif. cap. 9.* qui cùm primùm circa horam diei quintam cœpisset febricitare, vnà cum rigore breui, & paululum sudasset multo vespere, mox circa horam septimam noctis, priusquam exactè febris desineret, febricitare rursum cœpit cum rigore breui: deinde paulum sudauit secundo die, ac circa decimam iterum accessionem habuit, ac similiter sudauit in nocte. Rursum tertio die, hora secunda (nam anticipabat febris) cœpit similiter cum rigore febricitare, antequam prioris diei declinatio in quietem desineret. Et si pluribus in locis materia contineatur & putrescat, totidem etiam tertianæ fiunt. Et si possibile est, vt vno die febris semel, altero bis affligat: etiam possibile est vt vtroque die bis inuadat. Imò censet P. Æneas Caprilius, *de febribus putridis lib. 2.* posse in eodem ægro octo tertianas dari.

Tertiana quadruplex.

Quotidiana duplex.

Duplex quotidiana singulis 24. horis bis inuadit, ortúmque habet ex pituita duobus in locis putrescente, & cognoscitur ex signis quotidianam simplicem alias indicantibus. Verùm rarissima est hæc febris.

Quartana duplex & triplex.

Frequentior est Quartana duplex, quæ fit ex humore melancholico duobus in locis putrescente, & qui hac febre laborant, vnum diem febre vacuum habent, sequentibus diebus duobus febre laborant. Ea quo non solùm, verùm etiam, & quidem præcipuè & signis Quartanæ simplicis, hanc febrem cognoscere licet. Imò interdum accidit triplex quartana, quâ qui laborant, singulis quidem diebus febricitant: ex propriis tamen febris melancholiæ signis cognosci potest, eam neque quotidianam, neque duplicem tertianam esse. Talisque febris non rarò excitatur intempestiuo theriacæ & aliorum calidorum medicamentorum in principio febris quartanæ exhibitorum vsu, quibus materia cruda saltem agitatur, non verò coquitur aut euacuatur, quod euenisse Eudemo Peripatetico tradit Galenus, *lib. de prænot. c. 2.* cui quartana simplici laboranti cùm in principio, materia adhuc cruda, Medici exhiberent theriacam, ex quartana simplici triplicem effecerunt, quam eiusdem theriacæ suo tempore exhibitæ vsu Galenus curauit. Si enim materia per medicamenta sudorifera non discutiatur, sed saltem agitetur, quod de loco quidem mouetur & non discutitur, alibi quasi nouum fermentum spargitur & seminatur, atque ita febrilis materia vtrobique multiplicatur, & febris duplicatur.

De Curatione febrium compositarum.

Cùm febres compositæ è pluribus humoribus ortum habeant: de earum curatione in specie multa addere opus non est; cùm è simplicium febrium curatione, compositarum curatio facilè patere possit. Itaque in compositis febribus non tam ad periodum, quàm humoris febrem excitantis naturam respiciendum est.

Tertianæ duplicis & triplicis curatio.

Ergò si solam bilem peccare, è signis eius cognoscatur, siue febris alternis diebus, quæ est tertiana simplex; siue singulis, quæ est tertiana duplex, inuadit; siue bidui spatio ter infestat, quæ triplex est tertiana: curanda est, vt febris biliosa seu tertiana. Hoc saltem obseruandum, vt & cibi & medicamenta, respectu paroxysmi, iusto tempore exhibeantur.

Quartanæ duplicis & triplicis curatio.

Ita si febrem à Melancholia prouenire suis signis cognitum habeatur, siue quarto quoque die infestet, quæ est Quartana simplex; siue diem vnum intermittat, & postea biduo inuadat, quæ est Quartana duplex; siue singulis diebus ægrum affligat, quæ quartana est triplex: curanda est, vt Quartana. Simúlque semper hoc attendendum, An humor, qui febrem, quacunque etiam periodo redeuntem, excitat, simplex sit, an cum alio mixtus, & tunc vel vt exquisita & pura, vel vt nothæ febres curandum.

LIBER III.

De Febre Hectica.

CAPVT PRIMVM.

De Natura Febris Hecticæ.

DVPLEX febrium genus esse, suprà diximus, in quorum altero κατὰ σχέσιν solùm calor febrilis partibus viuentibus inhæret, qui, nisi, vel ab incendio spirituum, vel humorum foueatur, durare non potest: in altera verò καθ' ἕξιν inest, ita vt causa fouente non indigeat. De priori genere, Ephemeris nimirum & humoralibus febribus, dictum est hactenus: restat alterum, Hecticæ scilicet, in quibus intemperies febrilis quasi in habitum transiuit, & ita partes corporis nostri viuentes occupauit, vt etsi à nulla causa foueatur, nihilominus subsistere possit, quæ vera est febris huius ratio. Nam quòd nonnulli ideò febres hecticas dictas putant, quòd calor ille præter naturam non præcipuè, vt in aliis febribus, in spiritibus aut humoribus, sed in ipso habitu corporis, id est, partibus solidis inhæreat, simpliciter admitti non potest. Etenim in omnibus febribus calor præter naturam, qui febris essentiam constituit, partibus solidis inhæret, & omnis intemperiei febrilis subiectum sunt partes hæ. Itaque à modo potiùs inhærendi, quàm à subiecto, hecticæ denominantur, & quidem hic est modus, quem iam explicauimus. Nam quòd aliqui ideò hecticam febrem dici putant, quòd suaptè natura difficiliùs tollatur: eum verò calorem præter naturam, qui faciliùs dissipatur, & tollitur, nomen habitualis caloris & hecticæ febris non mereri dicunt: id vndiquaque verum non est. Nam ab omnibus Medicis affirmatur, hecticam incipientem cognitu esse difficilem, curatu verò facilem.

Febris hectica vnde dicta.

Caussa.

Caussa.

Hecticæ autem febres ab omnibus aliis causis ob quas reliquæ febres generantur, etiam induci possunt: verùm id efficiunt eæ causæ certo quodam & determinato modo. Eæ enim solùm causæ hecticam febrem efficere aptæ natæ sunt, quæ vel plurimum humidæ substantiæ in membris solidis absumere, vel maximum calorem excitare, vel vtrumque præstare possunt. Ad quam rem in primis facit subiecti ad calorem præter naturam recipiendum promptitudo & dispositio, ac continua & vehemens causarum calefacientium actio.

Disponunt autem corpora ad febrem hanc faciliùs suscipiendam omnia ea, quæ humidum natiuum in partibus absumunt, cujus generis sunt diuturnæ atque insignes euacuationes, siue per aluum fiant, vt in dysenteria, & fluxibus colliquatiuis, siue per sudores, aut alias vias. Continua verò caloris cum corde communicatio idem præstat, qualis fit ex vlceribus, quæ sunt in pulmone, thorace, vtero, renibus, aut aliis partibus. Inedia item, labores, mœror, curæ & tristitia, omnia diuturna: sicut & calor febrium ardentium atque acutarum, aut febres aliæ etiam diuturnæ. Et omnino corporis calidior & siccior habitus, siue is naturâ talis sit, siue à morbo talis euaserit, ad hanc febrem suscipiendam aptior est. In primis si concurrat aëris & loci constitutio calida & sicca.

Duplex hecticæ generationis modus.

Porrò generantur febres hecticæ duobus modis. Aut enim alior morbos sequuntur, atque ex iis suam originem habent: aut statim per se, & ex causis externis vel euidentibus, vt febres ephemeræ, incipiunt. Si primo modo fiant, ex ardentibus febribus proueniunt, quæ diu durant, & protrahuntur, vt tandem calor solidas corporis partes penitus occupet, ita vt licèt ampliùs, sicut ab initio, ab humorum putredine non foueatur,

nihilo

Digitized by Google

nihilominus consistere possit. Idem aliæ febres diuturniores, & aliqui acuti morbi, ac hepatis, ventriculi, pulmonis, atque aliorum, imò omnes diuturnæ inflammationes efficere valent. Nam & Galenus, 1. *de differ. febr. cap. 9.* scribit, se ex coli intestini inflammatione diuturna, vt & renum ac vesicæ similibus affectibus, hecticam febrem ortà vidisse; & Forestus, *lib. 3. observ. 15.* ex fistula valde sinuosa in ano latente quendam ad hecticam deuenisse, & tabefactum obiisse, annotauit.

Fiunt autem ex ardentibus febribus & inflammationibus partium internarum febres hecticæ, ob caloris vehementiam & diuturnitatem, qui partes omnes peruadit, earúmque humidum absumit; sæpe etiam ob errorem aliquem in diæta & medicamentis exhibendis excitantur, dum nimirum ægris victus nimis tenuis præscribitur, aut refrigerantia & humectantia non adhibentur, vel ob aliquod prohibens, e.g. materiæ cruditatem non satis tutò adhiberi possunt. Fernelius hecticas illas, quæ ex inflammatione viscerum oriuntur, hecticas veras esse negat, ac potiùs lentas & curatu difficiles putridas esse affirmat. Verùm enimverò vt non negamus tales febres puras hecticas non esse, sed ex putredine viscerum lentam putridam adesse: ita contrà negari non potest, cum talibus putridis hecticas tandem coniungi posse. Fieri quoque potest, vt in acutis febribus putridi humores vel per crisin expellantur, vel medicamentorum ope educantur, atque ita putrida desinat, & sola hectica maneat.

Quæ autem per se & à principio inuadunt febres hecticæ, à causis euidentibus eodem modo, quo ephemeræ, vt à labore & exercitio nimio, ira, tristitia, vigiliis nimiis, inedia, & id genus aliis originem trahunt. Hæ enim causæ, si leuiores fuerint, ephemeram: si vehementiores, hecticam producunt. Eos autem, vt dictum, qui naturâ sunt calidiores & sicciores, inuadunt faciliùs hæ febres: in primis tempore & constitutione aëris calida & sicca. Nullus autem eorum, qui habitu corporis sunt humidiore, statim ab initio febre hectica corripitur.

An febris hectica à causis euidentibus sine ephemera induci possit.

Sed hoc loco quæstio moueri solet; An febris hectica à causa euidente possit incipere sine ephemera; seu, An causæ istæ euidentes hecticam intemperiem in partes solidas possint inducere, vt non simul inflammentur spiritus, atque ita possit è causis euidentibus hectica oriri, quam neque præcesserit, neque comitetur ephemera. Auicennas quidem, Fernelius, Mercatus & alij defendere conantur, posse hecticam sine ephemera incipere. Nam, inquiunt, in actionibus non indistinctè quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato, quale scilicet est id, quod magis dispositum est. At possibile est, humoribus & spiritibus secundùm naturam existentibus, cordis substantiam, ob prægressam aliquam caussam, sicciorem esse; ideóque fit, vt calorem faciliùs suscipiat. Nam si cui mœrore & curis contabefacto causa calefaciens accedat, credibile est, promptiùs cordis substantiam solidam calorem suscepturam, quàm spiritus & humores, qui secundùm naturam existunt. Atque hoc supposito possibile esse existimant, adeò vehementis actionis causas externas & euidentes corpori obtingere posse, vt tum ex agentis efficacia, tum verò ex passi promptitudine facilè sequatur, vt solidiores partes succendantur potiùs, quàm humores & spiritus.

Verùm enimverò frustra ista omnia dicuntur. Nam ratio sufficiens dari non potest, cur causa euidens calefaciens solidas corporis partes incendat, non tamen simul spiritus. Sine putrida quidem hecticam produci posse, res manifesta est; cùm ad putredinem peculiaris dispositio requiratur: sed quod calor hecticus in partes solidas induci possit, vt spiritus non simul inflammentur, causa dari non potest. Nam quæ ab ipsis affertur ratio, sufficiens non est. Neque enim concedi potest, ad calorem febrilem & hecticum suscipiendum magis dispositas esse partes solidas, quàm spiritus & humores. Etenim spiritus ad calorem suscipiendum longè aptiores sunt, & propterea faciliùs accenduntur, quàm partes solidæ.

Præsupponitur præterea id, quod impossibile est. Nam vt causa aliqua præcedat, v.g. curæ, tristitia, & similia alia, cordísque substantia patiatur & exsiccetur, secundùm naturam manentibus spiritibus & humoribus, impossibile est. Cùm enim spiritus ad illas actiones etiam requirantur, omnino vnà afficiuntur, & quidem faciliùs, cùm magis dispositi sint ad patiendum, quàm partes solidæ. Etsi quoque in partibus solidis semel concepta caliditas diutius retineatur: tamen in spiritibus longè faciliùs, quàm in solidis recipitur, vtpote quæ sunt corpora calidissima, tenuissima, & ad calorem suscipiendum aptissima.

Quapropter statuimus, si causa calefaciens sit debilis, ephemeram: si vehemens, simul & calorem in spiritibus & solidis accendi: aut si ephemera sola incipit, paulò pòst etiam hecticam à vehementia causæ induci, modò corpus ad hecticam recipiendum dispositum fuerit. Atque ita nunquam datur hectica, quæ per se incipit, & ad putridas non sequitur, quam non à principio febris ephemera comitetur.

Neque obstat, quod hîc affert Mercatus, Licèt concedi possit, simul & aliquando citiùs à causa externa humores & spiritus calorem suscipere; illum calorem tamen esse fientem, & antequam in iis substantiis factus sit, factum in membris solidis excitari. Nam primò nihil contra nostram sententiam facit, siue ille calor in spiritibus & humoribus factus sit, siue fiens; modò hoc obtineamus, sine calore in spiritibus accenso non posse induci calorem hecticum in solidis. Primò scilicet spiritus calefiunt à causis euidentibus qui calorem in solidis accendunt, & fouent, qui febris ephemeræ essentiam constituit. Si tamen disquirere placet, an calor ille, qui accenditur in spiritibus sit fiens vel factus: omnino respondendum est, in partibus solidis calorem in ephemera esse in fieri, vtpote qui pendet & souetur à calore spirituum; in ipsis verò spiritibus esse factum. Cessante enim euidente causa, quæ eum produxit, nihilominus aliquandiu durare potest.

Differentia febrium hecticarum.

Differentia.

Differentias febrium hecticarum quod attinet, vt illæ rectè intelligantur, sciendum, partium solidarum substantiam ex tribus componi. Primò enim est humiditas quædam, quæ per minima & vacua spatia partium similarium, veluti ros quidam, dispergitur; vnde etiam à Medicis Ros hæc pars appellatur. Secundò est pars, quæ ex humore concreto constat, & à Galeno substantia carnosa & adiposa dicitur. Tertiò est pars vel substantia membranosa & fibrosa, quæ in specie solida appellatur.

Partes solidæ è quibus componantur.

Hectica sine tabe.

Itaque febris hectica duplex constitui potest, vel enim est cum tabe, vel sine tabe. Hectica sine tabe est quando rorida humiditas partium nondum absumpta est, sed vt Galen. 2. *de differ. febr. cap. 9.* habet, cùm naturalis cordis temperies primùm euerti incipit, neque natiua humiditas quæ in vnoquoque dispergitur corpore, in spatiis partium similarium intermediis planè abolita est, sed tum eâ veluti ebullit & efferuescit, vt de eius exsiccatione atque absumptione iam periculum immineat, nondum verò facta est exsiccatio. Atque hic gradus seu species hæc febris eò vsque perdurat, dum aliqua huius humiditatis pars reseruatur.

Hectica cum tabe.

Cum tabe verò hectica est, quando res eò deuenit, vt humiditas illa iam absumpta & exsiccata sit. Ac tum hectica μαρασμώδης dominatur; tandémque ipse μαρασμὸς est vltimus terminus, ad quem hectica peruenit, quem si attingit, curari ampliùs non potest. Licet enim solidæ corporis partes non sint separatæ, sed ita iunctæ, vt vna sine altera via videatur posse accendi: tamen dubium non est, quin pro varia earum dispositione aliæ faciliùs absumant, aliæ difficiliùs.

Hectica gradus.

Alij hinc tres gradus huius febris constituunt. Primus est cùm rorida humiditas absumitur & exsiccatur: Secundus, cùm carnosa & adiposa substantia iam perit: Tertius, cùm etiam fibrosa colliquatur & exsiccatur. Vt enim in solidarum partium nutritione hic ordo obseruatur, vt rorida humiditas primò generetur ex sanguine, deinde carnosa, adiposa & fibrosa substantia: ita & in hectica idem ordo obseruatur. Nam cùm hæ tres substantiæ non parum differant, quæ tenuior est, primò accenditur & absumitur. Tenuioris autem substantiæ est rorida illa humiditas, quàm genus carnosum, adiposum & fibrosum. Carnosa autem & adiposa substantia cùm tenuior sit, quàm fibrosa & membranosa, ea rorida absumpta primùm absumitur. Tandem & vltimo loco calor ipsas etiam membranosas & fibrosas partes inuadit.

An hectica febris species habeat.

Ex quibus manifestum euadit, nec plures nec pauciores esse hecticæ febris seu species, seu differentias, seu gradus. Vtut enim appelles, non multùm refert.

Disputant nonnulli, An febris hectica in species diuidi possit: Et cùm sit species specialissima, & proinde non patiatur veram diuisionem in alias species, ideò differentias illas potiùs partes, quàm species appellandas censent; cùm potiùs ex vna eadémque caloris præter naturam actione in varia subiecta prodeant, quàm ex diuersitate causæ, aut habitus caloris, qui vicem morbi præstat; cùm vnus & idem sit, æquali intensione præditus ab initio hecticæ, vsque ad lethalem marasmum.

Hectica tempora.

Galenus nominat tempora. Vbi enim rorida humiditas efferuescit & absumitur, primum tempus est & hecticæ principium: secundum tempus seu incrementum est, cùm iam carnosas & adiposas partes calor depascitur. Quòd si his exsiccatis & absumptis calor ad partes fibrosas & solidas in specie sic dictas exsiccandas iam progreditur, status est. Declinatio autem est, quando illa exsiccatio iam cessat, & vltrà non progreditur, sed partes rursum refici & humectari incipiunt. Si verò hæc exsiccatio etiam vltrà ad substantiam fibrosam progrediatur, & calor illam quoque depopuletur, status & vigor summus est. Nulla autem tum est declinatio. Nam hectica cum tabe exquisita nullam curationem admittit, & proinde nullam declinationem habet.

Obseruandum autem hoc loco ex suprà dictis, in hecticis febribus cùm æqualis sit intemperies, & in omnibus partibus calor æqualiter factum esse obtineat, eas ratione caloris nulla tempora habere, cùm qualis est in principio, etiam in aliis partibus morbi sit calor: sed solùm secundùm modum siccitatis, quem in dies majorem acquirit.

μαρασμός.

Deinde & hoc notandum, non eandem esse dispositionem, febrem hecticam μαρασμώδη & ipsum μαρασμόν. Μαρασμὸς enim, Latinis marcor, est illa viuêtis corruptio ob siccitatem: quæ quidem omnibus viuentibus lege Naturæ euenire solet, etiamsi causæ præternaturales & morbi non concurrant, sed ex actione Naturæ necessariò sequitur, & inevitabilis est: cùm calor innatus humidum illud innatum & radicale perpetuò depascatur & depopuletur, atque id, quod succedit ei quod dissoluitur,

bonitate

bonitate par non sit. Ita enim humidum natiuum indies sensim imminuitur, marcórque ille sequitur, seu frigida & sicca corporis constitutio, quæ senectus appellatur, quam tandem, deficiente planè natiuo humido & calore, mors naturalis sequitur.

Est & alius marcor, qui præter naturam accidit, & à causarum præternaturalium violentia dependet, quem nonnulli senium ex morbo appellare solent, qui non solum senibus, sed & iuuenibus ac viris accidere potest. Hic aliquando etiam sine febre oritur, ex alimenti defectu calorísque natiui extinctione, aliquando has, de quibus agimus, febres hecticas sequi solet. Nam quando, vt dictum, ipsæ partes solidæ & fibrosæ absumi & exsiccari incipiunt, hectica μαρασμώδης appellatur; quæ vbi eò vsque processerit, vt calor iam deficiat, ob alimentum absumtum, tum verus μαρασμὸς oritur; similis illi, qui extremam senectutem sequitur, & naturalem mortem proximè antecedit.

Atque hæ differentiæ in primis ob curationem obseruandæ sunt; cùm prima facilè curetur, secunda difficiliùs, tertia nunquam. Reliquæ, quæ ab aliis afferuntur, differentiæ propriæ non sunt, sed potiùs modi quidam, quorum tamen aliquos etiam obseruare non inutile est; vt quando dicitur, hecticam aliam stomachi, aliam hepatis, aliam renum, aliam intestinorum esse. Ad curationem enim instituendam non inutile est, cognitum habere, ex qua parte hæc febris originem habeat.

Tandem & hoc non prætereundum, cuius etiam suprà facta est mentio, hecticam aliam esse simplicem, quæ scilicet cum nulla alia febre coniungitur, aliam quæ putridis connectitur, quod ipsum quoque ob curationem obseruare, non inutile est; cùm remedia, quæ in simplici hectica prosunt, in hectica cum putrida obesse possint.

CAPVT II.

De Signis diagnosticis febris hecticæ.

Signa febris hecticæ quod attinet, primò recensebimus signa omnium febrium hecticarum communia: quæ cognoscere vtilissimum est, vt mox à principio has febres, ab aliis discernere, & quò vsque progressæ sint, indicare possimus. Nam etsi in principio ita difficiles curatu non sint: tamen, vbi altè radices egerunt, periculosæ sunt, multique ex iis moriuntur; quod non fieret, si mox à principio cognoscerentur.

1. Primum autem signum à calore sumitur. Calor nimirum huius febris nullum dolorem, nullámque molestiam infert: quod ideò euenit, quia calor, in ista febre est æqualis & hecticus: Alterationes verò dum fiunt, dolorem inferunt: id autem, quod iam factum est, & veluti in naturam conuersum, ampliùs dolorem & molestiam non efficit. Hinc fit, vt ægri se febricitare vix sentiant.

2. Secundum, calor debilis primò apparet, propter subiectum siccum, & vaporum ac exhalationum fumosarum defectum. Parum enim est, quod ex solidis partibus euaporet. In putridis verò febribus, ex humoribus plures vapores attolluntur. Si autem manus diutius admota teneatur, calor acer & mordax euadit, ob subiecti siccitatem & soliditatem; aut potiùs, quòd cutis per manus longiorem contactum quasi rarior facta, aliquid sub specie tenuis vaporis emittit, quod mordacitatis & acrimoniæ sensum exhibet.

3. Tertium, in arteriis maior calor apparet, quàm in reliquis partibus; quia arteriæ à calore cordis propter communionem, maiorem calorem, quàm reliquæ partes, suscipiunt, aut quia in putridis vapores per vniuersum corpus dispersi in omnibus partibus magnam caliditatem excitant. At in hecticis in sanguine non est tam magnus calor, ideóque partibus vicinis non ita communicari potest; sed solùm arterias partibus vicinis calidiores reddit. Manifestè autem hoc apparet, cùm loti aut alio quouis modo calefacti sumus. Tum enim in aliis partibus calor sentitur remissior: in arteriis verò nihilo minus sentitur.

4. Quartum, proprium & inseparabile huius febris signum est, si vna aut altera hora post cibum sumtum calor augeatur, & pulsus ad magnitudinem & velocitatem mutetur; ita tamen, vt illa & ἀνάβασις ἐπισημασία ascensus caloris & quasi cuiusdam febrilis accessionis significatio, ἄβλητος, libera & incompressa sit, vt dum calor augeri videtur, & incrementi signum præ se fert, neque frigus, neque horror, neque rigor aliquis, neque oscitatio aut pandiculatio, neque aliquod aliud instantis paroxysmi signum adsit. Vt enim in aliis febribus per paroxysmum calor augeri solet: ita in his febribus increscit calor vna atque alterâ post assumtum cibum hora, quaconque hora cibum exhibeas. Vt ergò certiùs de hac febre iudicari possit, hora cibi per aliquot dies est mutanda, & si calor à cibo increuerit prima, secunda, tertia, quarta die, horis cibi sumendi mutatis: tunc nullum dubium est, ægrum hectica laborare. Cui & illud adiungere licet, quòd caloris & pulsus mutatio tantisper durat: donec alimentum distributum sit, deinde omnia cessant, & homo ad pristinum statum reuertitur, eum scilicet, in quo fuerat, antequam alimentum assumeret. Ratio huius symptomatis est, quod cùm hecticarum calor in partibus solidis sit, non multum est, quod ab his euaporare possit, ob earum siccitatem: cùm verò alimentum humidæ sit substantiæ, eo ipso calori plus pabuli suppeditatur, & ita plures vapores attolluntur.

Galenus modum hunc per calcem viuam explicat. Nam si quis calci viuæ aquam effundat, vapor multus & calor inde excitatur; aut si quis lapidibus ignitis in balneo aquam affundat, tum copiosus calor, aqua in calidos vapores resoluta, per totum balneum diffunditur, qui à lapidibus illis siccis diffundi non potuisset. Alij tamen hunc modum non probant. Nam primò impossibile esse putant, viuo animali tantam inesse siccitatem, quæ calcis naturam æmuletur: secundò quia partes, quæ in hecticis incalescunt, sunt partes solidæ, ad quas alimentum non peruenit, nisi transactis ad minimum sex horis, cùm tamen hectici mox à cibo incalescant. Verumenimverò quod calcem viuam attinet, exemplum est, neque opus est, vt tanta in corpore sit caliditas & siccitas, qualis in calce est; modò partes solidæ, subministrato humore, calorem maiorem possint excitare. Deinde etsi ad integram nutritionem plurium horarum spatium sit necessarium: tamen tenuiores quasdam alimenti partes breuiori tempore in omnia membra distribui, impossibile non est, à quibus hoc in omnibus partibus caloris incrementum accidit. Hoc itaque signum si diligenter in conspectu habeatur, facilè per id hecticam ab aliis febribus omnibus discernere licet. Quamuis enim in aliquibus febribus libera caloris inuasio fiat, quàm neque frigus, aut simile quid præcedat: tamen hoc caloris augmentum sine cibo etiam accidit. At in hecticis febribus omnibus nullo alio tempore calor augetur, quàm post cibum assumtum, quocunque etiam tempore ille exhibeatur.

5. Quintum signum ex pulsu sumitur. Nam cùm in hac febre vires valde debilitentur, extra dubium est, pulsus in ea esse paruos; & ob vsum auctum crebros ac modicè celeres. Vehemens verò vel magnus pulsus in hac febre non est; & si in aliqua febre pulsus est magnus ac vehemens ea hectica non est. Vehemens esse non potest, quia in hisce febribus facultas vitalis imbecilla est, propter eam intemperiem, quæ iam in corde facta est. Semper enim imbecillitas facultatis, cordis intemperiem, in primis si vehemens sit, comitari solet. Eadem quoque de causa magnus esse non potest. Magnus enim pulsus esse non potest, si facultas sit imbecillis, & proinde multo minùs, si præter imbecillitatem etiam instrumentum, ob siccitatem, quod fit in hecticis, resistat & non obtemperet.

6. Sextò, quod vrinam attinet, ex ea nullum de hectica signum desumi posse, docet Galenus; quod de colore & substantia intelligendum est. Color enim non est modo à naturali alienus. Differentiarum tamen Hecticæ non obscura signa ex vrinis petuntur, de quibus paulò post.

Atque ex his signis diligenter consideratis, non adeò difficile est, febrem hecticam ab aliis omnibus febribus discernere. A putridis enim plerisque discernitur, quòd Hectica interuallum nullum & remissionem habet, sicut neque incrementum, sed calor semper æqualis manet, quod non fit in putridis plerisque, in quibus calor increscit in augmento & vigore, minuitur in declinatione. A Synochis verò quæ & ipsæ perpetuò calorem æqualem habent differt hectica, quòd in illis calor longè est vehementior & maior, in hac verò obscurus & remissus. Vnde etiam in illis pulsûs sunt maximi, velocissimi, frequentissimi, qui hîc sunt parui & debiles. Ab aliis verò febribus accessiones liberas, & ἀβλήτως habentibus discernitur, quod illa inæqualitatem quandam habent, post alimentum paulò ante paroxysmum exhibitum: in hecticâ verò post cibum, quaconque horâ assumptum, veluti quædam accessio æqualis sentitur, calórque augeri, & pulsus velocior animaduertitur.

Sed iam ad signa differentiarum accedamus. Et quidem incipientem hecticam quod attinet, eius peculiaria signa multa recensere opus non est; cùm signa quæ omnibus hecticis sunt communia, eam satis indicare possint. Aliqua tamen hîc repetemus. Et quidem de signis hecticæ cum putrida inuadentis postea dicemus. Iam de hectica cum ephemera incipiente agamus. Incidat aliquis in febrem, qui calidâ & siccâ est temperie, ex causis euidentibus (nam hæc conditio si desit, hecticæ ex se incipientis nullus metus est,) vt vigiliis, laboribus, inediâ, curis & similibus causis, & iis quidem ita vehementibus, præsertim tempore & statu aëris calido & sicco, vt primò quidem omnia febris ephemeræ signa adsint; extendatur autem vltra diem, neque calor magis inualescat, sed corpus reddi siccius videatur, tum hecticam incipere, magna suspicio est. Quòd si ad tertium vsque diem extendatur, æger horâ minùs suspectâ cibum sumat, & si calor nihil nisi ex cibo assumpto, augeatur vel immutetur, sed quædam quasi febris reliquiæ permaneant, cum ariditate corporis & calore, qui primo tactu mitis sentitur, postea verò acris & mordax percipitur: illa de hectica suspicio valde cõfirmatur. Vt autem omnino certus sis de hectica, offeratur ægro cibus & quidem eo tempore, quo nulla de inuasione febrili suspicio est. Si enim hectica adest, statim vnâ aut duabus post sumptum cibum horis, caliditas augebitur, vt quicunque tetigerit ægrum accessioné febris, seu paroxysmum adesse opinetur. Illa tamen ἀνάβασις & ἐπισημασία erit ἄβλητος, incompressa & libera: nihilque præcedet eorum, quæ putridarum febrium paroxysmos

Signa differentiarum. Incipientis hecticæ signa.

paroxysmos præcedere solent. Et vt planè sis certus, sequentibus diebus horis planè diuersis cibum exhibeas. Semper enim eodem modo, vna atque alterâ horâ post cibum assumptum, calorem augeri, aliis verò temporibus perpetuò æqualem manere animaduertes.

Secundi hecticæ gradus signa.

Secundus Hecticæ gradus, cùm medius sit quasi inter eam hecticam, quæ sine tabe est, & illam, quæ absolutum ferè marasmum coniunctum habet, ac latitudinem satis amplam, maioris & minoris ratione, obtineat: sicciores iam in eâ, atque inopiâ alimenti exsuccæ corporis partes redduntur. Et quantum siccitas inualescit, tantum etiam virtus fit debilior. Vnde accidit, vt quamuis pulsus paruus, durus, debilis ac frequens sit; minùs tamen talis sit, quàm in extremo marasmo; magis autem, quam in hectica sine tabe. Suppeditant quoque huius secundi gradus signa vrinæ. Vrina nimirum est oleaginosa, seu pinguedo, aranearum telis similis vrinæ innatat. Etsi enim in aliis etiam affectibus sine hectica pinguedo in vrina conspici possit: tamen si iam ex aliis signis cognitum ac perspectum habeamus, adesse hecticam, tum talis vrina apparens inseparabile hecticæ secundi gradus signum est. Adiposæ enim ac carnosæ substantiæ colliquationem significat. In genere tamen etiam aliquid de hectica ex vrina colligere licet, si hæc obseruemus: Vrina, in qua pinguedo telis aranearum similis innatat, semper colliquationem significat, vel eius pinguedinis, quæ cum sanguine est in venis, vel adipis renum, vel adiposæ & carnosæ substantiæ totius corporis, atque ita hecticæ secundi gradus. Hæc autem discerni possunt: si sanguis copiosus sit, & bonus in sano corpore, talis pinguedo interdum in vrina apparet, & supra vrinam quid innatat, quale in lacte summo colligitur, ac quale in refrigeratis iusculis summa parte concrescit, quod Græcis χαῦς dicitur. Habet enim sanguis partem quandam pinguiorem, de quâ aliquid interdum cum vrina etiam percolatur, nimirum vbi maior eius in corpore est copia, præsertim si corpus incalescat. Si autem pinguedine renum colliquatâ hoc accidat, ἀθρόως & confestim, ac cum dolore & ardore renum contingit. Si autem paulatim defluat, reliquo corpore ægrotante, colliquatio hæc fit ob hecticam febrim, quæ vel sola est, vel cum alia febre coniungitur. Si sola hectica fit, illud quod innatat, paucum est. Calor enim hecticarum febrium est debilior, & corpora ad hecticam disposita sicca sunt, & parum adipis ac pinguis substantiæ habent. Si autem alia febris coniungatur, copiosior pinguedo cum vrina emittitur: cùm calor illarum febrium, quæ hecticis iunguntur, sit maior; & sæpe in ea corpora incidat, quæ succulenta sunt, & adipis magnam copiam habent. Febres autem illæ, cum quibus hecticæ coniunguntur, sunt putridæ, & ardentes, nonnunquam & pestilentes. Per ardentes autem febres nonnullas, a calore vehementissimo non solùm alimentum similarium partium, sed & carnosa ac adiposa substantia colliquatur & absumitur, (vnde & febres illæ colliquantes & colliquatiuæ dicuntur) vt adiposum & pingue aliquid interdum per aluum, interdum per vrinam eiiciatur. Hoc itaque signum si adsit, hecticam cum putridâ coniungi significat. In nonnullis verò pestilentibus febribus etiam habitus corporis corrumpitur & colliquatur, quæ similiter cum hectica coniunctæ sunt. Verùm cùm vrinæ oleaginosæ non tantùm ex dicantur, quæ oleosi quid in superficie natans habent, sed & quæ substantiâ oleum referunt; de his videantur ea, quæ *lib. 4. Inst. part. 1. s. 2. cap. 6.* diximus. Ad secundum gradum etiam istud referunt, quòd ægri ob imbecillitatem oculorum palpebras attollere nequeunt. Nam quod in febribus acutis defectus clausulæ oculorum in dormientibus denotat: id in hecticâ per impotentiam aperiendi oculos denotatur. Verùm forsan hoc signum rectiùs ad tertium gradum refertur.

Tertij hecticæ gradus signa.

Tertij autem gradus signa sunt facilia & euidentia, de quibus tamen hoc notandum, esse ferè eadem, quæ 1. *Prognost.* ab Hippocrate in facie Hippocratica dicta describuntur; & esse ea signa morbis acutis & diuturnis, ac omni causæ emacianti cum hectica marasmode communia. Ad marasmum enim & extremam tabem plures morbi deducere possunt. Quapropter ex his hectica non simpliciter indicatur. Verùm si antea ex aliis signis de ea constat, de gradu ac specie eius indicia desumuntur. Signa autem hæc sunt: Oculi sunt valde concaui, & in quibusdam quasi foueis recondiri; qui & ipsi minores fiunt, exsiccatis & ex parte absumptis in iis humoribus, & adipe, qui plurimus est circa oculos, consumpto. Ossa genæ vtriusque, imò totius oculi orbitæ limbus eminentior apparet, ob oculum intrò conditum, inprimis verò ob cutis & carnis circa hæc ossa exsiccationem. Sordes quædam circa oculos apparent. Nam illa exiguaetiam, quæ superest, alimenti portio, ob naturalis facultatis imbecillitatem, retineri & concoqui non potest, sed diffluit, & à calore febrili siccatur. Perit viuidus ille faciei color, seu, vt Græci loquuntur, τῆς χροιᾶς τὸ ζωτικὸν ἄνθος viuidus ille flos coloris, ob sanguinem, spiritum & calorem natiuum deficientem, & cadauerosa quasi facies apparet. Quanquam autem squallor & siccitas in tota facie, imò in totu corpore conspiciatur: tamen in fronte manifestiùs apparet. Nam in hac sana cutis subiecto musculo connata carnosior est: iam autem per hecticam tabidam, exsiccato & consumpto ferè carnoso genere, cutis hæc arida, & intenta quasi cernitur, non vt in senibus, rugosa. Palpebræ ob siccitatem contractæ apparent, & attolli non possunt, motúsque earum est imbecillis, & trementi similis, vt modò attolli, modò claudi videantur, non alter ac in dormiturientibus, neque tamen dormire valentibus euenit, præsertim ex labore lassis: ita vt in somnum propensi videantur: quæ tamen ad somnum propensio nulla est, cùm ob caliditatem & siccitatem maximè vigiles sint, sed potiùs motricis imbecillitas. Carnes circa tempora consumptæ sunt & contabuerunt, vt tempora collapsa, & spatia illa circa tempora quasi concaua esse videantur. Et si totum corpus perpendas, nihil nisi ossa & coria reliqua esse videntur, adeò vt si ventrem inferiorem (nam superior, scilicet thorax, ob ossium & costarum soliditatem ita subsidere non potest, etsi in eo viscera, pulmones, & cor, non minùs, quàm reliquæ partes, emaciatæ & consumptæ sint) nudes & detegas: vix aliquid intestinorum & viscerum superesse videatur: & partes illæ valde versus thoracem contractè appareant. Quod si iam cutem tangas, arida est adeò, vt pellem quandam tangere videaris.

Hectica cum putrida signa.

Restant adhuc signa hecticæ cum putrida coniunctæ. Coniungitur autem hectica cum putrida, quæ vel eam antecedit, vel simul cum ea oritur, vel hectica iam præsente producitur. Ex febre acuta vel ardente potest tandem etiam hectica fieri, & ita quidem, vt putrida cum hectica aliquandiu duret. Fieri etiam potest, vt si corpus sit biliosum valde, à causa procatarctica nimiùm calefaciente simul & hectica producatur, & humores biliosi calefiant ac putredinem concipiant, atque ita & hectica & putrida simul accendantur; quarum tamen altera ab alterâ non dependet, sed vtraque ab eadem causa ortum habet. Potest denique post hecticam oriri putredo. Nam cùm, vt de aliis nihil dicamus, hectici lacte vt plurimum alantur, & corpori extrà frigida applicentur, ex lacte corrupto, & pororum cutis obstructione potest oriri putredo.

Negant quidem nonnulli, hecticam cum putrida coniungi posse; Verùm sine causa. Etsi enim existimant, à putrida hecticam prouenire non posse, vt putrida maneat, cùm calor, qui erat in putrida in fieri, mutetur in factum, & proinde cesset & aboleatur putrida, & in hecticâ transeat: tamen hoc minùs rectè docent. Nam dum à putrida febre hectica accenditur, non totus calor, qui à putredine excitatur, transit in factum, sed maxima pars manet in fieri, quæ etiam postea, cessante putredine, euanescit. Quod vel experientia testatur, quæ manifestè docet, dum hectica cum putrida coniungitur, calorem multò esse maiorem, quam vbi putrida cessante sola hectica manet. Neque etiam concludit, quod dicunt, qui contrarium sentiunt, putridam hecticæ superuenire non posse ideò, quòd cùm hecticæ calor sit factus, quicunque calor subiecto ita disposito superuenit, etiam in facto esse constituatur. Nam verum non est, quòd omnis calor ex humoribus putrescentibus, præsente iam hectica, excitatus, ipse etiam hecticus euadat. Permanet enim, quamdiu putredo humorum adest, calor ille inæqualis, & à causa sua, nimirum humorum putredine, souetur, qua cessante, ipse etiam cessat, vt experientia testatur, quod non fieret, si hecticus esset. Itaque etsi in talibus febribus vnus est calor præternaturalis: tamen vna pars est ἑκτικὴ, altera σηπτικὴ, à putredine humorum pendens.

Hectica cum Intermittente signa.

Cùm itaque constet, hecticam cum putrida interdum coniungi posse, diligens danda est opera, vt discernere possimus, an hectica sit simplex, an cum putrida coniuncta; cùm ad curationem rectè instituendam istud summè sit necessarium. Potest autem coniungi hectica cum putrida, vel Intermittente vel continua. Si cum intermittente coniungitur, minùs difficulter cognoscitur. Nam inclinante accessione, siue per sudores, siue per alui excretionem, si calor nihilominus aliquis relinquatur, is tamen remissus, ita vt æger se febricitare non sentiat, adsitque magnus virium languor, aut præcesserit pinguis excretio, vel sudor diaphoreticus, iam penitiùs & fixiùs febrem se insinuasse, indicio est. Quibus illud accedit, quòd finito paroxysmo, reliquæ omnes partes temperatiores apparent, arteriarum solùm loca calidiora sunt, pulsúsque celeritatem & frequentiam non amittit; æger quidem cibum assumit, nihil tamen inde roboratur, sed corpus sensim contabescit.

Hectica cum continua signa.

Verùm si hectica cum putrida continua coniungatur, longè difficilius est eam cognoscere. Nam hectica, quæ cum intermittente coniungitur, tempore ἀπυρεξίας sola manet, vt non ita difficulter cognosci possit; sed quæ cum continua coniungitur, nunquam sola est. Primò autem sicca caliditas remanet per totum corpus post finem declinationis, vel totius putridæ febris, vel eius periodorum; quamuis forsan sudor febrem soluens copiosus superueniat. Hoc que indicat, præter illum calorem, qui cum sudore euanuit, etiam alium adhuc calorem in membris fixiùs hærere. Secundò corpus plus extenuatur & emaciatur, quàm aliàs per tales febres putridas fieri solet. Atque id etiam argumento est, alium adhuc subesse calorem, quàm ex putredine, qui membra ita colliquet & absumat. Tertiò vrina oleaginosa apparet. Tandem si de hectica constet, de putrida autem suspicio sit, putredinem indicat ἀνάβασις & ἐπιπυρασία caloris δακνώδης, inuasio caloris non libera & impedita, ita vt calor non se mox liberè diffundat, sed ad interiora repulsus submergatur.

Prognostica.

Etsi verò hecticas in principio curare non admodum difficile est:

Prognostica.

Digitized by Google

est: tamen eandem in principio cognoscere, est difficile: cùm clam & occulte sese hæc febris insinuet, vt incurabilior indies reddatur. Quò enim tabi propinquior hæc febris euaditurò curatu magis impossibilis. Non autem hîc principium dierum numero, sed ipsius dispositionis qualitate metiri oportet. & gradus huius febris suprà descripti attendendi sunt. Primæ enim speciei seu gradus hectica inter reliquas facilè curatur, si simplex sit, neque putredinem coniunctam habeat. Secundi gradus & ipsa curatur, sed difficiliùs. Tertij gradus sanari non potest: cùm humidum illud radicale absumptum & exsiccatum sit, partésque similares absumptæ resici non possint. Quæ putridæ coniungitur hectica, curatu difficilis est, & plerumque lethalis, ob indicationes inter se pugnantes, & propterea tandem in tabem transit.

CAPVT III.

De Curatione Febris Hecticæ.

Indicationes.

CVm febris hæc, nisi dum incipit, causâ careat. Indicationes sumuntur ab ipso morbo & viribus. Et quidem vtraque indicatio in idem recidit. Nimirum quicquid humidi & solidarum partium absumptum & exsiccatum est, id, quantum fieri potest, humectantibus restituere oportet. Quod dum fit, vires simul conseruantur & augentur: Simul tamen calida intemperies refrigerationem postulat. Et quidem in curatione summa diligentia adhibenda est cùm nec leuissimum errorem toleret hectica. Ita in refrigerantibus adhibendis id cauendum, ne calorem natiuum iam debilem & absumptum nimiâ refrigeratione extinguamus: Et proinde vtilius est, sensim potius, quam subitò refrigerare. Humectantia verò in hac febre semper tutiora & vtiliora sunt, quàm refrigerantia. Humectantia enim lenitè & tardè suas operationes exequuntur: Refrigerantia verò sunt efficaciora, atque ideò etsi calorem febrilem potentiùs tollant, metuendum tamen est, ne, corpore in primis extenuato, calorem natiuum vnà extinguant. Præterea & hoc obseruandum, inter refrigerantia & humectantia ea eligenda, quæ ita refrigerant, vt non siccent, & ita humectant, vt non calefaciant. Nam quæ refrigerantia simul exsiccant, vel humectantia calefaciunt, febri huic curandæ parum conueniunt. Atque hæc omnia de hectica simplici intelligenda sunt.

Si verò hectica febrem putridam, aut visceris alicuius inflammationem coniunctam habeat: non tollitur, nisi morbo priore, ceu causâ, sublato. Si tamen hectica nimis vrgeat, ne vires sumat & incurabilis reddatur, omnino præcauendum. Et quia hectica inducias dat, quas putrida non concedit, interim obstructiones aperiendæ, humorésque putridi sensim euacuandi sunt; atque ita putredo primò tollenda.

In hecticâ ergo simplici quia adiectione & humectatione opus est, nec euacuatio sanguinis, nec aliæ purgationes instituendæ, sed potiùs, cùm medicamentis, tum diætâ corpus humectandum. Medicamenta autem duplicia sunt, quæ intra corpus assumuntur, & quæ extrà adhibentur. Quæ assumuntur medicamenta, in primis humectare & simul refrigerare debent, qualia ex violis, borragine, buglosso, nymphæâ, rosis, endiuiâ, cichorio, sem. 4. frigidis maioribus, papau. amygdalis parantur. Hinc conueniunt Iuleb. & syrupus violar. rosar. syrupus borrag. nymphææ. In primis verò vtilia sunt semina 4. frigida maiora, è quibus emulsiones, morsuli & alia medicamenta parantur.

Medicamenta hectica.

Vt: ℞. *Amygdal. dulc.* Vnc. j. *sem. 4. frig. mai. excortic.* an. ʒ. j. *papauer. albi.* Drach. ij. cum *aq. borrag. violar. vel hordei* s. q. Fiat Emulsio.

Quæ dulcoretur *rotulis manus Christi perlatis*, vel additâ *sacch.* s. q. misceantur super igne, & F. Sapones.

Ad eadem medicamenta pineæ quoque, pistacia, spec. diamargariti frig. diatragacanthi frig. addi possunt.

Vel ℞. *Conseru. cichorij, bugloss. borrag.* an. ℥. j. *spec. diamarg. frig.* ʒ. j. *santali citrin.* ʒ. ß. Cum *syr. violar* F. Electuar.

Valde à nonnullis commendatur *solutio seu magisterium Margaritarum.*

Vtiles sunt & rotulæ diamarg. frigidi, & diatragacanthi frigidi.

Vel ℞. *Sacch. albissimi* ℔ j. ß. *amyli subtiliss. puluerisat.* ℥. iv. *ol. amygdal. dulc. recens express.* ℥. iij. Dissolu. saccharum super igne cum *aq. ros. vel violar.* & cùm inceperit inspissari, adde nunc *amylum*, nunc *oleum amygdal. dulc.* & cum spatulâ continuò agitentur. Fiatque mixtura.

Infundere quoque licet in aqua conueniente, vt borraginis, buglossi, rosarum, species diamarg. frigidi, santalum, & postea colare, colaturámque cum syr. conueniente aut rotulis manus Christi perlat. dulcorare.

Talia plurima habentur apud Guainerium, *c. proprio*, & passim apud practicos.

Ioh. Angelicus hunc syrupum commendat, & aureum appellat.

℞. *Vngulam caballinam, vmbilicum* ♀, *capillos* ♀, *lenticulam palustrem, endiuiam, hepaticam, cichorium, violariam, lactucam, semen lactucæ, papaueris albi, portulacæ, 4. frig. maior. malua, ficus, vuas passas, pineas, amygdalas, sant. alor. omnia genera, flores violarum, rasuram eboris, pruna damascena, cassiam fistulæ r. glycyrrhizam.*

Ex quibus singulorum q. s. coquit in aq. s. q. vel hordei, & cum sacchar. albiss. s. q. parat syrupum, quem ægro manè & vesperi propinat.

In vsu tamen horum medicamentorum istud obseruandum, vt nunc magis, nunc minùs refrigerantia adhibeantur, prout febrilis calor intensior vel remissior fuerit.

Externa Balneum aquæ dulcis.

Inter ea, quæ extrà corpori applicantur, in primis laudatur balneum aquæ dulcis. Quod si rectè administretur, refrigerat & humectat, & propterea conuenientissimum est, cùm nulla febris putrida adest.

Balnei partes apud antiquos.

Antiqui, vt cùm ex aliis locis, tum ex Gal. 10. *meth. med.* videre est, miram in iis administrandis adhibebant diligentiam. Et quidem Balneum antiquorum, secundùm nonnullos, tribus, secundùm alios quatuor partibus erat distinctum.

Primò enim in loco nonnihil calido loturi exuebantur, & in aëre calido tamdiu morabantur, donec corpus nonnihil incalesceret. Deinde in aquam calidam immergebantur. Tertiò è balneo calido egressi in frigidam se conferebant; & quartò sudores abstergebant. Atque has partes antiqui eâ de causâ discernebant, vt primò pori corporis in aëre calido aperirentur, deinde in balneo aquæ dulcis calidæ corpus humectaretur, tandem ne corpus calore exsolueretur, aut calor incenderetur, calor frigiditate temperabatur.

Modus lauandi hecticos Gal.

Laborans autem febre hecticâ lauandus est ex præscripto Galeni, sine omni labore, ne vires exsoluantur. Id quâ ratione fieri debeat, satis exactè & elucidè Galenus docet. Iubet nimirum, vt æger in balneum in lectulo transportetur, paratámque ad manûs habeat calentem syndonem, quâ in primam domum balnei à quatuor hominibus transportetur: hinc in secundâ oleo tepido perfundatur; postea in ipsum solium aquæ calidæ deducatur. In solio verò aquæ calidæ mediocriter moretur, ne calor natiuus & humiditas corporis discutiatur: & quidem syndone in aquam mergatur. Hinc in frigidam semel, & quidem breuissimo spatio mergatur. Postea iterum in lecto collocetur: & primò spongiis, hinc mollibus linteis detergatur: tandem vnctus & vestitus domum reducatur ac nutriatur. Ideò autem post balneum inungi iubet Galenus ægrum, vt pori cutis obstruantur, & ne corpus plus iusto dissoluatur, sed humiditas ex balneo inducta intrò pellatur & retineatur. De quibus pluribus agentem Galenum consulere licet, 10. *meth. med. c.* 10.

Cùm verò balneorum antiquis visitatorum structura & diligentia in desuetudinem venerit; præterea non sine causâ metuendum sit, ne frigidæ occursu corpus lædatur, ægérque subitum contrarium qualitatum occursum ferre non possit, ac facilè fieri queat, vt ex leui errato in frigida adhibenda maius damnum oriatur, quàm ex recto vsu commodum: Arabes, & qui eos sequuntur Medici, aliam compendiosiorem hecticos lauandi rationem instituunt. In ægri cubiculo, cuius aër sit tepidior, vt primæ parti balnei Antiquis vsitati respondeat, labrum aquâ moderatè calidâ plenum prope lectum disponi iubent, vt in eam æger sine labore descendat, & quidem manè, post leuem ex vitellis ouorum aut iusculo carnis cibum. In aqua æger blandè manibus tractetur, & tamdiu in aqua immoretur, donec sponte tepescat. Cùm enim Galeno & plerisque Medicis frigidæ post balneum calidum tanta necessitas visa fuerit, vt calidum balneum sine frigida parum prodesse putetur: frigidæ vires supplentur, si æger tamdiu in balneo immoretur, donec sponte tepescere aut refrigerari incipiat. Aut si nimis tardè conuenientem teporem acquirere videatur, vt ægrum balnei tædium capere incipiat, affusâ frigidâ, balneum facilè iusto modo tepescere & refrigerari poterit. Hoc modo cùm triplex balnei qualitas haberi possit, calida, tepida & frigida: in calida parùm moretur, diutiùs in tepida, in frigida minimum. Atque istâ ratione, nullum ex frigida incommodum sentiet. Quòd facilè fieri potest, si subitò ex calidâ in frigidam immergatur. Alij quidem duo labra in ægri cubiculo constituunt, alterum calidâ, alterum frigidâ plenum, atque in priore primùm ægrum immergere iubent tamdiu, quamdiu ægri virtus id perferre potest, ita vt corpus non nimiùm incalescat; postea in frigidam demittunt, & iterum aliquandiu in ea morari iubent. Verùm propter eandem rationem prior ratio balnei videtur esse commodior.

Vt verò balneum plus humectet, in aqua coqui possunt, maluæ, violæ, branca vrsina, & similes humectantes plantæ.

In primis vtile esset balneum ex lacte dulci tepido paratum, quale & Ægyptiis hodie in vsu esse refert Prosper Alpinus. Verùm cùm sumptus istos ferre omnes non possint, suadent aliqui Medici, vt lactis aliquot lagenas celesiant, & linteo triplicato æger inuoluatur, ac postea lacte tepido perfundatur, tandémque spongiâ, vel panno lineo molli abstergatur.

Inunctiones post balneum.

Post balneum quocunque modo institutum, vtile est, corpus inungere oleo dulci, violarum, amygdalarum dulcium, nymphææ, rosarum, &c. In primis spina dorsi tali linimento inungenda:

℞. *Mucilag. sem. psyllij, cydonior. aquâ violarum extracta*, an. ℥ j. *ol. violarum, lactis muliebris*, an. ʒ. vj. *butyri rec. s. s. aqua violar. lot.* Vnc. ß. *camphoræ* Scr. ß. *ceræ* q. s. Fiat linimentum ad spinam dorsi.

Non solùm autem toti corpori ad refrigerandum & humectandum medicamenta topica applicantur, sed priuatis quibusdam partibus, in primis iis, quæ præcipuè afficiuntur.

Sunt autem ad hunc vsum ea eligenda, quæ refrigerant citra vllam adstrictionem. Talia fiunt ex rosis, violis, acetosâ, portulaca, lactuca, lenticula palustri, &c.

Cordis regioni applicanda. In primis autem talia cordi commodissimè, vtpote quod maximè afficitur, applicantur. Galen. 10. *meth. cap.* 9. cerotum rosaceum commendat, & thoraci applicat.

Vel ℞. *Aq. rosac.* Vnc. iv. *nymphaa.* Vnc. j. *borrag. acetosa*, an. Vnc. j. ß. *santalor. omnium*, an. Drach. ß. Misce.

Possunt etiam admisceri succi acetosæ, endiuiæ.

Vel ℞. *Vnguent. rosat. Mes. rec.* ℥. ß. *spec. diamarg. frig. santali citrini*, an. Scr. j. *Camphora* gr. vj. Cum *oleo rosar. odorato*, F. Linimentum.

Hepati quoque & renibus refrigerantia adhibeantur, qualia supra proposuimus.

Guainerius iubet, vt hepati frustum cucurbitæ imponatur, quæ valde refrigerat & humectat.

Diæta.

Diæta, Aer. Maxima verò curationis spes in Diæta consistit. Aër ergo, si naturâ suâ sit vel intemperatus, vel mediocriter frigidus, tali vtendum: Si verò valde vel calidus, vel frigidus, ad mediocritatem arte reducendus.

In primis verò, Cibi magna est habenda ratio. Sit autem cibus refrigerans & humectans, facilis coctionis, boni succi, paucorum excrementorum, & qui non mox discutiatur. Tales autem cibi sunt prisana, vel eius cremor, oua recentia, pulli gallinacei, caro hœdina, pisces optimæ notæ, amygdala aut plus talis.

℞. *Farin. hordei pura* M. j. *Amyli* M. ß. Coq. ad pultem in lacte amygdalino. Adde *oua recentia conquassata* ij. *sacchari penidy* Drach. vj. Misce.

Cibi autem condiantur lactutâ, endiuiâ, seminibus frigid. maioribus papaueris.

Lac. In primis verò Lac conuenit, & vix quicquam ad curandam hecticam eo est conuenientius, quod non solùm alit, sed etiam medicamenti rationem habet. Est enim, vt Galenus, 4. *de simpl. med. fac. cap.* 17. docet, frigidum & humidum, facilis coctionis, optimi nutrimenti, ac summam vim habet substantiam corporis nostri humectandi & reficiendi.

Inter lactis autem genera, commendatur primo loco humanum, vtpote quod nostræ naturæ sit familiarissimum: secundo loco constituunt Medici lac asininum, quod tenuis est substantiæ, & facilè in totum corpus distribuitur; tertio caprinum; quarto vaccinum.

In propinando autem lacte primò obseruandum, vt lac optimum aligatur, quod scilicet nullam alienam qualitatem vel gustui vel olfactui conferat, sed suo genere dulcissimum sit, & genuinum lactis colorem habeat. Deinde videndum, ne in ventriculo coaguletur. Quâ de causâ lacti aliquid mellis, aut, quod commodius est, sacchari aut salis, admiscendum est. Præterea lac, quantum fieri potest, mox ab vbere calidum dandum, & quidem tribus horis ante reliquum cibum: Et à principio non plus cyatho, postea verò licet cyatho mensuram augere, rursúmque alium deinde adiicere, donec conueniens viribus ægri mensura detur, quæ scilicet à ventriculo ægri rectè possit concoqui, vt in eo neque fluctuet, neque corrumpatur, neque vires omnino grauet.

Cochleæ. De cochlearum vsu in hectica inter Medicos non planè conuenit. Medici superiorum sæculorum vix aliud magis commendant, quàm cochleas, & in iis totam ferè salutis spem ponunt. Vnde non solùm cochlearum carnes ægris comedendas exhibent, sed & destillata, electuaria instaurantiua appellata, morsulos, syrupos, & plurima alia inde conficiunt. Verùm apud Antiquos de iis nulla fit mentio. Et Galenus passim inter alimenta crassum succum generantia eas ponit. Atque alij quidam Medici eas improbant, eâ de causâ, quòd difficulter concoquantur, & vix à sanis, multò minùs ab ægris rectè confici possint, crassum, terrestre & mali succi alimentum generent, ac multa excrementa suppeditent. Quod cùm non sit de nihilo, eo modo saltem cochleæ vsurpandæ sunt, de quo *Institut. l.* 4. *part.* 1. c. 3. dictum, vt nimirum non caro earum, quæ ab ægris concoqui non potest, sed ius tantùm ægris præbeatur.

Nonnulli cancros in lacte caprino coquunt, atque additis herbis conuenientibus, aquam vtilem Phthisicis parant. Quæ eadem etiam, plantis conuenientibus additis, pro hecticis parari potest, & rotulis manus Christi dulcorari.

Ranæ. Guainerius ranas virides, quæ in arboribus viuunt, capitibus abscissis, & visceribus abiectis, tamdiu in aqua coquit, vt caro ab ossibus separetur, deinde cum farina hordei & ranarum brodio illo facit pastam, qua gallinas & pullos nutrit, eósque hoc modo nutritos, mirabiliter dicit conferre hecticis. Sumit etiam loco ranarum anguillas. Possent & cancris ac cochleis hoc modo nutriri pulli & gallinæ, quæ procul dubio alimentum conuenientibus hecticis præberent, quàm ipsa cancrorum aut cochlearum caro comesta.

Iura instaurantia. Nonnulli, vt alimentum parent, quod non difficulter coquatur, facilè distribuatur, agglutinetur, nec à calore solidarum partium statim discutiatur, sumunt carnem vel cancrorum, vel cochlearum, eámque sale fricant, & diligenter abluunt, ac postea in aqua pura, donec ferè liquescat, decoquunt: postea ptisanam hordeaceam semicoctam addunt, iterúmque, donec perfectè cocta sit, coquunt, & tandem per setaceum aut linteum colant, ac ptisanam hoc modo paratam præbent. Alij cancros coquunt in lacte (præsertim caprino) postea contundunt carnem, per setaceum traiiciunt, & addito lacte caprino, vel amygdal. & sacchari sufficiente quantitate, coquunt ad spissitudinem. Qua ratione etiam, si cui libet, cochleæ præparari possunt.

Nonnulli hoc loco commendant aquas destillatas è carnibus animalium. Verùm quantum iis tribuendum sit, dictum, *l.* 3. *Institut. part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 5. Plus nutrit instaurans dictum, & succus è carnibus assis animalium expressus. Ius instaurans tale fieri potest.

℞. *Gallinam vel caponem, cinnamomi, macis*, an. Drach. j. *vel* ij. *santali citrini* Drach. ß.

Concisa caro coq. in vase duplici, donec caro ab ossibus separetur. Hinc succus exprimantur, qui in frigore concrescit. A concreto pinguedo detrahitur, & ægro de iusculo calefacto cochlear vnum vel alterum, vel solum, vel cum iusculo alterius carnis exhibetur. Potest etiam addi inter coquendum caro vitulina vel bubula. Vide *Instit. ib. cap. secundo.*

Conuenientes quoque cibi parantur hecticis ex amygdalis, nucleis pini, pistaceis cum seminibus frigidis & papaueris albi, cum aqua rosarum & saccharo, atque inde iuscula, massæ panis, aliique cibi fiunt. Ægyptiis, vt refert Prosper. Alpinus, *lib. 4. de Medic. Ægypt. c. vlt.* familiarissimæ sunt sorbitiones *maglub.* atque *mastabaleb* vocatæ, quæ ex variis seminibus vim refrigeratoriam & humectatoriam habentibus parantur: semine scilicet lactucæ, endiuiæ, sonchi, maluæ, psyllij, papaueris albi; melonum, cucurbitæ, anguriæ, hordei, pistaciorum, amygdalarum dulcium, singulorum scilicet æqualibus partibus: quæ omnia in mortario marmoreo contundunt, ac lac cum aqua endiuiæ vel hordei exprimunt, adduntque modicum aquæ rosaceæ & sacchari candi violacei.

In omni autem cibo exhibendo obseruandum est, ægros quidem plurimo indigere alimento; ob virium tamen imbecillitatem illud concoquere non posse: ideò parum cibi, sed sæpius exhibendum est. Et quoniam omnis attrahendi & coquendi vis in hecticis est debilis, liquidiora alimenta ipsis conueniunt, cùm facilè distribuantur & coquantur.

Potus. Potus in nostris regionibus conueniens est cereuisia, in primis tritica. Potest & vsurpari decoctum hordei, in quo pruna, glycyrrhiza, & momentum cinamom. aut sem. coriandri coctum sit. A vino autem, nisi illud aquosum, album aut dulce sit, abstinendum, sicut à mulsa.

Galenus, 10. *meth. med. c.* 5. & 6. aquam frigidam quoque exhibet, & scribit, se hoc modo multos à marasmo præseruasse. Si frigida saltem in imminente hectica, aut eius principio, & quidem in assuetis locum habet, & vbi corpus adhuc sanguine abundat ad marasmum præcauendum. Quò autem corpus magis extenuatum, & tabes maior fuerit, eò minùs conuenit frigidæ potio. Facilè enim ab ea calor innatus, qui restat paucus, extingui, & partes extenuatæ valde lædi possunt.

Somnus. Somnus in hac febre sit moderatus, vel etiam consueto longior, qui corpus & vires mirò modo reficit.

Hectica cum putrida cura. Si hectica cum putrida febre copulatur, & vel ad Inflammationem, aut vlcus alicuius visceris sequitur, vel cuicunque putridæ coniungitur, curatio difficilis est. Facilè enim, dum vni prodesse studemus, alteri nocere possumus. Imò eadem febris non facilè cognoscitur. Itaque si corporis maior extenuatio, quàm pro ratione febris subsequatur, omnia signa diligenter perpendenda sunt; & si febris intermittens, in primis attendendum, an pulsus tempore ἀπυρεξίας adhuc febrilis sit.

Curatio. Vt ergo talis febris curetur, primò causam hecticæ, quæ est calor febris putridæ, nisi hectica nimiùm vrgeat, tollere studebimus; ita tamen, ne hecticam planè negligamus. Nam si soli putridæ febri curandæ idonea medicamenta exhibere velimus, augebitur hectica: aut si soli hecticæ intenti simus, augebitur febris putrida.

Ergò in præparanda materia obstructionibus aperiendis, vt & purgantibus, aliquid addendum, quod hecticam respiciat, ex endiuia, violis portulaca: Et quidem alterantia hic efficaciter humectare debent, ideò omnibus medicamentis admisceantur.

Purgantia sint leniora, ex syrupo ros. sol. violar. solutiuo, manna, cassia. Potéstque iis materia lentè euacuari, & per vices corpus iterum refici. E. g. In tertiana cum hectica coniuncta.

℞. *Cassia* Vnc. j. *spec. diamarg. frig.* ʒ. ß. F. Bolus.

Vel ℞. *Rad. cichor. polypod. eryngy*, an. Drach. ij. *endiuia* M. ß. *flor. violar. borrag. bugloss.* an. P. j. *sem. 4. frig. mai.* an. Drach. ß. *tamarind. passul.* an. Vnc. ß. *iuiubar. sebesten.* an. nu. vj. Coqu. in f. q. *aq. hordei* f. In Colatura infundantur, *rhab. opt.* Drach. j. ß. *spica, schœnanthi*, an. gr. vj. Colaturæ ℞. ℥. iij. In quibus dissolu. *manna el.* ℥. ß. vel q. s. Colentur: Adde *syr. violar. solut.* ℥. ß. F. Haustus.

Epithemata quoque refrigerantia & humectantia cordi, pulsibus, & hepati apponantur, de quibus antea dictum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER IV.

De Peste, pestilentibúsque ac malignis Febribus.

CAPVT PRIMVM.

De Natura Pestilentiæ.

CVM differentiis febrium essentiales, vt appellant, eas scilicet, quas Galenus in *libris de febr. diff.* tractat, hactenus absoluerimus: atque inter accidentales vulgatissima & cognitu maximè necessaria, sit ea, quæ febres pestilentes malignásque complectitur, atque ipsa pestilentia tam frequenter cum febribus complicetur, vt plurimi, iique non vulgares Medici, in eam venerint sententiam; pestilentiam nihil aliud esse, quàm febrem summè putridam, ac putredinis quodam gradu excellentiore solùm ab aliis putridis differentem: operæ pretium fuerit, & ordinis ratio id postulat, vt iam de pestilentia, pestilentibúsque ac malignis febribus agamus.

Etsi verò per febres malignas & pestilentes, quasi per gradus quosdam, ad ipsam pestilentiam ascendatur, & summus corruptionis gradus, vt postea dicetur, sit in pestilentia: atque ita à malignis & pestilentibus febribus inchoandum videatur: tamen cùm malignitas & venenositas in peste sit maxima, & maximè perspicua, ab ea initium facere libet.

Et vt primò in naturam pestilentiæ inquiramus, de hoc quidem apud omnes constat, Pestilentiam esse morbum quendam perniciosum & periculosum, quo qui laborant, plurimi pereunt, & alios inficiunt. Vnde etiam pestis appellatio ad alias res periculosas & perniciosas traducta & translata est; pestilentémque inuidiam, Senec. *in Hippol.* pestiferum amorem, idem *in Thebaide*, ciues, Cicer. 1. *de Orat.* tribunatum, idem *pro domo sua*, frugum veotos, Horat. 3. *carm. Od.* 23. seditiosos ciues & malos consules Rerumpubl. Cicero *pro Sylla*; milites imperij, Liuius *lib.* 2. adulatores iuuentutis, Terent. *in Adelph.* pestes dixerunt. Aut potius pestis nomen, quod in genere rem quamcunque perniciosam significat, in specie malo omnium periculosissimo & perniciosissimo tributum est. In quâ tamen significatione pestilentiæ & pestis nomen duo complectitur. Primò & præcipuè morbum omnium perniciosissimum, de quo iam nobis agendum; deinde etiam statum & constitutionem, quâ talis morbus grassatur: quo modo tum alibi, tum *6. epid. com.* 1. *t.* 29. Galenus hac voce vtitur.

De Pestilentiæ naturâ variæ authorum sententiæ.

Quâ in re verò pestilentiæ essentia consistat, dubium est, & de eo variæ ac prolixæ apud Medicos occurrunt controuersiæ. Nam cùm pestis cum febre putrida plerumque coniungatur, eadem contagiosa sit, & subitò disseminetur, pluréśque iugulandi vim habeat; non omnes, quomodo hæc ad pestem pertineant, an eius naturam constituant, an verò alio modo ad pestem referantur, perspexerunt. Atque hinc pestilentiam alij febrem epidemiam periculosam & perniciosam, alij aliquid aliud esse dixerunt.

Ne igitur à ianua, quod dicitur, aberremus, primò in quo pestis natura consistat, inquirendum, & quidem rationis & experientiæ ductu. Etsi enim à Præceptorum & Magistrorum in arte Medica celebrium placitis, non sine graui causâ recedendum, sed eorum vestigiis, quantum licet, insistendum censeamus, seruilem tamen animum Alex. Massariæ sequi non placet, qui, *de Peste lib.* 1. scribit, sibi iamdudum constitutum esse Galenum perpetuò imitari, & ab illo, ne latum quidem vnguem discedere, ac se malle cum eo errare, quàm cum istis (recentiores intelligit) vera sentire.

An pestis certum morbi genus sit.

At vt hinc faciamus initium, Massarias & cum eo quidam alij, pestem nullum certum morbi esse genus dixerunt, neque vnam nostri corporis partem petere, sed omnes in vniuersum, & omnis generis morbos pestilentes esse, imò ipsam pestem constituere dixerunt, modò sint vulgares, & maiorem hominum partem interficiant. Atque hanc esse causam putat Massarias, cur neque Hippocrates, neque Galenus peculiarem aliquem de peste tractatum scripserint. Idque eo confirmare conantur, quòd si omnes, omnium temporum pestilentias studiosè memoriâ repetamus, atque singula vniuscuiusque cum symptomata, tum morbos accuratè animaduertamus, illa tam multa, varia, inter se differentia, ac sæpenumerò contraria fuisse deprehendimus, vt vno morbi genere comprehendi ac coarctari facilè non possint.

Atque huius etiam sententiæ Galenum fuisse aiunt, cùm alibi, tum præcipuè *3. epid. com.* 3. *t.* 20. vbi hæc habet: *Non est certi morbi nomen vulgare vel pestilens. Cæterùm quicunque in vno loco multos simul inuadit, vulgaris hic vocatur, qui si simul hoc habeat, vt multos perimat, pestis est.*

Verùm enimuerò etsi negandum non sit, cum peste plurima morborum genera & symptomata coniungi posse; febres, deliria, vigilias, somnum profundum, capitis dolorem, aphthas & oris vlcera, anginam, pleuritidem, vomitum, diarrhœas, icterum, bubones, carbunculos, macularum varia genera & plurima alia, quæ ab Hippocrate, *in lib. epid.* & aliis passim recensentur, & hactenus verum esse non diffiteamur, quod modò ex Galeno dictum est, non esse certum morbi genus, vulgare vel pestilens, id est, in peste non vnum genus morbi vel symptomatum grassari, sed plurima, atque in hac ista, in aliâ alia: tamen in illis morbis omnibus pestis essentia constituenda non est, sed talia solùm sunt, quæ pestem vel sequuntur, vel comitantur; ipsa verò, quatenus alia, nullam perniciositatem, quæ pestis naturam constituit, obtinent, neque quatenus talia, hominem iugulant. Et proinde vlteriùs quærendum, cur illi morbi pestilentes dicantur interdum, cùm sæpe tales non sint. Verbi gratiâ febris, quæ cùm peste coniungitur sæpe mitis est, & ab ea nullum ægro periculum imminet, qui tamen moritur, & à veneno pestilenti, quod cum febre illa coniunctum est, interimitur. Ita angina sæpe cum peste copulatur; quæ licèt neque suffocando, neque per febrem hominem iugulet, æger nihilominus non conualescit ob pestilens venenum; vnde & angina illa pestilens nominatur. Ita alui profluuia interdum pestem comitantur, quæ ex se non sunt lethalia, sed cum peste perniciosa fiunt.

Cur Pesti tot & tam varij morbi ac symptomata coniungantur.

Quod autem tam varij morbi pesti coniunguntur, id tum ex veneni varietate, & causarum diuersitate, quæ non semper planè eædem sunt, proficiscitur; tum ex diuersitate corporum, in quæ pestilens causa incidit. Id quod docet Galen. *3. epid. com.* 3. *t.* 70. *Hac tempestas*, inquit, *videtur humores aceruasse, & repleuisse caput, idque omnibus morbis commune fuisse, sed fuisse suo quemque morbo, alium alio correptum, pro sua cuiusque natura; alios flauentibus, acribus defectionibus pinguibúsque biliosas. Rubicundi verò*, inquit, *& ad melancholiam dispositi, non iniuriâ fuere phrenitide & febre ardenti correpti; vt & crasso biliosóque sanguine præditi, & cruentis dysenteriis. Quæ autem essent natura frigidiores tantum, vel frigidiores simul & humidiores, has par erat, vt quæ nec facilè febribus, nec biliosis affectibus sunt obnoxiæ in solas incidisse capitis destillationes.*

Pestis vnum morbi genus est.

Ex quibus omnibus apparet: Primò, illud perniciosum, quod pestis naturam constituit, non in tot differentibus morbis, sed in peculiari morborum genere quærendum esse, cum quo quicunque alij morbi coniunguntur, ij meritò pestilentes dicuntur.

Morbus epidemius & pestilens differunt.

Deinde & illud hinc manifestum euadit, differre τὸ ἐπιδήμιον & τὸ λοιμῶδες, aliúdque esse pestilens, aliud vulgare. Vt enim morbus vulgaris sit, hoc saltem requiritur, vt plurimos in aliqua regione vel ciuitate inuadat: non tamen est necessarium, vt omnes vel plurimos iugulandi vim obtineat. Ita annotauit Forest. *lib.* 6. *obseru.* 3. anno 1580. sex septimanarum spatio, tussim & catarrhum quendam epidemium vniuersam planè Europam peruasisse, ita vt integræ familiæ eo malo corriperentur: tantum verò abfuit, vt id malum lethale esset & pestilens; vt etiam vix millesimus eo interierit. Pestilens vero morbus is est, qui plerosque ex iis, quos corripit, iugulat.

An esse Epidemium ad pestis essentiam pertineat.

Vt verò pestilens morbus etiam sit vulgaris, ad essentiam eius non pertinet, sed accidens quoddam pestis est, eius vel causam communem, vel præter causam, pestilentis morbi effectum, contagium scilicet, sequens. Etsi enim vnus saltem in vrbe aliquâ peste corripiatur, eum peste laborare negandum non est, ideo, quòd solus eâ laboraret; sufficitque, in plurimos passim sese diffundendi potentiam habere, etsi nondum actu epidemius sit ille morbus.

Obiectio.

Obiicitur quidem hîc à quodam, à me confundi actum primum cum secundo. Quemadmodum enim, inquit, lethalis dicitur hic morbus, non quòd omnes, quos inuasit, iugulet, sed quòd semper vitam oppugnet, & extinguere possit: ita quoque contagiosum & Epidemium dici potest, non quòd semper actu per contagium in alium pluresve se diffundat, & multiplicet, sed quod diffundere & multiplicare possit. Quandoquidem istud de necessitate sit pestis & naturâ, ad illud verò plures circumstantiæ & patientis dispositio requirantur.

Solutio. Morbus Epidemius & Contagiosus differunt.

Verùm hic confunditur Contagiosum & Epidemium, & malè statuitur, morbum aliquem potentiâ Epidemium esse posse. Non enim idem est Epidemium & Contagiosum, sed omnino peculiaris est morbi differentia, quâ in sporadicos & epidemios; & rursum peculiaris, quâ in contagiosos & non contagiosos diuiditur. Et contagiosum aliquid esse libenter concedimus, quod nondum plures infecerit; contagiúmque ipsam morbi seu causæ morbificæ essentiam proximè consequitur. At quòd morbus aliquis est Epidemius, pluresque corripit, id non semper ex naturâ morbi vel contagio habet, sed id sæpe solùm ex causa communi, aëris scilicet vel victûs vitio dependet; neque omnes illi morbi pestilentes sunt. Talis morbus Epidemius procul dubio fuit, cuius Forestus *lib.* 6. *obseru.* 2. facit mentionem, qui non per contagium, sed subitò vno ferè tempore omnes inuadebat, afflatu quodam irruens, & post septimum aut vndecimum diem neminem ampliùs aggredi visus est. Ita non rarò febres Epidemiæ grassantur, quæ tamen neque contagiosæ, neque pestilentes sunt.

Itaque concedimus quidem, aliquid contagiosum actu primo & potestate saltem esse posse, quod tale non sit actu secundo:

definiemúsque postea pestem potestate alios inficiendi non ipso actu secundo, aut effectu, quem non ignoramus multis modis impediri posse. Verùm epidemius seu vulgaris morbus nullus potentia dicitur, sed is solùm propriè talis est, qui reuera & ipso actu plures corripit; quamdiu verò intra paucos continetur, epidemius non est.

An pestis sit etiam Endemius morbus.

Vt verò pestem quamlibet, cùm omnis contagiosa sit, in vulgus facilè disseminari posse concedimus: ita non abs re quæritur; An pestis tantùm sit in morborum Epidemiorum numero: An verò aliqua pestis morbus Endemius esse possit. Sunt quidem nonnulli in ea opinione, reperiri pestilentes morbos Endemios, quales dicunt esse illos, qui Syriam & Ægyptum sæpe exercent, ac plerumque Cairum & Byzantium affligunt.

Verùm concedendum non videtur, dari tales Endemios pestilentes morbos. Nam cùm, vt Galenus rectè, *1. epid. in proœm.* docet, ab Endemiis Epidemij ita differant, quòd hi per aliquod tempus aliquam regionem peruadunt, illi verò incolas, ac si cognati essent, nullo non tempore comitantur: homines & vita humana cum causa pestilenti perpetuò coniuncta durare non possent, neque regio aut ciuitas homines alere, quæ causam pestilentem vernaculam habeat, & domi suæ alat. Nam pestilentiæ illæ in Syria & Ægypto ac Byzantio non sunt perpetuæ, sed interdum cessant; neque etiam statas planè periodos obseruant, sed satis inordinatè, pro varietate & inconstantia causarum, inuadunt. Et alibi etiam obseruatur, in populosis vrbibus, atque vbi magnus est hominum confluxus, pestilentiam frequenter aliunde eò transferri, & sensim ac clanculum propagari. Ac quod Cairum in specie attinet, satis clarè Prosper Alpinus, *lib. 1. de medic. Ægyptiorum, c. 15.* docet, Cur pestis ei vrbi sit familiarior, & sæuiùs in ea grassetur. Refert enim, rariùs ex aëris vitio vel domesticis causis pestem ibi nasci, sed aliundè, præcipuè ex Syria, Græcia & Barbaria, eò adsportari, atque in cunta incolarum subitò propagari. Persuasum enim, inquit, Turcæ Ægyptijque sibi habent, singulis è Deo prædestinatum esse exitium ex triique qualitatem, ita vt in bello morituros nullo pacto à peste interimi posse arbitrentur, & solùm peste eos mori posse, quibus quidem ab ipsa exitium præfixum est. Quâ vanâ credulitate omnes pestiferum morbum negligunt atque parui faciunt, nihilque ab eo timent, pro certo credentes, si vitam eo morbo finiendam esse destinatum sit, quo eo moriantur, nullo pacto se effugere posse, neque in bello, neque in mari, neque alio modo mortem sibi pertimescendam. Atque hinc peste Ægyptum depopulante, vrbémque Cairum sæuissimè depascente, nemo ipsorum fugam arripit, neque cum peste infectis conuersari timet, neque vestibus aliisque laneis lineisque pannis pestis contagio infectis vel abhorret. Vestes enim aliaque peste interfectorum suppellex subitò in emporiis publicè venditur, & quisque eam emit absque vllo pestilentis contagij timore.

Cùm ergo morbi reliqui, qui cum peste coniunguntur, essentiam pestis non constituant, & per se pestilentes non sint, neque etiam per τὸ συνδρομὴ pestis definiri possit: iam in quo pestis natura consistat, porrò quærendum. Atque vt ab iis, quæ nota & ab omnibus concessa sunt, incipiamus, Omnes homines, vt etiam supra dictum, pestilentiam in aliquo loco grassari dicunt, cùm plurimi simul vno aliquo morbo corripiuntur, eodémque pereunt, aliique inficiuntur. Ex quo concludimus, eius partis necessariò morbum esse pestilentiam à quâ vita maximè pendet, & quâ læsâ, homo de vita summoperè periclitatur, Cordis scilicet; atque ita in pestilentia Cor vitæ fontem, calorisque vitalis officinam maximè affici, eóque affecto homines tam subitò vitâ priuari. Idque nemini dubium esse debet, qui ea quæ in pestilentia accidunt, perpendit. In omni enim peste animaduertitur subitaneus virtutis vitalis lapsus, summáque virium debilitas. Animalis verò facultas in peste ad finem vitæ vsque non rarò integra persistit; sicut & Naturalis facultas nonnunquam adeò insigniter non labefactatur.

Pestis natura.

Pestis cordis morbus

Sunt quidem nonnulli, qui hîc contrarium sentiunt, & non solùm cordi, sed & aliis partibus venenum pestilens aduersari statuunt, imò pestem euenire posse, cerebro vicinisque membris primùm infestatis, quæ & necare possit, antequam vis venefica cor contingat, aut spiritus vitales saltem grandi iniuriâ parti animali illatâ, vt scribit Andreas Libauius, *tract. de venen. c. 11.* eo modo quo in magnis cerebri vulneribus, apoplexiâ & similibus affectibus homo moritur, cerebro primò affecto. Idque eo probare conantur, quòd non omnia venena primò cordi aduersa sint, sed alia pulmonibus, vt lepus marinus; alia vesicæ, vt cantharides; alia cerebro, vt hyoscyamus; atque differentiam etiam istam & diuersitatem in pestilentia ex varietate symptomatum & effectuum apparere, cùm in peste varij & diuersarum partium morbi & symptomata conspiciantur, carbunculi, bubones, nunc in his, nunc in aliis partibus, phrenitides, ossium denudationes.

Verùm enimuerò si concedamus sanè esse venena, quæ non cordi primò, sed aliis partibus aduersa sint: tamen pestilens tale non esse, ex summa facultatis vitalis in vitæ læsione, & subita atque inopinata morte, quâ peste correpti extinguuntur, apparet. Et quanquam non in omnibus eadem pars affici videatur; tamen id accidit, partim quia, vt Galenus, *3. epid. com. 3. t. 27.* habet, ab eodem statu genitus prauus humor non easdem partes insidet; quia scilicet nec per naturam omnium in eadem constitutione corpus esset in eodem statu, sed esset alia aliis pars infirmior: vnde accidit, vt nunc ad hanc, nunc ad illam partem venenum pestilens protrudatur: partim quia contagium non semper per eandem partem recipitur, sed nunc per aërem, quem inspiramus, nunc per poros cutis, nunc alio modo: vnde eam partem, quæ primò illud recipit, primo loco etiam affici credibile est: sicut Pareo, *lib. 2. de Peste, cap. 12.* pestilentem halitum per nares in cerebrum attrahenti accidit. Facilè enim concedimus, venenum pestilens ita corpori nostro aduersum esse, vt omnes partes summoperè lædat: tamen primariò cordi aduersum esse, vis illa insignis facultatem vitalem lædendi, & hominem subitò iugulandi satis docet. Nec in peste, sicut in apoplexia, cerebri vel alterius partis læsæ interuentu cor afficitur, sed licèt & aliæ partes in ea afficiantur; tamen cor semper maximè lædi, symptomata, cordis affecti signa indicant, vt antidota, quæ omnia veneno pestilenti sunt aduersa, cor verò roborandi vim habent, & propterea non ad alias partes diriguntur. Hinc quanquam Paræus per nares vaporem pestilentem primùm hauserit, atque venenum ibi etiam procul dubio hæserit, & postea per hæmorrhagiam & sternutationem excussum sit: tamen ab eodem cor affectum esse, illa ipsa lipothymia, in quam incidit, arguit. Neque enim opus est, vt venenum pestilens humorésque corrumpens & putrefaciens semper & primariò in corde resideat; sed nunc has, nunc alias partes occupat. Ita Pauli Æginetæ tempore in colica illa pestilenti, quæ totam Italiam aliasque regiones plurimas deuastauit, in intestinis materia pestilens præcipuè sedem habuit: ita nonnunquam pleuritides, nonnunquam lethargi, phrenitides, & alij pestilentes morbi animaduersi sunt: in quibus tamen omnibus quocunque loco hærens materia peculiarem cum corde ἀντιπάθειαν, habuit. Sicut id in epilepsia videre est, quæ etsi sit proprius cerebri affectus, tamen non semper oritur per primarium affectum, sed nonnunquam per consensum, vapore epilepsiam causante à pede, ventro, vel aliunde ad cerebrum ascendente. Atque morbi hominem in pestilentibus istis malis, non corde tantùm malorum istorum vehementiâ in consensum tracto, sed proprio morbo, ex eo parte; quòd homo subitò sæpe & multò citiùs, quàm pro mali istius, cum quo coniungitur, natura pereat.

Quis autem morbus in peste Cor præcipuè oppugnet, de eo Authores non consentiunt. Omnes tamen in tres classes redigi posse videntur. Alij enim saltem ex putredine pestem oriri existimant. Atque qui hanc sententiam sequuntur, ij plerique pesti febrem coniungunt. Al. Massarias tamen immediatam pestilentiæ causam putredinem esse docet, & nihilominus defendit, pestilentiam aliquando sine febre esse posse. Quod an fieri possit, hîc non disputo.

De pestilentis veneni natura variæ opiniones.

Alij à maligna, venenata & occulta qualitate Cor infestari existimant, & peste infectos morbo totius substantiæ, quem vulgò appellant, seu potiùs occultæ qualitatis laborare statuunt.

Mediam inter hos opinionem tueri videntur Eustachius Rudius & Raimundus Mindererus, sed diuerso modo. Eustachius Rudius quidem, *lib. 3. pract. c. 30.* in putredinem & simul in rem putrescentem causam pestis refert. Statuit enim in pestilenti febre in humano corpore venenatam aliam materiam reperiri, quæ putredinem tempore ac ratione præcedat, atque deinde putrescens, dum putredinis vi, eius venenosa qualitas concitatur, actiones suas promat: atque ita prout putrescit & catiaceum calorem accendit, febrem gignat; quatenus verò venenata est, cor lacessat, & pestilentiam producat. Raimundus verò Mindererus, *in lib. de pestil.* concedit: in omni peste venenum adesse, idque, & rectè, ex effectibus morbi huius, eiúsque sæuitiâ, celeritate, ac inuadendi modo, necnon lethalium symptomatum multitudine ac prauitate, imò & iudicij ipsius, seu *κρίσεως* difficultate perspici docet. Cùm verò venenorum varia sint genera, atque in peste etiam quædam varietas appareat: omne pestilens venenum solâ ferè putrefaciendi vi nocere, ac septicum omnino seu putrefactiuum esse, & septica vi potissimum omnem cladem perficere existimat.

An pestis natura in putredine cõsistat.

Has opiniones iam examinemus necesse est, vt veritatem eruamus. Qui in omni peste putredinem atque inde ortam febrem adesse statuunt, ij, vt id credant, præcipuè adducuntur eo, quòd vident illos qui peste corripiuntur, primò horrorem sentire, quem postea calor excipit, non aliter quàm in febribus putridis fieri solet, eosdémque ciborum fastidio, capitis doloribus, inquietudine, linguæ ariditate, oris siccitate, siti, bubonibus, carbunculis corripi, & similes morbos atque symptomata quæ putredinem ac febrem arguunt, in iis apparere. Verùm enimuerò vt concedamus, ista plerumque in peste fieri; (nam semper non accidunt) tamen de eo iam controuersia est. 1. An in peste solùm putredo adsit; seu, An à sola putredine pestis natura pendeat. 2. An in omni peste putredo & febris animaduertatur.

Primùm quod attinet eorum opinionem, qui ex sola putredine pestem dependere existimant, agnoscunt ij ipsi, dum huius inuadendi modum, sæuitiam, celeritatémque, & hominem iugulandi vim, & medicamenta, quibus curatur, perpendunt, ex putredine simpliciter causam huius morbi dari non posse. Si enim ex putredine simpliciter, & quatenus talis, pestis natura penderet: omnes febres putridæ essent pestilentes. Itaque in

determi

Digitized by Google

determinanda & definienda putredine variè laborarunt, atque in varias partes secesserunt. Et quidem alij ex ipsa putredine, alij ex putrescentis materiæ diuersitate: alij ex loco differentiam quandam ab aliarum febrium putredine quærere conati sunt. Fracastorius quidem putredinem illam statuit esse profundam & sordidam. Hor. Augenius illam excellentiore corruptione explicat, & febrem pestilentem generari scribit, cùm maxima & excellens putredo fuerit: ita vt potiùs corruptio per putredinem, quàm putredo simpliciter appellanda sit, cùm neque alterari, neque concoqui, neque euinci adeò possit, quod in hac febre putrescit, vt ad pristinam naturam redire queat. Non multum ab hac opinione discrepat Thom. Minadoüs, qui duplicem putredinem statuit. Vnam secundùm quid, quæ non simpliciter adhuc putredo sit, sed alicuius adhuc coctionis particeps; Aliam, quæ putredo simpliciter appellari possit, eò quod nihil omnino contineat coctionis. Atque ex priore statuit oriri alias febres putridas: ea putredine verò simpliciter dicta & perfecta ortum habere malignas. Antonius Portus plura coniungit, putredinemque pestis authorem, largam, profundam, sordidam, conclusam, ad minima elaboratam, & in lentore constitutam esse dicit. Alex. denique Massarias peculiarem terminum & gradum putredinis, quem nemo forsan satis explicare possit, hic comminiscitur.

Opinio Fracastorij. Hor. Augenij. Th. Minadoi. Ant. Porti. Al. Massaria.

Alij non in putredinem per se, sed in rem putrescentem, causam discriminis transferunt, & pestilentes febres ab alijs ita secernunt, quòd in pestilentibus putredo depopuletur vniuersam sanguinis massam, atque in primis alimentalem eius portionem, cùm in alijs putridis putrescant potiùs partes illius excrementitiæ.

Alij tandem in malignis & pestilentibus febribus focum putredinis esse in substantia cordis statuunt; cùm in alijs febribus focus putredinis sit extra cor, è quo fuligines & vapores putridi ad cor mittantur.

Putredo pestis essentiam non constituit.

Verùm vt primò in genere has opiniones impugnemus, quocunque modo illi putredinem describant & explicent, ad pestilentiam constituendam non sufficit. Nam nisi aliquid aliud addatur putredini, differentiæ illæ à putredine sumptæ saltem secundùm magis & minùs sunt, neque variant speciem: atque ita non esset opus, pestem à reliquis putridis seiungere. Et in pestilentibus febribus magnitudo febris & mos eiusdem non distinguerentur. Atque ita si putredinis magnitudo, excellentia, vehementia febris magnitudinem simulque *κακοήθειαν* producit, nulla erit differentia inter magnitudinem morbi & morem eiusdem, quam tamen omnes Medici agnoscunt: rectéque Galenus scriptum reliquit, 3. *de cris. c. 4. Debiles quidem & paruæ febres quandoque valdè malignæ sunt, & aliæ calidæ atque æstuosæ, vt stomacho angustiam, & calorem ac sitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculosum.*

Deinde pestis secundùm suam essentiam & per se lædit modo toto genere diuerso, & secundùm vehementiam, & secundùm perniciem, ab eo, quo putredo & reliquæ putridæ febres hominem afficiunt: & proinde toto genere pestis à putredine & putridis febribus diuersa est: cùm operationes essentialiter diuersæ formas, à quibus proueniunt, essentialiter diuersas arguant. Etenim pestis, vt Galenus *de theriac. ad Pison. c. 16.* docet, ceu fera quædam venenata non paucos aliquos miserè perdit, verùm totas ciuitates depopulatur. Immutat enim aërem malo quodam modo, vnde homines, qui sine aëre respirare non possunt, contagium miserè euadere nequeunt. Attrahunt enim in seipsos aërem illum infectum, tanquam præsentaneum aliquod venenum. Hinc de quodam febri pestilente extincto Galen. 3. *epid. com. 3. t. 75.* scribit: *Itaque vt veneno lethali epoto quidam postridie vel tertio die moriuntur, qualitate eius, non copiâ mortem afferente: ita & hic quoque æger* (phreniticus) *statim tertio die censendus est obijsse à qualitate succorum virulentorum, non phrenitide peremptus. At phrenitis illum est subsecuta symptomatis vice.* Momento scilicet sese ferè exerit, & perniciosos effectus edit pestilentia, stupendo planè modo sese propagat ac diffundit, ac tantillum veneni pestilentis vel in aëre diffusum, vel in fomite aliquo latens, diutissimè integrum conseruari potest, & postea in corpus receptum, tantâ celeritate tam grauia produxit symptomata, vt à nulla manifesta qualitate tale aliquid prouenire possit. In putredine verò, quocunque etiam modo determinetur, nihil nisi manifestarum qualitatum actio apparet; & nulli alij morbi è putredine excitantur, nisi qui in qualitatum primarum & manifestarum excessu consistunt, ac in primis calore excedente lædit putredo, dum calorem natiuum in igneum mutat. In phthisicis certè non lenis putredo est, quâ pulmones interdum vlcera dimidium absumuntur, ex qua sine dubio vapores putridi cordi communicantur: multos tamen annos sæpe viuunt phthisici, neque peste extinguuntur, sed lentâ morte pereunt. Imò obseruatum est, non solùm pericardium computruisse, sed & in ipsa cordis substantia vlcera & apostemata inuenta fuisse, vt videre est apud Schenckium, *lib. 2. obseru. 202. & seqq.* quæ tamen nihil pestilens induxerunt, sed diuturnorum potiùs morborum causa fuerunt. Et si pestilentia per solam putredinem, calorem scilicet natiuum in igneum mutando, & ita intemperie calidâ læderet: in ardentibus febribus longè maior perniciès appareret, quàm in pestilentibus; cùm in ardentibus calor longè maximus conspiciatur; pestilentes verò omnes calorem vehementem non habeant.

Pestilentis veneni vis.

Alexipharmaca in peste necessaria.

Præterea si pestilentia in sola putredine, & non in venenata qualitate aliqua consisteret, eo etiam modo, quo aliæ febres putridæ, curaretur. Verùm longè alia est ratio, & præseruandi à pestilentia, & eandem curandi, quàm aliarum febrium putridarum: nimirum alexipharmaca, & in præseruatione, & in curatione pestis adhibentur. Atque ij ipsi, qui acerrimè defendunt, totam pestis curationem in putredine amouenda consistere, vbi tandem ad pestis curationem, & præseruationem ventum est, alexipharmaca adhibent, bolum armenum, terram sigillatam, scordium, tormentillam, theriacam, & similia.

Et licèt quidem hîc effugium nonnulli quærant, dum docent, ea non adhiberi, quatenus alexipharmaca, sed quatenus siccant, viscerum obstructiones aperiunt, partémque roborant, ac tonum eius conseruant, & omnino putredini contraria sunt: tamen hoc modo vim argumenti non effugiunt. Nam si hoc fine solùm ista medicamenta adhiberentur, non opus esset, alexipharmaca quærere, sed plurima alia inuenire liceret, quæ hisce indicationibus in peste satisfacere possent; Quæ tamen à nemine in peste adhibentur. Neque opus esset ex Lemno, & Armenia, India, Silesia, bolos, terras & lapides in distantissimas regiones aduehere, si siccandi solùm gratiâ & ob qualitates manifestas solùm terra Lemnia, sigillata, bolus Armenus, lapis bezoar vsurparentur: cùm in qualibet terra medicamenta, quæ easdem qualitates manifestas habeant, inueniantur. Et si medicamenta, quæ in peste exhibentur, saltem ad putredinem inhibendam dantur: cur non etiam in alijs febribus vsurpantur? Quis verò est, qui in febre tertiana, vel continua, vel intermittente, bolum Armenum, terram sigillatam, vel similia, quæ potiùs obstruendi, quàm aperiendi vim habent, adhibeat?

Insuper cùm putredo omnibus mixtis communis affectio sit, vbi in pestilenti & à communi aëris constitutione pestis prouenit, cur non omnia animalia æquè periclitantur; sed modò homines, modò sues, modò boues? Quod ipsum iam olim author libri de flatibus *t. 30.* annotauit: *Non omni*, inquit, *animantium generi eadem aut non conseruunt, aut commoda sunt: sed sunt alia alijs magis conuenientia.* Quando igitur aër huiusmodi *μιάσμασι*, id est, inquinamentis plenus est, quibus natura humana offenditur, homines ægrotant; quandò verò alteri cuipiam generi aër inconueniens est, tum morbus illud genus corripit. Quod certè fieri non deberet, cùm omnia animantium genera ad putredinem apta sint. Quanquam enim vnum indiuiduum, imò etiam vnum animalium genus, alio ad putredinem aptius sit: tamen nulla putredo dari potest, quæ vni saltem animalium generi aduersa sit; sed omnia putredinem concipere apta sunt, præsertim si causa sit vehementior: cùm tamen sæpe obseruatum sit, animalia ad putredinem concipiendam aptiora, à peste tuta viuisse, cùm alia minùs ad putredinem prona eadem laborarint. Sicut & illud interdum annotatum est, in aëris constitutione ad putredinem augendam aptiore, v. g. austrinâ, pestem minùs grassatam fuisse, quàm sub aliâ, quæ putredini aduersatur magis, v. g. Aquiloniâ.

An in omni peste febris adsit.

Tandem cùm, quod à re abesse potest; eíque ex accidente accedit, de eius essentia non sit, febris autem in omni peste non adsit: facilè hinc colligere est putredinem & hinc dependentem febrem, non esse de essentia pestis. Verùm cùm hac de re non omnes idem sentiant, & disputetur inter Medicos; An in omni peste febris adsit, quæstio hæc hoc loco discutienda est. Nonnulli in ea sunt sententia; nullam dari pestem, quæ non febrem coniunctam habeat. Idque præcipuè, vt suprà etiam dictum, ex modo inuasionis & symptomatibus, quæ pestem comitantur, colligunt. Nam, inquiunt, qui peste corripiuntur, primâ statim inuasione horrorem sentiunt, quem postea calor excipit, non aliter quàm in tertianis febribus fieri solet. Comitantur pestem vigiliæ, linguæ ariditas, oris siccitas, & multa alia symptomata, quæ putredinem & febrem arguere solent. Deinde afferunt quædam ex Hippocrate & Galeno loca. Hippocrates, *lib. de flat.* ita scribit: *Sunt autem febrium duo genera, quorum alterum, commune omnibus, pestis appellatur; alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea vtuntur.* Galenus etiam, *6. epid. com. 1. t. 29.* idem statuere videtur.

Verùm enimverò etsi concedendum omnino sit, plerumque cum pestilentia febrem coniungi, aut si mox inter initia non adsit, tamen tandem accedere: tamen necessariò & semper febrem cum peste coniungi negamus. Nam si historicos, qui pestilentias insigniores descripserunt, consulamus, inueniemus, omnino pestilentias aliquas fuisse, quibus febris coniuncta non fuit. Thucydides celebrem illam pestilentiam Atticam adeò accuratè describit, vt etiam minima quæque non prætermittat: febris tamen non meminit. Et Hippocrates, *3. epid. com. 3. t. 25.* de pestilenti quadam constitutione ita scribit: *Quorū capus*, inquit, *horum quid tentaret, his caput totum glabrescebat, & mentum, ossáque denudabantur, decidebántque, ac multæ extiterunt fluxiones. His adiuncta erat aliquando febris, aliquando non erat.* Et *t. 55. Excrementa biliosa, pinguia, tenuia, aquosa, atque ipse morbus multis eò erumpit, citra febrem & in febre.* Et Galenus, *9. de simpl. med. fac. §. de bolo seu terra Armenia*, ita scribit: *Bibetur* (*bolus armenus*) *ex vino albo, consistentiâ tenui, modicè diluto, si aut planè febre careant, aut leuiter ea teneantur. Sin grauiter febriant, admodum aquoso.* Etsi enim nonnulli hunc locum aliter interpretari conentur: tamen frustra laborant. Quidam enim aiunt: Galenum loqui de sanis, qui sint sine febre; ijsque præseruationis gratiâ bolum exhibendum esse. Verùm hæc interpretatio

manifestè contra Galeni mentem est, qui de curatione loquitur, cùm mox addat; *Quotquot hoc medicamentum biberunt, celeriter curati sunt: at quibus non profuit, omnes interiere.* Mercurialis, *de peste, cap.* 47. Galenum, vt & Hippocratem, in locis supra allegatis intelligendum putat, de febre exigua, ac vix sensibili. Verùm nec hæc interpretatio Galeni menti congruit. Galenus enim expressè triplicem eorum, quibus bolus propinari debet, differentiam facit; Vnam eorum, qui febre planè carent; alteram illorum, qui leuiter eâ tenentur; & denique tertiam eorum, qui grauiter eâ laborant. Annotant quoque alij Authores, pestilentias sine febre spectatas fuisse. Testatur Iacob. de Partibus *in primo quarti Auicennæ, capite de febr. pestilent.* quosdam tempore pestis cum vrinis ad se venisse, quos tangebat & inueniebat sine omni febre, sine vllo graui symptomate: qui tamen statim antequam discederent, aut paulò post moriebantur. Sic refert Alex. Benedictus, quosdam subitò sine febre inter domesticas & forenses actiones, vel publica negotia, decem horarum spatio, sine pulsus & vrinæ certo signo, in templis, in via, insperatò mortuos esse. Ita testatur Valeriola, *locor. comm. lib.* 3. *cap.* 10. In peste, quæ anno 1553. in Galliâ Narbonensi grassata est homines, vt videbatur, sanos & loquentes, & incedentes, statim tanquam fulmine ictos periisse. Quæ etiam in peste Veneta & Patauinâ euenisse refert Hieron. Mercurialis, *de peste cap.* 18. Quâ de re videantur & Capiuac. *Pract. lib.* 6. *c.* 36. Forestus, *lib.* 6. *obseruat.* 20. Paræus *de peste, c.* 10. Petr. Salius Diuersus, *de febr. pestilent. cap.* 4. 5. 7. Gerhardus Columba, *de febr. pestilent. lib.* 1. *c.* 27. 32.

Quæ verò pro contraria sententia afferuntur, facilè refutari possunt. Primo enim, quod ex inuasionis modo atque actionibus colligunt, cum peste febrem coniungi, id plerumque quidem verum esse, concedimus: Verùm tamen contrarium aliquando euenisse, meritò Authoribus grauissimis testantibus fidem habemus. Neque sequitur: Si in hac pestilenti constitutione febris coniuncta fuit, & talia accidentia apparuerunt. Ergò in omni ita sese res habet. Neque ratio impossibile esse monstrat, pestilentiam sine febri inueniri posse. Cùm enim pestis, vt partim monstratum est hactenus, partim ampliùs demonstrabitur, non in putredine consistat, sed venenorum aliorum more, imò vt venenum longè perniciosissimum, hominem iugulet: quid obstat, quo minùs tanta huius veneni possit esse vehementia, vt hominem iugulet, antequam putredo in corpore, & hinc febris excitetur; Putredo enim, præsertim tam magna vt eam describunt, tam subitò generari non potest. At venenum aliquod subitò cor petere, hominémque breuissimo temporis spatio interimere potest.

Quod deinde locum, *ex lib. de flat.* attinet, primò nonnulli docti Medici librum illum Hippocratis esse negant, cùm quædam dogmata veritati parùm consentanea continere videatur. Deinde sit liber iste Hippocratis: in illo tamen textu, quo dicitur, febrium duo esse genera, alterum commune, quod dicitur pestis, alterum priuatum, nihil aliud continetur, quàm diuisio febris, vt morbi communissimi, in duo genera, & alteram quidem omnibus communem pestem vocari, alteram, quæ ex ratione victus prouenit, cuique propriam esse. Emergúntque ex illa diuisione hæ propositiones: Aliqua febris est pestis, seu cum peste; Aliqua febris non est pestis, seu non cum peste. Non verò licet à particulari affirmatiua ad suam conuersam vniuersalem argumentando hinc concludere: Ergo omnis pestis est cum febre. Neque cum peste conuertitur febris communis. Sunt enim multæ febres communes sine peste, vt ex lectione librorum Epidemiorum Hippocratis, & ipsâ experientiâ apparet. Nimirum non est diuisio per differentias essentiales facta. Neque conuertibiliter verum est, omnem febrem communem esse pestem. Dantur enim, vt dictum, febres communes, quæ pestilentes non sunt.

Porrò vt in specie etiam istas opiniones perpendamus: Qui in putredine tantùm pestis essentiam constituunt, frustra omnes laborant in putredinis naturâ determinandâ. Primò enim Fracastorij opinionem quod attinet, qui profundam & sordidam putredinem esse dicit, manifestum est plurimas res putridissimas nihil pestilentiæ continere, neque vllo modo corpora humana peste inficere, febresque plurimas, in quibus maxima est humorum putredo, pestilentes non esse. Contrà verò in peste sæpe exiguas vel nullas putredinis notas apparere, neque fœtorem semper, quem ipsemet Fracastorius in sordida & magna putrefactione animaduerti dicit, deprehendi.

Fracastorij opinio perpenditur.

Eadem ferè contra Hor. Augenij sententiam faciunt, vt & Antonij Porti opinionem. Sequitur enim ex opinionibus illis omnibus, plurimas febres pestilentiales esse debere, quæ tamen tales non animaduertuntur. Nam in pestilentia tantùm & pestilentibus febribus tanta est humorum corruptio, vt ampliùs concoqui, elaborari, & ad pristinam naturam redire non queant: sed eadem in aliis quoque febribus non pestilentibus apparet, in quibus humores ita corrumpuntur, vt ad pristinam naturam ampliùs redire non possint, vt patet ex Galeno, 2. *aph.* 17. *&* 11. *meth. med. cap.* 8. vnde & euacuationes in febribus putridis & à natura fiunt, & ab arte instituuntur, vt quod corruptum planè est, & ampliùs emendari non potest, è corpore tollatur. Imò eâ de causâ febribus putridis laborantes interdum moriuntur, quòd tanta sit humorum corruptio, vt natura eam nullo modo emendare possit. Contrà in pestilentia sæpe non magna est putredo. Etenim sæpissimè, quamprimùm pestilentiâ homo corripitur, cor statim summoperè affligitur, & actio pestilentis qualitatis manifestè sese exerit; quod à putredine esse non potest, quæ vel nondum adest, vel primùm incipit. Neque enim putredo in momento simul incipere, & summa euadere, atque excellens, profunda, sordidáque fieri, & gradum illum, à quo pestilentiam constitui volunt, attingere potest.

Hor. Augenij & Ant. Porti.

Et si tanta putredo esset in peste, certè febris vehemens semper excitaretur. Quanquam enim hîc nonnulli dicant, falsum esse, vbi magna est putredo, ibi quoque magnum esse calorem; & respondeant, ad putredinem generandam vel fouendam non quemvis calorem aptum existere, sed solùm humidum: tamen scrupulum hunc non tollunt. Concedimus quidem calorem vehementem non putrefacere, sed adurere; solum verò humidum calorem putrefacere: id tamen non concedimus, ex magnâ putredine non sequi magnum calorem, sed statuimus, licet calor, qui putredinem excitat, magnus semper non sit: tamen si magna putredo, præsertim in corporibus animalium inde excitetur, necessariò magnum calorem inde generari.

Massarias verò, dum in peculiari & ἀῤῥήτῳ quodam gradu ac putredinis termino pestilentiam constituit, effugium saltem quærit. Si enim per putredinis gradum & terminum, tale aliquid intelligit, quod putredinis naturâ ac limitibus adhuc continetur: tunc contra eum pugnant illa omnia, quæ hactenus contra putredinem simpliciter dictam, & quatenus talis, attulimus. Si verò vel ille vel alius quicunque per inexplicabilem illum terminum, aut excellentem putredinem, occultam aliquam qualitatem, vel tale aliquid accipit, quod non qualitate vlla manifesta, sed intrinseca sui natura atque adeò innato quodam sibi substantiæ modo exitiale ac noxium sit: is nostræ sententiæ iam accedit, vt postea ampliùs dicetur.

Massarias.

Quod verò eorum opinionem attinet, qui ex putredine totius massæ sanguineæ, & præcipuè alimentalis portionis, pestem & febres pestilentes oriri statuunt, ij videant, quid causæ afferre possint, cur febres Synochæ omnes pestilentes non sint; & cur febres, quæ pesti coniunguntur, omnes Synochæ non sint. Nam è lectione Librorum Epidemiorum Hippocratis patet, & ipsa experientia docet, febres, quæ pesti coniunguntur, non omnes Synochas esse, sed plerasque alterius generis.

Nec ij rem expediunt, qui inter pestem & alias febres putridas hoc discrimen constituunt, quòd in peste & pestilentibus febribus focus putredinis sit in corde: in aliis verò extra cor. Etenim si focus putredinis in ipso corde esset, fieri non posset, quin calor vehementior in totum corpus dispergeretur, qui tamen in peste & pestilentibus febribus semper non percipitur.

Mediam inter has opinionem eorum esse diximus, qui venenum & putredinem in peste coniungunt, Eustachij Rudij & Raimundi Mindereri: qui tamen in eo discrepant, quòd Rudius ex veneno putrescente pestem fieri statuit; Mindererus verò à veneno putredinem excitari putat. Rudij opinionem quod attinet, frustra ille putredinem veneni comminiscitur, neque naturam veneni satis consideratse videtur. Venena enim peculiarem ex se habens cum corde ἀντιπάθειαν, vt illud oppugnare, & hominem extinguere, etiam sine putredine, ex sua natura possint. Et quomodo generabitur ex aëre pestilenti pestis secundùm hanc opinionem? Primùm necesse erit, vt humores in venenum mutentur, hoc deinde putrescat, & pestem constituat. Cum tamen contrarium fieri, res ipsa satis doceat. Quæ enim ex aëre inspirato fit pestis, subitò sese exerit, neque per has ambages generatur. Imò videntur, vt paulò antè dictum, & animaduertuntur sæpissimè veneni effectus, antequam febris accedit. Et licèt febris sæpe pesti coniungatur: tamen non hoc modo producitur: sed verior est eorum sententia, qui statuunt, febrem ideò pesti accedere, quòd venenum pestilens habeat vim humores corrumpendi & putrefaciendi.

Eust. Rudij.

Itaque inter has opiniones, quas hactenus in medium attulimus & examinauimus, veriorem, Mindereri sententiam esse statuimus, qui venenum in peste admittit. Cui in eo quoque libenter assentimur, in plerisque pestilentibus constitutionibus pestem febri coniungi: neque aliud in peste, quæ superioribus annis hîc aliquoties grassata est, obseruaui: interim ex eo, quod vel ego vel alius quispiam obseruauit, non licet concludere, in omni pestilenti constitutione hoc euenire: sed Medicis Clarissimis qui contrarium obseruarunt & annotarunt, fidem habemus. Imprimis cùm rationes euidentes doceant, febrem ad pestilentiæ essentiam non pertinere, & putredinem saltem pestilentis veneni effectum esse, & à veneno hominem iugulari posse, antequam febris inducatur. Est deinde in hac opinione & illud dubium, an omne pestilens venenum septicum sit, & putrefactoriâ vi potissimùm omnem cladem perficiat. Veneni enim pestilentis magna est varietas; & vt ipsemet statuit, aliud dipsadis, aliud viperæ, aliud cicutæ, aliud napelli, aliud alterius exhibiti toxici naturam æmulatur. Vnde etiam non eadem symptomata ab eo inducuntur. Et hoc quidem libenter concedimus, quodlibet pestilens venenum habere vim humores corrumpendi: an verò putredine id semper fiat, dubitamus, de quo dictum in *Instit. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 12.

Mindereri.

Et quod dicebatur, pestem inuadere, vt reliquas febres putridas, & symptomata plurima, quæ in putridis aliis apparent, in

peste

peste etiam animaduerti: libenter concedimus, plerumque ita se rem habere, necessario verò id semper fieri negamus: & exempla contraria ex Iacob. de Partibus, Alex. Benedicto & Valeriola allata sunt. Quanquam enim hic nonnulli respondeant, tales mortuos fuisse febre pestilenti ephemera: tamen hoc modo sese non extricant. Hoc quidem concedimus, quòd illud venenum pestilens singularem analogiam habuerit ad Spiritus, eos subitò corruperit, atque ita spiritibus corruptis homines repentè enecarit. Verùm quod necessarium fuerit, vt ephemera priùs excitaretur, & spirituum calor in igneum, in quo essentia febris consistit, mutaretur, non concedimus, neque experientia id testata est, cùm ægri calorem illum in spiritibus præternaturalem & igneum facilè percipere potuissent; siquidem cùm planè sani sibi viderentur, subitò conciderunt, & mortui sunt.

Controuersiæ decisio.

Hæc omnia, cùm ita se habeant, eorum tandem sententiæ accedimus, qui statuunt, à materia venenata occulta totaque natura cordi aduersa qualitate prædita, pestem prouenire, & reliquorum venenorum more hominem occidere; id quod effectus veneni pestilentis satis docet. Etenim, vt rem summatim dicam, si modum agendi, ac vim & vehementiam veneni pestilentis perpendamus, omnino eius tales sunt actiones, quæ à qualitate prima nulla proficisci possunt. Tam subitò enim quod nulla qualitas prima facit, vim suam in corpora alia imprimit, vt si quis peste infectum sudantem paulisper saltem contingat, mox inficiatur. Siquidem tam breui tempore hominem iugulat, vt Ant. Portus, *lib. 3. de peste, cap. 8.* narrat, anno 260. Romæ vno tantùm die, 5000. hominum peste interiisse. Et Spangenbergius, *in chronic.* refert, anno Christi 1348. pestem Erphordiæ grassantem, circa diem Laurentij, viginti quatuor horarum spatio 2500. homines enecasse.

Veneni pestilentis vis.

Quæ omnia arguunt, veneni huius vim non à Qualitatibus primis dependere, sed in spiritali quadam essentia consistere, quæ promptissimè ad interiora corporis penetrat, in primis ad ipsum cor, cui malignam suam qualitatem imprimit, spiritus occulto modo dissipat ac corrumpit, calorem natiuum, proximum animæ instrumentum pessundat, humorésque inquinat & corrumpit: vnde periculosissimorum symptomatum agmen suboritur, febris, vomitus, alui profluuia, syncope, dolores capitis, vigiliæ, deliria & plurima alia grauissima mala. Neque vllus alius morbus est, qui tantam in genere humano stragem edat, ac pestilentia. Refert enim Procopius, *lib. 2. de bello Persico*, sub Iustiniano Imperatore, Byzantij, & finitimis in locis tanta pernicie pestem sæuiisse, vt singulis diebus 5000. & quod fere incredibile videtur, 10000. hominum extinxerit. Niceph. *lib. 17. histor. Eccles. c. 17.* narrat, Pestem ex Æthiopia vniuersum penè orbem peruasisse, ita vt neminem fere hominem intactum reliquerit, & totas ciuitates incolis vacuas fecerit. Platina, *in vita Clementis VI.* refert, olim in Italia pestilentiam tã atrocem sæuiisse, vt ex millesimo vix decimus euaserit. Et in *Annalibus Francia* annotatum, Anno 1374. peste per vniuersam Galliam & Germaniam grassante, penè tertiam humani generis partem extinctam fuisse. Et Quercetanus refert *in Alexitaco, cap. 4.* Anno 1400. Florentiæ paucis diebus 30000. hominum è viuis excessisse. Ita Michaël Saxo, *in vita Friderici III. Imperatoris* narrat, An. 1453. Erphordiæ pestilentiam 28000. hominum extinxisse.

An omnis pestis sit contagiosa.

Vnum restat adhuc explicandum, Quomodo Contagium sese ad pestem habeat. Pestem contagiosam esse, proh dolor! omnes ij satis superque experiuntur, quos pestis affligit. Sæpe enim accidit, vt primo vno atque altero saltem peste laborante ex per Contagium breuissimo tempore per tota oppida & vrbes, imò prouincias disseminetur. Petrus Salius Diuersus quidem, *de febre pestilenti, c. 11.* dari nonnullas pestes & morbos pestilentes absque Contagio sentit, idque conatur probare ex historiis. Quoniam, inquit, Hippocrates & Galenus, cæterique eius temporis Medici, dum nonnullæ pestes maximè sæuirent, indiscriminatim nullaque habita contagij ratione, ad inuisendos & curandos ægrotos accedebant, atque laborantes ea nec vitauere ipsi, nec vitare alios monuerunt: tempore quòd nullum morbis, qui tum vagabantur, Contagium coniunctum erat. Deinde hodie etiam in Ægypto, Syria, & Asia minore vagari dicit pestilentes morbos, in quibus nullo contagij suspicio vel timor adsit, cùm incolæ eorum locorum nefandum scelus existiment, vitare consuetudinem peste ægrotantium. Etsi verò non negemus, pestilentes morbos alios aliis esse contagiosiores: tamen vt pestilentias illas antiquorũ cõtagiosas non fuisse credamus, adduci nõ possumus. Hippocrates certè, *lib. 2. de nat. hum. c. 4.* νοσερῶν ἀπορρέων, *morbosi effluuij*, Et, *lib. de flat. text. 6.* μιασμάτων meminit, quæ nihil aliud sunt, quàm Contagij semina. Et Galenus *1. de different. febr. cap. 2.* hæc habet. *Quod aëris pestilens status febrem afferre consueuerit, nemo dubitauit. Sicut & pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur; quemadmodum ex scabie & lippitudine.* Atque, *ibid. c. 4.* docet, pestem Atticam ex Æthiopia per contagium fuisse propagatam. Et Thucydides de ipsa peste testatur, cùm nonnulli, qui amicorum paulò studiosiores, laborantibus opitularentur, ac eodem morbo correpti & ipsi enecarentur, alij pusillanimes contagij formidine suos deseruerunt. Et pestem in Syria, Ægypto & Cairo quod attinet, non ideò sine timore peste infecti ab aliis visitantur, quòd pestes istæ contagiosæ non sint, sed quòd falsò sibi persuasum habeant illi homines, neminem peste mori posse, nisi cui hoc morbi genus à fatis destinatum sit; sicut suprà ex Prospero Alpino docuimus.

Contagium an sit de pestis essentia.

Etsi itaque omnem pestem contagiosam esse statuimus: tamen de natura & essentia pestis contagium non est, neque ad eius formalem rationem pertinet, sed est accidens, naturam pestilentiæ sequens; tale tamen, quod omni quidem, sed non soli competit. Plures enim alij morbi, vt lepra, lues venerea, phthisis, scabies, atque alij quidam contagiosi sunt, id est, vapor, seu halitus quidam ex corpore tali morbo laborante effluere potest, qui in alio corpore receptus, similem in eo morbum producit. Verùm de contagij natura paulò post plura.

Pestilentiæ definitio.

Atque cùm ex hisce pateat, quænam sit proxima morbi pestilentis causa, materia scilicet venenata, & tota sui natura cordi aduersa, ac quælibet causa morbum sibi congenerem per se inducat, calidum, frigidum: meritò hinc concludimus: *Pestilentiam esse morbum cordis venenosum, à materia venenata, cordique totâ substantia peculiariter aduersa, contagiosaque genitum, & proinde ipsum contagiosum omnesque cordis actiones subitò & ἀθρόως lædentem, maximè acutum, lethalem, omnisque generis perniciosa symptomata inducentem.*

Causa pestilentis vis.

Ex quo iam apparet, in pestilenti materia maximam esse agendi vim. Est enim hoc veneni, & eorum, quæ occulta qualitate agunt, proprium, vt ad exercendas suas actiones non magna corporis mole semper, sicut ea, quæ qualitatibus primis agunt, opus habeant, sed etiã in minima mole maximam agendi vim obtineant. Quod Galenus docuit, *lib. de sem. c. 16. Minima, inquit, portiuncula lethalium venenorum, vbi animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, similique sibi affectione alterat.* Scorpionis, phalangij, & aliorum venenatorum animalium morsus & ictus sæpè vix tantum sui vestigium relinquunt, quod oculis conspici possit: in tantilla tamen portiuncula veneni per tantillum foramen iniecti tanta vis est, vt breui tempore, omnes ferè in corpore humores corrumpat, & sibi simili qualitate inficiat. Idem apparet in purgantibus, colocynthide, scammonio, helleboro, antimonio, &c. quorum pauca grana, in corpus assumpta, omnes humores perturbant & agitant. Tali etiam modo se habet pestilens venenum, cuius minima portiuncula vel aëri permixta & in corpus inspiratione attracta, vel per poros admissa, breui temporis spatio vires suas exerit, & humores corrumpit, vt ex vomitu, diarrhœis, carbunculis, bubonibus, maculis variis atque aliis, quæ pestem comitantur, & corruptorum humorum indicia sunt, videre est, ipsúmque hominem breui iugulat.

Venenorum varia genera.

Verùm venenorum varia sunt genera, & peculiares, non solùm cum variis speciebus, sed etiam specierum indiuiduis, imò certis indiuiduorum membris, habent antipathias. Sic cicuta sturni innoxiè vescuntur, quæ homini venenum est: sic helleboro coturnices, quo homo itidem læditur: nuce vomica ad venena depellenda etiam homines innoxiè vtuntur: quæ tamen plerisque brutis lethalis est: sic cantharides solùm vesicam exulcerant; lepus marinus pulmones. Idem etiam in peste animaduertitur. Non enim eadem pestilentia in omnia animalia grassatur, sed alia oues, alia equos, alia boues, alia homines iugulat.

Qualis autem sit specifica pestilentis veneni natura, & quomodo ab aliis differat, nemo forsan satis explicauerit. Nonnulli effectus, quos certa venena, tum ab animalibus, & plantis, tum à mineralibus profecta edunt, perpendentes, etiam venena, quæ in homines incidunt, appellant alia viperina, alia dipsadica, alia scorpiaca, alia salamandrina, alia tithymallina, alia aconitica, alia arsenicalia, alia mercurialia, alia antimonialia. Et plerique pestem inter venena Mercurialia & arsenicalia referunt. Idque non simpliciter reprehendimus, & corruptiones humorum venenis, quæ in animalibus, plantis & mineralibus sunt, analogas reperiri posse non inficiamur, neque opus est, vt in peste ipsissimum illud minerale arsenicum, eiúsque omnes effectus in peste appareant. Vt enim in animalium corporibus sal ille esculentus suas mutationes subit, & animalis redditur: ita & talia suas fermentationes & mutationes accipiunt, & animalibus proportionata sunt. Qualis tamen sit pestilentialis veneni natura, & quæ eius in qualibet pestilenti cõstitutione differentia, nemo hactenus satis explicauit. *Talia sunt hæc, vt I. Cæs. Scalig. Exerc. 218. s. 8. ait, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.*

In summa, vt mihi videtur, & vt de pestilentis veneni natura & generatione sententiam, quam mihi experientia suggessit, exponam. Pestilentia est supremus corruptionis gradus, quem quidem humores in corpore nostro percipere possunt, ad quem per multas alterationes, mutationes, & fermentationes, peruenitur, & in quem morbi, qui præcesserunt, tandem degenerant, & abeunt.

Pestis generatio.

Etenim primò Pestilentia grassante, quod quinquies, dum hîc VVittebergæ Medicinam profiteor & facio, hîc accidit, hoc inter alia obseruaui, quòd alij morbi Sporadici & benigni peste grassante omnes ferè silent, imò qui præcesserunt Epidemij, cessant. Anno 1626. quo pestis hîc plures occidit, quàm vnquam (quantum quidẽ qui in viuis sunt, meminerunt,) factum, vix integro mense vnus ad sepulturam elatus est, qui alio, quàm peste, morbo perierit, cùm ante vix dies abierit, quin vnus vel alter sepeliretur. Equidem cùm præcedentis veris & æstatis constitutionem illam siccam, cum ea, quæ Anno 1616.

erat, confiterem, persuasum habebam, febres illas epidemias, quæ Anno 1616. grassabantur, & tandem sub finem æstatis Quartanas vulgariter grassaturas: verùm postquam pestis inualuit, reliqui omnes morbi quieuerunt, paucis Quartanis exceptis. Relatum tamen est ad nos publicis litteris, febres illas epidemias & quartanas in Hispania eo anno grassatas fuisse, ad eum planè modum, quem Anno 1616. hic experti sumus, & & suprà *lib.2.c.20.* descripsimus. Vbi & hoc notandum, quòd rarò ij qui Quartana laborant, peste corripiuntur.

Deinde & hoc certum, quòd pestis non semper à contagio incipit, sed sæpe, quod in exercitibus & obsidionibus accidit, ex victu prauo & similibus causis oritur. Sicut hæc ipsa pestis, quæ hîc & in vicinis locis grassata est, in castris primùm exorta, & hinc longè latéque per contagium dispersa est.

Tertiò & hoc extra dubium est, quòd variolæ, morbilli, dysenteriæ, febres malignæ tandem in pestem degenerant.

Quartò nec hoc prætereundum, quòd ex imaginatione, terrore, & metu, eóque sæpe leui, nonnulli peste corripiuntur, cuius rei exempla plurima anno 1616. hîc obseruaui. Et memini peste correptos, qui currum illum, quo peste extincti ad sepulturam vehuntur, è longinquo extra vrbem conspexerunt; alios, qui domo inclusi eum non viderunt, sed strepitum saltem eius audiuerunt: imò etiam nobis relatum est & ex insomniis de peste, nonnullos peste correptos fuisse, qui cum nullo peste infecto conuersati fuerant, & quos certum erat, per contagium pestem non hausisse.

Tandem & hoc cuilibet obseruare promptum est, habere pestem, vt & alios morbos Epidemios, suas periodos, quibus peractis cesset. Idque anno 1616. obseruaui in oppidis vicinis, vt Iessæ, Kembergi, vbi citiùs pestis cœperat, citiùs etiam, & sub finem Octobris desiisse; hic verò, vbi tardiùs incœpit, etiam longiùs protractam fuisse; quod & alibi accidit.

Ex quibus omnibus colligo, quòd pestis supremus, qui humoribus & spiritibus accidere potest, corruptionis gradus est, quo nullus peior & perniciosior datur, ad quem per longas alterationes & fermentationes, vt sic dicam, q. gradus peruenitur, qui cùm ab astrorum influxu, tum aëris qualitatibus & excessibus, tum erroribus in victu inducuntur. Cùm enim quotidie in corporibus nostris ab influxibus Stellarum minùs commodis, tum etiam aëris excessibus, vt & victûs erratis mutationes accidant, & quò maior est actio istarum causarum, eò maior fiat humorum corruptio: Hinc varij morbi cùm sporadici, tum epidemij, & in primis febres ortum habent. Verum quia humores praui, quò diutius in corpore nostro retinentur, eò deteriores fiunt, præcipuè si externarum causarum dispositio corpori nostro inimica accedat: hinc adeò fit, vt humorum illa corruptio, quæ febres tertianas publicè grassantes, vel variola, morbillus, dysenteriam, febres malignas, catarrhos epidemios, & similes morbos induxit, summum corruptionis tandem gradum accipiat, vnde pestis generatur. Quam prauam diathesim vbi humores acquisiuerunt, non mirum est alios morbos quiescere & silere. Hinc etiam euenit, vt pestilentes constitutiones nunc citiùs nunc tardiùs reuertantur, prout causæ istæ, puta victus errores in annonæ caritate, in exercitibus, aëris magna anomalia, astrorum positus infausti, nunc citiùs nunc tardiùs reuertuntur. Et sicut morbi in singulis indiuiduis sua habent têpora, initium, augmentum, statum, declinationem: ita etiã cùm alij morbi epidemij, tum pestis sua vniuersalia in qualibet regione, imò oppido, & pago tempora habet. Dysenteriæ plerumque Iunio incipiunt, Septembri cessant. Pestis etsi non ita certũ initium & finem habet, sed quovis tempore incipere & desinere possit: tamen plerumque Nouembri & Decembri desinere solet. Sicut hæc ipsa pestis, quæ anno 1616. tota æstate & autumno hîc grassata est, Decembri desiit; etsi multis diebus aër potiùs vernus, quam autumnalis fuerit, & perpetuæ pluuiæ: ita contra ante mensem, cùm frigus esset intensum, parum intermitteret. Et quò citiùs, initio grassari incipit, eò etiam citiùs plerumque desinere solet. In pago *Schralah* 4. milliaribus hinc distante; eo anno citò incœpit, & dimidiam hominum partem supra 600. ibi iugulauit, sed ipso Augusto, quod mirum, cessauit.

CAPVT II.

De Causis Pestilentiæ.

CVm alius morbus nullus sit, qui genus humanum affligat acerbiùs & vehementiùs, quam pestis, in causa eius inuestiganda supra aliorum morborum causas ascendendum esse, tacitus ferè omnium hominum consensus probauit. Neque enim solùm veri Dei cultores calamitatem hanc à Deo, hominum peccata plectente prouenire agnouerunt: sed Ethnici quoque & Idolorum cultores idem professi sunt. Hinc Homerus 1. *Iliad.* in bello Troiano ob filiam Sacerdotis stupratam, Græcorum exercitui pestem immissam esse ab Apolline, scribit; passim ab Ethnicis victimæ diis oblatæ, preces & supplicationes, pestilentiæ auertendæ gratia, institutæ leguntur. Sacræ verò litteræ non solùm exemplis, sed & monitis, idem nobis multò rectiùs persuadent, vt patet ex *Leuitici capite* 25. *versu* 36. *Numer. decimoquarto, versu* 12. *Deut. cap.* 26. *vers.* 28. 2. *Reg. cap.* 24.

De modo autem quo Pestilentia à Deo hominibus immittitur, An Angelorum bonorum vel malorum ministerio, vel alio modo, non pluribus disputamus, sed Theologis id explicandum relinquimus. Vnum saltem hîc monemus, quòd Deus non solùm secundùm ordinariam potestatem & virtutem, per medias causas naturales, verùm etiam secundùm absolutam potestatem, non concurrentibus causis secundis ordinariis, pestem hominibus immittere possit.

An Deus sine causis secundis quandoque pestem inducat,

Ioh. Pistorius quidem, *lib. de peste,* scribit, discessisse Deum à creatione, & naturam dedisse, qua res omnes laborarent & consisterent; vim autẽ agendi ipsum accommodasse. Deum igitur in Natura causam effectricem esse primam omnium, sed interiectam, tanquam mediam, naturam esse, vt illud quod hodie Deum facere diximus, posteriorum causarum effectio sit.

Verum enimverò etsi hoc plerumque verum sit: Deo tamen agenti liberrimo absoluta potestas adimenda non est. Et si hoc verum esset, omnia miracula tollerentur. Et pestem à Deo immediatè immitti, vel ex *lib.2. Reg. cap.* 24. apparet. Cùm enim Dauid numerando populum, iram Dei in se concitasset, & ex tribus pœnis, quas Dominus ipsi per Prophetam Gad proposuerat, pestilentiam elegisset, mox ea exorta est, & tribus diebus per Angelum percussorem 70000. hominum occidit.

Causa pestilentiæ.

Verùm, quòd Medicorum est, ad naturalium causarum inuestigationem accedamus. Pestilentia cùm morbus communis sit, a causa etiam communi, seu quæ omnes afficere possit, ortum habeat necesse est. Etsi verò nonnulli sint, qui à victu communi, vt infra dicetur, pestem prouenire posse negent: tamen plerique duas pestilentiæ causas statuunt, aërem & victum communem. Verùm neque hoc sufficere putamus, sed præter aërem & victum; alias quoque causas pestem excitare posse existimamus. Inter eas est primò contagium. Etsi enim hoc verum sit, si in genere & simpliciter de pestis prima origine quæramus, eam vel in aëris vitium, vel victum prauum, quibus cælestis influxus suis an addi potest, referendam necessariò esse: tamen sæpe accidit, vt in aliqua ciuitate vel regione nullum in aëre per se vitium sit, neque etiam incolæ eius loci prauo victu vsi sint: ex alio tamen loco per contagium eò pestilentia deferatur; vel fomes aliquis diu latens excussus pestem propaget, & ita pestis primò paucis communicata, postea in plures se diffundat, vt iam toti oppido vel regioni epidemium malum reddatur: cuius rei sæpissimè exempla occurrunt. Deinde etiam hoc negari potest, plurimos sola imaginatione & terrore eundem sibi morbum attrahere.

F. Plateri de pestis origine opinio.

Fel. Platerus, peculiarem de peste habet opinionem, eámque nunquam primitus generari, sed saltem per contagium propagari putat. Quemadmodum enim reliqua venena in corporibus certis ab origine mundi innata hæreant: Sic & pestilens hoc venenum non tantùm in hominum quorundam, qui iam peste ægrotant, sed & aliorum nondum ægrotantium corporibus, & vestibus quoque, aliisve quibuscunque delitescere posse, & de corpore in corpus non solùm mutuo contactu, sed & intermedio aëre, illa venenata semina ab vno suscipiente & in aliud deriuante, transferri statuit, existimatque semina hæc pestis, vt alia venena, in aliqua mundi plaga semper in quibusdam corporibus residere, atque ab ea in alia loca propagari: Et licèt nihil de ea, vbi vigeat, audiamus: non tamen credendam esse putat, eam tunc penitus extinctam & è medio sublatam esse, & cùm redit, in aëre de nouo genitam fuisse: sed tum alicubi terrarum corporibus quibusdam inhærere, atque inde suo tempore in alia deriuari.

Verùm in omnibus hisce Viro Clariss. assentiri non possumus. Licèt enim primò facilè credamus, vix vnquam pestem ita planè cessare, vt nullus in toto mundo locus sit, in quo pestis non grassetur: tamen quando alicubi pestis exoritur, eam semper aliunde illuc transferri non concesserim. Sic, vt alicubi, quod tamen sæpe ignotum, pestis grassetur: tamen locus ille ab eo, in quo pestis exoritur, sæpe tam remotus est, nulláque inter vtriusque incolas commercia sunt, vt ex illo in hunc pestem translatam esse, planè incredibile sit; id quod sæpe in obsidionibus & exercitibus accidit. Deinde longè alia est ratio aliorũ venenorum & veneni pestilentis. Nam venena pleraque alia ad res naturales pertinent, neque ex corruptione saltem prodeunt: & licèt homini venenum sint, tamen ad aliarũ rerum naturam & essentiam pertinent, vt in napello, cicuta, scorpio, vipera & aliis videre est. Venenum verùm pestileus, hoc modo creatum esse, sicut napellum, cicutam, &c. non dixerim, sed illud totum ex corruptione aliarũ rerum oritur, quæ à natura sua degenerantes veneni huius naturam induunt; sicut videmus sanguinem semen corruptum, venenorum, licèt non pestilentium, homini tamen noxiorum naturam induere; & in cane rabiosum venenum generari. Itaque si rabiem in cane, aut venenum epilepticum in homine in prima origine mundi creatum non dicimus, sed per certas causas humores corruptos in cane vel homine huius veneni naturam induere: quid obstat, quò minùs ex causarum peculiarium constitutione talis rerum aliquarum fiat corruptio, vt pestilentem naturam induant? Et fieri hoc historiæ satis testantur, conspiratque in hoc omnium Medicorum & Historicorum consensus, post annonæ caritatem insignem, victúsque, ob melioris inopiam, prauum, pestes grauissimas,

in

io obsidionibus vrbium atque aliàs etiam, exortas fuisse. Quales etiam accidisse post insignes temporum anni ἀνωμαλίας, Hippocrates in *epidemiis*, annotauit.

Neque obstant, quæ hîc obiicit Platerus. Nam licèt interdum post magnas eiusmodi diúque durantes tempestates alij quidem morbi, nulla verò pestis exoriatur: id tamen ideò accidit, quòd causæ illæ nondum sufficientes ad pestem inducendam fuerint. Nam neque gradum illum & constitutionem causarum, quæ ad pestem excitandam necessaria est, facilè quis explicauerit; neque pestis generatio solùm & principaliter à manifestis qualitatibus dependet. Nec sequitur, si post hanc temporũ anni ἀνωμαλίαν, aut tempestates, nulla pestis secuta fuit: Ergo nullam dari posse, quæ eam generare valeat. Deinde licèt sæpe pestis grassetur, vbi, nemo facilè, quæ vel in sideribus vel in aëre causa fuerit, explicare possit: non tamen sequitur, nullam omnino causam fuisse. Vt enim veneni huius natura nobis incognita est: ita etiã causarum hanc inducere valentium peculiarem & definitam naturam nemo facilè explicabit. Et quid mirum est, pestilentiæ causas inuestigari non posse, cùm, quantum in causis tempestatum reddẽdis Astrologi hæreant & fallantur, omnibus notum sit. Præterea concedimus, non semper à syderum positu vel aëre pestem oriri, sed sæpe vel ex victu prauo, vel etiam solo contagio prouenire. Tandem licèt pestis suam originem ex aëre habeat: non tamen est necessarium, vt omnes eâ corripiantur & intereant. Nam videmus etiam cum peste infectis plurimos conuersari: non tamen omnes infici, sed in nonnullis fortiorem ad resistendum veneno pestilenti naturam esse, alios eidem succumbere. Interim hoc certum est, vbi vitium in aëre est, longè plures peste & corripi & interire, quàm vbi solùm per contagium eadem diffunditur. Verùm hæc clariora fient ex iis, quæ iam de pestis causis dicentur.

De quibus hoc primùm monendum videtur, causas alias esse pestem generantes, alias propagantes, quæ contagij ratione comprehenditur. Cum enim, vt modò dictum, Plateri opinio locum habere non possit, qui statuit, semper pestis semina alicubi latere, & tantum per contagium propagari, omnino causas dari necesse est, à quibus pestis, quæ alicubi grassari incipit, si per contagium aliunde delata non sit, ortum habeat, quæ postea per contagium facilè propagatur. Atque ita causæ pestis omnes in duas classes referuntur, in causas pestem generantes, & contagium. In priore classe sunt Aër, & quæ faciunt, vt aër pestilentem constitutionem acquirat, deinde stellæ, tertiò victus communis, quartò veneficia, nisi forsan ad contagium ista referantur, quintò imaginatio & terror. In alterâ contagium; de quibus causis iam ordine dicemus.

Vt ergo ab aëre initium faciamus, cùm aër non solùm contagium ex aliis corporibus infectis recipiat, atque in alia transferat, verùm etiam absque contagio, quod suscipit, pestis causa euadat: videndum, quo modo aër ad generationem pestis concurrat. Vbi mox in principio quæstio discutienda occurrit: an aër, quando pestilentia grassatur, atque vitium ex aëre pendere dicitur, pestilentiæ seminaria in se contineat, & venenatus reddatur? An verò saltem aptus reddatur, vt venenum in corporibus dispositis generet? Prius negat, posterius affirmat Hieron. Mercurialis, *lib. de peste, cap.* 7. idque ob has rationes: Primò, inquit, aër est plenus multo igne: Ignis autem à se venena, vt & aliàs res repellit. Deinde Natura, cùm studeat animalium naturam conseruare, semper id intendere solet, vt venena paucâ copiâ gignantur. At si aër fieret venenatus, copiosissimus esset veneni prouentus, & cùm omnia animalia aërem continuò inspiratione attrahant, si vel tantillum aër esset venenatus, perderet statim omnia animalia. Ipse verò statuit, aërem eo potissimùm modo concurrere ad venenorum generationem in corporibus nostris, quoniam in corporibus præparandis inducit quendam calorem præternaturalem, naturali inimicum, qui cùm calorem natiuum expulerit, fieri postea, vt omnes humores nostri corporis priuati custodiâ caloris natiui putrescant, & consequenter naturam veneni induant.

An aër euadat pestilens.

Quibus modis aër pestilentiæ causa fit.

Verùm enimverò etsi concedamus & admittamus, hunc primum modum esse, quo aër ad pestem generandam concurrit, quando scilicet vitiosâ constitutione suâ ad corruptionem humorum in corpore nostro facit; atque hoc modo sæpe pestilentiam excitari statuamus; tamen semper hoc fieri, concedere non possumus: sed secundò statuimus, nonnunquam in ipso quoque aëre pestilentiæ semina hærere. Atque id docet subita & inopinata mors eorum, qui aërem illum attrahunt. Tam subitò enim tum nonnulli moriuntur, vt venenum in corpore per aëris constitutionem, eo modo quem describit Mercurialis, genitum esse, credibile non sit. Non tamen est necessarium, vt totus aër venenatus sit aut veneni naturam induat; sed sufficit, si pestilentiæ semina hinc inde dispersa sint: Neque etiam omnes, qui semina illa pestis attrahunt, eâ necessariò corripiuntur, vt modò dictum. Hoc tamen, vt etiam iam dictum, certum est, pestilentes has constitutiones esse longè grauiores & periculosiores iis, vbi saltem ex corporibus infectis semina pestilentiæ in aërem aliàs parum sparguntur. Ex quo ad id, quod Mercurialis obiicit, in aëre scilicet tali animalia viuere non posse, expedita est responsio. Quod verò ex Aristotele affert, aërem multo igne esse plenum, id sano modo intelligendum est. Calidi quidem vapores hinc inde dispersi sunt, sed plures tamen hoc, pauciores illo tempore; neque ij tanta copia, vt omnem aliam materiam in aëre absumere possint. Addamus tamen & hoc, vtrumque simul fieri posse interdum, vt scilicet & aër vitiosus sit ac venenatus, & in corporibus animalium ex vitiosa aëris constitutione vitiosi humores generentur. Nam ab ea, quæ in aëre est, constitutione, præcipuè si sit diuturnior, corpora animalium necessariò afficiuntur.

Cùm ergò aër in seipso pestilentiæ semina aliqua contineat, vt hoc modo pestis causa esse dicatur, duo iam explicanda sunt: Primò, quodnam in aëre vitium requiratur, vt pestilens euadat: Deinde, vnde illud vitium aër contrahat.

Quomodo aer pestilens euadat.

Primum quod attinet, nonnulli in ea sunt opinione, vitium illud à mutatione primarum qualitatum prouenire, dum scilicet in qualitatibus primis aër ita alteratur, vt putredinem concipiat, in primis si caliditatem & humiditatem nimiam obtineat. Qua de re Galenus, 1. *de differ. febr. c.* 4. ita scribit: *Pestilentes morbos oriri est necessarium, cum aëris temperatura à naturali habitu ad caliditatem & humiditatem immoderatam fuerit conuersa.*

Talem aëris constitutionem describit Hippocrates, præcipuè 3. *epid. comm.* 3. *Annum*, inquit, *austrinus, pluuius, à ventis in totum silens, cùm paulo superioribus anni temporibus squallores præcessissent: sub arcturum flatus austrini, multum pluit. Autumnus nimbosus, nubilus, largè pluens. Hyems erat austrina, humida, lenis. Multò post Solis reuersionem circa æquinoctium Boreas spirauit, & niuxit non ita diu. Ver rursus austrinum sine ventis, pluit multum & continenter vsque ad canem. Æstas serena erat & calida, magni erant æstus: Etesiæ parvæ dispersim spirabant: sub arcturum rursum spirante Borea multum pluit.* Cùm itaque esset annus austrinus, humidus, pestem sæuissimam peperit, qua vix alia sæuior, quam accuratè Hippocrates describit.

Humida & calida aëris constitutio quomodo pestilentiam inducat.

Verùm etsi concedimus, tales constitutiones ad pestem inducendam valere; tamen duo monenda censemus. Primò illam humidam & calidam constitutionem non causam adæquatam esse, cur pestilens venenum in aëre vel in corporibus animalium generetur, sed saltem causam præparantem, & quæ alias proximas excitat. Neque enim pestilentis causæ ratio consistit in caliditate & humiditate, vel ab hac prouenieute putredine, sed potiùs aliæ causæ ab illa humida & calida cõstitutione mouentur. Vbi enim multæ pluuiæ dantur, multos etiam vapores eleuari necesse est, qui in illa continuata humida constitutione aëris discuti non possunt, sed putrefiunt & corrumpuntur, tandémque venenatam naturam induunt. Præterea calida & humida aëris cõstitutio in corporibus insignem corruptionem inducere valet.

Ergo aliam adhuc addamus causam, quæ quandoque etiam sine calida & humida constitutione pestem excitare valeat. Vt enim Fernelius, *lib. 2. de abd. rer. caus. cap.* 12. Platerus, atque alij Medici testantur, animaduersum est, pestilentes constitutiones hyeme atque æstate, sicco & pluuioso cœlo, bene temperato ac inæquali, nulla præcedente temporum anni mutatione insignã accidisse, cùm tamen impossibile sit, ab omnibus hisce constitutionibus putredinem induci. Præterea si à sola aëris putredine pestilens constitutio dependeret, vix fieri posse, vt pestilens aliqua constitutio toti Orbi ferè communis esset, cùm locus à loco, regio à regione valde differant. Huius tamen generis duas sub Marco Antonino fuisse referunt, quibus maxima humani generis pars extincta fuit; & qualem fuisse anno 1450. commemorant, quæ in Asia excitata, per Illyriam, Dalmatiámque venit in Italiam, per Germaniam verò in Hispaniam & Galliam, pluribúsque annis grassata est, vt tertiam hominum partem ea deletam esse ferant. Vbi certè in solam aëris putredinem causa referri non potest; cùm talis vix dari possit, quæ continuò in aëre hæreat: & si talis esset, ea procul dubio aliis quoque animalibus noxia esset. Verùm suprà prolixiùs explicatum est, putredinem solam ad pestem inducendam & constituendam non sufficere. Quapropter & hîc ad proprietates occultas omnino confugere necessarium est. Ideóque pestem statuimus generari, dum aër non solùm in qualitatibus primis mutatur; sed etiam sine putredine occulta quædam semina & inquinamenta tota natura nobis aduersa in eo generantur.

Hippocratis τὸ θεῖον.

Atque hic fortasse locum habere potest τὸ θεῖον Hippocratis, cuius cùm plerique in tractatione de pestilentia mentionem faciant, de eo etiã hîc aliquid addere libet. Hippoc. 1. *prognost. t.* 4. hæc habet: *Cum homines intereant alij priusquam adhibeant Medicum ex vi morbi, nonnulli adhibentes Medicum, statim moriantur, quidam vnum diem viuentes, aut paulò plus temporis, antequam Medicus arte repugnet: oportet agnoscere talium naturam affectionum quantum supra corporis vires sint: pariter & si quid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediscere prouidentiam.* Quid igitur hîc nomine *diuini* intelligat Hippocrates, aliter sentiunt. Fuerunt iam olim Hippocratis interpretes, qui morbos ab ira deorum immissos, τὸ θεῖον appellare consueuerunt; & apud nos in Theologia Christiana rectè institutos extra dubium est, morbos à Deo mortalibus immitti. Verùm cùm, vt rectè monet Galenus, officium boni interpretis sit, non simpliciter per commentarios dicere, quid nobis verum videatur, sed quæ sit sententia scriptoris, quem enarramus, etiamsi falsa sit: atque ipse Hippocrates, *in lib. de morbo sacro*, multa scripserit, quæ docent, Hippocratem non sensisse, morbos à Deo hominibus immitti: quid per diuinum intellexerit, potiò quærendum.

Galenus

Digitized by Google

Galenus, *in Comm.* nihil aliud per τὸ θεῖον hic intelligere Hippocratem censet, quàm aëris ambientis conditionem, de qua Hippocr. in sententiis ita scripserit: *si hyems squalida & aquilonia fuerit, Ver verò pluuium & australe: febres acutas fieri æstate necesse est.* Verùm nisi Gal. peculiarem aliquam aëris constitutionem intelligat, non facilè causam reddet, cur Hippocr. aëris constitutionem omnem hoc nomine dignatus sit. Plerique igitur Interpretes, postquam hac de re vltrò citróque disputatum, concedunt, per τὸ θεῖον, aëris constitutionem intelligendam, sed talem, quæ occulto modo & tota natura nobis aduersa est, Hippocratémque hoc monuisse, Medico esse perpendendum, an morbus aliquis proueniat ab occultis aëris qualitatibus, eiúsque secundùm totá substantiam mutatione, quæ à cælo proueniat, vel certè aliàs admiratione digna sit. Quæ enim à cælo proueniunt, vel occulta & admirabilia sunt, diuina vocari non inusitatum est. Ita Aristot. 2. *de gen. animal. cap.* 3. omnem animæ vim, corpus aliud participare, idque magis diuinum, quàm elementa scribit: Et Gal. *loco citato* ait: *non quæcumque causas habent abditas & obscuras, diuina vocamus, sed vbi admirabilia videntur duntaxat.*

Porrò cùm aërem & putrescere, & totâ substantiâ nobis aduersum reddi posse dictum sit: dubitare aliquis posset, quomodo aëri, qui corpus simplex est, talia, quæ mixtorum potiùs sunt, attribui possint. Ergo obseruandum, aërem dupliciter considerari posse, vel vt corpus simplex & purum potum elementum, vel prout varios ex inferioribus elementis vapores & exhalationes in se continet. Primo modo ad pestis generationem non concurrit. Verùm secundo modo, prout scilicet variis vaporibus est permistus, corrumpi & tota substantia nobis aduersus reddi potest. Et quidem duplici modo: Nam primò vapores illi, qui aëri permiscentur, puri nondúmque corrupti esse possunt, ob causas tamen expositas & exponendas corrumpi possunt. Deinde & corrupti aëri permiscentur. Et vtroque modo aër corruptus & nobis tota substantia aduersus dici potest.

Vnde aër pestilentem naturam acquirat.

Alterum iam restat explicandum, vnde aër venenositatem illam, qualitatemque pestilentem acquirat. Plurimi inter causas pestis naturales hic primo loco cælum & sidera constituunt. Verùm aliis hoc affirmare durum videtur, putántque nonnulli, cùm corpora cœlestia sint longè nobilissima & perfectissima, omnisque boni in hisce inferioribus authores, fieri non posse, vt tam perniciosum quid ab iis generetur. Et plurimi pro hac sua opinione Platonis aliorúmque Authorum sententias afferunt, qui affirmant, astra esse absque omni pernicie, cunctis animalibus commoda præbere, stellas omnes esse bonas, nec quicquam mali facere: ex quibus concludunt, cælum & stellas conseruare, regere, continere ac fouere hæc inferiora; & proinde ab iis venena, morbósque venenatos & contagiosos prouenire non posse.

Cœlum an pestis causa sit.

Verùm enimverò cùm sublunaria hæc secundùm indiuidua perpetua non sint, sed in speciebus habeant suã perpetuitatem, & proinde in iis generatio & corruptio accidat, ac, vt rectè docet Aristoteles, 1. *meteor. cap.* 2. Mundus hic inferior superioribus motibus sit contiguus, & omnis eius virtus inde regatur & gubernetur: tam corruptionem, quàm generationem à cælo prouenire necessarium est. Idcóque etsi astra per se neque mala sint, neque mali quid simpliciter intendant: tamen per accidens ab ipsis id fit. Corrumpunt enim per accidens, vt generent per se: per accidens destruunt, vt per se conseruent. Atque ita tam generationis, quàm corruptionis actio, quæ à cælo prouenit, est per se bona, & ad vniuersi perfectionem ac conseruationem instituta. Præterea actiones, quæ à cælo proueniunt, non omnes simpliciter è cœli natura, sed ex mundi inferioris dispositione sunt æstimandæ. Perpendamus, e. g. saltem calorem & frigus ac quatuor anni tempora, quæ omnia per se mala non sunt, sed ad vniuersalis naturæ conseruationem omnia necessaria. Indiuidua tamen si consideremus, tam à frigore, quàm à calore plurima lædi, & plurimos morbos excitari, extra dubium est. Calor nimirum æstiuus per se & simpliciter bonus est ac necessarius, ac nisi sit intensior, nec fruges, nec vina, nec alij fructus maturescunt: ab eodem tamen in corpore impuro vel disposito febris excitatur, idque non ex intentione astrorum, sed ex dispositione corporis alicuius. Ita vbi tempore verno calor omnibus rebus inferioribus recreandis necessarius augetur, eius actionem ad bonum naturæ vniuersalis tendere omnes concedunt; ab eodem tamen in corpore, quod per hyemem vitiosos humores cumulauit, febres & alij morbi excitantur. Itaque sicut æstas & ver ideò simpliciter pro re mala non habentur, quòd vitiosi humores ab eorum constitutione in corpore agitentur, & ampliùs corrumpantur, & hinc non solùm morbi excitentur, sed etiam multi de vita periclitentur: ita & astra, etsi alterationes & mutationes in corporibus nostris excitent, pro malis habenda non sunt. Contrarietas enim quæ inter res naturales est, non simpliciter mala est. Nam & in plantis & in aliis rebus, tam inter se, quàm cùm homine, contrarietas deprehenditur, quæ ad mundi ornatum pertinet, & sapientissimi Creatoris sapientissima dispositio est. Et cùm homo post sidera conditus sit, facillimum fuisset Creatori omnipotenti hominem ita condere, vt saltem Iouis aut Solis radiis fuisset affectus, Saturni autem vel Martis non plus sensisset, quàm lapis aliquis: Verùm hoc sapientiæ Creatoris non placuit; & propterea diuersorum siderum & rerum naturalium operationes, quas homo percipit, omnes per se bonæ habendæ sunt, & homini non plus nocent, quàm bilis flaua vel atra, si debito modo in corpore generetur.

Atque vt hæc pestilentiæ applicemus, illa ex cœlo non simpliciter prouenit: verùm sicut cœlum agendo in hæc inferiora, ventos, pluuias, niues, nebulas & alia excitat, vapores ex globo terreno eleuando: Ita etiam fieri potest, vt in abditis terræ cauernis & abyssis latentes pestilentes, sulphureæ atque arsenicales auræ, quarum venenositatem Metallici suo malo sæpe experiuntur, à stellis agitentur, atque in aërem eleuentur; aut vapores, qui cōtinuò aëri permiscentur, ab iis ita corrumpantur, vt veneni naturã induant, à quibus postea pestilentiæ inducatur.

Quomodo Stellæ pestem excitent.

De modo autem, quo pestis ab astris excitatur, iam antea aliquid dictum. Nimirum non solùm, quatenus in manifestis qualitatibus aëris constitutionem mutant, & pluuias ac ventos excitant, verùm etiam, quatenus occulto modo hæc inferiora afficiunt, pestem inducunt. Videmus etiam sæpe, nullâ manifestâ aëris mutatione apparente, nunc plantas, nunc bruta, nunc homines periclitari, reliquis nihil damni patientibus. Et pestilentem constitutionem induci à cœlo, non solùm, dum intemperiem manifestarum qualitatum in aërem inducit, sed in primis per peculiares & occultas influentias, quas hominis valetudini perinde, vt notos illos in calore, frigore, siccitate & humiditate excessûs, non omnes æquè salutares & commodas esse, credibile est; illud persuadet, quod, vt annotauit Fernelius, *libro 2. de abdit. rerum cauf. capite* 12. & testatur etiã P. Salius Diuersus, pestilens constitutio hyeme ac æstate, sicco ac pluuioso cœlo, bene temperato & inæquali, nullâ præcedente temporum anni mutatione, nullis præsentibus corruptis vel putridis exhalationibus, aliisque euidentibus causis inuadit; animaduersúmque, æstatem feruentissimam nullum pestilentiæ genus produxisse; interdum pestilentiam hyeme initium cœpisse, quæ æstate mediâ vel autumno soluta sit.

Stellæ non solùm lumine & motu in hæc inferiora agunt.

Itaque sciendum, stellas non solùm lumine & motu, sed etiam peculiari quâdam influentiâ ac occultis viribus in hæc inferiora agere. Nam si stellæ solùm lumine ac motu hæc inferiora afficerent, quid opus fuisset tanto numero stellarum, magnitudine, motu & situ differentium? Ad illuminanda enim hæc inferiora solus Sol sufficeret: Luna nocti illuminandæ satis esset: ad temporum vicissitudines motus Lunæ, Solis & primi mobilis sufficeret, ac esset otiosus tantus numerus reliquarũ stellarum, loco, magnitudine ac motu differentium. Quod certè asserendũ non est. Deinde multa in profundissimis terræ cauernis, nõ sine cœlestium corporum vi, generantur, quò nec motus nec lumen astrorum pertingit. Quare etiam alias vires & peculiares, quas vocant, influentias, præter motum & lumen, singulis stellis attribuimus, à quibus nimirum illæ operationes admirandæ, quas in hæc inferiora à cœlo prouenire animaduertimus, quæque motui ac lumini adscribi non possunt, nullíusque corporis interuentu se densitate impediri possunt, ortũ habent, dicimúsque cum Asclepio, *lib.* 1. *ad Ammonem*; τοῦ ἡλίου ἀγαθαὶ ἐνέργειαι οὐ μόνον ἐν οὐρανῷ καὶ ἀέρι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς εἰς τὸν κατώτατον βυθὸν καὶ ἄβυσσον διήκουσιν. *Solis & cæterorum astrorum bonæ operationes non solum in cælo & aëre, sed etiam supra terram in profundissimas terræ cauernas & in abyssum penetrant.*

His ita se habentibus, quomodo etiam sine putredine pestis gigni possit à cœlo, non adeò difficile est inuenire. Nam sicut propter generationum & corruptionum vicissitudinem necessarium est, non solùm calorem blandum & moderatum à cœlo excitari, sed etiam intensum & vrentem, & præterea frigus: ita etiam, ob eandem causam, occultæ, quæ in hisce inferioribus excitantur, qualitates per occultas influentias, non omnes sunt eiusdem generis, neque etiam omnes nobis æquè gratæ & conuenientes, sed aliæ magis, aliæ minùs: omnes tamen per se necessariæ. Et sicut, vt dictum est, ex calore & frigore, minùs conuenienti tempore & loco, imò etiam quocunque, si modum excedant, quod non rarò fit, à corporibus cœlestibus excitato, varij morbi, præsertim in corporibus dispositis, oriuntur: ita credibile est, ex occultis illis influentiis quandoque longè grauissimos & pestilentes morbos excitari. Nimirum mundus hic inferior, & inferiores hominis atque aliorum animalium facultates, ita à Deo conditæ & comparatæ sunt, vt non solùm visu corporum cœlestium colorem, vel tactu calorem sentirent: verùm etiam occultas influentias, sine rationis discursu, (id quod solùm animæ rationalis est,) sed vi quadam insitâ perciperent, ac iis afficerentur, delectarentur, confortarentur & vegetiores redderentur, vt ad eas, quas à Creatore acceperunt, vires exercendas fierent vegetiores & alacriores, aut contrario modo se haberent: sicut videmus Musicæ planè rudes & ignaros, vnde harmonia & vocum illa consonantia aut dissonantia proueniat, à Musica affici. Atque obiecta hæc, à quibus inferiora hæc afficiuntur à cœlo. Recentiores ingeniosè ex harmoniis Musicis, è Geometria & Arithmetica, & ex proportionibus, quæ ex occursu duorum radiorum oriuntur petunt.

Et hæc est procul dubio Pythagorica illa astrorum chorea & concentus, de quo Plato, *in Epinomide*, scribit: οὕτως τῶν ἄστρων φύσιν ἰδεῖν μὲν καλλίστην πορείαν, διὰ καὶ χορείαν πάντων χορῶν καλλίστην καὶ μεγαλοπρεπεστάτην, χορεύοντα πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ δέον ἀποτελεῖν. *Astrorum naturã visu quidẽ pulcherrimã, progressu,*

gressu, & choreâ optimâ vtentem, omniúmque chorearum decentissimam & magnificentissimam, quæ cunctis animalibus commoda præbet. In primis autem in peste producenda Saturnum plurimùm valere, omnes Astrologi censent, obseruatúmque ab iis, has regiones Septentrionales potissimùm peste infici, quando Saturnus triplicitatis igneæ signa Arietis, Capricorni & Sagittarij transit; de qua re plura tradunt Astrologi.

Aura & halitus venenati.

Verùm præter cœlum aliæ etiam plures causæ dantur, à quibus aëri pestilentia communicatur, atque ipse inde pestilens redditur. Primò scilicet aër venenatus & pestilens redditur, cùm venenatæ in infimis terræ cauernis diu contentæ auræ copiosiùs aëri permiscentur. Halitus illi venenati gignuntur ex aëre diu concluso, & venenatis auris metallicis mixto, stagnantibus aquis alicubi conclusis & putrescentibus. Commouentur autem illi halitus venenati, iisque exitus sæpe patefit à terræmotu; extántque passim in historiis exempla terræmotuum, quos grauissimæ pestes secutæ sunt. Plerique etiã huc referunt meteora ignita, vt quæ exhalationum copiam magnam suppeditent: verùm illa ignita meteora potiùs vaporem è terra copiosiùs exhalantium pestémque generantium indicia sunt. Pertinet huc & illud, quod apud Iul. Capitolinum, *in Vero*, & alios annotatum reperitur, in Babylonia quandam miræ vetustatis arcam adapertam fuisse, à qua tam perniciosus halitus expirauit, vt inde pestis ad Parthos vsque grassans sit subsequuta. Ita in Campania è puteo quodam aperto, ab aëre qui diutiùs inclusus latuerat, exhalante, adstantes subitò peremptos fuisse, scribit Guainerius, *de peste, cap.* 1. Præterea à lacubus & stagnis, æstatis tempore calore Solis corruptis & fœtidis, exhalationes exspirantes pestem excitare possunt, sicut & ex sentinis nauium. Insuper à cadaueribus imperfectorum insepultis & locustarum mortuarum copia aër pestilens reddi potest; quod accidisse scribit Augustinus, *libro* 3. *de ciuit. Dei, cap.* 31. vbi tantam ex iis pestilentiam ortam fuisse scribit, vt in solo regno Masinissæ 80000. hominum perierint, & Vticæ ex triginta millibus iuniorum militum, qui ibi erant, decem remanserint. Atque his modis aër ad pestem generandam concurrere solet.

Secundò, etsi Stellæ aërem corrumpendo pestilentiæ causæ esse possunt, dum eum ita corrumpunt, vt pestilentia illa, quæ in eo continentur μεταφορα homini communicata, pestem in eo excitent, quæ pestes longè grauissimæ sunt, & in plurimos grassantur: tamen etiam alio modo & per se corpus ipsum humanum afficiendo pestem excitare valent, vel ipsum aërem ita disponunt, vt seu manifestis seu occultis qualitatibus corpori humano conseruando aptus non sit, sed humores in eo corrumpat, ita vt pestilentem naturam induant, vel etiam proximè atque immediatè occultis influentiis corpus humanum & præcipuè humores ac spiritus in eo corrumpant. Etsi enim astrorum influentiæ omnes bonæ sint, & ad vniuersum Naturæ cursum conseruandum necessariæ: fieri tamen potest, vt huic vel illi animalium speciei aduersæ sint; sicut videmus calorem æstiuum equidem ob fruges maturandas & vniuersalem naturæ cursum conseruandum esse maximè necessarium: interim fieri potest, vt ab eo æstu aliqua indiuidua vel etiam species lædantur. Qui autem ille stellarum positus sit, antea dictum, & de eo Astrologi consulendi.

Victus communis prauus an causa pestis sit.

Tertiò, à victu communi quandoque pestis oritur. Etsi autem Donatus ab Altomari, & Hor. Augenius id negent: tamen cum iis sentimus, qui à victu prauo communi nõ minùs, quàm ab aëre, pestem excitari posse existimant. Id quod ipsa ratio, experientia, & illustrium Medicorum authoritas nobis persuadet. Etsi enim plerumque victûs aliorum alia sit ratio: tamen ea interdum incidunt tempora, vt in annonæ caritate, in castris, in obsidionibus diuturnis omnibus, aut certe plerisque eodem victu, eóque prauo, vtendum sit. Cibis nimirum & aquis corruptis, famis, sitisque explendæ causâ, non minùs quàm eodem aëre vtendum. Vnde prauos humores generari necesse est, qui cùm diu à natura regi non possint, tandem corrumpuntur, & pestilentem naturam induunt. Tale exemplum proponit Galenus, *lib.* 2. *de nat. hum. c.* 3. *& lib. de cibis boni & mali succi, c.* 1. vbi pestis mentionem facit quæ in multas Romano Imperio subditas gentes multis annis sæuiens, ex annonæ caritate & prauorum ciborum vsu ortum habuit. *λοιμος* enim (vt hoc obiter moneamus,) id est, pestis, non *λιμὸς*, id est, fames, legendum est. Vt enim in allegato loco habetur, pestilentia illa diu sæuiit, vt apparet, *ex lib.* 3. *de præsag. ex pulf. c.* 4. *&* 3. *Epid. com.* 3. *t.* 57. Fames verò non fuit multorum annorum, sed per vnius anni hyemem & ver præcipuè durauit, vt ex loco allegato patet. Atque occurrunt huius rei alia exempla in Historicis, apud Iosephum, *de bello Iudaico*, Hegesippum, *de bello Hierosol.* & alios passim. Résque hæc tam nota est, vt etiam prouerbio occasionem dederit: μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός. Vnde etiam Galen. *lib.* 2. *de nat. hum. c.* 3. Authorem eius Libri reprehendit, quòd in vnum aërem omnes communes morbos retulerit.

Quæ verò in contrarium adducuntur ab Altimaro & Augenio, non magni momenti sunt. Nam quod dicunt, morbos hos fuisse sporadicos, non vulgares, neque pestem; cùm diuersi diuersis fuerint correpti: falsum est. Pestis enim, qua nunc laborabant, omnibus communis fuit: Symptomata verò & morbi, qui pesti coniungi solent, vt in omnibus iidem appareant, non est necessarium, vt supra dictum. Et consulantur saltem Historiæ, quæ facilè controuersiam hanc diriment & docebunt, an morbi, qui annonæ caritatem & vsum ciborum corruptorum secuti sunt; fuerint saltem sporadici, non epidemij ac verè pestilentes. Præterea nec hoc verum est, quòd morbi omnes, qui tum viguerunt, fuerint singulares seu priuati planè, sed singuli pluribus communes fuerunt.

Est deinde & illud falsum, quod dicunt eos morbos epidemios, qui à vitioso cibo potúque fuerunt orti, non fuisse veram pestem, sed pesti similes, vtpote qui plures occiderent, vnde etiam pestis nomine appellentur. Nam si ideò pesti nomen inditum est, quòd affectus sit perniciosus, qui plurimos inuadit & occidit; cur morbos hosce epidemios, qui non minùs lethales & perniciosi fuerunt, quàm pestis ex aëris vitio orta, vt ex historiarum monumentis patet, pestis nomine non indigitemus? Nam opinari, dari morbos peste perniciosiores, absurdum est, communique hominum opinioni, qui pestem meritò pro morbo perniciosissimo habent, aduersatur, ipsique Galen. qui *in proœmio in* 1. *Epid.* dicit; morborum communium perniciosissimos esse, qui pestilens vocantur.

Hoc tamen concedendum, vitium humorum ex victu prauo contractum, faciliùs sese exercere, vbi ex aëre occasio aliqua accedit. De qua re Gal. *lib.* 1. *de differ. febr. cap.* 4. scribit: *In pestilenti aëris statu inspiratio vt plurimum causa est.* (quibus verbis non semper, sed vt plurimùm in aëre morborum pestilentium causam ponit.) *Fit enim aliquando,* (quo manifestè concedit, interdum eosdem à victu prauo prouenire) *ob eos, qui sunt in corpore humores, ad putrescendum paratos, cùm breuem aliquam occasionem* (quibus verbis in aëre non primariam, sed paruam pestis causam ponit, quam non solùm occasionem, sed breuem & leuem quandam occasionem nominat) *ad febris originem ab aëre ambienti acceptis animans.*

Veneficia.

Quartò, cognata sunt contagio vnguenta & pulueres venenati sparsi. Historiæ enim testantur, malitiam & perfidiam quorundam sceleratorum hominum eò vsque progressam fuisse, vt per vnguenta & pulueres sparsos pestem disseminarint. Cuius rei exempla habentur apud Liuium, *dec.* 1. *lib.* 8. Petrum Droëtum, *de pestil. c.* 30. Anton. Porcum, *de pestilentia.* VVierum, *de venefic. lib.* 3. *c.* 37. Hor. Augen. 1. *tom.* 1. *Epistolarum, lib.* 4. *Epistolo* 1. *de peste, cap.* 3. Herc. Saxoniam, *de plica, c.* 11. *&* 12. Thomam Iordanum, *de pestis phænomenis, tract.* 1. *c.* 18. & ante annos non ita multos, anno nimirum si rectè memini; 1606. suppeditauit Vratislauia & Francosteinium in Silesia, vbi vespilones quidam tale facinus ausi sunt, sed deprehẽsi supplicio, quod meruerunt, publicè affecti sunt: cuius scelestissimi facinoris historiam annotauit Nicolaus Polius, in *Hemerolog. Silesia.* Si tamen quis ista veneficia ad contagium referre velit, cum eo non litigabo.

Hoc loco alterius, miræ quidem, sed quam, ob fide dignorum Authorum testimonium, in dubium vocare non ausim, causæ mentio facienda est: Nimirum à maleficis & sagis iam defunctis & humatis pestes induci, quæ priùs non cessent, quàm cadauera illa veneficorum capitibus truncentur. Quod cùm alicui fabulosum videri possit, malo Herculis Saxoniæ, *lib. de plica, cap.* 11. verbis; quàm meis hac de re aliquid in medium afferre. Ita ergo ille: *Habebam sanè maximum ad hanc rem confirmandam argumentum: sed quia mihi omnem videbatur superare credulitatem, illud proferre non audebam, videlicet in Polonia atque Germania non rarò induci pestem à maleficis quibusdam mulieribus, cùm primùm defuncta & humata sunt. Neque illam desinere, quàm inueniatur cadauer, quod vel propria spolia & vestimenta, vel alia propinqua mordicus ore tenet; quasi esuriens escam auidè vorat. Hæc, quæ mihi omnem mentis captum superare videbantur, scribere non audebam. Cum vero multiplici iam testimonio mihi confirmata sint, nunc autem potissimùm à Doctissimo Dn. Ioh. Vrsino Leopolensi, ideò ea proferre non dubitaui. Retulit itaque Dominus Vrsinus propriis oculis intuitus, sic se habere inquit: Anno Domini* 1572. *peste per vniuersam Poloniam grassante, cùm mulier quædam defuncta ex Pago Rzesna dicto in suburbanum Leopoliense adducta ad ædem Exaltationis S. Crucis sepulta fuisset, & ex illo die pestis maximè circa illud Templum, sæuire cœpisset; qui sepeliendorum mortuorum curam habebant, non temerè suspicantes, villanam aliquot antè diebus sepultam maleficam esse, cadauer eius effodiunt, quod cùm nudum, & in ore reliquias suarum vestium deuoratarum habens, reperissent, caput, vt mors est pala, prælongo ferro obducta, absciderunt, & iterum terra obruerunt, ac pestis cessauit.* Atque in huius rei testimonium Saxonia etiam aliorum illustrium virorum authoritatem & fidem adducit. Cuius rei causam cùm reperire facilè non sit, est animi veritatis auidi, eam diligenter perpendere, & in eiusmodi narrationum, quæ vbiuis ferè locorum obuiæ sunt; veritatem inquirere. Et quid interdum venefici etiam post mortem præstent, satis testatur tragœdia illa & turbæ, quas excitauit post mortem sutor ille Strigoniensis in Silesia, quam historiam integrè & prolixè descripsit Martinus VVeinrichius, quæ prœmij loco *Dialogis de Ludificatione Dæmonum Ioh. Fr. Pici Mirandulani* præposita, & omnino lectione digna est.

Imaginatio & terror.

Tandem inter causas pestilentiam generantes non omittenda est Imaginatio, & Terror ac Timor. Experientia enim sæpe docuit, quosdam, vbi ex improuiso aliquem peste infectum ad nosocomium, vel mortuum, ad sepulcrum deferri viderent, aut aliquis à domo infecta, licèt ipse non infectus, efferretur, inde

consternatos

consternatos ac perterrefactos in pestem incidisse, licet in aëre, pestilentiæ semen non hæreret, neque etiam ab aliquo contagium suscepissent. Cuius rei ratio expedita & manifesta etsi facilè reddi non possit: tamen experientiæ manifestæ idcirco repugnandum non est. Et aliàs etiam patet, quantum imaginatio & affectus in afficiendo corpore possint. Stigmata & næuos infantibus imaginatione matris imprimi, cuilibet notum est, & exempla vbiuis obuia sunt. Memorabile inter ea illud, quod Anno 1610. die 17. Iulij Pragæ accidit. Natus enim ibi fuit puer, quoad alias partes sanus; verùm intestinis, hepate, ventriculo, bene extra abdomen; cuius tamen cutis diuulsa non fuit, propendentibus. Cuius depravatæ conformationis causa fuit imaginatio, quam mater concepit tribus aut quatuor ante partum mensibus, cùm vituli mactati intestina & viscera ex abdomine aperto propendere vidisset. Non dissimile ante biennium hic vidimus in infante, cui labia superiora, cum parte palati superiore, vsque ad fauces penitiores diuisa erant; id quod euenerat, quòd mater grauida à lanio suis mactatæ caput ita diuidi viderat. De repentina canitie, è mœrore & timore suborta, exempla collegit Marcellus Donatus *de hist. med. mirab. lib. 2. cap. 1.* & Schenck. *obs. l. 1. obs. 1.* Et imaginationis miros effectus recenset idem Marcellus Donatus *l. 2. c. 4.* Illud hoc loco prætereundum non est, quod Thomas à Vega, *in com. super Galen. art. med. c. 84.* habet, & insigne documentum continet, quantum imaginatio in mutandis & alterandis corporis nostri humoribus possit. *Quidam, inquit, ex ardenti febre decumbens & delirans postulauit, vt sibi in stagno illo (monstrauit autem cubiculi pauimentum) natare liceret: constare enim sibi, se ex natatione illa quamprimum conualiturum, & à febre liberatum iri. Ergo cùm Medico annuente aliquandiu cum summa iucunditate supra pauimentum hinc inde se voluisset, ait, iam sibi aquam accedere ad genua, optare se tamen, vt altius ascendat. Paulo post latior, iam, inquit, attingit inguina; sicque iuxta imaginationis conceptum ad guttur, vsque paulatim aqua ascendente, hilari facie gestiit, seque tam sanum esse & à febre liberum euasisse pronunciauit. Id quod reuerà etiam euenit.*

Quomodo imaginatio pestem inducat.

De modo, quo hæc fiant, alij aliter sentiunt. Nos saltem hîc de pestilentia agemus. Paracelsus, *de pestil. tract. 2.* statuit, cùm quis attentè de peste cogitat, & de eadem sibi metuit, ipso intuitu & visu Lunam inficere, non secus ad speculum mulier menstruo laborans, & ab eadem Luna quasi reflexis radiis hominem rursus infici.

Verùm absurda hæc, & hominis ad pleraque saniora dogmata irridenda nati somnia esse, quis non videt? Sit, vt Luna possit hoc modo ab hominis intuitu infici: tamen necessarium esset, pestilentiæ semina in homine antea, vt in basilisco quodam, fuisse, & eadem etiam sine Lunæ opera, in actum imaginatione duci potuisse.

Alij igitur statuunt, pestilentiæ semina aliquandiu in corpore delitescere posse, & attentiore de peste cogitatione & metu illa excitari, & in actum deduci: sicut terrore & attentiore de rabie cogitatione, rabiei igniculos & semina quasi sopita excitantur in iis, qui à rabidis animalibus demorsi sunt. Cuius rei exempla occurrunt in libello Germanico, *de luporum rabie*, Ioban. Bauhini. Quam sententiam admittimus & verumque concedimus, nimirum pestilentiæ semina in corpora aliquandiu delitescere, eademque imaginatione atque terrore excitari posse: An tamen hoc semper fiat, & an ij, qui ex imaginatione & terrore pestem concipiunt, priùs semper semina pestilentiæ hauserint, dubitamus, imò contrarium diligenti exemplorum obseruatione facilè probari posse arbitramur. Hoc aliquis addere posset: In pestilenti constitutione à causis superioribus dispositionem aliquam ad pestem in omnibus corporibus induci, (quod forsan aliorum morborum cessatio monstrat) quæ postea ab imaginatione, ac timore & terrore in actum deducatur.

Vtut sit, & licèt modum, quo hæc fiant, facilè inuestigare non possumus: hoc tamen primò certum est, humores ab affectibus vario modo agitari & corrumpi posse. Deinde & hoc certum est: Imaginationem semper ad peculiarem & determinatam mutationem tendere, sicut hoc in imaginatione grauidarum videre est. Vnde etiam accidit eos, qui pestilentiæ metu terrentur, nihilque nisi pestem metuunt & cogitant, imaginatione & metu illo determinatam hanc corruptionem humoribus inducere; sicut grauida ad sanguinem effusum territa, sanguineum næuum infanti inducit; nigra aliqua re perterrefacta, nigrum. Atque hæc præcipua causa est, cur vespillones, clinicæ mulieres, Chirurgi, & alij, qui animo præsente & alacri, peste infectis & mortuis suas operas locant, rarò peste inficiantur; alij verò, qui animo minùs præsente ad easdem operas accedunt, subitò inficiuntur & peste extinguuntur. Ac certum est, si quis seminarium pestis hauriat, atque simul timeat, & de periculo sit attentiùs sollicitus, cum in præsentissimum vitæ periculum conijci, & rarò conualescere, quamvis omnis in curatione diligentia adhibeatur. Altè enim ad cordis penetralia venenum hoc modo deducitur, vnde vix euocari potest. Nec ipsa virtus vitalis ad expellendum illud alacris est, sed penitus ferè succumbit.

CAPVT III.

De Contagio.

Atque hæ sunt causæ, quæ pestilens venenum generare possunt: vt verò illud postea in plurimos propagetur, natura eius contagiosa in causa est. Neque enim vbi in aliquo loco pestis exoritur, causa semper vel in cœlo, vel in aëre, vel in victu præcedente quærenda est; Verùm sæpe ex aliis locis per fomitem aliquem pestilentem defertur; & licèt primò in paucos contagium sese diffundat: tamen postea in plures disseminatur, ita vt pestem per contagium non solùm alicui ciuitati, sed toti regioni communicari posse, experientiæ sæpe docuerint: Iam ergo etiam de Contagio dicendum.

Pestis morbus contagiosissimus.

Etsi Contagium in aliis morbis etiam animaduertatur: tamen cùm nullus omnino peste contagiosior sit, & contagium maximè in peste elucescat: non abs re fuerit, si de natura contagij, antequam ad alia accedamus, aliquid seorsim dicamus. Admiratione verò non indignum est, cùm Contagium in pestilentia tam manifestum sit, vt nemo illud ignorare possit, & præter pestem etiam lepra, phthisis, aliique morbi contagiosi animaduertantur, quod Antiquis proculdubio ignotum non fuit: qui tamen factum sit, vt de Contagio nihil ferè scriptis tradiderint. Etsi enim Hippocrates nominat *νοσερὰς ἀποῤῥοίας* & Galenus ac Hippocrates *μιάσματα*: tamen rem ipsam non explicant. Terruit ipsos proculdubio, quicquid alij etiam dicant, rei grauitas, cùm viderent, vt effectus contagij manifestissimi sunt, ita naturam & causam eius inuenire esse difficillimum. Fracastorius superiore seculo primus ferè hanc difficultatem aggressus est, quã postea plurimi alij viri docti secuti sunt.

Contagium quid significet.

Contagium, quod à contactu aut antiquo verbo contago, quod est contingo, dici, extra cõtrouersiam est, pluribus modis vsurpatur: Primò, pro contactu duorum corporum, cuius ratione similis morbus gignitur, seu quo vnum corpus aliud corpus inficit; atque in hac significatione contagium in prædicamento situs est. Secundò, sumitur contagium pro actione, qua corpus vnum aliud contingens, ipsi morbum quo laborat, communicat. Tertiò, pro affectione præter naturam, quæ alteri corpori communicatur. Quartò, pro *νοσηρῷ ἀποῤῥοίῳ*, aut *μιάσματι* seu seminario, vapore aut spiritu, aut quocunque alio corpore, per quod affectio illa præter naturam alteri corpori communicatur.

Contagij varia definitiones.

Hinc aliter ab aliis definitur. Petrus Salius Diuersus definit contagium, contactum duorum corporum, cuius ratione similis in altero per alterum morbus producitur. Alij productionem similis affectionis in alio; seu motum quendam à morboso corpore in aliud analogum, quo ei labes similis, qualis in primo est, per contactum eiusdem communicatur. Alij, affectionem præter naturam, quæ alteri corpori à corpore præter naturam similiter affecto communicatur. Alij, inquinamentum, quo corpori alicui similis affectus, quo aliud corpus laborat, communicatur.

Quomodo Contagium similis affectionis productio sit.

Primò autem rectè accipiendum est, quomodo similis affectionis in alio corpore productio, contagium dicatur. Neque enim quæcunque similis affectionis in alio productio contagium est, e.g. dum calidum aliud corpus calefacit, aut frigidum aliud frigidum reddit, contagium propriè non dicitur. Sic licèt serpens aut scorpio morsu vel ictu suum homini venenum communicet: contagio tamen id facere non dicitur.

Contagiosum quid.

Itaque sciendum, contagiosum esse, corporis morbosi saltem affectionem esse. Id enim solum contagiosum dicitur, quod morbo aliquo laborat, aut certè causam morbosam in se continet, eandemque alteri communicare potest.

Deinde nec hæc communicatio quocunque modo fieri debet. Nam si sola aliqua qualitas communicetur, quæ ad affectum aliquem recipiendum disponat saltem, non est contagium Verùm contagium fit per aliquod seminium, quod specificum & suæ naturæ proprium edit effectum, & citra sensibilem aliquã alterationem, & præmissam dispositionem, speciem sibi similem in corpore analogo producit. Est enim in re contagiosa tam prauus conditio, vt semen seu *μίασμα* ex se emittere possit, quod in corpus idoneum receptum, illud inficere, mutare, corrumpere, similésque effectus in eo producere potest.

Contagium quid.

Vnde definitur Contagium esse *μίασμα* seu seminium vitiosum, è corpore ægro emissum, quod analogo corpore receptum similem in eo morbum gignere & producere aptum natum est. Vel, affectionem præter naturam, quæ corpori à corpore præter naturam, affecto, per peculiare *μίασμα* communicatur. Vel productionem affectus præter naturam in corpore, per semen & *μίασμα* ex alio corpore ægro emissum.

Quæ ad Contagium requirantur.

Tria autem, vt contagij natura rectè cognoscatur, perpendenda sunt, 1. corpus contagiosum, quod alia inficiat. 2. morbus & *μίασμα*, quod alteri communicatur, & per quod aliud inficitur, 3. corpus inficitur.

Contagiosum quid.

Primum quod attinet, iam antè dictum, non quodlibet, quod alicui eam, quam ipsum habet, affectionem communicat, contagiosum esse, sed solum corpus morbosum, & tale, quod affectu aliquo præter naturam præditum est. Hic nonnulli

quærunt,

quærunt: An corpus præter naturam constitutum, contagiosum sit ratione morbi; an verò causæ morbificæ. Vtriusque ratione contagiosum esse respondemus. Ipse enim morbus, vt iam diximus, vt accidens, de subiecto suo non egreditur & alteri communicatur, sed illud quod egreditur è corpore morboso, & ab alio recipitur, corpus est, causæ morbificæ rationem habens: vt ita causa proximè contagiosa sit: tamen ad talis materiæ generationem & multiplicationem in corpore, ipse etiam morbus, ac vitiosa præter naturam in corpore dispositio facit. Causa autem illa, cuius ratione corpus contagiosum redditur, vel aliunde corpori, & ab aliquo corpore malè affecto communicatur; vel in corporibus nostris, ex vitiata coctione, siue ratione alimenti, siue ob aliam causam, generatur, à quo deinde in ipsis partibus solidis consimilis morbus introducitur, & partis actio vitiatur, vt simile excrementum multiplicet, eidémque facultatem sibi simile producendi imprimat, vt postea in aliud corpus translatum, similem sibi morbum producat. Atque ita mutuus quidam ab huiusmodi causa ad talem morbum, & contrà à tali morbo ad talem causam progressus & circulus quasi esse videtur. Nam non solùm corpus aliquod contagiosum fieri potest, cui extra causa aliqua maligna & contagiosa obuenit: sed etiam quando in corpore, ferè semper ob errorem externum, talis vitiosus humor generatur.

Contagiosa materia origo.

Quacunque autem ratione & modo talis materia corpori obueniat, siue in eo generetur, siue aliunde ipsi communicetur: fieri potest, vt antequam morbum; qualem producere apta nata est, corpori inducat, aliud externum corpus inficiat. Materiæ contagiosæ in corpore genitæ præbent exemplum mulieres, præsertim vetulæ, quæ menses retentos, & correptos vitiosósque humores in corpore habent: ab his enim, etsi ipsæ nondum actu ægrotent, vel solo aspectu tenellus infantes infici & fascinari posse, ab omnibus ferè receptum est. De materia contagiosa corpori communicata habetur exemplum in lue venerea. Si quis enim cum muliere alioquin sana, quæ tamen cum aliquo lue Gallicâ infecto rem paulò antè habuerit, congrediatur: fieri potest, atque experientia id sæpe testata est, vt talis à muliere illa inficiatur, & luem veneream contrahat. Verùm tunc saltem per eam partem, quâ ipsum causam contagiosam hausit, alios inficere potest tale corpus infectum: Vbi autem iam altiùs radices egit malum, per quamcunque ferè partem alios contaminare potest. Postquam enim materia contagiosa iam solidas partes occupauit, earúmque naturalem constitutionem vitiauit: tum à solidis partibus omnes iterum humores & spiritûs inficiuntur, qui in alia corpora translati, eorum naturalem constitutionem euertendi vim similem habent.

Verùm vt ad rem propiùs accedamus, cùm non quodlibet corpus morbosum cõtagiosum sit, neque qui arthritide laborat, eam alteri per contagium communicare possit: iam videndum, quænam sit propria corporis contagiosi natura; & secundo loco vnâ operâ explicandum, quid sit illud, per quod affectus, quo corpus contagiosum laborat, alteri communicatur, & quomodo in corpore contagioso generetur μίασμα.

Contagij seminium.

Illud, quod è corpore contagioso alteri communicatur, non est ipse morbus, quo prior infectus est, sed corpus quoddam è corpore contagioso effluens, & in alio receptum, similem morbum in eo excitare valens. Neque enim morbus idem numero de contagioso corpore in aliud transit, sed idem specie in eo generatur. Græci illud, quod effluit, vocãt ποιητὰς ἀπορροίας, & ἀπορροίας, μιάσματα, σπέρματα: Latini inquinaméta, & semina ac seminaria contagij non incommodè appellant. Sicut enim semen è corpore viuente decisum, animatum specie simile illi, à quo decisum, producere potest: ita contagiosus humor vel vapor è corpore infecto emissus, atq; in aliud corpus receptus similem illi morbum inducere potest. Habétque μίασμα hoc se instar fermenti, quod alteri massæ non fermentatæ mixtum, facit vt & ipsa effervescat.

Semen hoc corpus quoddam est, sed nunc spirituale, nunc etiam humoris naturâ præditum, sicut hæc differentia in pestilentia, lue venerea, scabie, ophthalmia apparet.

Conditiones seminis contagij.

Requiruntur autem in hoc semine contagij pestilentis (de hoc enim hîc agere nobis propositum) peculiares aliquæ conditiones. Nam videmus, contagij seminaria non solùm velociter sese insinuare, sed etiam tenacissimè inhærere, & postea calore vel alio modo agitata sese exerere, & corporibus aliis communicari, ac non solùm vestimenta, sed ligna & domos etiam inficere posse, vt vix maximâ diligentiâ purificari queant. Imò in aëre, licèt ventis agitato, aut Solis ardoribus æstuante, diu durare, ac in loca etiam longinqua ac dissita, salua atq; integra vehi posse, animaduersum est: Etenim ea omnibus quidem corporibus morbosis aliquid exhalare extra dubium est: imò in plerisque morbis non contagiosis longè maius est effluuium, maiorque ἀπόρροια, quàm in cõtagiosis aliquibus, Verùm illud plerumque vel tam facilè resoluitur & dissipatur, vel tam exiguam agendi vim habet, vt in corpore, in quo recipitur similem morbum efficere non possit. Requiritur ergo in seminario contagij, vt validissimam habeat constitutionem, vt dum è corpore contagioso exhalat, non facilè vel ambientis aëris, vel aliarum causarum occursu vincatur & euanescat, sed sese contra omnis generis externas iniurias tueri possit. Plerique omnes viscidítatem quandam ac lentorem, & tenuitatem in eo requirunt vt in minimas partes diuidi, in iis tamen suam essentiam retinere, & corpora, à quibus recipitur, facilè penetrare & inficere possit: eam nimirum compositionem auctores plerique in contagij seminio esse statuunt, qualis in rebus oleosis est. Verùm exacta mistio & spirituositas causa esse videtur; cùm talia multa videamus, quæ in minima quantitate suas vires integras retineant, nec tamen lenta sunt.

Cùm autem contagij semina peculiarem, in minima quoque mole corporis, agendi vim habeant facilè hinc secundò apparet, præter manifestas qualitates, aliquam occultiorem requiri, quæ secundùm variam, quam habet ad diuersas corporis partes, vel humores, vel spiritus, contrarietatem, corpora peculiariter inficit. Hæc autem qualitas à forma etiam peculiari, plerumq; venenificæ & malignæ qualitati coniuncta, & totâ sui naturâ substantiæ nostræ vel alicui determinatæ parti inimicâ, fluit. Atque hinc fit, vt pro vt forma illa in semine contagij non semper eadem est: ita etiam eadem μιάσματα non omnia, sed saltem certa corpora inquinandi vim habeant. Hinc videmus, vaporem exhalantem è boue peste laborante, non hominem, sed bouem inficere; & qui halitus è pulmone phthisici emittitur, non cutem inficit & scabiem generat, sed solùm pulmones inficit: contrà scabiosus cutem alterius, non pulmones inficit.

Ex quibus omnibus apparet, saltẽ æquiuocatione ludere Pet. Salium Diuersum, dum scribit, Contagij nullam ad morborum procreationem verã & positiuã esse actionem. *Cùm enim*, inquit, *contagium nec substantia sit, nec qualitas, quorum proprium est agere, vere ipsi non competit actio, quare nec in aliquo genere efficientis causæ, reponi poterit, sed tantum contagium ad hoc concurret tanquam causa sine quâ non.* Etenim dictum supra, aliter ab aliis vocabulum contagij vsurpari: & licèt, si primam originẽ vocis spectes, nihil nisi cõtactum seu situ duorũ corporũ, cõtagium significet: tamen vsus obtinuit, vt pro ipso corpore, in quo latet vis alia inficiendi, aut pro qualitate alios inficiente vsurpetur. Frustra igitur seiungere videtur contagiũ, ac malignã & venenatã morborũ contagiosorũ qualitatẽ. Ita enim docet hac de re. *Cum febres pestilentes sunt contagiosa, actio quidem, quâ ab vno alteri communicantur, non contagij erit, sed eius tantum praua qualitatis, qua cor lacessit qua insidet in materia corrupta. Ab hac enim materia corrupta sicut excitantur & eleuantur intra corpus ipsum vapores mali, qui cor petentes eius omnes vires perniciosâ labefactant qualitate: ita & alij extra corpus mittuntur, qui contagio præsente consimilem in altero possunt prauam qualitatem causare.*

Verùm enimuerò iterum hîc luditur saltem æquiuocatione vocabuli contagij quod ille solùm pro situ sumit. Verùm si sumatur contagium, siue pro actione, siue pro qualitate, siue pro ipso μιάσματι, non opus est à subiectis venenatam qualitatem & contagium seiungere. Hoc quidem verum est, quòd alia est ratio venenositatis in illa materia, alia contagij. Licèt enim omnis morbus malignus & venenatus contagiosus sit: non tamen omnis contagiosus malignus est; sed malignum esse, est proprietas alicuius tantùm speciei morbi contagiosi, illius scil. qui præter vim ac proprietatem sese multiplicandi in alio, etiam peculiarẽ cum corpore nostro ἀντιπάθειαν habet. Verùm vbi in eodem morbo malignitas & contagium coniunguntur, non est opus ea subiectis disiungere, sed cum vtraque qualitas est in eodem subiecto, atque eadem materia ob peculiarem formam sæpe est contagiosa & venenata; neque venenata aliqua materia è corpore egreditur, & demum extra corpus contagio, vt causa sine qua non, iuncta aliud inficit, sed vna & eadem materia est è corpore exhalans, & quæ aliis inficiendi, & malignâ ac venenatâ qualitate offendendi vim habet.

De generatione contagij.

Quâ ratione autem istud contagij seminium in corpore contagioso generetur, & quomodo in aliis suam actionem exerceat, de eo non omnes idem statuunt. Nonnulli in ea sunt sententia, contagiosa μιάσματα nonnisi à re putrescente effluere & per putredinem solùm generari statuunt. Verùm enimuerò si actionem rerum contagiosarum perpendamus, & sine putredine contagium generari, & sine eâdem actionẽ suam perficere posse, facilè videbimus. Nam cùm ad putredinem inducendam longius spatium & præuiæ alterationes requirantur: videmus contrà, quamprimùm contagij semen haustum est, hominem infici, & tantam sæpe inesse efficaciam, vt homo à veneno, quod contagio coniunctum est, iuguletur, antequam vlla putredo in corpore excitetur, eundémque hominem nihilominus alios inficere tutum. Per corruptionem quidem contagij seminarium generatur: sed per putredinem vt fiat, non est necessarium, Siquidem præter putredinem alia etiam corruptionis genera dantur, & tales occultas causas à tota forma magis, quàm manifestis qualitatibus agere, iam sæpius probatum est.

An solùm putredine generetur contagium.

Et ad fermentationem quandam omnino rectiùs reducitur contagium, quàm ad putredinem. Fermenti enim quanta vis sit, & quàm breui spatio alia corpora in sibi similem naturam moret, panis fermentatio, & feces cereuisiæ, quibus eadem cereuisia fermentatur, satis docent, vbi exiguum quid, & quod nullius momenti videbatur, vt cereuisia efferueat, facit. Atque eâdem ratione venena agunt, quæ tamen nec putredine generantur, nec essentiam suam in putredinem habent, quorum minimum quid in corpore receptum humoribus similem qualitatem & naturam induecit:

Digitized by Google

cit: quæ tamen actiones venenorum omnes non à putredine, sed alio, qui talibus datur, agendi modo pendent. Et quanquam concedamus, in corporibus, quæ vel peste, vel alio veneno inficiuntur & corrumpuntur, tandem putredinem excitari: hoc tamen fit per consequens saltem. Dum enim calor innatus ita destruitur, vt humores in corpore amplius regere non possit, & humores ipsi, qui calidi & humidi sunt, à contagio & veneno corrumpantur: tandem putredo subsequatur, necesse est. Vnde præter rem fecisse putamus Lud. Mercatum, qui statuit, duplex esse contagium, aliud verum & legitimum; atque id solùm per putredinem produci; aliud illegitimum & spurium, quod etiam sine putredine gigni possit. Nullam enim causam reddit, neque etiam reddere potest, cur illud contagium, quod sine putredine per alium corruptionis modum generatum est, minùs proprium cōtagium sit, quàm illud, quod cum putredine coniunctum est.

Nonnulli, vt causam reddant, cur morbi putridi alij contagiosi sint, alij non contagiosi, duplicem constituunt putredinem: vnam quidem simplicem, quâ sola fiat mixti solutio, nullâ tamen nouâ generatione hanc subsequente; aliam verò præter hanc putredinem esse dicunt, quâ non solùm mixtum corrumpitur & interit, sed etiam nouum generatur, quomodo pulices, vermes & similia generari dicunt. Atque per istam putredinem contagium generare statuunt. Verùm vt illud libenter acceptamus, quod hi concedunt, à priori putredine non semper gigni contagium, sed ea solùm, in qua talia seminaria generantur, quæ forti mixtione ita temperata sint, vt postquam è corpore ægro emanârunt haud facilè pereant ab externis causis debilitata, sed peculiari firmitate freta diu perdurent perseuerentque, & spirituosâ essentiâ in corpora alia penetrent faciliùs, pertinaciúsque adhæreant; ita an ad istam generationem contagij, vlla sæpe putredo necessaria sit, non sine causa dubitamus. Habet se contagium, vt antea etiam dictum, fermenti instar, quod in corpore analogo receptum similem dispositionem illi inducit; quod tamen non per putredinem, sed peculiarem fermentationem, digestionem & mixtionem generatum est.

Quâ vi contagium agat.

Atq; vt per putredinem non generantur necessariò ista contagij seminaria; Ita etiam per eadem non necessariò suas actiones exercent, sed vbi portiuncula aliqua materiæ contagiosæ, è corpore ægro emissa, ab alio sano recepta est, occultâ quadam vi, & à tota substantia, vt vocant, potiùs in illud agit, quàm manifestis tantùm qualitatibus putrefaciendo. Id quod ex iis, quæ suprà de natura pestis dicta sunt, apparet, & in alijs etiam morbis animaduertitur, qui in corporibus infestis se exerunt, vbi nulla adhuc putredo adest.

Quomodo contagium dissemnetur.

Non vno autem modo ac via è corporibus infestis contagij seminium exit. Aliquando enim per exspirationem & halitum; aliquando per poros cutis & ἀδήλως διαπνοὴν exhalat, sicut videmus halitus acres & mordaces ex rapis, raphano maiore exeuntes, & ex rebus incensis vapores etiam res longè dissitas afficere & inficere. Principium motionis partim à se habent, vt est vaporis omnis sursum ferri: partim ab aliis, à quibus in latus seu deorsum trabuntur. Fit hoc vel ab aëre, vel à sole, vel corpore aliquo, à quo repelluntur. Aliquando per sudores sordésque cuti adhærentes, per pus & saniem è bubonibus & carbunculis effluentem, pannis alisque vestimentis & stragulis communicantur, quibus mediantibus alia postmodum corpora inficiuntur.

Vtrùm corpora viuentia, an verò cadauera magis contagiosa sint.

Hoc loco non sine causa quæritur: *Quænam corpora infecta magis contagiosa sint, plúsque seminis pestilentis exspirant, viuentia, an verò mortua?* Rondeletius, *de cur. febr.* in ea est sententia, corpora peste mortuorum nullum ampliùs venenum coniunctum habere, mortuóque animali perire omne venenum; & si aliquando contagium ab iis contrahatur, hoc potiùs ab illorum pannis, quàm ipsis contrahi; narrátque secuisse se aliquando corpora mortuorum ex peste, multis spectantibus studiosis, sine omni damno. Quæ sententia eo præcipuè nititur fundamento, quòd cadauera nihil vel parùm expirationis de se emittant.

Alij quidem non planè venenum cadaueribus adimunt, verùm viuentia corpora infecta, longè cadaueribus contagiosiora esse statuunt, atque affert pro hac sententia Thomas Iordanus, *de pestis phænomenis, tr. 2. c. 18.* præter alias, quæ pro Rondeletij sententia afferri possunt, rationes, eam, quòd halitus, qui è corpore viuente peste infecto exhalant, maiorem habeant cum spiritibus corporum viuentium, quæ inficiuntur, cognationem & similitudinem, quàm cum vaporibus è cadauere exhalantibus, habeant spiritus animales; magísque conuenire viuentem cum viuente, quàm viuentem hominem cum cadauere; contagium autem fieri inter similia.

Laurentius Ioubertus *lib. de pest. cap. 3.* contrà statuit; longè maius contagionis periculum imminere à cadaueribus peste interfectorum, quàm viuentibus: & longè periculosiùs esse peste sublatum, quàm etiamnum ægrotantem, attingere. In corpore enim viuente à calore natiuo venenum hebetari quodammodo, & quantum fieri potest, retundi; extincto verò calore natiuo, nullo obsistente, vniuersum corpus à veneno occupari, venenúmque in eo longè ferociùs, quàm antea grassari; ipsámque quæ mortem sequitur, putredinem venenum augere & exasperare. Videntúrque omnes ferè Medici, qui de peste præcauenda scripserunt, à Rondeletio dissentire, dum præcipiunt, peste interemptorum cadauera quamprimùm terræ esse mandanda, & quidem altiùs effodienda esse sepulchra. Quod etiam in omnibus bene constitutis Rebusp. obseruatur, refértque Thucydides, in peste Attica, cùm multa cadauera hominum insepulta iacerent, ea vel non attigisse bruta, quæ cadaueribus victitare solent; quæ verò attigerant, periisse.

Controuersia decisio.

Ex hoc dubio vt nos euoluamus, principio distinguendum putamus inter eos peste laborantes, quorum morbus in salutem & vitam terminatur, & inter eos, quorum morbus lethalis est. Eos qui peste laborant, & de vita non periclitantur, minùs contagiosos esse, quàm pleraque peste interfectorum cadauera, existimo. Atq; in hisce corporibus verum esse credo, quod Ioubertus dicit, calorem vitalem, cui opitulantur & alexipharmaca, sese veneno non tantùm opponere, illúdque hebetare ac retundere, sed tandem etiam, victoriâ potitum, planè infringere ac abolere. Ac quantum quidem ego memini, non obseruatum puto, in ea, quæ superioribus annis hîc grassata est pestilentia, quemquam ab iis, qui conualuerunt, infectum fuisse. Hoc certè sæpius obseruaui, si primus, qui in domo aliqua peste infectus fuit, conualuit, neminem præterea in ea domo infectum fuisse. Vbi verò æger de vita periclitatur, & tandem moritur, contrario modo sese res habet. A tali enim corpore, præcipuè iam morituro homine, quando scilicet venenum, deuicto calore vitali, triumphat, quasi plus periculi imminere, quàm à cadauere puto. Et experientia testatur, quò plures in ciuitate vel domo aliqua conualescunt, eò meliorem de salubri statu recuperando spem esse: Contra verò quò plures moriuntur, eò pestem sæuiorem euadere.

Rectè tamen, quæ dicta sunt, accipienda: à viuente corpore, quod venenum ita corrumpit, vt nihil nisi pestilens ex eo exhalare possit, calor natiuus reliquus, quâtum quidem potest, omni conatu venenum expellit, & per se ex tali corpore, cuius humores corrupti sunt, vapores & halitus per omnes vias ac spiracula, in primis per exspirationem, exhalant. Ideóque cum homine tali iam morituro periculosissima est conuersatio. Verùm vbi homo mortuus est, cadauérque calore vitali extincto iam refrixit, porique clauduntur, & in primis exspiratio per pulmones cessat, minùs, vt rectè in hoc Rondeletius statuit, vaporum exhalat, & tum minus periculi à tali cadauere imminere concedi potest: in primis si accedat frigus externum vehementius. Non tamen nihil exspirare, ipse odor cadaueris restatur: atque id quod exspirat, non nisi pestilens esse potest; cùm omnes talis corporis humores pestilentem naturam induerint, neque per mortem eam deposuerint. Et si in vestibus & simili supellectile pestilentiæ semina asseruari queant, cur non etiam in humoribus & corporis partibus, quas occupârunt, aliquandiu hæreant? Et si alia venena in cadaueribus aliquandiu delitescunt, cur non & pestilentis veneni reliquiæ in cadauere aliquandiu remanere possint, quæ postea exspirent, & alia corpora inficiāt? Fernelius, *lib. 2. de abd. rer. caus. c. 14.* refert, venatores quosdam lupum sæuiorem trucidatū in varia obsoniorū genera apparauisse & coxisse, & eos omnes quicunq; carnes esitarūt, non multo pòst tempore rabie correptos, alios periisse, alios sociorū morte prudētes sibi prospexisse. Et Ioh. Bauhinus, *in tract. de luporum rabie*, è Lycosthene tradit, in Ducatu VVirtembergensi olim hospitem quendam scelestum carnes porci a cane rabido morsi conuiuis edendas apposuisse, à quarum esu rabidi facti, mutuis morsibus se miserandum in modum dilaniauerunt. Idem ex *epistolâ* quadam Theobaldi Fettichij refert: rusticum prope Francofurtum suem rabidam occidisse, necisámque minus alte in terram defodisse, quam cùm tempore hyberno vulpes olfecissent, erutámque vorassent, in rabiem eas actas fuisse, & pecora alia, atque homines morsu impetuisse, & rabiem ita disseminasse.

Verùm vbi cadauer putredinem concipit, ibi maxima vaporum copia ex eo exhalat, quod vel fœtor ostendit: qui cùm ex corpore pestilenti exhalent, nonnisi pestilentes & contagiosi esse possunt: imò venenum per illam putredinem procul dubio exasperatur. Vnde, vt antea dictum, prudenter Medici & Magistratus faciunt, qui peste mortuos quamprimùm, antequam scilicet cadauera putredinem concipiant, efferri, & altiùs effodi sepulchra præcipiunt, ne illi pestilentes halitus alios contaminent, & aërem inficiant.

Tho. Iordani sententia exterminatur.

Nam quod hîc scribit Thomas Iordanus, vim pestiferam vnà cum calore solum vertere atque euanescere, nouámq; putredinem à priore planè differentem succedere; idque ex eo patere, quòd ex putredine pestilenti nullum animal generari queat, cùm tamen ex peste interemptorum cadaueribus, vt ex aliis, vermes generentur: in eo non parùm fallitur. Nam vt illud prætereamus, quòd malè totam contagij & pestilentiæ naturam ex nescio quâ fictitiâ & à vulgari diuersâ putredine deducit, nullam causam reddit, cur necessarium sit, vt cum calore vniuersum venenum euanescere debeat. Cùm enim in aliis corporibus diu contagij semina latere posse videamus: quidni etiam in humoribus, in quibus generata sunt, aliquandiu subsistere possint? Et fieri hoc, maculæ & alia plurima, quæ etiam post mortem contingunt, atque in cadaueribus conspiciuntur, & pestilentiæ signa in defunctis habentur, satis docent.

An à pestilenti putredine animalia generentur.

Deinde falsum est, à pestilenti seu putredine seu corruptione nullum animal generari. Docet enim experientia, & à plurimis annotatum est Medicis, in peste & pestilentibus febribus, vermes non solùm per aluum deiectos, sed & vomitu

Digitized by Google

reiectos fuisse. Et si post bella, militum, qui bene valebant dum occidebantur, cadauera insepulta putrescentia pestem inducere valent: cur non multò magis peste interemptorum cadauera, præcipuè putrescentia, contagiosa fiunt? Nam nullius momenti est, quod hic respondet Thomas Iordanus, illic aeri alias sincero & puro virus contagiosum à putrescentibus cadaueribus communicari: in peste verò aerem iam antea esse contagiosum, & propterea ampliùs pollui non posse, & superuacaneum esse, infecta cadauera pestem afferre, iam antea in aerem à quauis causa introductā. Quasi verò id, quod sordidū est, ampliùs defœdari ac pollui, ac venenositas augeri nequeat? Deinde non in qualibet constitutione pestilenti vitiū in aere hæret, sed sæpissime aer purus est, pestisque saltem per contagium propagatur. Quo in casu & aerem pestilentiæ semina è cadaueribus recipere, & viuentes è cadaueribus ea haurire, non impossibile est.

Nec illud vllum habet pondus aut rationem probabilitatis, quod scribit: Quemadmodum venena, alimenta, pharmaca, in cadauere, ob caloris actualis migrationem, nullius vsus sunt & efficaciæ: ita etiam luem contagiosam nec in cadauere latere, actuari, aut aliquid roboris viriumque habere à semetipsa, neque affectionem in alium transmittere posse. Concedimus, non cadaueribus venena esse venena, sed viuentibus; & sicut purgantia remedia non cadauera purgant, sed viuentem hominem: Ita etiam venena non in cadauere, vtpote cui non aduersantur, sed viuente homine, vim suam exercere. Interim cur in cadauere latere non possint, causam nullam video. Si enim in ligno aut lana, vbi omnis viuentis calor deest, vires suas retinere possunt, & diu delitescere: cur non etiam in cadauere possint? Sicut & illud nos non mouet, quod dicit, viuentibus corporibus cum viuente, quàm cum cadauere, esse maiorem similitudinem. Verum hoc est: sed quid ad rem? Ergóne arsenicum aut alia venena, quia non viuunt, hominem non ingolant? sed de hoc postea.

Ferè eiusdem momenti est, quod scribit, venenum, vbi calorem natiuum, cui tota substātia aduersatur, deuicerit, vna commori. Quæ enim causa est, cur agens, vbi suum contrarium vicit, & ipsum interire debeat? Ab actione quidem cessat, sed non interit. Neque fidem meretur, quo hîc effugere conatur, dum dicit, veneni illud seminarium, quamdiu in vestibus latet, eneruc ac languidum esse; à calore autem vires suas accipere. Falsum enim hoc est: virésque suas omnes retinet in fomite semen contagij, sed in quo eas exerat, tum non habet: at in corpus viuens receptum, vtpote cui contrarium est, mox eas exerit: ad quam actionem in calore actuante opus habeat, non parum dubito.

Narrationem Rondeletij quod attinet, in dubio adhuc est, an cadauera illa peste interfectorum fuerint. Nulla enim signa ex iis, quæ euidentia sunt pestilentiæ, in iis apparuerunt: sibi ignotum sibi inter sectionem fuisse, an cadauera illa peste interemptorum fuerint, ipse refert, neque addit, vnde postea illud rescuerit. Et fuerint sanè interfectorum peste illa cadauera: fieri tamen potuit, vt in cadaueribus illis a frigore hyberno vehementiore contagiosa vis extincta fuerit sicut videmus eandem in aliis fomitibus frigore hyberno aboleri.

Porrò semina contagij, si alteri corpori communicari debent, nisi illud immediatè contingant, id quod in lue venerea, scabie, & similibus accidit, medio aliquo seu vehiculo opus habent, quo ab vno corpore in aliud transferantur. Hoc autem vehiculum duplex est aër scilicet, & fomes, quem appellant.

Aër. Aërem quod attinet, testatur experientia, non solùm à vicinis locis, sed & interdum remotioribus, semina illa contagij pestilentis deferri & propagari posse: id quod in famosa illa peste Attica accidit, quæ, vt testatur Thucydides & Lucretius, ex Æthiopia vsque Athenas peruenit. Est autem paratior & commodior ad deferendum & conseruandum semina contagij aer, si omnis qualitatis, actiuæ in primis, sit expers. Alias enim via illa μιάσματα, extinguitur, id quod potissimùm in hyberno frigore fieri videmus.

Fomes. Fomitis rationem habere potest, quicquid ad contagiosa semina & excipienda & retinenda, donec iterum alteri corpori communicentur, aptum est. Talia sunt omnia, quæ rara, laxa & porosa sunt, subeūtésque fumos & vapores, ἀποῤῥοίας & ποιότητας ἀτμηρὰς promptè excipiunt, ac diu retinent: linum, gossypium plumæ, pelles pilosæ animalium, & quæ ex his conficiuntur vestes. Annotátque Fracastorius, *de morb. contag. lib. 2. capite 6.* Anno 1511. Veronæ ex vna veste pellicea, 25. Germanos milites obiisse, dum vno defuncto alius induerit illam vestem. Hanc ob causam & ob pilos Cardanus *lib. 1. de venen. cap. 14.* hinc refert canes & feles, qui susceptum pilis venenum sæpe transportant in alias ædes, easque inficiunt. Quanquam & ex terrore, quo, conspecto fele vel cane è domo infectæ gresso, perculluntur, nonnullos pestem contraxisse, obseruatum sit. Forestus, *l. 6. obseru.* 28 peste correptum narrat quendam adolescentē, cui cùm manum in scrinium quoddam inseruisset, tela araneæ in manum incidit, à qua post leuis pustula oborta est. Quin & parietes & muros contagium suscipere posse experientia docuit. Quod apud Iudæos frequens fuisse, ea quæ in Sacris de leprosis ædibus dignoscēdis & purgandis leguntur, docent. Tanta enim erant illa lepræ contagio apud Iudæos, & tam profundè in ipsos lapides & parietes se insinuabat, vt non solùm muros radi, & nouâ calcis crustâ induci oporteret, sed sæpe tota ædificia destrui necesse esset. Contrà verò quæ solida & densa sunt, tùm vapores & πόρους ἀτμηρούς non facilè admittūt, ad contagium etiam recipiendum & seruandum minùs apta sunt; qualia sunt lapides solidiores & metalla. Hinc Hier. Mercur. *de peste cap.* 32. simplices sibi videri dicit, qui contagij metu monetas tractare recusant. Monetas tamen hic nonnulli, contagij suspicione non carere eas monetas, quas peste infectus tractauit, dum sudore manûs madent. Adderem & hoc, nummos sordidos pinguibúsque sordibus oblitos, quales interdum nostri minores sunt, vapores contagiosos recipere posse.

An moneta contagium suscipere possit.

Fomes autem, quicunque demum sit, diutiùs ista semina pestis retinet, si in loco sit neque calido neque frigido nimis neque tali, qui aere libero & ventorum flatibus est expositus. Alias enim vel ab excessu qualitatum actiuarum vis veneni infringitur, vel ventorum flatu dissipatur.

Porrò vbi talis fomes vel mouetur, vel excutitur vel nonnihil incalescit, excussum quasi è latebris venenum in obuium quemque trāsfertur, & idem tunc efficit, quod fecisset, quam primùm ea corpore ægro exhalauit. Ita sæpe compertum est, à conclusis, multósque annos reseruatis vestimentis, aut lectis infectis, dum iam innoxiè tractari posse crederentur, totas familias, imò ex iis tota oppida infecta fuisse. Narrat Alex. Benedictus, *de peste, c.* 3. ex culcitra ob contagium suspecta, atque in remotiores ædium partes abiecta, post septennium iterum agitatā, pestē excitatam fuisse. Et apud Trincauellium, *l. 3. Consil.* 17. Francanzanus narrat. Iustinopoli post maximam pestem funes, quibus ægri portabantur, mortuique ad sepulchrum deferebantur, post capsam quandam abiectos fuisse, atque ibi per annos 20. aut plures latuisse; quos cùm seruus loco postea moueret, incidit in pestilentialem febrem, contagióque illius reliqui infecti sunt, vt 10000 hominum hac occasione mortui fuerint.

Anno 1542. Vratislauiæ peste 5900. intra 22. septimanas mortui sunt; pestilénsque contagium in linteo annis 14. conclusum hæsit, è quo anno 1553. Laubani explicatum pestem excitauit, quæ per contagium iterum Vratislauiam delata est, & hinc Goldbergā, Goldbergâ per vestes à vigili in turri Lignitium deportata, & postea per columbam è turri delapsam, ac à custode portæ exceptam, hinc inde per vrbem disseminata est.

An contagij semina quis in vestibus sine noxa circumferre possit.

Verùm hîc quæritur, an quis in vestibus suis contagium possit sine noxa circumferre, & ipse non læsus aliis id communicare. Ad quod respondemus, si primò tali in loco contagij seminium in alicuius veste hæreat, vt cutem eius attingere, & per poros cutis in corpus admitti non possit, quamdiu tale μίασμα quietum manet, nullum circumferendi damnum inferet. Quod si iam excutiatur, & in aerem spargatur, fieri quidem potest, vt ipse qui illud circumtulit, spiritu quem ducit, in corpus admittat: accidere tamen etiam potest pro varia aëris agitatione, qua & illa μιάσματα hinc inde mouentur, vt alius illud attrahat, non ille, in cuius veste aliquandiu delituit. Eius rei in ea, quæ superioribus annis hic grassabatur, pestilentia, aliquot exempla habuimus, vbi aliquot ex incauta cum vespillonibus, & aliis, qui ex officio infectos visitarunt, conuersatione, peste infecti & mortui sunt.

An contagium aliquandiu in homine delitescere possit.

Maioris verò difficultatis est quæstio, quâ controuertitur, An semen contagij ab homine haustum in eius corpore aliquandiu latere possit, antequam se prodat; an verò necessarium sit, vt suas vires exerat. Dissentiunt hac de re Medici, atque inter eos Octauianus Roboretus, & Hieronym. Mercurialis, ac Ioan. Antonius Saracenus. Statuit Octauian. Roboretus, *de febre pestil. capite* 19. venenum hoc non solùm per multos sæpe dies, etiam in sæuiore peste, sed & per menses, more veneni, quod morso canis rabidi infertur, latere posse, sibique ipsi, cùm de infectione suspectus esset, atque per dies decem à consortio aliorum se subtraxisset, vix iterum postea egresso, bubonem erupisse scribit: existimátque, summâ cum ratione in bene constitutis ciuitatibus lege sancitum esse, vt qui ex peste infestis locis veniunt, tamdiū ab aliorum consortio semoueantur, donec contagij suspicio sit abolita; quod 40. diebus ad summum euenire putat. Ioan. verò Anton. Saracenus, cum quo consentit Hier. Mercurialis, concedit quidem aliquandiu hoc pestilens seminarium corpore circumferri posse, sed non tot dierum hebdomadibus, vestibus mutatis, & corpore loto ac raso; duriúsque illud, quod laudat Roboretus, statutum, quàm ex æquo & bono esse existimat.

Verùm priori sententiæ potiùs subscribimus eorum, qui semina pestilentiæ in corpore, antequam vim suā manifestè exerant, non solùm dierum, sed & septimanæ vnius atque alterius spatio latere posse existimant. Atque vt id credamus, neque pro re impossibili habeamus, in primis illud nos mouet, quòd videmus alia venena, antequam in actū erumpant, aliquandiu in corpore humano delitescere posse. Disputatur inter Medicos, an dentur venena, quæ intra corpus assumta, non statim, sed post aliquod temporis interuallum homini noceant, & sese exerant. Et licèt de eo alij aliter sentiant, atque illud adeò facilè probari non possit, venena esse, quæ definitis planè mensium & annorū spatiis tandem hominē ingolent: hoc tamen certū est, malitiā hominum talia venena inuenisse, quæ hominibus propinata, primò se nullo modò prodāt, sed post aliquod tēpus sese exerere incipiūt, hominémque lenta morte enecant. Qua de re Cardanus, *lib. 1. de venenis, capite* 26. Et de canis rabidi veneno res extra omnem controuersiam posita est, illud diu, antequam se prodat

in corpore humano latere posse: annotatúmque est à Medicis, illud non solùm per menses sex, sed & annos duodecim, imò longè plures, in corpore delituisse. Si igitur in aliis venenis hoc fieri potest, cur in pestilenti id sit planè impossibile. Nimirum seminis pestilentis non eadem est semper potentia, sed ab exiguo initio maximas vires acquirit, & vt Galenus, *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* de sputo rabidi canis docet, ab exiguo initio & venenata qualitate, praua quædam in corpore dispositio sensim augetur, tandémque ad excellentem magnitudinem exurgit.

Quæ omnia cùm talia sint, vt negari non possint, ipsa nimirum experientia attestante, venena plurima in corpore aliquandiu delitescere posse, in hoc nonnulli, inter quos est Io. Antonius Saracenus, *de peste, capite 6.* laborant, vt monstrasent dissimilitudinem inter venenum pestilens, & alia venena, in primis canis rabidi. Ita enim Saracenus: *Huius*, inquit, *atque illius diuersa est substantia, nec sedes eadem. Huius enim* (canis rabidi) *vis hebetior, ac in crassiore & densiore materia inhærescens, qua de causa cohibetur, nec nisi caloris natiui, eiusque copiosi, magna vi excitatur. Quin id ipsum, vt imbecille admodū, ne rara quidem epidermis altius penetrare sinit, nisi forsan vel scissa, vel alioquin lacera sit. Illud* (pestilens sc.) *contrà multo tenuius, acrius, eiúsque vis ac efficacitas ea, vt non modo* ἐπιδερμίδα, *sed & cutem ipsam, quantumuis validam ac densam, ocyssimè permeet, penitiúsque intrò subeat.*

Verùm enimuerò hæc nostræ sententiæ parum officiunt. Sit enim quædam inter hæc venena differentia, & concedamus, quod libenter facimus, tandiu, quamdiu canis rabiosi venenum, pestilens in corpore latere non posse: interim ex his nullo modo sequitur, quin pestilens vno dies aliquot occultari in corpore possit. Est nimirum venenorum in agendo efficacia non eadem; tum etiam patientis nunc minor, nunc maior ad resistendum vis. Stat itaque hoc adhuc firmum. Si alia venena, atque inter ea venenum rabidi canis, quod non minus, quàm pestilens, homini lethale est, latere potest, aliquandiu & pestilens delitescere posse, non impossibile est. Neque ideo tandiu in corpore latet venenum canis rabidi, quòd calore natiuo copioso demum excitetur, sed, vt ex Galeno dictum, ab exiguo initio, sputi scilicet rabidi canis praua qualitate, praua quædam in corpore dispositio sensim augetur, tandémque ad excellentem magnitudinem exurgit. Ita etiam si semen pestilentiæ in corpus assumtum non satis forte & efficax sit, corpúsque resistendi magnam vim habeat, impossibile non est venenum illud pestilens quasi occultum latere, sensimque humores corrumpere, tandémque, vbi incrementum acceperit, vim suam pestiferam producere.

Veneni pestilentis aliquandiu in corpore latentis documenta.

Vt verò ex his manifestum euadit, non impossibile esse, venenum pestilens aliquandiu in corpore humano delitescere posse: Ita non pauca sunt, quæ satis docent, sæpius hoc ita contigisse. Nam non rarò accidit, vt peste aliquis corriperetur, qui tamen nullam omnino recentis infectionis causam dare potuit; sed confiteri necesse habuit, semina pestis sese ante plures dies excepisse. Testatur Octauianus Roboretus, *de febr. peticular. capite 9.* sibi hoc Constantinopoli accidisse: & in qualibet pestilentia, vbi causa non primariò est in aere, sed per contagium saltem pestis propagatur, obseruari potest. Sæpe enim accidit, quopiam in domo aliqua peste extincto, licet reliqui in alia conclauia fugiant, & omnem supellectilem, quam infectam esse vel suspicantur, studiosè vitent, nihilominus post aliquod temporis interuallum, alium eadem corripi. Imò obseruatum, cùm à me, tum ab aliis, certis periodis, nunc 14. dierum, nunc plurium interuallo sese exeruisse hoc venenum. Imò & hoc obseruatum, quosdam, saluti suæ fuga consulturos, ex locis infectis in tutiora alia se contulisse, nihilque supellectilis infectæ secum abstulisse, nihilominus post temporis aliquod interuallum, peste etiam in locis iis, vbi tunc ea non grassabatur, correptos fuisse.

Neque sententiam nostram inuertit, quod obiicitur, venenum homini pestilens esse infensissimum, & in corpore calido foueri, ac proinde fieri non posse, vt sine damno & manifesta actionum mox per initia læsione, in corpore contineatur. Nam & alia venena homini infesta sunt, & æquè in calido corpore continentur: nihilominus non mox & per initia, vbi vires corpus lacessendi modum sufficientes habent, homini sensibiliter molesta sunt, sed per cuniculos quasi rem agunt, & tandem subitò sese produnt. Ita enim venenum pestilens in corpus receptum, nisi mox vel à calore nostro vincatur vel per remedia capellatur, nunquam quidem otiosum est: Verùm si sit debilius, eius efficacia non mox deprehenditur, sed sensim sese multiplicat, & humores corrumpit, tandémque vbi vires sumsit, sese prodit; vbi scilicet natura ab hoste iam potentiore lacessita, sese ei opponit, & ex pugna illa veneni & naturæ, manifesta in corpore Symptomata excitantur.

Corporis ad recipiendum contagium dispositio.

Tertiò in contagio perpendendum est corpus, quod illud recipit, seu patiens. Vt enim in aliis actionibus non quodlibet in quodlibet agere videmus, sic & in contagio præcipuè pestilenti, idem accidere animaduertimus. Nam non omnis pestis omnibus animalibus contagiosa est, sed quæ ex homine in homines deriuatur, eadem non sues & boues inficit, & contrà Et à peste, quæ hominibus contagiosa est, non omnes eodem modo lædi videmus. Etsi enim tanta veneni pestilentis in agendo sit potentia, vt nemo ab eo sibi immunitatem facilè polliceri queat, atque id omnis generis corpora omni loco & tempore inficiat, iuuenes, senes, viros, fœminas, sanos, ægros; vere, æstate, autumno, hyeme; in locis calidis & frigidis: tamen corpora alia faciliùs, alia difficiliùs id admittunt. Animaduersum est sæpissime, nonnullos leui de causa, & cùm via cum vno infecto obiter conuersati fuissent, infectos fuisse, alios verò infectos & viuentes & mortuos plurimos tractasse, nihilominus à peste immunes euasisse.

In quo ea consistat.

Causam huius rei non omnes reddunt eandem. Plerique omnes dicunt hoc fieri ob peculiarem similitudinem & ἀναλογίαν, quam habeat contagium cum corpore quod inficitur; cùm simile recipiat, & similia promptè iungantur. Verùm hæc opinio veritati consentanea non est. Omnis enim actio est inter contraria: & agens, dum agit in patiens, agit in illud, vt id sibi simile reddat. Et quamuis similia faciliùs coniungantur: tamen eo fine fit id, vt vnum ab altero conseruetur; quod in contagio locum habere non potest, vbi corpus, quod inficitur à contagio, vt sibi simili & amico, non conseruatur, sed vt à contrario corrumpitur & destruitur. Octauianus Roboretus ergo, *libro de febr. peticular. capite 9.* aliter rem hanc explicat, docétque in contagio tria reperiri. 1. Terminum à quo, seu corpus, quod primò infectum est, atque alia rursum inficit. 2. Terminum ad quem, seu corpus quod per contagium inficitur. 3. Ipsum affectum, qui per contagium communicatur. Similitudinem igitur in contagio quidem concedit; sed non inter contagium & patiens, quæ potius dissimilia & contraria, quàm similia statuit: verùm inter terminum à quo & inter terminum ad quem, seu inter corpus, quod primò infectum fuit, & illud quod deinde inficitur; existimátque, affectionem præter naturam, quæ vni alicui corpori facilè communicatur, alteri quoque, priori simili, facilè communicari posse: rationémque hanc addit; quia sicut affectio illa præter naturam priori eis inimica, vt illud lædere possit, ita alteri priori simili quoque erit aduersa, & proinde æquè illud lædet.

Quam opinionem vt non reprehendimus, cùm veræ sententiæ fundamentum contineat: ita non proximam huius rei causam explicare putamus. Nam etsi verum sit, quòd contagium, quod aliquod corpus primò infecit, alteri quoque huic simili faciliùs, quàm alteri dissimili, communicari possit; tamen, cùm vt antè dictum, actionis fundamentum non in similitudine, sed in contrarietate consistat, omnísque actio contrarietatem præsupponat: quæritur porrò, Cur hoc contagium vtriumque horum inficiendi vim habeat, & non alia diuersa, verbi gratia: Cur pestis hæc tantùm homines, & non simul boues iugulet? Et cur eadem illa inter homines, non omnes, eodem modo inficiat? Hîc verum est illud, quod addit; quod affectio præter naturam, quæ priori ita contraria fuit, vt illud potuerit lædere, alteri quoque hinc simili aduersa futura sit. Atque ita actio in contagio potiùs à peculiari ἀντιπαθείᾳ, quàm similitudine cum patiente erit petenda. Nam cùm, sicut se duo similia habent ad aliquod tertium, ita illud tertium, habeat se ad vtrumque illorum: sic contagium, dum corpora duo æquè inficiendi vim habet, non solùm necesse est, vt duo illa corpora inter se similitudinem habeant, sed & hoc requiritur, vt contagium vtrumque æquè inficiendi potentiam obtineat: id quod pendet à peculiari ἀντιπαθείᾳ, quam certa venena habent ad certa animalia, & animalium partes, de quo suprà dictum. Vt enim non quodlibet venenum cuilibet animali venenum est: ita etiam res contagiosa non omnibus contagiosa est.

Sicut verò nemo facilè explicauerit, quæ sit pestilentis veneni ratio & essentia, & vnde eius differentiæ pendeant: ita quoque nemo facilè explicauerit, in quo ἀντιπάθεια hæc veneni pestilentis cum certis animalium speciebus & specierum indiuiduis consistat. Hoc quidem certum est, in manifesta aliqua qualitate eam non esse quærendam: quæ tamen sit illa occulta qualitas cur pesti hæc huis saltem animalium speciei sit aduersa, & non omnia eiusdem indiuidua æquè inficiat, in hac naturæ caligine, & formarum ac qualitatum occultarum inde pendentium ignoratione, obscurum est.

Vnde omnino frustra laborant ii, qui in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, ætate, sexo, pororum amplitudine, vel angustia, corporum puritate vel impuritate, illā dispositionē quærunt. Hoc quidem verum est, eos, qui quocunque modo ad putredinem aptiores sunt, grauiùs ac periculosiùs febre affici: ad pestem verò recipiendā talia facere, experientiæ non consentit.

Itaque existimamus, dispositionem illam nihil aliud esse, quam peculiarem aliquam cordis proprietatem, cuius ratione veneno pestilenti repellendo minimè par est. Neque enim pestis admittitur, antequam cor de naturali statu deiiciatur. Obseruatum enim est, multos, cùm impunè cum plurimis peste infectis, cum quibus sanguinis nexu deuincti non erant, conuersati essent, postea ex leui cum aliquo sanguine iuncto conuersatione infectos fuisse. Quæ autem illa sit in corde dispositio, explicare facile non est. Si pestilentis veneni ratio, atque in primis antidotorum natura nobis nota esset, & verbis commodè explicari posset, facillimum esset, explicare illam

ad

ad peſtem recipiendam diſpoſitionem. Alexipharmaca enim illa opponuntur morbo, naturæ verò amica ſunt. Talis itaque diſpoſitio in corde eius, qui peſti reſiſtere poſſit, eſſe debet, qualis in alexipharmacis eſt. Illâ verò facultate qui deſtituitur, facilè venenum admittit, & peſte corripitur, ac niſi Antidotis ipſi ſuccurratur, veneno ſuccumbit & moritur.

Addimus tamen & hoc, quòd, cùm illa venenata qualitas non ſine ſubiecto è corpore infecto in aliud tráſferatur, faciliùs ſeſe inſinuabit, eundémque affectum edet, ſi in corpus analogum & ſimile recipiatur: vnde accidit, vt conſanguinei faciliùs, quam alij inficiantur, & ſæpe integræ familiæ peſtifera lue deleantur: obſeruatúmque eſt, multos, cùm impunè cum multis peſte infectis, quibus ſanguinis cognatione deuincti non erant, conuerſati eſſent, poſtea à conſanguineo aliquo infecto, leui occaſione infectos fuiſſe. Nam cùm conſanguinei ſimilem quandam naturæ proprietatem habeant, accidit, vt peſtilens venenum, quod vni noxium eſt, alteri etiam ſit aduerſum.

Sunt tandem & alia quædam, quæ vt peſtis faciliùs in corpus admittatur, faciunt. Cùm enim aërem, in quo diſperſa continentur peſtilentiæ ſemina, per os & nares attrahamus, & inde ille per tracheam arteriam in cor admittatur; ac per exteros etiam corporis ſpiracula ſeu poros ad arterias via pateat: ij, qui quacunq; de cauſa copioſiùs inſpirant, vt ſit poſt magnum motum & exercitia, quique poros cutis habent amplos & patentes, faciliùs ſemina peſtilentiæ & in aëre & in fomite aliquo hærentia admittunt. Quæ verò de regione & tempore anni dicuntur, quòd ſcilicet loca maritima, auſtro obiecta, calida & humida, peſte magis infeſtentur, & magis circa finem æſtatis & autumnum eadem graſſetur: illud potiùs ad cauſas peſtem generantes, quam diſpoſitionem in corpore ad peſtem ſuſcipiendam, pertinet.

Cur nonnulli cum peſte infectis ſine periculo conuerſentur.

Hoc loco illud meritò explicandum eſt: Quî fiat, quòd nonnulli, in primis veſpillones, Chirurgi, atque alij, qui miniſteria ſua peſte infectis deſtinarunt, ſine vllo damno cum innumeris ferè peſte infectis conuerſentur. Sentiunt hac de re alij aliter. Nonnullis, à quorum ſententia non alienus eſt Alex. Maſſarias, tota hæc res ſuſpecta eſt, dubitántque ij, an ita ſe habeat, vt ſcilicet iſti, tanquam caduceatores, incolumes inter peſtifera tela verſari poſſint. Verum quidem eſt, plurimos ex hoc etiam hominum genere (cùm non pauci, parùm ad reſiſtendum huic veneno apti, lucri & rapinæ auiditate, huius generis ſeruitiis aliis locent) interire: obſeruatum tamen etiam eſt plurimos in plurimis peſtilentiis ſine vllo damno ægris plurimis miniſtraſſe.

An idem homo bis peſte corripi poſſit.

Maſſarias hanc cauſam affert, quod plerique antea peſte laborârint: neminem autem bis peſtilenti affici morbo. Verùm falſa hæc ſunt. Primò enim dubium eſt, an omnes illi veſpillones, Chirurgi, & ſimiles peſte laborârint. Deinde experientia ſæpius teſtata eſt, nonnullos non ſolùm bis, ſed & ter peſte laboraſſe, imò nonnullos cùm primò euaſiſſent, iterum peſte correptos, mortuos eſſe.

Alij in neſcio quæ ſecreta remedia, quibus inſtructi illi ſint, cauſam huius rei referunt. Verùm vnde illi rudes plerique homines habeant illa ſecreta remedia, quæ Medici diligentiſſimi ſummo labore conſequi non potuerunt? Cùm prudentiſſimi Medici fateantur, verum & ſpecificum peſtilentis veneni remedium homines latere. Et ſæpe compertum, ſecreta illa remedia, à talibus hominibus aliis communicata, parum ipſis profuiſſe, & paucos à talibus hominibus interdum ſanari.

Probabilius igitur hac de re ſtatuunt, qui docent, in quibuſdam indiuiduis eſſe peculiares corporis atque cordis diſpoſitiones, qualitatéſque occultas, quibus peſtilenti veneno reſiſtere poſſint. Etſi enim iſtas occultas proprietates cùm alij, tum Alex. Maſſarias reiiciant, & diſpoſitionem ad peſtem faciliùs vel difficiliùs recipiendam referant in corpora, quæ modò excrementis referta ſunt, modò iiſdem libera: tamen experientia teſtatur, veſpillones illos, & alios huius farinæ homines, præ aliis corpora puriora non habere, ſed ſæpe vitioſis humoribus ſcatere, crapulæ, ebrietati, aliíſque, quæ vitioſos humores cumulant, deditos eſſe. Et dari tales naturas, quæ peculiares venenis quibuſdam reſiſtendi vires habent, ſæpe obſeruatum eſt. Et purgantia ſaltem remedia id ſatis oſtendunt, quæ ſine vllo incommodo in ea copia, quæ omnem doſim vulgarem excedit, aſſumta à quibuſdam fuiſſe, Medici annotarunt. Narrat. Ant. Muſa Braſanolus, *de ſimpl. medic. examine, pag. 459.* ſe vidiſſe quendam in officina Iacobi à Columna Pharmacopolæ, qui drachmas duas ſcammonei præter noxam comedit, quater vel quinquies aluum deiiciens. Et Fallopius, *de ſimpl. remediis purgant. c. 48.* ſcribit, ſe vidiſſe Ferrariæ Germanum Scholaſticum, qui in Apotheca à pinea accipiebat vnciam vnam ſcammonei, & non ſoluebatur. Talis ergo & veneno peſtilenti reſiſtendi vis in quibuſdam indiuiduis eſſe poteſt.

Etſi verò tanta contagij peſtilentis vis ſit, vt nemo ab eo immunitatem ſibi facile polliceri poſſit: accedere tamen huic, de qua diximus modò, cauſæ duæ adhuc poſſunt. Primò animus præſens, & qui nullo periculi metu terreatur, quem in præſeruatione à peſtilentia, ſi quid aliud plurimum poſſe, ipſa experientia docet. Deinde conſuetudo quædam, dum tales homines ex crebra cum ægris conuerſatione veneno peſtilenti quaſi aſſueſcunt. Atque id planè impoſſibile non eſſe, alia venena docent. Nota eſt hiſtoria de elegantis formæ puella, quæ veneno nutrita Alexandro magno dono miſſa eſt. Et Cælius Rhodigin. *lib. 11. lect. antiq. cap. 15.* narrat, Coloniæ Agrippinæ puellam fuiſſe, quæ araneas, in quas incidebat, ſine omni damno deuorauit. Et de anu quadam Athenienſi refert Galenus, *lib. 3. de ſimpl. med. fac. c. 18.* quæ ab exigua cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad magnam progreſſa eſt copiam.

Contagij differentia.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facile eſt colligere, Quænam ſint contagij differentiæ. Plerique Medici, Fracaſtorium ſecuti, triplex contagij genus ſtatuunt, docéntque, alia inficere ſolùm per contactum; alia per fomitem; alia nec contactu ſolùm vel fomite inficere, ſed etiam ad id, quod diſtans eſt, contagium transferre. Atque ita triplex contagium eſſe; per contactum, per fomitem, & ad diſtans. Verùm non rectè opponitur contagium ad diſtans ei, quod per fomitem ſit, cùm & quod per fomitem inficit, res longè diſtantes inficere poſſit, & in loca longè diſſita transferri queat. Sed vtrique opponitur, contagium per contactum, & in vtroque hoc contagio, ſine contactu corporis contagioſi, per *μίασμα*, & [illegible] affectus præter naturam transferri poteſt. Modus ſaltem diuerſus eſt, & vehiculum ſeminij non idem, nunc ſcilicet fomes aliquis, nunc verò aër ſaltem.

Contagium immediatū.

Commodiùs igitur contagium diuidi poteſt in duo genera: In contagium immediatum, ſeu quod per contactum ſolum inficit, & contagium mediatum, ſeu ad diſtans. Immediatum, ſeu quod contactu tantùm inficit contagium eſt, quando per mutuum corporum duorum contactum affectio præter naturam ab vno alteri communicatur. Atque ab hoc appellatio deſumpta, cùm ſcil. corpus contagioſum, aliud corpus quod inficitur, immediatè corpore ſuo tangit. Huius contagij ſeminaria in craſſiore reſident materia, & ſolùm per ſudores & ſordes corpori adhærentes alteri corpori communicantur, nec tam potentia ſunt, vt ſeſe longiùs diffundere poſſint. Contagium verò mediatum, ſeu ad diſtans eſt, quando aliquo interueniente, duo corpora ſeſe proximè non contingentia ſe tangunt, & per effluuium quoddam, ſeu *μίασμα*, affectio præter naturam à contagioſo, corpori ſano communicatur. Hîc enim cauſa contagioſa tam potens eſt, vt corporum contactum mutuum non requirat, ſed ſubtile ac ſpiritale aliquid de ſe emittit, per quod corpora, quæ id excipiunt, inficiuntur, ſimilémque labem contrahunt. Ideóque, vt ſuprà dictum, neceſſarium eſt, vt *μίασμα* illud fortem & ſolidam compoſitionem habeat, vt ſeſe aliquandiu integrum conſeruare, & tandem in corpus viuens receptum, vires ſuas adhuc integras exerere poſſit.

Hoc autem fit duplici modo: vel enim *μίασμα* in fomite aliquo, quem appellaui, lanâ, lino & reliquis, quæ ſuprà explicata, recipitur, vel in aërem ſolùm diſpergitur, & per eum in alia transfertur. Vbi per fomitem contagium communicatur, ſpirituoſum illud, aut corpuſcula illa inſenſibilia & viſum effugientia ſe in poros rerum aliarum inſinuant, tandémque excuſſa aliis viuentibus communicantur. Nonnulli putant ſemina illa faciliùs lædere, ſi infectorum manibus res illæ, quæ fomitem præſtant, fuerint pertractatæ. Verùm cum halitu viuentium & iam morientium, & per poros aliarum partium æquè *μιάσματα* illa hinc inde diſpergi, & à fomite etiam ab ægro nonnihil remoto recipi poſſunt.

Hoc contagium mediatum an per eadem principia ac cauſas fiat, à quibus contagium per contactum immediatum, nonnulli dubitant: & ſunt aliqui, qui hoc per ſubſtantiam quandam communicatam; contagium verò quod ad diſtans, per ſpecies immateriales, aut qualitates ſolùm fieri ſtatuunt. Verùm enimverò, etſi contagium per contactum immediatum à materia craſſiore, quæ humoris aut ichoris formam habeat, fiat: reliqua tamen contagij genera, ſiue per fomitem, ſiue per aërem transferantur, non ſolùm in qualitate conſiſtere, ſed & ipſa ſubſtantias eſſe ſtatuendum; cùm accidens non agat, niſi vi ſubſtantiæ, qualitatéſque ſubſtantias præſupponant, & ſuis ſubiectis inſint. Itaque hac quidem in parte nulla eſt inter contagij ſpecies differentia: niſi quòd immediatum corpus craſſius, mediatum & ad diſtans, ſubtilius corpus participet, & ſpirituale ſit.

CAPVT IV.

De Signis Peſtis.

Porrò cùm Medicus non eo ſine de peſtis natura tractet, vt quid Peſtis ſit, ſciat, ſed vt imminentem præcaueat, & præſentem tollat; id verò præſtare non poſſit, niſi & imminentem præuideat, & præſentem agnoſcat, & quid de euentu ſperandum ſit, ſciat: neceſſarium eſt, ſigna peſtilentiæ tum imminentis, tum præſentis tradere, & quid de euentu ſperandum ſit, docere.

Signa diagnoſtica.

Signa peſtis imminentis.

Petuntur autem peſtis imminentis ſigna primò à cauſis, quæ peſtilentiam generare ſolent, ſeu præſentes ſint, ſeu præceſſerint. Inter quas cùm primo loco poſuerimus contagium, peſtis meritò metuenda eſt, cùm in vicinis

locis grassatur, quæ, nisi diligenter præcaueatur, per aërem & ventorum flatus, per commercia & varios fomites in vicina loca deriuari potest: atque tunc quilibet illud sibi dictum existimet:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Quid & quantum Astrologi ex vario stellarum positu & aspectu, ex Eclipsibus, Cometis, & similibus de peste futura prædicere possint, ipsorum arti permittimus: hoc loco signa, quæ ex causis inferioribus petuntur, persequamur.

Si causæ, quæ aërem inficere possunt, præcesserunt, terræ nimirum vapores è terræ cauernis exhalauerint, terra mouerit, maligni vapores in nubes densati, iterúmque delapsi sata, arbores, herbásque infecerint & corruperint, cadauera hominum plurima insepulta, vel etiam locustarum iacuerint, similésque quas antè recensuimus, causæ præcesserint, pestem imminere meritò quis suspicabitur. Idem ex annonæ caritate, prauorúmque ciborum vsu vulgò frequentato colligitur, adeò vt Prouerbio feratur, μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός.

Verùm cùm pestilens venenum occultum sit, & causæ illæ, quæ pestem inferre dicuntur, occulto modo id faciant, obseruatúmque sit, post hyemen etiam asperrimam, secutam pestem in æstate, & ad tempora anni valde sicca & æqualia pestem orta esse: rectè à Fernelio dictum est, *2. de abdit. rer. caus. cap. 12.* atque experientia etiam id testatur, pestilentiam plerumque adeò obscurè, & furtim inuadere, vt sensu inconsci, causarúmque eam producentium vis primò vix deprehendi possit, & pestilentiæ semina adeò esse occulta, vt nos fugiant, inopinatáque feriant, nec nisi effectis & euentis deprehendi possint.

Quapropter secundo loco ex effectibus ferè petita, & quæ, cùm pestilens venenum sese exercere incipit, apparere solent, signa subiungemus. Imminentis nimirum pestis inditia sunt, si fungorum, boletorum nimia est copia, si plantæ marcescunt, putrescunt, & in herba quasi suffocantur, si vermium tinearúmque copia producitur; si ranarum bufonum, muscarum, aranearum, papilionum, blattarum, locustarum, erucarum, scarabæorum, atque similium reptilium & insectorum soboles frequentior est; si aues nidos & pullos deserunt, aëréinque salubriorem quærunt, si talpæ, mures, & quæ in cauernis terræ delitescunt animalia, cubilia sua & latebras deserunt; si pisciculi vel ranæ extinctæ vel exanimes aquis supernatare conspiciuntur; si oues, sues, boues passim pereunt. Etsi enim pestis illa, quæ boues vel sues enecat, rarò hominibus exitialis sit: tamen venenum illud pestilens tandem ad eam sæpe malignitatem peruenit, vt hominibus etiam noxium sit. Idem & hæc indicant: Si panis aëri nocturno sub dio expositus mucescat facilè; si carnes breuiore, quàm fieri assolet, tempore corrumpantur ac putrescant; si prægnantes leuissimâ ea occasione frequenter abortiant. Ista enim omnia indicant, halitus venenatos & malignos vel è locis superioribus in hæc inferiora demitti, vel ea terræ cauernis, vel ea aquis expirare: qui paulo pòst pestilentiæ causæ euadere possunt.

Atque iam malignitatem in corpora humana serpere argumento est, si ἐξανθήματα & ἐκθύματα, variolæ atque morbilli, non modò infantes, sed & adultiores corripiunt, plurésque interimunt, si anthraces & carbunculi frequentiùs erumpunt. Dictum enim suprà est, pestilentiam esse summum corruptionis humorum gradum, atque eam alios morbos, in quibus minor humorum corruptio, insequi. Et præcipuè morbi Epidemij, vtpote causam communem habentes, in pestilentiam tandem degenerant, compertúmque, non solùm post febres petechiales, variolas & morbillos, sed & post dysenterias & pleuritides epidemias, tandem pestem secutam fuisse. Quò enim diutius humores vitiosi in corpore latent, eò magis corrumpuntur, & perniciosiores fiunt. Atque quò signorum istorum, de quibus pluribus agit Ant. Gallus *de peste, fascic. 3. à cap. 9. vsque ad 17.* plura concurrunt, & quò grauiora ac vehementiora sunt, eò magis calamitosus ac pestilens annus metuendus est.

Pestis signa. Signa diagnostica quod attinet, etsi, vt modò dictum, pestis sine febre quandoque reperiatur: tamen cùm frequenter ei febris coniungatur, symptomata, quæ à veneno pestilenti prodeunt, cum symptomatibus, quæ a putredine dependent, permiscentur, & ita pestilentiæ signa non rarò obscurantur. Quapropter laborandum, vt pestis signa seorsim cognita habeantur.

Primò autem hoc monendum, pestem, cùm iam plures occupat, & per oppidum vel regionem aliquam dispersa est, non difficulter agnosci; imprimis cùm morbi, qui cum pestilentiâ aliqua signa communia habent, omnes ferè tum cessent. Verùm antequam peste plures inficiantur, vt vix vllum pathognomonicum signum, etiam è pluribus collectum, datur: è quo quis primo illum, qui peste corripitur, peste laborare certò affirmare possit. Nam licèt, vt iam dictum, à pestilentis veneni naturâ desumpta signa inseparabilia sint, quòd scilicet pestis plerosque ex iis, quos corripit, iugulat, & summè contagiosa est: tamen hi effectus deprehendi non possunt, dum malum in vno saltem latet; sed tum demum deprehenduntur, vbi in plures sese diffundit. Reliqua verò signa omnia ferè etiam in aliis, & præcipuè febribus malignis dictis, reperiri possunt. Hinc legimus interdò præstantissimos Medicos de morbis talibus dissensisse. Id quod accidit in peste, quæ Anno 1576. Venetias & Patauium infestauit. Nam, vt in *libro de vera curandi bubonis atque carbunculi pestilentis ratione*, Ioh. Baptista Gemma, & alij etiam Medici referunt, qui in Patauina Academia tum temporis primum locum obtinebant, Medici constanter affirmabant, eos tumores, qui à principio circa emunctoria conspiciebantur, non esse pestilentes; cùm nulla pestilens aëris constitutio animaduerteretur. Alij contrà asseuerabant, à Tridentina peste, mediante contagio, Venetias pestem fuisse translatum, & tumores hos omnino pestilentes esse: quod & euentus comprobauit, & Hieron. Mercurialis, *de peste*, c. 4. defendit. Ita idem Gemma refert, Græcij Styrorum, an. 1589. controuersiam de iuuene quodam ægrotante exortam fuisse inter Medicos Archiducales, cùm alij eum peste laborare affirmarent, alij negarent: Euentus tamen postea docuit peste eum infectum fuisse.

Vbi verò pestis iam in aliquo loco grassari, & in plures se diffundere incipit, sequentibus signis non difficulter ita agnosci potest. Immò si in pluribus locis pestis grassetur, & pleraque illorum in aliquo conspiciantur; etsi nullus adhuc eo loci peste interierit: non leuis suspicio pestis tunc præbetur. Et præstat tum nimis cautum & suspicacem esse, quàm temerarium: cùm nisi talibus morbis in principio obuiam eatur, facilè se in plures diffundant.

I. Itaque cùm pestis venenatâ, malignâ atque tota substantia cordi inimicâ naturâ agat: Signum pestis proprium & inseparabile ab eius essentia desumtum est, quòd multos inuadit, & plerosque ex iis iugulat. Quod nos docet Hippoc. qui *3. epid. com. 3. c. 22.* dum eos morbos, qui tum grassabantur, pestilentes fuisse, monstrare vult, ita scribit: *Ex qualibet morborum, quas suprà recensuimus, specie, complures ægrotabant & moriebantur.* Quæ verba Gal. ita interpretatur, *Cùm dicit*, & complures moriebantur, *pestilentes fuisse morbos, qui vagabantur, demonstrat.* *1. Pestis plurimos, quos corripit, interimit.*

II. Eandem causam sequitur contagium; morbique pestilentes ab vno in alium per contagium facilè deriuantur. Inseparabile tamen hoc signum solùm est, non proprium, & quod non soli conuenit. Etenim omnes morbi pestilentes contagiosi sint: non tamen quicquid contagiosum est, etiam pestilens est; aliique morbi contagiosi dantur, qui pestilentes non sunt. *2. Pestis est contagiosa.*

III. Etsi plurima in peste in omni genere symptomata appareant: tamen cùm venenum pestilens imprimis cordi aduersetur, & pestilentia cordis morbus sit, in primis virtus vitalis, plusquam in vllo alio morbi genere, languescit; acceditque cordis palpitatio, lipothymia, syncope, & omnino summa angustia, ob quam quiescere nequeunt, sed de latere in latus corpus voluunt, sæpiúsque situm mutant. Et quidem hæc virium defectio fit nullâ præcedente manifestâ causâ, non aliquâ insigni euacuatione, non vigiliis, non doloribus, aliísque, quæ vires frangere & labefactare solent. *3. Pestis vires subitò prosternit.*

IV. Ea illa ipsa causa etiam pulsus fiunt parui, languidi, frequentes & inæquales. Cùm enim alteratio à qualitate maligna adhuc in fieri est, & pugna inter causam venenatam & naturam; interdum pulsûs fiunt magni & celeres; mox iterum obscuri atque intercidentes. Vbi verò venenum vires sumsit & eas expugnauit, pulsûs fiunt parui & languidi: frequentia tamen aliqua, vtpote quæ facilior est, seruatur, necnon aliqua velocitas. Postquam autem venenum planè iam inualuit, velocitas & ipsa aboletur: etsi propter paruitatem & frequentiam, falsam celeritatis speciem præ se ferant. Ex quo patet solam frequentiam harum febrium esse proprium: Maior enim est, quàm pro ratione nacti caloris. *4. Pulsus in peste.*

V. Si morbus aliquò vsque protrahatur, nec mox veneni vehementiâ vires prosternantur, venenum sese penitùs in humores & corpus insinuat, ac labes serpit, humorésque putrescunt ac corrumpuntur, atque omnis generis morbi & symptomata inde excitantur, in primis verò febris. Hæ febres etsi semper non sint eiusdem generis, sed sæpe pro rei occasione extrà & intùs ardentes: pleræque tamen extrà sunt mites. Imò nares, aures & extrema pedum nonnunquam ad tactum non sunt calida, vel saltem, non vt aliæ partes, calent: intus maximus sentitur æstus, ita vt neque vestimenta & lintea sibi iniici patiantur. Vnde de peste Attica refert Thucydides, iucundissimum fuisse pluribus, in gelidam aquam se coniicere, multósque quibus custodes defuissent: in puteos sese præcipitâsse. *5. Febris.*

VI. Ex ista humorum corruptione plerumque exanthemata rubra, pallida, nigra, aliorúmque colorum, bubones & carbunculi apparent. Atque hoc loco prætereunda non est, sed discutienda quæstio; An tumores isti, bubones scilicet & carbunculi, perpetuò pestis signa sint. Quod cognitum quidem habere vtilissimum est, ne Medicus hac de re consultos pestilentiæ suspicione aliquos prægrauet; aut ex altera parte in culpa sit, vt pestis, quæ diligenti adhibitâ præcautione præcaueri possit, disseminetur; in primis cùm non omnium eadem hac de re videatur esse sententia. Nam refert Ioh. Baptista Gemma, in Italia & Venetiis potissimùm, sæpissimè grassari febres lenticulares vel peticulares, nihilominus Medicis non interdici, vt eos visitent, sed cùm apparere incipiunt isti tumores, tum domos ægrotantium claudi, & non solùm Medicis, sed & aliis prohiberi sub capitali pœna, ne tales ægrotos visitent. Contrà certum est, bubones omnes pestilentes non esse, neque etiam carbunculos: etsi hi sine malignitate vix reperiantur. *6. Exanthemata, bubones, carbunculi. An bubones & carbunculi pestis signum sint perpetuum.*

Ex hac re vt nos expediamus. Primò hoc sciendum, de bubonibus quidem rem esse expeditiorem. Qui enim bubones pestilentes *Bubones non pestilentes.*

Digitized by Google

lentes non sunt, neque lethales existunt, neque grauia, qualia in peste conspiciuntur, symptomata coniuncta habent. Et licet interdum in principio Erysipelatis, Rosam vulgò vocant, antequam natura materiam ad pedes protrudat, primùm in inguine indicia bubonis, cum suspectis quibusdam symptomatibus, appareant: tamen paulo pòst, erysipelate sese prodente, etiam pestis suspicio tollitur.

Carbunculi non pestilentes.

Carbunculi verò cùm nonnunquam maligni sint, & periculo non careant: quatenus pestilentiæ sint indicia, magis obscurum est. Sciendum igitur, quod etiam suprà dictum, vbi nulla adhuc in loco aliquo de peste grassante suspicio est; neque quisquam tum peste laborauit: neque bubonem, neque carbunculum, sufficiens & certum pestilentiæ signum esse posse. Nam cùm illa symptomata, quæ pestilentiam subsequuntur, etiam in febribus pestilentibus in specie dictis, & quæ verum pestilentiæ gradum non attigerunt, pleraque dari possint: ex solo carbunculo apparente de peste iudicare non possumus; sed fieri potest, vt illa febris, saltem maligna vel pestilens in specie dicta, sit sine contagio; licèt grauia habeat symptomata, vel æger etiam moriatur.

Carbunculi pestilentes.

Verùm si pestilentia etiam in vicinia grassetur, aut alicubi semina eius spargi incipiant, atque alicubi carbunculos erumpat, cum grauibus illis symptomatibus; vel etiam hoc accidat, vt æger moriatur: tum non leuis de peste suspicio est: locúmque hic habet illud Hor. Augenij, qui *lib. 8. de febr. c. 5.* scribit: *Imaginari se vix posse, in constitutione pestilenti non pestilentem nasci carbunculum.* Notissimum enim est, febres alias malignas & pestilentes tū cessare, & omnes pestilentiæ naturam induere. Et licèt ægri, aut eorum familiares, sæpe iudicio Medicorum hac in re se opponant, ægrúmque cum nullo infecto conuersatum fuisse proclament: tamen huic excusationi locus non dandus; cùm inscijs sæpe infecti offectantur. Et præstat hac in re nimis cautum esse, quàm temerarium: éstque è Reipubl. salute, paucos potiùs aliquandiu se domi continere, quàm temerariè & cum securitatis persuasione pestilentiam in vulgus disseminari, quæ postea vix vllâ, nisi diuinâ ope, auerti poterit.

Non in omnibus peste infectis apparent exanthemata, bubones, carbunculi.

Illud etiam hoc loco monendum, licèt via vlla pestis detur, in qua non exanthemata, bubones, carbunculi appareant: tamen vt in omnibus indiuiduis ea conspiciantur, non est necessarium: neque si nullæ maculæ, nullus bubo vel carbunculus in ægro aliquo appareant, mox cum vulgò concludendum, eum peste non laborare. Sæpe enim accidit, vt antequam illa erumpant, veneni vehementiâ æger moriatur. Sæpe etiam virtus ita debilitata & oppressa est, vt veneni ad exteriores corporis partes nullam expulsionem instituere possit.

Atque hæc sunt præcipua, quæ pestem comitantur, mala & symptomata, & idcircò magis fida pestilentiæ signa exhibent. Reliqua quod attinet, magis ea sunt cum alijs morbis communia, neque eadem semper, aut tam frequenter apparent. Nam licèt nihil mali sit, quod cum peste coniungi non possit, & pestilens hoc venenum nihil in corpore incorruptum relinquat: tamen non eadem mala omnes affligunt, & in omnibus pestilentibus constitutionibus eadem non apparent; ac in vna rarò videas duos eodem contagio inquinatos eadem pati symptomata, sed pro varia corporis humorúmque conditione alios alijs infestari, de quibus breuiter aliquid addemus.

Animalis facultatis læsæ symptomata in peste.

Et primò quidem plerumque animalibus facultas in consensum traditur. Hinc delirium frequens est in peste: nonnunquam memoria aboletur, quod in peste Attica accidisse refert Thucydides, in quâ tanta rerum omnium nonnullos cepit obliuio, vt restituti nec amicorum, nec rerum gestarum memores essent, imò sibi ipsis peregrini quasi & incogniti haberentur. Nonnullis accedunt perpetuæ vigiliæ; alijs contrà veternus & sopor. Oculi plerumque lumen refugiunt; aures tinnitu & surditate afficiuntur. Accidunt tremores, conuulsiones, & similia symptomata. Lingua sermoni rectè formando inepta redditur, & nonnisi magno ægri conatu mouetur, & balbutire quasi detur.

Naturalis facultatis symptomata.

Confluente etiam materiâ prauâ ad ventriculum, & à malignitate virtute naturali ferè extinctâ, ventriculus valde labefactatur; vnde in nonnullis accidit inappetentia, nausea, vomitus, & similia mala.

Symptomata in excretis. Vrina.

Deinde etiam plurima præter naturam in Excretis accidunt. Nam primò vrina interdum tenuis apparet, & summè cruda, caloris natiui maximam debilitatem significans: aliquando turbata & iumentorum similis, cùm ob eiusdem caloris imbecillitatem, qui vrinam elaborare non potest, tum ob maximam humorum ebullitionem: aliquando, & quidem frequentiùs, liuidi & plumbei coloris apparet, ob caloris extinctionem; non rarò fœtida, ob maximam corruptionem & putredinem: interdum etiam vrinæ vrinis sanorum similes apparent: quod fit, quia vel putredo leuis est; & si vel maxima adsit putredo & humorum corruptio, tamen naturâ à maligna qualitate nimis labefactata coctionem non aggreditur, & in materiam non agit. Vnde natura planè ita quiescente, neque cum morbo pugnante, nulla vrinæ mutatio accidit. Itaque cùm vrinæ in peste & pestilentibus febribus tanta possit esse varietas, vix ea vrina certum aliquod pestis signum peti potest.

Sudor.

Sudores ob magnam colliquationem non rarò copiosi fiunt, nonnunquam fœtidi. Et sicut sudores in hisce febribus sæpe non solùm superflui, sed & intempestiui ac frigidi sunt, propter naturam iam debilitatam, & caloris natiui paucitatem: ita etiam propter materiæ prauitatem, & irritationem expultricis, nares stillant sanguine.

Alui deiectio.

Per aluum denique praua, fœtida, malè colorata excernuntur, nonnunquam per crisin, nonnunquam per colliquationem. Præter colorem autem & odorem, in his febribus aliud quippiam ipsis familiare apparet in excretis per aluum; nimirum exigua quædam glutinosa excernuntur, modò albi, modò crocei, modò viridis coloris, plerumque etiam fœtida, non aquosa, sed corpulēta. Quæ à σύντηξει & colliquatione partiū ortum habent, quæ colliquatio etsi plerumque in pestilentibus febribus accidat, tamen interdum etiam in alijs ardentibus apparet.

Tandem quantum ad qualitates corporis mutatas, de calore iam dictum, dictum etiam de maculis, dicentúrque suo loco plura. Apparent verò & aliæ interdum cutis fœditates, & vlcera, quorum alia ignem sacrum, alia inflammationem, serpigines, impetigines, lepras, scabiem referunt. Linguæ quoque siccitas & asperitas nimia conspicitur. A praua enim, & intus excreſ̄te caliditate lingua sicca, aspera & contracta redditur. Inprimis verò oculi pestilentis febris signum suppeditant, quod quia non immeritò inter inseparabilia recensere possis, si nimirum oculi viuido colore & splēdore destituantur, & flētium ac mœrentium oculis similes appareant. Quod accidit ob spirituum defectum, & caloris natiui debilitationem summam. Non etiam contemnendum signum pestilentis febris est, si ægri fœtidum exspirent & sudent, aut etiam totum corpus malè oleat: quemadmodum quoque si ægri in cibo aut potu putridum saporem inesse dicant, quod accidit à fœtidis & putridis exhalationibus, ex visceribus effumantibus, & linguam inficientibus.

In mortuis pestis signa.

Apparent autem & signa quædam in mortuis, & cadaueribus eorum, qui peste extincti sunt, ac erumpunt in cute maculæ diuersi coloris. Nam facultate retentrice cum anima ablata, humores à calore præternaturali agitati huc illuc mouentur; & ob tenuitatem ad cutem perueniunt, atque ibi hærent: quod etiam in iis, qui insigni & vehementiore aliquo veneno sublati sunt, accidere solet.

Hoc tandem monendum, non necessarium esse, vt hæc signa, quæ iam recensuimus, & passim à Medicis & Thucydide in peste Attica, & graphicè à Lucretio, *lib. 6.* describuntur, in qualibet peste omnia appareant; sed nunc hæc, nunc illa, nunc pauciora, nunc plura, pro veneni pestilentis, & corporis quod inficitur, ratione apparent.

Prognostica.

Prognostica.

Quantum verò ad Prognostica attinet; si vllo in morbo verum est, quod Hippocr. 2. *aph.* 19. scribit: τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης: id in pestilentia verissimum est. Nullus enim morbus homines magis ex insidiis aggreditur, & dum maximè blanditur, maximè nocet; & sæpè, cùm omnia rectè se habere videntur, mors insperatò occupat: contrà qui sæpe morti addicti videbantur, præter spem euadunt.

Aliquam tamen de futuro hinc coniecturam sumere licet. Ægrum euasurum spes est, si tumores subitò & confestim erūpant; & ad locum non periculosum, atque post eorum eruptionem symptomata remittant. Etsi enim tumores magni magnam veneni copiam significent: tamen simul interiorum principúmque partium, & expellentis facultatis ac naturæ magnum robur significant; atque indicio sunt, vix aliquid materiæ venenatæ reliquum esse, quod non à naturâ victum fugatúmque sit. Ita & minus periculum significant bubones plures, modò promineant, atque ad suppurationem mox tendant: si exanthemata sint boni coloris, atque itidem cum symptomatum remissione, si medicamenta, eáque recta & tempori vsurpentur; neque vomitu reijciantur, si cibi item & potûs non euomantur: si per sudores materia discutiatur.

Contrà verò periculum summum adesse, mortémque adeò imminere significatur: si tumores tardiùs erumpant, minorésque sint: si carbunculi cordi proximi sint, aut guttur occupent: si tumores iterum delitescant, atque ad interiora materia recurrat. Est etiam obseruatum, carbunculos plures paucioribus esse periculosiores; cùm contrà in bubonibus se res habere credatur. Si alienatio mentis continuò perseuerauerit: si conuulsio, perpetuæ vigiliæ, coma; si post somnum labor adfuerit: si æger omnia fœtere dixerit: si tremor cordis & animi deliquia adsint: si vomitu omnia reijciantur: si extrema frigeant: si sudor sit frigidus. Si aluus varia, nigra, fœtida reijciat: atque ita si alia symptomata enumerata peiora & vehementiora apparuerint: plerumque ægri moriuntur.

Siue autem ad salutem, siue ad mortem terminetur pestis, morbus acutus est, & præcipuè quando lethalis est, hominem citò iugulat, nunc 24. horarum spatio, nunc die tertio, nunc quarto, nunc quinto, septimo, rariùs vltra decimum quartum extenditur.

CAPVT V.

De Præseruatione à Pestilentia.

QVod circa alios morbos officium gerit Medicus: id vt inprimis in peste diligenter exequatur, operam dare debet.

Ideóque non solùm in eo accupetur Medici diligentia, vt peste correptos ab ea liberet, sed & à peste homines sanos præseruet & custodiat. Et proinde nos hoc loco primùm de pestis præseruatione, deinde de curatione eiusdem dicemus.

Primò autem cùm Pestilentia, Dei ob scelera hominum irati flagellum sit: eius iræ non thura, non hostias, sed preces & vitæ emendationem opponemus, atque ita sub vmbra alarum eius securi, non timebimus à timore noctis; à sagitta, quæ volauerit per diem: à peste, quæ in caligine ambulat; à peste, quæ vastat meridie. De quibus plura dicere cùm Theologorum partes sint: nos nostras hîc agamus.

Præseruatio à peste in quibus consistat.

Tota autem præseruandi ratio in duobus consistit. Primum est, vt causæ illæ, quæ pestem inducere valent, vitentur & remoueantur: Deinde cùm causas illas fugere aut tollere non semper in nostra sit potestate, & non raro vel nolentibus, vel ignorantibus offerantur, atque ex improuiso homines adoriantur: vt causarum illarum vis infringatur, & inprimis corpora ad suscipiendam pestem minùs apta, ad resistendum verò fortia reddamus, sedulò laborandum.

Commercia cũ peste infectis vitanda.

Primò ergò cùm alibi pestis grassatur, omnia cum eius loci incolis commercia vitanda sunt, nihilque mercium & supellectilis, quod de contagio suspectum sit, importandum. Quod quâ ratione fieri possit, Magistratûs est despicere, & ordinare.

Pesti incipienti quomodo resistendum.

Deinde si pestis alicubi grassari incipiat, cùm totius Reipubl. salutem id concernat, cauendum ne in plures disseminetur. Quod sæpe fieri posset, si diligentia, vt par erat, adhiberetur. Itaque si primò vnum vel alterum peste correptum esse constat, infectum cum omni supellectile infectâ & suspectâ extra vrbem in locum commodum transferre, atque ibi accurare, & mox, cautè tamen, domum infectam, per hos, quibus id officij demandatum est, expurgare, & à contagio pestilenti mundare conuenit. Quod si ob certas rationes & circumstantias (quod tamen commodissimum esset,) fieri non possit, vt æger extra ædes transferatur: ædes illæ occludendæ sunt, vicinísque, ne quid contagij ex domo infecta hauriant, vt domicilium aliquandiu mutent, mandandum. Et licèt ex peste ægri conualescant: ad plures tamen septimanas à conuersatione cum sanis arcendi, & ante sex septimanas ad consortium sanorum non admittendi sunt.

Ædes infecta quomodo mundanda.

Etsi verò infrà etiam, quâ ratione ædes infectæ mundandæ sint, doceri posset: tamen hoc loco id monstrare placet. Conclaue infectum, patentibus omnibus fenestris, ab omnibus sordibus, & telis aranearum, scopis diligenter mundetur, mensæ & scamna ac reliqua in conclaui supellex aquâ cum aceto acerrimo mixtâ semel atque iterum lauetur. Hinc fenestris clausis suffitûs idonei excitentur. Commodum est calcem viuam in conclaui aquâ perfondere, atque eo vix aliud est efficacius. Nonnulli suffitûs ex baccis iuniperi, folijs rutæ, quercûs, absinthij; quidam etiam ex rebus fœtidis, vt cornu hirci & similibus excitant.

Vtilis est hic puluis:

℞. *Vitrioli, nitri*, an. ℔. ß. *baccar. lauri, iuniperi*, an. ℥. i. ß. *myrrhæ* ℥. ij. *alumin.* ℥. ß. F. Puluis.

Vel aceto rosaceo, rutaceo, aut alio bezoartico aceto lateres igniti perfundantur.

Vel: ℞. *Myrrha* Vnc. i, *vitrioli* Vnc. iiij. *baccar.* Vnc. i. F. Puluis.

De quo cochlear vnum lateri ignito iniiciatur, & affundatur aliquid de aceto rutaceo, aut rosaceo.

Valde commendatur & iste puluis, & in pluribus pestilentibus constitutionibus ad infectas domus mundandas vtilis inuentus est, imò ad domos à peste custodiendas summopere laudatur, si manè & vesperi ad suffitum vsurpetur.

℞. *Baccar. iuniperi*, M. iv. *rutæ, radic. helenij. cortic. exteriorum betulæ, sabinæ, cornu hirci*, an. M. ij. *foliorum quercus, myrrhæ*, an. Vnc. i. F. Puluis.

Vtilis est & hic puluis ad suffitum parandum.

℞. *Myrrhæ, thuris, sulphur. viui*, an. ℥. i. *resinæ, picis nigræ*, an. ʒ. x. *baccar. iuniperi*, an. ℥. i. ß. *rad. angelic. valerianæ petasit. zedoariæ. dictamni albi*, an. ʒ. v. *rutæ, absinthij, saluiæ, menthæ, ocymi, rorismarini, maioranæ*, an. ℥. ß. *camphoræ* ʒ. i; Omnibus diligenter puluerisatis, adde *olei spicæ*, ʒ. v. *petrolei*, ℥. ß. F. Puluis.

Non inutilis est & puluis bombardicus cautè accensus.

Facto suffitu posthac fenestræ omnes aperiantur, vt à vento conclaue liberè ventilari & perflari possit.

Nec inutile est, vt suffitûs odorati repetantur.

Tandem vtilissimum est, conclauis parietes nouâ calce dealbare.

Vestes lineæ aquâ & lixiuio mundentur. Quæ commodè aquæ immergi non possunt, aeri ventisque diu exponantur, diligenter excutiantur, & aliquoties suffumigentur.

Modus explorandi an ædes perfectè purgatæ sint.

An autem conclaue perfectè ab omni veneno liberatum sit quidam ita experiri iubent. Panes recentes è furno extracti, & calentes adhuc, in duas vel plures partes diuidantur, & hastæ seu perticæ affigantur, & in loco, qui infectus erat, 24. horis detineantur. Si adhuc venenum in conclaui latuerit, eo temporis spatio putrescere illum panem dicunt, & propterea postea cautè vel aquis immergendum, vel altè sepeliendum esse.

Aliqui concurrere iubent aliquot oua recentia, & in conclaui in patella posita, 24. horis relinquere. Siquid veneni superfuerit, intra illud tempus oua corrumpentur, summúmque fœtorem contrahent.

Imò sunt qui existimant, si inter infectum & sanum oua ita conquassata ponantur, contagium non homini sano communicatum iri, sed oua illud suscepturà; atque hoc modo qui peste infectos visitant, se ab ea præseruare posse. Et vt contagium ad adstantes non deferatur, vel ædes non inficiantur, nonnulli suadent, vt morientis ori crusta panis calida vel calefacta imponatur, vt in illam venenum sese insinuet. Aliqui iubent, vt in ægri mortui cubiculo aliquot vasa aqua calida plena ponantur, vt venenum pestilens in illa sese insinuet. Nonnulli in eandem aquam M. i. vitriol. & lateres calefactos iniiciunt: Aliqui in aquam frigidam vitriol. coniiciunt, & hinc lateres ignitos toties in eam immergunt, vt inde aqua valde calefiat.

Si verò, An aliquis peste laboret, adeò planum non sit, vt quamprimùm id rectè cognoscatur, laborandum, & danda diligens opera, ne quid vel per ignorantiam, vel per malitiam occultetur. Et siquis de peste suspectus sit, etsi signa demonstratiua planè non adsint: præstat tamen hac in re nimis cautum & meticulosum esse, quàm temerarium. Et cùm totius Reipub. salus hîc agatur, est Magistratûs, potiùs de totius Reipub. quàm vnius priuati priuato, quod ex pestis diffamatione periclitari posset, commodo esse sollicitum; & Christiana charitas, in singulis id requirit, potiùs etiam in suspicione pestis saltem aliquandiu se domi continere; quàm vel ignorantia, vel temeritate in plures, aut totam Remp. seu per ignorantiam, seu malitiam hoc fiat, malum tam perniciosum spargere.

Locus peste infectus mutandus.

Si verò iam pestilentia in plures disseminata sit, & contagium hoc publicè serpat: tutissimum est, si per pietatem & honestatem id licet, fugere, & locum mutare, iuxta vulgatum versiculũ: *Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.* Nisi enim mox is, cui fugere libet & licet, ex loco infecto recedat, facilè accidere potest, vt etiam inscius contagium aliquod recipiat, è quo postea in peregrino loco in pestem incidat. Longius etiam recedendum, cùm in vicina loca contagium propagari possit. Tardéque, & nonnisi omni pestilentiæ metu sublato, redeundum. Qui enim peste nondum extinctâ redeunt, magis periclitantur, quàm ij qui nunquam abierunt.

Cùm autem omnium rationes non ferant, vt pestilentem locum cum salubri mutent: qui ratione hi pestem cauere possint, dicendum. Et licèt tutum sit, omnem cum infectis conuersationem vitare, séque quantum fieri potest, domi continere, neque populi cœtibus se immiscere: tamen cùm non semper integrum sit, omnium hominum consortium fugere, imò sæpe infecti vel ignorantibus occurrant, & facilè fieri possit, vt aliquid contagij per aerem dispergatur, & sedulò etiam cauentibus offeratur: Quâ ratione contra illud se homo munire possit, diligenter perspiciendum.

Quâ ratione aduersus pestilentiæ contagium se quisque munire debeat. Alexipharmaca.

Hoc autem quisque sibi primò persuasum habeat, post Deum Optimum Maximum, à re alia nulla quemquam sibi maiorem securitatem in peste polliceri posse, quàm ab alexipharmacis. Ea ipsa nimirum, quæ pestilentiam curant, ab ea quoque præseruant. Itaque nec quæ exsiccant, nec quæ euacuant, nec venæsectio, nec diæta, immunitatem à peste nobis polliceri possunt, cùm omnia illa, si quid præstant, vt mox dicetur, non per se, sed per aliud id faciant. Sed cùm aerem continuò inspirãdo attrahamus, ac cum eo à nescientibus etiam aliquid contagij dispersi attrahi possit; opus est ita corpus roborare, ne à pestilenti contagio offendatur. Id que Mithridatis Regis exemplo, qui crebro alexipharmaci à se nominati vsu ita corpus aduersus venena roborauit, vt cùm vellet postea veneno sibi mortem consciscere, non potuerit. Si quis verò, neglectis alexipharmacis, in aliis securitatis spem ponit, is in magno versatur periculo.

An omnib. eadem alexipharmaca conueniant.

Atque hinc recentiori cuidam Medico per omnia assentiri non possum, qui eos reprehendit, qui vnum se à peste præseruandi modum, vnámque omnibus in vniuersum indiscriminatim periculum effugiendi viam monstrare conantur, eâ de causa, quòd magna sit temperamentorum diuersitas, & quodlibet temperamentum peculiari conditione & tractari & conseruari postulet: Et proinde quæ calidis naturis commoda existunt, ea frigidas lædere, & quæ humidis conueniunt, Siccis non profutura scribit.

Verùm enimuerò concedendum quidem est, in medicamentis, quæ à peste præseruandi gratia exhibentur, in qualitatibus primis aliquod esse discrimen, & proinde secundùm temperiei, ætatis, sexus, anni temporis, cœli status, & similium conditionem, in iis exhibendis aliquod discrimen esse obseruandum; atque operam dandam, vt cuiuslibet corporis naturale temperamentum conseruetur & foueatur. Verùm quia pestilentia non in recessu à qualitatibus primis consistit, neque alexipharmaca, quatenus talia, primis qualitatibus agunt: in hoc vno omnia ista alexipharmaca conueniunt; quòd peculiari ac occulta qualitate veneno pestilenti resistunt. Et proinde eius qualitatis respectu vnus præseruandi modus est, licèt inter ista medicamenta, ob alias primas & secundas qualitates, pro diuersitate temperamentorum, meritò quidam delectus haberi debeat, & exempli gratia, tempore hyberno calidiora tutiùs, quàm æstate, vsurpare liceat, quod & de ætate, sexu, & aliis circumstantiis accipiendum est.

S [Pesti

An detur proprium & specificum pestilentiæ remedium, siue, An venenum pestilentiale, etiam habeat propriũ antidotum. Status controuersiæ.

¶ [Pestilentiam morbum occultum, malignum & venenatum esse, extra dubium esse puto. Etsi enim eam quidem ad qualitates primas reducere conati sint, frustra tamen laborarunt. Cùm verò alia venena pleraque habeant sua peculiaria & specifica antidota, experientiâ inuenta & probata, etiam de peste quæritur, annon eius venenum peculiare aliquod & proprium habeat antidotum. Vt verò status controuersiæ rectè formetur, nõ quæstio est, an à Deo, à quo pestilentia sæpe immittitur hominibus, auxilium sit implorandum, & an caussæ omnes, quæ ad pestis generationem & propagationem faciunt, sint remouendæ; de quibus suprà dictum; sed de hac quæstio est, *An in natura detur aliquod seu simplex, seu compositum remedium, quod occultâ proprietate pestilenti veneno repugnet, vt qualibet pestilenti constitutione ab omnibus, cuiuscunque constitutionis hominibus, tam ad cor contra pestilens venenum muniendum, quam ad id expugnandum, & è corpore expellendum, tuto vsurpari possit, & in quo homo, diuinâ accedente benedictione, certam salutis spem ponere queat?* De qua re diuersæ Medicorum sunt sententiæ, dum alij affirmant, alij negant id, & vtrique pro sua sententia rationes & autoritates adferunt.

Rationes pro affirmatiua.

Qui affirmatiuam defendunt, primò, adducunt dictum Syracidæ, *cap.* 33. vbi scribitur, quòd Deus opera sua ita constituerit, vt duo sint contra duo, & vnum contra vnum. Ex quo concludunt, & pesti contrarium aliquod in natura esse oppositum remedium. Idque porrò etiam arguere videntur alia venena, quorum singula ferè habent sua specifica antidota.

Secundò, Dei bonitatem prædicant & obtendunt, qui etsi morbis homines affligit: tamen etiam remedia contra eosdẽ benignè cõcessit, & ita quidem, vt singulæ propemodum regiones contra morbos, quibus familiariter affliguntur, sua habeant remedia.

Tertio, nisi certum daretur contra pestilentiam remedium frustranei & irriti tot Medicorum, Principum & Regum labores fuissent, qui in inueniendа contra pestem remedia, tantum operæ, temporis & sumtuum impenderunt. Quantum in eo genere laborauerit Mithridates, Ponti, & Attalus, Pergami Rex, è Galeno, 1. *de antid. c.* 1. & alijs Authoribus notũ. Imò nõ solum in iis inueniendis laborarunt, sed & inuenta posteris tradiderunt, & Mithridates suæ compositioni suum nomen præscripsit. Et extant aliorum quorundam Græcorum, Nicandri, Andromachi, Democratis, & aliorum in hoc genere poëmata.

Quartò. Et nisi certa haberentur contra pestem remedia frustra ea contra pestem à Medicis exhiberentur. At non frustra exhiberi ea, experientiâ cõstat, quæ docet, medicamentorum ope & multos se contra pestem muniuisse, & plurimos ab ea curatos fuisse. Cuius generis medicamenta multi, *hocce libro & cap.* & *in Fascic. medicam. contr. pest. libris his de febribus adiuncto*, & passim apud Autores alios plurima existant.

Cur tam pauci à peste conualescãt: sententia Fallopij.

Quòd verò tam pauci à peste conualescunt, caussam esse putat Fallopius, *lib.* 2. *decret. c.* 185. non quòd remedia idonea desint, sed quòd non rectè exhibeantur, & quòd omnes ab effectis ferè aufugiunt, vel æger planè deseritur, vel cura imperitis barbitonsoribus, vel aliis hominibus committitur. Et in primis pusillanimitatem Medicorum reprehendit Fallopius, qui ob metum peste infectos curandos suscipere nolunt. Cui ferè assentitur Palmarius, qui, *in Præf. lib. de Febr. pestil.* penitùs hac de re dissentire videatur.

Palmarij.

Pro negatiua. Autoritates.

Contrà alij negant, vllum vniuersale & proprium medicamentum contra pestem adhuc inuentum esse. Inter eos est Conr. Gesnerus, qui *lib.* 1. *Epist. vlt.* scribit: *Remedia certa aduersus pestem, nulla habemus. Fortè etiam non placet Deo, vt contra flagellum suum, peccatis nostris debitum, vllum certum præsidium habeamus.* Et Ioban. Crato. Ciuis meus, *cons.* 266. scribit: *Verum pestis antidotum soli Deo notum esse, non est dubium:* & *Epist.* 191. *Antidotus vera pestilentis veneni in Diuina manu est, nec Medicis explorata.* Et Iul. Palmarius, *de febr. pestil. c.* 17. dari quidem in natura pestilentis veneni remedium statuit, & eum, qui pestilentis veneni nullum alexiterium esse cõtendit, naturalis Philosophiæ principia subuertere scribit, quibus omne ex cõtrarietate per contraria fieri, humanarúmque rerum vicissitudinẽ atque instabilitatem ex principiorum repugnãtia & dissidio pendere constat. Sed alexiterium illud adhuc in naturæ sinu delitescere putat, existimátque, proprium ac peculiare pestilentis veneni alexipharmacum nos ignorare, & verisimile esse, Maiores nostros obscuritate caussæ ab eius remedij inuestigatione deterritos, nihil de peculiari pestis curatione literarum monumentis ex professo commisisse, verendúmque esse, ne inscrutabili Dei Opt. Max. cõsilio nobis illius cognitio denegata sit, vt hoc insanabili morbo, tanquam flagello, in homines animaduerteret. Idcóque nonnulli suadent, & necessarium esse existimant, vt Medici Doctissimi hac in re sua consilia communicent & sua experimenta in commune conferant, ac de certo contra pestem inueniendo remedio coniunctis viribus laborent. Fr. Vlmus, *lib.* 3. *de occultis in re medic. proprietat. c.* 9. pestis equidem exitium certum esse, remedium tamen nullum inueniri, quod certò seruare possit, scribit, cùm venenorum quodcunque genus sua peculiaria habeat alexipharmaca, à quibus opportunè adhibitis maligna vis obtundatur & superetur, at in peste, licèt quædam forsassis iuuent, incerta tamen sint omnia. Vnde etiam experientissimi Medici sæpe peste tolluntur. De quo etiam Ouidius, *Metamor. lib.* 7. *fab.* 20.

Nec moderator adest, inque ipsos sæua Medentes
Erumpit clades, obsúntque Autoribus artes.

Rationes. 1.

Rationes quod attinet, ex modò allatis prima ratio esse potest, quòd scilicet nulla pestis inuenta fuerit, in qua non plurimi, ipsique etiam Medici, licet optima fuerint adhibita remedia iugulati sint.

2. Secunda, quod in remediis non solùm ad qualitates occultas, sed & manifestas respiciendum sit. De quo Platerus, *prax. tract.* 2. *Quæ assumuntur antidota, cùm præter proprietatem illam quâ veneno resistunt, alia insuper sint vehementer calida; alia minùs, alia frigida potiùs quàm temperata, habitâ ratione ætatis & constitutionis, hæc illave potiùs eligenda, nec temerè quauis, calidissima illa præsertim, vt euphorbium, & aqua vitæ, quasinistrè vsurpata aqua mortis nonnunquam fiunt, iuuenibus potissimum, exhibenda.*

3. Tertia ratio est, quæ ex hac sequitur, quòd, vt Doctissimi Medici censent, nullum sit remedium, quod omnibus anni temporibus & constitutionibus in hoc morbo præscribi possit.

Sententia Autoris.

Verùm enimuerò, vt de quæstione hac nostram sententiam exponamus, negatiuam sententiam rectè explicatam pro veriore habemus, atque statuimus, nullum simplex inueniri medicamentum, quod omni pesti propriè & specificè opponatur, & quidem talis in specie; composita verò inueniri quidem contra multa venena vtilia, quæ sæpe etiam in peste profuerunt: nullum tamen ex iis, quod semper vtile, & satis efficax inuentum fuerit, adhuc inuentum esse, idque rationes pro parte negatiua allatæ satis probant, & ex contrariarum rationum solutione & explicatione id magis patebit.

Solutio rationum pro affirmatiua.

Rationes enim pro parte affirmante quod attinet, & primò dictum Syracidæ, *cap.* 33. accipiendum id est saltem de rebus naturalibus, quas ita constituit Deus, vt certæ inter eas sint sympathiæ & antipathiæ. Et si quis etiam ad venena hæc extendere velit, mox de eo dicetur.

2. Secundò, Deus equidem, vt ex iustitia suâ hominibus morbos immisit ita bonitate etiam suâ, contra eos certa creauit remedia. Pestis tamen, quia inter eas pœnas est, quibus singulariter ob peccata homines affligere solet Deus, contra eam non tam efficacia & certa, vt contra alios morbos, extare voluit media, vt hoc modo homines ad pœnitentiam, & vnius Dei auxilium reuocarentur. Et longè alia est aliorum venenorum, alia pestilentiæ ratio. Venena reliqua, vt animalium & plantarum, sunt simplicia, & ipsis plantis ac animalibus congenita, & ipsis non aduersa, sed homini saltem inimica, & napelli venenum, vt & aspidis, ac serpentis, & viperæ, & scorpionis, & tarantulæ, semper est eiusdem naturæ, ideóque remedium, quod contra aliquod venenum vtile & efficax repertum est, semper contra idem vsurpari potest. Verùm pestilentiæ ratio longè diuersa est, & licèt omnis pestis hominem iugulandi vim habeat tamen quælibet pestis peculiare quid habet; id quod ex generatione eius symptomatibus & curatione patet: etenim pestis cum sit summus corruptionis humorum gradus, & per varias humorum corruptiones ad eam fiat progressus, vt anteà dictum; humorum verò varietas pro ciborum, aeris constitutionis, & similium fit varietate, non mirum etiam, tandem illum vltimum, ad quem pertingit, gradum, non semper eiusdem esse naturæ: sed, vt rectè scribit Mindererus, *de pestil. cap.* 3. experientiâ constat, venenum pestis esse adeò varium & diuersum, vt singulæ propemodum pesti sua sit peculiaris iuncta malitia, inferendæ neci sufficiens; quæ tamen cuiuslibet pestis specifica natura sit, ignoratur. Equidem nonnulli ad varia venenorum genera differentias illas reducere conantur, dicúntque venenum pestilens modò dipsadis, modò viperæ, modò cicutæ, aut alterius veneni naturam æmulari. Sed analogiã quandam talia habent, ipsam pestis naturam, & specificam differentiam non satis explicant. Nimirum, vt Iul. Cæs. Scaliger, *Exerc.* 118 *sect.* 8. ait: *Talia sunt hæc, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.* Vnde etiam accidit, vt quælibet ferè pestis sua peculiaria habeat symptomata. Sudor Angelicus aliorum memoriâ semel accidit, posthac ampliùs visus non est. Neque etiam è Medicorum & Historicorum scriptis, cum antea grassatum fuisse, notum. Hinc tandem etiam euenit, vt non semper eadem remedia in omni peste prosint, sed sæpe obseruatum sit, remedia, quæ in vna peste multùm profuerunt, in altera parum profuisse. Quæ omnia cùm ita sese habeant, facile hinc patet, nullum simplex medicamentum dari posse, quod omni pestilentiæ aduersetur, sed tutius esse compositis medicamentis potiùs, quàm simplicibus confidere, vtpote quæ è variis medicamentis, contra varia venena vtilibus, componuntur & constant.

3. Vnde tertiò non frustra laborarunt & Principes & Medici Doctissimi, in componendis variis medicamentis contra pestem. Cùm enim viderent, vix vnum simplex medicamentum ad omnia genera sufficere, ex omnis generis alexipharmacis composita quædam adornarunt, qualia à Galeno, *in libro de antidot.* recensentur, & passim extant: & qualia etiam, *hoc ipso libro* recensebimus.

4. Quartò. Neque etiam medicamenta talia frustra exhibentur. Eiusmodi enim medicamentorum vsu multos & pestem præcauisse, & curasse notissimum est. Hoc tamen certè non diffitendum est, talia medicamenta nec votis Medicorum semper respondere

Digitized by Google

spondere. Vnde Ioan. Bœxelius Medicus Hamburgensis, *de peste, lib. 1. cap. 5.* refert, cùm Anno 1565. pestis vehementer grassaretur Hamburgi, accitum Lubeca à Senatu Hamburgensi fuisse Ioh. Paludarium, Virum senem, & Medicum expertum ac in curanda peste felicem, Physicum Ordinarium vrbis Lubecæ, & se coniuncta cum D. Paludario opera sedulò ægris, præsentem etiam, inseruisse, & omnem in iis curandis diligentiam adhibuisse. Verùm eos etiam sæpe mortuos esse, quos conualituros certò sibi persuaserant, atque ita, quacunque etiam diligentia adhibita, paucos seruatos fuisse, & hinc D. Paludarium in hæc verba erupisse: *Hæc pestis ridet nos, & pharmaca nostra.*

Quòd tam pauci à peste conualescant, sit culpa, vel ægrorum,

Interim nec hoc subticendum, quòd tam pauci in peste conualescunt, non semper medicamentorum; sed sæpe vtentium culpa fieri. Et proinde non negligenda medicamenta, quæ sæpe profuerunt, sed de eorum vsu rectò despiciendum esse. Quòd autem finem suum non assequuntur medicamenta, culpa in primis (vt de adstantium imperitia & negligentia nihil dicā) ægrorum & Medicorum accidit. Primò enim cùm vix alius morbus sit, qui citiùs in corpus penetret, idque de naturali statu deiiciat, quàm pestilentia; omnino ei maturè occurrendum. Quod tamen sæpe negligitur, dum ij, qui peste corripiuntur, nescio quot alios morbos primò incusant, & ita necessariam agendi occasionem, quæ præceps est, negligunt. Non rarò ægri etiam idoneis, quæ in tempore exhibeant, & maturè vsurpent, medicamentis destituuntur, & iis ad quamlibet occasionem instructi non sunt. Et omnino sum in ea sententia, multos, qui peste moriuntur, seruari potuisse, si medicamenta necessaria maturè vsurpassent, & quoties opus, repetiuissent. Quamprimùm enim quis signum aliquod infectionis percipit, statim & sine vlla mora alexipharmaca assumere, & sudare debet, atque ea diei spatio vel ter repetere.

Vel Medicorum.

Medicorum verò culpa non pauci intereunt, dum (de quo & Fallopius & Palmarius conqueruntur) ægri ignaris & imperitis Barbitonsoribus curandi committuntur, qui purgando, venam secando, & alia remedia intempestiuè adhibendo, plures iugulant, quàm seruant.

An cuiusuis Medici sit peste infectos visitare.

Cùm autem Fallopius hîc etiam timiditatem Medicorum accuset, quæritur, an cuiusuis Medici officium sit, peste infectos visitare & curare. Equidem siquis Medicorum eā est confidentiā & animo, vt pestem non metuat, & indicia etiam quædam habeat, sibi non facilè à peste periculum imminere, & operam suam ægris peste infectis curandis locare velit, is rectè facit, & si prouinciam hanc in se suscepit, officium suum fideliter facere, & Dei auxilio in vias vocationis suæ confidere debet. Si quis verò minùs animosus, & timidior sit, vel ob alias caussas illud munus in se suscipere non velit, nec is culpandus. Cùm enim hic morbus longè aliter, quàm alij, comparatus sit, & nullum, vt modò dictum, certum contra pestem remedium vlli Medico adhuc innotuerit, siquis periculo huic, & dubiæ fortunæ sese exponere nolit, is non reprehendendus; cùm charitas à seipso incipiat, & quilibet Medicus non minùs suam & suorum valetudinem curare debeat, quàm aliorum. Præterea cùm alij etiam ægri, qui peste non laborant, Medico curandi offerantur, eos, si peste infectos visitaret, & cum iis conuersaretur, commodè non curare, sed facilè etiam inficere posset. Ex quo ipso etiam apparet, quòd pestis inter pœnas diuinas sit, vtpote cùm DEVS etiam necessaria auxilia subtrahit, dum nemo Medicorum sine suæ salutis (quam negligere, temerarium, & in se crudele est) periculo, cum ægris conuersari potest. Quale genus pœnæ olim apud Iudæos & lepra fuit, cùm DEVS leprosos, ab omni aliorum hominum consortio excludere voluit.

Turcæ pestem non metuūt.

Equidem apud multas nationes, & præcipuè apud Turcas, nullus metus pestis est, sed sani cum ægris & infectis liberè conuersantur, verùm sæpe magno cum suo malo. Cùm enim Turcæ, vt Prosper Alpinus, *lib. 1. de Med. Ægypt. cap. 5.* refert, sibi persuasum & pro certo habeant, singulis hominibus vitæ finem, mortisque qualitatem, à Deo præstitutam esse, vt in bello moriturum nullo pacto à peste interimi posse arbitrentur: hinc fit, vt pestē planè negligant, nihilque ab ea mali timeant, persuasi, si ab ea vitam finiendam esse à Deo determinatum sit, eam se nullo pacto effugere; contrà, si alius vitæ finis prædestinatus sit, pestem sibi nihil nocere posse. Atque hinc peste Cairum & Ægyptum depopulante, nemo eorum fugam arripit, neque cum peste infectis conuersari timet, neque vestibus contagio infectis vti abhorret, sed vestes peste infectorum statim publicè venduntur. Verùm hinc accidit, vt pestis subitò per vniuersum orbem disseminetur, ingentémque stragem edat, vt anno 1580. sex vel septem mensium spatio 500000 hominum è medio sustulerit. Interim etsi Medici omnes non obligati sint, vt peste infectos præsentes curent: magistratus tamen officium est curare, ne ægri, qui omnino ab aliorum consortio separandi sunt, necessariis auxiliis destituantur, sed vt sint adstantes, qui ipsis inseruiant, tū Medici, qui eos curent, vel certè Chirurgi, qui ipsis necessaria auxilia, secundùm Medicorum præscriptum, & medicamenta exhibeant, & administrent.

Non nouis, sed longa vsu probatis remediis in peste vtendum.

Cùm ergo ex his, quæ hactenus dicta sunt, pateat; nullum medicamentum dari, in quo in omni pestilentia fiducia poni possit, multò minùs nouiter inuentis multùm fidendum, sed omnino medicamenta longo vsu probata vsurpanda: de quo infrà *hoc cap.* ampliùs monebimus, quòd efficacissima, & vsu probata semper medicamenta eligenda sint, cùm periculum hîc facere sine periculo non liceat, & in peste inefficacia & inutilia remedia in vitæ discrimen coniiciant, atque exitiales affectus ne leuissimum quidem errorem ferant, vt est apud Galenum *lib. 10. meth. med. c. 11.* Ideóque quamuis nonnulli sua nouiter inuenta medicamenta summis laudibus extollant: tamen antiquis non facilè præferenda, sed medicamenta amicorum in modum habenda sunt, è quibus non decet nouos anteferre veteribus, nouitatis gratia, sed si qui noui accedant, vtendo priùs probare conuenit.

Probata autem experimenta non occultanda.

In primis verò Medicorum est experimenta sua (cùm ratio in talibus medicamentis inueniendis parum præstet) in medium conferre, & si quis aliquod vsu probatum contra pestem remedium habeat, id non occultare, & posteritati inuidere, sed liberaliter in commune conferre. Contra quod multi peccant, & suam conscientiam lædunt. Contra quos Plinius *l. 25. c. 1.* scribit: *Nihil intentatum inexpertúmque priscis fuit, nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellent. At nos elaborata iis abscondere atque supprimere cupimus, & fraudare vitam etiam alienis bonis. Ita certè recondunt, qui pauca aliqua nouera, inuidentes aliis, & neminem docere, in authoritatem scientia est. Tantum ab excogitandis nouis, ac iuuanda vita mores absunt, summúmque opus ingeniorum diu iam hoc fuit, vt intra vnumquemque rectè facta veterum perirent.* Rectè etiam, imò Christianè, scribit Colleg. Med. Augustanor. *in Præfat. sua Pharmacop. In aprica sunt omnes nostræ compositiones, & patet etiam ad magnalia liber aditus. Celare enim illa non possumus, dum Christiani sumus, quibus proximo bene sit.*

An alexipharmaca in forma subtili, an crassa sint exhibenda? Sententia nonnullorū.

Hoc loco etiam non prætereunda quæstio: An medicamenta alexipharmaca potiùs in forma spirituosa & subtilissima, an verò crassiore sint exhibenda. Nonnulli subtilissima & spirituosa præferunt, vtpote quæ in corpus vniuersum citò penetrāt, & venenū subitò, quod necessarium est, aggrediuntur. Alij contrà talia medicamenta non simpliciter approbant, cùm ob diuersitatem temperamētorum, ætatum, temporum anni, & regionum, talia calida omnibus non competant. De quo, vt anteà etiam dictū, Platerus, *Prax. tr. 2.* scribit: *Quæ assumuntur antidota, cum propter proprietatem illā alia insuper sint calida, alia minus, alia frigida potiùs quàm temperata, habita ratione ætatis & constitutionis, hæc illáve potius eligenda, nec temerè quæuis, calidissima illa præsertim, vt euphorbiū, & aqua vitæ, quas sinistrè vsurpatas aquas mortis nonnunquā factas, iuuenibus potissimùm exhibenda.* Talia enim calida & spirituosa humores ac spiritus accendunt, febres pariunt & augent, humores ad caput rapiunt, vnde deliria excitantur. In primis verò infantibus & teneris corporibus talia medicamenta non conueniunt. Præterea cùm pestilens venenum sit viscidæ & tenacis naturæ, quod corporibus pertinaciter adhæret, & diu, vt ex contagio apparet, non solùm subitò penetrans in corpus remedium requiritur, sed tale etiam, inter quod & patiens sit proportio, quod scilicet aliquandiu in corpore hæreat, donec venenum omne expulsum sit. Medicamenta verò spirituosa subitò quidem in corpus penetrant, sed statim etiam dissipantur.

Authoris.

Ego, vt meam sententiam aperiam, omnino censeo, talia medicamenta esse exhibenda, quæ in totum corpus facilè penetrant, & veneno pestilenti se statim opponunt. Nec diffiteor, è vulgo multos esse, qui spiritum vini & frumentorum quotidie potare assueuerunt, & non dissuadeo iis, vt alexipharmaca cum spiritu vini præparata, præseruationis gratia, vsurpent. Verùm cùm multi sint, qui spiritibus istis ardentibus non assueuerunt, imò quibus sine periculo exhiberi non possunt, omnino statuendum, rarò illas aquas vitæ solas vsurpari posse tutò, ob rationes antea allatas, aut si libeat eas exhibere, acidis diluendas esse. Ideóque alia potiùs, quæ *alleg. loc.* proposita sunt, medicamenta vsurpanda sunt. Et dantur multa talia medicamenta, quæ licèt non sint cum spiritu vini parata, tamen satis efficacia sunt: qualia sunt extracta theriacalia, elixir pestilentiale Crollij & similia alia *loc. alleg.* enumerata. Et si quæ ex iis minùs penetrantia, sed crassiora videntur, qualia sunt pulueres, cum liquore aliquo conuenienti, aquis bezoardicis, vt & aceto, exhibenda sunt. Imò illæ ipsæ aquæ bezoardicæ ac theriacales cōmodiùs parantur, si pro spiritu vini affundatur vel acetū solū, vel aceti & vini partes æquales, vel alia, conuenienti proportione: siquidem acetū summā figendi, & putredini in febribus resistendi vim habet, & ita omnibus venenis resistit, nimiam caliditatē & inflammabilitatem medicamentorum alexipharmacorum infringit, vapores calidos ad caput ascendentes supprimit, sudores potenter mouet.

Aqua Theriacalis Vvitebergens.

Hinc in nostro Pharmacopolio talis Aqua theriacalis prostat: ℞. *Rad. tormentillæ, bardanæ* seu *lappæ maior. pimpinellæ, succisæ, valerianæ, an.* ℥. iv. *imperatoriæ, angelicæ gentianæ, serpentariæ, an.* ℥. j. *nucum recentium nondum planè maturarum* ℔. i. *folior. rutæ cū flor. acetosæ, calendulæ, cardui bened. verbenæ, scordij, an* M. ij. *camphor. in spir. vini dissoluta* ʒ. j. *theriacæ, mithridatij, an.* ʒ. i ß. *diascordij Fracastor.* ℥. i. *aceti. rosat. vini alb. præstantiss. an. q. s.* Destillentur.

Syrup. Bezoardicum.

Ad præseruationem etiam habetur Syrupus bezoardicus satis efficax, & in præseruatione, & in curatione: ℞ *Spec. liberant. Augast.* q. l. Affunde *acet.* q. s. Stent in infusione diebus aliquot loco calido, donec omnis vis extracta fuerit: postea colentur. Colaturæ *sacchari ad iustam consistentiam cocti* s. q. affundatur. F. Syrupus dilutior. Aurum tamen, & siquæ sunt alia, quæ acetum non

non soluit; in confectione tamen vsurpari possunt, omittere licet. Syrupus iste vel solus in præseruatione, vel in curatione cum aq. theriacali, aut puluere aliquo bezoardico vsurpari potest. Acida tamen fœminis, quæ affectibus vterinis obnoxiæ, cautiùs, & aliis mixta, sunt exhibenda.]

Præter istam tamen primariam curam, & altera meritò suscipienda, vt nimirum corpora ita præparemus, vt pestilens venenum non facilè recipiant, sed potius ei resistant. Id quod fiet præcipuè quidem, si alexipharmacis illa, vt dictum roboremus. Non tamen etiam huc parum facit, si detur opera, vt corpora munda sint, ac quàm optimè constituta. Ita enim pestilens contagium minimè recipient, & alexipharmaca vires suas in iis faciliùs & liberiùs exerent.

Ergo summa præseruationis hæc est. Primò & *præcipuè*, vt quemadmodum Gal. *de theriac. ad Pisonem*, c. 16. scribit, sanus frequenter alexipharmacis vtatur, vt exteriùs occurrentibus iniuriis & contagio corpus resistat, & si quando passum aliquid fuerit, ad sanitatem facilè reducatur. Deinde vt corpus mundum & ab omnibus excrementis liberum sit, atque in naturali statu & vegetum conseruetur.

Atque vt à posteriore incipiamus. Primò danda opera, vt si quæ in corpore sunt excrementa, ea tollantur: deinde videndum, ne noua cumulentur: quod fiet rectâ diætæ institutione. In quâ ordinandâ in genere obseruandum, si quid alexipharmaci vel cibo, vel potui, vel quocunque modo admisceri potest, id non prætermittatur. Hoc enim modo ea in penitiores corporis partes sese faciliùs insinuant.

Purgatio

Et primò quidem purgationem quod attinet, purgatione, quam alias sana corpora, monente Hippoc. 2. *aph.* 36. non sine damno ferunt, præsertim per fortiora medicamenta, temerè corpus debilitandum non est. Si quid tamen vitiosorum humorum in corpore fuerit, ne alexipharmacorum vis ab iis hebetetur, nec venenum pestilens in corpore facilè radices agat, & postea corruptis humoribus, grauiùs affligat: lenioribus purgantibus seorsim illud euacuandum est.

Pilula Ruffi, seu pestilentiales.

In vsu frequenti sunt & commendantur, ac per aliquot secula iam experientiæ, medicamentorũ probatricis, censuram sustinuerunt Pilulæ, ab vso, pestilentiales, à numero simpliciũ, è quibus componuntur, de tribus, & ab authore, pilulæ Ruffi appellatæ; licet formâ potionis, seu πεπωτισματ@, ille hoc medicamentum exhibuerit. Componebat autem id, ex *aloes* partibus ij. *ammoniaci thymiamatis* partibus ij. *myrrhæ* parte 1. & cum *vino odorato* exhibebat, ac de eo prædicat Ruffus, citante eius verba Paulo Ægineta, *lib.* 2. c. 36. se haud scire, an sit quis, qui ex potu hoc non à peste immunis euaserit.

Pilula pestilent. Arabum.

Arabes pro ammoniaco crocum substituerunt, componúntque hoc medicamentum, ex *aloes* partibus ij. *myrrha* parte 1. *croci* parte ß. & cum *vino odorato* pilulas inde conficiunt. Atque istæ hodie in communi vsu sunt; vnde & Communes appellantur.

Cur autem Arabes Ruffi compositionem mutauerint, causa fortasse est, quòd verùm ammoniacum thymiama Ruffi vel non habemus, vel ignoramus. Ammoniacum quidem appellatur, quòd in Lybia ad Iouis Ammonis templum nasceretur. Cùm autem à Paulo Aëtio plerumque thymiama nominetur, quòd Antiqui pro parandis suffitibus eo vterentur; idque non competat ei medicamento, quod gummi ammoniacum appellamus: aliud procul dubio fuit Ammoniacum thymiama, quàm est gummi ammoniacum. Atque eâ de causâ sine dubio pro ammoniaco thymiamate crocum substituerunt Arabes, atque etiam hoc modo pilulas ad pestem præcauendam satis efficaces præparârunt. Aloë enim ventriculum & intestina à vitiosis humoribus sine omni corporis agitatione liberat: eadem, sicut & myrrha, corpora à putredine & corruptione præseruat: crocus cor roborat, & Spiritûs vegetiores reddit. Atque de his pilulis ter in septimanâ ℈. i. vel ʒ. ß. horâ vnâ ante cibum exhibere licet. Hoc tamen obseruandum, vt senibus & grauidis, ac quibus hæmorrhoides fluunt, cautè hoc medicamentum exhibeatur.

Ammoniacum thymiama.

Pilularum de tribus vis.

Ex iisdem simplicibus, è quibus pilulæ pestilentiales Arabum constant, componitur Elixir proprietatis Paracelsi, nisi quòd *oleum sulphuris* additur, & proinde in eundem vsum adhiberi potest.

Vbi aloë locum non habet, vtilia sunt, vt dictum syrupus & succus rosar. solutiuus, rhabarbarum, sicut & agaricus. Et proinde quibus aloë & myrrha non conueniunt, ac si hepar calidius ista non fert, hæ rotulæ parati possunt

℞. *Extract. rhabarb.* ʒ. i. *rhabarb. aq. cinnamom. aspers. conseru. rosar.* an. ʒ. iii. *sacch. albiss. in aq. ros. dissol.* ℥. iiij. F. rotulæ vel morsuli, pondere ʒ. iij.

Vel exhiberi potest confectio rhabarbari. Interdum rhabarbarum cum aloë coniungimus, vt.

℞. *Aloes rosat.* ʒ. iii. *rhabarb. aq. cinnamom. aspers.* ʒ. i. ß. *agarici trochisc.* ʒ. i. *myrrha* ℈. ii. *mastiches* ℈. i. Cum *Syr. acetos. citri.* F. Pilulæ. Dosis ʒ. i. Andreas Gallus, *fasciculo de peste* 5. c. 5. laudat pilolas Ioannis Damasceni, ex betonica, pimpinella, chamædry, cum myrrha, aloë, croco.

Recentiores ex his operosiùs nobiliores quasdam compositiones præparant, in primis cum sulphure, quod & ipsum a putredine valde præseruat & exsiccat.

Flor. sulph. compositi.

℞. *Sulphur.* ℔. i. *vitriol. salis gemmæ*, an. ℥. v. *aloes, thuris, myrrhæ*, an. ℥. iv. Sublimentur Cart. flores.

Postea ℞. *Flor.* △*torum* ℔. i. Iterum tantum *vitriol myrrhæ, thuris, aloes* addatur & secundâ vice fiat △tio: idque quater vel quinquies repetatur. Tandem,

℞. *Flor. horum* ℥. x. *myrrhæ croci.* an. ℥. i. ß. *aloes*, ℥. i. F. Puluis de quo exhibeatur ʒ. i.

Cuius vsu 24. horis hominem à peste & omnibus pestilentibus morbis tutum esse scribunt.

Efficacius procul dubio fiet medicamentum, si floribus sulphuris diligenter △tis addatur balsamum aloës & myrrhæ, ac tinctura croci: & adhuc efficacius, si balsamus sulph. paretur cum spiritu vini terebinthinato (addere licet & ol. iuniperi) & camphorato, cui postea essẽtia croci, myrrhæ & aloës admisceatur.

Grauidis verò medicamenta ex sulph. parata non conueniunt, ne iis abortus concilietur. Itaque potest iis dari extractum rhabarbari, idque vel cum syrupo aliquo, vel succo rosar. & saccharo in tabulas redigi.

Syrupus rhabarbari.

Nonnulli tincturam rhabarbari, additâ s. q. aquæ cinnam. cum aqua rosar. extrahunt, extractámque ad dimidium lentissimo igne coquunt, & additâ s. q. sacchar. syrupum parant, in quam rhabarbari tabulas coniiciunt, cuius cochlear vnum atque alterum etiam infantibus dari potest. Nam non solùm à peste præseruat, sed & lumbricos necat, atque exturbat. Iisdem passulæ laxatiuæ cum cremore tartari, vel rotulæ purgantes idoneæ dentur.

Quidam etiam terebinthinam commendant. Laudatur & trypbera Persica, quæ vel sola ℥. ß. vel ʒ. vi. pondere, aut aliis admixta dari potest. Vtilis est & hæc potio.

℞. *Rad. dictamni, pimpinell.* an. ʒ. ii. *acetosa, scordij, cardui bened.* an. M. ß. *flor. cordial.* an. P. i. *sem. citri* ℈. i. *rhabarb. agaric. albiss.* an. ʒ. i. ß. *spica* ℈. ß. *cinnam. zedoaria, zingiberis*, an. Scr. i. Infundatur *in aq.* s. q. Colat. Clarificat. ℞. Vnc. ii. ß. Adde *extr. panchymagogi* ℈. ß. vel ℈. i. (pro corporis constitutione) *cremor. tartari* ℈. i. *syr. rosar. sol.* Drach. vi. Misce. Vel F. tale Claretum.

℞. *Fol. senæ ol.* ℥. i. ß. *mechoacan.* ℥. ß. *Zedoaria, cortic. citri, galanga*, an. ʒ. i. *flor. cordial.* P. i. *sacch.* ℥. i. Affunde *vini Rhenani*, q. s. & stent in infusione diem integrum. Postea colentur, vt fiat potus clarus, de quo Vnc. iv. vel q. s. exhibeantur.

A fortioribus autem purgantibus & vehementibus abstinendum; cùm in pestilenti constitutione leui occasione humores commoueantur, & ad ventrem confluant.

Venæsectio.

Similiter venæsectione corpus temerè non debilitandum, spiritúsque dissipandi sunt. Si tamen aliqua plethora adsit, quæ periculum minetur, aliquid, sed parcè, sanguinis detrahendum.

Diæta.

Deinde danda opera, vt corpus; quod idoneis medicamentis ab excrementitiis humoribus mundatum est, tale conseruetur, eáque victûs incunda ratio, quæ excrementitios & vitiosos humores nullos in corpore non solùm cumulet, sed & medicamentosi aliquid habeat, atque alexipharmacis ita condita sit, vt pestilenti veneno resistere, & cor aduersùs illud roborare possit.

Cibus.

De cibis multa à multis scrupulosè præcipiuntur, quæ tamen à paucis obseruari possunt. Ideò rectè dictum existimamus ab authore *lib.* 2. *de natura human. text.* 4. victum in peste, (nisi forsan prauus sit) temerè mutandum non esse; quoniam pestis causa non est, neque, quatenus cibus, pesti resistit. Itaque si quis cibo alicui assueuit, atque inde nullam vel grauitatem vel læsionem sentit, eum non facilè mutet, nec ad aliud victûs genus temerè transeat. Quorum tamen ratio id fert, ij cibos, quantum fieri potest, optimos eligant; prauos verò cibos omnes fugiant. Et quoniam inter cibos panis reliquorum quasi basis est, sit ille ex optimo frumento, fermentatus, & modico sale conditus.

Carnes sint faciliùs coctionis, paucorum excrementorum, & quæ non facilè corrumpantur ac putrescant. Oua recentia & mollia vtilia sunt. Lac plerique parum probant, quòd corpora lactis vsu humidiora reddantur. Pisces & ipsi bonæ notæ sint. Cibi verò, qui prauum succum generant, vt terræ tubera, & vniuersum fungorum genus, fugiendi. Minùs etiam conueniunt fructûs fugaces, & qui facilè corrumpuntur, vt persica, cucumeres, citrulli, pruna recẽtia, & similes. Nuces iuglandes, maximè si cum ficubus, ruta & sale misceãtur, pro alexipharmaco habẽtur.

An allium & cæpæ in peste conueniant.

De allio & cæpis cõtrouersia est, an in peste conueniant. Gal. 1. *de differ. febr.* c. 5. inter cibos praui succi allium & cæpas refert, atque alij etiam Medici eorum vsum improbant, quòd humores calidos & acres augeant, febriúmque causa hoc modo esse possint. Contrà ab ipso Galeno allium rusticorum theriaca appellatur, & contra morsum canis rabidi, serpentum, & aliorum venenosorum animalium prodesse docetur.

Verùm controuersia hæc componi potest, si dicamus, cæpas & allium vtilia esse, non vt alimentum, sed vt medicamentum. Vt enim certum est, non satis bonum præstare nutrimentum: ita & illud extra dubium, contra venena plurimùm valere, ac proinde allium, vt & cæpæ, non magna copia sumendum, vt cibi loco esse possit. Sic enim prauos & acres humores in corpore cumularet. Sed in parua quantitate, vt saltem medicamenti loco sit, & ad pestem præcauendam sufficiat. Nec absurdum est, vt aliquid ratione medicamenti vtilissimum sit; prauum verò alimentum præbeat, sicut in cibis medicamentosis multis videre est. Ita Ocymum Galen. 1. *de diff. feb.* c. 3. inter cibos praui succi numerat, ad medicinam tamen vtile est; sicut eo nomine contra Chrysippum defendit Ocymum Plinius, *lib.* 20. c. 12.

Potus

Potus.

Potus sit ceruisia tenuis & bene defecata. Vinum item bonum & purum moderatè sumtum.

Temperantia.

Non solùm autem in cibo & potu eligendo, sed etiam in vsurpando summa diligentia adhibenda; atque in primis iucundæ salubrísque vitæ mater temperantia colenda. Neque inediâ aut siti vires deiiciendæ sunt; neque plus cibi ingerendum, quàm natura desiderat. *Vbi* enim, vt Hippocrates, 2. *aphor.* 17. habet, *cibus præter naturam copiosior ingeritur, morbum inde creari, indicat sanatio.* Atque in conspectu habendum est Socratis exemplum, qui, vt est apud A. Gellium, *lib.* 2. *c.* 1. in illius pestilentiæ vastitate, quæ bello Peloponnesiaco in primis Atheniensem ciuitatem depopulata est, temperantiâ salubritatem corporis retinuit, vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius. Itaque hoc loco reiicienda est illorum sententia, qui persuasum habent, crapula & ebrietate aliquem à peste præseruari posse. Nam alterutrum ex nimio cibo potúque assumto fieri necesse est, vt scilicet vel natura à nimia cibi potúsque copia onerata, eum non rectè concoquere & distribuere possit, vnde calor natiuus obruitur, excrementa in corpore cumulantur, obstructiones & intemperies in visceribus gignuntur. Vel si natura cibo illi potuique coquendo par sit, plethora inde gignitur, quam Hippocrates, 1. *aphor.* 3. vt periculosam, protinus soluendam esse monuit.

Et cùm facilè fieri possit, vt ex cibo etiam moderatè sumto aliquid excrementorum in corpore cumuletur, per leuia purgantia, vt dictum, illud sæpius detrahendum. Cui fini inseruiunt etiam Fontanellæ dictæ, quibus nonnulli nihil vtilius aut

Fontanellæ.

medios ad præseruandam pestem esse dicunt: non quòd fontanellæ veneno pestilenti resistant, sed quòd vitiosos & excrementitios humores è corpore sensim tollant, atque hoc modo apparatum ad pestem suscipiendam demant: referúntque Medici in grauissimis quibusdam pestilentiis plurimos cauteriorum vsu ab omni damno fuisse seruatos. Nemo tamen velim in iis solis, aut præcipuè, neglectis alexipharmacis, spem securitatis collocet. Tanta enim vis & efficacia est huius veneni, vt pura quoque & munda corpora inuadere possit.

Naturarum quoque in cibo administrando aliqua habenda est ratio. Cùm enim, qui calidioris humidiorisque naturæ sunt, maximè putredini contagióque suscipiendo apti sint: talia corpora refrigerare & exsiccare conuenit. Vnde cibi ii condiendi acidis, & embammata acida cum cibis apponenda ex succo citri, malorum aurantiorum, acetosa, ribes, aceto s. rosacceo.

Cibi quomodo condiendi.

Omnes verò omnino, quantum fieri potest, cibi & potus, iis quę pesti aduersantur, cōdiendi sunt: Naturarum tamen respectu habito & temperamentorum, vt frigidioribus naturis & temporibus calidiora, calidioribus frigidiora adhibeantur. Conueniunt autem poma, citri, aurantia, acetosa, borrago, buglossum, fructus ribes, macis, crocus, saluia, ruta, pimpinella, baccæ iuniperi, absinthium, helenium, zedoaria, &c. Exempli gratiâ, potus talis paretur.

℞. *Absinthy, dictamni Cretic.* an. M. ß. *scordij, cardui bened.* an. M. 1. *cortic. citri* ℥. ß. *zedoariæ* ʒ. ii. *radic. pimpinel.* Vnc. ß. *helenij*, Drach. ii. Concidantur crasso modo, & cum linteo albo fiat nodulus vel sacculus, qui suspendatur in vino, de quo singulis diebus sumatur manè haustus post ientaculum, vel in prandio. Pauperes eundem in ceruisia suspendant & macerent.

Cibi conspergantur pulueribus, aut cum iis sumantur pulueres conuenientes, quales suppeditant santalum, macis, crocus, margaritæ, corallia, cortices citri, radices angelicæ.

Mediocritas quoque in aliis rebus ad diætam pertinentibus, nimirum in motu & quiete, somno & vigilia, atque in primis Venere & animi affectibus seruanda est, & certò statuendum, illud Hippocratis: πὰν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, etiā in peste esse verissimum. Atque in primis metus, atque intérior de internecino hoc morbi genere cogitatio, intermittenda, cùm certum sit, atque experientiâ probatum, imaginatione talem posse fieri in corpore impressionem, humorúmque mutationem, vt ea ipsa de causa multi peste correpti sint. Contrà quorum præsens animus possit, vel ex vespillonibus, Chirurgis, & aliis, qui peste infectis & mortuis operas suas locant, videre est. Itaque, spe in Deum posita, animus pius sibi persuasum habeat, licèt pestilentia cadant à latere mille, & decem millia à dextra, sibi tamen illam non appropinquaturam.

Atque hactenus, qua ratione corpori prouidendum sit, dictum, ne vitiosi humores in eo cumulentur, sed potiùs illud in naturali & optimo statu conseruetur. Duo tamen præterea adhuc ad pestem præcauendam necessaria sunt. Primum, ne venenatus & pestilens aër seminiúmque contagij attrahatur. Deinde si vel ignorantibus accidat, vt contagium, siue per aërem, siue alio modo corpori communicetur, vt corpus aduersùs illud muniatur, ne quid detrimenti ab eo patiatur.

Aer quomodo mundandus.

Primum quod attinet, detur opera, vt aër, in quo versandum est, priuatim & publicè, quantum fieri potest, purus sit, & a pestilenti cōtagio mundus. Vt enim rectè Author *libri de flatibus* scribit: *Mortalibus vitæ, & ægri, morborum causa aer est, tantáque omnibus corporibus spiritus existit necessitas, vt siquidem ab omnibus alimentis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres, vel plures vitam ducere, si verò spiritus in corpus via intercipitur, in breui parte vnius diei intereat.* Itaque cùm tanta aëris sit necessitas, nulla re faciliùs, quàm per aërem, contagium pestilens corpori communicari potest.

Publica via vt mundanda.

Et proinde primò Magistratûs officium est, curare, vt plateæ, quantum fieri potest, ab omnibus sordibus mundæ sint, in primis à stercore suillo & anserino, quod propter fœtorem cerebro & spiritibus infensum, præ cæteris ad contagium propagandum multum facit. Vrina, præsertim infectorum, atque aliæ sordes in publicas vias & plateas non proiiciendæ. Et omnino omnia ea publica amouenda, quæ semina contagij augere, fouere, vel excitare possunt. Quanquam enim pestilentis veneni natura in putredine non consistat: tamen contagium pestilens sordida eiusmodi facilè excipiunt fouéntque, & ipsa tandem malignitatem concipiunt: sicut ex corporibus putridis interdum pestem oriri, experientia sæpius docuit.

Neque sibi quispiam persuadeat, fœtorem eiusmodi rerum putridarum & corruptarum veneno resistere, & venenum veneno pelli posse. Neque velim aliquem imitari Sarmatas, de quibus Alexand. Benedictus, *de peste* hæc habet: *Quidam nobilis mercator Cretensis, cùm in Taurica regione negotiaretur, & sæuissima pestis vrbis vitio orta esset, quâ finis moriendi non erat, retulit, in eo hominum summa strage, à se Medicum visum, loci eius incolam, qui canes interemptos passim per vias, pérque vicos omnes abiici iussit, qui putrido tetro odore aerem replerent, eoque remedio statim ciuitatem sanitati restitutam esse.* Putátque Alex. Benedictus, canes putrescentes, aëris, qui hominibus saltem exitialis erat, naturam immutasse, & venenum à veneno debellatum fuisse.

An fœtores in pestilentia vtiles sint.

Verùm enimuerò, etsi quis de ista ex barbaro loco allata experientia, & quomodo ista omnia acta sint, dubitare posset: tamen posito, rem istam ita gestam fuisse, nihilominus vt tale quid imitemur, suadendum non est. Licèt enim accidere possit, vt venenum veneno contrarium sit, & eadem pestis non omnibus animalibus, imò nec hominibus quidem sit exitialis, sicut Cardanus, *lib.* 2. *de rerum variet.* refert, pestem quandam Basileæ grassatam fuisse, in qua solùm Heluetij, non verò Hispani, Itali aut Galli, qui in eadem ciuitate erant, affligebantur: Et fortasse cum singularem quandam pestem fuisse, & à singulari aëris vitio ortum traxisse, cui occulta aliqua qualitate putrescentium canum vapores contrarij fuerint: tamen cùm pestilentiæ magna sit varietas, nec vnica ista è loco remoto experientia pluribus & variis exemplis sit confirmata, non tutum est, fœtida talia in publicis locis relinquere, cùm facilè fieri possit, vt aëris vitium foueant & augeant.

Ignis aërem mundat.

Sed cùm longa experientia constet, igne putridum & venenatum aërem maximè corrigi, Hippocratis potiùs aliorúmque Medicorum prudentissimum exemplum, quàm barbarorum barbaram istam consuetudinem imitati, igne in locis publicis accenso aeris vitia corrigere studeamus. Inseruiunt hîc in primis lignum iuniperi, quercus, pinus, picea, laurus, atque aliæ plantæ odoratæ. Ad aerem quoque puriorem reddendum multùm valet, si tormenta bellica præsertim maiora, & præcipuè versùs eam partem, à qua malum maximè imminet, sub vesperam & auroram displodantur. Non enim saltem vehementer aerem commouent atque agitant, sed & sulphur ac nitrum maximam vim eum alterandi habent.

Quâ ratione quisque priuatim se aduersus contagium pestilens munire debeat.

Priuatim verò quisque, quantum licet, hominum frequentiam vitet; cùm non semper constet, qui infecti sint. Qua de causa à Magistratu conuentus illi solemnes & frequentiores in nuptiis, choreis publicis, balneis, scholis, nundinis prohibentur. Aut si omnino cum his, qui infecti sunt, aut in suspicionem infectionis venerunt; conuersandum sit: fiat hoc ore aliquantum auerso, & vento secundo, non aduerso. In primis per fenestras in ædes infectas inspicere periculo non vacat. Nemo etiam in publicum facilè prodeat, nisi hora vna atque altera post Solis ortum, donec aër caliginosus & vapores nonnihil discutiantur. Et omnino sine alexipharmacis, vel etiam cibo aliquo sumto, nemo in publicum progrediatur. Et cùm aer per os & nares præcipuè attrahatur, quisque in publicum egressurus naribus odoramenta admoueat, poma scilicet odorata, nodulus, vnguenta, linimenta ex rebus odoratis, atque iis in primis, quæ peculiarem vim veneno pestilenti resistendi habent. Nares nimirum vngantur theriaca, oleo vel balsamo rutæ, zedoariæ, Angelicæ, succini, corticum citri, iuniperi, caryophyllorum, nucis moschatæ; vel aceto aliquo aut aqua bezoartica, vel spongiæ cali aceto madidæ, pyxidibus ligneis inclusæ, aut poma ambræ dicta manibus gestentur, & frequentiùs naribus admoueantur. Dentes theriaca illinantur. Iniore teneantur angelica, zedoaria, cortices citri, &c.

Det etiam operam quilibet, vt in ædibus suis puro aere fruatur, & pestilentem excludat atque exterminet. Itaque claudantur fenestræ versùs domos infectas; iisdem clausis aër nocturnus excludatur, & demum Sole exorto conclaue radiis Solaribus illustrandum fenestris apertis exponatur: Aër in ædibus imbuatur iis rebus, quæ veneno pestilenti resistendi & corroborandi vim habent. Suffitus scilicet excitentur è ligno iuniperi, fraxini, querno, baccis iuniperi, lauri, ruta, saluia, absinthio, foliis quercus, aceto bezoartico lateribus ignitis affuso, vel aquis conuenientibus. Vestes quoque & linteamina in scriniis

contra

contra pestilentem infectionem muniantur sacculis, ex bene olentibus & veneno resistentibus plantis compositis.

Extant alia composita passim, quæ partim naribus admoueri, partim ore teneri, partim accendi & carbonibus iniici, aut lateribus ignitis affundi possunt pauca saltem, ex.gr. è tanta varietate eligere libet.

In horum tamen omnium vsu obseruandum, cùm fœminæ, quæ ad suffocationem vteri procliues sunt, suaueolentia non ferant, loco ambræ & moschi admiscenda esse castoreum, galbanum, rutam & similia.

Poma ambræ. Poma ambræ, quæ appellant, parantur ex ladano, benzoë, seu asa dulci, styrace, calamita, radice iridis, rosis, ligno aloës, corticibus citri, santalis, caryophyllis, camphora, ambra, moscho, zibetho. Fiuntque efficaciora, si iis addantur olea destillata, citri, rutæ, angelicæ, caryophyllorum, macis, cinnamomi, &c. Exempli gratia:

℞. *Ladani puriss.* Drach. ii. *Radic. ireos*, Drach. i. *Pulu. caryophyll. nucis mosch. cinnam.* an. Drach. ß. *camphora*, Scrup. sem. *ol. destill. rutæ* gutt. vii. *ol. angelicæ* gutt. v. *caryophyllorũ* gutt. iii. *nucis mosch. expressi* ʒ. ß. *moschi, zibethi, ambræ*, an. gr. iij. iv. vel plura. Cũ mucilag. tragacanth. aqua rosar. facta, Fiat massa pro pomis. Tempore æstiuo talem componere licet.

℞. *Rasur. rubrar.* Drach. i. *flor. violar.* P. ß. *santali citrini, styracis, calam.* an. Drach. ß. *cortic. citr. macis*, an. Scrup. i. *camphora* Scrup. ß. *ol. destill. rutæ*, gutt. vi. *zibethi, moschi, ambræ*, an. g. vi. Cum mucilag. tragacanth. aqua rosar. facta. Fiat massa.

Linimenta ad nares talia vsurpare licet.

Linimenta ad nares. ℞. *Theriac. opt. mithridat. ol.* an. ʒ. i. *myrrhæ, benzoes, styr. calamitæ, ol. destill. rutæ*, an. ℈. i. *angelicæ, camphoræ in aq. bezoartica dissoluta*. an. ℈. ß. *ol. amygd. dulc.* parùm. F. Linimentum.

Vel ℞. *Theriac. opt. mithridat.* an. Drach. i. *myrrhæ, benzoes, styrac. calam.* an. Drach. ß. *santali citrini, cortic. citr. caryophyll.* an Scrup. i. *camphoræ* Scr. sem. *aquæ rosarum, aceti scordij, vel bezoartici*. an. q. s. M. in formam Linimenti.

Vel balsamum seu linimentum, quo nares, tempora, pulsus & regio cordis inungantur, tale parari potest.

℞. *Ol. destill. rutæ* ℈. i. *citri, angelicæ*, an. ℈. ß. *lauendulæ, caryophyll.* an. gut. vi. *Olei baccar. iuniperi* ℈. ß. *moschi, ambræ, zibethi*, an. g. iv. *ol. nucis, moschat. expressi*, q. s. F. Linimentum.

In primis commendatur oleum Scorpinoum secundùm descriptionem Matthioli paratum, si carpis, temporibus, vel etiam regioni cordis inungatur.

Laudatur & oleum viperarum magni ducis Hetruriæ; sicut & linimentum ex adipe serpentum, succo citri & theriaca.

Balsamum. Est qui istum balsamum commendet, & æthereum nominet, quémque non solùm à peste hominem præseruare, si semel de die aliquid carpis & cordis regioni illinatur, verùm etiam venenatorum animalium morsus curare pollicetur.

℞. *Pingued. serpentum, ol. rubetarum, scorpionum*. an. ℥. ß. *ranar. viridium* ʒ. iii. *balsami rutæ, angelicæ, succini*, an. ʒ ß. *nucis mosch.* ʒ. i *citri, imperatoriæ, saluiæ, cinnamomi, caryophyll. castorei*, an. ʒ. ß. *elixir proprietatis Paracelsi*. ʒ. i. M.

Acetum. Acetum, quo vel nares inungi, aut spongiæ olfaciendæ imbui, vel silices aut lateres igniti perfundi possunt, quódque tum ad pestem præseruandam, tum curandam propinari potest, hoc modo parare licet.

℞. *Flor. calendulæ* M. i. *scordij rutæ, rosar. rubr.* an. P. i. *rad. angelicæ, valerianæ, baccar. iuniperi*, an. Drach. ii. *zedoariæ, cortic. citri, myrrhæ*, an. Drach. i. *camphoræ* Scrup. i. *aceti rosacei* ℔. ii. vel plures. M. & vsui seruentur.

Vel ℞. *Fol. rutæ, scordij, scabiosæ, morsus diaboli, cardui bened. absinthij*, an. M. i. *Rad. angelicæ, zedoriæ, dictamni albi, Imperatoriæ, valerianæ, pimpinellæ, tormentillæ, granor. iuniperi*, an. Vnc. sẽ. *cortic. citri* Drach. iii. *caryophyll. myrrhæ*. an. Drach. i. *camphoræ* Drach. sem. Affundatur *acet. rosacei* q. s. & seruentur vsui.

Vel ℞. *Scordij* M. ii. *rutæ* M. sem. *summit. absinthij*. Drach. ii. *theriacæ* Vnc. sem. *myrrhæ* Drach. i. *camphoræ* Drach. i. *zedoariæ, caryophyll. macis, castorei, angelicæ*, an. Drach. sem. *baccar. iuniperi* ℥. ß. Affundatur *aceti rosacei* canth ii.

Et consentiunt in hoc doctissimi quique Medici, aceti, præcipuè in quo medicamenta alexiteria macerata fuerint, cùm extrà adhiberi, tum propinari, maximam vim esse ad præseruandum corpus à pestilentis veneni corruptione. Quibus tamen siccius est cerebrum, & qui vigiliis molestantur, ij aceti odore parciùs omnino vtantur, aut etiam planè ab eo abstineant.

Puluis ad suffiendum ita paratur.

Pulueres ad suffitum. ℞. *Lign. iuniperi*, Vnc. iv. *baccar. iuniperi, lauri*, an. Vnc. i. *succini, thuris, myrrhæ, styrac. calamitæ, benzoes*, an. Vnc. ß. F. Puluis. Nonnulli addunt etiam flores sulph.

Vel ℞. *Baccar. iuniperi* M. ii. *cortic. baccar. lauri* M. i. *thuris* ℔. ß. *fol. absinthij rutæ, quercus*, an. M. ii. *scobis ligni iuniperi*, M. iv. *succi*, Vnc. i. F. Puluis pro pauperibus.

Est & magna in discutiendis & absumendis venenatis vaporibus, pulueris bombardici accensi vis.

Pro ditioribus talis fieri potest.

℞. *Baccar. lauri* ℔. i. *thuris*, Vnc. iv. *styrac. calam. benzoë*, an. ℥. i. ß. *santali citrini*. Vnc. sem. *ligni aloes* ʒ. ii *fol. lauri* Vnc. i. *flor. lauendulæ, rosar. rubr.* an. Drach. ii. F. Puluis.

Candelæ pro fumo. Candelæ pro fumo tales fieri possunt.

℞. *Ladani, styrac. calam. benzoes*. an. Drach. j. *myrrhæ, thuris*, an. ʒ. ß. *radic. angelicæ* Scrup. j. *granor. iuniperi* Drach. ij. *terebinth.* ʒ. iij. *pulu. caryophyll.* Drach. ij. *carbon. taliæ*. q. s. Incorporentur cum *mucilagine tragacanth. aq. ros. facta*. Fiant candelæ vel trochisci.

Pro ditioribus tales fieri possunt.

℞. *Ladani, flor. stœchad. Arab.* an. ʒ. j. sem. *styrac. calam.* ℥. sem. *rad. iridis Florentinæ*, ʒ. j. sem. *benzoës*, ʒ. sem. *sacch. cand.* ʒ. vj. *moschi* g. v. ℈ sem. vel q. libet, *mucilag. tragacanthæ aqua rosar. facta*, parum. F. Massa, è qua formentur orbiculi parui.

Aqua odorata. Aqua odorata pro ditioribus, quâ facies, manus, chirothecæ conspergi possunt, aut quæ in olla super carbonibus in vapores resolui, & in aërem dispergi potest.

℞. *Aq. rosar. fragrantiss.* ℔. j. *benzoës, styracis calamit. cinnamomi, macis, caryophyll. cortic. citri*, an. Vnc. sem. *camphoræ* Drach. sem. (quæ si aliquibus molesta est, omitti potest.) Coq. vase clauso in B. M. aliquandiu, postea colentur, & addatur, *zibethi, moschi, ambræ*, an. ℈. sem. Seruentur in vase clauso ad vsum.

Vel ℞. *Styrac. calamit. ligni aloes*, ana ℥. sem. *benzoes* Drac. ij. *iridis Florent.* Drach. j. *sacch.* Vnc. sem. Singula seorsim puluerisentur, misceantur: quibus adde *moschi, ambræ*, an. Drach. sem. *zibethi*, ℈. j. Seruentur ad vsum vase clauso.

Postea, quando libet, sume pulueris pauxillum, affunde in patella aquam rosarum fragrantissimam, & ad lentum carbonum ignem in halitum resoluatur, qui suauissimum odorem de se spirabit: qui tamen fœminis vteri affectionibus obnoxiis non conuenit.

Trochisci sub lingua tenendi.

Trochisci. ℞. *Zedoariæ*, Voc. sem. *rad. pimpin. angel.* an. Drach. j. *ligni aloës. cinnamom. cortic. citri*, an. Drach. sem. *macis* ℈. i. *sacch. albiss.* ℥. iv. Cum s. q. *gummi tragacanthæ in aq. ros. dissoluti*. Fiant trochisci sub lingua tenendi.

In his tamen omnibus obseruandum, vt aëris constitutionis habeatur ratio, & præterea alexipharmacis potiùs, quàm solis odoribus gratis fidamus, quæ idcirco aliis odoratis admisceri possunt. Sunt etiam quidam in ea sententia; eiusmodi odorifera sola pestiferum halitum ad cor potiùs allicere, quàm à corde remouere. Et cùm in sano non defectus aliquis sit in spiritibus, ob quem eorum instauratio per talia odorifera requiratur: ideò prouidendum potiùs censent, ne spiritus pestifero contagio inficiantur. Et cùm contagium pestilens summam vim putrefaciendi habeat, potiùs iis vtendum putant, quæ vim illam retundant. Sicut videmus intenso frigore contagium extingui; augeri verò & intendi in aëre calido.

Verùm enimuerò etsi in sanis defectus adhuc non sit spirituum: vtile tamen est, semper spiritus esse maximè vegetos. Ad quod plurimùm possunt suaueolentia, quæ ipsa experientia teste, miris modis spiritus recreant atque instaurant, & iamiam morituros sæpe ad vitam reuocant. Itaque rebus suaueolentibus, (præcipuè si medicamenta pesti aduersantia admixta sint) spiritus vegetiores redditi sese alacriùs & fortiùs pesti opponunt. Et quanquam spiritus gratos odores auidè attrahant & arripiant: non tamen sequitur, quòd simul etiam venenatos vapores admittant.

Sacculus pro vestibus. Sacculus, qui in interioris vestibus apponi potest.

℞. *Flor. lauend. rosar. rubr.* M. j. *violar. nymphææ, melissæ basilici*, an. Vnc. j. *rutæ*, M. sem. *rorismarini*, P. ij. *cortic. citri, santali citrini*, an. ℥. ß. *rad. ireos*, Drac. ij. *caryophyll. macis, asæ dulcis*, an. Drac. ß. *moschi* gr. iv. vel q. s. (omittatur pro fœminis.) Fiat Sacculus.

Sacculus cordialis. Sacculus regioni cordis applicandus.

℞. *Flor. buglossi, rosar. rub. violar.* an. P. ij. *melissæ vtriusque, rorism.* an. P. j. *cinnam. caryophyll. cortic. citri, ligni aloes, santali citrini, rad. angelic. valerianæ, ireos Florent.* an. ʒ i. ß. *sem. rutæ, Oss. de C. C.* an. ℈. j. *croci, camph.* an. Scrup. sem. *ambr. moschi*, an. g. iv. F. Puluis, qui excipiatur syndone rubra, & s. a. Fiat sacculus.

Verùm talia multa describuntur ab Horat. Augenio, *lib. de peste, c.* 26. *&* 28. Ant. Portu, *lib.* 2. *de peste, c.* 46. *&* 49. Andr. Gallo, *de peste, fasciculo* 5. *cap.* 16. 20. 25. & aliis.

Præter ista, quæ hactenus recensuimus, medicamenta, etiam alia quædam, de quibus inter Medicos omnes non conuenit, à nonnullis valde commendantur, qualia sunt sacculi & massæ, quæ è rebus venenatis, vt arsenico, puluere bufonum, argento viuo, & similibus fiunt, & extrà, ad præseruandum à pestilentia, corpori è regione cordis appendantur.

Amuleta ex Arsenico, Mercurio, & aliis. Amuleta ex Arsenico plurimi commendant, & sunt, qui iurati asserant, nullos peste fuisse infectos ex iis, qui talia ad cordis regionem gestarunt. Tali autem modo parantur.

℞. *Arsenici crystal.* q. v. Cum *albumine oui, vel mucilag. gummi Arabici, aut tragacanthæ*. Fiant massæ seu placentæ, quæ in vmbra siccentur, & sacculo serico inclusæ regioni cordis applicentur. Nonnulli & alia addunt, vt:

℞. *Pulu. bufon. exsiccati* ℥. j. ß. *arsenici citrini, crystallini*, an. ʒ. vj. *pulu. dictamni, tormentillæ*, an. ʒ. j. ß. *margar. præpar. santal. citrin.* an. ℈. ii. *croci*, ʒ. sem. *hyacinthi, smaragdi*, an. ℈. j. Cum *mucilagine gummi tragacanthæ, vel Arabici*. F. massa.

Vel ℞. *Arsenici crystallini*, ℥. ii. *zedoariæ* ʒ. ij. *croci* ℈. j. *camphoræ*. Drach. sem. Cum *gummi Arabico aq. ros. dissol.* F. Pastilli.

Iohan. Rhenanus hoc, tanquam perfectum Amuletum, commendat, quo non solùm pestilens contagium, sed & cœlestes impressiones arcentur.

℞. *Pulu. bufon. exsiccator.* Voc. ij. *arsenici crystallini, citrini*, an.

10.℥.ß. *Mercur.* ♎ *ti. farinæ tritici, radic. dictamni vel tormentill.* an. ʒ.iij. *croci, hyacinthi, smaragdi*, an. ℈.i. Omnibus puluerisatis, cum *mucilagine tragacanthæ aq. rof. facta*, Fiat massa, è qua fiant pastilli, de collo suspendenda.

Si autem cælestes impressiones auertere debeant, hoc modo porrò præparandos esse docet. Capsulæ cordis figuram referentes è chalybe formentur, vt massæ istius ʒ.i.ß. excipere possit: In istis capsulis, vbi Luna caput Draconis attigerit, insculpere iubet figuram serpentis, instar cochleæ in gyrum sese voluentis, in altera parte, Luna in scorpio existente, formam scorpij insculpit: postea, Luna in scorpio existente, capsulam istam replet massâ prædictâ, eámque siccatam cordis regioni applicat. Atque id etiam de peculiari huius amuleti vsu monet Rheonius, pastillos illos madefieri, si venenum pestilens præstò fuerit idcóque igni iam admouendos esse. Ita enim venenum euanescere.

Eiusdem generis ferè est Zenextoo Paracelsi à Crollio descriptum.

Alij commendant argentum viuum testæ nucis auellanæ inclusum. Atque istud remedium potissimùm anno 1552. & 1553. in obsidione Metrosi vsurpatum & commendatum fuit, vt refert Petrus Droëtus, *Consil. de pestilent. c.* 8. & Iac. Theodor. Tabernæmontanus, in *tract. de pestilen. Germanico*. Et est qui referat, sibi notos esse aliquot, quibus cùm peste corriperentur per contagium: disruptæ illo ipso momento testæ auellanarum fuerint, quæ hydrargyrum continebant.

De amuletorum vi.

Sed quo fine talia adhibeantur, & vnde sit ista efficacia, ipsi illi authores, qui talia vsurpant & commendant, dissident.

Sunt qui existimant, arsenicum venenum siccum esse, & siccitate sua prauos humores absumere, atque inquinamentum discutere.

Sunt, qui hoc modo venenis cor assuefieri, & consuetudine faciliorem veneni tolerantiam comparari putant, vt qui arsenico assuescant, sine noxa etiam in pestilenti aere versentur.

Petrus Droëtus, *in consil. de pest.l.* alexipharmacum arsenicum esse dicit, atque admodum cor roborare scribit, quamuis alias erodendo noceat.

Heurnius, *de peste, cap.* 8. scribit, Cor, dum qualitatem arsenici percipit, sese contrahere, atque inde eius systolen fieri fortiorem diastole, ita vt validiùs eo motu à se expellat, quàm attrahat.

Verùm quis istas rationes parum probabiles esse non videt? Ij probabiliora dicunt, qui totius substantiæ similitudine talia venenum pestilens ad se attrahere dicunt. Nam sicut à scorpione percussi ab eodē imposito sanantur: ita procul dubiò seu olea & vnguenta, seu massæ & trochisci, qui amuleti loco gestantur, & ex venenosis rebus parantur, siquid præstant in hoc genere, occulta qualitate venenum pestilens ad se attrahunt. Et quidem dupliciter, vel venenū pestilens, quod homini appropinquat, antequā in corpus recipiatur, peculiari συμπαθείᾳ ad se alliciunt; Vel si quocunque modo in corpus receptum sit, eadē συμπαθείᾳ ad se euocant. Ideóque quidem non sine causa monent, ne alia medicamenta arsenico misceantur, ne eorum admixtione vis eius frangatur. Monent quoque, ne motu incalescant sacculi vel massæ, ne per poros cutis vis illa veneni cordi communicetur.

Verùm ab his dissentiunt Horat. Augenius, Gerardus Columbus, & Hercules Saxonia, aliique Medici non pauci, qui statuunt, tantùm abesse, vt talia venena hominem præseruent, vt etiam præsens damnum ipsi inferre possint. Cùm enim sint naturæ nostræ aduersissima, si supra cor posita incalescant, vaporésque ad cor penetrent, maximè nocere. Et quamuis multi sint, qui talia sine periculo gestarint, id ideò factum esse existimant, quod non incaluerint. Contrà verò obseruatum esse, si motu incalescant, hominem in syncopen, & damna, atque adeò vitæ discrimen conijci, neque inde liberari, nisi sacculo amoto.

Imò sunt, inter quos Hercul. Saxon. *lib. de plica, cap.* 33. & Io Baptista Gemma, *de rat. cur. bubones pestil.* qui illam præseruandi vim in istis, quam plurimi ita prædicant, in dubium vocant. Testatúrque vterq, se certò scire, cùm in pestilentia Patauina, Anno 1576. Hieron. Capiuaccius multis hæc adhibuisset, nihil egregij præstitisse.

Quapropter, cùm adhuc experientia dubitetur, & cùm, vt rectè Horat. Augenius *lib.* 3. *de pest. cap.* 27. scribit, multa fiant, quæ diuersam habent causam quàm vulgò creditur, atque ad experientiæ habitum, non vnum vel alterum experimentum, sed hominum fide dignorum, magni iudicij, & prudentum longa obseruatio requiratur, rationésque quibus causam huius effectus reddere conantur, non firmæ sint, vt loca allegata legenti patet: cum eodem Hercule Saxonia, remedio hoc quemque pro suo arbitratu vti permittimus: modò ne reliqua maioris momenti, atque in primis alexipharmaca prætermittat: deinde ne quid damni inde accipiat; quod fiet, si curabit, ne incalescat.

Argentum viuum.

Plus tribuit Saxonia argento viuo, atque existimat, ipsum minùs periculosum esse, atque etiam non calefactum crassam materiam discutere posse, atque ad exitum parare: quo fine quoque, scilicet crassum sanguinem, qui ob crassitiem in venas & glandulas mammarum penetrare non poterat, attenuando, lactis defectum emendare posse, atque eam ob causam Patauinas mulieres, non infelici successu, hydrargyrum auellanæ inclusum collo appendere, vt lac restituatur: quamuis, vt refert Th. Iordanus, *de pestis phænom. tract.* 3. *cap.* 9. ideò superstitiosè id adhibeant, quòd contra fascinum, quo lactantibus lac adimatur, prosit.

Alexipharmaca.

Verùm maxima salutis, & securitatis spes, vt antea quoque dictum in alexipharmacis consistit. Eadem enim, quæ pestem curant, ab eadem præseruant. Cùm verò omnia illa alexipharmaca experientia potiùs, quàm ratione inuenta sint: nemo suam salutem gloriosis nonnullorum promissis concredat, neque omnis medicamentis, nisi fida experientia antea probata sint, facilè fidem adhibeat, sed iis, quæ diu à multis probata fuere, maximè confidat.

Simplicia

Simplicia sunt: *Angelica, valeriana, tormentilla, carduus benedictus, acetosa dictamnus Creticus, & albus, ruta, vincetoxicum, scabiosa, morsus diaboli, pimpinella, olsenichium, veronica, scorzonera, calendula, absinthium, zedoria, imperatoria, gentiana, baccæ iuniperi, nuces iuglandes, C.C. Os de C.C. bolus Armenus, terra sigillata, smaragdus, hyacinthus.*

De lapide Bezoar dicetur postea: nam de eo varia sunt iudicia. Aliqui summopere eum laudant: Nonnulli parum ei in hoc genere tribuunt. Imò sunt, qui oculos seu lapides cancrorum ei præferunt. Sunt qui nec opium omittendum censent. Cùm enim summam vim condensandi habeat, si alexipharmacis misceatur, in feruore spirituum extinguendo multum potest, ac spiritus contagiosi motum sistit, vt ita medicamentum faciliùs eum à corde propellere possit. Sunt quidem aliqui, qui ex his medicamentis quædam suspecta habent, vt radices pimpinellæ, quòd nimis commoueant & calefaciant humores; radicem tormentillæ, quòd nimis adstringat; Bolum Armenum, quòd obstruat, & hoc modo putredinem excitare possit; Baccas iuniperi, & alia plurima, quia nimis calefaciant & spiritus accendant: Verùm modò vim veneno resistendi habeant, qualitatum primarum excessus aliorum admixtione facilè corrigi potest.

De Theriaca

Ex compositis vsitatissima & longo vsu iam comprobata sunt Mithridatium, Theriaca Andromachi, Confectio liberantis: Et ex his imprimis Theriaca, (à qua & multa alia medicamenta, quæ occulta vi ac tota substantia venenis resistunt, Theriacalia nominantur) cuius vim insignem cùm obseruasset antiquitas, ad hunc vsque diem in bene constitutis Pharmacopolijs & Rebuspublicis communis salutis gratiâ asseruatur: atque Ægyptij, vt refert Prosper Alpinus, *de Medicin. Ægyptior. lib.* 4. c. 8. licèt in aliorum medicamentorum cōpositione negligentiores sint, tamen iussu Turcarū Imperatoris singulis annis, præsentibus omnibus Medicis, in templo vrbis Cayri, Theriacam summa diligentia componunt.

De Theriacæ vi.

Etsi autem & alios effectus habeat, quos recenset Galenus, *de Theriaca ad Pison. cap.* 16. tamen inter omnes effectus, & cuius gratia potissimùm inuenta videtur, atque vnde etiam nomen accepit, est, quòd à veneno præseruat, & à veneno læsos pristinæ sanitati restituit. Atque hæc eius efficacia omnibus temporibus perspecta & cognita est. Et vt de alijs venenis nihil dicam, quanta in pestilentia eius sit efficacia, omnes Medici fatentur. Galen. *de Theriaca ad Pamphilianum*. refert, se ex Æliano Meccio, omniū, quos audierat, vetustissimo, audisse, Italiam olim pestem inuasisse, quæ celeriter multos interimebat. Tentatis igitur omnibus, vt fit, authorem se fuisse, vt sola theriaca vterentur, cùm cætera nihil conferrent. Tunc itaque ex iis, qui ægrotabant, quam plurimos assumpta theriaca conualuisse; paucos in quibus vis morbi inualuerat, occidisse; reliquos omnes, quos pestis nondum occupauerat, non modò periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse. Et, *de Theriaca ad Pis. cap.* 16. docet, Theriacam, instar ignis cuiusdam purgatorij, illos, qui ipsam biberunt, non permittere, vt pestilentia prorsus capiantur: illos autem, qui iam ægrotant, sanare posse, cùm aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperiei corruptionem prohibendo. Atque ob nobiles hos affectus, Theriaca & summis Imperatoribus in vsu frequenti fuit; præcipuè iis, qui sibi de veneno metuebant. Suetonius, *in Nerone, c.* 34. refert, Neronem, monstrum illud hominis, matrem ter tentasse veneno, sed frustra; cùm se antidotis (proculdubio Theriaca) præmunisset, & proinde aliam eius interimendæ viam postea iniisse.

Cur Theriaca hodie, non easdem, quas olim, vires habeat.

Etsi verò hodie eas quas Galenus, aliique prædicant, vires non semper experiamur: falsi tamen aliquid eos scripsisse, non existimamus: sed siquid non respondet, id aut inde euenit, quòd quædam eorum, è quibus Theriaca componitur, vel ignota sunt hodie, vel ad nos non apportantur; aut quòd, qui eam componunt, non eam, quam debebant, diligentiam adhibent, atque vel ignorantiâ peccant, vel publica commoda priuatis suis metiuntur. Olim in Theriaca componenda tanta diligentia adhibita fuit, qua maior via potuit: cùm ipsi Impp. Romani curam de conficienda Theriaca ad se pertinere existimarent; quòd præcipuam imperandi partem arbitrarentur communis salutis procurationem: nullique sumptui, vt quàm diligentissimè componeretur, parcerent. Testatur Galenus, *lib. de antidotis, cap.* 2. Apportari sibi lectissima quæque ad theriacæ compositionem, quædam ex magna Syria, quædam è Palæstina, quædam ex Ægypto, nonnulla ex Cappadocia, ex Ponto alia, pleraque è Macedonia, nonnulla ex Hispania, Gallia, Mauritania. Quorum exemplum superiore tempore imitatus est Henricus Galliarum Rex, qui ad Fernelij petitionem litteras dedit ad Turcarum Imperatorem, vt herbarium Medicum mitteret, qui optima & lectissima medicamenta, Regis impensis, ad Mithridatij compositionem afferret. Imprimis verò, quòd sæpius Theriaca non satis efficax fuit, ea de causa ferè accidit, quòd viperini trochisci, qui basis sunt huius antidoti, vel non è veris viperis parantur, vel effœti,

corrupti

corrupti & viribus exhausti adhiberentur. Patrum certè memoriâ ad annos quingentos ita ignotatæ viperæ crederentur, vt à cæteris serpentibus non discerni possent, & aliud sæpe serpentis genus adhiberetur, vel etiam planè omitterentur, atque alia in earum locum, vt tormentilla, dictamnus substituerentur, vt refert Barthol. Marantha *de Theriaca, cap. 4.* donec tandem Nicolai Leoniceni, aliorúmque industriâ veræ viperæ in lucem reuocatæ sunt.

Cæterùm cùm Medicorum doctissimorum diligentiâ hodie effectum sit, vt genuina ad theriacam componendam simplicia omnia verè iam nota sint; effectus tamen nō planè respondeat, vnius adhuc & quidem præcipui medicamenti defectum caussam esse putant, cur eos effectûs nō edat hodie theriaca, ad quos à veteribus tantoperè commendata est, defectum scilicet Opobalsami, cuius vsui, vt Prosper Alpinus, *de Medicina Ægyptiorum*, refert, plus fidunt hodie etiam Ægyptij, quàm aliis auxiliis: Neque oleum destillatum caryophillorum, cinnamomi, nucis moschatæ, vel aliud, defectum eum supplere potest.

Non rarò etiā non tam remediorum vis imbecilla accusanda est, quàm non rectè vtentium imprudentia. Maximè enim in administrandis & vsurpandis hisce alexipharmacis peccatur. Non obseruatur tempus exhibendi, non modus, non numerus. Primò enim plerumque tardiùs Theriaca propinatur, & tum demum, vbi venenum iam altiùs in corpus illapsum radicem egit, principésque partes labefactauit. Deinde & in eo grauissimè peccatur, quòd cōtra expressū Galeni præceptum, nimis parcâ plerumque manu nec toties, quoties opus erat, exhibetur. In præseruatione quidē parciùs vsurpanda est: sed liberaliùs in curatione, vt docet Galen. 1. *de Antidotis*, c. 2. *Portio Antidoti*, inquit, *qua prius semel hausta, tutum à morte quempiam facilè præstitisset, eadem post venenum sumta, nonnisi quadrupla quintuplave, nec tū temporis semel modò, sed etiā bis térve, quoad videl. veneni vis fracta victaque omnino sit, diebus singulis hausta, quicquam iuuat.*

Et vt de caussis, & quibus viribus Theriaca nobiles istos effectus edat, porrò dicamus; dependent Theriacæ effectûs omnes à duplicibus viribus; aliis notis, manifestísque, quæ à caliditate & siccitate proueniunt; aliis occultis & peculiari proprietate veneno aduersis. De illa vi calefaciendi & siccandi, & quæ hanc sequuntur, vt notis, & cum aliis plurimis Theriacæ communibus, non opus multis verba facere: sed vnde illa vis venenis resistendi Theriacæ insit, inquirere operæpretium est, præcipuè cùm alij aliter de eo sentiant.

Vnde Theriaca vires oriantur.

Nonnulli ideò Theriacam omnibus venenis resistere autumant, quòd constet & componatur ex medicamentis calidis, frigidis, humidis, siccis. Verùm cùm verò cùm venena non calore, non frigore, non humiditate, non siccitate, sed occultâ & peculiari malignitate, vt alibi monstratum est, noceant, alexipharmaca non ex notis qualitatibus, sed occultis æstimanda sunt. Et quidem talia medicamenta multa, vt Opobalsamum præcipuè, scordium, dictamnus, gentiana, valeriana, & alia, Theriacæ vt & Mithridatio, insunt; sed cur Andromachus iis non contentus carnem viperarum seu trochiscos viperinos addiderit, indagare non inutile fuerit.

Cur caro viperarum Theriacæ admisceatur.

Barthol. Maranta, quem sequitur Thom. Iordanos, & alij, eo fine viperarū carnes admisceri docent, vt alexipharmaca ad venenum, quod expelli debet, quasi manu ducant. Cùm enim res per similitudinem, naturâ duce, coniungantur, & quasi naturali instinctu sese mutuò appetant, vt venenum, quod in corpus ingressum est, eiici possit, existimant, aliud venenum propinandō esse, quod illud appetat, atque ad aliud reddat, & ex inopinato veluti succenturiata & inuoluta secum rapiat illa venenum expugnantia medicamenta. Si verò alexiterium aliquod solū adhibeatur, metuunt, ne ad interiora venenum, vt contrarium suum fugiens, repellat; vnde priusquam vis eò perueniret antidoti, homo extingueretur. Verùm his assentiendum nō putamus: docéntque id tum alia, tum ij effectûs, quos etiā præseruando edit Theriaca, vbi adhuc nullum in corpore venenum præsens est. Nam si eo fine admiscetur caro viperarum, vt tanquā venenum reliqua medicamenta ad venenum simile ducat: locum saltem haberet in curatione Theriaca, vbi venenum iam præsens est in corpore, vbi verò veneni nihil adest in corpore, frustrà, & non rarò exhiberetur; atque præseruationis gratiâ, solùm alexipharmaca propinanda essent, tutiúsque esset in præseruando Mithridatium, quam Theriaca. Atque Carnem viperarum loco veneni non adhiberi, inde etiam patet, quòd Andromachus & alij, qui de Theriacæ compositione scripserunt, partes venenosas diligenter ac studiosè abscindere & remouere iubent.

Esse venenosam viperam quidem extra controuersiam est: non tamen omnes eius partes necessariò venenosæ sunt, quod in aliis animalibus videre est, in quorum plurimis venenum saltem in vna parte hæret, reliquis nihil veneni habentibus. Draconi marino spina in dorso planè venenosa est: reliqua tamē caro iucundissimum cibum exhibere fertur. Pastinaca marina in radio saltem venenum habet, non in toto corpore. Ita & in felis capite venenum esse creditur, non in reliqua carne. Habet suum pungentem, & venenatum aculeum apis; licèt totum illius corpus plenum sit & diffluat dulci illo & vtilissimo liquore, qui certissimum est ictûs, qui ab ea infertur, remedium. Ita & vipera non in toto corpore, sed in quibusdam saltem partibus venenum habet. Obseruatum est autē, venenum in viperis hærere præcipuè in capite, & in eo maximè in dētibus & gingiuis, tum etiam in vesicula fellis. Et qui maius studium in viperarum natura inuestiganda adhibuerunt, duplex viperis venenum inesse existimant: alterum fixum & firmiter à primo ortu dentibus inhærens, quod in mortuis quoque superest, adeò vt si quis ab emortuæ viperæ dentibus tangatur, periculosum id esse animaduersum sit, alterum spirituosum, quod in gingiuis tumentibus seu dentium vesiculis hæret, & ex vesicula fellis duobus meatibus ad eos deriuatur, quod, vbi ictu viperæ corpori immittitur; tanquam ignis per animantis corpus defertur, & celerrimè cor petit, atque hoc morte extinguit atque expirare existimant. Generari autem ex animalibus venenosis, quibus viperæ victitant. Cùm enim viperæ etiam rebus venenosis, scorpionibus terrestribus, vt docet Aristoteles, 6. *de historia animalium*, c. 29. & similibus viuant: statim feces venenosæ per aluum deiiciuntur, & si quid relinquitur veneni, id à cæteris membris ad vesiculam fellis, ad id constitutam amandatur, è qua ad gingiuas & dentes per peculiares meatus deducitur, vnde etiam vis illa venenosa in dentibus redditur potentior. In felle autem hærere venenum, inde coniicitur, quòd viperæ ictui illitum similitudine substantiæ venenum ad cor repens retrahit, & ad se trahit, non minus quàm ipsum caput viperæ impositum: Carnes autem nihil veneni in se continere, tum alij asserunt, tum experimento se didicisse testatur Baldus Angelus Abbatius. Cùm enim canibus & felibus fel obiecisset, celeriter interiisse: si verò cor; hepar vel carnes, nihil mali sensisse refert.

Viperarum carnis vis.

Non solùm autem non venenosas viperæ carnes esse, sed etiā ad expellenda venena comparatas, ex iis quæ dicentur, patebit. Gal. in *lib. 11. de simplic. medic. facultat.* & *lib. de subfiguratione Empirica, c. 12.* summam in viperis contra Elephantiasin, aliis remediis incurabilem, inesse remedium docet, idque historiis & exemplis insignibus probat. *Erat*, inquit, *in Asia in pago Elephātiasi vir laborans, cui, cum aliquos iam cōtagio inquinasset, in edito loco prope pagum tabernaculum habitandum pagani struxerant, Æstate circa canis ortum colonis vicinam metentibus segetem minister vini lagenam, quam attulerat, prope agri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi cùm ad pocula accessissent, ac quidam eorum vinum in craterem funderet, ecce, exanimata vipera simul elapsa bibituros consternauit. Ac ipsi quidem aquam potantes, vinum ægrotanti attulerunt, humaniter se acturos existimantes, si tantam viri calamitatem morte redimerent, quam ex eo veneni haustu planè futuram arbitrabantur. At ille nouo prorsúsque admirando euentu ab hoc ipso potu sanatus est. Excidit enim cutis tota dura & velut lapidosa, non secus ac si cancris locustísve, aut cæteris huiusmodi crustaceis animalibus testam, qua conteguntur, abstraxeris. Nec dissimile in Mysia Asia accidit. Vir erat prædiues Elephanticus: hic ancillam suam formosam deperibat; contrà illa fœdum hominem odio habebat. Accesserat ager, inde sibi promissa salutis spe, ad quosdam calidarū aquarum fontes, vbi multa viperarū vis ob loci squalorem erat. In vini igitur lagenam parum diligenter seruatam vipera irrepsit, quam cùm suffocatā deprehendisset ancilla, rata fore, vt odiosus herus eo veneno facilè interiret, cœnanti alacriter vinum istud obtulit: eueneruntq; omnia eadē, quæ pagano illi.* Hos casûs postea Galenus imitatus, Philosopho cuidam hoc morbo vehementer laboranti, vt idem remediū vsurparet, author fuit: qui & vinum ita medicatum bibens, ab Elephantiasi liberatus est. Alteri etiā suasit, vt viperarum carnes anguillarum modo coctas ederet: quod vbi fecisset, ægritudo discussa est. Tot igitur experimentis confirmatus Galenus, certam spem concepit sanandi Elephantiasim Theriacâ, sale viperino, & ipsâ viperarum, capitibus & caudis amputatis, carne. Quæ Galeni Elephanticos curandi ratio ab Oribasio, Aëtio, Æginetâ, aliísque Græcis & Latinis Medicis approbatur & confirmatur.

Est & hoc notatu dignum, quòd vinum corruptum à vipera viua in dolium coniecta & suffocata testatus affirmatur: factumque hoc esse Romæ in cella vinaria Cardinalis Vesini, multorum testimoniis & colloquiis se accepisse, refert Baldus Angelus Abbatius, *de vipera natura & facultatib. c. 11.*

Quâ vi viperarum carnes efficaces sint.

Verùm quâ vi viperarum carnes hos effectûs edant, nondum satis liquet. Si ea intueamur, quæ Gal. l. 11. *de simpl. medic. facultatib.* habet de carne viperarum, nihil occulti, sed solùm notas & manifestas qualitates ipsis tribuere videtur. Ita enim eo loci docet. *Caro viperarum exsiccat, vehementer digerit, mediocriter calefacit. Properat autem eius vis ad cutem, per eam videlicet, quæ in corpore sunt recrementa, exigens.* Author libri *de Theriaca ad Pisonem, c. 9.* vbi præcipuos de vi venenum expellendi sermo est, facultatem illam non definit, sed saltem viperarum carnem ἔμφυτον πρὸς σώζειν δύναμιν, & πρὸς τὸ βοηθεῖν ἰσχὺν habere scribit.

Sed si quis effectûs carnis viperinæ diligenter perpenderit, & in mētem sibi reuocauerit, quod a Paulo Æginetâ dictū est, cōtagiosū hunc morbū esse, nō minùs quàm ipsissimā pestem, & simul cōsiderauerit, ab aliis saltem qualitatibus primis agētibus nihil tale præstari posse: is facilè intelliget, nō saltem vi siccandi vel digerēdi, sed in primis alexiteriā præditas esse viperarum carnes, atque eâ ratione Theriacæ admisceri, nō vt venenum sint, sed vt tanquā præcipuum alexipharmacum, venenū oppugnent atque expugnent; atque animaduertet, simúlque mirabitur, & in viperis verò esse, quod *Ecclesiast. c. 33.* scriptum est: *Intuere opera Altissimi, & bina quæque videbis, quorum alterum repugnat alteri.*

Itaque & hîc meritò recurrimus ad salutare illud ignorantiæ asylū, vt appellatur à Iulio Cęsare Scaligero, occultas qualitates.

De theriaca Mithridatis.

Commendatur & illa Antidotus, quæ Regi Mithridati ascribitur; de qua Plinius *lib. 23. c. 8. ap.* ita scribit. *In sanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti Pompeius inuenit peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti è duobus nucibus siccis, & ficis totidem, & rutæ foliis 20. simul tritis, addito salis grano. Et qui hoc ieiunus sumat, nullum venenum nociturum illo die.* Istam tamē cōpositionem Recētiores postea, variis additis medicamētis, nō parùm mutārunt, vt ex formulis, quæ passim extant, videre est.

Extat & Theriaca Diatessaron, item sales quidam theriacales, in hoc morbo præseruando & curando vtiles, apud Galenum, *de theriaca ad Pisonem.*

Et si quis plures antiquis vsitatas antidotos cognoscere cupis, legat duos Galeni Libros *de antidotis*, in primis verò secundum Librum, in quo maximè celebria antiquorum alexipharmaca à Galeno describuntur.

Recentiores plurima addiderunt, suntque celebria: *Electuarium de croco, siue de ouo dictū, Diascordium Fracastorij, Puluis Saxonicus, Antidotus Guidonis de Cauliaco, Puluis Cæsaris rubeus, & gryseus, Electuarium Camphoratum Kegleri:* atque alia plurima, quæ passim describuntur, in primis à Langio, *lib. 3. epist. medic. Epistolâ* 1. Horat. Angenio, *l. 3. de peste, c.* 15. Petro Sibylleno, *de peste*, Andræa Gallo, *de peste, fasciculo* 5. Cratone, *in Consil. de pestil.* Platero, *parte secundâ praxeos, in curat. feb. pestil.* & passim aliis Authoribus pluribus. Rari enim sunt, qui vt & ipsi non minùs quàm antiqui sapere videantur, non aliquid noui medicamenti hic cōponant, cùm præstaret sæpe, bene inuentis ac probatis vti, quàm noua componere. Vt omnino maioris industriæ sit, è talibus selectiora aliqua eligere, quàm multa colligere.

Vnum tamen atque alterum medicamentum addere licet. Et primò quidem Theriacam Germanorum Iacobi Theodori Tabernæ montani, cuius vires Theriacæ Andromachi non inferiores sibi compertas esse testatur.

℞. *Glandium quercus, gentiana*, an. ℔ ß. *rad. ireos, helenij, rad. angelica, pimpinella*, an. ℥. iv. *leuistici, eringy. vincetoxici, plantag. tormentill.* an. ℥. iii. *imperator. sem. anisi, fœnic.* an. ℥. ii. *radic. chelidonia, saluia Romana, rad. petasita, farfara, calami aromat*, an. ℥. i. ß. *aristoloch, dictamni albi, rubia tinctor. pentaphylli, cortic. aurantior.* an. ℥. i. *cardui benedicti, centaurij minor.* an. M. iv. *summit. pastinaca syluestris, verbena, chamapyt. hyperici, scabiosa, succisa*, an. M. iii. *alsines, agrimonia, origani, pulegij, serpilli fol. lauri, lingua ceruina, saluia*, an. M. ii. Coq. omnia in aquæ s. q. s. a. Colentur cum forti expressione in torculari, Remanentiis affundantur aii. mensuræ vini, atque iterum coquantur & colentur. Colat. misceantur. Postea.

℞. *Baccar. iuniperi vl.* ℔. xx. *Sambuci* ℔. iii. His affunde decoctum colatum, & coquantur ad consumtionem medietatis: postea per setaceum transiiatus. Huic adde *succi cortic. iugland, virid. ruta*, an. ℔. iv. *brassica, absinthij, acetosa, borrag.* an. ℔. ii. *rad. valeriana; betonica, inurioris germinis Raparum*, (dasa hertz) *marrubij, sonchi, buglossi, veronica, matricaria*, an. ℔. i. *Sapa & mellis despumati*, an ℔. iv. Coq. in formam Opiatæ.

Quâ ratione vulgarem theriacam in nobiliorem formam redigi posse putet Quercetanus, videatur in eius *Pharmacopæa restitutâ lib.* 1. *c.* 25.

Nonnulli hoc medicamentum valde commendant.

℞. *Spirit. vini optimi*, mensur. 1. *theriaca opt.* ℥. vi. *Myrrha el.* ℥. ii. *rad. Petasita*, ℥. iii. *Spermat. ceti, terra sigillat. hirundinaria*, an. ℥. i. *dictamni albi, pimpinella, valeriana*, an. ℥. ii. *Camphora*, ʒ. i. Concisa & contusa misceantur, de qua mistura, si interdum ℥. i. in vino sumatur, magnam vim à peste præseruandi habet.

Ægyptij, vt Prosp. Albinus, *lib. 4. de medic. Ægypt. c.* 15. refert, plurimùm in huius Electuarij vsu confidunt, quod componunt.

Ex *terra sigillata* ʒ. ii. *sem. citri, acetosa*, an. ʒ. i. ß. *boli Armeni, aristolochia rotunda, scordij, zedoaria, dictamni cretici*, an. ʒ. i. *theriaca antiq. cornu cerui vsti*, an. ʒ. i. ß. *margaritar. smaragdi, hyacinthi, camphora, croci*, an. ℈. ii. *santalor. omn. corallor. rub. albor. serici vsti*, an. ʒ. ß. Quæ omnia in puluerem redacta, cum syrupo acetosit. citri miscent: Cuius dosis est ab ℥. ß. ad ℥. i.

Opobalsami vus.

In primis verò apud Turcas atque Ægyptios nobiles, Opobalsami vsus est frequentissimus, & vt à pestis contagio sese defendant, plus huius liquoris vsui fidunt, quàm aliis auxiliis: enim succus iste aduersùs omnem humorum putredinem præstet, vt etiam eo inuncta cadauera diu imputria seruet, hominis calorem naturalem foueat & augeat, membra præcipua roboret; atque citissimè totum corpus penetret. Exhibent autem cum aq. è succo aut floribus citri destillata, vel vino albo, aut iurepulli. Aut quod valde celebre apud eos secretum in peste habetur, opobalsami vnciis duabus miscent myrrhæ, carpobalsami, ligni aloës, terræ sigillatæ, boli Armeni, margaritarum, lapidis bezoar, croci, an. ʒ. i. sumúntque huius compositi singulis diebus manè drachmam vnam.

Electuarium cardiacum satis operosum videri potest apud Libauium, *in Alchymia pharmaceutica, p.* 212. Est & hoc efficax.

℞. *Rad. tormentilla* ʒ. i. *zedoaria, scordij, cardui bened. acetosa*, an. ʒ. ß. *sem. citri, acetosa*, an. ℈. i. *C. C. vsti prapar.* ʒ ß. *terra sigill. Siles. oculor. cancr. prapar. boli Armeni veri, oss. de corde cerui*, an. ℈. i. F. Puluis.

Vel ℞. *Rad. angelica, valeriana, vincetoxici, tormentilla, helenij, ol. enulej, zedoaria*, an. ʒ. i. *dictamni Cretici, terra sigillata sil. C. C.* an. ʒ. ß. Puluerisentur subtilissimè & incorporentur, cum *rob. sambuci, iuniperi, nucum mellis despumati*, an. s. q. addendo sub finem: *conserua acetosa, cardui bened. scordij, rosarum*, an. ℥. ß. *ol. è baccis iuniperi* ʒ. ß. *balsami sulphur.* ℈. ß. *myrrha*, ʒ. i. Misce. F. Electuar.

Balsami sulphur.

Qua ratione ex balsamo sulphuris rotulæ ad pestem præcauendam vtiles parari possint, dictum est in *Institutionibus*. Quæ efficaciores reddi possunt, si iis extractum helenij vel angelicæ, aut vtrunque addatur, & saccharum in aqua rosarum optima soluatur. V. g.

℞. *Extr. angelica, helenij*, an. ʒ. i. *balsami sulphur.* ℈. ß. *sacch. albi in aq. scabiosa & Rosar. diss.* ℥. vi. F. Rotulæ.

Ioh. Bapt. Gemma *de rat. cur. bubonu & carbunculi pestil.* hanc cōpositionem pro sūmo secreto à Rege Hispaniæ haberi scribit.

℞. *Myrrha el. mastiches, boli Armeni, terra sigill. ligni aloes, caryophill. macis, croci*, part. æq. F. Puluis, de quo singulis diebus manè ʒ. ß. vel q. s. sumatur.

Crato eundem ita describit:

℞. *Myrrha, ligni aloes, terra sigill. boli Armeni*, an. ℥. ß. *macis aceto prapar. croci*, an. ʒ. ii. F. Puluis.

Commendatur etiam maximè Puluis cordialis Banisteri pretiosus, & ad pestem, febres pestilentes, & malignas vtilis.

℞. *Succin. albi prapar.* ʒ. ii. *terra lemnia vera* ℥. i. ß. C. C. ℥. ß. *rasura eboris*, ʒ. v. *corall. alb. prapar. margar. prapar. lap. Bezoar. santal. citrin. semin. citri* an. ℥. ß. *cornu Vnicorn.* ʒ. i. ß. *cortic. citri* ʒ. iii. *ambr. grys.* ℈. i. *fol. aur. & argent.* an. ℈. ß. *moschi* gr. viii. F. Puluis subtiliss. Dosis ℈. v. vel x.

Vt & alius Rubeus Alexiterius, cuius descriptionem vide apud Libauium, *Tom. I. Syntagm. p.* 169.

Henrici Stapedij, qui ob dexteritatem in curanda peste celebris est, medicamenta aliquot circumferuntur.

℞. *Sulph. opt. vel flor. sulph.* ℥. ii. *camphora* ʒ. i. ß. *Spirit. terebinth.* ℥. iv. In cucurbita vitrea liquescant, & f. Mistura.

Efficacius fit medicamentum, si post digestionem in retorta vitrea eliciatur oleum, cuius gutt. ii. vel *iv.* cum vino vel liquore aliquo propinari possunt.

℞. *Balsami huius* ℥. ii. *Theriaca* ʒ. ii. *croci* ʒ. i. M. & digerantur per dies 14. quo vngantur arteriæ in carpis & temporibus, & loca sub axillis.

Commendatur & hæc eius aqua:

℞. *Theriac. mithridatij* an. ℥. vi. *puli. Electuarij de bolo Iouberti, Bezoartici apud Nicolaum* an. ʒ. ii. *spirit. vin. opt. vini maluatici, aceti rosacei* an. ℔. i. *succi radic. pimpinella, limonum* an. ℥. vi. Destillentur in B. Liquori qui destillauit, iterum admisceantur theriacæ ʒ. vi. ad vsum seruentur.

Pro pauperibus idem hoc vsurpauit.

℞. *Granor. iuniperi* ℥. vi. *caricar. pingu.* num. xii. *nucl. nucum iugland.* ℥. viii. *conseru. fl. borrag. buglos.* an. ℥. iv. *theriac. mithridat.* an. ℥. ii. *radic. tormentil. gentiana, pimpinell. angelica, zedoaria* an. ℥. i. Cum *Syr. de limonibus*. F. Electuarium: Item:

℞. *Conditi, vel electuarij huius* ℔. vi. *spiritus vini rectificati, vini maluatici, aceti, rosacei, succi radic. pimpin. limonum* an. ℔. i. Destillentur in B. destillato liquori adde Theriacæ ℥. iv.

Est & efficax Elixir pestilentiale à Crollio descriptum.

Nonnulli sequens miris modis commendant:

℞. *Boli Armeni, terra sigillata, sigilli Salomonis, rad. helenij, tormentilla, pimpinella, angelica, imperatoria, sem. eruca* an. ℥. ß. *caryophyll. cinnamom. ligni aloes* an. ʒ. i. *santali rubri* ℈. i. *Theriac. opt.* ℥. i. Affundatur Spiritûs vini mens. i. Huius mixturæ si manè guttæ aliquot sumantur, 24. horis hominem à peste præseruare ea prædicatur: infecto verò cochlear. *i*, ad sudorem ciendum propinandum.

Vel ℞. *Theriaca* ʒ. i. *Mithridatij radic. tormentill. fol. dictamni Cretici, scordij* an. ʒ. ß. *rad. dictamn. alb.* ℈. ii. *boli Armeni, terra sigill.* an. ʒ. i. C. C. *vst. ramentor. Vnicornu* an. ʒ. ß. *sem. acet. citri, sancti* an. ℈. i. *camphora* ʒ. ß. Puluerisanda puluerisentur, & cum syrup. acetosit. citri f. Elect.

Ferdinandi Imp. Electuarium contra pestem hoc celebratur.

℞. *Boli Armeni* Vnc. ß. *rasura* C. C. *sem. citr. aurantior.* an. ʒ. i. *dictamn. alb. cinnam.* an. ʒ. i. ß. *rad. angelica, tormentill. scabiosa. gentiana, aristoloch. spec. Elect. de gemmis. margarit. prap. ras. eboris, camphor. oss. de* C. C. *corallor. prap. vncis mosch.* an. ʒ. ß. *santalor. omnium* ʒ. ii. *cort. citr. condit.* ʒ. ß. Cum *Syr. acet. citri*, F. Elect. Crebra etiam fit mentio apud Authores Electuarij camphorati Kegleri, quod ita paratur.

℞. *Rad. tormentill. dictam. alb. nuc. vomic.* an. ʒ. i. C. C. *prap.* ʒ. ii. *camphor. sacch. cond.* an. Vnc. ß. *zingib. albiss.* Vnc. i. *theriac. Androm.* Vnc. ii. Misc. pro Electuario.

Alij sic parant: ℞. *Rad. tormentill. dictam. nuc. vomic. oss. de* C. C. C. C. *prap. zedoar. boleti ceru.* an. ʒ. ii. *camphor. aq. vit. destill.* Vnc. ß. *sacch. cand.* Vnc. i. *zing.* Vnc. ii. *theriac. Androm.* Vnc. 7. *syr. acet. citr.* parum. F. s. a. Elect.

Antidotus hæc quoque à Recentioribus laudatur.

℞. *Theriaca* ℔. i. Extrahatur aquâ bezoarticâ, vel spiritu iuniperi tinctura. Feces calcinentur, & cum aqua cardui bened. sal extrahatur, liquorique qui essentiam Theriacæ attraxit, misceatur. Hinc liquor per balneum destilletur, vt in fundo essentia seu extractum theriacæ maneat, Syrupi consistentiâ Liquor, qui extillauit, est aqua bezoartica satis efficax. Extracto adde *essentia corallorum, perlar.* an. ʒ. ii. *lapid. bezoar. veri, vnicornu veri*, an. ʒ. i. ß. *ambra, essentia è trochiscis vipera, myrrha*,

an.

Digitized by Google

an. ʒ.i. super igne lentissimo misceantur. Vltimò addantur *Olei citri* gutt.vi. *camphor.* gutt.ii. Misce.

De hac antidoto, præseruandi gratiâ, particula pisi magnitudine datur. In curatione ʒ.ß. cum aqua aliqua bezoartica.

Casp. Bauhinus, *in fine lib. de lapide bezoar*, antidotum bezoardicam describit ex Francisco Pona, Medico Veronensi, diuturnis cogitationibus ab eo concinnatam, & experimentis euidentibus comprobatam, & quâ nulli locus ad præstantiorem excogitandum relictus sit. Quæ ad ʒ.i. (quæ est summa dosis.) contra omnia venena efficacissima sit, scrupuli verò vnius pondere confectio quôque die sumta, aduersùs omnia venena tueatur.

Descriptio autem eius hæc est.

℞ *Lap. bezoar. Orient. legitim. Pauonij siue Taos, Malacensis ex felle histricis, vnicornu legitimi*, an. ʒ.ß. *margar. Orient. prap.* ʒ.v. Et hæ multiplicentur, deficiente Taos, & lapide Malacensi, pondere eorum, *fol. aur.* N°. L. *terra sigill. legit. boli Arm. lutei Orient. corall. rub. prap. smaragdi prap.* an. ʒ.i. *rad. scorzon. Hispan.* ʒ.vi. *tormentill. munda recentis, anthora, bistorta, pentaphyll. contrahierua, angelica, pimpinella, eryngij*, an. ʒ.iii. *cortic. citr. manur. flor. citr. nondum exsolutor. in vmbra siccator. sem. citr. recent. prap.* an. ʒ.ii.ß. *baccar. lauri, iuniperi*, an. ʒ. iii. *ruta, cardui bened. dictamn. Cretic. calaminth. montan. scordij veri Cretens.* an. ʒ.ß. *agalloch. legitimi, zedoaria, galang. minoris, cinnam. lecti, caryophyll. select. croci opt.* an. ℈.ii. *sem. ocym. caryophyll. amomi veri, ruta*, an. ʒ.ii. *hyperic. althea*, an. ʒ.iii. *opobalsami legitimi, theriaca Andromachi, mithridatij, elect. alkerm. de hyacint.* an. ℥.ß. *mellis Attici despumati* ℔.ii. ℥.iii. Misce. F. Elect. s.a.

Sunt alij, qui non minùs pretiosas & operosas compositiones adornant, & quisque suam prædicat. Materia illorum sunt: Extracta ferè ex omnibus vegetabilibus pesti aduersantibus: Olea eorundem destillata; Solutiones ac magisteria margaritarum, gemmarum & corallorum; atque alia tam è mineralibus, quàm animalibus, petita. Exempli gratiâ.

℞. *Extracti angelica, valeriana, helenij, granor. iuniperi, zedoaria, tormentilla*, an. ʒ.i. *croci* ℈.ß. *lactis sulphuris* ℈.i. *ossis de corde cerui* ʒ.ß. *solution. perlar. corallor. lapidis bezoar, salis ruta, absinthij*, an. ℈.i. *ol. destill. citri* ℈.ß. *confect. alkermes* ʒ.i. *conseru. rosar. buglossi, tunicis*, an. ℥.i. Cum *syr. acet. citr. vel tunicis*, q. s. admiscendum: de quo singulis diebus sumatur portio, quæ ij. pisa magnitudine æquet. Minùs operosa & pretiosa ex vno atque altero extracto parantur: vt

℞. *Extr. cardui bened. scord. olsenichij*, an. ʒ.ß. *ol. destill. angelica* ℈.ß. *sacchar. in aq. scordij dissol.* q.s. F rotulæ.

Alij, non sine causâ, aceto extracta parant. Vt:

℞. *Rad. angelica, valeriana, olsenichij, zedoaria, scorzonera, tormentilla*, an. ℥.i. *fol. scordij, cardui bened. dictamni, veronica, ruta*, an. ℥.ß. *cortic. citri, baccar. iuniperi*, an. Vnc. i. *sem. citri* ℥.ß. Affunde *aceti destill.* q.s. F. Extractum. Cui adde *ol. destill. citr.* ℈.ß. *salis fraxin. absinth.* an. ʒ.i. Dosis à ʒ.ß. ad ʒ.i.

Infantibus commoda medicamenta. Cùm verò infantibus vehementer siccantia, vt & theriacam ac Mithridatium exhibere non liceat, iis conueniunt pulueres ex radicibus tormentillæ, C.C. margaritis, ac similibus. Vt:

℞. C.C. *vsti, crudi, boli Armeni*, an. ℥.ß. *terra sigill.* ʒ.ii. *corall. rub. prap. margarit. prap.* an. ʒ.i. *spec. liberant. s. aloe.* ʒ.ß. Cum *sacch.* F. puluis, vel rotulæ. Vel tales rotulæ pueris parari possunt:

℞. *Sem. sancti* ℥.ii. *cortic. citri, rad. tormentill.* an. ʒ.ß. *boli Armeni, terra sigill.* an. ʒ.i. *corall. rubr. prap. oss. de C.C.* an. ʒ.ß. *sacch. in aq. scabiosa vel card. bened. dissol.* q.s. F. Rotulæ.

Grauidis vtilia medicamenta. Pro grauidis, quæ & ipsæ fortia medicamenta non ferunt, tale parari potest.

℞. *Rasura eboris*, ℥.ß. *corall. rubr. prapar. margar. prap.* an. ʒ.ii. C.C. *vsti prap. spec. diamarg. cal. confect. cordial. temp.* an. ʒ.ß. *zedoaria, nucis mosch.* an. ʒ.i. F. Puluis, vel cum sacch. rosar. tabulæ.

Vel ℞. *Conseru. borrag. buglos. ros.* an. ℥.i. *cort. citri condit.* ℥.ß. *spec. diamarg. frig.* ʒ.ß. *cordial. temperat.* ℈.i. *fragm. lapid. pretios.* an. ℈.ß. *boli Armeni, zedoaria, tormentill.* an. ʒ.ß. *croci* ℈.i. Cum *syr. de cort. citr. s. moscho, & syr. de acetositate citri.* F. Electuarium.

Vel ℞. *Aq. cydoniar. recens destillat.* ℔.i. ß. in qua bulliant vase clauso *radic. tormentill.* ʒ.iiii. in colatura dissolu. *conserua flor. tunicis*, ℥.ii. *rosar.* ℥.i. Iterum coletur. Adde *syr. de cortic. citr. acetos. citri.* an. ℥.i.ß. F. potio clara.

De vsu calidorum medicamentorum contra pestem admonitio. Verùm cùm talia passim extent plurima, in his immorandum non est. Duo saltem adhuc monenda censemus. Primò, licèt, vt antea quoque dictum, medicamenta præseruantia in qualitate, quâ pestilenti veneno resistunt, conueniant: In primis tamen qualitatibus, quæ occultis illis coniunguntur, non paruam esse discrepantiam; ideóque temporis & ætatis in iis eligendis habendam esse rationem. Experientia enim docuit, eos, qui tempore æstiuo & calido, grassante peste, nimis calidis medicamentis, imprimis ipsi calidioris naturæ, frequentiùs vsi sunt, in autumno in graues tertianas & quartanas febres, aliósque periculosos morbos incidisse. Quapropter vsus calidorum eiusmodi medicamentorum moderatus sit. Et temperata medicamenta omnibus naturis & temperiebus magis accommoda sunt. Et quorum numero hoc esse potest.

℞. C.C. *vsti prapar.* ʒ.i. *oss. de C.C. rasura eboris*, an. ʒ.ß. *terra sigil.* ʒ. i. *vnicornu, margarit. prapar.* an. ʒ.ß. *fragm. hyacinth. smaragdi, rubini prapar. oculorum* [symbol] an. ℈. i. *lapid. bezoar.* ℈.ß. *sem. citri, acetosa, rad. dictamni*, an. ʒ.i. *santalor. omnium*, an. ℈.i. *sem. ocymi* ʒ.ß. *macis in aceto macerati & exsiccati*, ʒ.i. F. Puluis.

Et cùm calida omnia, nonnullis, quòd spiritus inflamment, atque incendant, atque hoc modo cum febre pestilenti consentiant, suspecta sint, radices omnes ferè calidas, vt angelicæ, valerianæ, zedoariæ, Imperatoriæ, leuistici, aceto priùs præparant; vel in aceto radices angelicæ, leuistici, zedoariæ, rutam, saluiam atque alia macerant, & manè cochlear. i. tutiùs, quam aquam theriacalem exhibent.

Vel ℞. *Theriaca* ℔. i. Extrahatur cum aceto destill. postea destillando, acetum separetur: *extracti* ʒ.i. adde *oculorum* [symbol] *vnicornu, lapis bezoar*, an. ℈.ß. Misce.

De hac mixtura sumendum instar grani tritici manè & vesperi, cùm cubitum itur, & superbibendum cochlear aceti bezoartici.

Eodem modo ex speciebus liberantis, & aliis quibuscunque speciebus ac pulueribus, in quibus vis calefaciendi suspecta est, cum aceto Extracta parari possunt, & cùm de extracto, tum de aceto præseruationis gratia aliquid sumi.

Atque hac ipsa de causa commendatur Spir. vitriol. qui aliis Aduancez. quoque calidioribus medicamentis commodè admiscetur: vt

℞. *Olei macis, nucis mosch. destill. spiritus terebinth. balsam. Orientalis*, an. ℈. ß. *spiritus vitriol.* ℈.ii. Misce, de quo gutt. i. vel gutt. ii. cum *syrupo granatorum, vel acet. Citri* exhibentur. Et extracta reliqua vtiliter cum aceto præparantur, atque omnia calida acidis corriguntur.

Deinde in morbo tam periculoso nouis & inexpertis nimiùm fidamus, sed efficacissima & vsu longo probata vsurpemus, monent nonnulli, & hoc, vni alexipharmaco perpetuò inhærendum non esse, sed mutanda interdum alexipharmaca, ne natura vni assuescas, id immutet atque ita parum ab eo auxilij percipere possit; & vt (cùm pestilentiæ grassantis definita natura lateat,) si plura vsurpentur, ab iis, quod ab vno non potest, sperari possit.

Atque hæc de præseruatione sufficiant. Illud saltem addemus, cùm ea felix habeatur ciuitas, quæ tempore pacis, ea quæ belli, sunt, cogitat: quisque dũ sanus est, ita & animæ & corpori prospiciat, vt fortè grauissimo hoc morbo corripiatur, animam, & si Deo placuerit, ipsum etiam corpus ab omni periculo seruare possit. Itaque primò à Deo peccatorũ remissionem petet, vitam emẽdabit, & pretiosum illud, vt Ignatius, *in Epistola ad Ephesios*, elegantes nominat, *φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον* sibi comparabit; deinde, vt necessaria ad pestilentis huius morbi curationem remedia semper in promptu habeat operam dabit.

CAPVT VI.

De Curatione Pestilentiæ.

CVrationem quod attinet, de ea quoque sunt dissentientes Medicorum opiniones. Nam quidam Alexipharmacis vel solum, vel maximè confidunt: Alij præterea, vt in aliis febribus, venæ sectione & purgatione opus esse censent. Cùm verò, vtra opinio verior sit, scire summopere vtile sit, & leue aliquod erratum commissum in peste curanda, irreuocabile damnum pariat, diligenter de ea re disquirendum.

Venæsectio. Vt autẽ id rectè fiat, Indicationes in conspectu habere oportet. Pestis autẽ per se & quatenus occultus morbus, venenatæ ac malignæ qualitatis ac dispositionis per contrariam qualitatem, alterationem ac destructionem: causæ verò internæ, veneni per inspirationem aut cõtactum hausti, tũ huius vi generatarum pestilentium *ἀποκρίσεων* eradicationem, & seu per *διαφόρησιν*, seu per sudorem discussionem, indicant. Atque hinc patet, pestem per se, neque venæsectionem, neque purgationem indicare: aliis tamen de causis, aliásque ob circumstantias, quandoque admitti possunt.

Et primò quantum ad venæsectionem, testantur plerique doctissimi Medici, qui & ipsi in hac re obseruanda diligentiam adhibuerunt, & quid olij obseruauerint, fideliter inquisiuerunt, plures, quibus vena non aperta est, quàm quibus secta fuit, euasisse; ideóque censent, minùs peccari in peste curanda, si venæsectio omittatur, quàm si incautè adhibeatur: tutiorémque esse in venæsectione adhibenda timiditatem, quàm audaciam.

Ambros. Paræus, *de peste, cap.* 24. refert, anno 1565. cùm pestis per totam Galliam ferè grassaretur, se ex omnibus vrbium, per quas Regi Carolo IX. Bayonem iter erat, Medicis & Chirurgis diligenter & studiosè sciscitatum esse, quid ægris successisset in purgatione & phlebotomia: atque omnes vnâ voce respondisse, obseruasse se sedulò, omnes peste correptos; quibus liberaliter sanguis detractus fuerat, & corpus valde purgatum, deteriùs inde habuisse, tandémque interiisse: reliquos, quibus solis alexiteriis prouisum esset, ferè cunctos euasisse. Idem testatur Cornelius Gemma, Fallopius, Conradus Gesnerus, Ioh. Bauhinus. Fatetur & ingenuè Roder. Fonseca *de sanit. tuend. cap.* 27.

ex multis, quos maligna febre in hospitali curauerat, plures mortuos fuisse quibus sanguis secta vena missus fuerat; pauciores, in quibus abstinuerat. Et P. Forestus refert, in peste Delphensi, quæ anno 1559. grassata est, eos, quibus post duodecim horas vel diem naturalem vena aperta fuisset, mortuos esse; vel admodum paucos ex iis euasisse. Neque aliter fieri potest: Nam si naturam pestilentiæ consideremus, & contra naturam venæsectionis, & cuius gratia adhibeatur, perpendamus: liquidò constabit, pestilenti veneno nō opponi venæsectionem, neque per venæsectionem illud educi posse: imò facilè fieri potest, vt vires, quæ aliàs in hoc morbo valdè periclitantur, intempestiuâ venæsectione labefactentur, naturæque motus in expellendo veneno impediatur, illúdque introrsum rapiatur.

Etsi enim Lud. Septalius, *in animaduers. medic. lib. 5. num. 36.* scribit, in peste illa insigni, quæ Mediolani anno 1576 grassata est, se cum aliis Medicis primò quidem venæsectionem auersatum fuisse, verùm cùm ex sententia curationes non succederent, mutatâ sententiâ, aliorum exemplis & felicioribus successibus excitatum, venæsectionem postea feliciter adhibuisse, tamen id ad omnem pestilentem constitutionem trahi non potest. Addit enim ipse, *ibid.* Septalius, quòd pestis ea non ex vniuersali aëris corruptione orta fuerit, sed Contagione communicata, salubri alioqui cœlo & anni constitutione saluberrimâ, & rerum omnium, quæ ad victum faciunt, maximâ abundantiâ, & quod corpora Mediolanensium alioqui succi plena sint. Itaque ipse concedit, venam non esse secandam, si pestis sit ab vniuersali aëris corruptione, vel victu prauo.

Quapropter non in qualibet pestilenti constitutione, nec in quolibet corpore sanguis mittendus, sed si ea deprehendatur in corpore aliquo sanguinis copia, vt metuendum sit, ne putrida febris vehemens, à qua æger non minùs, quam ob ipsam pestem periclitari possit, accedat; aut sanguinis ad loca inconuenientia impetus animaduertatur, vnde pestis curatio impediri aut retardari possit, aut quod Fallopius addit, si bubo delituerit, virésque potiùs sint copia oppressæ, quàm dissipatæ: tum demum sanguinis missionem instituere licet; tantam tamen quantam vires ferunt. Et quidem mox in principio instituenda est venæsectio, intra 12. horarum, aut non multò plurium spatium: quibus elapsis, venæsectio ampliùs non conuenit.

In vena autem aperienda obseruandum, an dolor aliquis alicubi in corpore appareat, nécne. Nam si nullus vllibi dolor animaduertatur, vena aliqua in brachio communis aperiatur. Si verò dolor alicubi deprehendatur, (vbi Bubo vel Carbunculus sit erupturus) in eo latere vena aperienda, & quidem ea, quæ naturæ motum adiuuet, non impediat. Ideóque si parotis post aures, vel bubo sub axillis, aut carbunculus in partibus superioribus erumpat, in brachio eiusdem lateris vena aperienda. Si autē circa inguina naturam aliquam expulsionem moliri animaduertamus, Saphænam, vel aliam pedis venam eiusdem lateris aperire commodum est. Si tamen carbunculus in alterutro crure oriatur, cùm is inflammationem & dolorem vehementissimum, quo vires deiiciuntur, excitare soleat, commodum est, in opposito crure venam aperire. Neque enim hoc modo materiæ motus impeditur, sed ita etiam à partibus superioribus materia versùs inferiora trahitur; simul verò nimius ad locum affectum affluxus, & inflammationis augmentum prohibetur. Monent etiam quidam, si carbunculus vel bubo appareat, antequam venæsectio instituatur, priùs cucurbitulam tumori applicandam esse, ne venenum, quod natura ad exteriora expulit, venæsectione ad interiora reuocetur.

Purgatio. De purgatione in peste curanda non minor est controuersia. Verùm ne prolixè hac de re disputemus: hoc primò tenendum, Nullo purgante medicamento, vt Cratonis verbis & sententiâ vtar, seminarium pestis eiici; nisi forcasse magna naturæ commotione facta, quod fit satis periculosè, cum Antimonio & similibus, quorum vsu natura irritata cum noxiis quoque vtilia eiicit. Nimirum licèt fieri possit, vt natura fortioribus medicamentis, præcipuè ex ♁ & ☿ paratis, irritata, humores vitiosos è corpore expellat, atque vnà, quod eos occupauit, pestilens venenum eiiciat, indéque ægri sanentur: hoc tamen ex accidente fit, in naturis quibusdam fortioribus. Ipsum verò purgans medicamentum primariò pestilenti veneno non opponitur: imò sæpe talia purgantia plurimùm nocent. Nam cùm Natura plerumque venenum pestilens ad ambitum corporis expellat, purgatione hic motus materiæ impeditur, venenúmque pestilens ad interiora retrahitur, humoribúsque magis permiscetur. Ideò & humorum motu concitato, periculosæ, imò lethales vomitiones & diarrhϾ excitantur. Quapropter in primis in Alexipharmacis, non in purgatione, salutis spes, post Deum, in peste collocanda: quæ si rectè adhibeantur, purgantibus sæpe opus non est. Interdum tamen etiam post alexipharmaca, purgantia vsurpanda.

Duo enim hic perpendenda. 1. Diligenter corporis constitutio, quod peste corripitur, consideranda; & quomodo post Alexipharmacum sumtum sese æger habeat, qualisque febris pesti accedit, attendendum. Nam si corpus purum sit, nec de febre aliqua putrida periculosa metus, sola Alexipharmaca sufficiunt, atque vnicè danda opera, vt per sudores pestilens venenum discutiatur, & per ambitum corporis, quæ via est commodissima, eiiciatur: sicut sæpe compertum est, homines à peste vnico sudore largiore liberatos fuisse. Si verò corpus Cacochymicum sit, & metuendum idem ferè periculum ex febre putrida atque à peste: post sumtum Alexipharmacum, medicamentum purgans exhibere inutile non est, vt pars aliqua materiæ putredinem concepturæ, febrémque aucturæ subtrahatur, vt natura reliquum faciliùs vincere possit.

Deinde & illud considerandum; An pestis quæ grassatur, magis ab aëris vitio aut contagio ortum habeat, An verò potiùs ab interno humorum vitiò dependeat; vt fit post annonæ caritatem. Nam si ab aëris, qui inspiratione attrahitur, aut contagij venenositate, spiritûs vitales inficiente, pestis ortum habeat, purgatione opus non est, sed alexipharmaca sufficiunt: nisi forsan pestis in corpus valde cacochymicum incidat: tum enim interdum Purgatio non inutilis est, licèt non pestis, sed febris tantùm putridæ subsecuturæ ratione.

Si verò, quod interdum fit, ab interna humorum corruptione Pestilentia maximam partem ortum habeat: purgationem instituere non solùm vtile, sed & necessarium est. Nam si corpora prauis & corruptis humoribus scateant, purgatio instituenda est, ne illi aliorum medicamentorum vsu inflammentur, aut ab humoribus corruptis venenum fortius euadat, ac sese latiùs disseminet, aut humores illi copiosi agitati in nobilem aliquam partem irruant, & inflammationem lethalem, pleuritidem, phrenitidem, anginam, vel aliud periculum creent, & omnino ne febris putrida periculosa accendatur. Vnde, si purgatio omittitur, licèt pestilentis veneni vires per Alexipharmaca fractæ sint, malum non rarò in alium, non minùs periculosum morbum degenerat.

Qui verò solùm purgantibus initio exhibitis venenum pestilens è corpore tollere conantur, frustra laborant, imò ægrum in vitæ discrimen coniiciunt. De qua re pluribus dictum in *Institut. lib. 5. part. 2. sect. 1. c. 6.* Quia tamen Lud. Septalius, *animadu. medic. lib. 5. n. 46. & seqq.* acriter defendit, in pestis curatione à purgatione inchoandum, à sudoriferis verò omnino abstinendum esse; eius opinionem adhuc examinare libet. Vtitur autem mox in principio distinctione Septalius, & si pestis per contagium vagetur, ac hominibus optimè sanis communicetur, à purgantibus abstinendum censet; cùm si exhibeantur, carnes colliquent, bonos humores euacuent, spiritûs exhauriant, & vires vitales destruant. Si verò corpus prauis humoribus refertum sit, omnino purgandum esse censet, præsertim cùm nostra ætate tot medicamenta purgantia inuenta sint, quæ neque venena sunt, neque venenatam naturam participant, neque etiam alui fluorem concitare solent.

Et quidem statim initio, aut saltem secundo die purgandum putat, idque ideò primò, quòd materia hæc cruda, cuius purgationem prohibet Hippocrates, 1. *aphor.* 22. non sit, vtpote quæ coctionem nullam recipere potest; (cruda enim ea dicuntur, quæ coctionem recipere apta non sunt,) sed summopere corrupta, quæ ad statum meliorem nullum reduci potest. Deinde quòd maxima ex parte turgeat, & principes partes impetat, vt ex variis, quas natura tentat, excretionibus, per aluum, vomitum, per sudores, per vrinas, per cutis efflorescentias, per carbunculos & bubones videre est. Imò etsi non turgeat, statim tamen euacuandam esse docet materiam pestilentem, ne reliquos humores inficiat & corrumpat. Et frustra expectari coctionem, quæ nulla futura sit. Neque etiam vlla mala & incommoda à purgantibus metuenda censet, quæ à crudorum euacuatione sequi docet Galenus, 1. *aph.* 21. & 5. *aph.* 9. Alexipharmaca verò frustra exhiberi putat corpore non purgato; cùm vires suas, corpore non purgato, ad cor mittere non possint, si natura ipsa nullum sudorem mouere tentet, sed expectandum potiùs esse, donec natura ipsa aliquid moliatur.

Verùm enimverò accepeamus hoc primò, quod Septalius concedit, in peste, quæ corpora sana & vitiosis humoribus non referta per Contagium inuadit, à purgantibus abstinendum esse. Et proinde etiam rectissimè tunc ab alexipharmacis, cùm purgantia locum non habeant, est faciendum curationis initium.

Ergo quæstio saltem est de corporibus prauis humoribus refertis, an si ea peste corripiantur, à sudoriferis vel purgantibus faciendum sit initium. Quæ nostra sit sententia, iā antea dictum. Lud. Septalij verò opinio parùm firmis rationibus nititur. Nam sit sanè, vt praui & corrupti humores adsint, tamen ab iis, quatenus solùm corrupti & putridi sunt, natura pestilentiæ non constituitur, sed quatenus venenum coniunctum habent, à quo maius, quàm à putredine, imminet periculum. Venenum autem non indicat purgans, sed alexipharmacum. Et quia à veneno pestilenti maximum periculum imminet, ei primùm alexipharmaca opponenda, postea de purgantibus, quæ cacochymia requirit, dispiciendum. Et sit sanè, vt humores tales nullam coctionem admittant, tamen non purgantia indicant, quatenus venenati. Sic etiam, vt putridi purgationem indicent, de tempore tamen adhuc quæstio est, & verùm ante alexipharmaca sumta purgandi sint. Nihil etiam huc facit aphorismus 25. *sect.* 5. Ibi enim tractatur ab Hippocrate de humoribus qui purgatione indigent, docétque humores in febribus putridis acutis crudos non purgandos esse initio, nisi turgeant. At pestilens humor, quatenus talis, purgationem non indicat, ideóque nec quæri potest, an in principio, vt turgens, purgandus sit; cùm nullo modo purgationem indicet. Et quàvis sæpe vomitûs, alui

profluuia,

profluuia, maculæ, carbunculi & alia in peste accidant, tamen illi motus non semper naturæ opera sunt, sed potiùs à prauitate materiæ, vt in aliis venenis, accidunt. Et vbi naturæ operâ fiunt, ea quidem adiuuanda est, sed per alexipharmaca, non purgantia, quæ humores turbant magis, & venenum cum iis plus permiscent, ab externis ad interiora reuocant, vîresque deiiciunt, & sæpe periculosas & lethales alui fluxiones concitant. Ab alexipharmacia verò tale periculum non imminet, sed quod venenatum est, & mortem acceleraturum erat, impugnant & expellunt, naturámque à summo periculo liberant, vt humores postea vitiosi faciliùs & commodiùs expurgari possint.

Methodus curandi pestilentiam.

Tutissima ergò pestilentiam curandi ratio summatim hæc erit. Si pestilentia aliquem inuaserit, Deo in auxilium primùm inuocato, mox ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum, neque vllo modo curatio differenda. Atque existimo tot homines peste sæpe interire, quòd plerique tardiùs alexipharmaca vsurpent, multósque posse seruari, si ea citiùs, & antequam venenum humores corrumpere incipit, assumerent. Aliquoties enim obseruaui hîc in pestilentibus constitutionibus, quosdam, cùm se infectos sensissent; statim sumtis alexipharmacis ad sudorem se composuisse, & postea nihil mali ampliùs passos esse, sed postridie ad consueta negotia rediisse. Contrà si curatio protrahatur, & horæ 8. vel 12. iam elapsæ sint, antequam medicamentum aliquod propinetur, centesimus vix euadit.

Post primum sudorem porrò dispiciendum, an corpus sit plethoricum, & venæsectio requiratur. Tum enim ea sine omni mora, intra horas duodecim, aut certè antè 24. instituenda. Verùm quia plerumque Medici tardè consuluntur, & inuasionis principium non semper obseruatur; ac propterea virium lapsus præceps vt plurimùm adest: plerumque consultius est, venæ sectionem intermittere, quàm incautè & cum periculo ægri eam instituere.

Alexiphamarcorum autem antea, vbi de præseruatione egimus, magna copia proposita est, è quibus efficacissima & vsu probata eligenda sunt: cùm periculum hîc facere sine periculo non liceat; & in peste inefficacia atque inutilia remedia adhibita ægrum in vitæ discrimen coniiciant; atque extiales affectus ne leuissimum quidem errorem ferant, vt rectè Galenus, *lib. 10. meth. med. c. 11.* scribit.

An lapis Bezoar in peste vtilis sit.

Ac proinde non immeritò, quæritur; An cruda pestilentia lapidi Bezoar quoque locus sit? Dissentientes authorum opiniones collegit Caspar Bauhinus, *de lapide Bezoar. cap.* 34. & *cap.* 36. historias plures recenset eorum, qui lapide hoc feliciter vsi sunt: Contrà *cap.* 37. eorum, qui hunc lapidem non magnifaciunt, ac sine fructu vsurparunt, historias recenset. Vt inde non facile videre sit vtri parti fides sit adhibenda.

Ego cùm illorum, qui eum profuisse testantur, fidem planè in dubium vocare nolim, tres causas esse existimo, cur idem effectus ab eodem non semper proueniat. Primò, quod genuinus semper non habeatur. Vt enim de aliis, quæ de adulteratione huius lapidis habentur. Vt enim de aliis, quæ de adulteratione huius lapidis habentur, apud Bauh. *cap.* 55. non dicam, in equis reperiuntur, & ab iis excernuntur lapides, qui colore & substantia lapidem Bezoar planè referunt, vt videre est apud eundem Bauhin. *c.* 24. Mindererum, *de pestil. c.* 15. Cùm enim scriptores rerum Indicarum referant, hos lapides apud ipsos Indos, raros & magni pretij esse: mirum certè, tantam hodie eorum copiam suppetere. 2. Bezoar, ob magnum eius pretium, sæpius exiguâ quantitate, & vix vnius atque alterius grani pondere exhibetur; cùm ad vtt. x. & xtt. exhiberi possit, imò in morbis periculosis debeat. 3. Quod rerum aliarum admixtione eius effectus impediri possit. Sæpe enim rerum occulti, homoioibúsque parum perspecti dissensus sunt, ob quos effectus quos singula seorsim habent, in mixtione impediuntur.

Soli.

Ergo vt hæc concludam. Licet verum lapidem Bezoar non contemnendum censeam, ne contra experientiam pugnare videar, tamen nisi forsan lapis iamantè probatus in promptu sit, in peste, morbo acuto & periculoso, non facilè huic fidendum. Nam cùm magni pretij hic lapis sit, impostorum diligentiam in eo adulterando, vel falso substituendo, occupari probabile est, & si in promptu genuinus habeatur, tamen pauperiorem res angustæ cum non admittunt.

De recto vsu lapidis Bezoar. Lapis Bezoar sæpissime non præstat, quod præstare debet. Historia Zacut. Lusitan.

¶ [Variè disputatur à Medicis de efficacia lapidis Bezoar, præcipuè de vi eius in peste curanda, dum alij eum summis laudibus extollunt, alij non adeò magnifaciunt. Sed verum esse, quod suprà scripsi, quòd nimirum lapis hic non semper præstet, quæ multi pollicentur, causam esse, primò quòd non semper genuinus habetur: deinde, quòd ob pretium magnum plerumque nimis parua quantitate exhibetur, testatur historia, quam refert Zacutus Lusitanus, *de Prax. med. Adm. lib.* 3. *obs.* 90. vbi narrat, fœminam quandam incidisse in febrim malignissimam, deterrimis comitatam symptomatibus, inter quæ & hoc fuit, quòd tribus diebus sexaginta duos lumbricos per os excreuit; & ex contagio familiares omnes eodem morbo correptos fuisse, atque omnes periisse, quibus lapis bezoar in parua quantitate fuit exhibitus: dominam autem, cùm maximam eius assumeret quantitatem, interdum vno hausto ʒ. j. euasisse, licèt periculosiùs, quàm reliqui, laboraret, atque eodem & alios curatos fuisse.]

Eadem ferè de Vnicornu ratio est. Nam quid illud sit, quod passim in Thesauris quasi asseruatur, & in magno pretio, nomine Vnicornu habetur, vix aliquis certò affirmare potest. Ideóque vitam & sumptus hoc medicamento in periculum adducere, consultum non est, cùm alia non minòri efficacia & vsu probata remedia suppetant, quæ suprà enumerata sunt.

Vnicornu.

Mindererus magis Smaragdum laudat, dosi g̅. vt. vel vij. exhibitum, atque hunc puluerem momentanea quasi vi mira præstitisse scribit.

Smaragdus.

℞. *Smaragdi præpar. lapid. Bezoar,* an. g̅. vij. *hyacinthi præpar.* g̅. iij. F. Puluis.

Non sine fructu & istum olim peste hic grassante exhibui:

℞. *Lap. Bezoar. opt.* g̅ xij. *ossis de corde C. Sct.* j. *Smaragdi præpar. hyacinthi præpar.* an. gr. vij. F. Puluis.

Qui diuidatur in partes duas, atque exhibeatur cum aqua aliqua conueniente.

Plurimi & camphoram commendant, quòd valde putredini resistat, & venenosos halitus discutiat. Hinc celebratus hic puluis D. Hesso adscriptus.

Camphora.

℞. *Sacchar. cand.* ʒ. iij. *zingib. albi,* ʒ. ij. *camphoræ,* ʒ. j. F. Puluis. Dosis ʒ. j. Qui cum aqua conueniente, commodissimè verò exhibetur cum decocto Tanaceti, cum aqua acetosæ, & dimidia parte Aceti parata.

Verùm satis efficacia medicamenta, vt dictum, suprà sunt proposita. Vnum atque alterum tamen adhuc addere libet. Ex theriaca & flor. Sulphur. compositis, elegans & vtile medicamentum concinnauit Nobilissimus & Celeberrimus ille Mathematicus, Tycho Brahe, cuius compositionem peculiari Epistolâ Rudolph. II. Imperatori Augustiss. communicauit, quam integram hîc inserere libet.

Augustissime & Potentissime Imperator,

RVDOLPHE,

Domine Clementissime.

Epistola Tychonis Brahe ad Rudolph. II. Imp. continens descriptionem Alexipharm.

DEscriptio Medicamenti, quod contra morbos Epidemicos passim nunc grassantes, Dei dono, efficax est, quale Sacra Cæsarea Maiestas tua clementissimè per suum Capitaneum Brandeisensem à me expetiit, in hunc modum, prout ipsemet adinueni, & comprobaui, se habet.

Accipiatur primùm pro corpore & fundamento, Theriacæ Venetæ optimæ & veteris, aut potiùs Alexandr. lib. vna, cui in vitro oblongo satisque capaci superfundatur Spiritus vini, è generoso vino, qui ternâ distillatione & rectificatione moderato calore elicitur, vt extet supra theriacam ad quantitatem palmæ. Postéaque bene obturato vitro, ne spiritus exhalet, fiat digestio in tepido balneo per septimanam. Qua peractâ, materia omnis quæ in vitro est, filtretur per bibulam chartam, vt separetur purum ab impuro, liquórque admodum rubicundus & pellucidus, qui in hac filtratione prouenit, indatur cucurbitæ vitreæ, & suprà posito Alembico cum suo recipiente, atque vtrebique bene clausis de more vitris fiat lenta destillatio in balneo mediocriter calido, nec æstuante, donec spiritus vini in receptaculum guttatim euocatus, materiam siue essentiam theriacæ in fundo cucurbitæ vitreæ instar mellis liquidi, colorem tamen ad subrufam nigredinem tendentem obtinentis, reliquerit. Spiritus autem ille vini Theriacalis per se in vitro bene clauso conseruari poterit, & parum manè, vbi lubuerit, de eo sumi, instar alterius aquæ vitæ. Habet enim in se aliquid de volatili essentia theriacæ, ideóque præseruatiui loco est, præsertim si ex oleo iuniperi sulphurato, de quo mox dicemus, bis vel ter vlterius in balneo exaltatus fuerit. Porrò essentia illa Theriacæ, quæ in fundo remansit, sic efficacior reddenda. Sumatur sulphuris è cholcotare puro ter sublimati, & quartâ ex aloë; Myrrhâ & croco semel leniter sine adustione eleuati quarta pars libræ; huic superfundatur in cucurbita vitrea oblonga de oleo Baccarum iuniperi, quod purum & in balneo rectificatum est, tantum, vt superemineat quatuor digitis. Potest etiam addi oleum succini in balneo ter rursus destillatum, & ab odoris vehementia liberatum, vt sit eius quarta pars respectu olei iuniperi, éstque sic melius: ponatúrque bene clauso vitro in fornace cinerum, vbi stet in tepida digestione per quatri-

Digitized by Google

duum. Eliciet interim oleum iuniperi è floribus illis sulphuris rubicundissimam tincturam, & optimam eorum essentiam in se attrahet. Fiat & hic separatio filtratione, prout antea. De puro autem & rubicundo liquore, qui papyrum bibulam transiuit, addatur duodecima pars essentiæ Theriacæ priùs confectæ, ita vt hæc duodecim vicibus oleum illud iuniperi sulphuratum excedat: Mox simul digerantur in tepenti balneo in phiala oblonga bene obturata. Potest tamen iis priùs aliquid addi de extracto Rad. Angelicæ, sale absinthij puro & essentia carabis albi. His tribus mixtis & pro decima sexta parte priori liquori iunctis, posteáque vti dictum, simul in digestione collocatis, idque per octiduum: superaddere etiam conducit ante digestionem de priùs reseruato spiritu vini Theriacali tantum, vt tribus digitis superstet. Digestione hac peractâ fit denuò separatio impuritatum intrinsecarum per filtrationem supradictam, spiritus vini additus separetur in balneo, lentissimo igne, donec materia in fundo remaneat, instar picis liquidæ, quæ, ex Dei benignitate, præsens est remedium contra luem Epidemiam, octo, decem, vel duodecim guttis, pro ratione patientis in aqua aliqua competenti, vtpote Prunellæ, Angelicæ, aut Cardobenedicti cochleari vno intrà assumta, idque statim ac morbus sentitur, antequam per somnum virtus cor occupauerit, posteáque sudore per aliquot horas, quò diutiùs, eò meliùs, elicito. Si manè quolibet, ieiuno stomacho, de hac medicina duæ vel tres guttæ in vino absinthiaco, vel quovis alio appropriato liquore assumantur, præseruatiui eximij loco est.

Potest verò hæc ipsa Medicina, per se omni auro præstantior, adhuc magis exaltari per additionem tincturæ corallorum, sapphyri & hyacinthi & margaritarum materiæ resolutæ; tum quoque auri potabilis, si modò verum & genuinum ac corrosiuis rebus non inquinatum & corruptum, haberi possit, ita vt de singulis hisce scrupulus vnus priùs confecto medicamento adiungatur misceatúrque.

Quin & vniuersalius vt hoc reddatur medicamentum ad omnes morbos, qui per sudorem curari possunt, qualis fermè est tertia pars omnium eorum qui humanum corpus infestant, sic procedendum.

Antimonium selectum in regulum purum ter vel quater reiteratá secum abiectione redigatur, posteáque contuso & puluerisato regulo per cucurbitam terream ignem fortem sustinentem ad latus dispositam impellatur forti igne, & successiuè adaucto alcohol antimoniale in aliam cucurbitam terream recipientis loco appositam, donec totus fermè regulus Antimonij instar pulueris subtilissimi vas antepositum subierit. Hoc Antimonij Achool postea in vasculis quibusdam reuerberationi idoneis, & ignis vim perferentibus benéque argillâ munitis, imponatur in reuerberatorium clausum, ita vt flamma infrà ac suprà transeat, ipsa autem vascula conclusa non attingat; & fiat reuerberatio successiuè adaucta per sex hebdomadas, donec Antimonium in puluerem album vel subflauum redactum, quodam modo fixum euadat.

Hic puluis Antimonij etiam in aliqua copia assumtus non purgat, nec quidpiam corpus molestat; sed solummodò sudorem moderatum nec debilitantem ciet.

De quo si priùs præparatæ Medicinæ parum immisceatur, multò adhuc præstantior & efficacior ad omnes morbos Epidemicos redditur. Et insuper febres quascunque ritè administrata curat, obstructionésque aperit.

Atque hæc de Medicina Epidemica, quam Cæsareæ Tuæ Maiestati, prout clementissimè voluit, humillimè & fideliter, consignaui; vt secretam habeat sibíque soli reseruet, demissè peto. Mitto verò nonnihil de eadem, quatenus hanc iuxta priorem descriptionis partem absoluere licuit, quæ etiam valida est, atque Deo dante, in talibus morbis præsens remedium exhibet.

Estque hæc purior & præstantior eâ quam Cæsarea Maiestas Tua à suo Capitaneo per me etiam paratam habuit.

Hanc vt Cæsarea Maiestas Tua clementi animo accipere, donec plura huiuscemodi & maiora in eius gratiam parare opportunitas dederit, non dedignetur, subiectissimè oro. Deus optim. Max. Cæsar. Tuam Maiestatem ab omni malo tueatur. Data ex arce Cæsareæ Tuæ Maiestatis Benachiâ, die 7. Septembris, Anni 99.

Tycho Brahé.

Efficax est & hoc electuarium Cratonis.

℞. *Scordij* ʒ.iii. *tormentill. dictamni alb. zadoar. gentian. angelicæ, caryophyllatæ*. an. ʒ.i. *croci, camphoræ*, an. ʒ. sem. Pulueris sentur, aspergantúrque aquâ Cardui Bened. in quâ dissolutæ fuerint Theriacæ ʒ.ii. & cum sufficiente quantitate Syrupi de succo Cardui bened. F. Electuar.

Vulgus rob Sambuci cum aceto Theriacali non infeliciter vsurpat.

Mindererus hanc aquam ad exhibenda medicamenta valde commendat:

℞. *Succi nucum iugland. immatur. limonum, acetosæ, pimpinell.* an. ℔.i. sem. *cardui bened. scordij, rutæ*, an. ℔.i. *scabiosæ, hederæ terrest. calendulæ, melissæ*, an. Vnc. viii. *chelidon. galegæ, vel in eius defectu veronicæ, aceti de rubo Idæo, sambucini, rosacei*, an. Vnc. iv. *rutacei* ℔.i. *radic. tormentill. gentianæ. dictamni alb.* an. Vn. i. ß. *petasiteo, imperator. angelicæ, Zedoar. cortic. citri*, an. ʒ.iii. *boleti* ℔. *ceruinor*, ℥. ii. *fol. dictamni Cretici, scordij Cretici, chamædryos*, an. Vnc. i. *santali citrini* ʒ.iii. *ligni Rhodij*, ʒ.ii. *Theriacæ Androm*. ℥.ii. *mithridatij* Vnc. i. *baccar. iuniperi recent.* ℔. i. *cortic. medianor. sambuci recent. fraxini recent.* an. M. iii. Cortices Sambuci & Fraxini contundantur, & cum *aceti è floribus Tunicis, aqua Pimpinellæ. Rosarum*. an. s.q. extrahatur inde succus. Succi omnes misceantur, addatúrque Theriaca, Mithridatium, & cætera concisa & contusa, macerentúrque per triduum, & per balneum aqua inde destilletur. In aquæ distillatæ dimidia parte suspendatur camphoræ Drach. i. in nodulo. Altera pars etiam seorsim vsui seruetur pro iis, qui Camphoram non ferunt.

Maximas quoque vires habet, & à plurimis valde prædicatur Elixir pestilentiale, quod Crollius, *pag.* 228. describit; sit adulto ℈.ii. iuniori ℈.i. vel Drach. ß. cum aceti rosacei, scordij, vel rutacei, Drach. i. vel q. s. propinetur.

Ergo si quis peste infectus sit, ex iis, quæ ad manus sunt, efficacissimum sumat medicamentum. E. g. Adulto Theriacæ Drach. i. vel Electuarij de ouo, aut diascordij Fracastorij Drach. ß. Salis absinth. Fraxini vel Cardui bened. gr. aliquot cum ℈. ß. pulueris Saxonici, aut Cæsaris rubei, cum liquore conueniente propinentur: Vel aqua aut spiritus aliquis contra pestem, vt Elixir pestilentiale Crollij. Ex. gr.

℞. *Elect. de ouo* ʒ.i. *Theriach*. ʒ. ß. *pulueris Saxonici, specier. liberans*. an. Scr. ß. *syrup. acet. citri*, ℥.i. *aqu. acetosæ, cardui bened.* an. Drach. x. *aceti scordij* ℥. ß. Misce.

Vel ℞. *Pulu. Saxonici, Cæsaris rubei*, an. Drach. ß. *syr. acet. citri* ʒ.i. *scordij, aceti Theriac.* an. Voc. ß. *aq. Stapediano, vel alterius talis*. Vnc. i. ß.

Plurimum etiam commendatur decoctum rad. chelidoniæ maioris, vt ex Matthiolo, *in comm. Germanico in Dioscor. lib.* 2. *cap.* 10. videre est, quódque feliciter vsurpauit, & modum eius præparandi descripsit Gasp. Keglerus, *in tract. suo de peste*. Grauidis, vt & infantibus detur Electuar. diascordij Fracastorij, vel pulueris Montagnanæ, infantibus ℈.i. adultis Drach. i.

Laudatur & Bezoardicum minerale, & ♁ diaphoreticum. Quæ etsi satis efficacia sunt, tutius tamen est ea cum aliis, puluere Saxonico, Montagnanæ, & similibus miscere.

Atque talia in vsum quotidianum ex aliis compositis facilè misceri possunt.

De vsu calidorum in peste medicament. admonitio.

In horum tamen medicamentorum vsu cautiones quædam obseruandæ sunt. I. de Theriacâ & medicamentis calidioribus aliis, quod antè etiam monui, obseruandum, vt non temerè, sine vllo morbi, naturæ, ætatis, sexûs, anni temporis, atque aliarum circumstantiarum respectu vsurpetur. Vbi enim febris pesti coniuncta iam corpus occupauit, ea cautè, & nonnisi frigefacientibus admistis exhibenda. Itaque vbi metus est, ne humores & spiritûs nimis accendantur, spiritúsque dissipentur, ægróque aliquod periculum inde creetur, rectiùs ij faciunt, qui talia non cum aquis Theriacalibus & calidis, sed potiùs cum frigidis aquis, aut quod commodissimum est, cum aceto, vel aquâ aliquâ, quæ acetum aut acidos succos recipit, qualis est aqua Stapediana, Mindereri, & similes exhibent. Imò sunt, qui in magno calore, vehementi ventriculi dolore, & Cardialgia, vomitu, similibúsque symptomatis, Theriacam non planè veterem, sed recentiorem, annorum scilicet duorum vel trium exhibent, in qua vires opij adhuc vegetæ symptomatum vim tandiu refrænare possunt, donec reliqua Alexipharmaca vires suas exerant,

vimque

vimque veneni infringant. Sunt alij qui opiata, vt Philonium, (commodior vsus est et Laudani Opiati) Alexipharmacis miscent, vt nimirum motus atque actio veneni pestilentis sistatur & frenetur, symptomatúmque vehementia mitigetur, donec Alexipharmaca vires suas exercere, séque veneno opponere possint. Imò sunt quidam, qui Opio vim sudoriferam tribuunt. Aliàs vbi non vrget calor, causa nulla est, cur Theriaca reijcienda sit; cùm plus commodi venenum expellendo, quàm damni, calorem excitando, afferat.

II. Obseruandum, Theriacam, Mithridatium, Electuar. de Ovo, & similia calida ac fortia medicamenta non facilè infantibus & pueris, grauidis & puerperis esse exhibenda, sed alia mitiora substituenda. Conuenit his magis Diascordium Fracastorij, quod sine insigni humorum agitatione veneno resistit, sudores mouet, putredinémque inhibet. Exhibetur autem hoc modo commodissimè.

℞. *Succi acetosell. seu trifolij acetosi* ℥.ii. *citri* ℥.i. *diascordij* ʒ.i. *spec. cordial. de gemmis*, an. ℈.i. *aceti* ℥.i. Misce.

III. In Camphora ac Camphoratis exhibendis naturarum constitutio consideranda. Qui enim infirmo sunt ventriculo & capite, aut qui aliàs camphoram auersantur, iis alia potiùs, quàm camphorata, medicamenta sunt exhibenda. In tanta enim medicamentorum copia non opus est, nec necessarium, vt vni medicamento adstringamur. Imò medicamenta variare vtile est.

IV. Quò maiorem veneni vim esse animaduertimus, eò efficaciora, & quæ præsentissimas vires habeant, medicamenta eligenda sunt: quo in genere excellunt Aquæ & spiritus destillati, quorum mentio antè facta est, quæ mox in totum corpus penetrant, pestilentique veneno sese opponunt. Facit idem Camphora, quæ reliquorum medicamentorum quasi vehiculum est. Non magna tamen eius copia opus, sed duo vel iii. gr. sufficere possunt.

Sudoris motus.

V. Si æger medicamentum vomitu reijciat, mox illud repetendum. Imò etsi illud retineat, semel exhibere Alexipharmacum non sufficit, sed intra 8. horarum spatium repetendum. Et si primùm medicamento exhibito Cor non liberetur, fortius exhibendum secundom; imò intra 24. horarum spatium ter Alexipharmacum exhibendum. Neque si quis persuadeat, si semel vel bis sudauerit, & meliùs nonnihil habeat, se iam extra omne periculum constitutum esse: cùm venenum iterum, si minimæ etiam eius reliquæ in corpore hæreant, vires postmodum sumat, nouúmque naturæ bellum inferat. Itaque necessarium est, alexipharmaca & sudorifera talia intra biduum quinquies vel sexies repetere. Quod cùm sæpe negligatur, plurimi, qui seruari possent, intereunt. Medicamento exhibito æger sese, in primis prima & secunda vice (si enim veneni vis fracta sit, non multum refert, si tertia vice non sudet) ad sudorem componat, nec frigidum aërem vllo modo admittat; sed det operam, vt sudor copiosè fluat, atque si potest, ad duas horas sudorem continuet, vt venenum pestilens planè è corpore eijciatur. Et si medicamento satis copiosè sudor non prolicitur, aliis etiam modis, vt lagena aqua calente plena, aut lapide calente, linteis aceto vel vino madidis inuoluto, pedibus apposito, excitetur.

In sudore proliciendo tamen cauendum, ne vires deijciantur. Cùm enim aliàs morbi huius vehementia vires subitò prosternat, & corpus exoluat: si quod nonnulli faciunt, stragulis non tantùm æger contegatur, sed ferè suffocetur, sudórque nimis diu, ad horas scil. 4. vel 5. continuetur, facilè fieri potest, vt vires planè deijciantur. Quare vt dixi, sufficit, sudorem horis duabus continuare.

Censent præterea docti Medici, vni remedio in peste non esse fidendum, sed, vt Crato, *epist.* 134. hac de re scribit, initiò singulis propemodum horis, deinde successu temporis singulis diebus remedia mutanda; cùm vix in vno aliquo antidoto tantum roboris sit, quantum ad hostem tam potentem debellandum requiratur.

Somnus.

VI. A somno abstineat æger, donec bis sudauerit. Iubet quidem Palmarius, assumpto Pharmaco, duas horas dormire permittit; cùm per somnum sudor æquè profluat, ac per vigilias: verùm metuendum est, ne via veneni per somnum ad interiora serpat, ægérque in vitæ periculum conijciatur.

Inter sudandum quomodo æger tractandus.

VII. Inter sudandum reficiatur æger Conserua Rosar. Acetosæ. Rob Ribium, Succo & Syr. Citri, Granator. Aquis Cordialibus & similibus, qualia mox proponentur. Odoramenta etiam ægros valde recreant, atque inspiratione cor potest roborari, vt per expirationem halitum venenatum à se fortiùs expellat. Itaque in conclaui Acetum Theriacale lateribus ignitis infundatur: Trochisci & Candelæ pro fumo accendantur: Odoramenta cùm alia naribus admoueantur, tum in pyxide habeantur species liberantis, vel alia talis confectio; quæ subinde moueantur, vt de puluere illo aliquid naribus attrahatur. In primis verò hîc vtiles sunt Aq. odoratæ suprà propositæ.

VIII. Præter hæc sunt & alia quæ partim Cor roborant, partim venenum è corpore eijcere possunt. Nonnulli, dum æger sudat, panem è furno calentem accipiunt, partémque aliquam excauant, cauitatémque Theriacæ ʒ.ii. replent, & vmbilico apponunt, vt venenum à pane attrahatur. Alij Raphanum, in partes orbiculares dissectum, axillis, & aliis emunctoriis, ac plantis pedum applicant. Alij panis medullam aceto madidam cordi applicant. Cordi nonnulli apponunt pannum quadruplicatum, aceto vel simplici, vel theriacali aliquo imbutum; vel sacculum ex saluia, acetosa, tota contusis & aceto madefactis, calidè applicant. Alij alios Cordiales sacculos adhibent. Potest & Electuarium aliquod, cum Oleo Citri & Myrrhæ, vel vnguentum conueniens, regioni cordis, temporibus & pulsibus adhiberi. In humidis tamen & frigidis adhibendis videndum est, ne sudorem impediant, venenúmque ad interiora repellant. Quidam ante sudorem cum lacte calido Gargarismum instituere iubent; cùm lac calidum halitum venenatum ac pestilentem ad se trahat.

Post sudorem quâ ratione æger tractandus.

IX. Finito sudore corpus linteis mundis moderatè calentibus exsiccetur. Diligenter tamen videndum, ne aëre frigido occurrente, venenum intrò recedat. Etsi sudorem rectè sese habere animaduertatur, ac symptomata remittant, quod indicio est, veneni maximam partem expulsam esse: linteamina quoque & tegumenta lectorum mutentur.

Post sudorem æger cibis εὐχύμοις & εὐπέπτοις reficiatur, vt ouis recentibus, iusculis carnium, ptisana & aliis, qui sunt molles, & qui in parua quantitate multùm nutriunt. Atque his æger sæpius reficiendus est. Neque, vt in aliis morbis acutis inedia & tenuis diæta conuenit; sed vires sæpius refectione opus habent. Cibo tamen multo corpus onerandum & grauandum non est. Vtilissimum quoque, cibos acidis condire.

Et licèt sudorem ciere (si tamen die Critico erumpat, non impediendus est) postea corpus non sit: continuanda tamen sunt medicamenta, & singulis diebus exhibenda, quæ putredinem inhibent, febri malignæ resistunt, incendiúmque in visceribus extinguunt, E. g.

℞. *Conseru. rosar.* ℥.ii. vel iii. Dissoluantur *in aq. acetosæ* ℔.i. Colentur.

Vel ℞. *Morsulor. de succo & cortic. citri*, ℥.i. Dissoluantur in *aq. scabiosæ*, ℥.iii. Adde *vini granator.* ℥.i. Misce.

Vel ℞. *Decocti CC. vsti & crudi in aqua conueniente vase clauso cocti* ℔.ii. *succi citri* ℥.iii. *ribium* vel *berber.* ℥.ii. *iulebi rosacei* ℥.i.ß. Misce.

Vel ℞. *Aq. acetosæ, scabiosæ, rosar.* an. ℥.iii. *aceti de rub. Idæo, flor. tunicis, rosar.* an. ℥.ii. *vini albi* ℔.ß. *succi citri, iulebi rosar.* an. ℥.i. *cortic. citri recent.* ʒ.vi. Stent simul mixta in vitro, donec liquor odorem citri attrahat.

Vel ℞. *Aq. cardui bened. acetosæ, scabiosæ* an. ℥.iii. *rosar.* ℥.ii. *cinnamomi* ℥.i. *succi citri, granator.* an. ℥ iii. *extract. croci* ℈.ß. *solut. margar. corallor.* C. C. an. ℈. i. *confect. Alchermes* ℈. ii. Misce.

Vel ℞. *Conserua medullæ citri* ℥. ii. *rosar. acetosell. borrag.* an. ℥.i. *ribium condit.* ℥.ß. *confect. Alchermes* ʒ.ß. *spec. el. de gem. frig. cordial. temper.* an. ℈.i. Cum *syr. tunicæ, & spir. vitrioli*, q. s. *ad gratam aciditatem.* F. Electuar.

Vel ℞. *Solut. corallor. margarit.* an. ℈.i. *hyacinthi, extr. croci*, an. ℈.ß. *confect. Alkermes* ℈.i. *ol. de cortic. citri* gutt. iv. *sacch. albissimi in aq. rosar.* s. q. dissol. q. s. F. Rotulæ.

Possunt & alia ex Syrup. Acetositat. Citri, de succo Acetosæ, Granator. Oxysacchara, Rob Ribium, & similibus parari.

In primis verò commendatur spiritus vitrioli, qui insignem vim habet putredini resistendi, obstructiones aperiendi, febrésque extinguendi.

Vtilis est confectio Alkermes, si cum succo Citri propinetur.

Vt ℞. *Confect. Alkermes* ʒ.ii. *syr. acetos. citri* ℥. ii. *granator. rub. Idæi* an. ℥.i. *Aq. acetosæ* ℔.ß. *rosar. opt.* ℥.ii. *scabiosæ, meliss.* an. ℥.i. M. Detur sæpius haustus.

Et de talibus alterantibus singulis ferè horis aliud offerendum, nunc potus, nunc Syrupi, nunc Electuarij, nunc Rotulatum, nunc alia forma, vt natura roboretur, venenóque resistere possit.

Postquam ita malignitas ac venenositas maximam partem victa est, si humores vitiosi in corpore abundent, aut pestis in primis ab interno humorum vitio prouenit, Purgatio conueniens non omittenda est. Sint autem medicamenta purgantia leniora, ne vel vires debilitentur, vel humores ad aluum præcipitentur, & periculosum alui profluuium excitetur. Eligantur etiam talia, quæ præter purgandi vim, veneno resistere possunt, qualia sunt, Agaricus, Rhabarbarum, Syr. rosar. solutiuus cum decocto Tamarind. vel Syrup. rosar. solut. præparatus cum Rhab. Pilulæ Pestilencial. E quibus ægro conuenientia medicamenta eligere non difficile est. Inter Composita conuenientissima est Tryphera Persica, Syr. Diasereos, &c.

Sunt quidam qui Purgantia cum Alexipharmacis miscent, atqui inter hos Heurnius, qui recipit Cæpam albam excauatam, eámque Theriacæ Drach. i. cum modico puluer. Radicum Dictamni & Tormentillæ replet, ac sub cineribus coquit, coctámque contundit, & affusâ aquâ Cardui bened. ac Aceto Calendulæ, succum exprimit, addítque Trypheram Persicam, idque medicamentum & purgaturum, & mox sudorem excitaturum pollicetur. Contrariósque eodem tempore, quod alij metuunt, motus non times; Cùm natura illico ab hoste hoc liberanda sit, atque vsus, ista proba esse docuerit.

Prosper Alpinus, *lib. 4. de Medicina Ægypt. cap. 15.* refert, Ægyptios peste infectorum cruribus, brachiis & inguinibus vesicatoria,

Digitized by Google

vesicatoria applicare, ex quibus vlcera multa iis in partibus, per quæ humores corrupti à natura expurgantur, excitentur. Alij tres longas scarificationes seu vulnera potiùs cruribus infigunt, quæ non sanant, priusquam ægri perfectè à peste sani euaserint.

Cùm autem plerumque Natura magnam humorum venenatorum partem ad emunctoria Cordis, Hepatis, Cerebri expellere, ac Bubones & Carbunculos excitare soleat: Restat tandem, vt de Curatione Bubonum & Carbonculorum pestilentium dicamus.

Bubonum Curatio.

An in Bubonibus maturatio expectanda.

Et I. *Bubones* quod attinet, alij aliter eos tractandos censent. Sunt quidam, qui in hoc naturam planè imitandam esse existimant, & cùm natura nonnisi successiuè ac longiore tempore maturationem eorum instituat: etiam Medicum id vnicum hîc operam dare debere existimant, vt maturantibus medicamentis tumor iste ad suppurationem ducatur. Si enim mox in principio vel vesicatoria adhibeantur, vel scarificationes aut incisiones instituantur, non modò magnum inde dolorem, qui inflammationis maioris caussa sit, viresque debilitet, excitari: sed id etiam periculi subesse putant, ne venenum, quod à natura ad exteriora protrusum, quietum & quasi sopitum iacebat, hoc modo moueatur atque agitetur, & spiritibus atque humoribus mixtum, iterum cordi, à quo expulsum erat, communicetur. Alij contrà sentiunt. Cùm enim materia hæc pestilens contumax sit, & non facilè in pus mutetur, non solùm maturantia non adhibenda, & suppurationem expectandam esse censent; cùm metuendum sit, ne humor venenatus, antequam in pus mutetur, iterum spiritibus & humoribus facili de caussâ communicetur. Ideóque cùm longè maius hîc, quàm in aliis non pestilentibus Bubonibus, periculum subsit, id vnicè agendum existimant, vt pestilenti veneno exitus, quem natura quærit, aperiatur, reliquumque postea conuenienti modo maturetur. Vnde nō solùm vesicantia mox adhibent; sed scalpello cutem incidunt.

Verùm distinctione hîc aliqua opus videtur. Nam si perfectè aut certè maxima pars veneni in Bubonem è corpore eiecta videatur, (id quod cognoscitur ex eo, si postquam bubo erupit, & febris & symptomata remittant, atque æger meliùs habere incipiat) non peccatur, si concoctio, licèt non perfecta, vt in aliis tumoribus, expectetur, & ea omnibus modis adiuuetur. Si verò vel bubo non satis erumpat, venenúmque à natura non satis, seu ob naturæ debilitatem, seu ob veneni copiam, expellatur; vel licèt maxima veneni pars in Bubonem depulsa sit, tamen ob eius copiam moles tumoris nimis augeatur, vnde febris & symptomata non solùm non minuuntur, sed augentur, ægérque meliùs non habeat: nullo modo cunctandum, sed vnicè danda opera est, vt veneno exitus pateat. Atque tunc frustra expectatur maturatio, quæ in materia tam venenata ante mortem ægri nulla futura est.

Vesicantia.

Etsi itaque Cucurbitulæ siccæ etiam versùs ambitum corporis trahant: tamen his vtiliora sunt vesicantia. Et cùm vnicè danda sit opera, vt venenum non solùm à corde auertatur, sed etiam planè è corpore eliminetur, ne vllus ad illud ei regressus

Scarificatio.

detur commodissimum est, vt cutis scarificetur aut incidatur, vt manifesta via patefacta non solùm liberiùs exspiret, sed & humores pestilentes & corrupti effluere possint. Neque vllus metus est (quod nonnulli existimant) ne venenum per hoc remedium agitatum ad cor regrediatur. Cùm enim via ipsi patefiat, potiùs per illam à natura è corpore eiicitur. Etsi simpliciter hoc metuendum esset, etiam in Carbunculo pestilenti maturatio expectanda esset: cùm tamen extra dubium sit, Carbunculum mox scarificandum esse, vt exitus veneno pestilenti detur. Manifestum etiam est, naturam non à loco dolente attrahere, sed ad dolentem locum humores mittere. Neque dolor extimescendus, qui ex vna atque altera sectione adeò magnus oriri non potest, & licèt dolor aliquis inde oriatur: è duobus tamen malis minus eligendum, præstatque, cum aliquo dolore ægrum seruare, quàm sine dolore venenum in corpore relinqui, à quo mors expectanda sit. Imò dolor leniri potest lacte calente, in quo flores chamæmeli cocti sint, atque aliis, vt mox dicetur.

Vesicantia.

Vt igitur venenum è corpore tollatur, aut vesicatorium aliquod adhibeatur, vt:

℞. *Canthurid. demptis alis & capitibus*, part. i. *fermenti* partes iii. *aceti* parum. Misce.

Vel ℞. *Sem. sinapi, cortic. median. sambuci*, partes æquales. Contundantur, & cum aceto misceantur in formam Cataplasmatis, quod inducatur linteo albo.

Vel ℞. *Fol. sambuci, sem. sinapi. nucleorum nucum rancidarum*, partes æquales. Terantur & applicentur, loco priùs theriaca circumcircà illito.

Aut Cauterio potenciali, vel ferro cutis aperiatur, vt pestilenti humori egressus detur, ac via sit, per quam natura pestilens venenum è corpore expellere possit. Ac si dolor aliquis ex incisione oriatur, ouum recens cum oleo rosaceo mixtum boboni imponatur.

Magno etiam cum commodo, licèt incisio facta non sit, pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, bubooni applicantur: idque sæpius cum nouis pullis repetitur: Hoc modo enim & dolor mitigatur, & venenum euocatur. Nonnulli bufonem exsiccatum vino macerant, dum mollescat, & buboni imponunt.

Postea detur opera, vt materia reliqua per idonea medicamenta maturetur. E. g.

℞. *Rad. althææ* ℥.iii. *farina lini, fœnugræci*, an. ℥.i. *rad. lilior. alb. sub cinerib. coctar. & contus.* num. vi. *ficuum contus. fermenti*, an. ℥.ii.ß. *fimi columbini*, ℥.i.ß. Coquantur in decocto *radic. althææ & flor. chamæmeli*, in formam pultis: Postea adde *pinguedinis porci*, ℥.iiii. *olei lilior. alb.* ℥.ii.ß. *scorpion.* ℥.ii.ß. *croci*, ℈.i. Iterum quoque in formam cataplasmatis.

Alij cæpam cum theriaca sub cineribus coctam cum Emplastro maturante & oleo scorpionum miscent, atque applicant.

Nonnulli quidem Theriacæ vsum hîc reformidant, quòd puris generationem impediat: verùm si maturantia admisceantur, facilè hoc incommodum vitari potest, & nihilominùs venenum Theriaca euocat.

Vel ℞. *Rad. althææ, lilior. alb.* an. ℥.i. Coq. ad mollitiem, & per setaceum traiiciantur. Adde *pulueris dictamni albi, scordii*, an. ℥.i. *caricas pingues*, ouum. iii. Cum *oleo lilior. & chamæmel*, F. Cataplasma.

Est quidam Guilielmus Magistrius, vt neque hoc prætercam, qui scribit, ex attrahentium hic genere esse & balneum tepidum ex aquâ fontanâ, aut potiùs lacte vaccino, in quo æger duabus horis à cibo stare debet, spatio trium aut quatuor horarum, ad medias vsque coxas, eóque modo venenum non tantùm ad exteriora allici, sed etiam vtplurimùm integrè resolui.

Digerentia & mundantia.

In locum incisione apertum tale digestiuum adhibendum.

℞. *Terebinth.* ℥.ß. *vitellum oui vnum. olei rosar.* ℥.ß. Misce.

Quòd si ob incisionem minùs profundam, bubone maturato pus adhoc conclusum contineatur, scalpello aperiendus est: Vbi pus iam fluere incipit, hoc vnguentum adhibeatur.

℞. *Terebinth. mellis rosati*, an. ʒ.vi. *farina hordei* q. s. F. linimentum.

Simúlque hoc Emplastrum applicetur.

℞. *Empl. diachyli simpl.* ℥.iiii. *ammoniaci, galbani vino solut.* an. ℥.i. Misceatur in mortario pistillo calido, addendo: *Rad. cynogloss.* ℥.ß. *puluer. bufon. exsiccati, rad. valerian. scabiosæ*, an. ʒ.ii. *ebuli*, ʒ.i.ß. *leuistici*, ʒ.i. *olei lilior. & scorpion.* q. s. F. Emplastrum. Postea hoc vnguento vtendum.

℞. *Terebinth.* ℥.i. *mellis rosati, farina hordei, sarcocollæ, thuris, myrrha*, an. q. s. F. vnguentum.

Hoc verò in primis attendendum, ne vlcus citò claudatur, sed studiosè potiùs apertum seruandum, donec quicquid veneni est in corpore, effluxerit.

Nonnunquam accidit, vt bubones non suppurentur, sed discusso veneno, & tenuiore parte materiæ per insensibilem transpirationem, crassior in glandulis relinquatur: ne igitur dolor sæpe recurrens, ac molestia inde ægro creetur, reliquiæ emolliendæ & discutiendæ sunt, id quod fiet emplastro de Meliloto, oxycroceo & similibus.

An in curatione Bubonis pestilentis vena secanda, & purgandum sit?

De vena sectione.

Negatiua.

§ [Grauissima, & magni momenti est quæstio hæc: An in curatione bubonis pestilentis vena secanda, & purgandum sit: cùm in talibus morbis malignis aliquid præter rationem tentare, cum ægri periculo coniunctum sit. Cùm verò & de venæsectione, & de purgatione seorsim quæratur, de vtraque seorsim agemus. Et primò quidem venæsectionem quod attinet, nonnulli eam instituendam esse, planè negant. Ita Fernelius 2. *de abdit. rer. causs. cap.* 12. scribit, in peste à venæsectione & valida purgatione abstinendum esse: additque caussam, quòd talia mala à venenata qualitate scaturiant, quæ antidotis propterea pestilenti veneno contrariis, expugnanda, & per sudores eiicienda est. Petrus Sal. Diuersus etiam, *de pestil. febr. c.* 21. prolixè hanc quæstionem agitat, & concludit, in pestilenti febre venam secandam non esse. Idem statuit Paræus, *lib.* 21. *cap.* 21. & alij Medici multi, qui in bubone pestilenti præcipuè metuunt, ne venæsectione natura ab opere suo, quo materiam pestilentem ad locum ignobiliorem deponere conatur, auertatur, & humor malignus ad interna reuocetur. Præterea vires valde languent in talibus morbis, & propterea non facilè admittunt venæsectionem.

Affirmatiua.

Alij contrà, vt Triocauellius, Massarias, *de peste*, Nicolaus Massa, Iohan. Baptista Gemma, *de bubonis & carbunculi pestilentis curatione*, venæ sectionem admittunt; cùm sæpe in peste infectis magna satis sanguinis naturam onerantis copia adsit, qui facilè inflammationes parere, & febrem augere potest, neque alia remedia necessaria corpori ita repleto tutò administrari possint, & experientia testetur, sanguinis missionem in talibus morbis, multis profuisse.

Decisio.

Verùm quæ in genere de sanguinis missione in peste, suprà, *hoc cap.* dicta sunt, etiam de peste cum bubone coniuncta locum habent: nimirum tum saltem venæsectionem locum habere, vbi & sanguinis copia adest, vt metuendum sit nisi minuatur sanguis, febrem putridam periculosam accedere posse; & quidem id maturè & in principio statim faciendum esse. In bubone tamē pestilenti ita venæsectio instituenda, vt natura à conatu suo nullo modo auocetur, sed potiùs in eâ adiuuetur, & humor pestilens, qui ad bubonem à natura protruditur, ad interiora non reuocetur. Itaque si in aliquo loco bubo erumpat, vel dolor aliquis bubonem erupturum præsagiat, nō in loco à parte affecta longinquo vena aperienda, ne materia ad interiora retrahatur, sed potiùs ita instituatur venæsectio, vt motus naturæ adiuuetur.

adiouetur. Ac proinde si post aures parotis, vel sub axillis bubo eruperit, vel erupturus putetur, in brachio eiusdem lateris vena aperienda: si verò in inguinibus tale quid fiat, saphæna, vel alia pedis eiusdem lateris secanda, vt ita ad locum affectum materia potiùs attrahatur, quàm aliò auocetur.

De Purgatione. *Affirmatiua Zacuti Lusitani.* *Sententia Autoris.*

De purgatione maior difficultas est. Verùm cùm ea de re prolixè, *lib. 5. Institut. part. 2. sect. 1. cap. 6.* & suprà *hoc ipso cap.* egerimus, quæ ibi dicta sunt, hoc loco repetere nolo. Hoc saltem addo, Zacutum Lusitanum, *de prax. Med. Adm. lib. 3. obseru. 119.* prolixè defendere, in bubone pestilenti purgandum esse. Verùm nullis rationibus vtitur, sed saltem autoritatibus pugnat, quæ sine rationibus ad controuersiam tanti momenti decidendam non sufficiunt: Nos, vt *locu alleg.* diximus, equidem purgationem in peste non planè prohibemus, sed suo loco ac tempore, & maturè eam admittimus: verùm cùm iam bubones & carbonculi eruperint, tutò exhiberi purgantia posse, persuaderi non queo, in primis fortiora.]

Carbunculos tandem quod attinet, ij statim scarificandi sunt, & quidem satis profundè, vt humor pestilens & corruptus sanguis euocetur: postea imponendum est Emplastrum aliquod conueniens, cuiusmodi est hoc.

℞. *Farinæ lentium, fol. plantagin. vuæ lupinæ*, an. M. i. *medullæ panis secalini* ℥. iii. Coq. in formam Cataplasm. quod calidum applicetur, singulisque 4. horis renouetur.

℞. *Theriac. mithridat.* an. ʒ. i. *fermenti acidi* ℥. ß. *ficuum.* num. iii. *capam sub cinerib. assatam*, num. i. *allij assati.* ʒ. i. ß. *fimi columbin.* ʒ. ii. *sem. sinap.* ʒ. i. *croci* ℈. iii. *sapon. Venet.* ʒ. i. ß. *butyr. rec.* ℥. ß. Misce.

In primis commendatur Emplastrum de Fuligine, quod sic paratur.

℞. *Fuliginis camini* ʒ. x. *fermenti, terebinth. butyri*, an. ℥. i. *saponis Veneti*, ℥. i. ß. *mellis rosati* ʒ. vi. *salis commun.* ℥. ß. *vitellos ouorum*, ii. *theriac. mithridat.* an. ʒ. ii. Misce.

Vel ℞. *Rad. consolid. scabios.* an. ℥. ß. *salis petræ*, ʒ. ii. *vitellum oui vnius.* Misce.

Vel quod sæpe probatum est: ℞. *Succi rad. consolid. scabiosæ, pedis columbini*, an. cochl. vi. *farinæ lentium, hordei*, an. cochl. iii. Misce.

Commendatur & Emplastrum Angeli Salæ hoc:

℞. *Gummi sagapeni, ammoniaci, galbani*, an. ℥. iii. *terebinthinæ laris. ceræ virgin.* an. ℥. iii. ß. *magnetis Arsenicalis subtil. puluer.* ʒ. xviii. *rad. Aron. puluer.* ʒ. viii.

Gummata defecata priùs oportet esse aceto scillitico, coctáque in formam Emplastri, & pondere æstimata. Tum demum Emplastrum inde cum aliis speciebus s. a. concinnetur. Ad foras alliciendum venenum, virúsque in pus conuertendum, excellenti specificáque virtute pollet.

Præparatio Magnetis Arsenicalis supradicti.

℞. *Arsenici Crystallini, sulphuris viui, antimonij crudi*, an. part. æqual. Pilo simul subigantur in mortario ferreo, mittantúrque in matracium vitreum satis forte in furnum venti, postea in arenam posita ignem tamdiu subtus habeant, donec vitro bene calefacto dictæ species simul instar picis colliquentur. Id quod cognosces, si, dum filo fundum contigeris, materia adhæreat, trahatúrque instar Terebinthinæ. Postea frange vitrum, refrigeratámque materiam subfuscam quæ repræsentat lapidem, subtiliter tere, & ad vsum custodi.

Potest & Bufo siccatus vino maceratus imponi. Ad loca vicina verò, & ne venenum versùs interiora recedat, defensiuum aliquod ex refrigerantibus, siccantibus & adstringentibus adhibetur, vt vnguentum de Cerusa cum Bolo.

Vel ℞. *Olei rosacei* ℥. i. ß. *Aceti rosacei* ℥. ß. *Boli Armeni* q. s. F. Cataplasma.

Nonnulli caulam fœtidam contundont, & circa carbunculum applicant, sæpiúsque renouant. Neque inutile fuerit, si multus sanguis corruptus circa carbunculum deprehendatur, venam sub carbunculo aperire, vt sanguis ille corruptus euacuetur, nec iterum ad cor feratur.

Et, si calor Carbunculi sit nimius, vt non solùm vicinas partes inflammet, sed summum dolorem excitet, applicari potest Emplastrum de Cynoglossa, vel de pomis granatis, quod fit ex pomis Granatis acidis, ad molitiem coctis, & per setaceum traiectis: idque singulis 4. horis renouandum est. Scribit quidem Petrus Droëttus, malè eos sentire, qui existimant malum punicum ad inhibendum copiosum humorum fluxum adhiberi, cùm potiùs attrahat, & inde in magnum tumorem celeriter bubo (nam de bubone loquitur: quod tamen etiam Carbonculo applicari potest) accrescat. Sed parum in eo sibi constat. Nam mox addit: *Debet autem Cataplasma vicinas Buboni partes contegere: vt ex iis velut humorem exprimat in glandulam tumentem.*

Eschara vbi generata fuerit, vnguento adimenda.

℞. *Pingued. porci rec. sine sale* ℥. i. *Vitellum oui vnius, farinæ tritici* ℥. i. Misce.

Vel ℞. *Pulueris radic. althææ* ℥. i. ß. *buglossi* ℥. ß. *farinæ fœnugræci, lini*, an. ℥. i. ß. Coqu. & cum Botyro sine sale, F. Cataplasma.

Eschara, vbi sublata fuerit, mundandum vlcus vnguento de Apio: postea adhibetur vnguentum Basilicum vel aureum, & applicatur emplastrum de Minio.

Nonnulli referunt, si Sapphiro in cute circa carbunculum circulus ducatur, non solùm præcaueri, ne latiùs serpat, sed & venenum extingui. Interim, dum sanatur carbunculus, singulis septimanis bis hæc vel alia conueniens potio offeratur, vt quicquid veneni in corpore reliquum est, per eam expellatur.

℞. *Aq. scabiosæ, flor. calendulæ*, an. ℥. ii. *boli Armeni*, vel *terræ sigill.* ʒ. i. Misce.

Atque hæc de præseruatione & curatione pestilentiæ sufficiant. Potuissem equidem plura medicamenta congerere: verùm, vt suprà etiam dictum, talia passim plurima extant, præcipuè apud Authores, *cap. præced.* allegatos, vt & Vutzerum, *in Antidotario Pestilentiali*, vt potiùs de delectu, quàm de copia sollicitos esse deceat. Vt tamen etiam iis qui copiâ delectantur, satis fiat, fasciculum remediorum talium in *fine huius Libri* subiungemus.

Quâ verò ratione symptomatibus, quæ peste infectis accidere solent, succurrendum sit, ex iis quæ infrà, *cap. vlt.* huius Libri dicentur, patebit.

CAPVT VII.

De Pestilentis ac malignæ febris natura, & à peste differentiâ.

PRæter pestilentiam crebra mentio fit febrium pestilentium & malignarum. Quæ ergo inter hæc tria, pestilentiam scilicet, febrem pestilentem & malignam sit differentia, quæque pestilentis & malignæ febris natura, iam explicandum; cùm à paucis genuinam inter hæc tria differentiam monstrari videamus.

De pestis ac pestilentis febris discrimine variæ opiniones Ant. Porti.

Omnium autem hac de re opiniones recensere & examinare longioris operæ foret. Vt enim quisque de peste sentit: ita eam ab aliis distinguit. Vnam saltem atque alteram opinionem recensere placet. Antonius Portus & nonnulli alij, qui pestem sine febri dari non putant, pestem & pestilentem febrim non distinguunt: Pestem verò & pestilentes febres ab aliis febribus saltem modo & gradu putredinis differre statuunt. Primò quidem à reliquis putridis, quæ nihil pestilens vel malignum habent, hoc modo distinguunt, quòd pestis & pestilens febris non à vulgari putredine, sed largâ, profundâ, sordidâ, conclusâ, ad minima elaboratâ & in lentore quodam constitutâ, à qua semina contagionis emanant, proueniat: reliquæ verò putridæ à vulgari saltem putredine oriantur. A malignis verò febribus pestem & pestilentes febres ita distinguit, quòd illæ quidem à putredine etiam non vulgari proueniant, quæ tamen contagiosa non sit. Quibus addit Portus & differentiam à loco, quod in peste & pestilentibus febribus putredo spiritûs & humores in cordis sinibus existentes, vel ipsum corpus visceris occupet: in aliis verò febribus, in partibus à corde remotioribus putrescant humores: statuitque si putredo secundum omnes gradus & conditiones modò descriptas daretur, nisi tamen in contenta in corde exiterit, contagiosam febrem & malignam esse posse: pestilentem tamen non esse.

Verùm suprà sufficienter demonstratum, materiam pestis in sola putredine, quocunque etiam modo describatur & limitetur, quærendam non esse. Et proinde pestis ab aliis febribus discrimen ex solis putredinis gradibus desumi non posse.

Ludouicus Mercatus, *lib. 3. parte 1. class. 1. art. 4. quæst. 176.* satis prolixè hac de re disserit. Primò quidem docet, pestilentialem naturam non esse morbi genus specie distinctum ab aliis tribus vulgò notis, putà morbis intemperiei, malæ conformationis & solutæ vnitatis: additâ ratione (sed quæ falsa) quòd nullum morbi genus reperiri queat, præter intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem: statuitque pestem saltem esse accidens, ac modum & conditionem, aut quid extrinsecùs accedens cuius horum: pestem nimirum pro materiali esse morbum, cui adhæret venenosa conditio; pro formali verò truculentam & perniciosam naturam illi morbo additam, quæ adeò pestilens sit, vt propriam morbi conditionem obumbret, & proprium nomen mutet, vt pestis nuncupetur. Reliqua verò, quæ deinde prolixè hac de re scribit, si expendamus, res eò redit. Tres esse in peste conditiones: 1. vt sit vulgaris. 2. vt sit perniciosa. 3. vt sit contagiosa: Et in quocunque morbi genere hæ conditiones reperiontur, illum pestem appellari posse scribit; vbi vna vel plures deficiunt, ei pestis nomen non esse tribuendum. Itaque etsi aliquis morbus sit perniciosus & lethalis, ac ipsa pestis: tamen si contagiosus non sit, pestilentem non esse appellandum: contrà licet aliquis morbus contagiosus sit, tamen si perniciosus non sit, pestem dici non posse.

Pestem itaque ab aliis febribus putridis primò hoc modo discernit, quòd aliæ febres putridæ non habeant tantam putredinem, sed solùm superficialem, & ex communibus causis, obstructione scilicet aut cutis densitate, oriantur, neque de se semina contagij effundant: pestilentes verò etiam citra obstructionem solâ seminarij vi progigni possint, atque eædem contagiosæ sint.

Inter pestem verò & pestilentes morbos tale discrimen constituit. *Pestilens*, inquit, *morbus vnus cùm sit, vnúmque solùm ad natura*

natura sua integritatem requirat, talis haberi debet, si perniciosus sit & contagiosus. Praeterea plerumque ex interno corporis vitio prauisque humoribus principium sortitur, & tandem nulli morborum sorti adstrictus est, sed liberè adiungi potest omnibus morbi speciebus; ita vt vno tempore febres tertianae, continuae, catarrhi pestilentes esse possint, pestem tamen non generent, quia scilicet non sint vnius conditionis & speciei, quod necessarium est ad veram pestis naturam. Pestis verò ratio etsi morbis pestilentibus affinis sit, & eodem modo in pernicie & contagio sita sit: tamen aliis modis eam à morbis pestilentibus differre docet. *Primò quidem, ait, vt pestis fiat, vna tantùm futura est morbi species omnibus peste correptis, siue ea sit febris, siue dysenteria, aut quiuis alius morbus, ita vt omnes vnâ morbi specie afficiantur; perniciosâ tamen & contagiosâ. Deinde, quod pestis varias sortiatur causas externas, generantes & efficientes, ob quarum diuersitatem variae oriuntur pestis differentiae & species.*

Pestilentia an peculiare morbi genus sit.

Etsi verò in hac sententia aliquid veri contineatur: tamen multis quoque modis à vero aberrat. Primò enim falsum est, quod statuit, pestilentiam non peculiare morbi genus esse, ideo quòd non detur aliquod morbi genus, praeter intemperiem, malam conformationem, & solutam vnitatem. Nam & propositio peccat, & ratio, quae ad eam confirmandam adducitur, falsa est. Rationem enim quod attinet, firmissimis, vt existimo, argumentis monstratum est, *lib. 2. Inst. p. 1. c. 4.* dari in similaribus alios morbos, praeter intemperiem, cuius generis etiam pestis est. Neque enim pestilentia modus saltem morbi est, vt suprà monstratum, sed peculiaris morbus, cui alij coniunguntur, modò plures, modò pauciores. Nam modus nullam peculiarem indicationem suppeditat, nec curatur; id quod in peste fit, vbi ipsi pestilenti dispositioni remedia opponimus.

Neque eo quis effugiet, si dicat, pestilentiam saltem in causa esse, nullum verò peculiarem in corpore humano morbum excitare. Refutatum enim hoc est, *loco allegato*, vbi monstratum, à causis occultâ vi agentibus similes naturae causae morbos induci. Et cùm, vt ipse Mercatus docet, ibi necessariò pestilentia existat, vbi formales eius effectûs conspiciuntur: certè non saltem in causa venenum pestilens esse statuendum; sed cùm omnis forma per formales illos, quos appellat, effectûs patienti suam naturam imprimere, illique nouam dispositionem inducere nitatur: etiam hoc in peste fieri, negandum non est. Et cùm alij morbi omnes ob formalem rationem ad certas classes redigantur, & formalis ratio differentias morborum pariat: cùm pestilentiam formalem quandam morborum rationem esse agnoscat, cur non etiam concedat, eam peculiare morbi genus constituere? Praeterea, pestem non esse simplicem modum sed morbum principalem & peculiarem, ex eo patet, quòd qui eâ corripiuntur, & contagium ab alio suscipiunt, non necessariò eundem illum morbum intemperiei, conformationis & solutae vnitatis accipiunt, quo ille, qui eos infecit, laborabat; pestilentem tamen morbum eundem contrahunt.

Non iidem semper morbi pestem comitantur.

Deinde falsa est differentia, quam inter pestem & pestilentem morbum constituit, quòd scilicet peste correptis omnibus eadem sit morbi species, siue ea sit febris, siue alius morbus: vbi verò plures morbi vagantur, non esse pestem, sed solos pestilentes morbos. Nam licèt in peste qualibet, vna veneni pestilentis sit ratio: tamen symptomata & morbi, qui ab ea excitantur, saepe sunt plures & diuersi, nunc febres, nunc dysenteriae, nunc pleuritides, nunc alij morbi. Neque cùm pestis contagiosa esse, eandémque morbi speciem aliis communicare dicitur, id ita accipiendum est, quasi morbi illi omnes, & symptomata eadem, quae peste laborantem infestârunt, necessariò cuique infecto communicentur, sed satis est si venenum idem illi communicetur, à quo occultus morbus similis, similisque venenata in corpore dispositio excitetur; licèt symptomata pro varia corporis laborantis constitutione non semper eadem sequatur. Id quod cuilibet in qualibet pestilenti constitutione obseruare facillimum est.

Herc. Saxonia.

Hercules Saxonia pestem & febrem pestilentem non pernicie aut veneno, sed ita distinguit, quòd pestis sit morbus perniciosus, vulgaris: febris pestifera verò propriè accepta sit morbus perniciosus sporadicus. Verùm nec hoc planè satisfacit. Nam dantur febres plurimae pestilentes, quae sunt quidem perniciosae, sed non sporadicae, verùm epidemiae: verae tamen pestilentiae nomen non merentur.

Verùm plures opiniones recensere supersedemus, & rem breuiter sic concludimus. Pestis naturam in occulta quadam & homini planè aduersa qualitate sitam esse, eandémque contagiosam esse, ac habere potestatem in alios sese diffundendi, suprà satis explicatum est, & nemo, vt opinor, facilè negauerit. In quocunque ergo morbo hae conditiones reperiuntur, vt scilicet plurimis perniciosus sit, & facilè in obuios quosque per contagium diffundatur: is pestis appellari potest, siue febrem habeat coniunctam, siue non habeat. Si autem febrem habeat coniunctam, & pestem & pestilentem febrem sine discrimine appellari posse existimamus; modò hoc teneamus, febrem non esse de natura & essentia pestilentiae, vt suprà dictum. Et hac ratione febris pestilentialis & pestis, nec essentiali causâ, nec proximâ, nec remotis, nec subiecto differunt.

Pestis ac pestilens febris interdum nō differunt.

Febres pestilentes sine peste.

Quia autem ab Autoribus non paucis pestilentia à febribus pestilentibus nonnullis secernitur, & nonnulli etiā febres pestilentes sine peste constituunt, cum Galeno, *epid. comm. 3. t. 57. & de praesag. ex pul. cap. 4.* explicandum est, quaenam sint illae febres pestilentes, quae à peste differunt. Tales autem sunt illae, quae illam formalem Pestis rationem non habent, & ob similitudinem quandam perniciei ac symptomatum ita dicuntur: in quibus scilicet vel pernicies illa, vel contagium, quorum vtrumque in peste conspicitur, & maximum est, deest; vel si vtrumque habent, minùs tamen perniciosae & contagiosae sunt: vel quae licèt valde quidem malignae sint, citra tamen constitutionem & statum anni pestilentem, quem pestilentiam quandoque nominari suprà diximus, vagantur. Et omnino pestilentes febres sine peste eae dicuntur, vbi humorum corruptio nondum quidem summum illum gradum, qui pestilentis veneni naturam constituit, attigit, ipsae tamen etiā veneni & malignitatis aliquid pestilenti similis obtinent. Hinc has febres plerique sporadicas esse statuunt, & Crato, *consil. 275.* hac vtitur distinctione. *Febris, inquit, pestilens alia est priuata, alia publica. Priuata, quae minus saeua & contagiosa est, nec omnibus exitialis, internas habet causas, à quibus in corpore putredine ob humorum prauitatem orta, cordis calor non tam à calore putredinali, vt in aliis febribus putridis, quàm malignitate opprimitur. Hae febres, si eò progressae fuerint, vt corpora iam morbidam exspirationem habeant, quae omnibus est contagiosa, non ampliùs pestilentes priuatae, sed publicae fiunt. Priuatas autem dicimus, quia priuatim eos qui vitiosos humores continent, inuadunt, nec nisi conuersantes valde praedispositos laedunt. Publicae verò sunt, quae propter morbidam exspirationem contagiosae conuersantibus existunt, & in aere atque vestibus seminaria contagij relinquunt.* Haec Crato.

Haec tamen dextera & commoda explicatione indigent. Verum est, febrem pestilentialem in specie dictam, & pestem, causa essentiali non conuenire. Quamuis enim vterque affectus à veneno fiat: non tamen fit vterque ab eodem veneni genere. Necessarium tamen non est, vt semper causis efficientibus, praecipuè remotis differant, & pestis à causa solùm communi, aëre scilicet aut victu communi, proueniat; pestilens verò febris ex humorum priuata corruptione oriatur; Atque hinc pestis publica sit, pestilens verò febris priuata. Nam fieri potest, vt etiam febris pestilens sine peste, quam appellat, producatur à causa communi, aëris scilicet vel victus vitio; quae tamen à vera peste & pestilente febre eo differat, quòd illum venenositatis & contagij gradum non attigerit, & si plures iugulet non tamen contagiosa sit; aut si vtrumque possit, non tamen nisi conuersantes, & quidem praedispositos inficere, nec etiam contagij semina ad distans spargere, aut per fomitem in loca longè dissita transferre possit.

Pestis & pestilentis febris discrimen.

Summa haec est: Pestis, & pestilens febris in specie dicta, principaliter perniciei & contagionis vehementia differunt; quae non solùm in sporadicis, sed & epidemiis febribus pestilensialibus minor, quàm in ipsa peste animaduertitur. In sporadicis tamen febribus differentia illa longè manifestior est. Sporadicae enim non solùm essentia & veneni ratione, sed etiam causarum diuersitate differunt. Causae enim febrium pestilentialium sporadicarum, & aliorum morborum priuatorum particulares sunt & priuatae; pestilentiae verò causa semper communis est.

Pestilentium & malignarum febrium discrimen.

Si quis porrò quaerat, quaenam inter pestilentes & malignas febres sit differentia: Authores quoque non parùm discrepare animaduertet. Nam si quis solùm eas velit appellare malignas, quae à Cratone pestilentes priuatae appellantur, & reliquas, ad harum differentiam, pestilentes: is nullam inter pestem & febrem pestilentem differentiam constituet; cùm tamen à plerisque tria haec distinguantur, pestis, febris pestilens, & febris maligna. Praeterea certum est, etiam malignas strictè appellatas epidemias esse posse, non solùm priuatas. Et cùm in malignis etiam febribus, praeter putredinem & calorem occulta & venenata qualitas adsit: non quidem ie peccare videtur, qui omnes febres, quae à verè & propriè dicta peste differant, in quibus tamen maligna & venenata qualitas apparet, seu pestilentes, seu malignas appellant: Quia tamen non omne venenatum pestilens est, & apud Medicos non solùm febres, sed & tumores, vlcera, aliique morbi maligni appellantur, qui ab omni pestilentiae labe immunes sunt: non immeritò malignus à pestilenti distinguitur, & pestilens opponitur non pestilenti; malignus, benigno.

Malignus morbus quis.

Et in genere benignus morbus est, vt *lib. 2. Inst. part. 1. cap. 11.* dictum, qui supra propriam naturam nullum graue symptoma habet. Malignus autem, quem peiora, quam pro suae essentiae ratione, symptomata comitantur: seu, vt Galenus *lib. 1. prorrhet. t. 14.* habet, *maligni morbi ij appellantur, quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt.*

Febris maligna duplex.

Si tamen quaeratur: vnde illa praua symptomata in malignis proueniant: distinctione opus est. Febris enim maligna duobus modis dici, & praeter febris propriam naturam grauiora symptomata habere potest: Primò, cùm omne quidem venenum à febre abest, ob causae tamen vehementiam & malam aliquam qualitatem, v. g. humoris cruditatem, acrimoniam, vel loci affecti rationem, curatio difficilis redditur, & grauiora apparent symptomata. Deinde, cùm ob occultam & venenatam qualitatem grauiora apparent symptomata, morbúsque periculosior euadit. Prior febris malignae species, quomodo à pestilentibus

differat,

differat, manifestum est. Sed de illa hîc nobis agere institutum non est, sed de ista in primis, quæ ob occultam & malignam qualitatem talis dicitur. Ideóque cùm quæritur, vnde in hisce febribus grauia illa symptomata accidant, causa alia vix reddi poterit, nisi quòd materia, à qua febris excitatur, occultã aliquã & ad venenositatem accedentem qualitatem habeat, ob quam nihil tale obtinet. Itaque res eò redit, vt minor in his sit pernicies, quàm in pestilentibus; vt sicut pestilentes à peste differunt, ita malignæ à pestilentibus nonnisi gradu perniciei distinguantur. Perniciei gradu dico, non gradu veneni. Nam hîc facilè concesserim, sicut venena alia è pestilenti veneno specie differunt, ita & malignam illam in febribus malignis materiam & qualitatem, specie à pestilenti veneno differre. Quia tamen vtriusque ratio nobis ignota & occulta est, & nonnisi effectibus nobis innotescit, ac vtrumque homini infestum & noxium est: gradu perniciei differre diximus; quò scilicet pernicies & contagium in pestilentia sint maxima, & summum gradum obtineant, minoris vehementiæ sint in febrib. pestilentialibus in specie dictis; minoris adhuc febribus malignis propriè appellatis: licèt procul dubio materia, à qua pestis prouenit, ab ea, à qua febris pestilens generatur, & à qua maligna producitur, specie differat. Imò contagium in malignis sæpe planè abest.

Pestilentis & malignæ febris discrimen.

Vnde plerique pestem & pestilentes febres à malignis ita discernunt. Primò, quòd Pestis & pestilens febris ex aëre & contagio ortum trahat: malignæ potiùs ex morboso apparatu proueniant: Quod quousque verum, sit, iam dictum. Deinde, quòd Pestis & pestilentes febres non solùm plurimos passim inuadant, sed etiam maximam partem eorum, quos inuaserint, interimant: Malignæ autem febres licèt plurimos inficiant: tamen non plurimos, quos inuadunt, è medio tollant, sed plerique eorum conualescant, & qui moriuntur, non tam citò, vt in peste, plerumque pereant. Sicut etiam, vt dictum, febres malignæ non semper contagiosæ sunt. Præterea in peste & in pestilentibus febr. putredo & calor præter naturam non tam ex causis, à quibus aliæ febres putridæ producuntur, excitantur, sed à deleteria & venenata seminarij contagiosi vi: at in malignis potiùs ex causis aliis vt in febribus putridis communibus, putredo excitatur, indigéntque febres malignæ magis morboso apparatu, qui in pestilentibus febribus sæpe non necessarius est, cùm etiam sine eo pestilens venenum humores corrumpere possit; tandem & symptomatum vehementia in malignis tanta non est, quanta in peste & pestilentibus febribus, neque bubones, carbunculi, & similia in iis conspiciuntur.

Febrium malignarum natura.

Nimirum malignæ febres & ipsæ prauæ sunt: mitiores tamen, quàm pestis & pestilentes febris; perniciosiores autem, quàm simpliciter putridæ: & propterea quasi inter pestem & reliquas putridas mediæ, & ad veram pestem via atque initium. In omni enim febre, quæ simpliciter putrida non est, præter vulgatam putredinem, occulta & nobis peculiari ratione aduersa ac venenosa adest materia, nunc tamen magis, nunc minus perniciosa. Nam vt rem paucis verbis comprehendam, si ea malignitas ac venenositas illum gradum attigerit, vt plurimi, qui ab ea ægrotare incipiunt, intereant, & obuij quique ab ægris inficiantur, & non solùm in proximos, sed etiam in remotos, vel per aërem, vel per fomitem, contagium propagetur; pestis appellatur, siue adsit febris, siue non adsit. Et si adsit febris, nihil obstat, quò minus ille morbus, pestilens febris in genere appellari possit. In specie tamen appellatur febris pestilens, vbi minor venenositas, minúsque contagium adest, & vel quidem plerique moriuntur, alij tamen non inficiuntur, aut saltem maximè dispositi & proximè cum ægris conuersantes, vel licet & contagium & pernicies quædam in febre eadem animaduertatur, contagium tamen & pernicies non summum gradum attigerint, ac non pauci conualescant. Maligna febris mitior adhuc est, & licet grauia quædam habeat symptomata, pauciores tamen inde moriuntur, siue tales febres sint epidemiæ, & ex communi causa ortum habeant; siue sint sporadicæ, & ex priuata causa proueniant. Non semper etiam ita contagiosæ sunt, vt pestilentes verè dictæ. Verùm hæc de re supra in fine c. s. plurib. actũ.

CAPVT VIII.

Ad quod febrium genus Pestilentes & malignæ pertineant.

CVm dico in febribus pestilentibus & malignis coniungantur, febris, ac maligna & pestilẽs qualitas: jam porrò quærendum est, cum quo febrium genere malignitas hæc coniungi possit, an cum omni, an verò certo febrium genere. Sunt autem, vt supra dictum est, tria febrium genera, Ephemeræ, Putridæ & Hecticæ. Nonnulli ergo cum qualibet harum febrium differentia pestilentiam & malignitatem coniungi posse statuunt, ac pestilentem nunc esse ephemeram, nunc putridam, nunc hecticam. Alij vt Platerus duplex febrium malignarum & pestilentium genus constituit, vnum breue, quod ex synocharum putrarum non putridarum sit genere. Alterum longius, quod è putridarum continuarum sit numero. Alij tantùm in putridarum classem malignas & pestilentes collocant.

Quam rem si quis accuratiùs perpendat, hoc Primò animad-

uertet, febres pestilentes nullas ephemeras & hecticas propriè dictas dari. Ephemeras enim quod attinet, definiuntur illæ incendio & efferuescentia spirituum; at tales pestilentes illæ, quas appellant, ephemeræ non sunt. Nam licet ipsam malignitas & pestilentia aliunde pendeat; febris tamen illa, quatenus talis, plerorumque authorum sententiâ à putredine prouenit. Etenim siue concedamus, spiritus posse putrescere, siue id negemus, febris pestilens, quam illi appellant, ephemera propriè dicta non erit. Nam si spiritus putrescere non possunt, & febris, de qua quæritur, est ex putredine: nulla dabitur febris ephemera pestilens. Si autem concedamus spiritus posse putrescere, & ex his putrescentibus febris accendatur: tamen ea non erit de vulgarium ephemerarum genere, in quibus nulla est putredo, sed tantùm spirituum efferuescentia & calor nimius; sine eorundem corruptione & totius substantiæ mutatione.

An dentur ephemeræ pestilentes.

Neque etiam credibile est, spiritus, qui maximè ignei & mobiles, & propterea ad putredinem minus dispositi sunt, primum, & quidem solos putredinẽ concipere, humores verò, qui magis apti ad putredinem sunt, à putredine planè immunes manere. Et licet venenum, vt Platerus docet, aliquod inflammans dari possit, atque ab hoc pestilens sæpe non multum abesse concedamus: tamen illam inflammationem & calorem igneum in corpore, sine corruptione seu putredine, vel humorum, vel spirituum, excitare vix potest. Id quod maculæ, bubones & carbunculi in pestilentibus febribus erumpentes testantur. Bubones verò & carbunculos sine humorum corruptione non erumpere certũ est: maculæ verò non à portione aliqua veneni, quod tamen illum sæpe est, proueniũt, sed ab humoribus corruptis oriũtur. Et sit sanè, quod non nego, dari venenum pestilens, quod spiritibus in primis infestum sit; tamen cum tum non solùm spiritus incalescant, sed corrumpantur & destruantur: febres ephemeræ non erunt, nec ad febrium ephemerarum classem referri poterunt, magnáque omnino hîc apparet differentia. Etenim in vera ephemera spiritus solùm incalescunt; in pestilenti verò febre corrumpuntur. Et quamuis vtraque febris non diu duret, sed breui temporis spatio suum cursum absoluat: tamen hoc planè inæquali exitu accidit, cùm ephemera simplex periculo vacet; pestilens verò, quæ sit spiritibus affectis, periculosissima sit, adeò pauci euadant, sed plerique citissimè intereant; cuius rei exemplum præbet sudor Anglicus, de quo suo loco dicetur.

An dentur hecticæ pestilentes.

Hecticas quod attinet, negandum non est, in pestilentibus febribus quandoque cor ipsum affici & forsan putrescere & corrumpi. Quamuis etiam hoc in dubium à nonnullis vocetur. An scil. cor possit putrescere, ob rationem & authoritatem Aristotelis in primis, qui *lib. 3. de part. anim. cap. 4.* scribit solum cor viscerumque omnium partium corporis nullum graue vitium pati, vtpote à quo reliqua membra, vt principio, gubernentur, & quòd in nulla bestia cor, vt reliqua viscera, corruptum inuentũ sit: tamen id simpliciter negandum non est, cùm ipsa experientia id testetur: sicut hac de re exempla à Fernelio, *libro 5. pathol. capite 12.* Schenck. *obs. lib. 2. obs. 202.* Guilhelm. Fabric. *lib. 2. obs. Chirurg. 27.* annotata sunt. Neque id Aristotelem latuisse existimo, qui solum statuit, Cor nullum grauem morbum pati posse, vt scilicet animal viuat, & ad sanitatẽ redeat. Cùm enim hostiæ solùm ex sanis, quantum ad sensum, animalibus peterentur: verum est, nullum animal corde affecto, ita sanum videri posse, sicut dum interdum renes, hepar, aut aliæ partes corrumpuntur. Ipsum tamen etiam cor, sed non sine præsenti animalis damno, affici posse, confitetur, dum paulò post scribit: *At verò quæ morbo ... iisque eiusmodi pecus animalia, in dissectione affectus morbosi in corde conspiciuntur.* Ergo licet concedamus in pestilentibus febribus cor affici posse, & febres inde oriri, quæ hecticam referant: hecticas tamen propriè dictas eas febres esse negamus. In hectica enim simpliciter dicta etsi cordis substantia afficiatur, tamen ille affectus tantùm in calida intemperie consistit; in febribus verò pestilentibus cor non solùm incalescit, sed etiam corrumpitur. Vnde etiam longè alia est ratio harum hecticarum, si cui eas appellare placeat cum Galeno, *3. de præsag. ex puls. cap. 3. & 2. meth. med. cap. vlt.* quàm hecticarum vulgarium, & longè alia in pestilentibus, quam aliis hecticis, conspiciuntur symptomata.

Deinde hæ pestilentes vix dari possunt sine putredine. Nam cùm humores in corde contenti magis apti & parati sint ad putredinem, quàm cordis solida substantia, aut eius humores proprij, vix possibile est, ipsam cordis, à quo hi reguntur & fouentur, substantiam, aut eius humiditates, propriam putrescere posse, vt humores in ventriculis cordis contenti non sentiant putredinem. Nam quod à putrido tangitur, & ipsum putrescere præcipuè si magis dispositum est. Atque ita maxima est inter hanc febrem pestilentem & hecticam differentia. In hectica, enim vera temperies saltem cordis mutatur, & cor præter naturam calefactum est: in pestilenti verò hac, ipsa substantia cordis corrumpitur. Hectica sine putredine consistere potest: hæc vix, ac ne vix quidem. Hectica diu durat, antequam hominem enecet: in pestilenti hac, homo breui temporis spatio moritur.

Ex quibus omnibus concludimus, in omni febre pestilenti & maligna, aliquam seu putredinem seu corruptionem esse, non saltem mutationem in qualitatibus primis. Vnde febres malignas & pestilentes in earum numerum collocamus, quæ ex humorum putredine dependent. Interim tamen quia aliqua inter-

eas differentia apparet, & nunc ipsum cor, nunc humores, nunc spiritus afficiuntur magis: propter similitudinem, quam cum aliis propriè dictis habent, cùm aliis nominibus destituamur, ita eas appellare, & earum alias ephemeras, alias hecticas, alias putridas nominare liceat.

An dentur febres malignæ intermittentes.

Verùm iam porrò quæritur; E quo putridarum genere sint hæ febres. Et primùm: An omnes sint continuæ, an verò aliquæ intermittentes. Etsi autem verum sit, in pestilentibus febribus, præsertim si qualitas venenata prævaleat, & cor labefactet, naturam impeditam & oppressam, morbum vel certo ordine aggredi, vel ab humoribus corruptis aliquandiu sese liberare non posse: & proinde febres pestilentes & malignas ferè omnes continuas esse statuamus: distinctione tamen aliqua vtendum videtur.

Pestilentes febres omnes sunt continuæ.

Nam pestilentes febres propriè dictas, & à malignis distinctas, omnes continuas esse censemus, cùm venenatæ putredinis ea sit ἐνέργεια vt quocunque in loco excitetur, in totũ corpus se diffundere, & corruptis in vena cava atque arteriis humoribus, facilè continuò cor lacessere possit, ac debilitata virtute certis intervallis humores pestilentes expelli non possint. Neque valet hic argumentum H. ecul. Saxoniæ, quo etiam intermittentes pestilentes dari probare conatur. Datur, inquit, pestilentia sine febre. Ergò magis potest dari pestilens intermittens febris. Consequentiam enim hîc non video. Nam licet verum sit, pestilentis veneni tantam vim esse posse, vt hominem iugulet, antequàm febris & putredo excitetur: tamen si tractu temporis à pestilenti veneno putredo excitetur: fieri non potest, ob causam iam dictam, vt natura certis periodis materiæ putridæ expulsionem instituat. Et, quamuis putredo pestilens in humoribus in primis viis contentis primò accendi possit, tamen, propter maximam activitatem & vim veneni, humorúmque continuitatem, facilè labes illa superioribus quoq; venis communicatur.

Malignæ febres quædam intermittentes sunt.

Febres autem quæ in specie malignæ dicuntur, & in primis quæ ex priuato humorum vitio generantur, Intermittentes interdum esse; ipsa Experientia testatur. Nec ratio id dissuadet. Nam impossibile non est, vt in primis viis putrescentes humores malignitatem concipiant; & cùm in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura statis periodis excretiones aliquas instituere possit. Verumtamen etiamsi hæ febres interdum certos typos obseruent, & quidem plerumque tertianæ sint: tamen, quia natura oppressa ordinem in motibus suis certum seruare non valet, accidit tum, vt febres stato ordine non exacerbentur, sed erraticæ quasi sint.

Pestilentes & malignæ continuæ quales.

Porrò quæ è continuarum genere sunt pestilentes & malignæ, nulli continuarum generi addictæ sunt, sed prout putredo & corruptio sanguinem temperatum, morbosum apparatum hunc vel illum, hoc vel illo in loco incidit: ita nunc hæc, nunc illa febris species excitatur. Et febres tales nunc synochatum naturam referunt, nullásque insignes mutationes obtinent: nunc reliquarum continuarum modo cum horrore incipiunt, & quasdam exacerbationes habent ac periodos absoluunt, pro vt humorum apparatus sese habet. Neque enim vnus saltem aliquis ex humoribus, seu quilibet illorum, dum putrescit & venenatos redditur, pestilentes febres excitare potest; quod symptomatum diuersitas, quæ diuersorum humorum naturam insequuntur, satis testatur. Nam alios vigiliæ, alios sopor & veternus, alios delirium, alios alia symptomata infestant, quæ non solùm propter partium diuersarum imbecillitatem, & materiæ ad eas motum, sed etiam propter materiæ diuersitatem oriuntur.

Differentia febrium pestilentium & malignarum.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, facilè colligi potest, quid de differentiis febrium pestilentium & malignarum sit statuendum. Itaque plura de differentia à causis, materia putrescente & loco desumpta, addere opus non est, duo, vt aliquoties iam dictum, in qualibet maligna & pestilenti febre reperiri: Primò Putredinem, à qua febris oritur: deinde perniciosam & malignam qualitatem, ob quam febris illa pestilens & maligna dicitur. In vtroque reperiuntur quædam differentiæ.

Nam febrem quod attinet, non solùm à causis, materia & loco putredinis, vt in aliis febribus, sumuntur differentiæ; sed etiam à vehementia putredinis; siquidem putredo nunc maior, nunc minor est. Deinde ipsa pestilens ac maligna qualitas insignem habet latitudinem; vnde accidit, vt febres pestilentes & malignæ aliæ aliis perniciosiores ac sæuiores, aliæ mitiores ac debiliores sint. Nam si & malignitas & putredo summa sit, perniciosissima febris oritur, in qua & à malignæ & pestilentis qualitatis vehementia cor valde debilitatur, & ab insigni putredine ac calore cùm ipsum, tum reliquæ etiam vires valde læduntur. Si autem contingat, vt putredo sit magna, qualitas verò illi maligna non ita vehemens: tum febris magis ad naturam aliarum putridarum accedit, & à febre & à calore quidem, vt in aliis putridis, ægro magna molestia creatur; sed à praua qualitate cor non adeò affligitur. Si autem putredo non est magna: qualitas autem maligna vehemens: tum febris apparet mitis, & febrilia multa ac vehementia symptomata non animaduertuntur; nihilominus à qualitate maligna cor valde læditur, talesque febres valde fraudulentæ sunt, & cùm nec ægris, nec Medicis sæpe periculosæ videantur, ægrum, vbi extra periculum constitutus videtur, iugulant. Si denique nec putredo est magna, nec qualitas maligna vehemens, febres oriuntur, quæ nec ratione putredinis, nec malignitatis periculosæ sunt.

Cæterùm cùm in hisce febribus non tam putredo, quam malignitas spectanda sit, differentiæ quæ a putredine sumuntur, febrium malignarum & pestilentium, quatenus malignæ ac pestilentes sunt, propriæ non sunt, sed iis cum aliis febribus putridis communes. Ideò hoc loco non saltem differentia à putredine, sed in primis malignitatis differentia spectanda est, in qua aliquam differentiam occurrere negandum non est. Obseruatum enim est, ea remedia, quæ in vna pestilente constitutione vtilia comperta sunt, in alia parum profuisse; quod procul dubio ex veneni diuersitate accidit: ac rectè recentiores annotarunt, pestilentes venenum modò viperæ, modò cicutæ, modò napelli, modò dipsadis, modò aliud venenum æmulari: quod ad curationem rectè instituendam obseruare vtile est.

Verùm cùm, vt aliorum venenorum, ita etiam qualitatis malignæ & pestilentis formalis ratio nobis ignota sit, essentiales etiam differentias constituere difficile est, sed potissimùm desumuntur ex symptomatibus, per quæ malignitas se prodit. Quæ dum sint varia, hinc variæ habentur febrium pestilentialium & malignarum differentiæ. Interdum enim maculæ quædam varij coloris in cute efflorescunt, vnde febres peticulares & petechiales appellantur. Alia est febris differentia cum qua variolæ & morbilli coniunguntur: Alia est febris, quæ sudatoria, & sudor Anglicus appellatur: Alia, quam morbum Hungaricum nominant. Ita dantur, nonnunquam febres malignæ pleuriticæ, catarrhales, anginosæ, & aliæ cum dysenteria coniunctæ, quæ iam enumeratione symptomatum & signorum clariores fient, prout natura veneni cum hac vel illa parte antipathiam peculiarem habeat.

CAPVT IX.

De Causis febris pestilentis & malignæ.

Causa febris pestilentis.

De causis verò pestilentis febris, & à peste & à maligna differentis, vix alia, quam quæ de peste diximus, afferri possunt, sed easdem illas causas pestilenti febri applicare possumus. Cùm enim pestilentis veneni, vt & aliorum natura determinata nobis incognita sit, etiam causarum illud venenum producentium gradum determinatum vix definire possumus, & proinde causæ febrium malignarum & pestilentium quærendæ in aere, cœlo, victu prauo; quibus tandem accidit contagium. Verùm cùm videamus venenum veram pestem constituens, ab aliis symptomatum copia, vehementia, magnitudine, modo operationis, contagij velocitate, & ad distans sese diffundendi potentia, summaque tandem pernicie differre; eadem procul dubio ratio etiam in causis est, vt nimirum si causæ pestem aliàs excitantes nondum illum summum gradum attigerint, febris pestilens prouocatur. Vnde videmus plerumque pestilentes febres præcedere, & tandem, causarum vehementia aucta, aut diutius durante, in veram pestem abire.

Causa febris malignarum.

Febres verò malignas in specie dictas quod attinet, plerique earum causas saltem in morboso corporis apparatu quærunt. Quod etsi quandoque verum sit: tamen suprà dictum, non omnes febres malignas saltem priuatas & sporadicas esse, sed sæpe epidemias. Exemplo sint febres illæ, quæ Anno 1551. & 1580. per vniuersam Europam, imò omnes ferè mundi regiones, grassatæ sunt. Nam cùm febres istæ eodem tempore in diuersis regionibus diuersæ naturæ homines, & quidem maximam hominum partem, inuaserint, priuatas & sporadicas non fuisse, cuilibet manifestum est. Cùm verò pauciores ex iis perierint, neque pestilentiæ, neque pestilentium febrium in specie dictarum naturam habuerint, sed solùm malignæ fuerunt. Et cum maximam hominum partem, & quidem in omnibus regionibus inuaserint; ex morboso & priuato corporis apparatu causam non habuerunt, sed ex communi aliqua causa ortæ fuerunt. Tales etiam fuerunt febres, quæ anno 1616. post insignem illum & hisce regionibus insolitum æstum, vniuersæ ferè Germaniæ epidemiæ, hîc certè VVittebergæ tam frequentes fuerunt, vt nulla domus reperiretur, in qua non ægri decumberent, imò tot ægrotarent, vt in nonnullis ædibus vix vnus vel alter sanus esset, qui reliquis ægrotantibus ministrare posset. Quanquam verò & epidemiæ essent hæ febres & contagiosæ: tamen sexcentesimus vix moriebatur, atque ita pestilentes hæ febres non erant. Neque tamen ex priuato corporis apparatu, sed causa communi, vt dixi, æstu scilicet insigni, & procul dubio peculiari aliquo astrorum influxu ortum habebant. Itaque & in hisce febribus communes causas admittimus, & si epidemiæ sint, tam ex aeris vitio, quam victu prauo communi prouenire posse statuimus. Vt verò in malignitate propriè & in specie dicta minor est perniciositas: ita & minorem in causis istas febres producentibus venenositatem & prauitatem esse existimamus.

Quæ verò febres malignæ, vt & pestilentes in specie dictæ, priuatæ sunt & sporadicæ, eas in primis à causis particularibus, à quibus vitiosi ac praui humores, seu morbosus quidam apparatus in corpore colligitur, prouenire statuimus. Atque huius apparatus ratione, quia diuersus, pro ratione ætatis, sexus, vitæ generis, & aliarum circumstantiarum diuersus est, febres

hæ

lis & earum symptomata valde variant, vt rarò eadem accidentia & symptomata in diuersis appareant.

Prauus autem hic apparatus, & humorum corruptio oritur primò à cibo prauo putredini & corruptioni obnoxio: qualia cibi, vt hac de re Galenus, *1. de differ. febr. c. 3.* scribit, quidam naturâ tales sunt, quorum scilicet ea est natura, vt ex iis praui succi generentur, de quibus videatur Galenus, *libro de cibis boni & mali succi*: quidam verò diuturnitate temporis & negligenti obseruatione talem labem contraxerunt.

Huc pertinet etiam aqua, quæ computruit, aut rerum putridarum & corruptarum mixtione inquinata est. Deinde etiam humores boni in corpore ita corrumpi possunt, vt malignitatem, imò venenositatem acquirant. De quo alij aliter sentiunt. Integra illa controuersia pluribus explicata est. *lib. 2. Inst. p. 2. c. 8.* monstrarúmque humores in corpore nostro ita corrumpi, & à natura sua degenerare posse, vt naturam venenorum induant, à quibus halitûs venenati & maligni ad cor delati periculosa symptomata & mortis periculum inducunt; potissimùm vbi noua accedente putredine exagitantur, à qua etiam febris oritur, quæ ob adiunctum venenum maligna est.

CAPVT X.

De pestilentis febris signis.

Pestilentis febris signa.

DE pestilentis febris in specie dictæ signis peculiariter aliquid addere opus non est: Eadem enim, sed mitiora & pauciora saltem in iis conspiciuntur, atque in primis illa, quæ essentiam veneni pestilentis consequuntur, in eâ non eadem, quæ in pestilentiu, conspiciuntur. Neque enim tam periculosæ sunt, vt vera pestilentia, neque etiam tam contagiosæ.

Quantum autem ad signa differentiarum, quæ suprà propositæ sunt, si qualitas venenata sit summa, simulque etiam maxima putredo, vires maximè deiiciuntur, & grauia, ob putredinem, insequuntur symptomata, vt capitis aliarúmque partium dolores, vigiliæ, inappetentia, sitis magna & inexhausta, inquietudo, extrementa, & vrinæ valde mutatæ, ac sanorum maximè dissimiles. Si autem putredo sit summa, maligna verò qualitas remissior, illa, quæ ex putredine & febre oriri solent, symptomata, sunt quidem valde vehementia, non tamen adeò grauia & molesta, vt in priori differentia. Virtus enim vitalis non adeò deiicitur, & propterea meliùs symptomata illa perferre potest. In hac febre calor etiam in exterioribus semper ἀνάλογος est putredini, vsque ad statum: circa quem demum, si æger non euadet, exteriora primùm tepescere & tandem frigescere incipiunt. Si enim euasurus est, aliquid quidem remittit, sed non planè. Si putredo non magna est, qualitas autem maligna vehemens; mitia sunt, quæ febres comitantur, symptomata, sed vires valde deiiciuntur. Si denique nulla ferè adsit putredo, sed maxima malignitas, pestis naturam ea febris æmulatur, in qua ægri sine morbo se mori conqueruntur. Nam nulla putredinis adsunt signa, nulla sitis, nulla alia grauia symptomata, sed tantùm summa virium deiectio & imbecillitas, ac tandem inopinata mors.

Ephemera pestilentis signa.

Alteram deinde differentiam quod attinet, quâ febres pestilentes vulgò distinguuntur in Ephemeras, putridas & hecticas: Ephemera, quæ ex spiritibus in primis affectis oritur, cognoscitur. Primò ex magna & subitò inuadente imbecillitate, & quamuis interdû vires nonnihil colligi videantur, collectis spiritibus: tamen mox iterum concidunt, & ægri in frequentem syncopen & animi deliquia incidunt, ac tandem succumbunt. Secundò sentiunt hi quidem calorem, non adeò tamen mordacem, & qui non diu durat, sed vno, duobus, aut ad summum tribus diebus, vel ad salutem, vel ad mortem ægrj morbus terminatur. Tertiò pulsûs sunt inæquales, imbecilles ac languidi. Spiritibus enim deficientibus facultas vitalis munus suum exequi non potest: Vnde sæpe in media actione deficit, variæq; inæqualitatis causa existit. Quartò in hac febre non fiunt alui fluxûs colliquantes: Vrinæ non sunt turbidæ, sed ferè similes naturalibus & sanis, non adsunt bubones, carbunculi, parotides, atque alia exanthemata.

In Humoralibus autem pestilentibus conspiciuntur bubones, carbunculi, parotides, pustulæ, maculæ, & alia exanthemata, atque alia adsunt signa, quæ in aliis putridis apparere solent, vt sunt vigiliæ, deliria, anhelitus & respiratio frequens, cardiogmi, vomitus, variæ alui excretiones, vrinæ crassæ, turbatæ, sitis magna linguæ ariditas, asperitas.

Hectica pestilentis signa.

Hecticæ denique pestilentis signa sunt: Primò magnus virium languor, pulsúsque debiles ac verè deficientes. Si enim in simplici hectica vires ita concidunt: certè mirum non est, in hectica pestilente, vbi cor non solùm aliquâ intemperie laborat, sed simul à qualitate maligna opprimitur, vires maximè deficere. Secundò, vt & in aliis hecticis, calor ab ipsis ægris vix percipitur, adeò vt de nullo affectu, nisi de summa virium imbecillitate conquerantur.

De signis febrium malignarum.

Malignarum febrium signa.

Restant signa febrium malignarum in specie dictarum, quæ diligenter cognoscere, summè necessarium est. Nam pestis & pestilentium febrium ea est vehementia, vt ferè in principio mox se prodant. Malignæ verò febres in principio latent: vt tamen mox cognoscantur, nihil vtilius est. Nam si in principio non mox cognoscuntur, malignitas altiùs radices agit, tempúsque agendi commodum prætetlabitur, ac æger in vitæ discrimen adducitur. Cùm enim malignitatis, & pestilentis veneni non tanta sit vehementia, aliquandiu in obscuro quasi delitescit, aliámque febrem benigniorem simulat, nec se prodit, nisi vbi iam vires sumsit, & victoriæ spem concepit. Quapropter omnia signa diligenter perpendenda sunt, ne vel febris, quæ maligna non est, pro tali habeatur; quod nonnulli interdum faciunt, qui vix continuæ aut acutæ febris nomine audito, malignam febrem esse pronunciant; vel si talis sit, negligatur. Et licèt vix vnum pathognomonicum datur, quod solum febrem hanc certò detegere valeat, tamen si vllum signum appareat, quod nobis suspectum sit, & de malignitate nos admoneat, illud non negligendum est; sed ea ipsa de causa reliqua omnia diligentiùs perpendenda; ne si de omni periculo securi simus, fallax & latens huius morbi natura nobis imponat. Exempli gratiâ, si præter febris morem & præter solitum sopor, lipothymia, cardialgia, vel aliquid aliud accidat, omnia diligentissimè perpendenda sunt. Omninò enim in febribus malignis locum habet, quod de peste præsagienda habet Poeta:

——Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triste dabit.

1. Symptomatũ vehementia.

Primum ergo signum, quod ab illa maligna qualitate dependet, est, quod omnia symptomata maioris, quàm pro febris natura, videntur esse vehementiæ, & in omnibus symptomatibus peculiaris aliqua apparet conditio, quâ à seipsis, dum in aliis morbis apparent, differunt, & peculiare omninò quid in hac febre præ se ferunt, quod dum in aliis morbis apparent, non obtinent. Vnde si quis periculum, quod est febre est, conferat cum periculo, quod imminet ex symptomatibus, illud præ hoc negligendum videatur. In primis adest virium insignis imbecillitas, sine causa manifesta, mox à principio maior, quàm pro febris & caloris febrilis natura. Nam si quis laborat febre ardente, in qua calor est maximus, eius vires à caloris vehementia debilitari non est mirum: at si quis febri laborant, cuius calor est mitior, & vires nihilominus deficiunt, hoc iam malignitatem arguit. Adest inquietudo, anxietas, inordinati sudores & similia.

2. Pulsus.

Primum hoc signum sequitur alterum, Pulsus frequens, paruus, in primis debilis. Etsi autem in aliis differentiis & circumstantiis à naturali parum discrepare videatur, tamen si vigor ille naturalis sine manifesta causa desit, iam malignitatis suspicionem affert, quæ tamen morbo progrediente sese magis prodit. Nam inter initia sæpe pulsûs naturalibus similes sunt, aut non multùm ab iis discrepantes apparere solent; quod diligenter obseruandum, & alia etiam signa considerand sunt, ne hîc decipiamur. Si enim inquietudo, anxietas, inordinati sudores, frigidi & intercepti; ac alia praua symptomata adsint: falsa illa pulsûs imago, & simulata bonitas ad febrem benignam indicandam non sufficit: neque pulsus naturalis cum malis accidentibus consistere potest. Est etiam interdum in huius febris initio pulsus formicanti similis, minimus & frequentissimus, qui ex materiæ malignæ copiâ procul dubio accidit. Varius quoque vt plurimum pulsus est in hac febre, & interdum intercidens, transactis primis diebus, quod fit, ob pugnam naturæ & materiæ, & illius sæpe impotentiam, ob quam ordinatè & integrè suum officium exequi non potest.

3. Vrina.

Tertium, Vrinæ primis diebus aliquando sanorum nimis similes sunt; quod dum fit, & alia signa ac symptomata grauia adsunt, certum est malignitatis, quæ clam & ex insidiis naturam oppugnat, indicium. Qualitas enim illa maligna & venenata cùm non in putredine consistat, sensim primò & sine insigni aliqua humorum agitatione & perturbatione cor oppugnat. Vnde eius indicia in vrinis quidem non apparent, aliis tamen signis satis sese produnt. Aliquando etiam vrinæ tenues & crudæ sunt, nullúmque continent sedimentum: aut si quod habent, illud excremento potiùs simile est, quàm sedimento. Etsi enim vrina cruda etiam in aliorum morborum initiis appareat, tamen si tenuis sit & aquosa, ac omnino à natura aliena, mox incipiente morbo, & cum leui febre, quæ leuem etiam adesse putredinem significat, aliquid aliud præter putredinem adesse indicat, nimirum virium & facultatum magnam impotentiam, quæ non ex humorum putredine & calore febrili, sed potiùs ex maligna qualitate ortum habet. Conspicitur quoque interdum vrina crassa, colorata & turbida, crassum, rubrum & turbidum sedimentum habens, quod maximam humorum conturbationem, magnámque putrefactionem & facultatis naturalis impotentiam significat.

4. Calor.

Quartum, Calor harum febrium non habet eam acrimoniam, quam in aliis putridis, si scilicet eiusdem generis febres malignas & benignas inter se conferas. Nam etsi in ardente febre calor sit maximus, summum intendium, tamen si eandem & symptomata, cum ardente simplici, & quæ nullam habet coniunctam malignitatem, conferas, tùm calor erit, quàm pro natura eius febris, minùs mordax, symptomata verò, quàm pro ratione caloris, grauiora.

5. Facies.

Quintum, facies plerumque solet esse terra, & à statu naturali multum mutata, viuidáque illâ vi & spiritu destituta videtur. Vnde plurimi existimant, febres has ab Hippocrate esse aspectu terribiles appellatas.

His signis satis quidem cognosci potest pestilens & maligna febris: semper tamen & alia symptomata coniunguntur. Nam primò actiones læsas quod attinet, vel sopore & veterno, vel vigiliis exercentur. Imaginatio multis modis corrumpitur, somnúsque variis & absurdis imaginibus turbatur, memoria debilitatur; vertigo, tremores, conuulsiones, corporis totius inquietudo & anxietas adest. Dolores capitis infestant, oculi caligant, aures obsurdescunt, tinnitibus & sibilis molestantur, odoratus & gustus corrumpitur; crura, artûs & omnia membra quasi confracta & conquassata iis putantur, cardialgia accidit, sitis molesta est, nausea infestat. Ita etiam in Excretis varia accidunt symptomata. Vermes enim modò per aluum, modò per os, modò per nares erumpunt. Adsunt fluxûs alui biliosi, colliquantes, fœtidi. Nares stillant sanguine; quod signum vt in morbis acutis aliis malum habet Hippocrates: ita huius morbi naturam non obscurè arguit, præsertim si initio morbi accidat, etiam in maiori quantitate. Experientiâ enim compertum habetur, non solùm stillicidium narium; verùm etiam maiorem sanguinis è naribus effusionem per initia prauam morbi naturam significare. Indicat enim hoc magnam humorum ebullitionem, prauámque qualitatem, ac virium debilitatem, ob quæ omnia natura ante tempus vacuationem instituit. Apparent etiam tumores, modò post aures, modò circa alas & inguina, qui sæpe retrocedunt, & difficulter maturantur. Maculæ rubescentes & liuescentes efflorescunt in dorso, brachiis, cruribus, & thorace, de quibus suprà plura. Variolæ etiam & morbilli interdum conspiciuntur. Deinde in qualitatibus mutatis accidunt symptomata: Facies est liuida, plumbea: apparent hinc inde in cute, vt diximus, maculæ, lingua est sicca, aspera & nigra, os amarum: extrema modò refrigerantur, modò incendio vruntur.

Stillicidium sanguinis è naribus quid initio febrium significet.

Et vt hæc concludamus, nihil ferè mali est, quod non interdum in hisce febribus appareat; ac quò magis extrà omnia rura apparent, eò magis intus omnia sunt turbata & mutata.

Prognostica febrium pestilentium & malignarum.

Pestilentium febrium prognostica.

Pestilentium febrium in specie dictarum eadem in prognosticis, quæ in peste ferè est ratio. Quò enim symptomata sunt deteriora, vomitus scilicet humorum corruptorum, alui deiectiones fœtidæ, atræ, liuidæ, virescentes: respiratio difficilis, anhelitus frigidus & fœtidus, cardialgia, lipothymia, delitia, sopor grauis, facies horrida; pulsus paruus & debilis, extrema frigida & liuida, maculæ paucæ, violaceæ, liuidæ, nigræ, atque non debito tempore erumpant, cum grauibus accidentibus, & retrocedant, antequam discutiantur; & contrà vires sint debiles, omnia morbum grauem & periculosum significant.

Contrà si talia accidentia pleraque absint, & omnia symptomata sint mitiora & moderata, si maculæ sint multæ & magnæ, rubentes, atque erumpant criticè, & quidem cum ægri leuamine, atque retrocedant, & vires sese bene habeant: salutis spes superest.

Prognostica malignarum.

Ex iisdem symptomatis de malignarum febrium exitu aliquid præsagire licet. Verùm cùm de iis satis prolixè, *Instit. lib. 2. part. 3. cap. 4. 5. 6. 7. 8.* dictum sit facilè ex iis, quid de qualibet maligna febre sperandum sit, colligere licet.

CAPVT XI.

De curatione Febrium pestilentium & malignarum in genere.

Indicationes in febribus pestilentibus ac malignis.

IN omnibus pestilentibus & malignis febribus duo adsunt, Venenum & malignitas, ac febres ad quæ tota curandi ratio dirigenda est. Et quidem quid febris indicet, & quâ ratione ei occurrendum sit, ex iis, quæ hactenus de febribus dicta sunt, patet; quomodo venenum pestilens & malignitas oppugnanda sit, ex iis, quæ de pestilentia dicta sunt, manifestum euadit. Verùm in hoc maxima difficultas, cui priùs, cui posteriùs prospiciendum sit, & quomodo venenum pestilens ac malignitas tollenda sit, ne febris augeatur; & contrà febri prospiciendum, ne malignitas negligatur. Et quidem præcipuè de tribus est controuersia, de alexipharmacis ac diaphoreticis & sudoriferis, ac in primis iis quæ primum caliditatis gradum excedunt; deinde de venæsectione; tertiò de purgatione.

Et si verò plerique hîc eodem modo has quæstiones, vt de pestilentia dictum, tractare, neque etiam inter curationem pestilentis & malignæ febris in specie dictæ discernere soleant, tamen hîc distinctione opus est. Et quamuis in plerisque febrium harum curatio conueniat, in aliquibus tamen discrepat. Cùm enim in vtroque harum febrium genere venenum & putrefactio adsit, nunc Venenum, nunc putredo & febris plus viget. Ideóque hæc duo, pestilens venenum & malignitas, ac putredo & febris inter se conferenda sunt, & vnde plus periculi immineat, perpendendum. Ideóque si plus periculi immineat à veneno, ea ferè curandi ratio est, quæ in peste proposita fuit, quæ tamen ita instituenda, vt febris non negligatur, multo minùs augeatur. Si verò febris plus vigeat, ad eam imprimis curatio dirigenda, ita tamen, ne malignitas augeatur.

Quapropter verè & in specie ita dictas febres pestilentes quod attinet, cùm earum natura ad pestem propiùs accedat, earum etiam curatio pestis curationi magis cognata est. Ideóque si tales febres grassentur, vel statim vel præmisso clystere, ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum. In alexipharmacis verò exhibendis id obseruandum, vt quantum fieri potest, temperatoria eligatur. In primis verò hîc efficaces sunt aquæ destillatæ, vt quæ valde penetrant. Ideóque alia etiam cum iis exhibenda. Medicamenta autem talia in pestilentiæ præseruatione & curatione, suprà multa sunt proposita.

Pestilentis febris curatio. Sudorifera.

Aquæ destillatæ.

℞. *Succi ex fol. recent. & virid. galeg. verben, borraginis, scordij, meliss. calend. acetos. cardui bened. plantagin. à rosis in caro.* an. ℔. i. *limon. matur. siue citri,* ℔. ii. *aceti rubi Idæi, rut.* an. ℔. i. *sem. citr. recent.* ℥. i. *portulac.* ℥. ß. *flor. nymph. alb. recent.* ℥. iiii. *cortic. fraxin. rec.* manip. iiii. Puluerisanda puluerisentur. Infundantur per triduũ in succis prædictis, postea destil. s. a. per organa vitrea.

Efficax est & hæc aqua. ℞. *Radic. & herb. pentaphyll. fol. scordij, scabios. cardui bened. acetos. calendul. rad. angelic. morsus diaboli, contra hieruæ, tormentill.* an. ℥. i. *zedoar. sem. citri,* an. ℥. ß. *croci,* ʒ. i. *Theriac. veteris,* ℥. i. *camphor.* ʒ. ß. *aceti vini.* ℔. i. ß. *succi citri.* ℔. ii. *Spiritus vini opt.* aut (si morbus eum non fert) *aq. alicuius conuenientis.* ℔. i. Stent in infusione per dies duos, & destillentur s. a.

Egyptiis familiaris est hic puluis. ℞. *Scordij, chamædryos, sem. citr.* an. ʒ. i. *aristoloch. long. zedoar. dictamni Cretici, C. C. vsti, boli Armeni, terr. sigillat. rosarum, calaf. spec. margaritarum prap.* an. ℈. i. *camphor.* ʒ. ß. *corall. rubr.* ℈. i. *sacchari candi,* ʒ. ii. Huius ʒ. i. cum theriacæ Andromachi, ℈. ii. in Aqu. calaf, vel citri, exhibent calidè manè ante cibum, & à cibo spatio sex horarum, ægrúmque in lecto pannis cooperiunt, vt sudet, atque sudorem omni conatu prouocant, repetúntque hoc ter die.

Vel ℞. *Spec. liberant. sine aloe,* ℥. i. *diamargarit. frigid.* ʒ. v. *diatrion. santal.* ʒ iii. *vni cornu,* ʒ. i. *tormentill.* ℈. iv. *sem. excort. bol. Armen. prap.* an. ʒ. i. *terr. sigill.* ʒ. dimid. *zedoar.* Scr. ii. *cinnamomi,* ʒ. i. *croci,* ℈. i. *camphor.* ℈. ii. *Manus Christi*, ad pondus omnium.

Dosis drachma vna cum aceto petasitis, & Angelicæ.

Commendatur etiam valde diascordium Cornelij Gemmæ, cum aceto bezoardico eiusdem exhibitum.

Diascordium Cornel. Gemmæ.

℞. *Scordij recens collecti, & in vmbra siccati,* ʒ. x. *dictamni Cret. summit. absinthy Pont. Epithymi Cret.* an. ℥ dimid. *flor. rosar. Damascen. calendul. bugloss. Ital.* an. ʒ. ii. *sem. plantaginis,* ℈. ii. *melonum excort. & incis. cucumeris extort. cucurb. excort.* an. sesquidrachmam. *C. C. vsti propar.* ʒ. iij. *rad. gentian. angelic. zedoar. dictamni albi,* an. ℈. v. *nucis mosch. macis, croci orient. piperis albi, cinnamomi, corallin.* an. ʒ. i. *rhabarbari, ligni aloes opt. Rhodij, asa dulcis, boli Arm. mastich.* an. ℈. iij. *camphor.* Scrup. ii. ß. *cardamomi, spic. Ind. santal. albi cortic. citri. asur. ebory,* an. ℈. iii. ß. *off. de corde cerui, moschi,* an. ℈. i. Subtilissimè læuigarum cum sacchari albissimi, aquâ rosarum, ac vino Cretico despumati, quant. suff. coquantur ad iustam Electuarij consistentiam, qui sub finem Adde *Extract. rad. tormentill. veronic. Sars. parill.* an. ʒ. i. *iuniperini,* ʒ. ij. *ol. chalcanthini rectificati,* sesquidrachmam. *citri,* Scr. i. Fiat Opiata.

Eiusdem Acetum Bezoarticum.

Acetum Bezoarticum.

℞. *Aceti vini opt. florib. caryophyllorum hortensium immacerati. Vini albi,* an. part. iii. *succi fol. Acetos. expressi ac depurati, scabios. aut galeg.* an. part. i. Destillentur simul multo circuitu.

Efficax etiam est valde sal volatilis C. C.

Et extant talia medicamenta plurima passim, & possunt etiam in rem præsentem varia parari.

Vt ℞. *Aq. bezoard. alicuius,* ℥. ii. *diascord. Fracastor.* ʒ. i. *terr. sigill.* Scr. i. *syr. acetosit. citri,* ℥. i. M.

Vel ℞. *Aq. cardui ben. Acetos.* an. ℥. i. *confect. diascordij,* ʒ. ß. *Mithrid.* ℈. i. *terr. sigill.* ℈. ß. *aceti scord. syr. acetos. citri,* an. ℥. ß. M.

Vel ℞. *Aq. bezoardic.* ℥. ii. *salu absinthij, cardui ben.* an. Scr. ß. *diascord. Fracastor.* ʒ. ß. *spir. vitriol.* ℈. ß. *syr. acetos. citri, iulebi ros.* an. ℥. ß. M.

Vel ℞. *Spec. liberant. s. aloë, pulu. bezoardici,* an. ℈. i. *Cæsar. rubei* ℈. ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Pulueris bezoardici* ʒ. ß. *spec. liberant. s. aloe*, Scru. ß. *lapid. bezoardic.* gr. iv.

Etsi verò de sudoriferis alij aliter sentiant, tamen qui rerum momenta diligenter pensitauerit ac experientiam consuluerit, facilè hæc quæ diximus vera esse animaduertet. Sunt equidem nonnulli, inter quos Thom. Minadoüs, *in responsione ad quæstionem, de diaphoreticorum secundo ordine calidorum, & theriaca in febribus malignis vsu, & de febribus malignis, libro secundo capite* 16. 17. 18. qui diaphoretica illa calidiora & sudorifera in principio exhibita planè reiiciunt, quòd facultas concoquens lædatur noui caloris accessione; quòd calorem natiuum & spiritûs huiusmodi medicamenta dissipent; quod respectu etiam humorum putrescentium plus noceant calore suo, quàm iuuent digerendo: & omnino quòd nihil commodi, vt mox dicetur, ex iis sperari possit. Sudorifera verò reiicit Minadoüs, quòd malignæ febris putredo neque semper, neque sæpe habeant mineram in totius corporis ambitu, sed vt plurimùm in centro & visceribus. Deinde quòd sudorifera ad sensibilem euacuationem pertineant, quæ nisi coctâ materiâ tum commodo ægri fieri non possit.

De diaphoreticorum & sudoriferorum vsu in febribus malignis.

possit, vt passim ex Hippocrate & Galeno patet. Ideóque neque Indicans sudorifera dari in initio malignæ febris, nimirum materiam in ambitu corporis contentam, vel naturaliter ad eam partem impetum habentem: neque tempus sudores ciendi adesse, cùm sudores, qui sine coctione accidunt, infidi sint. Et inprimis calida damnat; cùm longè maius ex eorum caliditate damnum, quam commodum ex sudoris promotione, consequatur.

Verùm enimuerò cùm experientia contrarium testetur, & plurimos febribus malignis laborantes sudoriferis felicissimè curatos fuisse, infinitis exemplis probatum sit: rationibus istis ita simpliciter fidem non habendam, sed rem diligentiùs perpendendam censemus.

Principiò verò bene ex Galeno, *lib. 11. method. med. cap. 15.* Minadous monet, difficile esse, eiusmodi aliquod auxilium inuenire, quod citra vllam noxam magnificè prosit. Ideóque rationem decidendi hanc quæstionem rectè constituit; perpendendum esse, maiúsne commodum, quàm incommodum, vel contrà maius incommodum, quàm commodum febri malignâ laborantibus accedat ex vsu calidorum diaphoreticorum & sudoriferorum. Si enim maius emolumentum, quàm damnum important, adhibenda; si verò contrarium præstent, omittenda esse.

Quod vt rectè perspiciatur, acceptamus & hoc. In quolibet morbo esse quinque consideranda, vrgens, causam principalem, impedimenta, affectum, vires, & ad vrgens, id est, quod vires maximè prosternit, siue sit è symptomatum, siue causarum, siue morborum genere, in quolibet morbo curationem primò esse dirigendam. In febre autem maligna vrgere duo, febrilem calorem, & malignitatem, inprimis verò malignitatem, quæ in omnibus febribus malignis vires euidenter deiicit, quod febrilis malignæ calor non semper facit, & proinde huic malignitati inprimis & perpetuò in hac curatione prospiciendum esse, magis vel minùs, pro illius magnitudine & exiguitate.

Verùm ex his, quæ libenter admittimus, præsuppositis ac principiis, postea non rectè hanc quæstionem concludit, & suam sententiam deducit Minadous. Primò enim cùm quæritur, an quid commodi afferant diaphoretica calida: neque ratione febris, neque ratione putredinis, neque ratione constipationum vel obstructionum, neque ratione redundantiæ, neque ratione virium vllum locum habere prolixè probat, atque hoc modo ex hac controuersia sese expediuisse putat. Verùm omittit malignitatem, quam maximè in hac febre vrgere antea dixerat. Etsi enim in omnibus febribus putridis vtilissimum sit, transpirationem esse liberam, tamen in febribus malignis id maximè est necessarium. Et cùm naturam ipsam à visceribus ad ambitum corporis malignam materiam felicissimè expellere videamus; huius gratiâ & diaphoretica & sudorifera exhibentur.

Neque eo expedit, quòd vrgens in duo genera diuidit; in vrgens quod dat inducias, & vrgens quod non dat inducias: ac malignitatem aut nunquam aut frequentissimè in hominibus tantam vim, quæ omnes inducias adimat, habere scribit, sed ferè semper tantum temporis præbere, quò possimus priùs impedimenta remouere. Etenim non semper malignitas dat inducias, sed sæpe breuissimo & paucorum dierum spatio hominem iugulat. Et quamuis nonnunquam dat inducias: ita tamen humores interea corrumpit, viresque sensim deiicit, vt postea nulla salutis spes supersit, & morbus, qui primò curabilis fuerat, malignitate neglectâ incurabilis reddatur.

Neque etiam obstat materiæ cruditas. Cùm enim materia maligna, quatenus talis, vix vllam coctionem admittat; & præterea, nisi mox euacuetur, hominem in certum vitæ discrimen adducat: omnino in principio morborum valde malignorum mox sudorifera exhibenda sunt, & inprimis si febris maligna ex contagio ortum habeat, id faciendũ, vt illud μίασμα conceptum discutiatur. Et longè alia ratio est sudoriferorum & aliorum purgantium: non quo sudorifera omnes humores vitiosos, sicut purgantia tollunt: sed sufficit, si illud μίασμα & putredinale ac malignum fermentum, vt sic dicam, quod instar veneni humores corrumpit, discutiatur. Quod si discussum sit, etsi aliquid vitiosorum humorum adhuc remaneat, tamen ab iis tantum periculum, vt dum malignitas adesset, ampliùs non imminet. Neque etiam hoc concedendum, quòd febrium malignarum putredo neque semper, neque sæpe habeat minerã in totius ambitu, sed vt plurimùm in centro & visceribus. Hoc quidem concedimus, in ambitu & habitu corporis materiam non contineri, etsi à natura plerumque eò detrudi soleat: in vena caua & arteriis verò contineri; cùm febres pestilentes, vt & malignæ pleræque continuæ sint. Si verò inprimis viis vitiosi humores multi contineantur, eos omninò etiam euacuandos censemus, non neglectâ tamen malignitate, vt postea dicetur.

Itaque vt ex iisdem principiis quæstionem hanc concludamus, perpendendum, an ex sudoriferorum vsu plus commodi, quam damni in malignis febribus sperandum sit: quod ex eo cognoscemus, si considerauerimus, an febris, an verò malignitas plus vrgeat. Etenim si magnum à malignitate impendeat periculum, quod plerumque accidit: mox post primarum viarum euacuationem ad alexipharmaca & sudorifera accedendum. Vbi, quod libenter concedimus, temperata præcipuè, & quæ febrem non augeant, vsurpanda. Si tamen illa non sufficiant: plus commodi ex malignæ materiæ per sudorifera omnino[?] calidiora discussione, quam ex aliquali calore accenso oritur; potéstque calor ille aliis medicamentis adhibitis iterum facilè temperari. Si verò febris plus vrgeat, vt aliæ putridæ febres quidem curandæ: interim semper alexipharmaca admiscenda, & præcipuè talia, quæ simul ad διαπνοὴν & sudores corpus disponunt, & expulsionem malignorum humorum promouent, vt antea dictum, vt postea cocta & victa materia facilius Naturæ seu artis beneficio per sudores expelli possit.

Venæsectio. Postea, si opus sit, venæsectio instituenda est maturè, antequam scilicet omnia in corpore turbata fuerint. Vbi scilicet sanguis vel copia peccat, vt vasa distendat, vel viribus oneri est, vel motu aliquo concitatur, vt metuendum sit, ne in principem partem rapiatur. Et licet commodius sit: vt ante venæsectionem primæ viæ euacuentur; si tamen morbus moram non patiatur, etiam sine ista euacuatione statim venam aperire licet. Ne tamen planè negligatur hæc viarum euacuatio, per clysteres fieri potest, qui nec vires deiiciunt, nec reliquos humores turbant, & citò operantur, nec aliorum medicamentorum vsum remorantur. Sint tamen clysteres leniter.

Vbi verò progressum malum fuerit, ac in totam massam sanguineam malignitas diffusa, sanguinis missione non solùm nullum auxilium Naturæ ferimus; sed vires potiùs debilitamus. Itaque si principium iam præterlapsum sit, tutiùs intermittitur, quam intempestiuè instituitur venæsectio.

Si verò sanguinis euacuatio quædam requiratur: virtus tamen debilior eam non admittat, cucurbitulæ, quæ sanguinem citra insignem virium iacturam detrahunt, caloremque à partibus internis, & spiritus malignitate ac veneno infectos cum sanguine reuocare, versus exteriora apprime vsurpandæ. Applicantur autem commodissimè partibus inferioribus, cruribus nimirum, vt vna etiam humores vitiosi quam longissimè à corde & cerebro, nobilissimis corporis partibus ad inferiora reuellantur. Adhuc verò commodior, multique vsûs est venarum in pedibus apertio.

Purgatio. Purgationem quod attinet, alia in initio harum febrium plerumque non conuenit, nisi quæ primas vias, in quibus non rarò multi humores vitiosi, qui febrem vel fouent vel augent, continentur, euacuat, & reliquos humores non agitat: Purgantia ergo initia sint, qualia suprà in curatione pestis proposita. Certũ enim & experientiâ confirmatum est, fortiorum purgantium vsu in febribus pestilentibus & malignis plurimos periisse, benignorũ verò multos seruatos fuisse. Ipsi enim putridi & maligni humores maximè naturam stimulant, qui si paulò vehementiùs agitentur, validissimas deinde euacuationes efficiunt, & non rarò periculosas diarrhæas excitãt. Et compertum est, quosdam cùm purgationem, quâ corpus à morbo præseruarent, vsurpassent, ac fomitem febris malignæ iam circumferrent, humoribus agitatis in febrem malignam incidisse, maculásque eruptisse, & intra paucos dies mortuos esse. Ita memini studiosum cùm de dolore capitis conquereretur, nec de morbillis quicquam suspicaretur, purgatione sumta paulo pòst morbillos erupisse, sed imperfectè, licet medicamenta diligenter adhiberentur, & statim iterum euanuisse, subsequente alui fluxu, & pertinaci tussi. Quapropter lenes clysteres hic valde vtiles sunt, & tutò applicantur, aut, lenis planè medicamenta.

Vomitoria. Si materia ad superiora vergat, & nauseæ vrgeat, materia per vomitum euacuanda: quem in finem vomitoria suprà, *l. 2. c. 6.* proposita conuenientia exhibentur.

Verùm in genere hæc satis determinari nequeunt; in speciali de Febribus hisce tractatione res clarior fiet. Etenim febres tales pestilentes malignæ interdum per contagiũ propagantur vbi tutissimum est, conceptum quocunque modo inquinamentum per sudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & postea, opus sit, purgationem & venæsectionem instituere. Interdum etiam natura ipsa ad ambitum corporis materiam expellit, vt in variolis & morbillis fieri solet. Ac tunc etiam Natura in opera suo turbanda non est, nec materia, quæ ad ambitum corporis protruditur, purgantibus ad interna reuocanda, sed potiùs naturæ alexipharmacis & sudoriferis in opere adiuuanda.

Interdum verò febris à vitioso humorum apparatu ortum habet, aut certè fouetur, & materia vitiosa in ventriculo, circa præcordia, in intestinis hærens, nausea, dolore, æstu, anxietate, & aliis indiciis sese manifestat, quæ necessariò quamprimùm vel vomitu, vel per aluum euacuanda. Et solet sæpe in primis viis magna saburra vitiosorum humorum contineri, præcipuè in febribus pestilentibus, quæ à victu prauo originem habent; qui febris vel primam originem dederunt, vel symptomatum vehementiam augent, quam cùm natura ipsa sæpe per vomitum excludere cum ἀναφορᾷ[?] soleat, Medicus eam adiuuare debet. Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, quæ tamen talia sint, ne febris per ea augeatur. Ideóque postea ea adhibenda, quæ temperatiora sunt, simúlque febri & putredini resistunt, qualia sũt. *Acetosa, poma citri, granata, pentaphyllum, tormentilla, cornu cerui, ossa de corde cerui, lapis bezoar, bolus Armenus, terra sigill. rosa, camphora, & similia,* & ex his parata medicamenta, quorum suprà in præseruatione & curatione pestilentiæ facta est mentio, postea etiam aliquot recensebuntur. Ad quæ pertinent & bezoartica mineralia, & diaphoretica dicta, quæ Chymici ex ♁. ☿. ✶. parant, quorum descriptiones passim extant plurimæ.

Cùm tamen ex his quædam frigida & sicca sint, metuendúmque, ne obstructiones in corpore augeantur, fuliginosǽque malignæ retineantur, crisisque, retardetur: alia his admiscenda sunt, quæ penetrant, & expulsionem humorum corruptorum promouent, vt *Carduus benedictus, scordium, scabiosa, angelica, pimpinella*, & similia. In primis aquæ bezoardicæ sæpiùs exhibendæ sunt, quæ ita temperari possunt, vt simul febri & putredini resistant. Ideòque iis admiscenda syr. acetosit. citri, granator. acetosæ, acetosell. ribes, rubi Idæi, oxysacch. s. &c.

Illitiones ad sudores.

Antiqui non solùm internis, sed & externis medicamentis ad sudores mouendos vtebantur: Et celebris est inter alia, inunctio Aetij, quæ paratur *aqua & olei communis*, an. ℥. iij. *nitri* ʒ. ij. quæ coquuntur vsque ad aquæ consumtionem. Quo vnguento totum corpus bis terue leni frictione inungitur, vt pori cutis aperiantur. Loco ol. communis, oleo amygdal. dulcium, amaracinum, chamæmelino, anethino, sambucino, pro morbi ratione, vti licet: vt & aquæ communis loco, aliquâ destillatâ conueniente.

Vtuntur & hodie Ægyptij ad omnes corporis partes talibus linitionibus cum lenibus perfrictionibus administratis: quas præstant cum oleo rutæ, aut amygdalatum, aut chamæmelino, aut iunipecino, & nitro rubeo. Qua frictione cum linitione hac in multis ad sudores aptis largum sudorem conritant, atque sic morbum finiunt. Hoc auxilium in pestilentibus febribus, in quibus exanthemata apparere incipiunt, vel extrusa sperant, plurima cum vtilitate exercent, semel ad minimum in die, probè calidam molientes initionem, à qua statim febricitantes multis pannis cooperientes sudorem promouere, venenosúmque humorem à visceribus ad cutim trahere student. In pueris etiam atque infantibus, variolis suspectis vel malignis exanthematibus, nullum præstantius, neque familiarius habent auxilium, vt hæc de re scribit Prosp. Alpinus, *lib. 4. de Med. Ægypt. cap.* 15.

Vesicantia.

Imminutâ materiâ etiam vesicantia, è cantharidibus, sinapi, nasturtio, fermento, eamunculo & similibus, nonnulli applicant. Verùm de hoc remedio apud quosdam altum est silentium: apud alios grauissimæ & prolixæ controuersiæ, atque de vesicantibus & phœnigmis integri tractatus scripti extant, vt apud Herculem Saxon. *tractatu de phœnigmis*, videre est. Verùm vt breuissimis hanc rem attingamus, non inconueniens videtur, si cruribus vel etiam brachiis, supra cubiti flexuram extrà, vel paulò supra carpum ea imponantur, prout locus, ad quem materia, quam reuellere & deriuare cupimus, ruit, aut circa quem præcipuè hæret, monstrat: cùm citò, tutò, & sine multa molestia, atque sine virium debilitatione materiam venenatam ab interioribus, vt & è capite, ad ignobilissimas corporis partes euocent, atque ipsa experientia testetur, multos à grauibus malis hoc modo liberatos fuisse.

Cùm verò cantharides in nonnullis naturis incommoda vesicæ afferant, ne quid tale accidat, videndum: & si quid tale metuendum sit, (sæpissime tamen nihil incommodi ex vsu cantharidum oriri, experientia docet) tutiùs sinapismi, quam vesicantia è cantharidibus, adhibentur. Et in vsu tam vesicantium, quàm sinapismorum hoc obseruandum, ne mox, vt dictum, in principio, sed imminutâ aliquâ ex parte materiâ, applicentur. Deinde, si forsan critica aliqua per aluum euacuatio accidat, ne illa impediatur, & quos ad aluum natura mouet humores, ad ambitum corporis retrahantur. Et proinde nec die critico applicanda, ne Natura fortè *κρίσιν* instituturа in opere suo impediatur.

Malignarum febrium curatio.

Si verò febris maligna fit in specie ita dicta, idem quod antea de pestilentibus dictum, perpendendum, & videndum, an malignitas, an verò febris plus vrgeat, & præterea etiam an ab interno humorum apparatu an per contagium malignitas hausta sit, & quò natura ipsa vergat. Nam si per contagium contracta sit febris, vel etiam ipsa natura ad ambitum corporis tendat, tutissimum est, mox sudoriferum exhibere, morbo & aliis circumstantiis conuenientes, & quidem temperata possunt tunc vsurpari, & postea reliqua, vt morbus requirit, & de febre pestilenti dictum, peragenda. Comperique sæpe, febres, quæ primò continuæ erant, & malignitatis suspitionem præbebant, lenis sudoriferi & bezoardici vsu, in benignas & intermittentes mutatas fuisse. Si verò ex prauo humorum apparatu febris sit, & non minùs vrgeat putredo, quàm malignitas, non ita ad sudorifera properandum, sed primæ viæ primùm euacuandæ sunt, & non solùm clysteres, sed & lenientia locum habent, syr. ros. solut. manna, cassia, tamarindi, rhabarbarum, agaricus, tryphera Persica.

Purgatio.

Et omninò, quod iam suprà etiam monui, hîc iterum repetendum est; In curatione febrium cùm pestilentium tum malignarum diligenter statim initio, corporis constitutionem, & victûs rationem quæ præcessit, considerandam esse. Nam si ex iis, aliisque signis pateat, multos vitiosos humores in ventriculo & vicinis locis abundare, à quibus grauia circa ventriculum symptomata oriuntur, ipsaque febris fouetur & augetur, danda est opera, vt ij quamprimum euacuentur. Cùm verò clysteres eò non penetrent, vel vomitu reiiciendi, vel per aluum euacuandi sunt, vt modò dictum. Vtile etiam hîc est serum lactis depuratum. ℔. ii. mensura præter propter acceptum, modico mannæ adiecto, quod & aluum mouet & febrilem calorem temperat. Et licèt aliquid eius retineatur, & per venas distribuatur: tamen sanguinis feruorem supprimit & mitigat, ac calorem febrilem alterat. A fortioribus verò, scammoniaco, colocynthide, turbith, & similibus planè abstinendum. Tempus tamen hîc diligenter notandum, & perpendendum quomodo febris sese habeat. Nam si putredo statim incrementum sumat humorúmque efferuescentia statim maior sit, illicò, vt in aliis acutis, & præcipuè si humores turgeant, purgandum, nec nisi ad tertium diem ad summum purgatio differenda. Quod tempus si præter fluxerit, quiescere tutius est, aut clysteribus saltem rem agere, quam medicamenta intempestiuè exhibere, & maiorem humorum ebullitionem excitare. Et quidem si humores vitiosi multi in primis viis hæreant, ante venæ sectionem id faciendum: si verò vitiosi humores in primis viis multi non sunt, sed materia peccans præcipuè in venâ caua hæreat, venæsectio, præmisso tamen clystere, prius instituenda. Si verò putredo non citò serpat, & febris sit mitior, purgationem etiam tardiùs, ante septimum tamen, instituere licet.

Quæ de vomitu dicta antea sunt, etiam hîc locum habent. Interim alexipharmacis cor semper roborare vtile est.

Venæsectio.

Primis viis, vel etiam turgente materiâ euacuatis, statim venæsectio, si ob causas antea enumeratas eâ opus sit, & quidem ante quartum diem instituenda, eo modo, vt antè dictum.

Sudorifera.

Post corporis euacuationem & venæsectionem, vtile est sudoriferum aliquod, sed quod febrem non augeat, exhibere.

Vt ℞. *Boli armeni, terræ sigillata, radic. tormentillæ, scordij*, C.C. an. ʒ. ß. F. Puluis.

Qui exhibeatur in aqua scabiosæ vel cardui bened. Vel exhibeatur pulueris bezoardici nostri ℈. ij. vel Drach. i. Cuius descriptio hæc est.

℞. C.C. *s. vstion. præpar.* ʒ. i. ß. *oculorum cancri præparat. terræ sigillat. ol. succini, margaritar. præparat. corall. rubr. præpar. an.* ℈. i. *oss. de cord. ceru. smaragdi præparati, hyacinthi præparat. rubini præparat. an.* ℈. ß. *lap. bezoartici Orient.* ℈. i. *fol. aur.* num. i. F. Pulnis.

Cui in vsu præterea, lapidis bezoardici g. iij. vel grana aliquot salis C.C. volatilis, vel bezoardici mineral. addi possunt.

In primis verò vtiles sunt aquæ destillatæ, vt antea etiam dictum, ob summam penetrandi vim.

Fortioribus verò sudoriferis vires debilitantur, & cùm humores in hisce febribus non semper ita dispositi sint, vt per sudores discuti possint, discutitur tenuius, crassius relinquitur.

Alterantia & præparantia.

Quapropter præparatio & alteratio humorum conueniens instituenda. Solet enim in hisce etiam febribus Natura humores adhuc coquere. Quæ propterea adiuuanda iis remediis, quæ aperiunt, humores incidunt, ebullitionem & putredinem sistunt; febris feruorem extinguunt: è quibus semper eligenda & admiscenda, quæ malignitati resistunt. Excellant in hoc genere, *Acetosa, scordium, carduus benedictus, semen citri, radices tormentilla, scorzoneræ, pentaphylli, succus & syr. citri, vinum granatorum, oxysacchara.*

Spirit. vitriol. vsus in febribus malignis.

Magnus etiam hîc vsus est spiritus vitrioli, qui insignem vim putredinem sistendi, obstructiones aperiendi, incidendi, attenuandi, abstergendi, corrupta separandi, reliquorum medicamentorum actiones intendendi obtinet. Idémque aliis etiam de causis commodissimè aliis medicamentis admiscetur. Nam cùm syrupus de cichorio, de endiuia, violarum, nymphææ, & plures alij syrupi, ob sacchari admixtionem, soli febribus extinguendis vix sufficiant & vel in bilem mutentur, vel bilem certè non satis domeut, nec sitim extinguant: si his spiritus vitrioli addatur, vt aciditatem aliquã contrahant, sitim longè felicius sedant, calorẽ extinguunt, omnésque suas operationes rectiùs expediunt. In huius tamẽ vsu id obseruandũ, læsis pulmonibus, vel rupto aliquo vase, vel exulceratione internâ aliquâ phthisi, sputo cruento, dysenteria, sanguinis mictu, renũ ac vesicæ vlceribus, pleuritide, vẽtriculi inflãmatione, & omnibus ferè pulmonis affectibus, nisi forsan à crassa pituita vasa pulmonis obstruente, ortum habeant; vt & senibus macilẽtis ac tabidis, ab eo abstinendum esse.

Vtilis est & hic syrupus ad alterandum putredinem inhibendam, sitim sedandam, qui, si libet, aquis conuenientibus dilui potest.

℞. *Aceti tunic. rubi Idæi, sacch. albi*, an. ℔. ß. Bulliant in vase vitreo clauso hora j. Pactâ residentiâ colentur, & in loco tepido stent diebus aliquot, & feces, si quæ subsederint, iterum separentur. Addantur *spiritus vini* Vnc. iij. *cortic. citri recent.* Vnc. ij. Stent iterum in digestione. Postea colentur *syr. acetos. citri*. Vnc. iiij. *spir.* vitriol. Scr. ij. & si libet *ol. cinnamom.*

Insignes etiam in hisce febribus vires habet compositus ille spiritus ex spir. tartari, vitrioli, & aqua theriacali suprà descriptus.

Habéntque ista medicamenta pleraque etiam vim simul sudores mouendi. Et quanquam nõ semper statim sudor sequatur; tamen medicamenta talia continuanda, & singulis diebus exhibenda sunt, vt corpus ad sudores sensim disponatur, & natura tandem sponte suo tempore humores vitiosos per sudores expellat; quæ ita comparari possunt, vt simul febri & putredini resistant.

In hanc vsum sæpe aquæ contra febres malignas alicuius ℥. ii. cum syr. aliquo conueniente dentur.

Vtilis & hæc est. ℞. *Succi citri, acetosæ endiuiæ, galegæ, taraxaci, borragin.* an. ℔. i. ß. *cardui bened. cardui mariæ, scordij, scabiosæ. rosar.*

rasur. Prouincial. an. ℔. i. *pomorum citri cum corjce & seminibus concisorum*, num. vi. *rasura C. C. crud.* ℔. ß. Stent in infusione horis 24. Postea destillentur F. Aqua contra febres malignas.

In frequenti etiam vsu est in pestilentibus ac malignis febribus Aqua cordialis Herc. Saxoniæ, quam describit *de febribus libro 8. cap. 37.*

Vel detur subindè & singulis diebus aliquid istius pulueris, cum aliqua aqua conueniente.

℞ *Rad. zedoaria, angelica, helenij, aceto scordij praparat.* an. ʒ.ii. *tormentilla* ℥.i.ß. *fol. acetosa, scordij, cardui bened.* an. ʒ.ii. *sem. citri excortic. acetosa, aquilegia*, an. ʒ.i. *santali citrini, succini albiss.* an. ʒ.i.ß. *terra sigillat. boli Armeni, margarit. prapar. corall. rubr. prap.* an. ʒ.i. C.C. *vst. prapar.* ℥.ß. *Oss. de C.C.* ʒ.i. *croci* ʒ.i. Puluerisatis adde *spec. liberant. s. aloe, dianmarg. fr. de gemm. frig.* an. ʒ.i. F. puluis contra febres malignas.

Purgatio.

Vbi humores iam satis præparati sunt, nisi natura sponte eos expellat, per viam conuenientem euacuandi sunt. Sed & tum lenioribus medicamentis vtendum. Et purgatio vix ante diem decimumquartum instituenda; imò si humores abundent pituitosi vix ante 17. diem tentanda.

Vrinam ciendo.

Si ad vrinam vergat materia, emulsione seminum melonum, citri, cardui bened. cum aquis acetosæ, capillorum ♀, & similibus natura adiuuanda.

Topica.

Toto verò morbi tempore tam in malignis, quàm pestilentibus febribus, pulsibus & cordi medicamenta cor roborantia & malignitati resistentia applicanda, quæ passim extant.

An epithemata cordis in febribus malignis conueniant.

Mouetur quidem hic à nonnullis quæstio de vsu epithematum cordis in febribus malignis, petechialibus, variolis, morbillis & similibus, An ullum locum habeant, necne. Et quidem nonnulli ea ad cor roborandum admittunt; alij verò, vbi exanthemata pestifera efflorescunt, cordi imponenda non censent, ne παλινδρομὴ & recursus humorum ad cor, partem nobilissimam, fiat; & ne cutim densando fuligines & fumosa excrementa, quæ cor motu suo expellit, retineantur, & hinc putredo maior febrisque acrior excitetur, & crisis impediatur. Verùm enimuerò si epithemata non sunt valde adstringentia & repellentia, sed in qualitatibus actiuis temperata, (adstringentia enim & refrigerantia valde, meritò suspecta sunt) in reliquis moderatè siccent, & inprimis peculiari facultate cor roborent: non tantùm sine vllo periculo, sed & cum commodo vsurpari possunt. Neque enim Natura fuligines malignas solùm per cutim cordi superpositam expellit, neque epithemata cordis regioni imposita totius corporis cutim adstringere & occludere valent: sed potiùs Natura epithematum auxilio fortior facta, promptiùs reliquam materiam vitiosam ad ambitum corporis expellet.

Diæta.

Diætam quod attinet, Cibus sit boni succi & facilis coctionis, & cùm vires langueant, cauendum, ne natura copiâ cibi oneretur. Cibi quoque iis rebus, quæ huic febris conueniunt, condiendi sunt. A vino, nisi forsan syncope immineat, abstinendum: Commodior verò est potus tenuis Cereuisiæ: commodè etiam præbetur decoctum Cornu cerui, cum spiritûs vitrioli ea quantitate, quæ ad gratam aciditatem sufficit: cui etiam iulebi rosarum, vel violarum aliquid admisceri potest: Sitim enim sedat, obstructiones aperit, putredinem arcet, malignitati resistit. Nec cum iis sentio, qui C.C. decoctum non plus virium habere putant, quam aquam, in qua lateres igniti extincti sint. Plurimorum enim doctissimorum Medicorum obseruatione deprehensum est, vim insignem in Cornu cerui etiam vsto inesse, vt hanc negare summæ sit pertinaciæ. Ægyptij, vt Prosper Alpinus, *lib. de Medic. Ægypt. cap. 4.* refert, pulpam tamarindorum, & berberis fructum exsiccatum, cum seminibus fœniculi vel citri, in plurima aqua communi infundunt, potúmque ita parant, quem ægris in febribus malignis & pestilentibus toto morbi tempore concedunt, plurimúmque in huius potus vsu confidunt, cùm tamarindorum & berberis fructus febrium putredini maximè resistere compertum habeant. Reliqua commodiùs iam in specie explicabuntur. Etsi enim in malignitate omnes hæ febres conueniant: tamen natura humoris maligni non semper est eadem, quæ etiam curationem in nonnullis variat, vt ex sequentibus patebit.

CAPVT XII.

De Variolis & Morbillis.

Etsi autem cùm veneni & malignitatis natura sit latens & abscondita, pauca de differentiis eius dici possint: quia tamen effectibus & symptomatibus sese malignitas latens prodit, quæ iam symptomata & morbos, qui aliquam in hisce febribus differentiam videntur constituere, in specie perpendemus. Et primo loco agemus de variolis & morbillis.

Variola & morbilli.

Notissimum autem hodie morbi genus est, quod variolarum & morbillorum nomine appellatur: Verùm cui variolarum, cui morbillorum nomen attribuendum sit; & an antiquis hoc malum cognitum, ac quo nomine appellatum fuerit, non satis clarum. Græcis vsitata sunt τῶν ἐξανθημάτων καὶ ἐκθυμάτων vocabula; quæ etsi non semper distinguantur, tamen cùm duplex sit τῶν ἐξανθημάτων genus, vnum, quod saltem colorem cutis mutat; alterum, in quo pustulæ quædam eminentiores in cutem erumpunt. Posterius hoc genus ἐκθυμάτων nomine propriè appellari posse, patet ex Galeno, 3. *Epid. comment.* 3. *t.* 51.

ἐκθύματα.

An variola & morbilli antiquis noti fuerint.

Neque enim credendum est, antiquis Græcis morbi hoc genus planè incognitum fuisse. Nam quæcunque huius morbi causa sit, de qua inter Medicos, vt postea dicetur, non conuenit, nihilominus etiam apud Græcos illa locum habuit, & descriptiones à nostris non planè discrepant. Ac si Arabum ætate, quod nonnulli volunt, primum hic morbus cœpisset, procul dubio vt noui morbi Arabes in suis scriptis mentionem fecissent. Et licèt sint quædam, in quibus exanthemata Hippocratis, Galeni, Aetij cum nostris variolis & morbillis forsan conuenire non videantur; tamen sciendum, nec nostras variolas & morbillos semper eiusdem generis apparere, & eiusdem generis morbos aliis atque aliis sæculis ea diuersitate regionum & victûs, ex peculiari vi siderum, ex vario hominum vitæ genere, & causis aliis cùm externis tum internis, quasdam mutationes & differentias accipere posse. Interim tamen multa, quæ tum ad naturam horum, tum ad curationem spectant, communia habent. Et licèt seorsim ac singulatim de iis non tractarint Græci; ideò tamen illis ignotos hos morbos fuisse, dicendum non est. Cùm enim saltem morborum epidemiorum comites sint; & per modum criseos in morbis contagiosis & malignis erumpant, peculiariter etiam de iis non tractarunt; sicut nec de contagio & aliis, quæ pestilentes morbos comitari solent.

Latini papulas & pustulas appellant. Hodie dicuntur variolæ & morbilli, variolæ quidem quasi parui vari, vel quòd cutem varient, vt nonnullis opinantur. Morbilli verò quasi parua pestis; *il Morbo* enim Italis in specie pestis dicitur: habéntque morbilli hoc nomen, quòd pesti magis cognati sint. Sunt enim variolis deteriores.

Qui autem affectus variolarum, qui morbillorum nomine sit appellandus, Authores non conueniunt. Nonnulli pustulas illas eleuatas, quæ in pus mutantur, morbillos dicunt, alias verò, quæ saltem colorem cutis variant, variolas nominant, & hinc etiam variolarum nomen deducunt. Verùm plerique doctiores Medici contrario modo has voces vsurpant, & variolas quasi paruos varos dictos putant, & hoc nomen tribuunt pustulis illis eminentibus, humore plenis & quæ plerumque suppurantur, quas Germani *die Blattern* & *die Bocken*, nominant. Morbillos verò vocant maculas in cute efflorescentes seu exigua rubra tubercula, quæ Germani *die Masern* appellant. Verùm si de rebus constat, facilè de verbis conueniri potest.

Variola vnde dicta.

Germani.

Notandum tamen hîc, etsi apud Medicos plerosque saltem duorum vocabulorum mentio fiat, Morbillorum scilicet & variolarum, tamen plures omnino sunt, aut certè specierum harum differentiæ, quas etiam Germani, vt & aliæ Nationes, vulgò peculiaribus nominibus exprimunt. Sub nomine *Blattern, vnd Böcken* equidē variolas comprehendunt, quarum tamen est quædam differentia, & præter communes variolas & morbillos à vulgo nominantur *Schaffsblattern vnd VVindböschen, die Steinbocken, Ritteln oder Rotteln*. Et rursum variolæ communiter dictæ, *die Blattern vnd Bocken*, non planè eiusdem modi sunt. Aliæ enim sunt maiores, aliæ minores, quædam albicant, quædam liuent, vel alterius coloris sunt, quædam statim erumpunt & in altum attolluntur ac maturantur, ac circulo cinguntur rubro & sine grauibus symptomatibus erumpunt, & periculosæ non sunt; aliæ sunt liuidæ & tardè erumpunt, vel statim iterum subsident, & habent circulum liuidum, quæ plerumque lethales sunt. *Die Schaffsblattern oder VVindbocken* per Crystallos expressisse videtur Ioh. Ph. Ingrassias *de Tumorib. p. n. tomo* 1. quæ sunt pustulæ per vniuersum corpus dispersæ, lupini ferè magnitudine plus minúsue albæ, ac instar Crystalli resplendentes, à quibus aquositas quædam deinde effluit, súntque hæ minùs periculosæ & sæpe citra nobilem febrem infantes prehendunt. *Die Steinbocken* verò sunt tubercula quædam parua, sine multa sanie, sparsim nec copiosè erumpentia, omnium ferè minutissimæ variolæ, quæ pene citra febrem infantes inuadunt, vt rarò decumbant, citissimè etiam sanantur.

Ad morbillos procul dubio pertinent *Ritteln* vel *Rotteln*, à rubore procul dubio sic dicta exanthemata, quæ sunt tubercula pusilla rubea cum calore aut tussi inuadentia ac aliis morbillorum symptomatibus; minùs tamen, quàm vulgares morbilli, periculosa, euanescunt etiam instar morbillorum. Et quandoque sola inuadunt quandoque morbillis intersperguntur; quandoque sanatis variolis superueniunt. Hoc malum Rubeolam appellare videtur Haly Abbas *lib. 8. theoric.* 14. *Est species* inquit, *aliqua, qua vocatur rubeola qua ex sanguine fit calido & subtili & non multum malo & hac species cum ad statum peruenerit, similis fit milij granis* (vnde etiam sub nomine miliarij descripta videtur) *aut paulò maior, & eius color rubens, nec aperiuntur pustula, sed fluunt*, id est, insensibiliter discutiuntur & euanescunt.

Rubeola.

Præter has differentias adhuc alia est, sed rarior quidem, quam aliquoties obseruaui, quo nomine tamen ab aliis discernerem, hactenus dubius fui. Etsi enim instar erysipelatis totum ferè corpus prehendat; tamen non vidi quòd adultos, quod in erysipelate fieri ferè solet, sed infantes solùm corripiat. Malo

ex multis, quos maligna febre in hospitali curauerat, plures mortuos fuisse quibus sanguis secta vena missus fuerat; pauciores, in quibus abstinuerat. Et P. Forestus refert, in peste Delphensi, quæ anno 1559. grassata est, eos, quibus post duodecim horas vel diem naturalem vena aperta fuisset, mortuos esse; vel admodum paucos ex iis euasisse. Neque aliter fieri potest: Nam si naturam pestilentiæ consideremus, & contra naturam venæsectionis, & cuius gratia adhibeatur, perpendamus: liquidò constabit, pestilenti veneno nō opponi venæsectionem, neque per venæsectionem illud educi posse: imò facilè fieri potest, vt vires, quæ aliàs in hoc morbo valdè periclitantur, intempestiuâ venæsectione labefactentur, naturæque motus in expellendo veneno impediatur, illódque introrsum rapiatur.

Etsi enim Lud. Septalius, *in animaduers. medic. lib. 5. num. 36.* scribit, in peste illa insigni, quæ Mediolani anno 1576 grassata est, se cum aliis Medicis primò quidem venæsectionem auersatum fuisse, verùm cùm ex sententia curationes non succederent, mutatâ sententiâ, aliorum exemplis & felicioribus successibus excitatum, venæsectionem postea feliciter adhibuisse, tamen id ad omnem pestilentem constitutionem trahi non potest. Addit enim ipse, *ibid.* Septalius, quòd pestis ea non ex vniuersali aëris corruptione orta fuerit, sed Contagione communicata, salubri alioquin cœlo & anni constitutione saluberrimâ, & rerum omnium, quæ ad victum faciunt, maximâ abundantiâ, & quod corpora Mediolanensium alioqui succi plena sint. Itaque ipse concedit, venam non esse secandam, si pestis sit ab vniuersali aëris corruptione, vel victu prauo.

Quapropter non in qualibet pestilenti constitutione, nec in quolibet corpore sanguis mittendus, sed si ea deprehendatur in corpore aliquo sanguinis copia, vt metuendum sit, ne putrida febris vehemens, à qua æger non minùs, quam ob ipsam pestem periclitari possit, accedat; aut sanguinis ad loca inconuenientia impetus animaduertatur, vnde pestis curatio impediri aut retardari possit, aut quod Fallopius addit, si bubo delituerit, viréfque potiùs sine copia oppressæ, quàm dissipatæ: tum demum sanguinis missionem instituere licet; tantam tamen quantam vires ferunt. Et quidem mox in principio instituenda est venæsectio, intra 24. horarum, aut non multò plurium spatium: quibus elapsis, venæsectio ampliùs non conuenit.

In vena autem aperienda obseruandum, an dolor aliquis alicubi in corpore appareat, necne. Nam si nullus vllibi dolor animaduertatur, vena aliqua in brachio communis aperiatur. Si verò dolor alicubi deprehendatur, (vbi Bubo vel Carbunculus sit erupturus) in eo latere vena aperienda, & quidem ea, quæ naturæ motum adiuuet, non impediat. Ideóque si parotis post aures, vel bubo sub axillis, aut carbunculus in partibus superioribus erumpat, in brachio eiusdem lateris vena aperienda. Si autē circa inguina naturam aliquam expulsionem moliri animaduertamus, Saphænam, vel aliam pedis venam eiusdem lateris aperire commodum est. Si tamen carbunculus in alterutro crure oriatur, cùm is inflammationem & dolorem vehementissimum, quo vires deiiciuntur, excitare soleat, commodum est, in opposito crure venam aperire. Neque enim hoc modo materiæ motus impeditur, sed ita etiam a partibus superioribus materia versùs inferiora trahitur, simul verò nimius ad locum affectum affluxus, & inflammationis augmentum prohibetur. Monent etiam quidam, si carbunculus vel bubo appareat, antequam venæsectio instituatur, priùs cucurbitulam tumori applicandam esse, ne venenum, quod natura ad exteriora expulit, venæsectione ad interiora reuocetur.

Purgatio.

De purgatione in peste curanda non minor est controuersia. Verùm ne prolixè hac de re disputemus: hoc primò tenendum, Nullo purgante medicamento, vt Cratonis verbis & sententiâ vtar, seminarium pestis eiici; nisi fortassè magna naturæ commotione facta, quod fit satis periculosè, cum Antimonio & similibus, quorum vsu natura irritata cum noxiis quoque vtilia eiicit. Nimirum licèt fieri possit, vt natura fortioribus medicamentis, præcipuè ex ☿ & ♃ paratis, irritata, humores vitiosos è corpore expellat, atque vnà, quod eos occupauit, pestilens venenum eiiciat, indéque ægri sanentur: hoc tamen ex accidente fit, in naturis quibusdam fortioribus. Ipsum verò purgans medicamentum primariò pestilenti veneno non opponitur: imò sæpe talia purgantia plurimùm nocent. Nam cùm Natura plerumque venenum pestilens ad ambitum corporis expellat, purgatione hic motus materiæ impeditur, venenúmque pestilens ad interiora retrahitur, humoribúsque magis permiscetur. Ideò & humorum motu concitato, periculosæ, imò lethales vomitiones & diarrhϾ excitantur. Quapropter in primis in Alexipharmacis, non in purgatione, salutis spes, post Deum, in peste collocanda: quæ si rectè adhibeantur, purgantibus sæpe opus non est. Interdum tamen etiam post alexipharmaca, purgantia vsurpanda.

Duo enim hic perpendenda. 1. Diligenter corporis constitutio, quod peste corripitur, consideranda; & quomodo post Alexipharmacum sumtum sese æger habeat, qualisque febris pesti accedit, attendendum. Nam si corpus purum sit, nec de febre aliqua putrida periculosa metus, sola Alexipharmaca sufficiunt, atque vnicè danda opera, vt per sudores pestilens venenum discutiatur, & per ambitum corporis, quæ via est commodissima, eiiciatur: sicut sæpe compertum est, homines à peste vnico sudore largiore liberatos fuisse. Si verò corpus Cacochymicum sit, & metuendum idem ferè periculum ex febre putrida atque à peste: post sumtum Alexipharmacum, medicamentum purgans exhibere inutile non est, vt pars aliqua materiæ putredinem concepturæ, febrémque aucturæ subtrahatur, vt natura reliquum faciliùs vincere possit.

Deinde & illud considerandum; An pestis quæ grassatur, magis ab aëris vitio aut contagio ortum habeat, An verò potiùs ab interno humorum vitio dependeat; vt fit post annonæ caritatem. Nam si ab aëris, qui inspiratione attrahitur, aut contagij venenositate, spiritûs vitales inficiente, pestis ortum habeat, purgatione opus non est, sed alexipharmaca sufficiunt: nisi forsan pestis in corpus valde cacochymicum incidat: tum enim interdum Purgatio non inutilis est, licèt non pestis, sed febris tantùm putridæ subsecuturæ ratione.

Si verò, quod interdum fit, ab interna humorum corruptione Pestilentia maximam partem ortum habeat: purgationem instituere non solùm vtile, sed & necessarium est. Nam si corpora prauis & corruptis humoribus scateant, purgatio instituenda est, ne illi aliorum medicamentorum vsu inflammentur, aut ab humoribus corruptis venenum fortius euadat, ac sese latiùs disseminet, aut humores illi copiosi agitati in nobilem aliquam partem irruant, & inflammationem lethalem, pleuritidem, phrenitidem, anginam, vel aliud periculum creent, & omnino ne febris putrida periculosa accendatur. Vnde, si purgatio omittitur, licèt pestilentis veneni vires per Alexipharmaca fractæ sint, malum non rarò in alium, non minùs periculosum morbum degenerat.

Qui verò solùm purgantibus initio exhibitis venenum pestilens è corpore tollere conantur, frustra laborant, imò ægrum in vitæ discrimen coniiciunt. De qua re pluribus dictum in *Institut. lib. 5. part. 2. sect. 1. c. 6.* Quia tamen Lud. Septalius, *animadu. medic. lib. 5. n. 46. & seqq.* acriter defendit, in pestis curatione à purgatione inchoandum, à sudoriferis verò omnino abstinendum esse; eius opinionem adhuc examinare libet. Vtitur autem mox in principio distinctione Septalius, & si pestis per contagium vagetur, ac hominibus optimè sanis communicetur, à purgantibus abstinendum censet, cùm si exhibeantur, carnes colliquent, bonos humores euacuent, spiritûs exhauriant, & vires vitales destruant. Si verò corpus prauis humoribus refertum sit, omnino purgandum esse censet, præsertim cùm nostra ætate tot medicamenta purgantia inuenta sint, quæ neque venena sint, neque venenatam naturam participant, neque etiam alui fluorem concitare solent.

Et quidem statim initio, aut saltem secundo die purgandum putat, idque ideò primò, quòd materia hæc cruda, cuius purgationem prohibet Hippocrates, 1. *aphor.* 22. non sit, veluti quæ coctionem nullam recipere potest; (cruda enim ea dicuntur, quæ coctionem recipere apta non sunt,) sed summopere corrupta, quæ ad statum meliorem nullum reduci potest. Deinde quòd maxima ex parte turgeat, & principes partes imperat, vt ea varijs, quæ natura tentat, excretionibus, per aluum, vomitum, per sudores, per vrinas, per cutis efflorescentias, per carbunculos & bubones videre est. Imò etsi non turgeat, statim tamen euacuandam esse docet materiam pestilentem, ne reliquos humores inficiat & corrumpat. Et frustra expectari coctionem, quæ nulla futura sit. Neque etiam vlla mala & incommoda à purgantibus metuenda censet, quæ à crudorum euacuatione sequi docet Galenus, 1. *aph.* 22. *&* 2. *aph.* 9. Alexipharmaca verò frustra exhiberi putat corpore non purgato; cùm vires suas, corpore non purgato, ad cor mittere non possint, si natura ipsa nullum sudorem mouere tentet, sed expectandum potiùs esse, donec natura ipsa aliquid moliatur.

Verùm enimverò accepimus hoc primò, quod Septalius concedit, in peste, quæ corpora sana & vitiosis humoribus non referta per Contagium inuadit, à purgantibus abstinendum esse. Et proinde etiam rectissimè tunc ab alexipharmacis, cùm purgantia locum non habeant, est faciendum curationis initium.

Ergo quæstio saltem est de corporibus prauis humoribus refertis, an si ea peste corripiantur, à sudoriferis vel purgantibus faciendum sit initium. Quæ nostra sit sententia, iā antea dictum, Lud. Septalij verò opinio parùm firmis rationibus nititur. Nam sit sanè, vt praui & corrupti humores adsint, tamen ab iis, quatenus solùm corrupti & putridi sunt, natura pestilentiæ non constituitur, sed quatenus venenum coniunctum habent, à quo maius, quàm à putredine, imminet periculum. Venenum autem non indicat purgans, sed alexipharmacum. Et quia à veneno pestilenti maximum periculum imminet, ei primùm alexipharmaca opponenda, postea de purgantibus, quæ cacochymia requirit, dispiciendum. Et sit sanè, vt humores tales nullam coctionem admittant, tamen non purgantia indicant, quatenus venenati. Sic etiam, vt putridi purgationem indicent, de tempore tamen adhuc quæstio est, & verùm ante alexipharmaca sumta purgandi sint. Nihil etiam huc facit aphorismus 22. *sect.* 1. Ibi enim tractatur ab Hippocrate de humoribus qui purgatione indigent, docétque humores in febribus putridis acutis crudos non purgandos esse initio, nisi turgeant. At pestilens humor, quatenus talis, purgationem non indicat, ideóque nec quæri potest, an in principio, vt turgens, purgandus sit; cùm nullo modo purgationem indicet. Et quāvis sæpe vomitûs, alui

profluuia,

profluuia, maculæ, carbunculi & alia in peste accidant, tamen illi motus non semper naturæ opera sunt, sed potiùs à prauitate materiæ, vt in aliis venenis, accidunt. Et vbi naturæ operâ fiunt, ea quidem adiuuanda est, sed per alexipharmaca, non purgantia, quæ humores turbant magis, & venenum cum iis plus permiscent, ab externis ad interiora reuocant, virésque deiiciunt, & sæpe periculosas & lethales alui fluxiones concitant. Ab alexipharmacis verò tale periculum non imminet, sed quod venenatum est, & mortem acceleraturum erat, impugnant & expellunt, ægrúmque à summo periculo liberant, vt humores postea vitiosi faciliùs & commodiùs expurgari possint.

Methodus curandi pestilentiam.

Tutissima ergò pestilentiam curandi ratio summatim hæc erit. Si pestilentia aliquem inuaserit, Deo in auxilium primùm inuocato, mox ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum, neque vllo modo curatio differenda. Atque existimo tot homines peste sæpe interire, quòd plerique tardiùs alexipharmaca vsurpent, multósque posse seruari, si ea citiùs, & antequam venenum humores corrumpere incipit, assumerent. Aliquoties enim obseruaui hîc in pestilentibus constitutionibus, quosdam, cùm se infectos sensissent; statim sumtis alexipharmacis ad sudorem se composuisse, & postea nihil mali ampliùs passos esse, sed postridie ad consueta negotia rediisse. Contrà si curatio protrahatur, & horæ 8. vel 12. iam elapsæ sint, antequam medicamentum aliquod propinetur, centesimus vix euadit.

Post primum sudorem porrò dispiciendum, an corpus sit plethoricum, & venæsectio requiratur. Tum enim ea sine omni mora, intra horas duodecim, aut certè antè 24. instituenda. Verùm quia plerumque Medici tardè consuluntur, & inuasionis principium non semper obseruatur; ac propterea virium lapsus præceps vt plurimùm adest: plerumque consultius est, venæ sectionem intermittere, quàm incautè & cum periculo ægri eam instituere.

Alexipharmacorum autem antea, vbi de præseruatione egimus, magna copia proposita est, è quibus efficacissima & vsu probata eligenda sunt: cùm periculum hîc facere sine periculo non liceat, & in peste inefficacia atque inutilia remedia adhibita ægrum in vitæ discrimen coniiciant; atque exitiales affectus ne leuissimum quidem errorem ferant, vt rectè Galenus, *lib.* 10. *meth. med. c.* 11. scribit.

An lapis Bezoar in peste vtilis sit.

Ac proinde non immeritò, quæritur; An cruda pestilentia lapidi Bezoar quoque locus sit? Dissentientes authorum opiniones collegit Caspar Bauhinus, *de lapide Bezoar, cap.* 34. & *cap.* 36. historias plures recenset eorum, qui lapide hoc feliciter vsi sunt: Contrà *cap.* 37. eorum, qui hunc lapidem non magnifaciunt, ac sine fructu vsurparunt, historias recenset. Vt inde non facile videre sit vtri parti fides sit adhibenda.

Ego cùm illorum, qui eum profuisse testantur, fidem planè in dubium vocare nolim, tres causas esse existimo, cur idem effectus ab eodem non semper proueniat. Primò, quod genuinus semper non habeatur. Vt enim de aliis, quæ de adulteratione huius lapidis habentur. Vt enim de aliis, quæ de adulteratione huius lapidis habentur, apud Bauh. *cap.* 25. non dicam, in equis reperiuntur, & ab iis excernuntur lapides, qui colore & substantia lapidem Bezoar planè referunt, vt videre est apud eundem Bauhin. *c.* 14. Mindererum, *de pestil. c.* 15. Cùm enim scriptores rerum Indicarum referant, hos lapides apud ipsos Indos, raros & magni pretij esse; mirum certè, tantam hodie eorum copiam suppetere. 2. Bezoar, ob magnum eius pretium, sæpius exiguâ quantitate, & vix vnius atque alterius grani pondere exhibetur; cùm ad VIII. X. & XII. exhiberi possit, imò in morbis periculosis debeat. 3. Quod rerum aliarum admixtione eius effectus impediri possit. Sæpe enim rerum occulti, hominibúsque parum perspecti dissensus sunt, ob quos effectus quos singula seorsim habent, in mixtione impediuntur.

Soli.

Ergo vt hæc concludam. Licet verum lapidem Bezoar non contemnendum censeam, ne contra experientiam pugnare videar, tamen nisi forsan lapis iam antè probatus in promptu sit, in peste, morbo acuto & periculoso, non facilè huic fidendum. Nam cùm magni pretij hic lapis sit, impostorum diligentiam in eo adulterando, vel falso substituendo, occupari probabile est; & si in promptu genuinus habeatur, tamen pauperiorem res angustæ eum non admittunt.

De recto vsu lapidis Bezoar. Lapis Bezoar sæpissime non præstat, quod præstare debet.
Historia Zacut. Lusitan.

§ [Variè disputatur à Medicis de efficacia lapidis Bezoar, præcipuè de vi eius in peste curanda, dum alij eum summis laudibus extollunt, alij non adeò magnifaciunt. Sed verum esse, quod suprà scripsi, quòd nimirum lapis hic non semper præstet, quæ multi pollicentur, causam esse, primò quòd non semper genuinus habetur: deinde, quòd ob pretium magnum plerumque nimis parua quantitate exhibetur, testatur historia, quam refert Zacutus Lusitanus, *de Prax. med. Adm. lib.* 3. *obs.* 90. vbi narrat, fœminam quandam incidisse in febrim malignissimam, deterrimis comitatam symptomatibus, inter quæ & hoc fuit, quòd tribus diebus sexaginta duos lumbricos per os excreuit; & ex contagio familiares omnes eodem morbo correptos fuisse, atque omnes periisse, quibus lapis bezoar in parua quantitate fuit exhibitus: dominam autem, cùm maximam eius assumeret quantitatem, interdum vno haustu ℈. j. euasisse, licèt periculosiùs, quàm reliqui, laboraret, atque eodem & alios curatos fuisse.]

Eadem ferè de Vnicornu ratio est. Nam quid illud sit, quod passim in Thesauris quasi asseruatur, & in magno pretio, nomine Vnicornu habetur, vix aliquis certò affirmare potest. Ideóque vitam & sumptus hoc medicamento in periculum adducere, consultum non est, tùm alia non minùs efficacia & vsu probata remedia suppetant, quæ suprà enumerata sunt.

Vnicornu.

Mindererus magis Smaragdum laudat, dosi gr. vt. vel vij. exhibitum, atque hunc puluerem momentanea quasi vi mira præstitisse scribit.

Smaragdus.

℞. *Smaragdi præpar. lapid. Bezoar,* an. gr. vij. *hyacinthi præpar.* gr. iij. F. Puluis.

Non sine fructu & istum olim peste hic grassante exhibui:

℞. *Lap. Bezoar. opt.* gr. xij. *ossis de corde C.* ℈. j. *Smaragdi præpar. hyacinthi præpar.* an. gr. vij. F. Puluis.

Qui diuidatur in partes duas, atque exhibeatur cum aqua aliqua conueniente.

Plurimi & camphoram commendant, quòd valde putredini resistat, & venenosos halitus discutiat. Hinc celebratur hic puluis D. Hesso adscriptus.

Camphora.

℞. *Sacchar. cand.* ʒ. iij. *zingib. albi,* ʒ. ij. *camphoræ,* ʒ. j. F. Puluis. Dosis ʒ. j. Qui cum aqua conueniente, commodissimè verò exhibetur cum decocto Tanaceti, cum aqua acetosæ, & dimidia parte Aceti parata.

Verùm satis efficacia medicamenta, vt dictum, suprà sunt proposita. Vnum atque alterum tamen adhuc addere libet. Ex theriaca & flor. Sulphur. compositis, elegans & vtile medicamentum concinnauit Nobilissimus & Celeberrimus ille Mathematicus, Tycho Brahe, cuius compositionem peculiari Epistolâ Rodolph. II. Imperatori Augustiss. communicauit, quam integram hîc inserere libet.

Augustissime & Potentissime Imperator,

RVDOLPHE,

Domine Clementissime.

Epistola Tychonis Brahe ad Rudolph. II. Imp. continens descriptionem Alexipharm.

DEscriptio Medicamenti, quod contra morbos Epidemios passim nunc grassantes, Dei dono, efficax est, quale Sacra Cæsarea Maiestas tua clementissimè per suum Capitaneum Brandeisensem à me expetiit, in hunc modum, prout ipsemet adinueni, & comprobaui, se habet.

Accipiatur primùm pro corpore & fundamento, Theriacæ Venetæ optimæ & veteris, aut potiùs Alexandr. lib. vna, cui in vitro oblonga satisque capaci superfundatur Spiritus vini, è generoso vino, qui ternâ distillatione & rectificatione moderato calore elicitur, vt extet supra theriacam ad quantitatem palmæ. Postéaque bene obturato vitro, ne spiritus exhalet, fiat digestio in tepido balneo per septimanam. Qua peractâ, materia omnis quæ in vitro est, filtretur per bibulam chartam, vt separetur purum ab impuro, liquórque admodum rubicundus & pellucidus, qui in hac filtratione prouenit, indatur cucurbitæ vitreæ, & suprà posito Alembico cum suo recipiente, atque vtrabique bene clausis de more vitris fiat lenta destillatio in balneo mediocriter calido, nec æstuante, donec spiritus vini in receptaculum guttatim euocatus, materiam siue essentiam theriacæ in fundo cucurbitæ vitreæ instar mellis liquidi, colorem tamen ad subrufam nigredinem tendentem obtinentis, reliquerit. Spiritus autem ille vini Theriacalis per se in vitro bene clauso conseruari poterit, & parum manè, vbi lubuerit, de eo sumi, instar alterius aquæ vitæ. Habet enim in se aliquid de volatili essentia theriacæ, ideóque præseruatiui loco est, præsertim si ex oleo iuniperi sulphurato, de quo mox dicemus, bis vel ter vlterius in balneo exaltatus fuerit. Porrò essentia illa Theriacæ, quæ in fundo remansit, sic efficacior reddenda. Sumatur sulphuris è cholcotare puro ter sublimati, & quartâ ex aloë; Myrrhâ & croco semel leuiter sine adustione eleuati quarta pars libræ; huic superfundatur in cucurbita vitrea oblonga de oleo Baccarum iuniperi, quod purum & in balneo rectificatum est, tantum, vt superemineat quatuor digitis. Potest etiam addi oleum succini in balneo ter rursus destillatum, & ab odoris vehementia liberatum, vt sit eius quarta pars respectu olei iuniperi, éstque sic melius: ponatúrque bene clauso vitro in fornace cinerum, vbi stet in tepida digestione per quatri-

duum. Eliciet interim oleum iuniperi è floribus illis sulphuris rubicundissimam tincturam, & optimam eorum essentiam in se attrahet. Fiat & hic separatio filtratione, provt antea. De puro autem & rubicundo liquore, qui papyrum bibulam transiuit, addatur duodecima pars essentiæ Theriacæ prius confectæ, ita vt hac duodecim vicibus oleum illud iuniperi sulphuratum excedat: Mox simul digerantur in tepenti balneo in phiala oblonga bene obturata. Potest tamen iis prius aliquid addi de extracto Rad. Angelicæ, sale absinthij puro & essentia carabis albi. His tribus mixtis & pro decima sexta parte priori liquori immißis, posteàquo vti dictum, simul in digestiono collocatis, idque per octiduum: superaddere etiam conducit ante digestionem de prius reseruato spiritu vini Theriacali tantum, vt tribus digitis superstet. Digestione hac peractâ fit denuò separatio impuritatum intrinsecarum per filtrationem supradictam, spiritus vini additus separetur in balneo, lenissimo igne, donec materia in fundo remaneat, instar picis liquidæ, quæ, ex Dei benignitate, præsens est remedium contra luem Epidemiam, octo, decem, vel duodecim guttis, pro ratione patientis in aqua aliqua competenti, vtpote Prunellæ, Angelicæ, aut Cardobenedicti cochleari vno intrà assumta, ídque statim ac morbus sentitur, antequam per somnum virtus cor occupauerit, posteáque sudore per aliquot horas, quo diutius, eò melius, elicito. Si manè quolibet, ieiuno stomacho, de hac medicina duæ vel tres guttæ in vino absinthiaco, vel quovis alio appropriato liquore assumantur, præseruatiui eximij loco est.

Potest verò hæc ipsa Medicina, per se omni auro præstantior, adhuc magis exaltari per additionem tincturæ corallíorum, sapphyri & hyacinthi & margaritarum materia resoluta; tum quoque auri potabilis, si modò verum & genuinum ac corrosiuis rebus non inquinatum & corruptum, haberi possit, ita vt de singulis hisce scrupulus vnus prius confecto medicamento adiungatur misceatúrque.

Quin & vniuersalius vt hoc reddatur medicamentum ad omnes morbos, qui per sudorem curari possunt, qualis fermè est tertia pars omnium eorum qui humanum corpus infestant, sic procedendum.

Antimonium selectum in regulam purum ter vel quater reiteratâ fecum abiectione redigatur, posteáque contuso & pulnerisato regulo per cucurbitam terream ignem fortem sustinentem ad latus dispositam impellatur forti igne, & successiuè adaucto alchool antimoniale in aliam cucurbitam terream recipientis loco appositam, donec totus fermè regulus Antimonij instar pulueris subtilissimi vas antepositum subierit. Hoc Antimonij Achool postea in vasculis quibusdam reuerberationi idoneis, & ignis vim perferentibus benéque argillâ munitis, imponatur in reuerberatorium clausum, ita vt flamma infrà ac suprà transeat, ipsa autem vascula conclusa non attingat; & fiat reuerberatio successiuè adaucta per sex hebdomadas, donec Antimonium in puluerem album vel subflauum redactum, quodam modo fixum euadat.

Hic puluis Antimonij etiam in aliqua copia assumtus non purgat, nec quidpiam corpus molestat; sed solummodò sudorem moderatum nec debilitantem ciet.

De quo si prius præparatæ Medicinæ parum immisceatur; multò adhuc præstantior & efficacior ad omnes morbos Epidemicos redditur. Et insuper febres quascunque ritè administrata curat, obstructionésque aperit.

Atque hæc de Medicina Epidemica, quam Cæsareæ Tuæ Maiestati, provt clementissimè voluit, humillimè & fideliter, consignaui; vt secretam habeat, sibique soli reseruet, demissè peto. Mitto verò nonnihil de eadem, quatenus hanc iuxta priorem descriptionis partem absoluere licuit, quæ etiam valida est, atque Deo dante, in talibus morbis præsens remedium exhibet.

Estque hæc purior & præstantior eâ quam Cæsarea Maiestas Tua à suo Capitaneo per me etiam paratam habuit.

Hanc vt Cæsarea Maiestas Tua clementi animo accipere, donec plura huiuscemodi & maiora in eius gratiam parare opportunitas dederit, non dedignetur, subiectissimè ore. Deus optim. Max. Cæsar. Tuam Maiestatem ab omni malo tueatur. Data ex arce Cæsarea Tuæ Maiestatis Benachiâ, die 7. Septembris, Anni 99.

Tycho Brahé.

Efficax est & hoc electuarium Cratonis.

℞. *Scordij* ʒ.iii. *tormentill. dictamni alb. zedoar. gentian. angelicæ, caryophyllatæ.* an. ʒ.i. *croci, camphoræ*, an. ʒ. sem. Puluerisentur, aspergantúrque aquâ Cardui Bened. in quâ dissolutæ fuerint Theriacæ ʒ.ii. & cum sufficiente quantitate Syrupi de succo Cardui bened. F. Electuar.

Vulgus rob Sambuci cum aceto Theriacali non infeliciter vsurpat.

Mindererus hanc aquam ad exhibenda medicamenta valde commendat:

℞. *Succi nucum iugland. immatur. limonum, acetosæ, pimpinell.* an. ℔.i. *sem. cardui bened. scordij, rutæ*, an. ℔.i. *scabiosæ, hederæ terrest. calendulæ, melissæ*, an. Vnc. viii. *chelidon. galegæ, vel in eius defectu veronicæ, aceti de rubo Idæo, sambucini, rosacei*, an. Vnc. iv. *rutacei* ℔.i. *radic. tormentill. gentianæ, dictamni alb.* an. Vn. i. ß. *petasitæ, imperator. angelicæ, Zedoar. cortic. citri*, an. ʒ.iii. *boli or. cerminar.* ℥. ii. *fol. dictamni Cretici, scordij Cretici, chamædryos*, an. Vnc i. *santali citrini* ʒ.iii. *ligni Rhodij*, ʒ.ii. *Theriacæ Androm.* ℥.ii. *mithridatij* Vnc. i. *baccar. iuniperi recent.* ℔. i. *cortic. mediamor. sambuci recept. fraxini recent.* an. M. iii. Cortices Sambuci & Fraxini contundantur, & cum *aceti è floribus Tunicis, aqua Pimpinellæ, Rosarum*, an. s.q. extrahatur inde succus. Succi omnes misceantur, addatúrque Theriaca, Mithridatium, & cætera concisa & contusa, macerentúrque per triduum, & per balneum aqua inde destillentur. In aquæ distillatæ dimidia parte suspendatur camphoræ Drach. i. in nodulo. Altera pars etiam seorsim vsui seruetur pro iis, qui Camphoram non ferunt.

Maximas quoque vires habet, & à plurimis valde prædicatur Elixir pestilentiale, quod Crollius, *pag.* 228. describit: sit adulto ℈.ii, iuniori ℈.i. vel Drach. ß. cum aceti rosacei, scordij, vel rutacei, Drach. i. vel q. s. propinetur.

Ergo si quis peste infectus sit, ex iis, quæ ad manûs sunt, efficacissimum sumat medicamentum. E. g. Adulto Theriacæ Drach. i. vel Electuarij de ouo, aut diascordij Fracastorij Drach. ii. Salis absinth. Fraxini vel Cardui bened, gr. aliquot cum ℈. i. pulueris Saxonici, aut Cæsaris rubei, cum liquore conuenienta propinentur: Vel aqua aut spiritus aliquis contra pestem, vt Elixir pestilentiale Crollij. Ex. gr.

℞. *Elect. de ouo* ʒ.i. *Theriach.* ʒ. ß. *pulueris Saxonici, specier. liberant.* an. Scr. ß. *syrup. acet. citri*, ℥.i. *aqu. acetosæ, cardui bened.* an. Drach. s. *aceti scordij* ℥. ß. Misce.

Vel ℞. *Pulu. Saxonici, Cæsaris rubei*, an. Drach. ß. *syr. acet. citri* ʒ.i. *scordij, aceti Theriac.* an. Vnc. ß. *aq. Stapediana, vel alterius salis.* Voc. i. ß.

Plurimum etiam commendatur decoctum rad. chelidoniæ maioris, vt ex Matthiolo, *in comm. Germanico in Dioscor. lib.* 2. *cap.* 10. videre est, quódque feliciter vsurpauit, & modum eius præparandi descripsit Gasp. Keglerus, *in tract. suo de peste*. Grauidis, vt & infantibus detur Electuar. diascordij Fracastorij, vel pulueris Montagnanæ, infantibus ℈.i. adultis Drach. i.

Laudatur & Bezoardicum minerale, & ♁ diaphoreticum. Quæ etsi satis efficacia sunt, tutius tamen est ea cum aliis, puluere Saxonico, Montagnanæ, & similibus miscere.

Atque talia in vsum quotidianum ex aliis compositis facilè misceri possunt.

De vsu calidorum in peste medicament. admonitio.

In horum tamen medicamentorum vsu cautiones quædam obseruandæ sunt. I. de Theriacâ & medicamentis calidioribus aliis, quod antè etiam monui, obseruandum, vt non temerè, sine vllo morbi, naturæ, ætatis, sexûs, anni temporis, atque aliarum circumstantiarum respectu vsurpetur. Vbi enim febris pesti cóiuncta iam corpus occupauit, ea cautè, & nonnisi frigefacientibus admistis exhibenda. Itaque vbi metus est, ne humores & spiritûs nimis accendantur, spiritúsque dissipentur, ægróque aliquod periculum inde creetur, rectiùs ij faciunt, qui talia non cum aquis Theriacalibus & calidis, sed potiùs cum frigidis aquis, aut quod commodissimum est, cum aceto, vel aquâ aliquâ, quæ acetum aut acidos succos recipit, qualis est aqua Stapediana, Mindereri, & similes exhibent. Imò sunt, qui in magno calore, vehementi ventriculi dolore, & Cardialgia, vomitu, similibúsque symptomatis, Theriacam non planè veterem, sed recentiorem, annorum scilicet duorum vel trium exhibent, in qua vires opij adhuc vegetæ symptomatum vim tandiu refrænare possunt, donec reliqua Alexipharmaca vires suas exerant,

vimque

vimque veneni infringant. Sunt alij qui opiata, vt Philonium, (commodior vsus est Laudani Opiati) Alexipharmacis miscent, vt nimirum motus atque actio veneni pestilentis sistatur & sanetur, symptomatúmque vehementia mitigetur, donec Alexipharmaca vires suas exerere, séque veneno opponere possint. Imò sunt quidam, qui Opio vim sudoriferam tribuunt. Aliàs vbi non viget calor, causa nulla est, cur Theriaca reijcienda sit; cùm plus commodi venenum expellendo, quàm damni, calorem excitando, afferat.

II. Obseruandum, Theriacam, Mithridatium, Electuar. de Ovo, & similia calida ac fortia medicamenta non facilè infantibus & pueris, granidis & puerperis esse exhibenda, sed alia mitiora substituenda. Conuenit his magis Diascordium Fracastorij, quod sine insigni humorum agitatione veneno resistit, sudores mouet, putredinémque inhibet. Exhibetur autem hoc modo commodissimè.

℞. *Succi acetosell. seu trifolij acetosi* ℥.ii. *citri* ℥.i. *diascordij* ʒ.i. *spec. cordial. de gemmis*, an. ℈.i. *aceti* ℥.i. Misce.

III. In Camphora ac Camphoratis exhibendis naturarum constitutio consideranda. Qui enim infirmo sunt ventriculo & capite, aut qui aliàs camphoram auersantur, iis alia potiùs, quàm camphorata, medicamenta sunt exhibenda. In tanta enim medicamentorum copia non opus est, nec necessarium, vt vni medicamento adstringamur. Imò medicamenta variare vtile est.

IV. Quò maiorem veneni vim esse animaduertimus, eò efficaciora, & quæ præsentissimas vires habeant, medicamenta eligenda sunt: quo in genere excellunt Aquæ & spiritus destillati, quorum mentio antè facta est, quæ mox in totum corpus penetrant, pestilentique veneno sese opponunt. Facit idem Camphora, quæ reliquorum medicamentorum quasi vehiculum est. Non magna tamen eius copia opus, sed duo vel iii. gr. sufficere possunt.

Sudoris motus.

V. Si æger medicamentorum vomitu reijciat, mox illud repetendum. Imò etsi illud retineat, semel exhibere Alexipharmacum non sufficit, sed intra 8. horarum spatium repetendum. Et si primùm medicamento exhibito Cor non liberetur, fortius exhibendum secundum: imò intra 24. horarum spatium ter Alexipharmacum exhibendum. Neque si quis persuadeat, si semel vel bis sudauerit, & meliùs nonnihil habeat, se iam extra omne periculum constitutum esse: cùm venenum iterum, si minimæ etiam eius reliquæ in corpore hæreant, vires postmodum sumat, nouúmque naturæ bellum inferat. Itaque necessarium est, alexipharmaca & sudorifera talia intra biduum quinquies vel sexies repetere. Quod cùm sæpe negligatur, plurimi, qui seruari possent, intereunt. Medicamento exhibito æger sese, in primis prima & secunda vice (si enim veneni vis fracta sit, non multum refert, si tertia vice non sudet) ad sudorem componat, nec frigidum aërem vllo modo admittat; sed det operam, vt sudor copiosè fluat, atque si potest, ad duas horas sudorem contioueт, vt venenum pestilens planè è corpore eijciatur. Et si medicamento satis copiosè sudor non prolicitur, aliis etiam modis, vt lagena aqua calente plena, aut lapide calente, linteis aceto vel vino madidis inuoluto, pedibus apposito, excitetur.

In sudore proliciendo tamen cauendum, ne vires deijciantur. Cùm enim aliàs morbi huius vehementia vires subitò prosternat, & corpus exoluat: si quod nonnulli faciunt, stragulis non tantùm æger contegatur, sed ferè suffocetur, sudórque nimis diu, ad horas scil. 4. vel 5. continuetur, facilè fieri potest, vt vires planè deficiantur. Quare vt dixi, sufficit, sudorem horis duabus continuare.

Censent præterea docti Medici, vni remedio in peste non esse fidendum, sed, vt Crato, *epist.* 134. hac de re scribit, initiò singulis propemodum horis, deinde successu temporis singulis diebus remedia mutanda; cùm vix in vno aliquo antidoto tantum roboris sit, quantum ad hostem tam potentem debellandum requiratur.

Somnus.

VI. A somno abstineat æger, donec bis sudauerit. Iulius quidem Palmarius, assumpto Pharmaco, duas horas dormire permittit; cùm per somnum sudor æquè profluat, ac per vigilias: verùm metuendum est, ne via veneni per somnum ad interiora serpat, ægérque in vitæ periculum coniiciatur.

Inter sudandum quomodo æger tractandus.

VII. Inter sudandum reficiatur æger Conserua Rosar. Acetosæ. Rob Ribium, Succo & Syr. Citri, Granator. Aquis Cordialibus & similibus, qualia mox proponentur. Odoramenta etiam ægros valde recreant, atque inspiratione cor potest roborari, vt per expirationem halitum venenatum à se fortiùs expellat. Itaque in conclaui Acetum Theriacale lateribus ignitis infundatur: Trochisci & Candelæ pro fumo accendantur: Odoramenta cùm alia naribus admoueantur, tum in pyxide habeantur species liberantis, vel alia talia confectio; quæ subinde moueatur, vt de puluere illo aliquid naribus attrahatur. In primis verò hîc vtiles sunt Aq. odoratæ suprà propositæ.

VIII. Præter hæc sunt & alia quæ partim Cor roborant, partim venenum è corpore eijcere possunt. Nonnulli, dum æger sudat, panem è furno calentem accipiunt, partémque aliquam excauant, cauitatémque Theriacæ ʒ.ii. replent, & vmbilico apponunt, vt venenum à pane attrahatur. Alij Raphanum, in partes orbiculares dissectum, axillis, & aliis emunctoriis, ac plantis pedum applicant. Alij panis medullam aceto madidam cordi applicant. Cordi nonnulli apponunt pannum quadruplicatum, aceto vel simplici, vel theriacali aliquo imbutum; vel sacculum ex saluia, acetosa, ruta contusis & aceto madefactis, calidè applicant. Alij alios Cordiales sacculos adhibent. Potest & Electuarium aliquod, cum Oleo Citri & Myrrhæ, vel vnguentum conueniens, regioni cordis, temporibus & pulsibus adhiberi. In humidis tamen & frigidis adhibendis videndum est, ne sudorem impediant, venenúmque ad interiora repellant. Quidam ante sudorem cum lacte calido Gargarismum instituere iubent; cùm lac calidum halitum venenatum ac pestilentem ad se trahat.

Post sudorem quâ ratione æger tractandus.

IX. Finito sudore corpus linteis mundis moderatè calentibus exsiccetur. Diligenter tamen videndum, ne aëre frigido incurrente, venenum intrò recedat. Etsi sudorem rectè sese habere animaduertatur, ac symptomata remittant, quod indicio est, veneni maximam partem expulsam esse: linteamina quoque & tegumenta lectorum mutentur.

Post sudorem æger cibis εὐχύμοις & εὐπέπτοις reficiatur, vt ouis recentibus, iusculis carnium, ptisana & aliis, qui sunt molles, & qui in parua quantitate multùm nutriunt. Atque his æger sæpius reficiendus est. Neque, vt in aliis morbis acutis inedia & tenuis diæta conuenit, sed vires sæpius refectione opus habent. Cibo tamen multo corpus onerandum & grauandum non est. Vtilissimum quoque, cibos acidis condire.

Et licèt sudorem ciere (si tamen die Critico erumpat, non impediendus est) postea corpus non sit: continuanda tamen ea sunt medicamenta, & singulis diebus exhibenda, quæ putredinem inhibent, febri malignæ resistunt, incendiúmque in visceribus extinguunt, E. g.

℞. *Conseru. rosar.* ℥.ii. vel iii. Dissoluantur *in aq. acetosæ* ℔.i. Colentur.

Vel ℞. *Morsulor. de succo & cortic. citri*, ℥.i. Dissoluantur in *aq. scabiosæ*, ℥.iii. Adde *vini granator*, ℥.i. Misce.

Vel ℞. *Decocti CC. vsti & crudi in aqua conueniente vase clauso cocti* ℔.ii. *succi citri* ℥.iii. *ribium* vel *berber.* ℥.ii. *iulebi rosacei* ℥.i.ß. Misce.

Vel ℞. *Aq. acetosæ, scabiosæ, rosar.* an. ℥.iii. *aceti de rub. Idæo, flor. tunicat, rosar.* an. ℥.ii. *vini albi* ℔.ß. *succi citri, iulebi rosar.* an. ℥.i. *cortic. citri recent.* ʒ.vi. Stent simul mixta in vitro, donec liquor odorem citri attrahat.

Vel ℞. *Aq. cardui bened. acetosæ, scabiosæ* an. ℥.iii. *rosar.* ℥.ii. *cinnamomi* ℥.i. *succi citri, granator.* an. ℥ iii. *extract. croci* ℈.ß. *solut. margar. corallor.* C. C. an. ℈ i. *confect. Alchermes* ℈. ii. Misce.

Vel ℞. *Conserua medulla citri* ℥. ii. *rosar. acetosell. borrag.* an. ℥.i. *ribium condit.* ℥.ß. *confect. Alkermes* ʒ.ß. *spec. el. de gem. frig. cordial. temper*, an. ℈.i. Cum *syr. tunicat, & spir. vitrioli*, q. s. *ad gratam aciditatem*. F. Electuar.

Vel ℞. *Solut. corallor. margarit.* an. ℈.i. *hyacinthi, extr. croci*, an. ℈.ß. *confect. Alkermes* ℈.i. *ol. de cortic. citri* gutt. iv. *sacch. albissimi in aq. rosar.* s. q. dissol. q. s. F. Rotulæ.

Possunt & alia ex Syrup. Acetositat. Citri, de succo Acetosæ, Granator. Oxysacchara, Rob Ribium, & similibus parari.

In primis verò commendatur spiritus vitrioli, qui insignem vim habet putredini resistendi, obstructiones aperiendi, febrésque extinguendi.

Vtilis est confectio Alkermes, si cum succo Citri propinetur.

Vt ℞. *Confect. Alkermes* ʒ.ii. *syr. acetos. citri* ℥. ii. *granator. rub. Idæi* an. ℥.i. *Aq. acetosæ* ℔.ß. *rosar. opt.* ℥.ii. *scabiosæ, meliss.* an. ℥.i. M Detur sæpius haustus.

Et de talibus alterantibus singulis ferè horis aliud offerendum, nunc potus, nunc Syrupi, nunc Electuarij, nunc Rotulatum, nunc alia forma, vt natura roboretur, venenóque resistere possit.

Postquam ita malignitas ac venenositas maximam partem victa est, si humores vitiosi in corpore abundent, aut pestis in primis ab interno humorum vitio prouenit, Purgatio conueniens non omittenda est. Sint autem medicamenta purgantia leniora, ne vel vires debilitentur, vel humores ad aluum præcipitentur, & periculosum alui profluuium excitetur. Eligantur etiam talia, quæ præter purgandi vim, veneno resistere possunt, qualia sunt, Agaricus, Rhabarbarum, Syr. rosar. solutiuus cum decocto Tamarind. vel Syrup. rosar. solut. præparatus cum Rhab. Pilolæ Pestilential. E quibus ægro conuenientia medicamenta eligere non difficile est. Inter Composita conuenientissima est Tryphera Persica, Syr. Diasereos, &c.

Sunt quidam qui Purgantia cum Alexipharmacis miscent, atqui inter hos Heurnius, qui recipit Cæpam albam excauatam, cámque Theriacæ Drach. i. cum modico puluer. Radicum Dictamni & Tormentillæ replet, ac sub cineribus coquit, coctámque contundit, & affusa aquâ Cardui bened. ac Aceto Calendulæ, succum exprimit, addisque Trypheram Persicam, idque medicamentum & purgaturum, & mox sudorem excitaturum pollicetur. Contrariósque eodem tempore, quod alij metuunt, motus non times; Cùm natura illico ab hoste hoc liberanda sit, atque vsus, ista proba esse docuerit.

Prosper Alpinus, *lib. 4. de Medicina Ægypt. cap.* 15. refert, Ægyptios peste infectorum cruribus, brachiis & inguinibus vesicatoria

Digitized by Google

vesicatoria applicare, ex quibus vlcera multa iis in partibus, per quæ humores corrupti à natura expurgantur, excitentur. Alij tres longas scarificationes seu vulnera potiùs cruribus infligunt, quæ non sanant, priusquam ægri perfectè à peste sanè euaserint.

Cùm autem plerumque Natura magnam humorum venenatorum partem ad emunctoria Cordis, Hepatis, Cerebri expellere, ac Bubones & Carbunculos excitare soleat: Restat tandem, vt de Curatione Bubonum & Carbunculorum pestilentium dicamus.

Bubonum Curatio.

Et I. *Bubones* quod attinet, alij aliter eos tractandos censent. Sunt quidam, qui in hoc naturam planè imitandam esse existimant, & cùm natura nonnisi successiuè ac longiore tempore maturationem eorum instituat: etiam Medicum id vnicum hîc operam dare debere existimant, vt maturantibus medicamentis tumor iste ad suppurationem ducatur. Si enim mox in principio vel vesicatoria adhibeantur, vel scarificationes aut incisiones instituantur, non modò magnum inde dolorem, qui inflammationis maioris causa sit, virésque debilitet, excitari: sed id etiam periculi subesse putant, ne venenum, quod à natura ad exteriora protrusum, quietum & quasi sopitum iacebat, hoc modo moueatur atque agitetur, & spiritibus atque humoribus motarum, iterum cordi, à quo expulsum erat, communicetur.

An in Bubonibus maturatio expectanda.

Alij contrà sentiunt. Cùm enim materia hæc pestilens contumax sit, & non facilè in pus mutetur, non solùm maturantia non adhibenda, & suppurationem expectandam esse censent; cùm metuendum sit, ne humor venenatus, antequam in pus mutetur, iterum spiritibus & humoribus facili de causâ communicetur. Ideóque cùm longè maius hîc, quàm in aliis non pestilentibus Bubonibus, periculum subsit, id vnicè agendum existimant, vt pestilenti veneno exitus, quem natura quærit, aperiatur; reliquumque postea conuenienti modo maturetur. Vnde nō solùm vesicantia mox adhibent; sed scalpello cutem incidunt.

Verùm distinctione hîc aliqua opus videtur. Nam si perfectè aut certè maxima pars veneni in Bubonem è corpore electa videatur, (id quod cognoscitur ex eo, si postquam bubo erupit, & febris & symptomata remittant, atque æger meliùs habere incipiat) non peccatur, si concoctio, licèt non perfecta, vt in aliis tumoribus, expectetur, & ea omnibus modis adiuuetur. Si verò vel bubo non satis erumpat, venenúmque à natura non satis, seu ob naturæ debilitatem, seu ob veneni copiam, expellatur; vel licèt maxima veneni pars in Bubonem depulsa sit, tamen ob eius copiam moles tumoris nimia augeatur, vnde febris & symptomata non solùm non minuuntur, sed augentur, ægérque meliùs non habeat: nullo modo cunctandum, sed vnicè danda opera est, vt veneno exitus pateftat. Atque tunc frustra expectatur maturatio, quæ in materia tam venenata ante mortem ægri nulla futura est.

Vesicantia.

Etsi itaque Cucurbitulæ siccæ etiam versùs ambitum corporis trahant: tamen his vtiliora sunt vesicantia. Et cùm vnicè danda sit opera, vt venenum non solùm à corde auertatur, sed etiam planè è corpore eliminetur, ne vllus ad illud ei regressus detur commodissimum est, vt cutis scarificetur aut incidatur, vt manifesta via patefacta non solùm liberiùs exspiret, sed & humores pestilentes & corrupti effluere possint. Neque vllus metus est (quod nonnulli existimant) ne venenum per hoc remedium agitatum ad cor regrediatur. Cùm enim via ipsi pateftat, potiùs per illam à natura è corpore eiicitur. Etsi simpliciter hoc metuendum esset, etiam in Carbunculo pestilenti maturatio expectanda esset: cùm tamen extra dubium sit, Carbunculum mox scarificandum esse, vt exitus veneno pestilenti detur. Manifestum etiam est, naturam non à loco dolente attrahere, sed ad dolentem locum humores mittere. Neque dolor extimescendus, qui ex vna atque altera sectione adeò magnus oriri non potest; & licèt dolor aliquis inde oriatur: è duobus tamen malis minus eligendum, præstatque, cum aliquo dolore ægrum seruare, quàm sine dolore venenum in corpore relinqui, à quo mors expectanda sit. Imò dolor leniri potest lacte calente, in quo flores chamæmeli cocti sint, atque aliis, vt mox dicetur.

Scarificatio.

Vesicantia.

Vt igitur venenum è corpore tollatur, aut vesicatorium aliquod adhibeatur, vt:

℞. *Canthariđ. demptis alis & capitibus*, part. i. *fermenti* partes iii. *aceti* parum. Misce.

Vel ℞. *Sem. sinapi, cortic. median. sambuci*, partes æquales. Contundantur, & cum aceto misceantur in formam Cataplasmatis, quod inducatur linteo albo.

Vel ℞. *Fol. sambuci, sem. sinapi. nucleorum nucum rancidarum*, partes æquales. Terantur & applicentur, loco priùs theriaca circumcirca illito.

Aut Cauterio potentiali, vel ferro cutis aperiatur, vt pestilenti humori egressus detur, ac via sit, per quam natura pestilens venenum è corpore expellere possit. At si dolor aliquis ex incisione oriatur, ouum recens cum oleo rosaceo mixtum buboni imponatur.

Magno etiam cum commodo, licèt incisio facta non sit, pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, buboni applicantur: idque sæpius cum nouis pullis repetitur: Hoc modo enim & dolor mitigatur, & venenum euocatur. Nonnulli bufonem exsiccatum vino maceratum, dum mollescat, & buboni imponunt.

Postea detur opera, vt materia reliqua per idonea medicamenta maturetur. E. g.

℞. *Rad. althææ* ℥. iii. *farinæ lini, fœnugræci*, an. ℥. i. *rad. lilior. alb. sub cinerib. coctar. & contus.* num. vi. *ficuum contus. fermenti*, an. ℥. ii. ß. *fimi columbini*, ℥. i. ß. Coquantur in decocto *radic. althææ & flor. chamæmeli*, in formam pultis: Postea adde *pinguedinis porci*, ℥. iii. *olei lilior. alb.* ℥. ii. ß. *scorpion.* ℥. ii. ß. *croci*. ℈. i. Iterum coque in formam cataplasmatis.

Alij cæpam cum theriaca sub cineribus coctam cum Emplastro maturante & oleo scorpionum miscent, atque applicant.

Nonnulli quidem Theriacæ vsum hîc reformidant, quòd puris generationem impediat: verùm si maturantia admisceantur, facilè hoc incommodum vitari potest, & nihilominùs venenum Theriaca euocat.

Vel ℞. *Rad. althææ, lilior. alb.* an. ℥. i. Coquo. ad mollisiem, & per setaceum traiiciantur. Adde *pulueris dictamni albi, scordij*, an. ℥. i. *caricas pingues*, num. iii. Cum *oleo lilior. & chamæmel.* F. Cataplasma.

Est quidam Guilielmus Magistrius, vt neque hoc præteream, qui scribit, ex attrahentium hic genere esse & balneum tepidum ex aquâ fontanâ, aut potiùs lacte vaccino, in quo æger duabus horis à cibo stare debet, spatio trium aut quatuor horarum, ad media vsque crura, eóque modo venenum non tantùm ad exteriora allici, sed etiam vt plurimùm integrè resolui.

In locum incisione apertum tale digestiuum adhibendum.

Digerentia & mundantia.

℞. *Terebinth.* ℥. ß. *vitellum oui vnum, olei rosar.* ℥. ß. Misce.

Quòd si ob incisionem minùs profundam, bubone maturato pus adhuc conclusum contineatur, scalpello aperiendus est: Vbi pus iam fluere incipit, hoc vnguentum adhibeatur.

℞. *Terebinth. mellis rosati*, an. ʒ. vi. *farinæ hordei* q. s. F. linimentum.

Simúlque hoc Emplastrum applicetur.

℞. *Empl. diachyli simpl.* ℥. iiii. *ammoniaci, galbani vino solut.* an. ℥. i. Misceatur in mortario pistillo calido, addendo: *Rad. cynogloss.* ℥. ß. *puluer. bufon. exsiccati, rad. valerian. scabiosæ*, an. ʒ. ii. *ebuli*, ʒ. i. ß. *leuistici*, ʒ. i. *olei lilior. & scorpion.* q. s. F. Emplastrum. Postea hoc vnguento vtendum.

℞. *Terebinth.* ℥. i. *mellis rosati, farinæ hordei, sarcocollæ, thuris, myrrhæ*, an. q. s. F. vnguentum.

Hoc verò in primis attendendum, ne vlcus citò claudatur, sed studiosè potiùs apertum seruandum, donec quicquid veneni est in corpore, effluxerit.

Nonnunquam accidit, vt bubones non suppurentur, sed discusso veneno, & tenuiore parte materiæ per insensibilem transpirationem, crassior in glandulis relinquatur: ne igitur dolor sæpe recurrens, ac molestia inde ægro creetur, reliquiæ emolliendæ & discutiendæ sunt, id quod fiet emplastro de Meliloto, oxycroceo & similibus.

¶ [Grauissima, & magni momenti est quæstio hæc: An in curatione bubonis pestilentis vena secanda, & purgandum sit? cùm in talibus morbis maligniа aliquid præter rationem tentare, cum ægri periculo coniunctum sit. Cùm verò & de venæsectione, & de purgatione seorsim quæratur, de vtraque seorsim agemus. Et primò quidem venæsectionem quod attinet, nonnulli eam instituendam esse, planè negant. Ita Fernelius 2. *de abdit. rer. causs. cap.* 12. scribit, in peste à venæsectione & valida purgatione abstinendum esse: additque caussam, quòd talia mala à venenata qualitate scatoriant, quæ antidotis propterea pestilenti veneno contrariis, expugnanda, & per sudores eiicienda est. Petrus Sal. Diuersus etiam, *de pestil. febr. c.* 21. peculiarè hanc quæstionem agitat, & concludit, in pestilenti febre venam secandam non esse. Idem statuit Paræus, *lib.* 22. *cap.* 21. & alij Medici multi, qui in bubone pestilenti præcipuè metuunt, ne venæsectione natura ab opere suo, quo materiam pestilentem ad locum ignobiliorem deponere conatur, auertatur, & humor malignus ad interna reuocetur. Præterea vires valde languent in talibus morbis, & propterea non facilè admittunt venæsectionem.

An in curatione Bubonis pestilentis vena secanda, & purgandum sit?

De vena sectione.

Negatiua.

Alij contrà, vt Trincauellius, Massarias, *de peste*, Nicolaus Massa, Iohan. Baptista Gemma, *de bubonis & carbunculi pestilentis curatione*, venæ sectionem admittunt; cùm sæpe in peste infectis magna satis sanguinis naturam onerantis copia adsit, qui facilè inflammationes parere, & febrem augere potest, neque alia remedia necessaria corpori ita repleto tutò administrari possint, & experientia testetur, sanguinis missionem in talibus morbis, multis profuisse.

Affirmatiua.

Verùm quæ in genere de sanguinis missione in peste, supra, *hoc cap.* dicta sunt, etiam de peste cum bubone coniuncta locum habent: nimirum tum saltem venæsectionem locum habere, vbi & sanguinis copia adest, vt metuendum sit nisi minuatur sanguis, febrem putridam periculosam accedere posse; & quidem id maturè & in principio statim faciendum esse. In bubone tamē pestilenti ita venæsectio instituenda, vt natura à conatu suo nullo modo auocetur, sed potiùs is eâ adiuuetur, & humor pestilens, qui ad bubonem à natura protruditur, ad interiora non reuocetur. Itaque si in aliquo loco bubo erumpat, vel dolor aliquis bubonem erupturum præsagiat, nō in loco à parte affecta longinquo vena aperienda, ne materia ad interiora retrahatur, sed potiùs ita instituatur venæsectio, vt motus naturæ adiuuetur.

Decisio.

Digitized by Google

adiuuetur. Ac proinde si post aures parotis, vel sub asillis bubo eruperit, vel erupturus putetur, in brachio eiusdem lateris vena aperienda: si verò in inguinibus tale quid fiat, saphæna, vel alia pedis eiusdem lateris secanda, vt ita ad locum affectum materia potiùs attrahatur, quàm aliò auucetur.

De Purgatione. *Affirmatiua Zacuti Lusitani.* De purgatione maior difficultas est. Verùm cùm ea de re prolixè, *lib. 5. Institut. part. 2. sect. 1. cap. 6.* & suprà *hoc ipso cap.* egerimus, quæ ibi dicta sunt, hoc loco repetere nolo. Hoc saltem addo, Zacutum Lusitanum, *de prax. Med. Adm. lib. 3. obseru. 159.* prolixè defendere, in bubone pestilenti purgandum esse. Verùm nullis rationibus vtitur, sed saltem autoritatibus pugnat, quæ sine rationibus ad controuersiam tanti momenti decidendam non sufficiunt: *Sententia Autoris.* Nos, vt *loco alleg.* diximus, equidem purgationem in peste non planè prohibemus, sed suo loco ac tempore, & maturè eam admittimus: verùm cùm iam bubones & carbunculi eruperint, tuttò exhiberi purgantia posse, persuaderi non queo, in primis fortiora.]

Carbunculos tandem quod attinet, ij statim scarificandi sunt, & quidem satis profundè, vt humor pestilens & corruptus sanguis euocetur: postea imponendum est Emplastrum aliquod conueniens, cuiusmodi est hoc.

℞. *Farinæ lentium, fol. plantagin. vuæ lupinæ*, an. M. i. *medullæ panis secalini* ℥. iii. Coq. in formam Cataplasm. quod calidum applicetur, singulisque 4. horis renouetur.

℞. *Theriac. mithridat.* an. ʒ. i. *fermenti acidi* ℥. ß. *ficuum*, num. iii. *capam sub cinerib. assatam*, num. i. *allij assati*. ʒ. i. ß. *fimi columbin.* ʒ. ii. *sem. sinap.* ʒ. i. *croci* ℈. iiii. *sapon. Venet.* ʒ. i. ß. *butyr. rec.* ℥. ß. Misce.

In primis commendatur Emplastrum de Fuligine, quod sic paratur.

℞. *Fuliginis camini* ʒ. x. *fermenti, terebinth. butyri*, an. ℥. i. *saponis Veneti*, ℥. i. ß. *mellis rosati* ʒ. vi. *salis commun.* ℥. ß. *vitellos ouorum*, ii. *theriac. mithridat.* an. ʒ. ii. Misce.

Vel ℞. *Rad. consolidæ scabios.* an. ℥. ß. *salis petræ*, ʒ. ii. *vitellum oui vnius.* Misce.

Vel quod sæpe probatum est: ℞. *Succi rad. consolid. scabiosæ, pedis columbini*, an. cochl. vi. *farinæ lentium, hordei*, an. cochl. iii. Misce.

Commendatur & Emplastrum Angeli Salæ hoc:

℞. *Gummi sagapeni, ammoniaci, galbani*, an. ℥. iii. *terebinthinæ coctæ, ceræ virgin.* an. ℥. iii. ß. *magnetis Arsenicalis subtil. pulu.* ʒ. xviii. *rad. Aron. pulu.* ʒ. viii.

Gummata defœcata priùs oportet esse aceto scillitico, coctáque in formam Emplastri, & pondere æstimata. Tum demum Emplastrum inde cum aliis speciebus s. a. concinnetur. Ad foras alliciendum venenum, virúsque in pus conuertendum, excellenti specificáque virtute pollet.

Præparatio Magnetis Arsenicalis supradicti.

℞. *Arsenici Crystallini, sulphuris viui, antimonij crudi*, an. part. æqual. Pilo simul subigantur in mortario ferreo, mittantúrque in matracium vitreū satis forte in furnum venti, postea in arenam posita ignem tamdiu subtus habeant, donec vitro bene calefacto dictæ species simul instar picis colliquentur. Id quod cognosces, si, dum filo fundum contigeris, materia adhæreat, trahatúrque instar Terebinthinæ. Postea frange vitrum, refrigeratámque materiam subfuscam quæ repræsentat lapidem, subtiliter tere, & ad vsum custodi.

Potest & Bufo siccatus vino maceratus imponi. Ad loca vicina verò, & ne venenum versùs interiora recedat, defensiuum aliquod ex refrigerantibus, siccantibus & adstringentibus adhibetur, vt vnguentum de Cerusa cum Bolo.

Vel ℞. *Olei rosacei* ℥. i. ß. *Aceti rosacei* ℥. ß. *Boli Armeni* q. s. F. Cataplasma.

Nonnulli cotulam fœtidam contundunt, & circa carbunculum applicant, sæpiúsque renouant. Neque inutile fuerit, si multus sanguis corruptus circa carbunculum deprehendatur, venam sub carbunculo aperire, vt sanguis ille corruptus euacuetur, nec iterum ad cor feratur.

Et, si calor Carbunculi sit nimius, vt non solùm vicinas partes inflammet, sed summum dolorem excitet, applicari potest Emplastrum de Cynoglossa, vel de pomis granatis, quod fit ex pomis Granatis acidis, ad mollitiem coctis, & per setaceum traiectis: idque singulis 4. horis renouandum est. Scribit quidem Petrus Droëtus, malè eos sentire, qui existimant malum punicum ad inhibendum copiosum humorum fluxum adhiberi, cùm potiùs attrahat, & inde in magnum tumorem celeriter bubo (nam de bubone loquitur: quod tamen etiam Carbunculo applicari potest) accrescat. Sed parum in eo sibi constat. Nam mox addit: *Debet autem Cataplasma vicinas Buboni partes contegere: vt ex iis velut humorem exprimat in glandulam tumentem.*

Eschara vbi generata fuerit, vnguento adimenda.

℞. *Pingued. porci rec. sine sale* ℥. i. *Vitellum oui vnius, farinæ tritici* ℥. i. Misce.

Vel ℞. *Pulueris radic. althææ* ℥. i. ß. *buglossæ* ℥. ß. *farinæ fœnugræci, lini*, an. ℥. i. ß. Coqu. & cum Butyro sine sale, F. Cataplasma.

Eschara, vbi sublata fuerit, mundandum vlcus vnguento de Apio: postea adhibetur vnguentum Basilicum vel aureum, & applicatur emplastrum de Minio.

Nonnulli referunt, si Sipphiru in cute circa carbunculum circulus ducatur, non solùm præcaueri, ne latiùs serpat, sed & venenum extingui. Interim, dum sanatur carbunculus, singulis septimanis bis hæc vel alia conueniens potio offeratur, vt quicquid veneni in corpore reliquum est, per eam expellatur.

℞. *Aq. scabiosæ, flor. calendulæ*, an. ℥. ii. *boli Armeni*, vel *terræ sigill.* ʒ. i. Misce.

Atque hæc de præseruatione & curatione pestilentiæ sufficiant. Potuissem equidem plura medicamenta congerere: verùm, vt suprà etiam dictum, talia passim plurima extant, præcipuè apud Authores, *cap. praeced.* allegatos, vt & Vutzeum, *in Antidotario Pestilentiali*, vt potiùs de delectu, quàm de copia sollicitos esse deceat. Vt tamen etiam iis qui copiâ delectantur, satis fiat, fasciculum remediorum talium in *fine huius Libri* subiungemus.

Quâ verò ratione symptomatibus, quæ peste infectis accidere solent, succurrendum sit, ex iis quæ infrà, *cap. vlt.* huius Libri dicentur, patebit.

CAPVT VII.

De Pestilentis ac malignæ febris natura, & à peste differentiâ.

PRæter pestilentiam crebra mentio fit febrium pestilentium & malignarum. Quæ ergo inter hæc tria, pestilentiam scilicet, febrem pestilentem & malignam sit differentia, quæque pestilentis & malignæ febris natura, iam explicandum: cum à paucis genuinam inter hæc tria differentiam monstrari videamus.

De pestis ac pestilentis febris discrimine variæ opiniones Ant. Porti. Omnium autem hac de re opiniones recensere & examinare longioris operæ foret. Vt enim quisque de peste sentit: ita eam ab aliis distinguit. Vnam saltem atque alteram opinionem recensere placet. Antonius Portus & nonnulli alij, qui pestem sine febri dari non putant, pestem & pestilentem febrim non distinguunt: Pestem verò & pestilentes febres ab aliis febribus saltem modo & gradu putredinis differre statuunt. Primò quidem à reliquis putridis, quæ nihil pestilens vel malignum habent, hoc modo distinguunt, quòd pestis & pestilens febris non à vulgari putredine, sed largâ, profundâ, sordidâ, conclusâ, ad minima elaboratâ & in lentore quodam constitutâ, à qua semina contagionis emanant, proueniat: reliquæ verò putridæ à vulgari saltem putredine oriantur. A malignis verò febribus pestem & pestilentes febres ita distinguit, quòd illæ quidem à putredine etiam non vulgari proueniant, quæ tamen contagiosa non sit. Quibus addit Portus & differentiam à loco, quod in peste & pestilentibus febribus putredo spiritûs & humores in cordis finibus existentes, vel ipsum corpus visceris occupet: in aliis verò febribus, in partibus à corde remotioribus putrescant humores: statuitque si putredo secundum omnes gradus & conditiones modò descriptas daretur, nisi tamen in concretis in corde extiterit, contagiosam febrem & malignam esse posse: pestilentem tamen non esse.

Verùm suprà sufficienter demonstratum, materiam pestis in sola putredine, quocunque etiam modo describatur & limitetur, quærendam non esse. Et proinde pestis ab aliis febribus discrimen ex solis putredinis gradibus desumi non posse.

Ludouicus Mercatus, *lib. 3. parte 1. class. 1. art. 4. quæst. 176.* satis prolixè hac de re disserit. Primò quidem docet, pestilentialem naturam non esse morbi genus specie distinctum ab aliis tribus vulgò notis, putà morbis intemperiei, malæ conformationis & solutæ vnitatis: additâ ratione (sed quæ falsa) quòd nullum morbi genus reperiri queat, præter intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem: statuitque pestem saltem esse accidens, ac modum & conditionem, aut quid extrinsecùs accedens cuiuis horum: pestem nimirum pro materiali esse morbum, cui adhæret venenosa conditio, pro formali verò truculentam & perniciosam naturam illi morbo additam, quæ adeò pestilens sit, vt propriam morbi conditionem obumbret, & proprium nomen mutet, vt pestis nuncupetur. Reliqua verò, quæ deinde prolixè hac de re scribit, si expendamus, eò redit. Tres esse in peste conditiones: 1. vt sit vulgaris: 2. vt sit perniciosa. 3. vt sit contagiosa: Et in quocunque morbi genere hæ conditiones reperiuntur, illum pestem appellari posse scribit; vbi vna vel plures deficiunt, ei pestis nomen non esse tribuendum. Itaque etsi aliquis morbus sit perniciosus & lethalis, ac ipsa pestis: tamen si contagiosus non sit, pestilentem non esse appellandum: contrà licet aliquis morbus contagiosus sit, tamen si perniciosus non sit, pestem dici non posse.

Pestem itaque ab aliis febribus putridis primò hoc modo discernit, quòd aliæ febres putridæ non habeant tantam putredinem, sed solùm superficialem, & ex communibus causis, obstructione scilicet aut cutis densitate, oriantur, neque de se semina contagij effundant: pestilentes verò etiam citra obstructionem solâ seminarij vi progigni possint; atque eædem contagiosæ sint.

Inter pestem verò & pestilentes morbos tale discrimen constituit. *Pestilens*, inquit, *morbus vnus cùm sit, vnúmque solùm ad*

naturæ suæ integritatem requirat, talis haberi debet, si perniciosus sit & contagiosus. Præterea plerumque ex interno corporis vitio prauisque humoribus principium sortitur, & tandem nullis morborum serti adstrictus est, sed liberè adiungi potest omnibus morbi speciebus; ita vt vno tempore febres tertianæ, continuæ, catarrhi pestilentes esse possint, pestem tamen non generent, quia scilicet non sint vnius conditionis & speciei, quod necessarium est ad veram pestis naturam. Pestis verò ratio etsi morbis pestilentibus affinis sit, & eodem modo in pernicie & contagio sita sit: tamen aliis modis eam à morbis pestilentibus differre docet. *Primò* quidem, ait, *vt pestis fiat, vna tantùm futura est morbi species omnibus peste correptis, siue ea sit febris, siue dysenteria, aut quiuis alius morbus, ita vt omnes vnâ morbi specie afficiantur; perniciosâ tamen & contagiosâ. Deinde, quod pestis varias sortiatur causas externas, generantes & efficientes, ob quarum diuersitatem variæ oriuntur pestis differentiæ & species.*

Pestilentia an peculiare morbi genus sit.

Etsi verò in hac sententia aliquid veri contineatur: tamen multis quoque modis à vero aberrat. Primò enim falsum est, quod statuit, pestilentiam non peculiare morbi genus esse, ideo quòd non detur aliquod morbi genus, præter intemperiem, malam conformationem, & solutam vnitatem. Nam & propositio peccat, & ratio, quæ ad eam confirmandam adducitur, falsa est. Rationem enim quod attinet, firmissimis, vt existimo, argumentis monstratum est, *lib. 2. Inst. p. 1. c. 4.* dari in similaribus alios morbos, præter intemperiem, cuius generis etiam pestis est. Neque enim pestilentia modus saltem morbi est, vt suprà monstratum, sed peculiaris morbus, cui alij coniunguntur, modò plures, modò pauciores. Nam modus nullam peculiarem indicationem suppeditat, nec curatur; id quod in peste fit, vbi ipsi pestilenti dispositioni remedia opponimus.

Neque eo quis effugiet, si dicat, pestilentiam saltem in causa esse, nullum verò peculiarem in corpore humano morbum excitare. Refutatum enim hoc est, *loco allegato*, vbi monstratum, à causis occultâ vi agentibus similes naturæ causæ morbos induci. Et cùm, vt ipse Mercatus docet, ibi necessariò pestilentia existat, vbi formales eius effectûs conspiciuntur: certè non saltem in causa venenum pestilens esse statuendum, sed cùm omnis forma per formales illos, quos appellat, effectûs patienti suam naturam imprimere, illique nouam dispositionem inducere nitatur: etiam hoc in peste fieri, negandum non est. Et cùm alij morbi omnes ob formalem rationem ad certas classes redigantur, & formalis ratio differentias morborum pariat: cùm pestilentiam formalem quandam morborum rationem esse agnoscat, cur non etiam concedat, eam peculiare morbi genus constituere? Præterea, pestem non esse simplicem modum sed morbum principalem & peculiarem, ex eo patet, quòd qui eâ corripiuntur, & contagium ab alio suscipiunt, non necessariò eundem illum morbum intemperiei, conformationis & solutæ vnitatis accipiunt, quo ille, qui eos infecit, laborabat: pestilentem tamen morbum eundem contrahunt.

Non iidem semper morbi pestem comitantur.

Deinde falsa est differentia, quam inter pestem & pestilentem morbum constituit, quòd scilicet peste correptis omnibus eadem fit morbi species, siue ea sit febris, siue alius morbus: vbi verò plures morbi vagantur, non esse pestem, sed solum pestilentes morbos. Nam licèt in peste qualibet, vna veneni pestilentis sit ratio: tamen symptomata & morbi, qui ab ea excitantur, sæpe sunt plures & diuersi, nunc febres, nunc dysenteriæ, nunc pleuritides, nunc alij morbi. Neque cùm pestis contagiosa esse, eandémque morbi speciem aliis communicare dicitur, id ita accipiendum est, quasi morbi illi omnes, & symptomata eadem, quæ peste laborantem infestârunt, necessariò etiã infecto communicentur, sed satis est si venenum idem illi communicetur, à quo occultus morbus similis, similisque venenata in corpore dispositio excitetur: licèt symptomata pro varia corporis laborantis constitutione non semper eadem sequatur. Id quod cuilibet in qualibet pestilenti constitutione obseruare facillimum est.

Herc. Saxonia.

Hercules Saxonia pestem & febrem pestilentem non pernicie aut veneno, sed ita distinguit, quòd pestis sit morbus perniciosus, vulgaris: febris pestifera verò propriè accepta sit morbus perniciosus sporadicus. Verùm nec hoc planè satisfacit. Nam dantur febres plurimæ pestilentes, quæ sunt quidem perniciosæ, sed non sporadicæ, verùm epidemiæ: veræ tamen pestilentiæ omnino non inueniuntur.

Verùm plures opiniones recensere supersedemus, & rem breuiter sic concludimus. Pestis naturam in occulta quadam & homini planè aduersa qualitate sitam esse, eandémque contagiosam esse, ac habere potestatem in alios sese diffundendi, suprà satis explicatum est, & nemo, vt opinor, facilè negauerit. In quocunque ergo morbo hæ conditiones reperiuntur, vt scilicet plurimis perniciosus sit, & facilè in obuios quosque per contagium diffundatur: is pestis appellari potest, siue febrem habeat coniunctam, siue non habeat. Si autem febrem habeat coniunctam, & pestem & pestilentem febrem sine discrimine appellari posse existimamus; modò hoc teneamus, febrem non esse de natura & essentia pestilentiæ, vt suprà dictum. Et hac ratione febris pestilentialis & pestis, nec essentiali causâ, nec proximâ, nec temoris, nec subiecto differunt.

Pestis ac pestilens febris interdum nõ differunt.

Febres pestilentes sine peste.

Quia autem ab Autoribus non paucis pestilentia à febribus pestilentibus nonnullis secernitur, & nonnulli etiã febres pestilentes sine peste constituunt, cum Galeno, *epid. comm. 3. t. 57. & de præsag. ex pul. cap. 4.* explicandum est, quænam sint illæ febres pestilentes, quæ à peste differunt. Tales autem sunt illæ, quæ illam formalem Pestis rationem non habent, & ob similitudinem quandam perniciei ac symptomatum ita dicuntur: in quibus scilicet vel pernicies illa, vel contagium, quorum vtrumque in peste conspicitur, & maximum est, deest; vel si vtrumque habent, minùs tamen perniciosæ & contagiosæ sunt: vel quæ licèt valde quidem malignæ sint, citra tamen constitutionem & statum anni pestilentem, quem pestilentiam quandoque nominari suprà diximus, vagantur. Et omnino pestilentes febres sine peste eæ dicuntur, vbi humorum corruptio nondum quidem summum illum gradum, qui pestilentiæ veneni naturam constituit, attigit, ipsæ tamen etiã veneni & malignitatis aliquid pestilenti similis obtinent. Hinc has febres plerique sporadicas esse statuunt, & Crato, *consil. 275.* hac vtitur distinctione. *Febris*, inquit, *pestilens alia est priuata, alia publica. Priuata, quæ minus saua & contagiosa est, nec omnibus exitialis, internas habet causas, à quibus in corpore putredine ob humorum prauitatem, orta, cordis calor non tam à calore putredinali, vt in aliis febribus putridis, quàm malignitate opprimitur. Hæ febres, si eo progressa fuerint, vt corpora iam morbidam exspirationem habeant, quæ omnibus est contagiosa, non ampliùs pestilentes priuatæ, sed publicæ fiunt. Priuatas autem dicimus, quia priuatim eos qui vitiosos humores continent, inuadunt, nec nisi conuersantes valde prædispositos lædunt. Publicæ verò sunt, quæ propter morbidam exspirationem contagiosa conuersantibus existunt & in aëre atque vestibus seminaria contagij relinquunt.* Hæc Crato.

Hæc tamen dextera & commoda explicatione indigent. Verum est, febrem pestilentialem in specie dictam, & pestem, causa essentiali non conuenire. Quamuis enim vterque affectus à veneno fiat: non tamen sit vterque ab eodem veneni genere. Necessarium tamen non est, vt semper causis efficientibus, præcipuè remotis differant, & pestis à causa solùm communi, aëre scilicet aut victu communi, proueniat; pestilens verò febris ex humorum priuata corruptione oriatur; Atque hinc pestis publica sit, pestilens verò febris priuata. Nam fieri potest, vt etiam febris pestilens sine peste, quam appellat, producatur à causa communi, aëris scilicet vel victus vitio; quæ tamen à vera peste & pestilente febre eo differat, quòd illum venenositatis & contagij gradum non attigerit, & si plures ingulet non tamen contagiosa sit; aut si vtrumque possit, non tamen nisi conuersantes, & quidem prædispositos inficere, nec etiam contagij semina ad distans spargere, aut per somitem in loca longè dissita transferre possit.

Pestis & pestilentis febris discrimen.

Summa hæc est: Pestis, & pestilens febris in specie dicta, principaliter perniciei & contagionis vehementia differunt; quæ non solùm in sporadicis, sed & epidemiis febribus pestilentialibus minor, quàm in ipsa peste animaduertitur. In sporadicis tamen febribus differentia illa longè manifestior est. Sporadicæ enim non solùm essentia & veneni ratione, sed etiam causarum diuersitate differunt. Causæ enim febrium pestilentialium sporadicarum, & aliorum morborum priuatorum particulares sunt & priuatæ; pestilentiæ verò causa semper communis est.

Pestilentium & malignarum febrium discrimen.

Si quis porrò quærat, quænam inter pestilentes & malignas febres sit differentia: Authores quoque non parùm discrepare animaduerteret. Nam si quis solùm eas velit appellare malignas, quæ à Cratone pestilentes priuatæ appellantur, & reliquas, ad harum differentiam, pestilentes: is nullam inter pestem & febrem pestilentem differentiam constituet; cùm tamen à plerisque tria hæc distinguantur, pestis, febris pestilens, & febris maligna. Præterea certum est, etiam malignas strictè appellatas epidemias esse posse, non solùm priuatas. Et cùm in malignis etiam febribus, præter putredinem & calorem occulta & venenata qualitas adsit: non quidem is peccare videtur, qui omnes febres, quæ à verè & propriè dicta peste differunt, in quibus tamen maligna & venenata qualitas apparet, seu pestilentes, seu malignas appellarit: Quia tamen non omne venenatum pestilens est; & apud Medicos non solùm febres, sed & tumores, vlcera, aliique morbi maligni appellantur, qui ab omni pestilentiæ labe immunes sunt: non immeritò malignus à pestilenti distinguitur, & pestilens opponitur non pestilenti; malignus, benigno.

Malignus morbus quis.

Et in genere benignus morbus est, vt *lib. 2. Inst. part. 1. cap. 11.* dictum, qui supra propriam naturam nullum graue symptoma habet. Malignus autem, quem plura, quàm pro suæ essentiæ ratione, symptomata comitantur: seu, vt Galenus *lib. 1. prorrhet. t. 14.* habet, *maligni morbi ij appellantur, quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt.*

Febris maligna duplex.

Si tamen quæratur: vnde illa praua symptomata in malignis proueniant: distinctione opus est. Febris enim maligna duobus modis dici, & præter febris propriam naturam grauiora symptomata habere potest: Primò, cùm omne quidem venenum à febre abest, ob causæ tamen vehementiam & malam aliquam qualitatem, v.g. humoris cruditatem, acrimoniam, vel loci affecti rationem, curatio difficilis redditur, & grauiora apparent symptomata. Deinde, cùm ob occultam & venenatam qualitatem grauiora apparent symptomata, morbúsque periculosior euadit. Prior febris malignæ species, quomodo à pestilentibus

differat,

differat, manifestum est. Sed de illa hîc nobis agere institutum non est, sed de ista in putridis, quæ ob occultam & malignam qualitatem talis dicitur. Ideóque cùm quæritur, unde in hisce febribus gravia illa symptomata accidant, causa alia vix reddi poterit, nisi quòd materia, à qua febris excitatur, occultã aliquã & ad venenositatem accedentem qualitatem habeat, ob quam nihil tale obtinet. Itaque res eò redit, ut minor in his sit pernicies, quàm in pestilentibus; ut sicut pestilentes à peste differunt, ita malignæ à pestilentibus nonnisi gradu perniciei distinguantur. Perniciei gradu dico, non gradu veneni. Nam hîc facilè concesserim, sicut venena alia à pestilenti veneno specie differunt, ita & malignam illam in febribus malignis materiam & qualitatem, specie à pestilenti veneno differre. Quia tamen utriusque ratio nobis ignota & occulta est, & nonnisi effectibus nobis innotescit, ac utrunque homini infestum & noxium est: gradu perniciei differre diximus; quòd scilicet pernicies & contagium in pestilentia sint maxima, & summum gradum obtineant, minoris vehementiæ sint in febrib. pestilentialibus in specie dictis; minoris adhuc febribus malignis propriè appellatis: licèt procul dubio materia, à qua pestis provenit, ab ea, à qua febris pestilens generatur, & à qua maligna producitur, specie differat. Imò contagium in malignis sæpe planè abest.

Pestilentis & maligna febris discrimen.

Unde plerique pestem & pestilentes febres à malignis ita discernunt. Primò, quòd Pestis & pestilens febris ex aëre & contagio ortum trahat: malignæ potiùs ex morboso apparatu proveniant: Quod quousque verum sit, iam dictum. Deinde, quòd Pestis & pestilentes febres non solùm plurimos passim invadant, sed etiam maximam partem eorum, quos invaserint, interimant: Malignæ autem febres licèt plurimos inficiant; tamen non plurimos, quos invadunt, è medio tollant, sed plerique eorum convalescant, & qui moriuntur, non tam citò, ut in peste, plerumque pereant. Sicut etiam, ut dictum, febres malignæ non semper contagiosæ sunt. Præterea in peste & in pestilentibus febr. putredo & calor præter naturam non tam ex causis, à quibus aliæ febres putridæ producuntur, excitantur, sed à deleteria & venenata seminarij contagiosi vi: at in malignis potiùs ex causis aliis ut in febribus putridis communibus, putredo excitatur, indigéntque febres malignæ magis morboso apparatu, qui in pestilentibus febribus sæpe non necessarius est, cùm etiam sine eo pestilens venenum humores corrumpere possit; tandem & symptomatum vehementia in malignis tanta non est, quanta in peste & pestilentibus febribus, neque bubones, carbunculi, & similia in iis conspiciuntur.

Febrium malignarum natura.

Nimirum malignæ febres & ipsæ pravæ sunt: mitiores tamen, quàm pestis & pestilentes febris: perniciosiores autem, quàm simpliciter putridæ: & propterea quasi inter pestem & reliquas putridas mediæ, & ad veram pestem via [illegible]. In omni enim febre, quæ simpliciter putrida non est, præter vulgarem putredinem, occulta & nobis peculiari ratione adversa ac venenosa adest materia, nunc tamen magis, nunc minus perniciosa. Nam ut rem paucis verbis comprehendam, si ea malignitas ac venenositas illum gradum attigerit, ut plurimi, qui ab ea ægrotare incipiunt, intereant, & obvij quique ab ægris inficiantur, & non solùm in proximos, sed etiam in remotos, vel per aërem, vel per fomitem, contagium propagetur, pestis appellatur, sive adsit febris, sive non adsit. Et si adsit febris, nihil obstat, quò minus ille morbus, pestilens febris in genere appellari possit. In specie tamen appellatur febris pestilens, ubi minor venenositas, minúsque contagium adest, & vel quidem plerique moriuntur, alij tamen non inficiuntur, aut saltem maximè dispositi & proximè cum ægris conversantes, vel licèt & contagium & pernicies quædam in febre eadem animadvertatur, contagium tamen & pernicies non summum gradum attigerint, ac aliqui pauci convalescant. Maligna febris mitior adhuc est, & licèt gravia quædam habeat symptomata, pauciores tamen inde moriuntur, sive tales febres sint epidemiæ, & ex communi causa ortum habeant; sive sint sporadicæ, & ex privata causa proveniant. Non semper etiam ita contagiosæ sunt, ut pestilentes verè dictæ. Verum hac de re supra *in fine c. 5.* plurib. actum.

CAPUT VIII.

Ad quod febrium genus Pestilentes & malignæ pertineant.

CUm duo in febribus pestilentibus & malignis coniungantur, febris, ac maligna & pestilens qualitas: jam porrò quærendum est, cum quo febrium genere malignitas hæc coniungi possit, an cum omni, an verò certo febrium genere. Sunt autem, ut suprà dictum est, tria febrium genera, Ephemeræ, Putridæ & Hecticæ. Nonnulli ergo cum qualibet harum febrium differentia pestilitatem & malignitatem coniungi posse statuunt, ac pestilentem nunc esse ephemeram, nunc putridam, nunc hecticam. Alij, ut Platerus duplex febrium malignarum & pestilentium genus constituit; unum breve, quod ex synocharum purarum non putridarum sit genere. Alterum longius, quod è putridarum continuarum sit numero. Alij tantùm in putridarum classem malignas & pestilentes collocant.

Quam rem si quis accuratius perpendat, hoc Primò animadvertet, febres pestilentes nullas ephemeras & hecticas propriè dictas dari. Ephemeras enim quod attinet, definiuntur illæ incendio & effervescentia spirituum, ac tales pestilentes illæ, quas appellant, ephemeræ non sunt. Nam licèt ipsarum malignitas & pestilentia aliunde pendeat: febris tamen illa, quatenus talis, plerorumque authorum sententiâ à putredine provenit. Etenim sive concedamus, spiritus posse putrescere, sive id negemus, febris pestilens, quam illi appellant, ephemera propriè dicta non erit. Nam si spiritus putrescere non possunt, & febris, de qua quæritur, est ex putredine; nulla dabitur febris ephemera pestilens. Si autem concedamus spiritus posse putrescere, & ex his putrescentibus febris accendatur: tamen ea non erit de vulgarium ephemerarum genere, in quibus nulla est putredo, sed tantùm spirituum effervescentia & calor nimius, sine eorundem corruptione & totius substantiæ mutatione.

An dentur ephemeræ pestilentes.

Neque etiam credibile est, spiritus, qui maximè ignei & mobiles, & propterea ad putredinem minùs dispositi sunt, primùm, & quidem solos putredinem concipere, humores verò, qui magis apti ad putredinem sunt, à putredine planè immunes manere. Et licèt venenum, ut Platerus docet, aliquod inflammans dari possit, atque ab hoc pestilens sæpe non multum abesse concedamus: tamen illam inflammationem & calorem igneum in corpore, sine corruptione seu putredine vel humorum, vel spirituum, excitare vix potest. Id quod maculæ, bubones & carbunculi in pestilentibus febribus erumpentes testantur. Bubones verò & carbunculos sine humorum corruptione non erumpere certum est: maculæ verò non à portione aliqua veneni, quod tantillum sæpe est, proveniunt, sed ab humoribus corruptis oriuntur. Et sit sanè, quod non nego, dari venenum pestilens, quod spiritibus inprimis infestum sit; tamen cùm iis non solùm spiritus incalescant, sed corrumpantur & destruantur: febres ephemeræ non erunt; nec ad febrium ephemerarum classem referri poterunt, magnáque omnino hîc apparet differentia. Etenim in vera ephemera spiritus solùm incalescunt, in pestilenti verò febre corrumpuntur. Et quamvis utraque febris non diu duret, sed brevi temporis spatio suum cursum absolvat: tamen hoc planè inæquali exitu accidit, cùm ephemera simplex periculo vacet, pestilens verò, quæ fit spiritibus affectis, periculosissima sit, adeò pauci evadant, sed plerique citissimè intereant; cuius rei exemplum præbet sudor Anglicus, de quo suo loco dicetur.

An dentur hecticæ pestilentes.

Hecticas quod attinet, negandum non est, in pestilentibus febribus quandoque cor ipsum affici & forsan putrescere & consumi. Quamvis etiam hoc in dubium à nonnullis vocetur: An scil. cor possit putrescere, ob rationem & authoritatem Aristotelis inprimis, qui *lib. 3. de part. anim. cap. 4.* scribit: solum cor viscerum atque omnium partium corporis nullum grave vitium pati, utpote à quo reliqua membra, ut principio, gubernentur, & quod in nulla bestia cor, ut reliqua viscera, corruptum inveniatur: tamen id simpliciter negandum non est, cùm ipsa experientia id testetur: sicut hac de re exempla à Fernelio, *libro 5. pathol. capite* 12. Schenck. *obs. lib.* 2. *obs.* 202. Guilhelm. Fabric. *lib.* 2. *obs. Chirurg.* 27. annotata sunt. Neque id Aristotelem voluisse existimo, qui solùm statuit, Cor nullum gravem morbum pati posse, ut scilicet animal vivat, & ad sanitatem redeat. Cùm enim hostiæ solùm ex sanis, quantum ad sensum, animalibus peterentur: verum est, nullum animal corde affecto, ita sanum videri posse, sicut dum interdum renes, hepar aliæque partes corrumpuntur. Ipsum tamen etiam cor, sed non sine præsenti animalis damno, affici posse, confitetur, dum paulò post scribit: *At verò quæ morbo vitiisque eiusmodi pereunt animalia, iis dissectis, affectus morbosi in corde conspiciuntur.* Ergo licèt concedamus in pestilentibus febribus cor affici posse, & febres inde oriri, quæ hecticam referant: hecticas tamen propriè dictas eas febres esse negamos. In hectica enim simpliciter dicta etsi cordis substantia afficiatur, tamen ille affectus tantùm in calida intemperie consistit; in febribus verò pestilentibus cor non solùm incalescit, sed etiam corrumpitur. Unde etiam longè alia est ratio harum hecticarum, si ita quis eas appellare placeat cum Galeno, 3. *de præsag. ex puls. cap. 3. & 2. meth. med. cap. ult.* quàm hecticarum vulgarium, & longè alia in pestilentibus, quàm aliis hecticis, conspiciuntur symptomata.

Deinde hæ pestilentes vix dari possunt sine putredine. Nam cùm humores in corde contenti magis apti & parati sint ad putredinem, quàm cordis solida substantia, aut eius humores proprij, vix possibile est, ipsam cordis, à quo hi continentur & foventur, substantiam, aut eius humiditates proprias putrescere posse, ut humores in ventriculis cordis contenti non sentiant putredinem. Nam quod à putrido tangitur, & ipsum putrescit, præcipuè si magis dispositum est. Atque ita maxima est inter hanc febrem pestilentem & hecticam differentia. In hectica enim vera temperies saltem cordis mutatur, & cor præter naturam calefactum est: in pestilenti verò hac, ipsa substantia cordis corrumpitur. Hectica sine putredine consistere potest: hæc vix, ac ne vix quidem. Hectica diu durat, antequam hominem enecet: in pestilenti hac homo brevi temporis spatio moritur.

Ex quibus omnibus concludimus, in omni febre pestilenti & maligna aliquam seu putredinem seu corruptionem esse, non saltem mutationem in qualitatibus primis. Unde febres malignas & pestilentes in earum numerum collocamus, quæ ex humorum putredine dependent. Interim tamen quia aliqui inter-

Digitized by Google

eas differentia appares, & nunc ipsum cor, nunc humores, nunc spiritus afficiuntur magis: propter similitudinem, quam cum aliis propriè dictis habent, cùm aliis nominibus destituamur, ita eas appellare, & earum alias ephemeras, alias hecticas, alias putridas nominare liceat.

An dentur febres malignæ intermittentes.

Verùm iam porrò quæritur: E quo putridarum genere sint hæ febres. Et primùm: An omnes sint continuæ, an verò aliquæ intermittentes. Etsi autem verum sit, in pestilentibus febribus præsertim si qualitas venenata prævaleat, & cor labefactet, naturam impeditam & oppressam, morbum vel certo ordine aggredi, vel ab humoribus corruptis aliquandiu sese liberare non posse: & proinde febres pestilentes & malignas ferè omnes continuas esse statuamus: distinctione tamen aliqua vtendum videtur.

Pestilentes febres omnes sunt continuæ.

Nam pestilentes febres propriè dictas, & à malignis distinctas, omnes continuas esse censemus, cùm venenatæ putredinis ea sit ἐνέργεια vt quocunque in loco excitetur, in totũ corpus se diffundere, & corruptis in vena caua atque arteriis humoribus, facilè continuò cor lacessere possit, ac debilitata virtute certis interuallis humores pestilentes expelli non possint. Neque valet hic argumentum Hercul. Saxoniæ, quo etiam intermittentes pestilentes dari probare conatur. Datur, inquit, pestilentia sine febre: Ergò magis potest dari pestilens intermittens febris. Consequentiam enim hic non video. Nam licet verum sit, pestilentis veneni tantam vim esse posse, vt hominem iugulet, antequàm febris & putredo excitetur: tamen si tractu temporis a pestilenti veneno putredo excitetur: fieri non potest, ob causam iam dictam, vt natura certis periodis materiæ putridæ expulsionem instituat. Et quamuis putredo pestilens in humoribus in primis viis contentis primò accendi possit, tamen, propter maximam actiuitatem & vim veneni, humorúmque continuitatem, facilè labes illa superioribus quoque venis communicatur.

Maligna febres quædam Intermittentes sunt.

Febres autem quæ in specie malignæ dicuntur, & in primis quæ ex priuato humorum vitio generantur, Intermittentes interdum esse; ipsa Experientia testatur. Nec ratio id dissuadet. Nam impossibile non est, vt in primis viis putrescentes humores malignitatem concipiant; & cùm in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura statis periodis excretiones aliquas instituere possit. Verumtamen etiamsi hæ febres interdum certos typos obseruent, & quidem plerumque tertianæ sint: tamen, quia natura oppressa ordinem in motibus suis certum seruare non valet, accidit tum, vt febres stato ordine non exacerbentur, sed erraticæ quasi sint.

Pestilentes & maligna continua quales.

Porrò quæ è continuarum genere sunt pestilentes & malignæ, nulli continuarum generi addictæ sunt, sed prout putredo & corruptio sanguinem temperatum, morbosum apparatum hunc vel illum, hoc vel illo in loco incidit: ita nunc hæc, nunc illa febris species excitatur. Et febres tales nunc synocharum naturam referunt, nullásque insignes mutationes obtinent: nunc reliquarum continuarum modo cum horrore incipiunt, & quasdam exacerbationes habent ac periodos absoluunt, prout vt humorum apparatus sese habet. Neque enim vnus saltem aliquis ex humoribus, seu quilibet illorum, dum putrescit & venenatus redditur, pestilentes febres excitare potest; quod symptomatum diuersitas, quæ diuersorum humorum naturam insequuntur, satis testatur. Nam alios vigiliæ, alios sopor & veternus, alios delirium, alios alia symptomata infestant, quæ non solùm propter partium diuersarum imbecillitatem, & materiæ ad eas motum, sed etiam propter materiæ diuersitatem oriuntur.

Differentia febrium pestilentium, & malignarum.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, facilè colligi potest, quid de differentiis febrium pestilentium & malignarum sit statuendum. Itaque plura de differentia à causis, materia putrescente & loco desumpta, addere opus non est, duo, vt aliquoties iam dictum, in qualibet maligna & pestilenti febre reperiri: Primò Putredinem, à qua febris oritur: deinde perniciosam & malignam qualitatem, ob quam febris illa pestilens & maligna dicitur. In vtroque reperiuntur quædam differentiæ.

Nam febrem quod attinet, non solùm à causis, materia & loco putredinis, vt in aliis febribus, sumuntur differentiæ; sed etiam à vehementia putredinis; siquidem putredo nunc maior, nunc minor est. Deinde ipsa pestilens ac maligna qualitas insignem habet latitudinem; vnde accidit, vt febres pestilentes & malignæ aliæ aliis perniciosiores ac sæuiores, aliæ mitiores ac debiliores sint. Nam si & malignitas & putredo summa sit, perniciosissima febris oritur, in qua & à malignæ & pestilentis qualitatis vehementia cor valde debilitatur, & ab insigni putredine ac calore cùm ipsum, tum reliquæ etiam vires valde læduntur. Si autem contingat, vt putredo sit magna, qualitas verò illa maligna non ita vehemens: tum febris magis ad naturam aliarum putridarum accedit, & à febre & à calore quidem, vt in aliis putridis, ægro magna molestia creatur, sed à praua qualitate cor non adeò affligitur. Si autem putredo non est magna: qualitas autem maligna vehemens: tum febris apparet mitis, & febrilia multa ac vehementia symptomata non animaduertuntur, nihilominus à qualitate maligna cor valde læditur, talésque febres valde fraudulentæ sunt, & cùm nec ægris, nec Medicis sæpe periculosæ videantur, ægrum, vbi extra periculum constitutus videtur, iugulant. Si denique nec putredo est magna nec qualitas maligna vehemens, febres oriuntur, quæ nec ratione putredinis, nec malignitatis periculosæ sunt.

Cæterùm cùm in hisce febribus non tam putredo, quam malignitas spectanda sit, differentiæ quæ à putredine sumuntur, febrium malignarum & pestilentium, quatenus malignæ ac pestilentes sunt, propriæ non sunt, sed iis cum aliis febribus putridis communes. Ideò hoc loco non saltem differentia à putredine, sed in primis malignitatis differentia spectanda est, in qua aliquam differentiam occurrere negandum non est. Obseruatum enim est, ea remedia, quæ in vna pestilente constitutione vtilia comperta sunt, in alia parum profuisse; quod procul dubio ex veneni diuersitate accidit: ac rectè recentiores annotarunt, pestilentes venenum modò viperæ, modò cicutæ, modò napelli, modò dipsadis, modò aliud venenum æmulari: quod ad curationem rectè instituendam obseruare vtile est.

Verùm cùm, vt aliorum venenorum, ita etiam qualitatis malignæ & pestilentis formalis ratio nobis ignota sit: essentiales etiam differentias constituere difficile est, sed potissimæ desumuntur ex symptomatibus, per quæ malignitas se prodit. Quæ dum sint varia, hinc variæ habentur febrium pestilentialium & malignarum differentiæ. Interdum enim maculæ quædam varij coloris in cute efflorescunt, vnde febres peticulares & petechiales appellantur. Alia est febris differentia cum qua variolæ & morbilli coniunguntur: Alia est febris, quæ sudatoria, & sudor Anglicus appellatur: Alia, quam morbum Hungaricum nominant. Ita dantur nonnunquam febres malignæ pleuriticæ, catarrhales, anginosæ, & aliæ cum dysenteria coniunctæ, quæ iam enumeratione, symptomatum & signorum clariorea fient, prout natura veneni cum hac vel illa parte antipathiam peculiarem habeat.

CAPVT IX.

De Causis febris pestilentis & malignæ.

Causa febris pestilentis.

De causis verò pestilentis febris, & à peste & à maligna differentis, via alia, quam quæ de peste diximus, afferri possunt, sed easdem illas causas pestilenti febri applicare possumus. Cùm enim pestilentis veneni, vt & aliorum natura determinata nobis incognita sit, etiam causarum illud venenum producentium gradum determinatum vix definire possumus, & proinde causæ febrium malignarum & pestilentium quærendæ in aere, cœlo, victu prauo; quibus tandem accidit contagium. Verùm cùm videamus venenum veram pestem constituens, ab aliis symptomatum copia, vehementia, magnitudine, modo operationis, contagij velocitate, & ad distans sese diffundendi potentia, summaque tandem pernitie differre: eadem procul dubio ratio etiam in causis est, vt nimirum si causæ pestem alias excitantes nondum illum summum gradum attigerint, febris pestilens producatur. Vnde videmus plerumque pestilentes febres præcedere, & tandem, causarum vehementia aucta, aut diutius durante, in veram pestem abire.

Causa febris malignarum.

Febres verò malignas in specie dictas quod attinet, plerique earum causas saltem in morboso corporis apparatu quærunt. Quod etsi quandoque verum sit: tamen suprà dictum, non omnes febres malignas saltem priuatas & sporadicas esse, sed sæpe epidemias. Exemplo sint febres illæ, quæ Anno 1551. & 1580. per vniuersam Europam, imò omnes ferè mundi regiones, grassatæ sunt. Nam cùm febres illæ eodem tempore in diuersis regionibus diuersæ naturæ homines, & quidem maximam hominum partem, inuaserint, priuatas & sporadicas non fuisse, cuilibet manifestum est. Cùm verò pauciores ex iis perierint, neque pestilentiæ, neque pestilentium febrium in specie dictarum naturam habuerint, sed solùm malignæ fuerunt. Et cùm maximam hominum partem, & quidem in omnibus regionibus inuaserint, ex morboso & priuato corporis apparatu causam non habuerunt, sed ex communi aliqua causa ortæ fuerunt. Tales etiam fuerunt febres, quæ anno 1616. post insignem illum & hisce regionibus insolitum æstum, vniuersæ ferè Germaniæ epidemiæ, hic certè VVittebergæ tam frequentes fuerunt, vt nulla domus reperiretur, in qua non ægri decumberent, imò tot ægrotarent, vt in nonnullis ædibus vix vnus vel alter sanus esset, qui reliquis ægrotantibus ministrare posset. Quanquam verò & epidemiæ essent hæ febres & contagiosæ: tamen sexcentesimus vix moriebatur, atque ita pestilentes hæ febres non erant. Neque tamẽ ex priuato corporis apparatu, sed causa cõmuni, vt dixi, æstu scilicet insigni, & procul dubio peculiari aliquo astrorum influxu ortum habebant. Itaque & in hisce febribus communes causas admittimus, & si epidemiæ sint, tam ex aeris vitio, quam victu prauo communi prouenire posse statuimus. Vt verò in malignitate propriè & in specie dicta minor est perniciositas: ita & minorem in causis istas febres producentibus venenositatem & prauitatem esse existimamus.

Quæ verò febres malignæ, vt & pestilentes in specie dictæ, priuatæ sunt & sporadicæ, eas in primis à causis particularibus, à quibus vitiosi ac praui humores, seu morbosus quidam apparatus in corpore colligitur, prouenire statuimus. Atque huius apparatus ratione, quia diuersa, pro ratione ætatis, sexus, vitæ generis, & aliarum circumstantiarum diuersus est, febres

hæ

hæ & etiam symptomata valde variant, vt rarò eadem accidentia & symptomata in diuersis appareant.

Prauus autem hic apparatus, & humorum corruptio oritur primò à cibo prauo putredini & corruptioni obnoxio: quales cibi, vt hac de re Galenus, 1. *de differ. febr. c. 3.* scribit, quidam naturâ tales sunt, quorum scilicet ea est natura, vt ex iis praui succi generentur, de quibus videatur Galenus, *libro de cibis boni & mali succi*: quidam verò diuturnitate temporis & negligenti obseruatione talem labem contraxerunt.

Huc pertinet etiam aqua, quæ computruit, aut rerum putridarum & corruptarum mixtione inquinata est. Deinde etiam humores boni in corpore ita corrumpi possunt, vt malignitatem, imò venenositatem acquirant. De quo alij aliter sentiunt. Integra illa controuersia pluribus explicata est. *lib. 2. Inst. p. 2. c. 12.* monstrarúmque humores in corpore nostro ita corrumpi, & à natura sua degenerare posse, vt naturam venenorum induant, à quibus halitûs venenati & maligni ad cor delati periculosa symptomata & mortis periculum inducunt, potissimùm vbi noua accedente putredine exagitantur, à qua etiam febris oritur, quæ ob adiunctum venenum maligna est.

CAPVT X.

De pestilentis febris signis.

Pestilentis febris signa.

De pestilentis febris in specie dictæ signis peculiariter aliquid addere opus non est: Eadem enim, sed mitiora & pauciora saltem in iis conspiciuntur, atque in primis illa, quæ essentiam veneni pestilentis consequuntur, in eâ non eadem, quę in pestilentia, conspiciuntur. Neque enim tam periculosæ sunt, vt vera pestilentia, neque etiam tam contagiosæ.

Quantum autem ad signa differentiarum, quæ suprà propositæ sunt, si qualitas venenata sit summa, simulque etiam maxima putredo, vires maximè deiiciuntur. & grauia, ob putredinem, insequuntur symptomata, vt capitis aliarúmque partium dolores, vigiliæ, inappetentia, sitis magna & inexhausta, inquietudo, excrementa, & vrinæ valde mutatæ, ac sanorum maximè dissimiles. Si autem putredo sit summa, maligna verò qualitas remissior, illa, quæ ex putredine & febre oriri solent, symptomata, sunt quidem valde vehementia, non tamen adeò grauia & molesta, vt in priori differentia. Virtus enim vitalis non adeò deiicitur. & propterea meliùs symptomata illa perferre potest. In hac febre calor etiam in exterioribus semper ἀνάλογος est putredini, vsque ad statum: circa quem demum, si æger non euadet, exteriora primùm tepescere & tandem frigescere incipiunt. Si enim euasurus est, aliquid quidem remittit, sed non planè. Si putredo non magna est, qualitas autem maligna vehemens; mitia sunt, quæ febres comitantur, symptomata, sed vires valde deiiciuntur. Si denique nulla ferè adsit putredo, sed maxima malignitas, pestis naturam ea febris æmulatur, in qua ægri sine morbo se mori conqueruntur. Nam nulla putredinis adsunt signa, nulla sitis, nulla alia grauia symptomata, sed tantùm summa virium deiectio & imbecillitas, ac tandem inopinata mors.

Ephemera pestilentis signa.

Alteram deinde differentiam quod attinet, quâ febres pestilentes vulgò distinguuntur in Ephemeras, putridas & hecticas: Ephemera, quæ ex spiritibus in primis affectis oritur, cognoscitur. Primò ex magna & subitò inuadente imbecillitate, & quamuis interdú vires nonnihil colligi videantur, collectis spiritibus: tamen mox iterum concidunt, & ęgri in frequentem syncopen & animi deliquia incidunt, ac tandem succumbunt. Secundò sentiunt hi quidem calorem, non adeò tamen mordacem, & qui non diu durat, sed vno, duobus, aut ad summum tribus diebus, vel ad salutem, vel ad mortem ægri morbus terminatur. Tertiò pulsûs sunt inæquales, imbecilles ac languidi. Spiritibus enim deficientibus facultas vitalis munus suum exequi non potest: Vnde sæpe in media actione deficit, variæq; inæqualitatis causa existit. Quartò in hac febre non fiunt alui fluxûs colliquantes: Vrinæ non sunt turbidæ, sed ferè similes naturalibus & sanis, non adsunt bubones, carbunculi, parotides, atque alia exanthemata.

In Humoralibus autem pestilentibus conspiciuntur bubones, carbunculi, parotides, pustulæ, maculæ, & alia exanthemata, atque alia adsunt signa, quæ in aliis putridis apparere solent, vt sunt vigiliæ, deliria, anhelitus & respiratio frequens, cardiogmi, vomitus, variæ alui excretiones, vrinæ crassæ, turbatæ, sitis magna linguæ ariditas, asperitas.

Hectica pestilentis signa.

Hecticæ denique pestilentis signa sunt: Primò magnus virium languor, pulsúsque debiles ac verè deficientes. Si enim in simplici hectica vires ita concidunt: certè mirum non est, in hectica pestilente, vbi cor non solùm aliquâ intemperie laborat, sed simul à qualitate maligna opprimitur, vires maximè deficere. Secundò, vt & in aliis hecticis, calor ab ipsis ægris vix percipitur, adeò vt de nullo affectu, nisi de summa virium imbecillitate conquerantur.

De signis febrium malignarum.

Malignarum febrium signa.

Restant signa febrium malignarum in specie dictarum, quæ diligenter cognoscere, summè necessarium est. Nam pestis & pestilentium febrium ea est vehementia, vt ferè in principio mox se prodant. Malignæ verò febres in principio latent: vt tamen mox cognoscantur, nihil vtilius est. Nam si in principio non mox cognoscantur, malignitas altiùs radices agit, tempúsque

agendi commodum præterlabitur, ac æger in vitæ discrimen adducitur. Cùm enim malignitatis, & pestilentia veneni non tanta sit vehementia, aliquandiu in obscuro quasi delitescit, aliámque febrem benigniorem simulat, nec se prodit, nisi vbi iam vires sumsit, & victoriæ spem concepit. Quapropter omnia signa diligenter perpendenda sunt, ne vel febris, quæ maligna non est, pro tali habeatur, quod nonnulli interdum faciunt, qui via continuæ aut acutæ febris nomine audito, malignam febrem esse pronunciant; vel si talis sit, negligatur. Et licèt vix vnum pathognomonicum detur, quod solum febrem hanc certò detegere valeat, tamen si vllum signum appareat, quod nobis suspectum sit, & de malignitate nos admoneat, illud non negligendum est; sed ea ipsa de causa reliqua omnia diligentiùs perpendenda; ne si de omni periculo securi simus, fallax & latens huius morbi natura nobis imponat. Exempli gratiâ, si præter febris morem & præter solitum sopor, lipothymia, cardialgia, vel aliquid aliud accidat, omnia diligentissimè perpendenda sunt. Omninò enim in febribus malignis locum habet, quod de peste præsagienda habet Poëta:

> ——— *Sæpe exiguus mus*
> *Augurium tibi triste dabit.*

1. Symptomatũ vehementia.

Primum ergo signum, quod ab illa maligna qualitate dependet, est, quod omnia symptomata maioris, quàm pro febris natura, videntur esse vehementiæ, & in omnibus symptomatibus peculiaris aliqua apparet conditio, quâ à seipsis, dum in aliis morbis apparent, differunt, & peculiare omninò quid in hac febre præ se ferunt, quod dum in aliis morbis apparent, non obtinent. Vnde si quis periculum, quod est febre est, conferat cum periculo, quod imminet ex symptomatibus, illud præ hoc negligendum videatur. In primis adest virium insignis imbecillitas, sine causa manifesta, mox à principio maior, quàm pro febris & caloris febrilis natura. Nam si quis laborat febre ardente, in qua calor est maximus, eius vires à caloris vehementia debilitari non est mirum: at si quis febri laborant, cuius calor est mitior, & vires nihilominus deiiciuntur, hoc iam malignitatem arguit. Adest inquietudo, anxietas, inordinati sudores & similia.

2. Pulsus.

Primum hoc signum sequitur alterum, Pulsus frequens, paruus, in primis debilis. Etsi autem in aliis differentiis & circunstantiis à naturali parùm discrepare videatur, tamen si vigor ille naturalis sine manifesta causa desit, iam malignitatis suspicionem affert, quæ tamen morbo progrediente sese magis prodit. Nam inter initia sæpe pulsûs naturalibus similes sunt, aut non multùm ab iis discrepantes apparere solent; quod diligenter obseruandum, & alia etiam signa consideranda sunt, ne hîc decipiamur. Si enim inquietudo, anxietas, inordinati sudores, frigidi & intercepti; ac alia praua symptomata adsint: falsa illa pulsûs imago, & simulata bonitas ad febrem benignam indicandam non sufficit: neque pulsus naturalis cum malis accidentibus consistere potest. Est etiam interdum in huius febris initio pulsus formicanti similis, minimus & frequentissimus, qui ex materiæ malignæ copiâ procul dubio accidit. Varius quoque vt plurimum pulsus est in hac febre, & interdum intercidens, transactis primis diebus, quod fit, ob pugnam naturæ & materiæ, & illius sæpe impotentiam, ob quam ordinatè & integrè suum officium exequi non potest.

3. Vrina.

Tertium, Vrinæ primis diebus aliquando sanorum nimis similes sunt; quod dum fit, & alia signa ac symptomata grauia adsunt, certum est malignitatis, quæ clam & ex insidiis naturam oppugnat, indicium. Qualitas enim illa maligna & venenata cùm non in putredine consistat, sensim primò & sine insigni aliqua humorum agitatione & perturbatione cor oppugnat. Vnde eius indicia in vrinis quidem non apparent, aliis tamen signis satis sese produnt. Aliquando etiam vrinæ tenues & crudæ sunt, nullúmque continent sedimentum: aut si quod habent, illud excremento potiùs simile est, quàm sedimento. Etsi enim vrina cruda etiam in aliorum morborum initiis appareat, tamen si tenuis sit & aquosa, ac omnino à natura aliena, mox incipiente morbo, & cum leui febre, quæ leuem etiam adesse putredinem significat, aliquid aliud præter putredinem adesse indicat, nimirum virium & facultatum magnam impotentiam, quæ non ex humorum putredine & calore febrili, sed potiùs ea maligna qualitate ortum habet. Conspicitur quoque interdum vrina crassa, cruenta & turbida, crassum, rubrum & turbidum sedimentum habens, quod maximam humorum conturbationem, magnámque putrefactionem & facultatis naturalis impotentiam significat.

4. Calor.

Quartum, Calor harum febrium non habet eam acrimoniam, quam in aliis putridis, si scilicet eiusdem generis febres malignas & benignas inter se conferas. Nam etsi in ardente febre calor sit maximus, summum incendium, tamen si eandem & symptomata, cum ardente simplici, & quæ nullam habet coniunctam malignitatem, conferas, tùm calor erit, quàm pro natura eius febris, minùs mordax, symptomata verò, quàm pro ratione caloris, grauiora.

5. Facies.

Quintum, facies plerumque solet esse terra, & à statu naturali multum mutata, viridáque illâ vi & spiritu destituta videtur. Vnde plurimi existimant, febres has ab Hippocrate esse aspectu terribiles appellatas.

His signis satis quidem cognosci potest pestilens & maligna febris: semper tamen & alia symptomata coniunguntur. Nam primò actiones læsas quod attinet, vel sopore & veterno, vel vigiliis exercentur. Imaginatio multis modis corrumpitur, somnisque variis & absurdis imaginibus turbatur, memoria debilitatur; vertigo, tremores, conuulsiones, corporis totius inquietudo & anxietas adest. Dolores capitis infestant, oculi caligant, aures obsurdescunt, tinnitibus & sibilis molestantur, odoratus & gustus corrumpitur; crura, artus & omnia membra quasi confracta & conquassata iis putantur, cardialgia accidit, sitis molesta est, nausea infestat. Ita etiam in Excretis varia accidunt symptomata. Vermes enim modò per aluum, modò per os, modò per nares erumpunt. Adsunt fluxus alui biliosi, colliquantes, fœtidi. Nares stillant sanguine; quod signum vt in morbis acutis aliis malum habet Hippocrates: ita huius morbi naturam non obscurè arguit, præsertim si initio morbi accidat, etiam in maiori quantitate. Experientiâ enim compertum habetur, non solùm stillicidium narium; verùm etiam maiorem sanguinis è naribus effusionem per initia prauam morbi naturam significare. Indicat enim hoc magnam humorum ebullitionem, prauámque qualitatem, ac virium debilitatem, ob quæ omnia natura ante tempus vacuationem instituit. Apparent etiam tumores, modò post aures, modò circa alas & inguina, qui sæpe retrocedunt, & difficulter maturantur. Maculæ rubescentes & liuescentes efflorescunt in dorso, brachiis, cruribus, & thorace, de quibus suprà plura. Variolæ etiam & morbilli interdum conspiciuntur. Deinde in qualitatibus mutatis accidunt symptomata: Facies est liuida, plumbea: apparent hinc inde in cute, vt diximus, maculæ, lingua est sicca, aspera & nigra, os amarum: extrema modò refrigerantur, modò incendio vruntur.

Stillicidium sanguinis è naribus quid initio febrium significet.

Et vt hæc concludamus, nihil ferè mali est, quod non interdum in hisce febribus appareat; ac quò magis extrà omnia tuta apparent, eò magis intus omnia sunt turbata & mutata.

Prognostica febrium pestilentium & malignarum.

Pestilentium febrium prognostica.

Pestilentium febrium in specie dictarum eadem in prognosticis, quæ in peste ferè est ratio. Quò enim symptomata sunt deteriora, vomitus scilicet humorum corruptorum, alui deiectiones fœtidæ, atræ, liuidæ, virescentes: respiratio difficilis, anhelitus frigidus & fœtidus, cardialgia, lipothymia, dilitia, sopor grauis; facies horrida; pulsus paruus & debilis, extrema frigida & liuida; maculæ paucæ, violaceæ, liuidæ, nigræ, atque non debito tempore erumpant, cum grauibus accidentibus, & retrocedant, antequam discutiantur; & contrà vires fiot debiles, omnia morbum grauem & periculosum significant.

Contrà si talia accidentia pleraque absint, & omnia symptomata sint mitiora & moderata, si maculæ sint multæ & magnæ, rubentes, atque erumpant criticè, & quidem cum ægri leuamine, atque retrocedant, & vires sese bene habeant; salutis spes superest.

Prognostica malignarum.

Ex iisdem symptomatis de malignarum febrium exitu aliquid præsagire licet. Verùm cùm de iis satis prolixè, *Instit. lib. 2. part. 3. cap. 4. 5. 6. 7. 8.* dictum sit facilè ex iis, quid de qualibet maligna febre sperandum sit, colligere licet.

CAPVT XI.

De curatione Febrium pestilentium & malignarum in genere.

Indicationes in febribus pestilentibus ac malignis.

IN omnibus pestilentibus & malignis febribus duo adsunt, Venenum & malignitas, ac febres ad quæ tota curandi ratio dirigenda est. Et quidem quid febris indicet, & quâ ratione ei occurrendum sit, ex iis, quæ hactenus de febribus dicta sunt, patet; quomodo venenum pestilens & malignitas oppugnanda sit, ex iis, quæ de pestilentia dicta sunt, manifestum euadit. Verùm in hoc maxima difficultas, cui priùs, cui posteriùs prospiciendum sit, & quomodo venenum pestilens ac malignitas tollenda sit, ne febris augeatur; & contrà febri prospiciendum, ne malignitas negligatur. Et quidem præcipuè de tribus est controuersia, de alexipharmacis ac diaphoreticis & sudoriferis, ac in primis iis quæ primum caliditatis gradum excedunt; deinde de venæsectione; tertiò de purgatione.

Et si verò plerique hîc eodem modo has quæstiones, vt de pestilentia dictum, tractare, neque etiam inter curationem pestilentis & malignæ febris in specie dictæ discernere soleant; tamen hîc distinctione opus est. Et quamuis in plerisque febrium harum curatio conueniat, in aliquibus tamē discrepat. Cùm enim In vtroque harum febrium genere venenum & putrefactio adsit, nunc Venenum, nunc putredo & febris plus viget. Ideóque hæc duo, pestilens venenum & malignitas, ac putredo & febris inter se conferenda sunt, & vnde plus periculi immineat, perpendendum. Ideóque si plus periculi immineat à veneno, ea ferè curandi ratio est, quæ in peste proposita fuit, quæ tamen ita instituenda, vt febris non negligatur, multo minùs augeatur. Si verò febris plus vigeat, ad eam imprimis curatio dirigenda, ita tamen, ne malignitas augeatur.

Quapropter verè & in specie ita dictas febres pestilentes quod attinet, cùm earum natura ad pestem propiùs accedat, earum etiam curatio pestis curationi magis cognata est. Ideóque si tales febres grassentur, vel statim vel præmisso clystere, ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum. In alexipharmacis verò exhibendis id obseruandum, vt quantum fieri potest, temperatoria eligantur. In primis verò hîc efficaces sunt aquæ destillatæ, vt quæ valde penetrant. Ideóque alia etiam cum iis exhibenda. Medicamenta autem talia in pestilentiæ præseruatione & curatione, suprà multa sunt proposita.

Pestilentis febris curatio.

Sudorifera.

Aquæ destillatæ.

℞. *Succi ex fol. recent. & virid. galeg. verben. borraginis, scordij, meliss. calend. acetos. cardui bened. plantagin. è rosis in carn.* an. ℔. i. *limon. matur. siue citri.* ℔. ii. *aceti rubi idæi, rut.* an. ℔. i. *sem. citr. recent.* ℥. i. *portulac.* ℥. ß. *flor. nymph. alb. recent.* ℥. iiii. *cortic. fraxin. rec.* manip. iiii. Puluerisanda puluerisentur. Infundantur per triduū in succis prædictis, postea destil. s. a. per organa vitrea.

Efficax est & hæc aqua. ℞. *Radic. & herb. pentaphyll. fol. scordij, scabios. cardui bened. acetos. calendul. rad. angelic. morsus diaboli, contra hierva, tormentill.* an. ℥. i. *zedoar. sem. citri,* an. ℥. ß. *croci,* ʒ. i. *Theriac. veteris.* ℥. i. *camphor.* ʒ. ß. *aceti vini,* ℔. i. ß. *succi citri.* ℔. ii. *spiritus vini opt.* aut (si morbus eum non fert) *aq. alicuius conuenientis,* ℔. i. Stent in infusione per dies duos, & destillentur s. a.

Egyptiis familiaris est hic puluis. ℞. *Scordij, chamædryos, sem. citr.* an. ʒ. i. *aristoloch. long. zedoar. dictamni Cretici, C. C. vsti, boli Armeni, terr. sigillat. rosarum, calaf. spec. margaritarum prep.* an. ℈. i. *camphor.* ʒ. ß. *corall. rubr.* ℈. i. *sacchari candi*, ʒ. ii. Huius ʒ. i. cum theriacæ Andromachi, ℈. ii. in Aqu. calaf, vel citri, exhibent calidè manè ante cibum, & à cibo spatio sex horarum, ægrúmque in lecto pannis cooperiunt, vt sudet, atque sudorem omni conatu prouocant, repetúntque hoc ter die.

Vel ℞. *Spec. liberant. sine aloe,* ℥. i. *diamargarit. frigid.* ʒ. v. *diatrion. santal.* ʒ. iii. *vni cornu*, ʒ. i. *tormentill.* ℈. iv. *sem. excort. bol. Armen. prap.* an. ʒ. i. *terr. sigill.* ʒ. dimid. *zedoar.* Scr. ii. *cinnamomi*, ʒ. i. *croci*, ℈. i. *camphor.* ℈. ii. *Manus Christi*, ad pondus omnium.

Dosis drachma vna cum aceto petasitis, & Angelicæ.

Commendatur etiam valde diascordium Cornelij Gemmæ, cum aceto bezoardico eiusdem exhibitum.

Diascordium Cornel. Gem.

℞. *Scordij recens collecti, & in vmbra siccati,* ʒ. x. *dictamni maCret. summit. absinthij Pont. Epithymi Cret.* an. ℥ dimid. *flor. rosar. Damascen. calendul. buglos. Ital.* an. ʒ. ii. *sem. plantaginis.* ℈. ii. *melonum excort. & incis. cucumeris excort. cucurb. excort.* an. sesquidrachmam. *C. C. vsti propar.* ʒ. iij. *rad. gentian. angelic. zedoar. dictamni albi,* an. ℈. v. *nucis mosch. macis, croci orient. piperis albi, cinnamomi, corallin.* an. ʒ. i. *rhabarbari, ligni aloes opt. Rhodij, rosa dulcis, bole Arm. mastich.* an. ℈. iij. *camphor.* Scrup. ii. ß. *cardamomi, spic. Ind. santal. albi cortic. citri. asar. ebory*, an. ℈. iii. ß. *oss. de corde cerui, moschi,* an. ℈. i. Subtilissimè læuigata cum sacchari albissimi, aquâ rosarum, ac vino Cretico despumati, quant. suff. excoquantur ad iustam Electuarij consistentiam, qui sub finem Adde *Extract. rad. tormentill. veronic. Sars. parill.* an. ʒ. i. *iuniperini*, ʒ. ij. *ol. chalcanthini rectificati*, sesquidrachmam. *citri*, Scr. i. Fiat Opiata.

Eiusdem Acetum Bezoarticum.

℞. *Aceti vini opt. florib. caryophyllorum hortensium immaceratis, Vini albi,* an. part. iii. *succi fol. Acetos. expressi ac depurati, scabios. aut galeg.* an. part. i. Destillentur simul multo circuitu.

Acetum Bezoarticum.

Efficax etiam est valde sal volatilis C. C.

Et extant talia medicamenta plurima passim, & possunt etiam in rem præsentem varia parari.

Vt ℞. *Aq. bezoard. alicuius*, ℥. ii. *diascord. Fracastor.* ʒ. i. *terr. sigill.* Scr. i. *syr. acetosit. citri*, ℥. i. M.

Vel ℞. *Aq. cardui ben. Acetos.* an. ℥. i. *confect. diascordij*, ʒ. ß. *Mithrid.* ℈. i. *terr. sigill.* ℈. ß. *aceti scord. syr. acetos. citri*, an. ℥. ß. M.

Vel ℞. *Aq. bezoardic.* ℥. ii. *salu absinthij, cardui ben.* an. Scr. ß. *diascord. Fracastor.* ʒ. ß. *spir. vitriol.* ℈. ß. *syr. acetos. citri, iulebi ros.* an. ℥. ß. M.

Vel ℞. *Spec. liberant. s. aloë, pulu. bezoardici,* an. ℈. i. *Cæsar. rubei*, ℈. ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Pulueris bezoardici* ʒ. ß. *spec. liberant. s. aloe*, Scru. ß. *Lapid. bezoardic.* gr. iv.

Etsi verò de sudoriferis alij aliter sentiant, tamen qui rerum momenta diligenter pensitauerit ac experientiam consuluerit, facilè hæc quæ diximus vera esse animaduertet. Sunt equidem nonnulli, inter quos Thom. Minadoüs, *in responsione ad quæstionem, de diaphoreticorum secundo ordine calidorum, & theriace in febribus malignis vsu, & de febribus malignis, libro secundo capite 16. 17. 18.* qui diaphoretica illa calidiora & sudorifera in principio exhibita planè reiiciunt, quòd facultas concoquens lædatur noui caloris accessione; quòd calorem natiuum & spiritûs huiusmodi medicamenta dissipent; quòd respectu etiam humorum putrescentium plus noceant calore suo, quàm iuuent digerendo: & omnino quòd nihil commodi, vt mox dicetur, ex iis sperari possit. Sudorifera verò reiicit Minadoüs, quòd malignæ febris putredo neque semper, neque sæpe habeant mineram in totius corporis ambitu, sed vt plurimùm in centro & visceribus. Deinde quòd sudorifera ad sensibilem euacuationem pertineant, quæ nisi coctâ materiâ cum commodo ægri fieri non possit,

De diaphoreticorum & sudoriferorum vsu in febribus malignis.

Digitized by Google

possit, vt passim ex Hippocrate & Galeno patet. Ideóque neque Indicans sudorifera dari in initio malignæ febris, nimisum materiam in ambitu corporis contentam, vel naturaliter ad eam partem impetum habentem: neque tempus sudores eiciendi adesse, cùm sudores, qui sine coctione accidunt, infidi sint. Et imprimis calida damnat; cùm longè maius ex eorum caliditate damnum, quam commodum ex sudoris prouocatione, consequatur.

Verùm enimuerò cùm experientia contrarium testetur, & plurimos febribus malignis laborantes sudorifera felicissimè curatos fuisse, infinitis exemplis probatum sit: rationibus istis ita simpliciter fidem non habendam, sed rem diligentiùs perpendendam censemus.

Principiò verò bene ex Galeno, *lib. 11. method. med. cap. 11.* Minadous monet, difficile esse, eiusmodi aliquod auxilium inuenire, quod citra vllam noxam magnificè prosit. Ideóque rationem decidendi hanc quæstionem rectè constituit: perpendendum esse, maiúsne commodum, quàm incommodum, vel contrà maius incommodum, quàm commodum febri maligna laborantibus accedat ex vsu calidorum diaphoreticorum & sudoriferorum. Si enim maius emolumentum, quàm damnum importent, adhibenda; si verò contrarium præstent, omittenda esse.

Quod vt rectè perspiciatur, acceptamus & hoc. In quolibet morbo esse quinque consideranda; vrgens, causam principalem, impedimenta, affectum, vires, & ad vrgens, id est, quod vires maximè prosternit, siue sit è symptomatum, siue causarum, siue morborum genere, in quolibet morbo curationem primò esse dirigendam. In febre autem maligna vrgere duo, febrilem calorem, & malignitatem, inprimis verò malignitatem, quæ in omnibus febribus malignis vires euidenter deiicit, quod febris malignæ calor non semper facit, & proinde huic malignitati inprimis & perpetuò in hac curatione prospiciendum esse, magis vel minùs, pro illius magnitudine & exiguitate.

Verùm ex his, quæ libenter admittimus, præsuppositis ac principiis, postea non rectè hanc quæstionem concludisse, & suam sententiam deducit Minadous. Primò enim cùm quæritur, an quid commodi afferant diaphoretica calida: neque ratione febris, neque ratione putredinis, neque ratione constipationum vel obstructionum, neque ratione redundantiæ, neque ratione virium vllum locum habere prolixè probat, atque hoc modo ex hac controuersia sese expediuisse putat. Verùm omittit malignitatem, quam maximè in hac febre vrgere antea dixerat. Etsi enim in omnibus febribus putridis vtilissimum sit, transpirationem esse liberam, tamen in febribus malignis id maximè est necessarium. Et cùm naturam ipsam à visceribus ad ambitum corporis malignam materiam felicissimè expellere videamus: huius gratiâ & diaphoretica & sudorifera exhibentur.

Neque eo expedit, quòd vrgens in duo genera diuidit; in vrgens quod dat inducias, & vrgens quod non dat inducias: ac malignitatem ait nunquam aut frequentissimè in humoribus tantam vim, quæ omnes inducias adimat, habere scribit, sed ferè semper tantum temporis præbere, quò possimus priùs impedimenta remouere. Etenim non semper malignitas dat inducias, sed sæpe breuissimo & paucorum dierum spatio hominem iugulat. Et quamuis nonnunquam dat inducias: ita tamen humores interea corrumpit, viresque sensim deiicit, vt postea nulla salutis spes supersit. & morbus, qui primò curabilis fuerat, malignitate neglectâ incurabilis reddatur.

Neque etiam obstat materiæ cruditas. Cùm enim materia maligna, quatenus talis, vix vllam coctionem admittat; & præterea, nisi mox euacuetur, hominem in certum vitæ discrimen adducat: omnino in principio morborum valde malignorum mox sudorifera exhibenda sunt, & inprimis si febris maligna ex contagio ortum habeat, id faciendũ, vt illud *μίασμα* conceptum discutiatur. Et longè alia ratio est sudoriferorum & aliorum purgantium: neque sudorifera omnes humores vitiosos, sicut purgantia tolluũt: sed sufficit, si illud *μίασμα* & putredinale ac malignum fermentum, vt sic dicam, quod instar veneni humores corrumpit, discutiatur. Quod si discussum sit, etsi aliquid vitiosum humorum adhuc remaneat, tamen ab iis tantum periculum, vt dum malignitas adesset, ampliùs non imminet. Neque etiam hoc concedendum, quòd febrium malignarum putredo neque semper, neque sæpe habeat minetam in totius ambitu, sed vt plurimùm in centro & visceribus. Hoc quidem concedimus, in ambitu & habitu corporis materiam non contineri, etsi à natura plerumque eò detrudi soleat: in vena caua & arteriis verò contineturs cùm febres pestilentes, vt & malignæ plæræque continuæ sint. Si verò in primis viis vitiosi humores multi contineantur, eos omninò etiam euacuandos censemus, non neglectâ tamen malignitate, vt postea dicetur.

Itaque vt ex iisdem principiis quæstionem hanc concludamus, perpendendum, an ex sudoriferorum vsu plus commodi, quam damni in malignis febribus sperandum sit: quod ex eo cognoscemus, si considerauerimus, an febris, an verò malignitas plus vrgeat. Etenim si magnum à malignitate impendeat periculum, quod plerumque accidit, mox post primarum viarum euacuationem ad alexipharmaca & sudorifera accedendum. Vbi, quod libenter concedimus, temperata præcipuè, & quæ febrem non augeant, vsurpanda. Si tamen illa non sufficiant: plus commodi ex malignæ materiæ per sudorifera nonnihil calidiora discussione, quam ex aliquali calore accenso oritur; potéstque calor ille aliis medicamentis adhibitis iterum facilè temperari. Si verò febris plus vrgeat, vt aliæ putridæ febres quidem curandæ: interim semper alexipharmaca admiscenda, & præcipuè talia, quæ simul ad *διαπνοὴν* & sudorem corpus disponunt, & expulsionem malignorum humorum promouent, vt antea dictum, vt postea cocta & victa materia facilius Naturæ seu artis beneficio per sudores expelli possit.

Venæsectio. Postea, si opus sit, venæsectio instituenda est maturè, antequam scilicet omnia in corpore turbata fuerint. Vbi scilicet sanguis vel copia peccat, vt vasa distendat, vel viribus oneri est, vel motu aliquo concitatur, vt metuendum sit, ne in principem partem rapiatur. Et licèt commodius sit: vt ante venæsectionem primæ viæ euacuentur: si tamen morbus moram non patiatur, etiam sine ista euacuatione statim venam aperire licet. Ne tamen planè negligatur hæc viarum euacuatio, per clysteres fieri potest, qui nec vires deiiciunt, nec reliquos humores turbant, & citò operantur, nec aliorum medicamentorum vsum remorantur. Sint tamen clysteres ij lenes.

Vbi verò progressum malum fuerit, ac in totam massam sanguineam malignitas diffusa, sanguinis missione non solùm nullum auxilium Naturæ ferimus; sed vires potiùs debilitamus. Itaque si principium iam præterlapsum sit, tutiùs intermittitur, quam intempestiue instituitur venæsectio.

Si verò sanguinis euacuatio quædam requiratur: virtus tamen debilior eam non admittat, cucurbitulæ, quæ sanguinem citra insignem virium iacturam detrahunt, calorémque à partibus internis, & spiritus malignitate ac veneno infectos cum sanguine tenuiore versus exteriora trahunt vsurpandæ. Applicantur autem commodissimè partibus inferioribus, cruribus nimirum, vt vnà etiam humores vitiosi quàm longissimè à corde & cerebro, nobilissimis corporis partibus ad inferiora reuellantur. Adhuc verò commodior, multique vsûs est venarum in pedibus apertio.

Purgatio. Purgationem quod attinet, alia in initio harum febrium plerumque non conuenit, nisi quæ primas vias, in quibus non rarò multi humores vitiosi, qui febrem vel fouent vel augent, continentur, euacuat, & reliquos humores non agitat: Purgantia ergo mitia sint, qualia suprà in curatione pestis proposita. Certũ enim & experientiâ confirmatum est, fortiorum purgantium vsu in febribus pestilentibus & malignis plurimos periisse, benignorũ verò multos seruatos fuisse. Ipsi enim putridi & maligni humores maximè naturam stimulant; qui si paulò vehementiùs agitentur, validissimas deinde euacuationes efficiunt, & non rarò periculosas diarrhæas excitãt. Et compertum est, quosdam cùm purgationem, quâ corpus à morbo præseruarent, vsurpassent, ac fomitem febris malignæ iam circumferrent, humoribus agitatis in febrem malignam incidisse, maculásque erupisse, & intra paucos dies mortuos esse. Ita memini studiosum cùm de dolore capitis conquereretur, nec de morbillis quicquam suspicaretur, purgatione sumta paulo pòst morbillos erupisse, sed imperfectè, licèt medicamenta diligenter adhiberentur, & statim iterum euanuisse, subsequente alui fluxu, & pertinaci tussi. Quapropter lenes clysteres hîc valde vtiles sunt, & tutò applicantur, aut lenia planè medicamenta.

Vomitoria. Si materia ad superiora vergat, & nausea vrgeat, materia per vomitum euacuanda: quem in finem vomitoria suprà, *l. 2. c. 6.* proposita conuenientia exhibentur.

Verùm in genere hæc satis determinari nequeunt; in speciali de Febribus hisce tractatione res clarior fiet. Etenim febres tales pestilentes malignæ interdum per contagiũ propagantur vbi tutissimum est, conceptum quorumque modo inquinamentorum per sudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & postea, opus sit, purgationem & venæsectionem instituere. Interdum etiam natura ipsa ad ambitum corporis materiam expellit, vt in variolis & morbillis fieri solet. Ac tunc etiam Natura in opere suo turbanda non est, nec materia, quæ ad ambitum corporis protruditur, purgantibus ad interiora reuocanda, sed potiùs natura alexipharmacis & sudoriferis in opere adiuuanda.

Interdum verò febris à vitioso humorum apparatu ortum habet, aut certè fouetur, & materia vitiosa in ventriculo, circa præcordia, in intestinis hærens, nausea, dolore, æstu, amarore, anxietate, & aliis indiciis sese manifestat, quæ necessariò quamprimùm vel vomitu, vel per aluum euacuanda. Et solet sæpe in primis viis magna saburra vitiosorum humorum contineri, præcipuè in febribus pestilentibus, quæ à victu prauo originem habent, quæ febris vel primam originem dederunt, vel symptomatum vehementiam augent, quam cùm natura ipsa sæpe per vomitum excludere cum *εὐφορίᾳ* soleat, Medicus eum adiuuare debet. Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, quæ tamen talia sint, ne febris per ea augeatur. Ideóque postea ea adhibenda, quæ temperatiora sunt, simúlque febri & putredini resistunt, qualia sũt. *Acetosa, poma citri, granata pentaphyllum, tormentilla, cornu cerui, ossa de corde, cerui lapis bezoar, bolus Armenus, terra sigill. rosa, camphora, & similia*, & ex his parata medicamenta, quorum suprà in præseruatione & curatione pestilentiæ facta est mentio, postea etiam aliquot recensebuntur. Ad quæ pertinent & bezoartica mineralia, & diaphoretica dicta, quæ Chymicis ex ♁. ☿. ✳. parant, quorum descriptiones passim extant plurimæ.

Cùm tamen ex his quædam frigida & sicca sint, metuendumque, ne obstructiones in corpore augeantur, fuliginosque malignæ retineantur, crisisque, retardetur: alia his admiscenda sunt, quæ penetrant, & expulsionem humorum corruptorum promouent, vt *Carduus benedictus, scordium, scabiosa, angelica, pimpinella*, & similia. In primis aquæ bezoardicæ sæpiùs exhibendæ sunt, quæ ita temperari possunt, vt simul febri & putredini resistant. Ideoque iis admiscenda syr. acetosit. citri, granator. acetosæ, acetosell. ribes, rubi Idæi, oxysacch. s. &c.

Vnctiones ad sudores.

Antiqui non solùm internis, sed & externis medicamentis ad sudores mouendos vtebantur: Et celebris est inter alia, inunctio Aetij, quæ paratur *aqua & olei communis*, an. ℥. iij. *nitri* ʒ. ij. quæ coquuntur vsque ad aquæ consumtionem. Quo vnguento totum corpus bis terue leni frictione inungitur, vt post cutis aperiantur. Loco ol. communis, oleo amygdal. dulcium, amaracinum, chamæmelino, anethino, sambucino, pro morbi ratione, vti licet: vt & aquæ communis loco, aliqua destillatâ conueniente.

Vtuntur & hodie Ægyptij ad omnes corporis partes talibus linitionibus cum lenibus perfrictionibus administratis: quas præstant cum oleo rutæ, aut amygdalatum, aut chamæmelino, aut iuniperino, & nitro rubeo. Qua frictione cum linitione hac in multis ad sudores aptis largum sudorem concitant, atque sic morbum finiunt. Hoc auxilium in pestilentibus febribus, in quibus exanthemata apparere incipiunt, vel exitura sperant, plurima cum vtilitate exercent, semel ad minimum in die, probè calidam molientes linitionem, à qua statim febricitantes multis pannis cooperientes sudorem promouere, venenolumque humorem à visceribus ad cutim trahere student. In pueris etiam atque infantibus, variolis suspectis vel malignis exanthematibus, nullum præstantius, neque familiarius habent auxilium, vt hac de re scribit Prosp. Alpinus, *lib. 4 de Med. Ægypt. cap. 15.*

Vesicantia.

Imminutâ materiâ etiam vesicantia, è cantharidibus, sinapi, nasturtio, fermento, ranunculo & similibus, nonnulli applicant. Verùm de hoc remedio apud quosdam altum est silentium: apud alios grauissimæ & prolixæ controuersiæ, atque de vesicantibus & phœnigmis integri tractatus scripti extant, vt apud Herculem Saxon. *tractatu de phœnigmis*, videre est. Verùm vt breuissimis hanc rem attingamus, non inconueniens videtur, si cruribus vel etiam brachiis, supra cubiti flexuram extrà, vel paulò supra carpum ea imponantur, prout locus, ad quem materia, quam reuellere & deriuare cupimus, ruit, aut circa quem præcipuè hæret, monstrat: cùm citò, tutò, & sine magna molestia, atque sine virium debilitatione materiam venenatam ab interioribus, vt & è capite, ad ignobilissimas corporis partes euocent, atque ipsa experientia testetur, multos a grauibus malis hoc modo liberatos fuisse.

Cùm verò cantharides in nonnullis naturis incommoda vesicæ afferant, ne quid tale accidat, videndum: & si quid tale metuendum sit, (sæpissime tamen nihil incommodi ex vsu cantharidum oriri, experientia docet) tutiùs sinapismi, quàm vesicantia è cantharidibus, adhibentur. Et in vsu tam vesicantium quàm sinapismorum hoc obseruandum, ne mox, vt dictum, in principio, sed imminutâ aliquâ ex parte materiâ, applicentur. Deinde, si forsan critica aliqua per aluum euacuatio accidat, ne illa impediatur, & quos ad aluum natura mouet humores, ad ambitum corporis retrahantur. Et proinde nec die critico applicanda, ne Natura fortè *agens* instituta in opere suo impediatur.

Malignarum febrium curatio.

Si verò febris maligna sit in specie ita dicta, idem quod antea de pestilentibus dictum, perpendendum, & videndum, an malignitas, an verò febris plus vrgeat, & præterea etiam an ab interno humorum apparatu an per contagium malignitas hausta sit, & quò natura ipsa vergat. Nam si per contagium contracta sit febris, vel etiam ipsa natura ad ambitum corporis tendat, tutissimum est, mox sudoriferum exhibere, morbo & aliis circumstantiis conuenientes, & quidem temperata possunt tunc vsurpari, & postea reliqua, vt morbus requirit, & de febre pestilenti dictum, peragenda. Comperique sæpe, febres, quæ primò continuæ erant, & malignitatis suspicionem præbebant, lenis sudoriferi & bezoardici vsu, in benignas & intermittentes mutatas fuisse. Si verò ex prauo humorum apparatu febris sit, & non minus vrgeat putredo, quàm malignitas, non ita ad sudorifera properandum, sed primæ viæ primum euacuandæ sunt, & non solùm clysteres, sed & lenientia locum habent, syr. ros. solut. mãna, cassia, tamarindi, rhabarbarum, agaricus, tryphera Persica.

Purgatio.

Et omninò, quod iam suprà etiam monui, hîc iterum repetendum est; In curatione febrium cùm pestilentium tum malignarum diligenter statim initio, corporis constitutionem, & victus rationem quæ præcessit, considerandam esse. Nam si ex iis, aliisque signis pateat, multos vitiosos humores in ventriculo & vicinis locis abundare, à quibus grauia circa ventriculum symptomata oriuntur, ipsaque febris fouetur & augetur, danda est opera, vt ij quamprimum euacuentur. Cùm verò clysteres eò non penetrent, vel vomitu reiiciendi, vel per aluum euacuandi sunt, vt modò dictum. Vtile etiam hîc est serum lactis depuratum, ℔. ii. mensura præter propter acceptum, modico mannæ adiecto, quod & aluum mouet & febrilem calorem temperat. Et licèt aliquid eius retineatur, & per venas distribuatur: tamen sanguinis feruorem supprimit & mitigat, ac calorem febrilem alterat. A fortioribus verò, scammoniaco, colocynthide, turbith & similibus planè abstinendum. Tempus tamen hîc diligenter notandum, & perpendendum quomodo febris sese habeat. Nam si putredo statim incrementum sumat humorúmque efferuescentia statim maior sit, illicò, vt in aliis acutis, & præcipuè si humores turgeant, purgandum, nec nisi ad tertium diem ad summum purgatio differenda. Quod tempus si præter fluxerit, quiescere tutius est, aut clysteribus saltem rem agere, quam medicamenta intempestiuè exhibere, & maiorem humorum ebullitionem excitare. Et quidem si humores vitiosi multi in primis viis hæreant, ante venæ sectionem id faciendum: si verò vitiosi humores in primis viis multi non sunt, sed materia peccans præcipuè in venâ caua hæreat, venæsectio, præmisso tamen clystere, priùs instituenda. Si verò putredo non citò serpat, & febris sit mitior, purgationem etiam tardiùs, ante septimum tamen, instituere licet.

Quæ de vomitu dicta antea sunt, etiam hîc locum habent. Interim alexipharmacis cor semper roborare vtile est.

Venæsectio.

Primis viis, vel etiam turgente materiâ euacuatis, statim venæsectio, si ob causas antea enumeratas eâ opus sit, & quidem ante quartum diem instituenda, eo modo, vt antè dictum.

Sudorifera.

Post corporis euacuationem & venæsectionem, vtile est sudoriferum aliquod, sed quod febrem non augeat, exhibere.

Vt ♃. *Boli armen., terra sigillata, radic. tormentilla, scordij*, C. C. an. ℈. ß. F. Puluis.

Qui exhibeatur in aqua scabiosæ vel cardui bened. Vel exhibeatur pulueris bezoardici nostri ℈. ij. vel Drach. i. Cuius descriptio hæc est.

♃. C. C. *s. vstion. præpar.* ʒ. i. ß. *oculorum cancri præparat. terra sigillat. ol. succini, margaritar. præparat. corall. rubr. præpar. an.* ℈. i. *oss. de cord. ceru. smaragdi præparati, hyacinthi præparat. rubini præparat. an.* ℈. ß. *lap. bezoartici Orient.* ℈. i. *fol. aur. num. i.* F. Puluis.

Cui in vsu prætetea, lapidis bezoardici gr. iij. vel grana aliquot salis C. C. volatilia, vel bezoardici mineral. addi possunt.

In primis verò vtiles sunt aquæ destillatæ, vt antea etiam dictum, ob summam penetrandi vim.

Fortioribus verò sudoriferis vires debilitantur, & cùm humores in hisce febribus non semper ita dispositi sint, vt per sudores discuti possint; discutitur tenuius, crassius relinquitur.

Alterantia & præparantia.

Quapropter præparatio & alteratio humorum conueniens instituenda. Solet enim in hisce etiam febribus Natura humores adhuc coquere. Quæ propterea adiuuanda iis remediis, quæ aperiunt, humores incidunt, ebullitionem & putredinem sistunt; febris feruorem extinguunt: è quibus semper eligenda & admiscenda, quæ malignitati resistunt. Excellunt in hoc genere, *Acetosa, scordium, carduus benedictus, semen citri, radices tormentilla, scorzonere, pentaphylli, succus & syr. citri, vinum granatorum, oxysacchara.*

Spirit. vitrioli vsus in febribus malignis.

Magnus etiam hîc vsus est spiritus vitrioli, qui insignem vim putredinem sistendi, obstructiones aperiendi, incidendi, attenuandi, abstergendi, corrupta separandi, reliquorum medicamentorum actiones intendendi obtinet. Idémque aliis etiam de causis commodissimè aliis medicamentis admiscetur. Nam cùm syrupus de cichorio, de endiuia, violarum, nymphææ, & plures alij syrupi, ob sacchari admixtionem, soli febribus extinguendis vix sufficiant & vel in bilem mutentur, vel bilem certè non satis domant, nec sitim extinguant: si his spiritus vitrioli addatur, vt aciditatem aliquã contrahant, sitim longè felicius sedant, calorẽ extinguunt, omnésque suas operationes rectiùs expediunt. In huius tamẽ vsu id obseruandũ, læsis pulmonibus, vel rupto aliquo vase, vel exulceratione internâ aliquâ phthisi, sputo cruẽto, dysenteria, sanguinis mictu, renũm vesicę vlceribus, pleuritide, vẽtriculi inflãmatione, & omnibus ferè pulmonis affectibus, nisi forsan à crassa pituita vasa pulmonis obstruente, ortum habeant; vt & senibus macilẽtis ac tabidis, ab eo abstinendum esse.

Vtilis est & hîc syrupus ad alterandam putredinem inhibendam, sitim sedandam, qui, si libet, aquis conuenientibus dilui potest.

♃. *Aceti tunic. rubi Idæi, sacch. albi*, an. ℔. ß. Bulliant in vase vitreo clauso hora j. Factâ residentiâ colentur, & in loco tepido stent diebus aliquot, & feces, si quæ subsederint, iterum separentur. Addantur *spiritûs vini* Vnc. iij. *cortic. citri recent.* Vnc. ij. Stent iterum in digestione. Postea colentur *syr. acetos. citri.* Vnc. iiij. *spir.* vitriol. Scr. ij. & si libet *ol. cinamom.*

Insignes etiam in hisce febribus vires habet compositus ille spiritus ex spir. tartari, vitrioli, & aqua theriacali suprà descriptus.

Habéntque ista medicamenta pleraque etiam vim simul sudores mouendi. Et quanquam nõ semper statim sudor sequatur, tamen medicamenta talia continuanda, & singulis diebus exhibenda sunt, vt corpus ad sudores sensim disponatur, & natura tandem sponte suo tempore humores vitiosos per sudores expellat; quæ ita comparari possunt, vt simul febri & putredini resistant.

In hunc vsum sæpe aquæ contra febres malignas alicuius ℥. ij. cum syr. aliquo conueniente dentur.

Vtilis & hæc est. ♃. *Succi citri, acetosæ endiuiæ, galega, taraxaci, borraginis*, an. ℔. i. ß. *cardui bened. cardui mariæ, scordij, scabiosæ, rosar,*

Digitized by Google

rosar. Prouincial. an. ℔.i. *pomorum citri cum cortic. & seminibus concisorum*, num. vi. *rasura* C. C. *crud.* Lib. ß. Stent in infusione horis 24. Postea destillentur F. Aqua contra febres malignas.

In frequenti etiam vsu est in pestilentibus ac malignis febribus Aqua cordialis Herc. Saxoniæ, quam describit *de febribus libro 8 cap.* 37.

Vel detur subinde & singulis diebus aliquid istius pulueris, cum aliqua aqua conueniente.

℞ *Rad. zedoaria, angelica, helenij, aceto scordij praparat.* an. ʒ.ii. *tormentilla* ℥.i.ß. *fol. acetosa, scordij, cardui bened.* an. ʒ.ii. *sem. citri excortic. acetosa, aquilegia*, an. ʒ.i. *santali citrini, succini albiss.* an. ℈.i.ß. *terra sigillat. boli Armeni, margarit. prapar. corall. rubr. prap.* an. ʒ.i. C. C. *vst. prapar.* ʒ.ß. *Off. de* C. C. ʒ.i. *croci* ʒ.i. Puluerisatis adde *spec. liberant. s. aloe, diamarg. fr. de gemm. frig.* an. ʒ.i. F. puluis contra febres malignas.

Purgatio.

Vbi humores iam satis præparati sunt, nisi natura sponte eos expellat, per viam conuenientem euacuandi sunt. Sed & tum lenioribus medicamentis vtendum. Et purgatio via ante diem decimumquartum instituenda; imò si humores abundent pituitosi vix ante 17. diem tentanda.

Vrinam ciencia.

Si ad vrinam vergat materia, emulsione seminum melonum, citri, cardui bened. cum aquis acetosæ, capillorum ♀, & similibus natura adiouanda.

Topica.

Tum verò morbi tempore tam in malignis, quàm pestilentibus febribus, pulsibus & cordi medicamenta cor roborantia & malignitati resistentia applicanda, quæ passim extant.

An epithemata cordis in febribus malignis conueniant.

Mouetus quidem hîc à nonnullis quæstio de vsu epithematum cordis in febribus malignis, petechialibus, variolis, morbillis & similibus, An nimirum locum habeant, nécne. Et quidem nonnulli ea ad cor roborandum admittunt; alij verò, vbi exanthemata pestifera efflorescunt, cordi imponenda non censent, ne παλινδρομὴ & recursus humorum ad cor, partem nobilissimam, fiat; & ne cutim densando fuligines & fumosa excrementa, quæ cor motu suo expellit, retineantur, & hinc putredo maior febrisque actior excitetur, & crisis impediatur. Verùm enimuerò si epithemata non sunt valde adstringentia & repellentia, sed in qualitatibus actiuis temperata, (adstringentia enim & refrigerantia valde, meritò suspecta sunt) in reliquis moderatè siccent, & imprimis peculiari facultate cor roborent: non tantùm sine vllo periculo, sed & cum commodo vsurpari possunt. Neque enim Natura fuligines malignas solùm per cutim cordi superpositam expellit, neque epithemata cordis regioni imposita totius corporis cutim adstringere & occludere valent: sed potiùs Natura epithematum auxilio fortior facta, promptiùs reliquam materiam vitiosam ad ambitum corporis expellet.

Diæta.

Diætam quod attinet, Cibus sit boni succi & facilis coctionis; & cùm vires langueant, cauendum, ne natura copiâ cibi oneretur. Cibi quoque iis rebus, quæ huic febris conueniunt, condiendi sunt. A vino, nisi forsan syncope immineat, abstinendum: Commodior verò est potus tenuis Ceruisiæ: commodè etiam præbetur decoctum Cornu cerui, cum spiritûs vitrioli ea quantitate, quæ ad gratam aciditatem sufficit: cui etiam iulebi rosarum, vel violarum aliquid admisceri potest: Sitim enim sedat, obstructiones aperit, putredinem arcet, malignitati resistit. Nec cum iis sentio, qui C.C. decoctum non plus virium habere putant, quàm aquam, in qua lateres igniti extincti sint. Plurimorum enim doctissimorum Medicorum obseruatione deprehensum est, vim insignem in Cornu cerui ttiaouisto inesse, vt hanc negare summæ sit pertinaciæ. Ægyptij, vt Prosper Alpinus, *lib. de Medic. Ægypt. cap.* 4. refert, pulpam tamarindorum, & berberis fructum exsiccatum, cum seminibus fœniculi vel citri, in plurima aqua communi infundunt, potúmque ita parant, quem ægris in febribus malignis & pestilentibus toto morbi tempore concedunt, plurimúmque in huius potus vsu confidunt, cùm tamarindorum & berberis fructus febrium putredini maximè resistere compertum habeant. Reliqua commodiùs iam in specie explicabuntur. Etsi enim in malignitate omnes hæ febres conueniant: tamen natura humoris maligni non semper est eadem, quæ etiam curationem in nonnullis variat, vt ex sequentibus patebit.

CAPVT XII.

De Variolis & Morbillis.

Etsi autem cùm veneni & malignitatis natura sit latens & abscondita, pauca de differentiis eius dici possint: quia tamen effectibus & symptomatibus sese malignitas latens prodit, quæ iam symptomata & morbos, qui aliquam in hisce febribus differentiam videntur constituere, in specie perpendemus. Et primo loco agemus de variolis & morbillis.

Variola & morbilli.

Notissimum autem hodie morbi genus est, quod variolarum & morbillorum nomine appellatur: Verùm cui variolarum, cui morbillorum nomen attribuendum sit; & an antiquis hoc malum cognitum, ac quo nomine appellatum fuerit, non satis clarum. Græcis vsitata sunt τῶν ἐξανθημάτων καὶ ἐκθυμάτων vocabula, quæ etsi non semper distinguantur, tamen cùm duplex sit τῶν ἐξανθημάτων genus, vnum, quod saltem colorem cutis mutat; alterum, in quo pustulæ quædam eminentiores in cutem erumpunt. Posterius hoc genus ἐκθυμάτων nomine propriè appellari posse, patet ex Galeno, 3. *Epid. commment.* 3. c. 51.

ἐκθύματα.

An variola & morbilli antiquis noti fuerint.

Neque enim credendum est, antiquis Græcis morbi hoc genus planè incognitum fuisse. Nam quæcunque huius morbi causa sit, de qua inter Medicos, vt postea dicetur, non conuenit, nihilominus etiam apud Græcos illa locum habuit, & descriptiones à nostris non planè discrepant. Ac si Arabum ætate, quod nonnulli volunt, primùm hic morbus cœpisset, procul dubio vt noui morbi Arabes in suis scriptis mentionem fecissent. Et licèt sint quædam, in quibus exanthemata Hippocratis, Galeni, Aëtij cum nostris variolis & morbillis forsan conuenire non videantur; tamen sciendum, nec nostras variolas & morbillos semper eiusdem generis apparere, & eiusdem generis morbos aliis atque aliis seculis ex diuersitate regionum & victûs, ex peculiari vi siderum, ex vario hominum vitæ genere, & causis aliis cùm externis tum internis, quasdam mutationes & differentias accipere posse. Interim tamen multa, quæ tum ad naturam horum, tum ad curationem spectant, communia habent. Et licèt seorsim ac singulatim de iis non tractarint Græci; ideò tamen illis ignotos hos morbos fuisse, dicendum non est. Cùm enim saltem morborum epidemiorum comites sint; & per modum criseos in morbis contagiosis & malignis erumpant, peculiariter etiam de iis non tractarunt; sicut nec de contagio & aliis, quæ pestilentes morbos comitari solent.

Latini papulas & pustulas appellant. Hodie dicuntur variolæ & morbilli, variolæ quidem quasi parui vari, vel quòd cutem varient, vt nonnullis opinantur. Morbilli verò quasi parua pestis; *il Morbo* enim Italis in specie pestis dicitur: habéntque morbilli hoc nomen, quòd pesti magis cognati sint. Sunt enim variolis deteriores.

Qui autem affectus variolarum, qui morbillorum nomine sit appellandus, Authores non conueniunt. Nonnulli pustulas illas eleuatas, quæ in pus mutantur, morbillos dicunt; alias verò, quæ saltem colorem cutis variant, variolas nominant, & hinc etiam variolarum nomen deducunt. Verùm plerique doctiores Medici contrario modo has voces vsurpant, & variolas quasi paruos varos dictos putant, & hoc nomen tribuunt pustulis illis eminentibus, humore plenis & quæ plerumque suppurantur, quas Germani *die Blattern & die Bocken*, nominant. Morbillos verò vocari maculas in cute efflorescentes, seu exigua rubra tubercula, quæ Germani *die Masern* appellant. Verùm si de rebus constat, facilè de verbis conueniri potest.

Variola vnde dicta.

Germani.

Notandum tamen hîc, etsi apud Medicos plerosque saltem duorum vocabulorum mentio fiat, Morbillorum scilicet & variolarum, tamen plures omnino sunt, aut certè specierum harum differentiæ; quas etiam Germani, vt & aliæ Nationes, vulgò peculiaribus nominibus exprimunt. Sub nomine *Blattern, vnd Böcken* equidē variolas comprehendunt, quarum tamen est quædam differentia, & præter communes variolas & morbillos à vulgo nominantur *Schaffsblattern vnd VVindbocken, die Steinbocken, Ritteln oder Rotteln*. Et rursum variolæ communiter dictæ, *die Blattern vnd Bocken*, non planè eiusdem modi sunt. Aliæ enim sunt maiores, aliæ minores, quædam albicant, quædam liuent, vel alterius coloris sunt, quædam statim erumpunt & in altum attolluntur ac maturantur, ac circulo cinguntur rubro & sine grauibus symptomatibus erumpunt, & periculosæ non sunt; aliæ sunt liuidæ & tardè erumpunt, vel statim iterum subsident, & habent circulum liuidum, quæ plerumque lethales sunt, *Die Schaffsblattern oder VVindbocken* per Crystallos expressisse videtur Ioh. Ph. Ingrassias *de Tumorib. p. n. tomo* 1. quæ sunt pustulæ per vniuersum corpus dispersæ, lupini ferè magnitudine plus minúsue albæ, ac instar Crystalli resplendentes, à quibus aquositas quædam deinde effluit, suntque hæ minùs periculosæ & sæpe citra nobilem febrem infantes prehendunt. *Die Steinbocken* verò sunt tubercula quædam parua, sine multa sanie, sparsim nec copiosè erumpentia, omnium ferè minutissimæ variolæ, quæ pene citra febrem infantes inuadunt, vt rarò decumbant, citissimè etiam sanantur.

Ad morbillos procul dubio pertinent *Ritteln* vel *Rotteln*, à rubore procul dubio sic dicta exanthemata, quæ sunt tubercula pusilla rubea cum calore aut tussi inuadentia ac aliis morbillorum symptomatibus, minùs tamen, quàm vulgares morbilli, periculosa, euanescunt etiam instar morbillorum. Et quandoque sola inuadunt quandoque morbillis intersperguntur; quandoque sanatis variolis superueniunt. Hoc malum Rubeolam appellare videtur Haly Abbas *lib. 8. theoric.* 14. *Est species* inquit, *aliqua, qua vocatur rubeola qua ex sanguine fit calido & subtili & non multùm male & hac species cùm ad statum peruenerit, similis fit milij granis* (vnde etiam sub nomine milliarij descripsa videtur) *aut paulò maior, & eius color rubens, nec aperiuntur pustula, sed fluunt*, id est, insensibiliter discutiuntur & euanescunt.

Rubeola.

Præter has differentias adhuc alia est, sed rarior quidem, quam aliquoties obseruaui, quo nomine tamen ab aliis discernerem, hactenus dubius fui. Etsi enim instar erysipelatis totum ferè corpus prehendat: tamen non vidi quòd adultos, quod in erysipelate fieri ferè solet, sed infantes solùm corripiat. Melo

Rossalia.

ergo ad morbillos referre. Et forsan malum est, quod Forestus *lib. 6. obseru. 59.* purpuram & rubores; ac ἐρυθήματα appellat: Iohan. Philippus Ingrassias, *teracitara*, Rossaniam & Rossaliam à Neapolitanis nominari scribit: Maculæ rubræ & quasi ignitæ cum via essatu digno tumore per vniuersum corpus quasi quædam parua erysipelata erumpunt in principio, seu morbi die quarto vel quinto. In statu verò vniuersum corpus rubrum & quasi ignitum apparet; ac si vniuersali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui, & maculæ rubræ latæ, vt in principio, iterum apparent, quæ tandem septimo vel nono die euanescunt, epidermide squammatum instar decidente. Malum verò hoc graue ac periculosum & sæpe lethale est. Nam calor est feruentissimus, sitis inextinguibilis, & plerumque pulmonum (vnde tusses excitantur) faucium, & aliorum viscerum inflammationes, deliria & alia mala vrgent. In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem, & ruborem, vt in arthriticis, excitat: Cutis squammarum instar decidit, mox pedes ad talos & suras vsque intumescunt, hypochondria læduntur, respiratio difficilior redditur, tandémque abdomē intumescit, ægrique non sine magno labore & post longum tempus pristinæ sanitati restituuntur, sæpè etiam moriuntur. Ita obseruauit Clariss. Dn. Michaël Doringius, affinis & Compater meus honorandus, vt literis ad me datis scripsit, puerum quemdam Vratislauiæ post hunc morbum pedibus, cruribus, scroto, ventre, ac facie intumuisse: cum genarum nonnullo ac perpetuo q. rubore, febricula irregulari, tussi qua pauca, eáque spumosa saltem & pituitosa reiiciebat, difficultate respirandi summa. Hic septimo die, antequam moreretur, post summam respirandi difficultatem, ponderis sensum circa pectus, ac stertorem, pulmonis abscessu rupto pus & sanguinem atrum tussi reiecit, & hinc 7. ab illo paroxysmo die, cum eadem symptomata redirent, mortuus est. Corpore aperto tota pectoris cauitas aqua citrina repleta, pulmonésq. ambo toti liuidi & gangrænosi conspiciebantur, & sinister magnum intus abscessum fouebat. Abdomine aperto innatabant intestina tota simili aquæ: omentum prope consumtum videbatur. Hepar, quod pro indiuidui ratione portentosæ fuit magnitudinis, sub pallidum. Et talia mala ac symptomata, arthriticos omnium dolores & tumores, tumorem abdominis, & similia morbo huic succedere, nihil mirum est. Nam cùm variolæ non solùm in externis partibus, sed etiam in omnium viscerum superficie erumpere soleant: idem etiam in Rossalia accidere potest; & sicut totum corpus extra inflammatur, ita etiam viscera interna procul dubio in aliis etiam visceribus accidit; vnde materiæ parte ad externa protrusa, primùm fiunt dolores arthritici, hinc tumores hydropici, ac viscera ipsa corrumpuntur.

Cùm verò talis sit horum ἐξανθημάτων differentia, tamen de variolis & morbillis saltem dicemus, reliquæ differentiæ ad has facilè referri poterunt. Et quidem variolarum & morbillorum differentiam quod attinet, morbilli à subtiliore, calidiore & sicciore, cuiusmodi sanguis potissimùm biliosus esse solet; variolæ à crassiore materia proueniunt: magnitudo tanta morbillis non est, quanta variolis: variolæ sunt pustulæ quædam & vesiculæ, quales feruenti aqua ambustis emergunt, in morbillis verò maculæ potiùs quædam apparent, instar morsus pulicum, cum cutis asperitate tamen, aut certè exigua tubercula, sed quæ in pustulas saniæ plenas non mutantur seu attolluntur, sed post septimum ferè diem sine exulceratione, nullo ferè vestigio ac nulla fœditate in corpore relicta, abeunt; in variolis dolor dorsi maior, in morbillis minor: contrà in morbillis maior pectoris angustia, & feruor totius corporis, & lacrymæ etiam plures, tum quia materia est mordacior, tum quia celerius & cum maiore impetu mouetur: citiùs quoque egrediuntur morbilli & ad statum perueniunt, ob materiæ tenuitatem & calorem.

Etsi verò proculdubio diuersæ, quas hactenus enumerauimus, ἐξανθημάτων differētiæ, à diuersis & peculiari modo corruptis humoribus proueniunt, tamen cùm quæ specifica illa cuiusque humoris natura sit, quique determinatus corruptionis gradus, vix explicari in hac rerum naturæ obscuritate possit, & cùm in plerisque aliis, quæ ad signa & symptomata pertinent, conueniant, coniunctim de iis agemus. Si quid tamen occurret, quod alicui differentiæ peculiariter conuenire videbitur, non illud omittemus.

Variolæ quid.

Et vt primò morbos hos breuiter describamus, variolæ sunt pustulæ in summa cute, partibúsque cuti proportione respondentibus, cum febre continua propter peculiarem sanguinis eff[...] etiam & ebullitionem a facultate expultrice excitatæ.

Morbilli quid.

Morbilli verò sunt maculæ aut tubercula parua, rubra, in cute erumpentia cum febre continua, itidem à facultate expultrice & sanguinis peculiari ebullitione excitata.

Subiectum est cutis ac in primis externa eius superficies, quæ ἐπιδερμὶς dicitur: sed tamen & membranæ ac partes aliæ internæ variolis vt & morbillis afficiuntur, ita vt in quibusdam post mortem dissectis deprehensum sit, eorum viscera haud secus atque cutem sordidis eiusmodi pustulis obsita atque sordida fuisse, vt etiam infrà ex Fernel. 2. *de abd. rer. caus. cap.* 2. dicetur.

Verùm vt natura tam variolarum quàm morbillorum clarior reddatur, duo mox à principio explicanda sunt. *Primò*, Quænam causa sit interna & proxima, à qua cùm pustulæ, tum maculæ in cute efflorescentes proueniunt. *Secundò*, an sine febre, an verò semper cum febre, & quo febris genere erumpant.

De causa variolarum & morbillorum.

De primo aliquid definire difficillimum est, ob discrepantes hac de re Medicorum opiniones. Arabes qui primi hac de re diligenter scripserunt, causam proximam, & coniunctam variolarum & morbillorum referunt in immunditiem à primo ortu in sanguine relictam ex sanguine materno, quem menstruum vocant, quo fœtus in vtero matris alitur. Quanquam enim fœtus in vtero matris, quod optimum est ex sanguine pro alimento attrahit, tamen fieri non potest, quin aliquid impuri, præsertim mensibus posterioribus, vbi copiosiore alimento opus habet, simul attrahat. Miscentur postea cum hoc in corpore mulieris cacochymico vitiosi humores alij quorum bona pars ad venas vteri, tanquam ad communem sentinam deriuatur; vbi diutius retentum totum illud maiorē μοχθηρίαν acquirit. Relicta illa labes in corpore tandiu delitescit, donec quacunque de causâ impulsa vim suam, tanquam fermentum, in vniuersam sanguinis massam effundat. Tunc enim sanguis efferuescit & ebullit, vt quod ex illo inquinamento minutis etiam particulis corporis permixtum erat, cernatur, secretúmque ad ambitum corporis propellitur, & has pustulas ac maculas excitat, cùm leuiori alia segregatione natura id præstare haud possit.

A qua sententia non multùm discrepat Rhasis opinio, qui, *de pestil. cap.* 5. sanguinem puerorum & infantum musto comparat, quem natura, cùm adhuc depuratus non sit, elaborare & purgare intendens, in eo ebullitionem excitat, per quam partes heterogeneæ ab homogeneis separantur. Atque ideò omnes variolis & morbillis obnoxios esse statuit; quoniam sanguis necessariò ex statu primo in secundum, id est, ex impuriore in purum & defecatum transit: sicut mustum necessariò per ebullitionem in vinum purum mutatur. Quanquam enim expressè sanguinis menstrui mentionem non facit Rhases, tamen cùm puerorum & infantum sanguinem musto comparat, & quasdam impuritates habere statuit, quæ ebullitione separandæ sint: procul dubio innuit, in ipso vtero illam impuritatem & labem infantes contrahere.

Atque vt hæc crederent hi authores, eo præcipuè persuasi sunt, quòd viderunt, variolas & morbillos omnes homines, nisi mors ex alia causa præueniat, inuadere, potissimùm verò infantes & pueros ad annum ætatis vsque septimum, rariùs adultiores, imò infantes in lucem editos fuisse qui variolis & morbillis in vtero adhuc conclusi laborârunt. Deinde quòd animaduerterunt, quòd qui semel vel bis iis laborarunt, postea plerumque ab hoc morbo immunes sint. Etsi enim accidat interdum vt nonnulli tertiùm hæc mala patiantur, tamen id rariùs euenit.

Gentilis sententia.

Huic Arabum sententiæ sese opposuit Gentilis, has ob rationes: 1. Quòd infans in vtero sanguine optimo & purissimo nutriatur. 2. Quòd variolis & morbillis non solùm infantes & pueri, sed iuuenes, imò ætate confecti & senes laborent. In quibus certè videtur impossibile, materiam illam & labem in corpore tamdiu latere potuisse. In primis cùm plerique ex iis antea febribus, scabie, & morbis similibus laborarint, per quos quicquid impuri in corpore est, expellitur & secernitur. 3. Quòd fœminæ quib. menses supprimuntur, his morbis non laborent.

Fernelius.

Gentilem secutus est Fernelius, 2. *lib. de abd. rerum caus. cap.* 12. & rationes modò allatas ipse etiam contra communem sententiam adducit. Ipse verò ex causa quadam communi cælesti, malum hoc originem habere has ob causas statuit. Primò, quòd non solùm feruidiore cælo, sed etiam hyeme interdum grassentur hi morbi. 2. Deinde quòd annos complures sileant, & certis annorum interuallis sæuiant in plebem, aliàs quidem seorsim exanthemata aliàs, ἐκθύματα solum. Causam autē cur infantibus & pueris hæc magis familiaria sint; quàm adultis, hanc reddit, quòd firmior ætas adultior tantillis malis non lacessatur, nisi cùm fortè constitutio grauior inualuerit.

Mercurialis.

Mercurialis & ipse Antiquorum sententiæ se opponit, & *de morb. pueror. cap.* 1. primò ex historiis noui orbis eam refutare conatur, cuius authores scribunt, quarundam regionum incolas ferè extinctos fuisse variolis vitio aëris infectis. Deinde ex eo probare vult, variolas & morbillos ortum non habere à menstruo sanguine, quòd menstrui sanguinis vitium mox ab ortu mundi mulieribus affuerit: Morbus verò hic antiquis fuerit incognitus, & Arabum tempore primùm innotuerit. Ipse verò statuit causam communem internam esse propensionem & inclinationem à parentibus, qui hoc vitio priùs tentati fuerint, contractam. Statuit enim omnes à parentibus, qui his morbis correpti fuerunt, aptitudinem quandam ad similes morbos concepisse, ac proinde esse illos quasi hæreditarios.

Mercurialis opinio examinatur.

Atque hæ sunt de causis variolarum & morbillorum discrepantes sententiæ, inter quas, vt ab ea incipiamus, Hier. Mercurialis opinio minùs probabilis videtur. Nam non esse nouum morbi genus suprà dictum est.

Et si Arabum tempore incepisset, proculdubio in descriptione huius morbi mentionem eius fecissent, nec causam in sanguinis materni impuritatem retulissent. Esse verò morbum hæreditariū, rationi consentaneū non est. Nam cur semel aut bis tantùm homines hoc morbo corripiuntur, si est hæreditarius, non

sæpius

Digitized by Google

sæpius? Deinde cur qui peste semel laborant, eandem ad pestem inclinationem & aptitudinem soboli non communicant? At hoc non fit. Et quidem meritò. Nam natura vincens venenum pestilens, illud è corpore planè exterminat. Idque eodem modo in variolis & morbillis facit. Et nisi hoc fieret, nemo à variolis & morbillis perfectè sanaretur. Vnde non est accommodatum exemplum macrocephalorum, quod his verbis proponit Mercurialis: *Id perinde accidit, vt id quod scripsit Hippocrates, in Libro de aq. aere & locis, de macrocephalis Indis populis. Nam primùm gens illa arte & studio cœpit infantibus capita oblonga facere; vnde cùm parentes eiusmodi capitibus præditi essent, factum est, vt filij ab ipsis similes geniti sint, adeo vt proprietate paterna tota illa facta sit macrocephala. Sic propemodum contingit in variolis & morbillis. Hic morbus tali vitio omnes tentauit, aut ferè omnes, qui deinceps cùm proprietatem paternam filijs communicarint, non est mirum, si longè latéque morbum propagarint, & hæc proprietas facta sit non solùm promiscua, sed & naturalis.*

Nam in macrocephalis duplex est causa. Primò, imaginatio matrum è conspectu macrocephalorum concepta. Secunda, ipsa in corpore cuiusque parentis dispositio. At neutra in variolis & morbillis locum habet. Non imaginatio, vt cuiuis manifestum est. Neque etiam omnes morbi, quibus parentes laborant, necessariò in corpore relinquunt dispositiones, per quas iidem in sobolem deriuentur. Præterea non causam reddit Mercurialis, cur omnes homines morbillos & variolas patiantur. Nam si hic morbus nouus est, & à parentibus in liberos propagatur, atque omnes ferè hodie hunc morbum patiuntur: necessarium est, cùm primùm cœpit, omnes homines eo correptos fuisse, quod impossibile est. Cùm enim actio non fiat nisi in patiens dispositum, fieri non potest, vt vna & æqualis in omnibus ad variolas & morbillos recipiendos fuerit dispositio.

Controuersia decisio.

Reliquas duas opiniones quod attinet, habet vtraque suos sectatores, etsi apud vtrosque hoc in confesso sit, veram etiam opinionem defendas, eam dubitationis non carere: Pro vtraque scilicet sententia rationes tam probabiles sunt, vt, vix videamus, quomodo alterutri saltem tutò fidem adhibere possimus. Ergo, saluo aliorum iudicio, potiùs veramque opinionem coniungemus; licèt ebullitionem, putredinémque ac determinatam quandam humorum corruptionem, variolarum & morbillorum causam proximam agnoscamus: à tribus tamen illam prouenire statuimus, ab aëre maligno, à sanguine materno, & à vitioso alimento. Nimirum variolæ & morbilli proximè proueniunt à quodam naturæ conatu, illud quod sanguinem inquinat, expellentis. Omnes enim variolæ & morbilli proximè per modum quendam crisis proueniunt, qua natura seu facultas expultrix excrementitios seu prauos aut malignos humores, quibus sanguis inquinabatur, paulatim à partibus scilicet internis, per venas primùm maiores, pòst minores, ac demum minimas, quæ ob exilitatem capillarium nomen acceperunt, ad cutem, & quæ cum hac cohærent, aut ei ἀνάλογα sunt, expellit, & bonos à malis separat. Verùm vitium illud sanguinis, ob quod natura sese ad expulsionem accingit, à triplici causa prouenit; nimirum ab aëre venenato & maligno, humores inficiente; à vitio quodam sanguinis materni, quo infans in vtero alitur; &, quod addimus, etiā à victu prauo. Vnde variolæ & morbilli plerumque duplices constituuntur: aliquando epidemij, aliquandò sporadici. Atque hoc modo si vtramque opinionem coniungamus, facilè quasdam difficultates, quibus vtraque opinio, si seorsim defendatur, premitur, euadere poterimus.

Arabum sententia explicatur.

Atque vt de Antiquorum & Arabum sententia primò dicamus, etsi Fernelius & Mercurialis eam planè reiiciunt: tamen simpliciter repudianda non est. Nam cùm variolæ & morbilli omnibus hominibus communes sint, vt vix reperiatur, qui non aliquando iis inficiatur, ac ætati puerili hic morbus familiarior sit: causa etiam aliqua communis quærenda est, quæ omnibus hominibus, & in primis puerili ætati, sit communis. Ad aërem hîc solùm cum Fernelio confugere non possumus. Nam dantur variolæ & morbilli, qui epidemij non sunt, sed sporadici ac sparsim hunc vel illum priuatim corripiunt: quod signum est, variolas & morbillos tum temporis non à communi, sed priuata causa prouenire. Præterea singulis ferè annis reperiuntur infantes variolis ac morbillis laborantes. Ergo si variolæ & morbilli solùm ex aëris vitio prouenirent, singulis annis daretur aër pestilens & malignus; quod concedendum non est. Itaque cùm in aërem solùm non possumus referre causam, in corpore quærenda est causa communis, & quidem talis, quæ ab ipso ortu infantibus adfuit; cùm habeatur compertum, infantes variolis aut morbillis laborantes in lucem editos, vel statim post ortum, ipsis correptos fuisse. In vtero autem alia causa non datur, quàm semen & sanguis maternus, quo alitur infans. Seminis quidem vitio qui morbi contingant, difficulter tolluntur & eradicantur, ac sæpe recurrunt. Ex sanguinis ergo, quo infans in vtero alitur, vitio, causa hîc petenda est. Licèt enim, vt rectè Galenus, *5. Epid. com. 3. t. 53.* docet, meliorem sanguinem ad se trahat nutrimenti causa infans, deteriorem autem relinquat, vnde prægnans prauis humoribus impletur, quos in parua natura euacuat: tamen vbi fœtus grandior factus, copiosiore alimento opus habet, impossibile est, quin etiā aliquid de prauis humoribus attrahat; in primis cùm in grauidis menses supprimantur, cum quibus aliàs natura singulis mensibus id quod vitiosum in corpore cumulabatur, excernere solebat. Vnde eo tempore, quo fœtus grandior factus est, matres & plenitudine, & vitiosis humoribus minùs laborare deprehenduntur, & symptomata, quibus ob sanguinis copiam & prauorum humorum retentionem antea vexabantur, euanescunt.

Atque hæc est labes & communis causa, ob quam plerique infantes variolis & morbillis corripiuntur. Quæ labes si à causa cœlesti in actum deducatur, & ab aëris vitio natura ad expulsionem stimuletur, aut si per contagium, quod sæpe fit, malum hoc disseminetur: tum variolæ & morbilli infantibus epidemij sunt. Si verò natura solùm à causa interna excitata & stimulata hanc expulsionem tentet, nihil obstat, quin etiam priuatim & sparsim, morborum sporadicorum modo, diuerso tempore, nunc hos, nunc illos infantes variolæ & morbilli inuadere possint.

Cur autem ista labes non mox in prima infantia à natura excutiatur, sed demum post plures annos, vt tertium, vel septimum, isto malo infantes corripiantur, quærendum est. Vtque id breuiter explicemus, sciendum, istam labem non primariò in sanguine hærere, sed in partibus solidis, neque illam materiam, quæ per crisin in variolis & morbillis excernitur, mox à primo ortu in venis contineri, & ita per plures annos asseruari: Verùm in solidis partibus totius corporis relinquitur quædam dispositio, ob quam tales humores cumulantur. Vt enim quâ semel est imbuta recens conseruat odorem testa diu, doliúmque saporem & odorem, quo est imbutum, vino quod infunditur, communicare solet: ita cùm ex impuritatibus illis sanguinis menstrui in vtero, labes quædam & morbosa dispositio in omnibus partibus contracta sit, etsi alimentum, quo infans vtitur, bonum sit, tamen ob illam dispositionem malam, labem aliquam contrahit, accidítque, vt sanguis non vndiquaque purus generetur: Quem vbi natura ampliùs ferre nequit, hanc excretionem instituit. Quod autē hoc apud quosdam citiùs, apud alios tardiùs accidere solet: causa est, quòd pro varia illa dispositione & temperamenti diuersitate, quam plurimùm hac in re posse certum est, non semper eâdem copiâ impurior sanguis generatur, & quòd fermentum illud sanguinis aut paucum ab ortu fuit, aut suam quasi maturitatem non acquisiuit, & præterea natura illi quasi assueta est, atque hinc obtusum & sopitum tamdiu iacuit benigniori sanguine. Vbi autem tanta eius copia cumulata est, vt, naturæ molestus esse incipiat, tum solet ea hanc excretionem instituere. Quibus accedit & externarum causarum stimulus, cum scilicet natura vel ab aëris vitio, vel à contagio aliorum variolis & morbillis laborantium ad excernendum stimulatur. Atque hanc ob causam omnes homines semel variolis & morbillis laborant, ac necessariò omnes hanc criticam quasi euacuationem patiuntur. Si quis verò bis, vel ter iis laborat, iam ad alias causas recurrendum.

Fernelij sententia explicatur.

Interim secundò Fernelij opinio non planè reiicienda est, qui ex peculiari quadam malignitatis specie aërem contaminante hos morbos prouenire statuit. Etenim rationes, quæ eum ad id statuendum adduxerunt, non sunt leues, quas etiam suprà recensuimus. Nam non est credibile, si quis anno trigesimo, quadragesimo, quinquagesimo, aut sexagesimo ætatis, variolis aut morbillis laboret, atque interim varios morbos passus sit, labem illam in vtero contractam inter tot naturæ motus & conatus, atque ad id ætatis delitescere posse. Deinde morborum epidemiorum modo interdum grassantur variolæ & morbilli, certisque annis silent, & pestilentium morborum ritu per interualla quædam redeunt, & nunc quidem variolæ, nunc morbilli. Quod certè è sanguinis vitio non accidit. Ex eo enim si tantum malum proueniret, sparsim potiùs, & priuatim infantes corripere deberet, sicut priuatim quilibet hoc vitium in vtero contrahit. Atque hinc quoque accidit, quòd variolæ & morbilli sæpissimè pestilentiam antecedunt, & pestis nuntij à Medicis appellantur.

Secundæ huic causæ adhuc tertiam addimus, nimirum post ortum victum prauum, è quo scilicet tale aliquod vitium in sanguine, quale ex sanguine menstruo in vtero, iam post ortum contrahatur. Atque hac etiam de causa accidit, vt homo idem bis vel ter morbillis corripiatur.

Nam licèt illa labes in vtero contracta primùm, à natura discussa sit: fieri tamen potest, vt à causa superiore & aëria vitio eodem modo humores iterum corrumpantur; præcipuè si hoc, de quo modo diximus, ex alimento vitium accedat. Nonnullis tamen iterum ac tertiùm rediit hoc malum, quod in illis de primo fomite aliquid fuerit relictum, sicut vinum non planè defecatum denuò per feruorem turbidum redditur.

An variolæ & morbilli semper febris coniungatur.

Cùm autem vitium hoc in sanguine, vndecunque etiam contractum sit, natura per quandam criticam euacuationem & ebullitionem, vt vulgò vocant, soleat discutere; quæri solet, an semper hoc fiat cum febre, an verò aliquando etiam sine febre? Nonnulli etiam sine febre variolas & morbillos erumpere posse statuunt; citántque pro se authoritatem Auicennæ, qui, *primâ quarti tract. 4. cap. 6.* scribit: meliùs esse, vt morbillos antecedat febris, quàm vt subsequatur. Deinde, aiunt, si sanguis leuiter ebulliat circa cutem, & materia vitiosa per cutem expellatur, calorem cordi non communicari, sed per cutem & calorem expirare, & materiam vitiosam euacuari: atque ita fieri posse,

Digitized by Google

posse, vt toto morbi progressu febris non adsit. Imò ad experientiam prouocant, qua obseruatum sit, variolas & morbillos absque febre interdum erupisse.

Alij verò contrà statuunt, & quidem rectiùs, nunquam variolas & morbillos sine febre fieri. Nam cùm per crisin quandam variolæ & morbilli excitentur, crisis verò & ebullitio, vt illi volunt, non solùm circa cutem, sed in venis maioribus, locis calidissimis, è quibus vt calor cordi non communicetur, impossibile est. Quod verò locum illum Auicennæ attinet, sciendum, duo genera febrium cum variolis & morbillis coniungi posse, vnum, quod propriè ea illa ebullitione excitatur, cuiúsque symptomata & crisis est variolarum & morbillorum efflorescentia; & bonum est, si variolis & morbillis erumpentibus, febris hæc cesset: Nonnunquam verò post variolas febris apparet, & quando illæ suppurantur, excitatur: vel quia materia tota primo impetu non fuit expulsa, vel quia pars eius intrò est recepta, quod peius indicium est. Experientiam quod attinet, cùm pueris & infantibus familiaris sit hic morbus, & febris sæpe non adeò magna, ex materiæ paucitate aut lenitate, ebullitionem magnam non producente, de morbo aliquo infantes non conqueruntur, vel etiam conqueri possunt, donec variolis & morbillis erumpentibus eos ægrotare cognoscatur: Atque hinc absque febre eos erumpere, sed falsò, creditur.

Qualis sit febris, quæ variolis & morbillis coniungitur.

Sed jam quæritur, è quonam febrium genere sit hæc febris. Cùm variolæ & morbilli per quandam sanguinis ebullitionem fiant, & calor æqualis per totum morbi decursum sentiatur: meritò febris hæc inter febres ea sanguine ortas, quas Synochas, & vulgò cum Arabibus conclusas, siue conclusæ caliditatis appellant, refertur. Cùm verò Synocha febris duplex sit, cum putredine, & sine putredine: iam porrò videndum, qualis hæc Synocha sit. De qua re Medici non consentiunt. Nonnulli enim & cum putredine, & sine putredine variolas & morbillos erumpere posse statuunt, & ebullire quandoque illam materiam posse, quæ causa est variolarum & morbillorum, sine omni putredine; sicut per ebullitionem quandam in musto, sine omni putredine partes heterogeneæ ab homogeneis segregantur. Atque hinc etiã febrium, quæ apparent in variolis & morbillis, quandam esse differentiam dicunt, quòd scilicet quædam grauiores sint aliæ vix ab ægris percipiantur.

Verùm etsi concedamus, febrium esse talem differentiam, tamen semper adesse putredinem seu humorum corruptionem statuimus. Neque enim saltem est sanguinis quædam accensio, sed humorum quædam corruptio, quam materia in variolis conclusa indicat, qualis nulla est in Synocha sine putredine. Neque etiam sponte sua fit talis ebullitio, qualem in musto cereuisia, atque aliis extra corpus humanum rebus, fieri videmus; sed à natura, seu facultate expultrice, per modum quendam κρίσεως fit ista vitiosorum humorum expulsio, ad quam natura à materiæ putridæ, corruptæ, aut quocunque modo appellare libeat, vitio, vel à causa externa incitatur. Quod illa ipsa materia quæ variolarum & morbillorum proxima causa est, satis iudicat. Hæc tamen, vt modò diximus, modò maior, modò minor est, à qua etiam febris modò mitior, modò vehementior accenditur. Quæ mitior est, prorsus euanescit inter paucos dies, & propterea ab infantibus & pueris ferè negligitur, nec nisi ab iis, qui diligenter attendunt, cognoscitur. Nonnunquam verò, & quidem sæpius putredo maior est, vnde & in progressu febris maior est; quæ, si morbus salutaris futurus est, morbillis & variolis erumpentibus, fit minor. Nonnunquam & pestilentiam naturam variolæ & morbilli induunt, vnde non pauci infantes extinguuntur.

Causa procatarctica.

Atque hæ causæ internæ, & hoc modò, ad generationem variolarum & morbillorum concurrunt. Externæ verò & procatarcticæ causæ, à quibus internæ illæ mouentur, quoque plures esse possunt. Primò est aër sanguinem exagitans, siue manifestâ, siue occultâ & malignâ, è sublimi & peculiari vi syderum, aut ex inferioribus suscitata qualitate: quò pertinent temporum anni mutationes insigniores, præsertim veris & Autumni constitutio calida & humida, austrina scilicet; regio item calida & humida. De aëre autem hoc sciendum, duplici nomine eum ad generationem variolarum & morbillorum concurrere posse. Aliquando concurrit vt causa principalis, vt antea dictum est, quando scilicet tanta est aëris malignitas, vt per se ad humorum generandis variolis & morbillis necessariorum ortum sit sufficiens, atque determinatam hanc in ita corruptionem, præcipuè in tenellis, qualia sunt infantium, corporibus possit inducere: vnde tunc variolæ & morbilli pestis nuntij sunt. Aliquando verò vitium aëris tantum non est, vt per se humores ita corrumpere queat, tamen qualitatem habet, vt vitiosos illos humores in corpore latentes agitare & mouere possit. Deinde & aliæ hoc pertinent. Balneæ nimirum crebra, agitatio corporis nimia, & quæcunque calorem in corpore accendere possunt. In primis verò ad hanc rem multum facit contagium. Nam ex corporibus variolis & morbillis laborantibus νοσηρὰ quædam ἀπόκρισις, itemque ἀπόῤῥοια νοσηρὰ, effluuium morbidum, Hippocrati dicta, l. de nat. hum. com. 2. t. 4. Aristoteli φύσημα φαῦλον, καὶ βαρὺ, s. 4. prob. 8. Alexandro Aphrodisæo λοιμικὴ καὶ σηπτικὴ ἀπόῤῥοια, *effluuium pestilens & putrefaciens, libro 2. probl. 42.* Galeno, *lib. 1. de differ. febr.* μίασμα λοιμῶδες καὶ σηπεδονῶδες, effluit, & minutissimis sensumque effugientibus corpusculis diffunditur, quæ vt seminarium malignitatis alteri corpori ἀναλήψει quocunque modo communicata, similem in eo humorum agitationem & ebullitionem excitat.

Cur nunc morbilli, nunc variolæ erumpant.

Etsi verò suprà etiam dictum sit, quomodo variolæ & morbilli differant, tamen & hic explicandum, cur nonnunquam variolæ, nonnunquam morbilli erumpant. Nam si vitium sanguinis materni & labes in vtero contracta, horum morborum causa est, qui fit, cur nunc pustulæ quædam elatæ quæ in pus mutantur, nunc verò saltem maculæ quædam apparent? Causa huius rei primò est varia humorum constitutio. Nam sanguinis in variis corporibus varia est constitutio: vnde etiam vitium & labes, quam infantes in vtero contrahunt, non est eadem. Deinde fit, vt eadem sit sanguinis constitutio, tamen à causarum sanguinem corrumpentium actione diuersitas aliqua induci potest; & varij corruptionis humorum sunt termini.

Differentia variolarum & morbillorum.

Et vt ad differentias accedamus, secundùm ipsam humorum varietatem etiam quædam variolarum obseruatur differentia, vt & morbillorum; in substantia, quantitate & qualitate. Secundùm substantiam quidem aliæ ex hoc aliæ ex illo humore constant. Secundùm quantitatem, aliæ magnæ, multæ, profundæ sunt; aliæ paruæ, paucæ, superficiales, pro materiæ copia maiore vel minore. Secundùm qualitatem variæ animaduertuntur differentiæ; aliæ sunt albæ, aliæ rubicundæ, subflauæ, liuidæ, violaceæ, subnigræ, coloris varij, pro diuersitate humoris, è quo constant, id est, pro vt humor benignior aut malignior est, ex quo ortum ducunt. Tactu aliæ duræ sunt, ob crassitiem & cruditatem materiæ; aliæ molles, humore aqueo vel flatu etiam turgentes. Est & in isto quædam differentia, quòd quædam subitò & cum impetu erumpunt, aliæ lentè & tardè seu paulatim; aliæ rursus diu durant, & tardius dissoluuntur; aliæ citiùs euanescunt, ex quiete materiæ longiore aut breuiore. Reperitur & quædam in loco, in quo erumpunt, differentia. Aliæ enim cutem, & extremas vel potiùs externas solùm partes occupant: aliæ verò etiam in internis erumpunt, atque hæ vel euidentes sunt, quæ in oculorum palpebris inœrsit, in naribus, & aperto ore in palatu, lingua & faucibus conspiciuntur: vel occultæ seu abditæ & abstrusæ, quæ asperam arteriam seu guttur, pulmones, iecur, lienem, intestina, veerum, aliásque internas partes obsident. Id quod Auicen. etiam, *lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 3.* docet. Obseruatúmque est, quibusdam à morte dissectis pulmones, iecur, lienem, omniáque interiora, haud secus atque cutem, sordidissimis papulis scatuisse.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica.

Signa variolarum & morbillorum quod attinet, alia imminentes ac instantes iam variolas & morbillos indicant, alia præsentes; quando pustulæ iam foràs eruperunt, alia humorem, è quo nascuntur; alia partem, quam occupant. Præsentes iam visu agnoscuntur: remanent tamen pleraque signa, quæ imminentes demonstrant. Itaque de signis imminentium & præsentium coniunctim agemus. Et quidem ea ex actionibus læsis, excrementis, & qualitatibus mutatis petemus.

Actiones læsæ.

Primò actiones variè læduntur: Dolor capitis, oculorum, gutturis, cum temporum & frontis pulsatione percipitur, narium pruritus, sternutatio, terror in somno, paroxysmi epilepticis similes, delitia nonnunquam; quæ omnia fiunt à vaporibus & fuliginibus seu fumis acribus, ex sanguinis ebullitione in caput ascendentibus. Adest dorsi dolor & pulsatio in spina, ob tensam ibidem à copia feruentis sanguinis venam cauam, partésque vicinas. Grauitas præterea totius corporis, ardor, & punctionis quidam sensus in cute sentitur, ob copiam & feruorem materiæ eò transmissæ. Difficultas spirandi animaduertitur, ob copiam vaporum, seu feruidarum fuliginum, qui aëri frigido attrahendo vix transitum concedunt; tussis sicca & inanis è vaporibus transeuntibus, vel etiam pustulis eò loci erumpentibus, quæ naturam stimulant. Accidit præterea tremor pedum, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, omnia quidem ex ebullientis sanguinis vaporibus excitata.

Excreta.

Deinde in excretis hæc signa animaduertuntur. Vrina sanorum vrinis non est dissimilis; eam ob causam, quòd natura, quicquid materiæ vitiosæ est in corpore, ad ambitum corporis propellere soleat. Interdum tamen turbidæ sunt, quod magnam humorum ebullitionem & agitationem significat. Hæmorrhagia narium quoque non raro accidit, ex sanguinis feruore & acrimonia, venarum orificia aperiente; quæ si larga sit, inter initia, morbum leuiorem reddere solet plerumque. Vomitus quoque ventriculo, seu à materia, seu à vaporibus prauis ascendentibus stimulato. Lacrymæ sponte ex oculis solent effluere, aut oculi lacrymabundi apparent, ob acrimoniam vaporum, oculorum tunicas mordicantium & vellicantium, vel etiam ob serosum humorem ad oculos per se humidos transfusum.

Qualitates corporis mutatæ.

Tandem adest & in qualitatibus corporis quædam mutatio. Facies vna cum oculis rubet, ob sanguinis ebullitionem huiúsque vel vaporum ad superiora motum: vox est rauca, siue ob vapores per asperam arteriam transeuntes, siue ob pustulas eo loci enatas: os est siccum, ob feruorem fuliginosi spiritus è pectore redditi. Aspera est cutis, ex pustulis toto corpore per eam diffusis: febris denique synocha accenditur, ex vehementi sanguinis in intimo corpore ebullitione.

Vbi ergo initiò pleraque signa hæc conspiciuntur, & præsertim circa secundum aut tertium diem augentur, & sparsim quædam

dam maculæ rubentes in cute apparent: imminentium variolarum & morbillorum est indicium. Et tum illæ maculæ, præsertim circa diem quartam, in sublime attolluntur, ita vt quædam quasi tubercula rubentia, parum eleuata in cute conspiciantur, vnde variolæ fiunt, vel in altum extenduntur, vnde morbilli. Variolæ tamen cum maiore pruritu & dolore emergunt, & apparent primò veluti capita acuum, aut grana milij, deinde in pustulas mutantur, sanie repletas, ipsâ febri cæterique symptomatibus paulatim mitescentibus, quæ tandem suppurantur, exsiccantur sensim, & decidunt: Morbilli verò citiùs erumpunt, & postea resoluuntur ac euanescunt.

Arguitur autem de variolis & morbillis suspicio, si epidemij sint, & puer sit aut infans: his enim præcipue accidit hoc malum; minùs adultioribus; rarissimè senibus, nisi ex aere corrupto: aut æger cum aliquo variolis aut morbillis laborante sit conuersatus; aut in familia aliqua vnus ex infantibus, variolis aut morbillis laboret, aliæque causæ externæ præcesserint. Omnibus enim modis contagiosi sunt hi morbi & præcipuè iis corporibus, inter quæ est analogia, qualia sunt consanguineorum.

Tempus autem, quo variolæ & morbilli frequentiùs grassantur, est ver & autumnus, in primis si æstas pluuiosa præcesserit, & austri continuò spirauerint, vel hyems tepida & australis fuerit. Hæc enim tempestas maximas humorum agitationes efficit: quibus accedit fructuum vsus, quos copiosius pueri solent comedere, æstiuo & hyemali tempore rariores sunt, nisi à temperie sua naturali deflexerint, vel semina prauitatis à præcedentibus ooni temporibus in pueris conceperint.

Signa causarum. Signo verò causarum quod attinet, à sanguine ipso nullæ omnino variolæ fiunt, estque humor, qui variolas & morbillos excitat, planè excrementitius. Qualis autem sit humor, facilè indicat color. A bile enim cum flauedine rubescunt, & acredinis sensum maiorem exhibent. A pituita colorem album habent, ac saniæ liquidiore abundant. Ab humore melancholico nigricantem, & cum siccitate magis sordescunt. Imò nonnunquam violaceæ, virides, liuidæ & nigræ sunt, si scilicet humores magis corrupti sunt, vehementi æstu exusti, & quidem prout hæc vel illa materia superauerit, eiusque *κακοήθεια* maior aut minor fuerit. Testantur varietatem causarum & alia signa. Si materia enim sit biliosa, minor quidem dorsi dolor & grauitas adest, maior tamen ardor, inquietudo & sitis. Ab humore crassiore minor quidem est prurirus & ardor, maior autem corporis grauitas.

Loca, quæ ab iis obsidentur, etiam ex actionibus læsis cognoscuntur. Nam si non solùm in cute, sed & in partibus internis, ventre, intestinis, pulmone erumpant, febris admodum grauis est & molesta, difficultas respirationis, & angustia pectoris magna, tussisque maior adest, dolor ventris & intestinorum vehementer affligit: quibus nonnunquam vrina cruenta & dysenteria accedit.

Prognostica.

Prognostica. Pertinent autem variolæ & morbilli ad morbos acutos. Nam vt plurimum intra diem 14. terminantur. Diuidunt nonnulli tempus variolarum in tempus ebullitionis humorum, & in tempus exitus variolarum. Tempus ebullitionis, plerumque quatuor diebus absoluitur, diésque primus est principium; secundus augmentum; tertius status; quartus, initium declinationis, quo tempore febris & symptomata remittere solent. Idem quartus dies, qui declinatio ebullitionis est, exitus variolarum principium esse solet. Augmentum ad septimum protrahitur: status vndecimo die viget: ab vndecimo ad decimum quartum est declinatio, quo tempore morbilli exsiccantur, etsi interdum ad diem 20 vsque exsiccatio protrahatur.

Quemnam autem morbus hic sit habiturus exitum, ex iis quæ variolas & morbillos comitantur ac sequuntur, cuiusmodi sunt ipsarum variolarum & morbillorum qualitas, magnitudo, numerus, figura, tempus & modus exitus, locus ac varia symptomata, ac ex viribus ægri colligere licet. Si etiam initio morbi sanguis è naribus largiter effluat, variolæ & morbilli pauciores erumpere, & æger facilius liberari solet. In genere melius est, variolas & morbillos citò, quàm tardè erumpere: nam & materiæ obedientiam, & naturæ robur id ostẽdit. Deinde bonum est, si post exitum febris ac omnia symptomata imminuuntur. Id specie variolæ meliores sunt albæ & rubræ, magnæ, pauciores, molles, eminentes, rotundæ, disiunctæ, & sine contiguitate propinquæ, quæ citò & sine magna ægri molestia maturantur & decidunt, quæque loca externa, ignobiliora præsertim occupant. Deteriores verò sunt violaceæ, virides, liuidæ, nigræ siue plures, siue pauciores, siue paruæ, siue magnæ, duræ & verrucis similes, depressæ, propinquæ & contiguæ, aut duplices variolæ, in primis si in earum medio nigra macula appareat, quæque tardiùs erumpunt, tardiúsque maturantur, aut iterum euanescunt subitò: & quæ interna occupant, vel oris faciem tantùm aut pectus. Hæ enim prauitatem & inobedientiam materiæ, calorisque incendium magnum, & virium labefactationem portendunt. Et auget malum si virium debilitas & praua accidentia adiungantur, ac symptomata post apparitionem earum non remittant, vt si post variolarum exitum æger nauseâ, vomitu, stomachi dolore, siti inexplebili molestatur. Peius est, si lipothymia crebra, magna

pectoris angustia, angina, fluxus alui viridis, aut cruentus, vrina cruenta vel nigra, extremorum perfrigeratio, vel conuulsio accedat. Malum item raucedine affici, difficulter loqui, delirare, cibum auersari, deglutire non posse, vigiliis infestari, vel somno nimio detineri. Ac qui moriuntur ex variolis, vel anginâ plerumque pereunt, interclusâ à pustulis spiritûs viâ, vel syncope, ex spirituum à materiæ malignæ corruptione, vel alui profluuio & dysenteriâ. Et sæpe licèt non statim ægrum iugulent, tamen diuturna vel lethalia mala variolæ inducunt, in internis præsertim corporis partibus. In naribus vlcera diuturna sæpe, & imminutum odoratum, in faucibus, raucedinem, impeditam respirationem, in œsophago difficilem deglutinationem, in pulmonibus, peripneumoniam, tabem & dyspnœam, in ventre, hepate, & intestinis, periculosos fluxûs ac cruentam defectionem; in renibus cruentas mictiones.

Maximè verò infestæ sunt oculis, in quibus *ὀφθαλμίαν*, lippitudinem, caliginem, albuginem, sæpe & cæcitatem planè efficiunt. Solent & in cute fœdi coloris maculas, & foueas ac cicatrices turpes relinquere, potissimùm in facie, vbi partibus eius quibusdam cutis ferè *ἄσαρκος*, seu *carnis expers* est, & proinde vlcera ibi difficulter coalescunt.

Eadem ferè est ratio morbillorum. Periculosiores hi quidem suâ naturâ sunt, quàm variolæ, cùm ex sanguine feruidiore, qui febrem & omnia symptomata grauiora excitat, constent: citiùs tamen iudicantur, nec oculis ita noxij sunt, seu non ita oculos petunt, vt Variolæ, quòd subtilis illorum materia priùs dissoluatur, quàm figi in iis queat. Inter eos autem rubri & disiuncti salubriores sunt, & qui citò apparent, ac quibus apparentibus symptomata remittunt & mitigantur. Peiores autem virides, violacei, nigri, & qui tardè exeunt, aut mox ad interiora recurrunt, magnámque pectoris angustiam & frequentem syncopen adiunctam habent.

Verùm licèt variolæ & morbilli plerumque in salutem ægri finiantur: ægrum tamen in illorum *παρακμῇ* seu declinatione quandoque mori contingit: vel quia visæ sunt declinare materiâ intrò raptâ: vel quia etiam verè declinantibus aut resolutis variolis externis pars materiæ siue ex naturæ imbecillitate, siue ex errore ægri, adstantium, aut curiâ Medici, intus relicta, magisque depraua occupauit viscera, & febrim aliaque symptomata grauia auxit.

Curatio.

Indicationes. Curationem Variolarum & Morbillorum quod attinet, & Indicationes, quæ eam dirigunt. Primus scopus sit, Naturæ, quæ commodè materiam vitiosam per ambitum corporis expellere in hoc febris genere nititur, opem ferre; quod fit, dum causa, quæ naturam in opere suo impedit, tollitur, & motus naturæ adiuuatur, vires confortantur, & malignitati resistit Medicus.

Vitium materiæ naturam impedientis consistit in humorum copia nimia; vel eorum mala qualitate; vel natura ob viarum obstructiones in opere suo impeditur. Itaque Medici est, humores prauos tollere, eorum siue crassitiem, siue tenuitatem & feruorem corrigere, viasque clausas aperire, malignitati resistere, & naturæ humores ad cutim expellentis conatum adiuuare. Præter hoc Medicus symptomatum vehementiam auertere debet, & præcauere, ne pars aliqua, siue interna, siue externa, damnum inde contrahat.

Venæsectio in infantibus. Cùm verò morbus hic plerumque in corpora teneriora incidat, venæsectio, quòd vires eam non ferant, rarò admittitur. Amatus equidem Lusitanus, *Centur. 3. curat. 26.* puero quinque annorum, dum variolarum indicia adessent, venam internam brachij aperuit, & quatuor vncias sanguinis detraxit. Sicut idem alias etiam in sanguine in pueritia mittendo audacior fuit, (ve hæc iis quæ *lib. 5. cap. 5.* diximus, addamus) & Auenzoarem, quem Auerrois *7. Coll. cap. 3.* puerulo trium annorum sanguinem detraxisse testatur, imitatus, *Centur. 5. curat. 20.* puellæ cuidam 7. annorum febricitanti venam internam brachij aperuit, sanguinisque vncias sex detraxit. & *Centur. 5. curat. 96.* puero 8. annorum quatuor vncias emisit, & *Centur. 5. curat. 52.* puero 5. annorum venam aperuit. In valde tamen teneris, præcipuè in morbillis, malo Trincauellio assentiri; qui *de rat. curand. part. affect. lib. 2. cap. 10.* scribit, se in valde teneris venæsectionem nunquam probasse, cùm id præter rationem fieri videatur, & sæpe malus eius rei euentus sequatur, & licet aliquando ea bene succederet, id potiùs fortunæ quàm rationi attribuendum sit. Si tamen in ætate, quæ venæsectionem perferre possit, sanguinis abundantia venæsectionem postulet, mox in principio, ante quartum diem, aut sanè priusquam variolæ erumpant, dum vires adhuc constant, & sanguinis tanta copia ad ambitum corporis confluxit, vena aperienda, vt natura oneris parte leuata, quod reliquum est faciliùs vincere possit. Post quartum autem diem, & vbi maculæ erumpere incipiunt, abstinendum à venæsectione; in primis si iam æger meliùs habere incipiat, ne materia ad ambitum corporis tendens ad interiora reuocetur.

Purgatio. Deinde si aluus sit adstrictior clystere leui, aut blando aliquo medicamento eluenda, vt quod in primis viis hæret, expurgetur, vt Syr. rosar. solut. Tamarindi, Mannâ, Cassia; talibus scilicet quæ non solùm aluum leniũt, sed & sanguinis feruorem restinguere, refrigerando, partésque internas roborare moderatè adstringendo, viresque tueri, valent. Possúntque hæc phar-

mac

mata tum inter sese, tum cum conuenientibus aliis, prout res postulat, commisceri. Ab omnibus verò fortioribus purgantibus, non solùm in principio, sed & toto morbi decursu abstinendum, ne eorum vehementiâ, vel naturæ conatus in expellendo à centro ad superficiem impediatur, vel profluuium alui periculosum excitetur: & proinde, si in declinatione quid humorum vitiosorum in corpore superesse animaduertatur, idipsum blandè educendum. Alioquin abstinendum à purgantibus, si tranquilla omnia in ægro appareant.

Lactentium curatio, quod ad interna remedia attinet, in primis, in lactantium seu nutricum diæta & medicatione posita est. Nam in lacte facultates ciborum & medicamentorum, præsertim purgantium, tum etiam mutationibus præcedentibus, conseruantur, 6. *Epid. sect. 5. t. 33.*

Expellentia. Posteà, cùm Naturæ in hoc morbi genere præcipuæ partes sint, & ipsa sæpè sine vllis medicamentis hoc morbi genus sanet, perpendendum; An natura suum officium faciat, & rectè materiam ad cutem expellat? an verò in opere suo deficiat?

Si satis erumpere Naturæ beneficio variolas & morbillos animaduertimus, non opus est eam multis medicamentis adiuuare, ne calefacientium vsu intempestiuo materia nimis agitetur, febrisque augeatur. Quod si tardè & parciùs erumpant variolæ & morbilli, adiuuanda Natura iis, quæ materiam paulò magis fundunt, meatúsque aperiunt. Istis tamen aliquid de refrigerantibus, & modicè adstringentibus addendum, vt partes internæ roborentur, atque ita non solùm non afficiantur, sed fortiùs etiam materiam vitiosam expellant: & ne sanguis feruorem concipiat, semper ea eligenda vel admiscenda, quæ malignitati resistunt, in primis si de hac sit suspicio, ingrauescente, vt sæpe solet, pestilenti temporis constitutione, & malo communiter grassante.

Expellentia medicamenta. Ex aperientibus & expellentibus sunt; *Radices & semina fœniculi: semen napi, cardui benedict. aquilegia, Citri: Radices Dictamni albi, Pimpinell. Capillus Veneris, Flores Calendul. Ius Cicerum rubrorum, Scordium, Scabiosa, Myrrha, & quæ in primis ad expulsionem hic faciunt, ficus & secundùm plurimos, Lentes.* Imò *Theriaca, Mithridatium, & Diascordium,* in robustioribus dari possunt. Et alia quæ malignitati resistunt, vt, *Cornu cerui, lapis Bezoar, species liberantis, Corallia, Margarita*: Quæ tamen potiùs ad sequentem classem pertinent, respectu qualitatum primarum.

Refrigerantia. Refrigerant, *Acetosa & Acetosella, Lactuca, Nymphæa, Portulaca, Hordeum, Pruna acida, Endiuia, Cichorium, Plantago, succus Citri, vinum Granatorum, succus Limonum, Oxysacchara, Rob. ribium.* Refrigerantia autem illa & adstringentia commodiùs initio, primo scilicet & secundo morbi die exhibentur, antequam natura sese ad expellendum accingat. Postea verò, vbi incipiunt erũpere, incipiunt variolæ & morbilli, conatus naturæ adiuuandus: pro morbi tamen natura, vario modo hæc miscenda & adhibenda. Si enim febris & feruor sit magnus, temperatiora adhibenda, aut frigida admiscenda. Atque in hoc casu maximè conueniunt, quæ citra calorem expellere possunt, vel quæ frigida simul vim aperiendi habent, vt *Acetosa, Succus citri, vinum granatorum cornu cerui, Margarita, Tormentilla.* Ex his varia medicamenta componi possunt. Vsitatæ compositiones sunt ex Auicenna desumtæ, quarum prior magis partes internas roborat, posterior magis expellit.

℞. *Lacc. ablut.* ʒ. v. *lentium excortic.* Drach. ii. *gumm. tragacanth.* Drach. iii. Coq. in *Aq.* Lib. ß. ad remanentiam Vnc. iii. vel iiii.

Vel ℞. *Ficuum* ʒ. vii. *lentium excortic.* Drach. iij. *tragacanth. sem. fœnicul.* an. ʒ. ii. Coq. in *Aqua* ℔. i. ß. Colatura potanda detur.

Vel ℞. *Lentium mundat.* ℥. iv. *caricar.* num. x. *vuar. pass. mundar.* ℥. ii. *sem. fœniculi.* Drach. iij. *croci,* Scr. i. *lacc.* Drach. i. ß. Coq. in *Aquæ,* ℔. iij. ad tertiæ partis consumtionem. De Colaturâ ℥. iv. vel v. pro dosi propinentur. Aqua expulsiua ad morbillos D. Sigism. Kolreuteri.

℞. *Caricar. pingu.* num. xxx. *lentium* M. iij. *sem. rapar.* ʒ. vii. *hordei mund.* ℥. x. *fœnic.* ʒ. x. Concisa & conquassata Coq. in ℔. v. (vel pluribus) *aq. simpl.* ad ℔. j. consumtion. Postea omnia simul destillentur in B. Aliq.

℞. *Hordei mundi* ℥. i. *sem. fœnic.* ʒ. v. *rapar.* ℥. ß. *rad. glycyrrh.* ʒ. ii. ß. *herb. scord.* M. *acetos.* M. i. ß. *lentium* M. j. ß. *Caricar. ping.* num. xij. Incis. & contus. inf. in *aq. puriss.* ℔. iij. stent in infus. per diem, posteà destillentur.

Potio ad morbillos.

℞. *Sem. rapor.* ʒ. i. *anis. fœnic.* an ʒ. ii. *hordei. lentium,* an. ℥. ß. *caricar.* num. iv. Coq. vase clauso in *aq. Cardui bened.* q. s. colentur pro ℥. iv.

Atque hæc sunt remedia composita, longo vsu ab antiquis probata, quæ propterea nullo modo reiicienda, & cum nouis recentis commutanda sunt. Infantibus autem, qui tales potus non admittunt, ficus comedendæ dentur, vinúmque Granatorum propinetur. Ficus enim insignem vim habent pellendi humores ad cutem. Et siquid ab earum dulcedine incommodum metuitur, id facilè vino granatorum corrigitur. In compositis autem his, nonnulli de Lentibus & Tragacanthâ dubitant. De Lentibus dictum est, in *Instituti. lib. 4. part. 1. cap.* 3. quibus saltem hoc addimus: Cardanum, Amat. Lusitanum, & Ioh. Baptist. Sylaticum sequitur Lud. Septalius, *animaduers. Medic. lib. 3. num.* 59. qui pluribus etiam lentium vsum improbat. Verùm cùm Arabes in medicamentorum facultatibus inuestigandis diligentissimi, medicamenta illa ex lentibus, caricis, lacca & tragacantha valde commendent, atque alij doctissimi Medici non sine fructu illis hactenus vsi sint, ea quæ contra lentium vsum afferuntur, de iis vt alimento intelligenda sunt. Et verum omnino est, lentes cibum omnino incommodum præbere, in quem vsum, vt satis elixentur, diu coquendæ sunt. Interim nihil prohibet, quin medicamentis loco decoctum, quin ex iis saltem quod subtilius est extrahitur exhibitum, ad promouendam variolarum eruptionem occultâ vi facere possit; vnde etiam nonnulli signaturâ suâ seu formâ variolis similes esse statuunt. Vt verò in peste & verè pestilentibus febribus exhibeantur, non suaserim, sed tunc potiùs ad vera alexipharmaca confugiendum puto. Et omnino si adhibendæ sunt, tutiùs cum aliis, quàm solæ exhibentur. Gummi Tragacanthæ verò, licèt motum Naturæ in expellendo impedire videatur, tamen sciendum, composita illa medicamenta Arabum, diuersos scopos respicere, ideóque Gummi Tragacanthæ iis admisceri, ad ebullitionem nimiam humorum præcauendam, partésque internas roborandas: Efficacia tamen & hæc deprehensa sunt.

℞. *Sem. Napi.* ℥. i. *citri* ℈. i. *aquileg. melon. excortic.* an. ʒ. ij. cum *Aq. Cardui bened. scabios.* an. ℥. ij. F. Emulsio, quæ dulcoretur *iulapi rosat.* ℥. ß.

Vel ℞. *Sem. Napi, aquileg.* an. ʒ. i. ß. *cardui bened. excort.* ʒ. ii. *melon. excort.* ʒ. iij. *Aq. acetos. scabios. cardui bened. fumar.* an. ℥. ij. F. s. a. Emulsio, quæ dulcoretur *Rotul. manus Christi perl.*

Possunt eiusmodi emulsionibus solutiones perlarum & corallorum addi. Imò pulueres Bezoartici, in peste curanda propositi, hic conueniunt, vt:

℞. *C. C. vsti prapar.* ʒ. ß. *ossis de C. C.* Scr. i. *sem. cardui bened.* Scr. i. *citri* ℈. ß. *specier. Liberant.* ʒ. ß. *margarit. prapar. corallor. prapar. vel solutionis eorundem,* an. ℈. ß. F. Puluis.

Cuius ℈. i. vel ʒ. ß. vel ℈. ij. pro ratione ætatis, in *Aqua Acetos. Scabios. Cardui Bened. florum Calendul. Fumar. Fœniculi,* exhibeantur. Vel dentur ǥ. ij. iij. vel iv. *Lap. d. Bezoar,* cum *solutionis Perlarum* ℈. ß. F. Puluis expulsiuus.

℞. *Boli Arm. Orient.* ℥. ij. *sem. caulium, citri, select. rad. tormentill. elect.* an. ℥. ß. *C. C. vsti prap.* ℥. ij. *myrrh. elect. diaptamni. alb.* an. ʒ. iii. *sem. napi elect.* ℥. i. ß. *fol. auri,* num. xx. F. Puluis subtiliss.

Vel ℞. *Sem. nasturt. aquileg.* an. ʒ. i. *scobis C. C.* ʒ. ß. *corall. rubr. prap. margarit. prap.* an. ℈. i. F. Puluis.

Dum verò hæc exhibentur, vnicè danda opera, ne æger frigidum aërem admittat, præsertim hyeme. Itaque æger in aëre calidiore detineatur diligenter tegatur, ne conatus naturæ impediatur poris cutis occlusis, humorésque ad interiora recedant, atque materia, quæ expelli debebat, intus contineatur; vnde anxietas, febris, aliaque symptomata cum maximo vitæ discrimine in ægro augeantur. Quapropter etiam nulla Epithemata frigida corpori admouenda sunt.

Partes quomodo à variolis defendendæ. Non verò solùm in eo laborare debet Medicus, vt variolæ & morbilli erumpant, sed videndum quoque ne partes seu internæ seu externæ ab iis lædantur. In partibus internis præcipuæ pulmonis & intestinorum habenda est ratio.

Pulmo. Pulmoni conueniunt *Looch de Papauere, de Lentibus & Tussilagine; Syrupus iniubinus, violarum, Tragacanthum frigidum, Diapenidium, conserua rosar. violarum.*

Intestina. Intestina roborantur *Syrup. Cydoniorum, Myrtillor. Lentibus decoctis in aqua Plantaginis, Tormentillâ, seminae Plantagin. Acetos. Rob. ribium.* Ideóque prior, vt dixi, Auicennæ compositio, potiùs ad roboranda viscera, quàm ad expellendum composita videtur: Lacca enim Hepar & Lienem, gummi Tragacanthæ pectus, Lentes intestina respiciunt, & roborant.

In externis oculi, nares, os ac fauces roborandæ sunt. Oculos defendunt, humorésque ad eos ruentes depellunt, Aqua Rosar. & Plantag. in quibus Rhus obsoniorum, vel Tutia præparata infusa fuerit, aut additum Sief album, vel Camphora.

Vel ℞. *Aq. rosar. plantaginis, euphrag.* an. ℥. ß. *camphor. croci* an. ǥ. ii. M.

Vel ℞. *Pulu. Smaragdi.* ℈. ß. *margarit. prap.* ǥ. ix. *camphor.* ǥ. i. *aq. rosar.* ℥. iii. Misce.

Ad nares defendendas vtilis est aqua rosar. cum succo agrestæ.

Vel ℞. *Santal.* ʒ. i. *camphor.* ǥ. i. Affundatur acetum rosatum, & sæpius naribus admoueatur.

Si ab ichoribus oculi claudantur, lacte calente seu tepente, vel decocto seminis fœnugræci aut lini, cum aqua rosarum parato, fomententur.

In aures instilletur oleum rosaceum & myrtinum.

Os & fauces. Vt Os & fauces præseruentur, collutiones & gargarismi instituantur, ex decocto & aquis Prunellæ, Plantaginis, Rosarum, Balaustior. cum succo Granator. accidorum, Syr. myrtino; de rob. siccis, melle rosato, Diamoro, Rob nucum.

Pueris, qui gargarisare nequeunt, fauces & palatum sæpius cum linteolo circa bacillum inuoluto liniantur rob nucum, mororum, vino granatorum & similibus.

Aures, si fluant, curandum est, vt apertæ maneant; si dolore affligantur, spongiam in aq. tepente cum ol. rosar. mixtâ immersam iis identidem applicare conuenit.

Nonnunquam nares à pustulis ita obturantur, vt negato per has

hæc spiritu os & fauces impensè desiccentur. Quod vt caueatur, iubeantur ægri attrahere naribus oxycratum, poscam, aut vaporem excipere ex decocto rosar. rubr. plantagin. fol. myrtillor. summit. rub. fol. salicis, pampinorum vitis, & similibus.

Quæ crudæ diu ac duræ manent variolæ, earum maturationem quidam ex Rhase adiuuant vapore aquæ, in qua chamæmelum sit coctum, aut fotu ex decocto fl. maluæ rosarum, & ficuum.

An variolæ aperiendæ.

Variolas dum maturantur, & materia in saniem conuertitur, pruritus comitatur. Materia enim ista paulatim acrior reddita, dum in cute dissipari mox nequit, tristem eam sensus perceptionem efficit. Videndum ergo, ne scalpantur, atque inde turpes cicatrices, præsertim in facie relinquantur. Tutissimum plerumque est, præcipuè vbi sanies alba, & proinde cocta apparet, rem totam naturæ committere; cùm experientia docuerit, eos, quibus variolæ sponte apertæ & exsiccatæ sunt, minore cum deformitate, & minoribus relictis vestigiis, sanatos fuisse. Si tamen magnæ sint, aut plures coniungantur, postquam satis maturatas esse, ea mollitie albedine, & doloris remissione apparet: id quod post septimum diem ab exortu earum, qui est morbi dies vndecimus, contingit, Arabes eas aperire iubent, nisi suâ sponte aperiantur, ne sanies diutius retenta seu coërcita, vel retrocedat, vel acrior reddita, cutem profundiùs exedat. Aperiantur ergo pustulæ, saniésque molliter abstergatur. Aperiût autem acu, imprimis aureolâ Veteres æs magnopere commendant: non verò forcipe, ne auriculâ ablatâ vlcus nudum aëri exponatur, & crustæ tenaces relinquantur, quæ ἀνωδύνως *sine dolore* auelli à cute non possunt, ac pluribus locis, duobus aut tribus aperiunt, ne iterum mox occludantur.

Variolæ vt sanandæ.

Vt verò apertæ variolæ exsiccentur, Arabes aquâ salis cum pauco croco abluere, vel decocto aut suffitu ex santalis, rosis rubris, foliis tamarisc. myrtillorum fouere: vel si res citiùs expedienda sit, supra farinâ oryzæ, milij, fabarum, hordei, recumbere iubent. Alij & commodiùs quidem variolas conspergunt farinis cum puluere thuris, mastiches, myrrhæ maris. Verùm plerumque, vt dictum, commodius est, naturæ rem totam committere. Sale enim facilè dolor excitari potest, vel pustulis intempestiuè causis vlcera deteriora gignuntur: dolor tamen cauebitur, si minores solùm variolæ, non maiores, aut quæ recens ruptæ sunt, saliantur.

Arabes quoque, vt crustæ faciliùs & citiùs, exsiccatis probè variolis decidant, oleo vel vnguento rosaceo, aut amygdal. dulc. eas inungere iubent: Verùm, antequam probè arescant, id tentandum non est, ne sordida vlcera reddantur. Si tamen vlcera diutius relinquantur, Vnguento albo Camphorato, de Cerusa, de Lithargyro, & similibus exsiccentur.

Vestigia variolarum vt tollenda.

Sanatis variolis color fœdus cutis, & vestigia seu foueæ & cicatrices turpes deformes, in facie præsertim, nonnunquam relinquuntur, Delentur hæc vestigia, iis quæ detergunt, & Græcis ῥυπτικὰ dicuntur: iis quæ carnem replent, & σαρκωτικὰ dicuntur: & iis quæ cutem molliunt, ac complanant, & dicuntur Galeno λειαντικὰ *læuigantia*, adhibitâ simul probâ & conuenienti victûs ratione. Color fœdus tollitur frequenti ablutione, quæ fit decocto Lupinorum, fabarum, hordei, rad. arund. vstar. tanaceti, centaur. min. chelidon. maj. abrotan. succo limonum, Sapone cum nitro & tartaro. Aquâ item sigilli Salomonis, florum fabarum, Scrophulariæ. Pro foueis explendis commendatur pinguedo humana, & asciæ piscis.

Diæta.

Diæta.

Primùm omni curâ & studio æger ab aëre frigido prohibeatur, vt iam antea monitum, hyeme præsertim. Non tamen nimio æstu torquendus est æger, ne calor naturalis fuliginum feruentissimarum copiâ stranguletur, vel deficientibus viribus materia morbi subsistat, ægérque odore rerum frigidarum oblato reficiendus.

Victus rationem quod attinet, cùm morbi hi ex acutorum numero sint, victus acutis morbi conueniens instituendus, tenuis scilicet, inprimis morbi primo tempore. Duo enim hîc morbi tēpora, quando naturæ cum noxia materia conflictus ingrauescit, non sine ratione à Medicis constituuntur, dierum numero distincta, vnum ebullitionis sanguinis, quod à primo die in quartum vsque extenditur: alterum exitûs maturationis & exsiccationis quod in morbillis plerumque die septimo, in variolis decimo quarto finitur: etsi exsiccatio nonnunquam, ob cruditatem & crassitiem materiæ, ad vigesimum diem extendatur. Itaque primis diebus à pleniore victu abstinendum, ab ouis scilicet, iuscerum & carnibus ipsis, quippe cibis εὐτροφίμοις: ita tamen victus attenuandus, vt vires ad statum vsque perdurare possint, ne in statu postea pleniùs nutrire opus sit, quo ipsa natura ab opere suo non sine periculo auocaretur. Imprimis cùm sequenti tempore, quo variolæ & morbilli erumpunt, ægri suâ sponte, ob appetitum prostratum, cibos omnes auersentur, & ad sumendos, qui conueniunt, propemodum sint cogendi. Et pueris inprimis hac in parte plus concedendum est, vtpote quorum corpora per se εὐδιαφόρητα sunt, *maximè omnium diffiabilia* perspiratu insensibili, & ob copiam innati caloris, inediam non facilè tolerant.

Sint autem cibi non acres, non salsi, non pingues, non dulces, qui ebullitionem & acrimoniam humorum augere possint: sed moderatè refrigerent & adstringant, vt feruorem sanguinis temperent, maximè inter initia, ac partes internas roborent, & ab iniuria exanthematum tueantur. Inprimis autem vitandi fructûs ὡραῖοι *æstiui*, quippe *humidiores qui facilè in corpore putrescunt*. Potus etiam plenus non sit.

Vinum non conuenit, præsertim dulce, præcipuè, antequam erumpant exanthemata. Eius loco danda ceruisia tenuis, vel aqua hordei, in qua lamina aurea aliquoties sit extincta, aut chalybs ignitus, cui nonnunquam succus citri, granatorum, ribes addi potest. Post exitum tamen, & vbi symptomata remiserunt, parum vini oligophori conceditur, iis maximè, qui sunt assueti. Quod denique ad res naturales reliquas attinet, toto morbi decursu & *somnus* sit moderatus, ne diutius retento per somnum intus calore æstus ingrauescat, capútque vaporibus magis repleatur, & moderatæ sint *vigiliæ*, ne nimiùm resolutis spiritibus virtus deficiat. Æger corpore *quiescat*, ne calor natiuus dissipetur, qui in expulsionem materiæ incumbit morbificæ. Incipientibus tamen variolis lenes brachiorum & crurum frictiones non improbantur, quipe quibus humoris noxij attractio ad cutem iuuetur. *Aluus*, nisi quotidie officium suum faciat, lenissimo clystere, aut glande stimuletur. Fugiendæ denique vehementes animi perturbationes omnes, ita præsertim ac timor, quorum hic sanguinem prauum ad interiora retractum circa cor detinet; illa æstu maiore sanguinem turbat, & inflammat.

CAPVT XIII.

De Febribus Petechialibus.

Est deinde aliud febris malignæ genus, in quo maculæ quędam apparent in cute, ab authoribus puncticulæ, peticulæ, petechiæ, purpurę forsan etiam nominatę, quæ idcirco variis nominibus insigniuntur, & febres peticulares, petechiales, lenticulares, purpuratæ nominantur, appellationibus desumtis à similitudine quam hæ maculæ habent, cum lenticulis, punctturis & morsibus pulicum, & quòd purpuræ colorem referunt. Sunt enim petechiæ nihil aliud, quam maculæ diuersorum sæpe colorum, inprimis rubræ & purpureæ, pulicum morsibus ferè similes, in cute, præcipuè circa dorsum, collum, pectus, & in brachiis, in malignis febribus apparentes.

Petechiæ.

An febres petechiales antiquis fuerint cognitæ.

Primò autem circa has febres à nonnullis in controuersiam vocatur; An febres hæ antiquis fuerint cognitæ. Fracastorius, *lib. 2. de morbi contag. cap. 6.* Anno 1505. & 1528. in Italia primùm has febres apparuisse scribit, cùm priùs notæ non essent, etsi certis regionibus, vt Cypro & vicinis insulis, fuerint familiares, atque ibi diu cognitæ. Idem & alij statuunt, qui existimāt, has maculas non esse easdem cum exanthematibus illis, quorum Galen, *lib. 5. meth. med. c. 12.* mentionem facit his verbis: *Qui euasuri erant, his pustulæ nigra, quas exanthemata vocant, toto in corpore confertim multa apparebant, vlcerosa, quidem plurimis, omnibus certè sicca. Eratque intuenti perspicuum, reliquias eas esse sanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura in cutem trusisset.*

Verùm quamuis concedamus, maculas & febres has ab antiquis, vt alia nonnulla, fusiùs & diligentius non fuisse pertractatas, neque etiam pustularum nomina & exanthematum cùm *loco allegato*, tum *alibi* explicata: tamen antiquis planè incognitas fuisse credibile non est. Hippocrates enim in *Epid.* & *Coacis* κατὰ τὸν ἀναδόσματα & ἐξανθήματα nominat, ac Aëtius, *tetrab. 2. serm. 1. c. 29.* in febribus à prauis humoribus ortis excitari vibices, similes culicum morsibus scribit: & manifestè ibi docet, omnes non exulcerari. Ac certè ratio nulla apparet manifesta, cur non antiqui etiam ab his infestari potuerint; cùm iisdem quibus hoc tempore, causis apud antiquos locus fuerit. Itaque cum tempore Hippocratis & Galeni febres pestilentes nostris omnino similes grassatæ fuerint, atque cætera symptomata omnia cum nostris congruant: quid quæso, obstat, cur maculæ istæ etiam non erumpere potuerint?

Quomodo petechiæ ab aliis maculis discernendæ sint.

Quoniam verò macularum cutis varia sunt genera, sciendum est, qua ratione petechiæ ab aliis maculis discernendæ sint. Primò à tuberculis & vlceribus discernuntur, quòd in istis quædā cutis asperitas & extuberantia apparet: In petechiis verò solùm maculæ. Ab aliis verò maculis, vt lentigine & similibus, figura, magnitudine & febre differunt. Petechiæ enim habent coniunctam febrem, quæ ab aliis plerisque maculis abest. Nec elatæ, longæ vel magnæ sunt, sed rotundæ & pulicum morsibus rectissimè comparantur. Nec tamen pulicum morsus pro petechiis habeantur, qua ratione differant, videndum. In morsibus pulicū in medio tanquam punctum quoddam, morsûs vestigium inest, quódque compressione non delitescit, etiam reliquo rubore circumquaque euanescunt quidem, sed redeunt, nullum puncturæ vestigium in medio conspicitur. Præterea petechiæ in brachiis, cruribus, pectore, & copiosiùs ac frequentiùs in dorso apparent, non autem in facie. Erumpunt nimirum in partibus, per quas insigniores arteriæ ac venæ transeunt. In facie verò rarò apparent, cùm hæc pars semper externo aëri obuia sit, & ab aëris ambiētis frigiditate materia facilè repellatur: sicut videmus & in brachiis in parte illa quę lecto applicatur, & eius calore fouentur, eas conspici: in parte verò reliqua, aëri externo obuia, delitescere. Et si apparent in facie, cùm nonnisi ex maxima copia materiæ prouenire possint, sine periculo esse non solent.

De materia autem, à qua maculæ istæ excitantur, Authores non consentiunt. Alij eas solùm è vaporosa materia prouenire existimant, & quidem ea de causa, quòd hæ maculæ citò fiunt & citò euanescunt, sine omni extuberantia, pruritu aut vlcere. Quæ sententia si rectè explicetur, locum habere quidem potest: commodiùs tamen ij loquuntur, qui à parte tenuiore humoris putrescentis & corrupti eas prouenire statuunt. Nam etsi citò oriantur & euanescant; tamen id non arguit, quòd ex humore prouenire non possint, cùm humores tenues & ipsi subitò erumpant & euanescant; sicut hoc in variolis & morbillis fieri videmus. Et licèt sine exulceratione, pruritu ac sine extuberantia fiant: tamen eas ab humore prouenire posse, vitiligo & aliæ maculæ testantur. Cum Galeno ergo, *de diff. sympt. c. 5.* in humorum vitium qualitates mutatas corporis, & inter illas etiam maculas istas referimus. Generantúrque & maculæ illæ à pulicum morsiunculis ea sanguine ad superficiem corporis tracto. Ac licèt humor, qui febrium harum causa est interdum crassior sit; tamen saltem à parte eius tenuiore & subtiliore in cutem expulsa, hæ maculæ excitantur.

De modo generationis petechiarum.

De causa etiam efficiente Medici non planè consentiunt. Alij enim criticè, alij symptomaticè eas erumpere docent. De qua re istud obseruandum, in corpore nostro quæcunque præcipuè in ambitum corporis expelluntur, facultatis expultricis beneficio expelli, quæ à re molestâ stimulata, onere illo se liberare cupit. Excitatur autem ea humorum vel quantitate, vel qualitate, vel vtrâque. Verùm natura in expellendo ordinem quendam obseruare solet. Nihil enim, dum omnia rectè in corpore fiunt, expellit, antequam coctrix facultas opus suum perfecerit. Itaque nulla critica & planè laudabilis euacuatio fit in morbi principio, sed coctione demum absolutâ, ea perficitur. Si verò in principio eam tentat, coacta id facit.

Triplex naturæ motus in expulsione humorum: Criticus.

Atque hinc triplex in corporibus nostris motus obseruatur, qui etiam in petechiis animaduerti potest. Interdum enim planè bonus & criticus est iste motus, vbi natura, materiâ victâ, die critico expulsionem istam instituit, & vt partes corporis internas prauis humoribus liberet, humores noxios ad superficiem corporis pellit, & hoc modo morbum soluit; id quod rariùs in petechiis euenire solet. Interdum motus est plane symptomaticus, vbi scilicet in principio, crudâ adhuc omnino materiâ, atque die non critico, aliqua euacuatio instituitur, id quod frequentiùs accidit in petechiis. Vtplurimùm enim petechiæ ante coctionis signa, & antequam materia à natura victa sit, apparent: vnde etiam morbum non leniunt, sed potiùs humoris maligni in venis ebullientis, & vel copiâ vel prauitate naturam stimulantis indicia sunt. Interdum medius quidam motus obseruatur; vbi scilicet in progressu morbi, post aliqua coctionis signa, & cum mediocri virium robore, talis excretio instituitur, vnde notabilis quædam morbi remissio, sed liberatio non integra à morbo percipitur, cùm natura adhuc ante tempus debitum ad excretionem stimuletur.

Symptomaticus.

Medius.

Petechiæ non critico motu erumpunt.

Ex quibus apparet, rariùs per modum crisis erumpere petechias. Præterea cùm bonæ crisis & hæc conditio sit, vt notabilia aliqua fiat euacuatio, ista in petechiis non accidit, & per maculas istas materiæ copia, quæ in venis est, plerumque non satis tollitur. E quo manifestum euadit, eos non rectè sentire, qui existimant, bene cum ægris agi, si magna macularum istarum copia erumpat. Tantum enim abest, vt materiam in venis & visceribus ebullientem maculæ istæ, nisi alia excretio manifesta accedat, tollant, & propterea ægro aliquod commodum insignius afferant, vt potiùs magnam materiæ copiam arguant. Nam licèt eius quod malum est, copiosior euacuatio sit bona: tamen per maculas istas non multum euacuatur, sed copiosæ maculæ potiùs periculum portendunt, ideo quòd magnam prauæ materiæ copiam adesse significant, ex qua scilicet halitus attollantur. Neque tamen contra, quod nonnulli volunt, ex paucitate macularum semper bonam spem concipere licet. Neque enim paucitas macularum semper paucitatem materiæ arguit, sed sæpe etiam naturæ in expellendis humoribus vitiosis versùs exteriora imbecillitatem. Neque obstat, quòd sæpe in periculum incidant, in quibus hæ maculæ delitescunt. Nam hoc quidem verum est, melius esse materiam erumpere, quàm in corpore delitescere, & moueri versùs exteriora, quàm interiora: istæ tamen maculæ, vt dictum, parum de materia, quæ in venis delitescit, & febri malignæ causa est, tollunt. Et vbi delitescunt, ideò saltem periculum portendunt; quòd indicio sunt materiam aliò viam affectare, & ad caput, cor, aut aliam partem internam cum ægri periculo muneri.

Petechiarum differentiæ.

Macularum autem istarum differentiæ variæ sunt. Primò colore differunt. Nam prout hic vel ille humor peccat in corpore: ita etiam huius vel illius coloris maculæ in cute apparent. Etenim si sanguis aliàs bonus ac temperatus putredinem concipiat, & à statu naturali recedat: rubræ appareat maculæ, quæ omnium tutissimæ sunt. Si autem bilis prædominetur, & malignam putredinem conciperit: maculæ flauæ vel virides erumpunt, quæ iam deterioris conditionis sunt. Si denique melancholia vel humor ater & adustus putrescit, puniceæ & nigræ maculæ apparent, quæ omnium deterrimæ sunt.

Deinde & quantitate differunt. Aliàs enim copiosiùs, aliàs parciùs erumpunt; aliæ sunt maiores, aliæ minores: quæ differentia ex materiæ quantitate, crassitie & lentore, ac virtutis robore ac debilitate ortum habet: aliæ etiam alio tempore apparent. Nam aliæ mox in principio erumpunt, aliæ procedente morbo efflorescunt. Vnde, vt suprà dictum, petechiæ aliæ symptomaticè, aliæ criticè erumpunt. Et licèt, quæ citiùs erumpunt, magnam materiæ copiam & malignitatem arguunt: tamen quæ septimo die erumpunt, ægrum extra omne periculum constitutum esse non indicant; sed etiam alia signa consideranda sunt. Si verò tardiùs apparent hæ maculæ, non leue periculum significant. Nam accidit id, aut ob humorum crassitiem, in quam vbi incidit malignitas vel venenositas, non facilè potest separari; aut ob cutis densitatem, quæ in hisce affectibus, in quibus liberâ transpiratione & ventilatione maximè opus est, non leue creat periculum.

Signa harum febrium quod attinet, sunt eadem illa, quæ suprà in genere recensuimus: quibus vbi sese maculæ coniungunt, certius malignitatis argumentum sunt.

Curatio.

An febres petechiales peculiarem curandi rationem requirant.

Cùm febres petechiales ad malignas pertineant, etiam earum modo curandæ. Et vix alius, præter P. Peredam, *in Scholiis in meth. medend. Mich. Ioh. Paschaly lib. 2. c. 2.* id negat, nihilque malignitatis aut veneni in his febribus adesse affirmat: ideóque curandas censet planè, sicut alias febres continuas. Vsum verò Alexipharmacorum hic nullum, esse scribit, imò quocunque tempore noxium; quia sint crassa & obstruentia, neque habeant in hac febre qualitatem contrariam.

Verùm cum ipsa experientia pugnat, quæ satis docet, malignitatem hisce febribus subesse; Symptomatum enim in iis talis vehementia & sæuitia deprehenditur, vt à sola febri, plerumque mei, illa prouenire non possit, sed latente & occulta malignitate. Deinde valde errat, dum Alexipharmacorum vsum ideò improbat, quòd crassa sint & obstruant. Non enim omnia talia sunt, sed dantur multa, quæ quod ipse facere iubet, aperiunt: qualia sunt carduus benedictus, scordium, semen napi, scabiosa & plurima alia. Ideóque communem aliorum Medicorum opinionem sequimur, qui in hisce febribus ob malignitatem, peculiari curandi ratione opus esse existimant.

Sicut verò febres malignæ diuersis symptomatibus sese produnt, & peculiari malignitatis gradu differunt: ita etiam curandi ratio non planè est eadem. Ac licèt in omnibus ea, quæ malignitati resistunt, sint vtilia: tamen non pauca sunt, in quibus cura secundùm varios illos malignitatis putredinis gradus, & membra quæ læduntur, præcipuè differt. In morbo enim Vngarico, vt dicetur, plerumq; magna prauorum humorũ colluuies circa ventriculum & primas vias hæret, ex cibo prauo contracta, vnde & purgantia & vomitoria necessaria sunt. In petechialibus verò non ita frequenter tanta humorum colluuies est in primis viis.

Aluum leniendam.

Itaque has febres Petechiales quod attinet, commodissimum est, primò ventrem saltem lenire mannâ, Syr. rosar. sol. cum infuso rhabarb. cremore tartari, extracto rhabarbari, quibus aliquid camphoræ addi potest, vel Pil. Pestilent. Drach. i. & alia conuenientia exhibentur.

Vel ℞. *Elect. diacathol.* Drach. iv. *trypher. Persic.* Drach. ii. *rhabarb.* Scr. i. Cum *sacch.* F. Bolus. Vel Fiat talis potio.

℞. *Rad. scorzonera* Vnc. ß. *fol. acetosa* M. ß. *cardui bened, scordij*, an. P. i. *fol. senæ el.* Vnc. ß. *rhabarb. el.* Drach. ß. *Zedoaria, sem. citri*, ana Scr. ß. *cinnamomi* Scr. i. *flor. cordial.* an. P. i. Infundatur *in aquas.* In Col. Vnc. ii. ß. vel Vnc. iii. dissolu. *manna* Vnc. ß. Iterum coletur, & add. *syr. ros. sol.* Vnc. sem. *spir.* vitriol. gutt. ij.

In iis qui ad vomitum procliues sunt; & cùm materia ad ventriculum vergit, vomitum medicamentis suprà, *lib. 2. cap. 6.* propositis mouere licet.

Vena sectio.

Hinc si opus sit, sanguisq; abundet, atque vrina turbida, totam massam sanguineam infectam esse arguat, venæ sectio instituatur ante quartam diẽ, aut postea omittatur. Nam vbi omnia in corpore turbata sunt, malúmq; latè diffusum, venæ sectione & purgatione non solùm naturæ opem non ferimus, sed vires quoq; frustra debilitamus. An autem maculæ iam apparentes venæ sectionem impedire possint, de eo dictum est, *l. 5. Inst.*

Postea cùm videamus naturam ad ambitum corporis tendere, an ille motus promouendus sit, despiciendum: tum de eo Medici dissentiant. Alij tum solùm iuuandum hunc Naturę motum censent, cùm rectè agit, & criticè materiam vitiosam expellit, quod fit post coctionem, die Critico. Si verò natura rectè non agat, id est, nondum coctâ materiâ expulsionem instituat, eam adiuuandam non esse. Alij sunt, qui medios quosdam motus inter Criticos & malos Symptomaticos constituunt, vbi scilicet natura non quidem criticè, nec tamen cum ægri damno expellit; atq; illos etiam motûs adiuuandos esse existimant: & propterea etiã in febribus petechialibus, vbi materiam ad cutem tendere animaduertimus, cutem laxare, aperire, & omnibus modis malignos humores ad ambitum corporis promouere iubent.

Atque hæc sententia vero magis consentanea est. Sciendum enim, non omnes euacuationes Symptomaticas vitiosas esse, sed inter eas esse quandam differentiam. Quædam enim non solùm tempore, sed & qualitate humorũ, qui euacuantur, Symptomaticæ sunt: quãdo scilicet non quæ morbum parit, materia, sed alia euacuatur, quæ euacuatio propterea semper noxia est, & cohibenda. Nonnunquam euacuatio quantitate vitiosa est, quæ & ipsa propterea sistenda. Imò nonnunquam accidit, vt tempore, quantitate & qualitate vitiosa sit aliqua euacuatio. Si verò tempore

Digitized by Google

pore solùm Symptomatica fit euacuatio, in qua scilicet nihil præter naturam est, nisi quòd ante perfectam coctionem, circa morbi principia accidit: ea potest vtilis esse; & propterea non supprimenda est. Id quod etiam in hisce febribus est faciendum, & quidem ea maximè de causa, quòd maligni & pestilentes humores coctionem non ita admittant, sed quamprimùm euacuandi sint.

Sudorifera. Itaque æger in loco mediocriter calido, & ab omni aëris frigidi afflatu munito, detineatur, & medicamentum aliquod sudoriferum & expulsiuum ac malignitati resistens, ei exhibeatur, qualia suprà de peste & curatione febrium malignarum in genere, fuerunt proposita. Ea tamen eligenda, quæ calorem febrilem augendo, insigne aliquod damnum non afferunt. Commendantur valde emulsiones ex semin. napi, citri, carp. bened. acetos.

Vt ℞. *Sem. Napi* Drach. i. *citri*, *cardui ben.* an. Drach. ß. *Aq. cardui bened.* ℥. iii. vel iv. F. Emulsio. Cui addatur *Syr. è succo scordy* ℥. ß. vel eidem aliquid *confect. liberant.* aut *puluer. C. C.* admisceatur.

Vel ℞. *Sem. Napi* Drach. i. *citri*, *cardui ben. cornu cerui vsti prepar.* an. Drach. ß. *offis de corde cerui*, *zedoariæ*, an. ℈. i. F. Puluis. De quo detur ʒ. i. cum *Aq. Scabiosæ*, vel simili.

Vel ℞. *Boli armeni*, *terræ sigillat. rad. tormentill. petasit. pimpinell. scordij*, C. C. *vsti prap.* an. ʒ. ß. F. Puluis.

Cui etiam aliquid *de speciebus Confect. liberant.* addi potest. Vtilis est & puluis Cæsaris rubeus appellatus. Imò in robustioribus naturis, & vbi maior malignitas, Theriacam exhibere licet. Etsi enim febrem calore suo augere videatur: tamen periculum maius imminet à malignitate, quàm à calore febrili; & calor Theriacæ aliorum admixtione temperari potest. Et tutissimum est, talia calida mox in principio, præmissâ tamen, si opus sit, sanguinis euacuatione, antequam putredo inualescat, exhibere, vt venenosa & maligna illa qualitas discutiatur. Semper tamen ad malignitatis naturam respiciendum, & si ea sit mitior, non temerè vires fortioribus sudoriferis debilitandæ sunt, humorésque accendendi. Octauianus Roboretus, cui & alij adstipulantur, scribit, se in hac febre efficacissimum in seipso deprehendisse lapidem Bezoar. Monet tamen, vt non semel tantùm, sed sæpius, & in conuenienti quantitate, gr. scil. xii. vel plurium, vnâ vice exhibeatur.

Cæterùm fere omnia hîc locum habere possunt, quæ variolarum exitum promouent, & quæ supra in curatione pestis, & febrium malignarum in genere, proposita, quæ hîc non repetimus.

In Alui fluxu cum petechiis quid agendum. Dubium autem hîc occurrit, cùm quæritur, quid agendum sit, vbi maculis istis iam apparentibus alui fluxus superuenit. Licèt verò contrarij isti motus esse videantur: cùm tamen natura sensibilem humorum euacuationem per aluum instituat, nequaquam ea supprimenda est, nisi fortè quantitate excedat: Et propterea naturæ negotium committendum, ac interim solùm alterantibus conuenientibus causæ morbificæ occurrendum.

Postea pro viribus suborandis, margaritæ, cornu cerui, & similia exhibenda, pulueresq; ex iis parati infculis & cibis admiscẽdi, cibiq; succo citri condiendi. Vtile est & hoc Electuarium.

℞. *Conseru. rosar. scabios. scordy, veronica, cardui ben.* an. ℥. ß. *theriacæ* ʒ. i. *rob. ribium* ℥. ß. *sem. napi. citri*, an. ʒ. i. *Syr. acetosi citri*, q. s. F. Electuar. de quo sumantur ʒ. ii. vel iii. cum *aq. cardui bened. scabios. vel scordy.*

Vel ℞. *Conseru. rosar. incarnat. acetosell.* an. ℥. i. *tamaris* ℥. ß. *cortic. citri condis.* ʒ. ii. *rob. ribium*, ℥. ß. *spec. liberant. cum bolo sine alce diamarg. frig.* an. ℈. i. *Syr. acetosit. citri, oxysacch. simpl.* an. q. s. F. Electuarium.

Vtilis est, vtpote cordi amicissima, confectio Alkermes, quæ hoc modo commodè offerri potest.

℞. *Confect. Alkermes*, ℥. ß. *terr. sigillat.* ʒ. ii. *margarit. prap.* ʒ. i. ß. C. C. *prap.* ʒ i. *lapid. Bezoar.* ℈. i. *Syr. acetos. citri. granat.* an. ℥. ii. *aq. acetos. fragor.* an. ℔. ß. M. Detur subinde haustulus.

Possent & alia, quæ suprà in peste enumerata sunt, ad confortandum adhiberi.

Extra quoque non sine commodo adhibentur ea medicamenta, quæ venenum à corde auocant: Inter quæ in primis commendatur ol. de Scorpion. Matthioli, & oleum Magni Ducis Hetruriæ, si iis Vnguentum rosac. misceatur, & regio cordis, tempora & pulsus illinantur.

Potest in eum finem adhiberi Theriaca cum succo citri.

Nonnulli quoque, vt & in morbillis, corpus pannis rubeis tegunt, existimántque, eos ratione similitudinis ad sese alliciendi vim habere.

Alij adhibent inunctionem ex hydrelæo & nitro, quæ cutem relaxandi, poros aperiendi, humores euacandi, ac dissoluendi, simulque calorem febrilem contemperandi vim habeat, de quo suprà dictum.

Vesicatoria. Nonnulli vesicatoria, vt etiam suprà dictum, in hisce febribus adhibent. Cùm enim in febribus, in quibus materia maligna in venis putrescit, continuò vapores praui cor petant, illúdque offendant; vtile est, vapores & humores illos à nobilioribus partibus ad exteriora reuellere: id quod commodissimè faciunt vesicantia. Habétq; Medicus hac in re, quam imitetur, Naturam, quæ ad ambitum corporis materiam malignam protrudit. Iis tamen magis conueniũt, in quibus exteriora frigent, atq; interiora vrũtur, grauia in capite adsunt symptomata, vt dolores, deliria, conuulsiones, lethargus, & in quibus habitus corporis est carnosior, ac temperamentum frigidius. Quæ si obseruentur, facilè omnia incommoda quæ alij obiiciunt, euitantur. Cætera roborantia, & putredini ac malignitati resistentia medicamenta cum aliis febribus malignis communia habent.

CAPVT XIV.

De Morbo Vngarico.

Morbus Vngaricus. INter febres malignas, & quidem non rarò petechiales, est febris illa, quæ vulgò morbus Vngaricus, & lues Vngarica ac Pannonica dicitur. Quod quidem nomen inde accepit, quòd lues hæc Anno 1566. in Hungaria maximè innotuisse videtur. Nam cùm Maximilianus II. Imperator cõtra Solimannum, Turcarum tyrannum, expeditionem suscepisset ad Camortam; tum primò innotuit hic morbus, ad lautinum incrementum sumsit: postea diffluente exautorato milite, ad Germanos, Gallos, Italos, Belgas, hoc malum propagatum, & penè per totam Europam disseminatum est; Et non solùm milites ex Hungaria redeuntes, verùm etiam per contagium plurimos eorum, qui expeditioni illi non interfuerant, interemit. Diuersoria enim passim ægrotantibus repleta erant, viæ cadaueribus occupatæ; vnde labes illa in vicinas domûs & villas translata nullâ aëris præcedente corruptione. Maximè tamen afflixit Viennam Austriæ, cùm per illam ferè omnes milites transirent, & recolligendarum virium causa ibi hærerent. Appellabatur tum vulgò, *die Haubtkranckheit, oder Kopffwehe*: Item *das Herzbrenne*, quasi causos cordis. Vsitatissima appellatio fuit morbi Hungarici.

Nonnulli morbum Vngaricum, & febrem petechialem planè pro eodem morbo habent. Sed, vt mihi quidem videtur, non satis rectè. Etsi enim petechiæ & maculæ, quandoque etiam in morbo Vngarico conspiciantur, tamen non semper id accipit, & potest hic morbus esse sine maculis. Contrà verò maculæ in febri petechiali omni inueniuntur, vnde & nomen hæc febris habet. Et si petechiæ non appareant, maligna quidem dicitur febris, sed non petechialis. Ego, si nominis imponendi penes me esset potestas, eum Militarem vel Castrensem appellarem; cùm in castris ex prauorum ciborum & aquarum vsu, & omnino praua diæta oriatur, & hinc in alios per contagium diffundatur. Febres verò petechiales vbiq; grassari possunt, & plerumq; vbi sunt Epidemiæ, à cœli influxu & aëris constitutione communi ortum habẽt. Si quis tamen morbum Vngaricum pro peculiari febris petechialis differentia, quam à morboso apparatu accipiat, habere velit: cum eo non pugnarim. Aliæ enim febres petechiales ex humorum in venis vitio solùm prouenire possunt. Morbus verò Vngaricus semper humorum vitiosum apparatum circa ventriculum & primas vias, coniunctum habet, & inde ortam cardialgiam, quæ non adest in omnibus petechialibus febribus; vnde etiam curatio nonnihil variat, & vomitoria, quæ in hoc morbo cum commodo ægri exhibentur, non in omnibus febribus petechialibus locum habent.

Etsi verò tum temporis maximè hæc febris grassata sit, tamen non credendum, morbum nouum esse, & tum primùm ortum, sed antè etiam notum fuisse, etsi appellationem morbi Vngarici tum forsan acceperit. Testatur enim Langius, *lib. 1. Ep.* 4. duce Friderico, Comite Palatino, contra Mahometicæ factionis Imperatorem in bellum profecto, in exercitu Romani Imperij, in quo ipse tum Medicum agebat: ita populariter hunc morbum grassatum fuisse, vt ferè tum plures eo morbo, quàm hostis gladio perierint. Atque ipse refert ad causum hunc morbum, duásque eius species describit, quæ cum Hungarico hodie appellato planè conueniunt: Vnam, quæ à siccâ calidâque aëris constitutione χολώδης oriatur, ab ortu Pleiadũ vsque ad solstitium æstiuale, cuius interna causa sit cholera, sanguini permixta, in maioribúsque circa cor, hepar, ac non rarò circa pulmonem vasis putrescens, in quâ lingua admodum nigrescat, patientésque sæuissimis symptomatibus, nempe cephalalgia, delirio, hæmorrhagia, phrenitide ventris torminibus vexentur: Alteram, quæ ab æquinoctio autumnali vsque ad Pleiadum occasum, si Australis constitutio præcesserit, ingrauescat, & ex pituita ac cholera ortum habet. Et procul dubio idem morbus antiquis incognitus non fuit. Neq; enim nouæ causæ in eo inueniuntur, quæ apud antiquos locum habere non potuerint.

Origo morbi Vngarici. Hoc tamen negandum non est, in Vngaria peculiare quiddam ad hunc morbum producendum inueniri, præcipuè in exercitu, quod alibi eiusdem planè generis non facilè reperitur. Nam primò aër ad hunc morbũ multum facit. *Vngaria aer.* Aër enim Vngaricus, vt ij, qui eo loci medicinã fecerunt in Castris, referunt, duobus extremis non assuetis infensissimus est. Vel enim extremè crassus est, & nocte nebulis inspissatus, vel iis discussis extremè subtilis, ac æstate feruidissimus. Atq; inprimis aër Germanis infestus est. Nam cùm in Germania Austriaca aëris intemperies summis Alpiũ iugis maximam partem excluditur: vbi in Vngariam, quasi ad zonam torridam, veniunt, subitâ mutatione factâ non parũ læduntur. Libero enim & patente tractu à Cyrenaicis & transmarinis Africæ oris Vngariam Vuster & Libanotus perflant, & dispositiones corporibus longè contrarias iis efficiunt, quas Germani ab Aquiloniis & salubrioribus ventis mutuauerũt. Familiares verò Germanorũ vẽti Carpathiis rupibus, quasi obice, excluduntur.

Google

ducuntur. Quibus accedunt crebræ paludes. Et quòd amnes ex declivibus montium iugis præcipitati, nimbis adaucti, alueos suos facilè deserunt, & magnas inundationes efficiunt, quæ limosis locis exceptæ fœtorem magnum excitant. Adiunguntur his castrorum sordes ineuitabiles, quibus aër per se crassus magis inquinatur. Talémque teporem, mollitiem & crassitiem aëris illius esse ferunt, vt si linteolum aquâ stagnante præsertim, lotum ad Solem siccandum exponatur, pediculis paulò pòst scaturire quasi animaduertatur.

Secundò, copiosè in victu vtuntur in exercitu carnibus bubulis, crassis, iisque qui statiua iuxta flumina latent, piscibus coctu contumacibus. Quibus accedit, quòd omnia illa parum coquunt, & tantum non cruda interdum deuorant, vitiumque coctionis primæ in secundâ, vini meracioris potu corrigere conantur. Vescuntur item fructibus fugacibus, quibus regio illa fertilissima abundat, immoderatiùs.

Tertiò, non postremas partes in hoc morbo inducendo aquæ insalubris potus sibi vindicat. Sæpe enim militibus aquæ stagnantes & limosæ potandæ sunt. Etsi enim si semper suæ saluti consuleret exercitus, & nunquam ferè à Danubio discederet, facilè aquæ insalubris potum vitare posset, tamen contrarium sæpe fieri, experientia docuit. Cùm enim vbiuis ferè locorum, terrâ vix ad paucos pedes effossâ, aquæ venæ reperiantur, in his aperiendis milites quidem laborare solent, sed parum curant, an argillaceæ, limosæ, vel alterius generis sint. Stagnantes verò aquæ adhuc deteriores sunt. Etsi verò Vngari aquarum cruditatem, fœtorem, & omnino omnem noxam allio, tanquam ad omnia venena tutissimo remedio, corrigere soleant, & eo non minùs familiariter, quàm pane vtantur; tamen Germani, & alij milites eius vsui non assueti, non parum eo læduntur, & sæpe ignem igni addunt. Nonnulli verò vt crudum cibum, ita aquam crudam vini meracioris potu corrigere student. Verùm si iam cruditates ad secundæ coctionis organa sunt protrusæ, vino potentiore malum potiùs augetur, dum crudi illi humores, tanquam vehiculo, ad exiliores venas deuehuntur.

Imò quartò, ex vini Hungarici potentis vsu immoderato plurimos sibi hunc morbum contrahere, extra dubium est. Ex vini enim huius, præsertim meracioris, vsu, bilis copiosa cumulatur. Et in primis ij ab eo plurimùm læduntur, qui priùs in regionibus Septentrionalibus cereuisiis tantùm assueti, vinum solū, idque fortissimū, non bibunt, sed potant, & auidissimi potùs, ad hasce vini generosi delicias delati, in eius vsu nullū modū seruāt.

Quibus & aliæ causæ accedunt, de quibus omnibus frequentiùs, quàm alibi, hunc morbum excitari, & sæuiùs grassari in Vngaria, atque inde morbi Vngarici nomen sortitum esse, mirum non est.

Etsi verò in Vngaria notissimus sit, tamen cùm & in aliis locis eædem causæ, & præcipuè aëris anomalia insignis, aut certè sub dio eius iniuriæ perferendæ, cibus prauus, aquæ corruptæ, & omnino in tot nationum colluuie ab victum inassuetum transitus, & in diæta errores, alibi etiam in castris dari possint: non mirum, si & alibi idem morbus excitari possit. Id quod in Germania etiam nostra accidisse, facilè animaduertet, qui morbos, qui anno 1626. in castris excitati, & in alias regiones etiam contagio diffusi sunt, perpendet.

Vngarici morbi natura. Porrò morbi huius naturam quod attinet, apud plerosque Medicos extra dubium est, esse febrem malignam, imò reliquis perniciosiorem, vt penè ad naturam pestis accedat. Apparet enim ex symptomatum vehementia, quæ longè grauior & perniciosior est; quàm vt à simplici putredine prouenire possit. Contagium etiam in eo valde efficax est, vnde longè latéque facilè disseminatur, atque omnis ætatis ac sexûs homines inuadit, & non paucos ex iis quos corripit, iugulat. Langius, vt dictum, ad causum refert. Summus enim in hac febre feruor apparet, à quo salivalis linguæ humiditas exsiccatur, & lingua ab atra accensi sanguinis fuligine obfuscatur, vnde affectus hic *die Breune*: à colore linguæ, appellatur. Crato ad synochas putridas refert. Rulandus febres has ex earum numero esse statuit, quas Hippoc. *πυρετώδεις* appellat. Experientia enim testatur, in hac febre magnam semper esse humorum & sanguinis ebullitionem & perturbationem, calorem esse acrem & tactum ferire. Malignitas tamen, vt diximus, non abest, quod vel ipsa Curatio indicat. Nisi forsan quis febres alias ardentiores cum morbo Vngarico confundere velit.

Causa.

Atque ita cùm duo in hac febre coniungantur, malignitas, imò sæpe pestilentialis constitutio, & humorū corruptio: vtrūq; hoc vitium ortū habet ex iis causis, quæ suprà in genere febrium pestilentium & malignarū esse diximus. Hoc tamen mihi notandum videtur, cùm morbus Vngaricus, vt ab aliis petechialibus febribus differt, castris proprius sit, vt ex iis, quæ de natura eius dicta sunt, patet: non est hîc opus ad causas cœlestes, vel aëris toti regioni communem constitutionem recurrere, sed sufficit ille aër, qui castris est proprius, qualem in Vngaria esse diximus, quæ eius constitutio etsi aliis in regionibus vbique non inuenitur: hoc tamen in exercitu & castris plurimis commune est, sub dio humi cubare, & vapores è terra exhalantes, vt & pluuias excipere, & vestimenta pluuiis madefacta cum siccis permutare non posse, tempore verò hyberno angustis sæpe hypocaustis includi. Iisdē accedit cōmunis victus prauus sæpe, quo in metatoriis inopia vesci coguntur, & plerumq; ij, qui meliori victui assueti sunt. Vnde praui humores in primis viis primò cumulantur; è quibus cùm sensim aliquid cū chylo ad hepar deriuetur, sanguinem prauum inde fieri necesse est, qui postea indies redditur deterior, tandémque, accedente in primis aëris constitutione incommodâ, non solùm putrescit, sed & malignitatem concipit; vnde febris ista tandem excitatur, quæ inquinamentis in alios diffusis hinc inde latè disseminatur, & sæpè etiā eos corripit, in quibus iste prauus humorum apparatus, vt in militibus non inuenitur; vnde etiam symptomata non parum variant. Nonnulli quidem sunt in ea sententia, morbū hūc per contagium primùm ab Italis in Hūgariam esse delatum; atque esse febrē petechialē. Is enim morbus familiaris est Italis & nūquā ferè ibi cessat. Et quamuis in Vngaria quædā symptomata, ab Italis aliàs non animaduersa, contracta sint: putant tamen, eundem morbū pro regionis victûs & aliarum circumstantiarum ratione, sæpe diuersa habere accidentia. Verùm si quis morbi huius exortum variis temporibus, & in diuersis regionibus consideret, facilè inueniet, non semper ab Italis eò translatum, sed ab iis, quæ in castris & exercitibus communes sunt, causis contractum fuisse.

An pituita sit morbi Vngarici causa. Vnde etiam apparet, quid de febris huius natura & proxima eius causa sentiendum sit. Etsi alij aliter ea de re sentiant. Rulandus enim *de luc Vngarica, c. 2.* Th. Iordanum, *de pest. phænom. tract. 2. c. 19.* secutus, pituitam non tam extra vasa, quam intra vasa sanguini permixtam & putrescentem, morbi huius causam esse statuit, idque istis argumentis probare conatus.

1. Est, quòd phlegmagoga in principio morbi exhibita, quæ primam corporis regionem euacuant, prosint. Sanguinis verò missio initio instituta parum vel nihil vtilitatis afferat.

2. Quòd circa noctem fit exacerbatio, quod pituitosi humoris proprium est.

3. Quòd tempore pluuioso & flante Austro hæc febris maximè grassatur, & eos corripit, qui phlegmaticis alimentis vsi sunt, & inde crudis succis abundant.

4. Quòd omnes de ventriculi dolore conqueruntur, ob lacunam pituitæ ibi constitutam: vnde & cerebrum afficiatur.

5. Quòd sudoribus & vrinarum profusionibus maximè tollitur hic morbus.

6. Quòd transit terminum peracutorum, qui est dies 14.

7. Quòd abscessu plerumque finitur.

8. Quòd calor primò tangenti mitis apparet, insistenti verò fit mordacior.

Verùm argumenta hæc non satis firma sunt, nec cum iis, quæ cùm alij Medici docti, tum ipse obseruauit, & experientia sæpe suggerit, consentiunt. Ioh. Langius enim, *loco allegato*, ad causum hanc febrem refert: Crato ad Synochas putridas, & ipse Rulandus passim in historiis narrat, ægros in hac febre æstuare vehementer, & calore totum corpus aduri, linguam esse aridam, scabram, sitim adesse vehementem. Quæ certè omnia febrem continuam, & eam non pituitosam arguunt, sed potiùs biliosam, aut interdum, si in corpus plethoricum incidat, synocham referentem, non tamen ex puri, sed praui sanguinis putredine ortam. Hoc tamen simul facile concedo, sæpe magnam pituitosorum humorum copiam in ventriculo & primis viis ex victu prauo colligi. Verùm humores illi fomes & causæ febris continuæ, quæ omnium confessione in vena caua accenditur, non sunt, sed à calore febrili agitantur, atq; agitati cardialgiæ, æstûs quoque, & aliorum symptomatum, in principio febris præcipuè, causa sunt, ipsamque febrem augere & fouere possunt.

Vnde facile est respondere ad argumenta Rulandi.

1. Quòd phlegmagoga in principio exhibita prosint, causa non est, quòd proximam febris causam tollant, sed quòd pituitam è ventriculo, & proximis viis euacuant, quæ plurimorum malorum ac symptomatum causa esse, febrémque augere potest. Neque tamen illud, quod ventriculum affligit, & vomitu sæpe reiicitur, vel aliàs etiam euacuatur, semper vel solùm pituita est, sed vt Tobias Coberus, cùm alibi in suis obseruationibus Castrensibus Vngaricis, tum *dec. 2. obseru. 5.* testatur, sæpe etiam cum pituita, aut post pituitam, bilis pallida citrina, vitellina & æruginosa in maxima copia reiicitur. Neque etiā venæsectio semper noxia est, sed ad humores vitiosos in venis contentos euacuandos vtilis & necessaria: id quod ipse c. 8. q. 14. concedit, & aliquoties in historiis curationum, venam aperuit.

2. Etsi verò pituita multo sanguini mixta sit, & exacerbatio circa noctem fieri possit, tamen non semper hoc accidit, vt ipsa experientia & obseruationes docent.

3. Quòd tempore pluuioso & austro flante hæc febris grassatur, non causa est, quod ista aëris constitutio humores febris causam primùm producit, sed quòd occasionem præbet, vt humores vitiosi corrumpantur, & putredinem inducendo; sicut aliàs humida & austrina aëris constitutio ad putredinem apta est.

4. Dolor verò ventriculi nullum certum pituitosi humoris indicium, sed potiùs bilis; quæ maiorem dolorem inferre solet, quámque copiosè sæpe in morbo Vngarico vomitu reiici experientia testatur, & æstus sæpe magnus, intensus & vix tolerabilis, ipso fatente Rulando, è regione ventriculi percipitur.

5. Neque enim sudor & vrinæ copia pituitam arguit, sed potiùs vitiosos & tenues humores, quos natura à sanguine bono separat, & sero dilutos per ambitum corporis expellit.

6. Et quia hæc febris terminum acutorum non transcendit, cali-

dis potiùs, quàm pituitosis humoribus eam generari indicio est.

7. Licèt etiam aliquando per abscessus finiatur hic morbus, & id tamen calidorum humorum potiùs, à quibus einsmodi inflammationes, parotides & bubones fiunt, quàm pituitosorum, indicium est. Rarò verò accidit, vt humor ad pedes decumbat, & id potiùs in fine morbi, ob errores in victu commissos accidit, neque morbus criticè hoc modo soluitur.

8. Tandem neque calor semper primò mitis, sed satis acris apparet.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica. Quantum ad signa, symptomatum in hac febre magna est varietas, nihilque ferè est symptomatum, quæ in febribus malignis aliis apparent, quod in hoc Vngarico dicto morbo reperiri non possit. Quapropter signa ibi explicata hîc repetere opus non est. Verùm inter reliqua magis molestus est continuò affligens capitis dolor, adeò vt præ doloris huius vehementiâ, & continuatione reliqua symptomata ab ægris nonnunquam non sentiantur; vnde *das Haubtvvhe, oder Haubtkranckeit,* nonnullis appellari hunc morbum antea diximus.

An vermes in capite nascantur. Itaque cùm hoc malum primùm innotesceret, in ea fuêre nonnulli sententia, dolorem hunc ortum habere è vermibus quibusdam in cerebro natis; vnde à quibusdam hæc febris, Vermis cerebri fuit appellata. Súntque in ea sententia non pauci authores, & inter hos etiam Arabum quidam, dolorem capitis à vermibus in anteriore parte capitis supra nares (vbi oues sæpe habent vermes) natis oriri posse. Quibus quidem contradicit Volcherus Goiter, etsi prius eandem opinionem habuerit, & nullos reperiri vermes in capite scribit, sed saltem quæ iam filamenta esse lumbricis nō absimilia, ex alba pituita conflata, quæ incauti pro vermibus habeant. Verùm nolim ego omnes obseruationes Medicorum hac de re, quæ videri possunt apud Schenkium, *lib. 1, obseru. 77. 78 79. 80.* in dubiū vocare, præsertim cùm certum sit, in capitibus ouium, spongiosâ nimirùm illa parte anteriore Cranij, vermes reperiri interdum, quod ipse testari possum. Vide *lib. 2. Practic. Part. 1 cap. 18.* Verùm an in morbo Vngarico ex hac causa dolor fiat, non facilè dixerim.

An petechiæ sint pathognomonicum morbi Vngarici signum. Apparent sæpe etiam in hoc morbo maculæ illæ & petechiæ, quas nonnulli pro pathognomonico signo morbi Vngarici habent: verùm neque in omnibus morbo hoc laborantibus conspiciuntur, neque omnes febres petechiales pro morbo Vngarico habendæ sunt.

De reliquis signis hoc notandum, variari, vt antea quoque dictum, ea sæpe pro regionis & victûs ratione diuersa; obseruatúmque, cùm hic morbus in Vngaria ortus esset, eiusque semina primùm per exauctoratos milites in varias regiones essent delata, eum nō vbique planè easdem symptomata habuisse, sed in nonnullis regionibus quasi eneruatum, mitiorem euasisse.

Historia morbi Vngarici. Et vt hæc de signis huius morbi breuiter concludamus, placet eius historiam, cùm primùm innotuit, è Thomæ Iordani *lib. de pestis phænomenis, tract. 1. cap. 19.*

Circa tertiam, inquit, *vel quartam à meridie horam inuadebat, eiúsque ingressus cum leui rigore, aut potius frigore & horrore obseruabatur. Post hora quadrantem æstus illum excepit, qui noctes & dies sequentes assiduè eos detinebat. Conquerebantur in primis de capitis dolore. Deinde manum quoque admotâ ostendebant sub sterno regionem ad cartilaginem mucronatam, vbi orificij ventriculi sedes vulgò creditur: ibi omnibus quædam tensio & duritiei obseruabantur, cuius etiam attactum non ferebant. Sitis inexhausta primis statim diebus aderat, postridie, vel ad summum tertio die, deliria adueniebant, quæ fere diu personerabant. Exacerbationes erant circa vesperam, & per noctem recrudescebat morbus; lingua erat arida, labia fissa; quibusdam sanguinis fluxus superueniebat, nonnullis materiâ per aluum euacuatâ salutaris apsis accedebat. Plurimis, imo ferè omnibus, materia à capite in aures secessionem faciebat; vnde surditates, eóque sequestrata materia salutis argumentum præbebat. Parotides frequentes erant. Pessima fuit Crisis, quibus tubercula in summo pedis oriebantur, quæ scalpendo aperta, serpebant, donec negligentibus sphacelus crus occuparet. Salutem recuperabant alij decimo quarto die: licèt aliquibus etiam in vicesimum diem sit producta curatio. Omnes qui vini potu non abstinuerant, perierunt.*

Et in primis notabile hoc signum est, & quod in aliis petechialibus febribus non reperitur, dolor circa ventriculum vehemens, præsertim si summis digitis comprimatur. Nec enim facilè quenquam reperies, vt Tob. Coberi verba habent, qui non manu quasi ductâ te ad hunc locum affectum sit deducturus. In iis tamen, qui per contagium solùm inficiuntur, nec ex victu prauo eundem apparatum morbosum contraxerunt, & hæc, & alia signa variare possunt.

Prognostica.

Prognostica. Quid de morbo hoc præsagiendum sit, facilè ex iis, quæ suprà, *cap. 6* & loco ibi allegato, de signis febrium pestilentialium & malignarum diximus, colligere licet. Nimirùm quò vires fortiores, & symptomata mitiora sunt, eò melior morbi euentus sperandus: contrà quò vires debiliores, & symptomata grauiora sunt, eò morbus est periculosior. Nam si vires non sint deiectæ admodum, non infestet lipothymia, aut grauior capitis dolor, à vomitu aut alui fluxu æger non debilior reddatur; maculis erumpentibus vomitus & alui fluxus sedetur, ægérque leuetur, & præcipuè die critico meliùs habere incipiat, & hæmorrhagia narium accidat: ægrum conualiturum sperare licet. Contrà, si vires subitò collabantur, alui fluxus & vomitus, quibus varij coloris humores fœtidique reiiciuntur, perseuerent, morbúsque inde non imminuatur, vrinæ nigræ, crassæ, subitò tenues euadant, aut vrina retineatur, vel paucior reddatur; si æger vigilet cōtinuò, vel soporosus euadat, somnum inquietum & terriculamentis plenum habeat, deliret, floccos legat, & festucas colligat, conuellatur, tremat, tinnitum aurium sentiat perpetuum, oculis apertis dormiat, eorum videat, dentibus stridcat, manus, pedésque continuò madet, spiritum altum, frequentem ac cum stertore & clangore ducat, atque alia praua symptomata adsint; morbus lethalis & periculosus indicatur. *Signa mortis.*

Curatio.

Indicationes. In morbo Vngarico curando, & in aliis febribus malignis, ad tria in primis respiciendum: 1. vt fomes malignitatis tollatur: 2. putredini & malignæ qualitati resistatur: vt symptomatum vires deiicientium vehementia mitigetur.

Curatio. Quâ ratione autem hæc commodè expediri possint, Medici non parum discrepant. Nonnulli, vt Mindererus, & alij, planè purgationem in principio reiiciunt, vtpote quæ humores plus turbet; & propterea statim ad alexipharmaca & sudorifera confugiunt: nonnulli aluum quidem laxant, sed lenissimis saltem & eccoproticis medicamentis: alij verò paulò etiam fortiora vsurpant, & plerique etiam vomitoria probant.

Verùm distinctione etiam hîc, vt sæpiùs dictum, opus est. Etenim si corpus aliàs purum sit, & per contagium saltem labem hauserit, primis viis leniter euacuatis alexipharmaca mox exhibenda esse, facilè concedimus. Si verò ex praua diæta & victu morbus hic contractus sit, & ex ventriculi dolore, anxietate, æstu circa præcordia, nausea, & similibus symptomatibus colligatur, magnam saburram vitiosorum humorum circa ventriculum hærere, ea omnino primò per purgantia vel vomitoria tollenda est. Scorsim enim tales humores ab aliis secreti subsistunt, nullam coctionem & emendationem suscipiunt, quidquid cibi vel medicamenti assumitur, corrumpunt, ac si sudorifera, iis nondum euacuatis exhibeantur, in penitiora corporis rapiuntur, morbúmque valde augent. Neque purgantia tunc exhibentur, vt humores è vena caua euacuent, sed vt eos saltem, qui in viis obuij sunt magnâ copiâ, tollant.

Itaque in huius febris initio danda est opera, vt primæ viæ, quæ vitiosis humoribus plerumque scatent in hoc morbo, euacuentur. Et cùm magna plerumque hîc sit vitiosorum humorum colluuies, qualis ea sit videndum, & hinc pro humorum peccantium varietate remedia varianda.

Clysteres inferiora quidē euacuant: verùm vbi circa ventriculum, quod plerumque accidit, humores hærent, eò nō penetrant.

Vbi pituitosi, crassi, & crudi humores peccant, præcipuorum Authorum consensu, vtilissimus est Agaricus. Ex. gr.

℞. *Agaric. trochisc.* ℈.iv. *oxymelit. simpl. conseru. scordij vel rosar.* an. parum, *sacchari* q. s. F. Bolus.

Vel ℞. *Decocti folior. sennæ,* in quo *agarici* ʒ.i. ebullierit, ℥.iii. *syrupi diaseroos,* ℥. i. Misce.

Vel ℞. *Agaric. trochisc.* ʒ.i. *flor. cassiæ* ℥.i. *vel* ʒ.vi. *olei citri* gutt. i. Cum *sacch.* F. Bolus.

Vel si bilis sit adiuncta, tale fiat medicamentum.

℞. *Pulp. tamarind.* ʒ.ii. *manna, cassia,* an. iii. *agarici trochisc. rhabarb.* an. ℈.i. Cum *syr. rosar. solut. & sacch.*

Solâ cassiâ nō vtendum, cùm humectet & putredini nō resistat.

Vel ℞. *Rad. scorzonera,* ʒ.ß. *scordij, acetosa. flor. cordial.* an. P. i. *fol. sennæ* ol. ℥.ß. *agaric. albi* ℥.i. *zedoaria* ℈.i. Coq. in *Aq. f.* In colat. ℥.iii. dissolu. *manna* ℥.ß. Coletur. Adde *syr. rosf. sol.* ℥.ß. Misce.

In fortioribus naturis, & vbi humores vitiosi in primis viis tenaciùs hærent, vt leniora medicamenta eos via moueant, paulò fortiora admiscere licet, vt Elect. diaphœnicon, el. rosar. Mesue, de succo rosac. spec. diaturbith, & similia.

Vomitoria. Non incommodè etiam in hac febre, in primis vbi molestia circa ventriculum percipitur, vomitus instituitur. Nam sæpe magna copia circa ventriculum hæret, humorum pituitosorum, biliosorum omnis generis, qui ventriculum lancinant, tetris fumis & exhalationibus capiti & cordi molesti sunt, omne quod ingeritur corrumpunt, ac medicamētorum vim infringunt. Qui cùm nullam coctionem à natura recipere, nec in statum meliorem reduci possint, maturè euacuandi. Etenim si in corpore detineatur hæc Camarina, & calore febrili & medicamentis moueatur, ad penitiora penetrat, & aliis humoribus admiscetur, febrem auget, & pessimorum symptomatum causa est. Commodissimè autē vomitu materia hæc euacuatur. Vnde Tob. Coberus, *obseru. Castrens. Vngaric. decade 2. obseru. 5.* scribit, in morbo Vngarico ad vomitum tanquam sacram anchoram, mox confugiendum esse, neminem negaturum, qui curationi huius morbi interfuerit. Habétque ibi exemplum Nobilis, qui cùm primò phlegma viscidum, hinc omnes bilis species vomitu reiecisset, roborato paulùm ventriculo sequenti die lustro sospes & sanus interfuerit, cùm priùs per trimestre tempus sensim quasi, licèt non decumbens, languens tamen, ad actiones obtorpuisset.

Quæ tamen hîc de fortioribus purgantibus & vomitoriis diximus, ea solùm de morbo Vngarico in specie sic dicto, aut potiùs Castrensi, & quidem è prauo victu contracto, dictum, nec aliis febribus malignis & petechialibus applicari volo, in quibus tanta humorum saburra circa præcordia non hæret, sed vitiosi

Digitized by Google

humores maximam partem in maioribus vasis continentur: Ibi enim omnino lenioribus medicamentis agendum. Quibus autem medicamentis hoc fieri possit, ex iis quæ de peste & febribus malignis aliis dicta sunt, patet.

Venæsectio.

Postea, ne sanguinis massa tota inficiatur, in iis corporibus quorum constitutio eam requirit, & vires ferunt, venæsectio instituenda. Et quidem cùm vires in hoc morbo citò deficiantur, morbusque acutus sit, & sanguis facilè inficiatur, maturanda est, & statim initio instituenda venæsectio; nihilque in hoc morbo periculosius, quàm curationem in principio differre. Obseruatúmque est, plerosque, qui venæsectionem in principio neglexerant, obiisse. Itaque mox, & si cruditates ac vitiosi humores in primis viis non adsint, vel iam euacuatæ sint, primo vel secundo die vena aperienda. Plerumque enim vires tam citò collabuntur, vt venæsectionem postea ferre nequeant. Et licèt nonnunquam in principio huius morbi maculæ in cute appareant, quæ ebullitionem sanguinis, & motum eius ad ambitum corporis indicant: tamen tantùm abest, vt venæsectione motus naturæ impediatur, vt potiùs natura illo sanguinis, quocunque modo grauantis, onere liberata, supraque residuum potentior euadens, reliquos humores rectiùs gubernare, vincere & expellere possit. Si verò dies aliquos iam elapsi sint (cùm principium vltra quartum vix extendatur) viréśque iam prostratæ, & malignitas totam massam inuaserit, tutius est venæsectionem omittere. Quæ etiam non tutò instituitur, si vomitus vel alui profluuium adsit.

Quænam vena aperienda.

Pertunditur autem vena Basilica, quæ confestim multitudinem sanguinis imminuit, aut, si hæc nō appareat satis, Mediana. Si verò debiliores fuerint vires, istarumque venarum sectionem non ferant, commodissimè vena in pedibus aperitur: quàm aliàs quoque in hoc morbo prodesse obseruatum est; vt quæ non solùm corpus à copia sanguinis liberat, sed & illo venam magnā, per dorsum extensam, in qua præcipua in hoc morbo putredo est, satis commodè euacuat, & humores versùs superiora ruentes reuellit. Cum summa verò vtilitate hæc vena in fœminis isto morbo laborantibus aperitur. Et vt hæc in summam, verbis Johan. Cratonis contraham: *Si quem hic morbus inuadit, & ventriculum malè affectum deprehendis, illicò vtatur bolo purgante ex agarico trochiscato, etsi plethora sanguinis adsit (nisi prius id fieri possit.) Post tertium diem nemo, cui vita chara est, & salus sua, vel purgatione vtatur, vel phlebotomia, quamuis minùs periculi in purgatione, quàm in venæsectione est;* minúsque etiam in sectione venarum pedis, quàm venarum brachii periculum fit.

Si ergò biduo vel triduo elapso vires iam labantur, & nihilominus venæsectio requiri videatur: Cucurbitulæ venæsectionis vicariæ affigi possunt. Imò nonnunquam etiā post venæsectionem eæ applicentur, vt tenuis & ichorosus sanguis cum malignis vaporibus à partibus nobilioribus interioribus ad exteriores ignobiles reuocetur. Commodissimus autem locus cucurbitulis affigendis sunt partes inferiores. Ita enim à corde & partibus superioribus sanguis reuellitur. Dorso autem vix applicare licet, ne sanguis versùs cor attrahatur.

Vbi ita natura oneris parte leuata fuerit, neque ampliùs metuendum est, ne humorum prauorum colluuies in primis viis cumulata sudoriferorum vsu, ad internas corporis partes ipsásque maiores venas & arterias rapiatur: vt maligni humores per sudores discutiantur, laborandum. Ea tamen medicamenta eligenda, quæ feruorem humorum, atque calorem febrilem non augent. Quod tamen iam aliquoties dictum, inter se comparanda febris & malignitas. Quò enim maior est malignitas, eò potentiora & efficaciora alexipharmaca, posthabitā, etsi non neglectā quodammodo febre, exhibenda; cùm à malignitate maximum periculum immineat. Conuenit hîc cornu cerui vstum præpar. Puluis Cæsaris rubeus, lapis bezoar, Species liberantis, & similia antea proposita.

℞. *Spec. liberans.* ʒ.ii. *diamargar. frig. sapphiri præpar.* an. ℈.ß. F. Puluis. Detur cum aqua cardui bened. vel acetos.

Vel ℞. *Rad. scorzonera. fœniculi,* an. ℥.ß. *fol. scordii* M.ß. *sem. Cardui bened.* ʒ.i. *citr.* ʒ.ß. *granor. kermes* ʒ.ii. Coqu. vase clauso in *aq. card. bened. & acetos.* Colat. ℞. ℥.iii. Adde *syr. scordii, vel, acetosit. citri,* ℥.ß. vel ʒ.vi. F. Puluis.

Vel ℞. *Sem. nap.* ʒ.ii. *citri, acetosæ,* an. ℈.i. *camphora* g.iii. F. Puluis.

Emulsiones etiam ex semine napi, *cap. præced.* expositæ vtiles sunt: Decoctum item cornu cerui cum succo citri. Est & zedoaria & aqua inde destillata efficax. Alii hunc puluerem commendant.

℞ *sacchari candi* Drach. iii. *zingiber* ʒ. ii. *camphora* ʒ.i. F. Puluis.

Cuius dosis ʒ.i. cum aq. acetosæ, scabiosæ, cardui bened. petasit. & modico aceti. Commodius tamen esset, pro zingibere, zedoariam, radic. scorzoneræ, vel simile quid substituere.

Thomas Iordanus multis, quo tempore hic morbus in Vngaria innotuit, peculiare quoddam medicamentum, quod Electuarium de zedoariâ nominabat, in vsu fuisse scribit, quod componitur hoc modo.

℞. *Theriac. Alexandrin. Mithridatii el.* an. ℥.iii. *zedoar. el.* ℥.i. *zingiber. albi,* ℥. ß. *rad. tormentill. serpentar. pimpinell.* an. ʒ.iii. *myrrh. croci, ess. de C.C. dictamni,* an. ℈.ii.ß. Misce.

Dosis erat nuci vnius, dissoluti in pari portione aquæ & aceti. Posset etiā misceri hoc Electuarium cum syr. acetos. citri.

Verùm cautione opus est in Theriacâ & Mithridatio, & aliis sudoriferis calidis exhibendis, cùm febrem augeant. Ergo si metus est, ne eorum vsu febris augeatur, vel cum aceto & aquis frigidis exhibenda, vel planè omittenda, & tutiora vsurpanda.

Alii hunc puluerem laudant.

℞. *Flor. sulphur.* ℈.i. *succini albiss. cornu cerui,* an. ℈.ß. *terr. sigill. Silesiac.* ℈.ii. F. Puluis.

Et licèt ista medicamenta ad sudorem ciendum semel atque iterum propinare sufficiat: tamen eadem, quatenus cordis vires roborant, ac malignitatem expugnant, sæpiùs exhibenda: singulis scilicet diebus bis vel ter: Minori tamen dosi, quàm antea. Atque tunc vtiles sunt species liberantis, Electuar. de gemmis, cordial. temperat. diamarg. frigid. & alia, suprà in curatione pestis & febrium malignarum, proposita. Conuenit quoque, vt antè dictum, decoctum cornu cerui cum semine & corticibus citri paratum, cui succus citri, vel spiritus vitrioli addatur.

Vel ℞. *Conseru. acetosell.* ℥.i.ß. *rosar. incarnatar. scabios.* an. ʒ.vi. *flor. citri condit. cortic. citri condit. rob ribium,* an. ℥.ß. *spec. liberans. sine aloe, cordial. temper.* an. ℈.ii. *terr. sigill.* ʒ.ß. *Cum syr. acetosit. citri,* F. Electuarium.

Nonnulli valde laudant radicem scorzoneræ, eámque cum lapide bezoar, efficacissima contra hunc morbum medicamenta esse scribunt.

℞. *Rad. scorzoner.* ʒ.i. *boli Arm. terr. sigill. Ossis de corde cerui, scordii, smaragd. præpar.* an. ℈.i. F. Puluis.

Cui pro libitu *lapidem bezoar* addere licet.

Vtiles sunt & aquæ bezoarticæ suprà in peste commemoratæ, præcipuè illæ, quæ cum succis plantarum & aceto parantur. Nam cum spiritu vini paratæ in hoc morbo, minùs conueniunt, vt

℞. *Ther. ac. opt. media ætat.* ℥.i. *succi citri, vini granator.* an. ℔.i.ß. *aq. acetos. scabios.* an. ℔.ii. Destillentur s. a.

Vel ℞. *Rad. scorzoner.* ℥.ß. *dictamni alb. tormentill. zedoar.* an. ʒ.ii. *rasur. cornu cerui crudi,* ℥.ß. *camphor.* ℈.i. *succi citri, aceti, rosacei,* an. ℔.ß. *aq. scabios. acetos.* an. ℔.i. Destillentur s. a.

Externa.

Non solùm autem assumenda sunt talia Alexipharmaca, sed & extrà regioni cordis & pulsibus idonea medicamenta applicanda. Formulæ iam suprà propositæ fuerunt, quas toties repetendas non censemus. Commendatur in primis extractum Cordiale, seu Aqua pro Epithemate Cordis in *Dispensatorio Norimbergensi* descripta.

Candela pro fumo in febribus malignis.

Commendatur etiam in hoc morbo, vt & in aliis febribus malignis, sequens candela, pro spiritibus conseruandis & malignitate expugnandâ, si eius accensæ fumus ore, naribus, & sub axillis, imo toto corpore excipiatur. Paratur autem hoc modo.

℞. *Thuris albi* ʒ.vi. *thuris nigri,* ℥.i. *succini albi flaui, myrrh.* an. ℥.ß. *camphor.* ʒ.ii. C.C. *Augusto capto,* ʒ.vi. *angelic. pimpinell.* an. ʒ.ii. *ceræ* ℔.i. *fila ex cannabe* num. iii. *ex serico, auro, argento,* an. num. ii. F. s. a. Candela.

Cùm autem sæpe accidat, vt primâ vice malignitas tota expugnari non possit, humores vitiosi relicti etiam per diuretica expellendi sunt. E quibus tamen ea eligenda aut admiscenda sunt, quæ simul malignitati resistere, humoréśque alterare valent. Paranda sunt ergo ea ex semine napi, Citri, cum seminibus Melonum, radicibus fœniculi, scorzoneræ, graminis, cardui bened. cum Syr. acetositat. citri & limonibus, spiritu vitrioli.

Diæta.

Diæta talis sit, qualis in febribus malignis exposita, nimirum, vt Galenus, 5. *aphor.* 27. scribit: *Si vires laborantis sint debiles, & ea quæ in corpore est dispositio sit ex corruptione humorum vel defectu, parum alimenti talibus sæpe offeramus.* Et quidem ipsa alimenta propter putredinem siccent, propter febrem refrigerent, in primis verò sint cordi amica, & malignitati resistant. Cibi ergo condiendi succo acetosæ, pomorum aurantior. citri, granatorum, aquâ scorzoneræ, acetosæ, aceto tunicis, rosarum.

Vinum huic morbo valde noxium; vt & cereuisia potens. Potus conueniens decoctum cornu cerui vel hordei cum citri succo, granatorum, oxysacchari, spiritu vitrioli. Vel paretur tale Iulapium:

℞. *Aq. fontanæ coct. puræ, vel decocti,* C.C. ℔.iii. *Iulepi rosar.* ℥.iv. *spirit. vitriol. rectif. vel succi citri recentis,* q. s. ad gratam aciditatem.

Symptomata, quæ in hac febre occurrunt, & de quibus mitigandis nonnulli prolixè tractant, quod attinet, cùm pluribus febribus, non solùm malignis, sed & aliis sint communia, de iis hoc loco non agimus.

CAPVT XV.

De Sudore Anglico.

Sudor Anglicus.

E Malignarum febrium numero etiam est sudor Anglicus, quem & hidropyreton, ac febrem sudatoriam, à loco, in quo cœpit, & sudoribus copiosis, qui has febres comitabantur, appellabant. Nam in Anglia cœpit Anno 1486. & 40. ferè annis Anglis fuit familiare & perpetuum hoc malum, vt quamuis brumali frigore nonnihil intermitteret, postea mox iterum reuerteretur; tantúmque in Anglia, antequam de certo remedio

Sudoris Anglici ortus & historia.

constaret,

constaret, hominum multitudinem è medio sustulit, vt vix crederetur à tanta hominum copia illam Insulam inhabitari. Ex Anglia per inferiorem Germaniam, Belgium, Hollandiam, Zelandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Noruegiam, Galliam, ab anno 1515. vsque ad annum 1520. disseminatum est hoc malum & præcipuè autumno sæuiit. Tanta fuit febris huius malignæ initiò truculentia, vt quamprimùm vrbem aliquam inuaderet, singulis diebus quingentos aut sexcentos occuparet, & ex ægris primò vix centesimus quisque euaderet. Correpti enim statim, sine bubone, carbunculo, exanthematibus, languore dissoluebantur, & animo deficiebant, cum summo virium languore, inquietudine, καρδιωγμῷ, capitis dolore, pulsu crebro, celeri, inæquali, cordisque palpitatione maxima, quæ nonnullis, qui ex hoc morbo euaserant, per duos vel tres annos, nonnullos per omnem vitam comitata est. Sudores verò diffluebant perpetuè & copiosè, qui non finiebantur, antequam morbus solueretur, quod intra 24. horas contingebat. Nam qui sudorem non proliciebant, neque cardiacis vtebantur, & qui impatientius calorem ferebant, auramque frigidam captabant, ij nimis subitò intra 24. horas moriebantur. Postea vbi huius morbi curatio innotuit, vt ægri sudores elicerent, ac cardiacis se munirent, pauciores moriebantur.

De natura sudoris Anglici.

De natura huius febris variæ fuerunt apud authores dissensiones. Nonnulli hanc febrem antiquis planè incognitam fuisse statuebant, quorum sententia planè absurda non est. Etsi enim ad malignarum febrium à Medicis antiquis descriptarum speciem aliquam referri possit, tamen nullus apud antiquos determinatus hic malignitatis gradus fuit cognitus, aut certè non descriptus. Nonnulli ad febres ephemeras referebant, quod 24. horarum spatio solueretur.

Verùm falsa planè hæc est opinio. Nam cùm ephemeræ propriè dictæ saltem ex spirituum incendio fiant, nullo modo hæc febris ad eas referenda est. Cùm enim eam sudores copiosissimi, & multa pessima symptomata comitata sint: inde facilè colligere est, spiritus non solùm incensos, verùm & ipsos humores tenues ac calidiores effectos & corruptos esse. Et licèt 24. horarum spatio hæc febris solueretur: non tamen ideò ad Ephemeras referenda est; sed inde potiùs maxima inter naturam & inter morbum pessimum colligitur pugna.

Nonnulli ad Cardiacas febres, alij verò ad Colliquatiuas, de quibus mox dicetur; referebant: Quidam non incommodè illis febribus accensebant, quas Galenus, *aduersùs Lycum. cap. 2.* ἐλώδεις; nominat. Vtut sit, certum est malignitatem in hac febre imprimis obsedisse & corrupisse spiritus & subtiliorem sanguinis partem. Ideóque natura adhuc fortis mox expulsionem illius materiæ aggressa est, feliciterque eam perfecit: modò illam in opere ægri admissione frigida aeris, non interturbarent.

Causa.

Causa huius febris proculdubiò fuit maligna & venenata aliqua aëris constitutio, spiritibus & subtiliori humorum parti ac cordi inimica. Leuinus Lemnius, *lib. 2. de Complex. c. 5.* ex victu & lautis mensis cibique affluentia, & continuo vini Cretici vsu originem habuisse scribit. Sed parum probabiliter: cùm & alibi causæ hæ reperiantur; nec tamen hanc febrem inducant, neque istæ causæ toti plebi communes sint. Ergo, vt dictum, potiùs ex peculiari aëris corruptione malum hoc deducendum est, quod vel illud arguit, quòd in plurimis Belgij locis cum aëre nebuloso morbus hic homines inuasit. Sicut ex obseruationibus Ioh. Cynegij, Medici Amstelrod. refert Forestus. *lib. 6. Obseru. 7. in Scholio*, Amstelrodamum, 20. Septembris, Anno 1529. post prandium, per aërem quendam nebulosum hoc malum intrasse, & ibi tantùm per quinque dies grassatum fuisse; post quintum verò diem euanuisse, neque ampliùs in ea vrbe visum fuisse. Confirmat idem & illud, quod Ioachimus Schillerus, *de peste Britannica*, scribit, Aues sub arboribus peste correptas & interemptas passim repertas fuisse, & abscessus sub alis, ciceris instar habuisse.

Qualis autem illa corruptio aëris fuerit, aut vnde originem habuerit, non facile inuenire est. Hieron. Fracastorius, *lib. 2. de morb. contag. cap. 5.* in soli rationem, quod gypseum est, à quo certis constitutionibus subtilissimi & corrupti humores attollantur, causam refert. Verum probabilius est, ex præcedente cæli & regionis humiditate morbum hunc originem habuisse; accedente tamen in primis peculiari aliquo siderum ad hanc corruptionem influxu.

Febres Colliquatiuæ.

Febres Colliquatiuæ.

Sudori Anglico, vt diximus, cognatæ sunt febres antiquis colliquatiuæ dictæ, quæ & ipsæ inter malignas habentur. Etsi enim colliquatio febribus pestilentibus propria non sit, sed etiam aliis ardentibus accidat, neque etiam in omnibus pestilentibus adsit, tamen valde familiaris est pestilentibus febribus.

Colliquatio quid.

Hîc autem notandum Colliquationis vocabulum hoc loco non satis propriè accipi, quod Galenus ipse non dissitetur, quando 3. *de causis Sympt. cap. 2.* scribit: *Fit quædam σύντηξις siue ἀνάλυσις, dissolutio, aut quomodocumque libet appellare, aliquando totius corporis, aliquando humorum duntaxat, qui in venis continentur.* Ea enim propriè dicuntur liquari, quæ è frigore concreta sunt; & ex concretis humida & fluxibilia fiunt. Partium autem substantia, cùm è frigore concreta non sit, propriè non dicitur colliquari, sed potius extenuari & dissolui. Calórque æstuosus, à quo corpus emaciatur, non ipsam substantiam liquat, sed quod partium proximum alimentum esse debebat, absumit. Potest & vocabulum colliquare, accipi cum Galeno, *de fac. nat. lib. 1. c. 13. & aph. 37.* pro eo, quod est in humorem soluere, qua ratione medicamenta purgantia, si humorem proprium non nanciscantur, corpus colliquare dicuntur.

Colliquatio autem hæc aliàs fit insensibiliter, & id quod colliquatur, per ἄδηλον διαπνοὴν discutitur; aliàs sensibiliter accidit, *& id quod dissoluitur, vel ad ventrem confluit*, vt hac de re scribit Galenus, *lib. 3. de caus. sympt. cap. 2. vel ad renes, vel per sudores expellitur. Succi quidem, qui in venis sunt, in serosam saniem soluti, renes, qui ad excrementum id trahendum facti sunt, potissimum cùm sani sunt, serosum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam assiduè mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, aut vena huiusmodi serum in ventrem mittunt, aut toti corpori id partiuntur, subitaneos hydropum status inducunt. Si verò, quod liquatur, crassum sit, quale renes trahere non possunt, totum in ventrem necessariò confluit.*

Calor, qui hanc colliquationem efficit, igneus est: cuius duos gradus rursum constituit Galenus. Vnum, quo pinguedo; alterum, quo caro colliquatur, aut potiùs extenuatur. Et hic longè est vehementior, ille moderatior. Exercet autem calor iste vehemens vires suas faciliùs in corporibus molli carne & adipe præditis: qui verò habent corpus durum, vix sensibilem colliquationem patiuntur. Vndè & corpora iuuenum faciliùs colliquantur, quàm senum.

Curatio Sudoris Anglici.

Curatio.

Etsi autem morbus iste ferè intra seculum conspectus non sit, tamen cùm morbi tales epidemij interdum recurrere soleant, qua ratione curatus fuerit, dicendum. Tota autem curationis ratio in veneno debellando, & sudore proliciendo, sita erat. Etsi enim hic morbus satis periculosus esset, vt plerique eo morerentur: tamen minùs erat lethalis, iis qui rectè tractabantur. Etenim in omnibus venenum à natura ad ambitum corporis pellebatur, & per sudorem 24. horarum spatio eiiciebatur. Quâ in re Medici rectè naturam imitabantur, & proinde ea, quæ venenum retunderent, & sudorem elicerent, exhibebant. Itaque in primis dabant operam, vt ab omni aëris afflatu ægrum prohiberent, & propterea non permittebant, vrinæ reddendæ causâ è lecto se mouere, nec manum pulsus explorandi gratia exerere. Nam quos frigidus aër afflabat, iis venenum ad interiora recedebat, iique summopere periclitabantur. Studebant quoque ne ægri in lecto situm mutarent, aut se detergerent; aut si in lecto se mouerent, adstantes vicissim id agebant, vt vndique corpus ab externo aëre tectum esset: quam molestiam qui ferebant, vt Fracastorius refert, mercedem laboris reportabant, & euadebant: qui verò ferre non volebant, sed decubitum mutabant, ac nouum aërem aucupabantur, impedito sudore, sua culpâ peribant.

Monuerunt tamen docti Medici, vt in corpore tegendo, pro virium & naturarum diuersitate, modus obseruaretur, ne nimio lectorum onere & calore ægri suffocarentur. Nam si vires constabant, prauissimè & copiosissimè sudor erat proliciendus: si verò summè essent languidæ, ita moderandus, ne vires planè deiicerentur. Referunt enim authores fide digni, nimio sudandi studio magnam hominum partem tum suffocatam fuisse. Cùm enim maximam in sudore salutis spem esse, atque eius beneficio 24. horis ægros conualescere viderent: ipsi adhuc sani, se mutuò adhortabantur, ne se negligerent vrgente morbi vehementiâ, nec victi precibus, se antè tempus liberarent. Hinc factum, vt postea ægri violenter operti, etsi miserè clamarent, obtestarenturque Deum atque hominum fidem, vt sese dimitterent, seséque suffocari iniectis molibus iurarent, assistentes nihilominus has querelas ex delirio proficisci persuasi, vrgerent, & lectis continerent ægros vsque ad horas 24. & ita plurimos suffocarunt.

Et cùm ægri etiam ad somnum nimiam inclinationem haberent, ægris, donec sudor cessaret, & symptomata remitterent, tumórque manuum euanesceret, concedendus non fuit, sed colloquiis & aliis modis auertendus, ne venenum ad cor reuocaretur.

Vtebantur autem ad sudorem ciendum, & malignitatem retundendam feliciter, aqua acetos. scabios. terra sigill. bolo Arm. dictamno, &c. Laudatur & sequens Electuar. de quo ℨ. ii. vel iiii. exhibeantur cum Aq. scabios. acetos. cardui ben. & aceti parte dimidia.

℞. *Specul. liberant.* ℨ. ii. *Corallor. præpar. Margarit. præparat.* an. ℨ. i. ß. *cortic. citri, rad. tormentill.* an. ℈. ii. *flor. sulphur.* ℈. ß. *theriaca* ℨ. i. ß. *syrup. acetos. citri*, q. s. F. Electuarium.

Tyengio, Medico Amstelrodamensi, vt refert Forestus, hic potus ad sudorem ciendum familiaris tum erat.

Flor. nymph. violarum, an. M. ß. *cardui ben. pimpinell. borragin. bugloss. passular. enucl.* an. P. i. *ficuum* num. x. *lentium excortic. bacca elluta*, an. ℥. v. *tragacanth.* ℨ. iii. *zedoar. dictamni. radic. tormentill.* an. ℥. i. Coq. in s. q. *aq. Nymphææ, & Bugloss.* F. Potus, qui alterat humores, membra inflammata humectat, venenum è

corpore per sudores expellit, spiritus recreat. Ideóque frequenter, & quoties ægri calore nimis vrerentur, potúmque appeterent, de eo aliquid propinabat.

Inter sudandum ægri reficiebantur succo & syr. citri, granator. acetos. & aliis, quæ suprà in peste curanda descripta fuerunt. Odoramenta quoque conuenientia adhibebantur, & naribus admouebantur, vt

Aq. rosar. Vnc. iij. *aceti* Vnc. i. *caryophyll. santal. citrin.* an. Drach. sem. Misceantur, & lento igni in conclaui euaporent. Vbi sudauerit æger satis copiosè, sensim de tegumentorum onere aliquid tollendum, sudorque tandem diligenter abstergendus.

CAPVT XVI.

De Febre maligna cum spasmo.

Febris cum spasmo.

Malis hisce meritò accensemus & illum morbum, qui Anno 1596 & 1597. in Episcopatu Coloniensi, VVestphaliâ, Comitatu VValdecensi & VVittensteinensi, atque Hassia grassatus est; quem tum vulgò *die Kribelkranckheit, Krampsucht, oder Ziehende Seuche* appellarunt, conuulsionibus, veterno, delirio ac mentis alienatione, nunc cum febre, nunc sine febre, homines grauissimè affligens. Qui hoc morbo corripiebantur, vellicationem aliquam in membris extremis sentiebant, modò in manibus, modò in pedibus, modò in manibus & pedibus simul, nunc in vno latere, nunc in vtroque; quasi membrum formicis plenum esset, & stupore corriperetur. Post hanc vellicationem, digiti in manibus & in pedibus conuellebantur, & vel contrahebantur vel extendebantur: & hæc conuulsio, sumto ita ab extremis partibus principio, serpebat quasi in cubitum, genua, humerum, coxendicem, totúmque corpus, donec ægri instar globi alicuius, conuulsi, aut rectâ extensi procumberent; quæ conuulsio nunc vno modo continuò durabat, nunc permutabatur, & nunc breuiùs, nunc longiùs perseuerabat. Cum conuulsione & spasmo isto acerbissimi dolores erant coniuncti, qui ægros ita torquebant, vt per longa locorum interualla clamores & eiulatus miserrimi audirentur. Tam subitò sæpe hoc malum inuadebat, vt nonnullis mensis assidentibus cochlearia vel cultros è manibus excuteret, & ipsi mox conciderent; atque aratores post aratrum subitò procumberent, cùm antea nihil mali sensissent. Nonnulli quoque, cùm eos primùm malum inuadebat, vomere solebant. Atque hi affectus per aliquot dies, nonnunquam & septimanas, in membris exterioribus perseuerabant, neque caput afficiebant, si remedia idonea tempestiuè adhiberentur. Si verò remedia non adhiberentur, ipsum caput etiam afficiebatur, & ægri Epilepsiâ corripiebantur, & omnem sensum amittebant. Post paroxysmum hunc nonnulli ad sextam vel octauam horam vsque immoti, quasi apoplexia correpti, iacebant, vt a nonnullis pro mortuis haberentur: Aliqui amentes reddebantur, alij veternosi, aliqui deliri; & quidem deliriorum varia erant genera, pro humoris abundantis ratione. Durabat autem hæc mentis alienatio in nonnullis quatuor dies, in aliquibus longiori spatio: quæ tamen vbi cessabat, vel auditus difficultatem, vel visûs debilitatem relinquebat; alii verò planè paralytici euaserunt. Cessante paroxysmo fames præternaturalis omnes ferè corripiebat, cibósque auidè & eos varij generis appetebant, vt vix saturari possent. Postea omnibus ferè fluxus alui superueniebat, & quò parciùs cibo vtebantur, eò copiosiùs aluus fluebat. Plerisque tandem pedes & manus intumescebant, nonnullis tubercula seroso humore plane erumpebant. Sudores verò non promanabant. Neque contagio carebat hoc malum. Experientia enim docuit, ex iis, qui diu & cum multis ægris in domo aliqua conuersati sunt, raro aliquem impunè euasisse. Neque tamen malum hoc statim sese exeuit, sed sæpe post sex, duodecim, aut plures etiam menses: obseruatúmque, nonnullos in domo aliqua per annum, aut duos etiam, sine vllo damno cum ægris conuersatos, tandem tamen & ipsos isto morbo correptos fuisse. Et vt sæuissimus, ita in curatu difficillimus fuit hic affectus. Qui enim epilepsia corripiebantur, vix integrè ea liberabantur: sed per interualla subinde aliquid mali recrudescebat. Ita qui amentes aut deliri fiebant, stupidi vsque ad mortem permanebant, neque pristinum mentis vigorem vnquam recuperabant. Et licèt post morbum hunc nonnulli ad 15. annum superstites fuerint: singulis tamen annis, mense Decembri & Ianuario, aliquid mali sentiebant.

Ortum autem habuit hoc malum procul dubio ex pestilentibus ichoribus, & malignis vaporibus neruos & cerebrum in primis vellicantibus. Nam ista, quæ modò recensuimus, symptomata non rarò peste infectis superuenire solent, vt docet Cardanus, *lib. 2. de subtil.* Vallcriola, *libro 3. Loc. com. cap.* 18. Petrus Salius Diuersus, *de Pest. c.* 5. Idem & curatio docet. Nam medicamenta, quæ tùm cum commodo adhibebantur, ex Cephalicis & Alexiteriis composita erant. Malignus autem ille vapor ortum habuit ex victu prauo, dum ob annonæ caritatem, panem non bonum, fructus corruptioni obnoxios, fungos, & id genus alia, ad explendam famem, pauperes deuorabant. Ex quo victu prauo vitiosos humores in corpore colligi necesse est, qui temporis diuturnitate peiores redditi, tandem malignam hanc, & in primis neruoso generi ac cerebro inimicam vim induebant.

Historiam autem huius morbi, & curandi eum rationem edidit tùm Facultas Medica in Academia Marpurgensi. Ex eo ergo tractatu remedia, quæ cum ægrorum commodo tùm exhibita fuerunt, breuiter recensebimus.

In mali autem huius grauissimi Curatione, ad duo præcipuè respiciendum fuit Medicis, vt vitiosa & venenata materia tolleretur, & nerui debilitati confirmarentur. Quantum ad primum scopum, cùm ex certis indiciis deprehensum fuerit, fontem vitiosæ materiæ circa primas vias, ventriculum scilicet, Hepar, & Lienem, & venas partibus hisce vicinas hærere, purgatio necessaria fuit. Quem in finem tale Electuar. Medici Marpurgenses tùm ordinarunt.

℞. *Diaphœnici solidi*, Vnc. iiii. *electu. de succo rosar.* Vnc. ii. *puluer. hermodact. mund. turbith albi, esula mund. & correct.* an. Drach. i. *diagryd. castor.* an. Scrup. ii. *cassi. zingib. caryophyll.* an. Scrup. i. *Sem. ruta. cumini, croci,* an. Scrupul. sem. Cum *Syr. rosar. solut.* F. Electuar.

Antidotum autem conuulsiuum hoc est.

℞. *Rad. pæonia, visci quernæ,* an. Vnc. ii, *castor. saluia,* an. Vnc. i. *bacc. lauri, cranij hominis prap.* an. Drach. ii. *theriaca, mithrid.* an. Vnc. xii. *mellis despumati.* ℔. ii. F. Electuarium.

De Electuario purgante exhibita fuit, Vnc. ß. idque ter repetitum. Quatuor à summo pharmaco horis sumsit æger iusculum, in quo cocto vel macerata fuerunt rosmarinus, serpillum, satureia, saluia. Purgatione peracta, totum mensem, alternis vicibus, sequentibus medicamentis vtendum fuit. Primò sex continuis diebus sumsit æger de puluere conuulsiuo Drach. i. Est autem hæc descriptio.

℞. *Rad. vincetoxici, helenij, succisa, caryophyllat. pæonia,* an. ℥. i. *bacc. lauri,* Vnc. i. *summitat. saluia, serpilli, flor. rorismar.* an. Drac. ii. *specul. diamoschi dulc. pluris archont. dianthos,* an. Drach. i. sem. F. Puluis.

Postera die post quadraturam Lunæ, Plenilunio vel Nouilunio, iterum Electuarij purgantis ℥. ß. sumsit. Hinc iterum vsus est puluere conuulsiuo, vsque ad proximam lunæ phasin. Die verò insequenti rursum Electuarium purgans vsurpauit, idque, vt dixi, per mensem continuauit, donec meliùs habuit. Postea verò singulis mensibus, præcipuè Decembri & Ianuario, quibus hoc malum semper exacerbatum maximè fuit, ante Nouilunium sumsit Drach. i. de puluere conuulsiuo. Potus fuit medicatus è radicibus helenij, pæonia, saluia, ruta, baccis iuniperi.

Ipsa verò membra vt roborarentur, tota spina dorsi illita fuit oleo Lumbricorum, Vulpino, Castorei. Eodem modo vncta omnia membra affecta. Linteo quoque calido fricabantur, & postea spiritu vini, in quo flores primulæ veris, Lauendulæ, Saluia, Ruta, Betonica, Castorium, macerata fuerant; vel spiritu vini & aqua Lauendulæ mixtis illinebantur. Et si spasmus in pedibus esset vehemens, Lotiones pedum instituebantur, ex betonica, serpillo, floribus chamæmeli, Primulæ veris.

In ipso autem paroxysmo membrum affectum spiritu vini, modo iam dicto illinebatur, & linteo calido fricabatur: Ac si dolor non cessaret, vinculo arctè ligabatur, donec vapor malignus, spasmi causa, dissiparetur. Simul verò exhibebatur vel de puluere conuulsiuo ℨ. i. vel de Antidoto Vnc. ß. Die verò sequenti dabatur Electuarij purgantis Vnc. sem. & postea cura dicto modo continuabatur.

CAPVT XVII.

De Catarrho & tussi epidemia maligna.

IN Febrium Malignarum catalogum meritò & illa adscribitur, quæ cum catarrho & tussi epidemia, anno 1580. sub Sirij ortum, maximè autem circa nouilunium æquinoctij autumnalis, totam penè Europam, imò ferè omnes mundi regiones peruagata est, & hinc inde varia nomen accepit. Appellabatur enim catarrhus febrilis, febris catarrhosa, febris suffocatiua, catarrhus epidemius, tussis epidemia, cephalalgia contagiosa. Germani nominabant *den ziep, den Schaffshusten, die Schaffkranckheit, das Hunervvehe*, quòd ægri instar gallinarum coryzâ vexarentur.

Catarrhi epidemij historia.

Inuadebat hoc malum cum dolore capitis & calore febrilis nonnullos infestauit perpetua in somnum propensio, vt in peste fieri solet: alios vigiliæ tenebant: mox sequebatur tussis sicca, dolor pectoris, & præcipuè septi transuersi; faucium asperitas, ventriculi languor, tandem grauis anhelitus, qualis solet animaduerti in iis, qui morti sunt vicini. Et quamuis tussis non diu durabat: tamen illa anhelitus difficultas ad diem 14. extendebatur, nonnullis sudor superueniebat: qui die 30. vel 40. conualescebant: atque hi non multum expectorabant,

sed

sed materia sudoribus consumebatur, aliis per alvum; aliis per vrinam excernebatur. Et quamvis maxima hominum pars hoc malo corripiebatur, omnes tamen ferè euadebant, & vix millesimus quisque moriebatur: nimirum ij, qui vitia quædam diuturna & latentia in visceribus habebant, & qui sanguinem aperta venâ mittebant. Experientia enim hoc comprobauit, omnes ferè mortuos esse, quibus vena aperiebatur; fertúrque, Romæ vltra 3000. hominum hoc malo extincta esse, fortassis & hac de causâ, quòd Itali Medici, (ita enim hac de re scribit VViērus) nimis prompti sunt ad mittendum sanguinem, & solum ad calorem febrilem, minùs verò ad malignitatem & latens venenum attenti sunt.

Causa. Causam huius mali referunt plerique in catarrhum epidemium, qui ortum habuerit ea constitutione humida annorum præcedentium, & diuturno Austri flatu. Quantum enim incommodi afferat & quantum humores corrumpat hæc aëris constitutio, satis ex *lib.* 3. *Aph.* & *Epid.* Hippocr. atque aliis locis patet.

Non tamen solùm Anno 1580. febrem istam grassatam crediderim: sed si obseruationes superiorum temporum in promptu essent, procul dubio sæpius, etiamsi non semper eodem modo, grassatam esse deprehenderemus. Post illud tempus anno scilicet 1591. in plurimis Germaniæ locis, etsi non eâdem planè facie, conspecta fuit febris catarrhalis.

Similem tussim epidemiam, quæ Anno 1557. populariter grassata est, descripsit accuratè Valleriol. *in App. loc. Comm. c.* 2. refértque, eundem morbum antè etiam Anno 1510. viguisse. Descripsit eundem morbum Forestus *lib.* 6. *obseru.* 2.

Quomodo autem febris ad catarrhum sese habeat, consideratione dignum. Plerique quidem statuunt, materiam catarrhalem in venas per totum corpus diffundi, & hinc febrem ex humorum putredine accendi, vel quia humor in venas prolapsus ibi putredinem concipit, vel quia obstructionem in iis efficit. Fieri tamen etiam potest, vt febris sit morbus primarius, eáque sæpe maligna, in qua sicut in aliis febribus comitatis, ita hîc etiam natura partem humoris, à quo molestatur, per hanc viam à corpore ejicere tentat. Idque in catarrhis epidemiis frequentissimè accidere puto.

An sint plures quam tres febrium differentiæ. De Catarrhis cum febre peculiarem habet opinionem Ioh. Zecchius, *consult.* 2. quæ hîc prætermittenda non videtur, (etsi potiùs ad febres catarrhales in genere, quam malignas pertineat) statuitque præter tres vulgares febrium differentias, ephemeram, putridam, hecticam; quartam se inuenisse à nemine hactenus obseruatam, quæ sit febris continua, vniformis sine vlla exacerbatione, pulmonum, thoracisque immodicum calorem citra putredinem consequens. Calorem autem accendi statuit ob aëris inspirati inopiam culpâ angustiæ vasorum. A calore verò hanc febrem accendi; cùm quia pulmones calefacti calorem cordi immediatè communicant, tum quia aërem quantumuisque frigidum inspiratum ita calefaciunt, vt cordi quantum satis est refrigerando minimè sufficiat. Verùm vix possibile est, vt hoc modo febris excitetur, cùm etiam in aliquali angustia calor in pulmone adhuc ventilari possit, ne febrem accendat; neque videmus in asthmaticis hac de causa febrem accendi. Et si sanè, vt hoc modo febris accendatur, tamen non video, cur non ad vulgatas differentias referenda sit. Nam calor ille corpori inhærebit, vel κατ' ἕξιν, vel κατὰ σχέσιν. Si prius, erit hectica. Si posterius, vel fouebitur à calore spirituum, & erit ephemera, vel humorum, & erit putrida. Neque enim credibile videtur, vt ob angustiam vasorum pulmonis tantus calor in pulmonibus excitari possit, qui febrem in toto accendat, vt non simul humores putrescant. Etsi enim excrementa, quæ è pulmonibus ejiciuntur, sint alba, id tamen non sufficit ad demonstrandum nullam adesse putredinem, tùm & in pleuriticis sæpe album sputum ejicitur. Neque ipsam pulmonum substantiam statim putrescere opus est.

Malignæ quoque hæ febres sunt, quas Angina, pleuritidis & peripneumonia comitatur popularis. Et notissima est ea, quæ Anno 1564. & 1565. plurima Germaniæ inferioris loca Rhenique accolas inuaserat. Ita autem hoc malum ortum habuit. Præcesserat anni præcedentis constitutio humida, hyeme sæpe in cœlo conspectæ fuerant stellæ cadentes, sagittæ ardentes & similia, quæ & totâ æstate, durante hoc malo, visa sunt. Et primò quidem hyeme oriebatur tumor ea phlegmaticus in collo, sine insigni dolore; Vere postea & æstate superueniebant Anginæ valde periculosæ & pestilentes, quarum malignitate alij primo, alij tertio, alij quarto die moriebantur: qui octauum diem attingebant, omnes euadebant. Adoriebatur autem hoc malum homines cùm febre, lingua intumescebat, aëri, cibo, potuique aditus præcludebatur. Vnde ægri miserrima morte suffocabantur. Extrà in collo nullus tumor apparebat, præter aliquam rubedinem, similem phlegmonæ illi erysipelatodi, quam Rosam vulgò appellant. Sæpe accidebat, vt tumores illi collo & faucibus deserentis ad inferiora tenderent, & intersepimentum illud thoracis occuparent, vnde ex Angina oriebatur pleuritis non minore cum periculo coniuncta, quàm ipsa Angina. Nonnunquam etiam in ipsos pulmones irruebat materia, vnde peripneumonia. Interdum & deserto thorace dorsum occupabat, atque in eo intolerabiles dolores excitabat. Præcipuè hoc accidebat fœminis, quæ menstrua patiebantur. Et tales omnes ferè moriebantur. Quod ex eo factum esse videtur, quòd per venam causam propinquam sanguis infectus fuit, & purgatio illa menstrua agitatis humoribus in totum corpus continuata. Hi morbi epidemij etiamsi asperrimo hyemis frigore superueniente minuerentur: tamen malum hoc in pestilentem pleuritidem est mutatum æstate sequenti. Cum febre continua, dolor in vno loco primum hærebat, postea totum pectus occupabat, præcipuè si copica dolori leniendo applicarentur; & ad pulmones materia serpebat, iisque repletis tussis cum sputo cruento accidebat, & quò copiosiùs ac faciliùs materiam expectorabant, eò magis periclitabantur, & ferè omnes circa finem sexti diei moriebantur. Qui autem nihil sanguinis exspuebant, nonumque diem attingebant, euadebant, nisi in morbum recidissent: tunc enim ante finem tertiæ septimanæ moriebantur.

Idem mali genus sæpius grassatum esse, ex obseruationum Medicarum lectione patet. Anno 1348. sæuissimam pestem cum sanguinis sputo viguisse varij referunt, quam his versibus describit Fracastorius.

Bis centum fluxere anni, cùm flammea Marte
Lumina Saturno tristi miscente, per omnes
Auroræ populos, per quos rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans, miserabile visu,
Quartâ luce frequens fato perdebat acerbo:
Illa eadem Assyriæ gentes, & Persidos, & quæ
Euphratem Tigrimque bibunt, post tempore paruo
Corripuit, dotesque Arabes mollémque Canopum,
Inde Phryges, inde & miserum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europâ sæuit omni.

Peripneumoniam talem pestilentem etiam grassatam esse Anno 1557. mense Octobri, refert Dodonæus *libro obseru. Med. cap.* 21.

Sed vt hæc concludamus, nihil, vt suprà dictum, ferè Symptomatum & malorum est, quod non cum peste, & malignis & pestilentibus febribus interdum coniungatur. Vnde accidit, vt illi morbi varia à Symptomatibus & affectibus maximè vrgentibus accipiant nomina. Quæ omnia inde oriuntur, quòd materia maligna modò cum hac, modò cum illa parte maiorem ἀντιπάθειαν habet, aut eadem ad hanc vel illam partem deuoluitur. Ita eâdem ad intestina confluente dysenteria nonnunquam excitatur. Qualem Anno 1583. cum febre longè latéque grassatam fuisse ferunt, atque etiam anno 1626. grassatam vidimus.

De Febre cū catarrho coniuncta. §[Egimus equidem de febre catarrhali quatenus malignitatem coniunctam habet, *hoc cap.* Sæpe tamen tales febres cùm sparsim, tum populatim grassantur sine malignitate aliqua. De earum ergo generatione, sine respectu malignitatis, aliquid adhuc dicendum. *De generatione febris catarrhalis Triplex eius iuxta nonnullos modus.* Nonnulli statuunt triplicem febris cum catarrho generationis modum. Primum modum esse statuunt, cùm catarrhus in ventriculum delapsus, coctionem primam vitiat, vnde ex prauo chylo prauus sanguis generetur in hepate, qui facilè putredinem capiat, & febrem excitet. Secundum modum ponunt, cùm materia catarrhi descendens è capite, venas subit, & in iis putrescit. Tertiò, cùm eadem materia in venas lapsa, eas obstruit, & ita putredinis ac febris caussa est.

Examinantur. Verùm nulla caussarum harum vera esse videtur. Primum enim quod attinet, fit sanè vt ex catarrho in ventriculum delabente, coctio eius turbari, & prauus chylus generari possit, qui postea in prauum sanguinem mutetur, vt inde febris facilè excitetur: tamen de hac febre hîc non quæstio est, vtpote quæ ex diu eandem præcedente & durante catarrho generari potest; sed de hac febre quæritur, quæ aut catarrhum statim coniunctum habet, aut interdum etiam catarrhum aliquo tempore præcedit. Reliqui verò duo modi planè falsi esse videntur. Neque enim credibile, materiam hanc excrementitiam seu in cerebro generari, seu per venas à reliquo corpore in cerebrum effusam, per angusta venarum orificia in venas iterum à natura recipi; cùm patentes è cerebro viæ sint, per quas euacuari possit.

Sententia Autoris. Febris comitata. Mihi probabile videtur, tales febres ex earum numero esse, quas comitatas appellant. Natura enim humores vitiosos febrim excitantes non semper vsque ad coctionem & crisin in venis retinet: sed vt eorum onere se liberet, aliquam eorum partem vel sensibiliter euacuat per aluum, vomitum, hemorrhagiam; vel in loca aliqua deponit; vnde fit erysipelas, angina, pleuritis, ophthalmia. Id quod fit etiam in hisce febribus. Natura enim aliquam humorum partem ad cerebrum depellit, quæ cùm sit naturæ molesta, à facultate expultrice cerebri expellitur, vnde catarrhi fiunt.]

Curatio.

Verùm febrium harum omnium curatio conuenit in eo, quòd malignitati sit resistendum: in eo verò differt, quòd materia vitiosa nunc hoc, nunc illud membrum petit; vnde diuersa oriuntur Symptomata, Catarrhi, Tussea, & alia. Membris igitur illis singulariter prospiciendum. Et vt ex. gr. eam febrem, quæ anno 1580. cum Catarrho & Tussi passim grassata est, afferam, cùm materia febris & Catarrhi causa in primis viis maximam partem haberit, medicamenta primam corporis regionem euacuantia, cum summa vtilitate à Medicis præscripta sunt.

sunt, vt flores cassiæ, Electuar. lenitiu. diacathol. manna, syr. sar. solut. Fortioribus dabatur de succo rosar. Atque accidebat, vt corpore satis purgato, plerique intra triduum vel quatriduum conualescerent, nec vllum graue symptoma amplius perciperent, modò bonam diætam obseruarent. Si enim febrilis fomitis maxima pars sublata esset, natura adhuc fortis & parùm debilitata reliquum concoquebat & expurgabat, in quibus tamẽ corporibus magna vitiosæ materiæ copia erat, ij non ita facilè conualescebant. Opus ergo erat materiam reliquam alterare & præparare aq. acetos. taraxaci, violar. capilli ♀. scabios. syr. acetositatis Citri, & similibus. Postea materia concocta iterum instituebatur purgatio. Et tandem vsurpabantur, quæ materiam in capite contentam & ad pulmones ruentem coquerent, incrassarent, absumerent, & educerent, diatraganth. frig. diamargarit. frig. confect. diaireos syr. de iuiub. de papauere errat. & hortensi, cum aq. Tussilag. violar. & similibus, Looch item sanum & expert. Diacodium Montani debebatur etiam decoctum siliquarum.

Ex quibus exemplum facilè peti potest, quæ & reliquas febres Epidemias & malignas curandi ratio sit. Primò enim, quis humor vitiosus in corpore, qui malignitatis quasi fomes est, abundet, & quo loco hæreat videndum, isque conuenienti modo educendus. Deinde verò malignitati resistendum, humórque reliquus alterandus. Tandémque si aliquod membrum peculiariter afficiatur, & symptomata in eo præcipuè excitentur grauia, appropriatis illis occurrendum, quod quomodo fieri debeat ex *sequenti capite* etiam aliquo modo patebit.

Atque hæc de Febribus dicta sunt. Etsi verò febris ipsa per se grauis morbus non est: vix tamen alius reperitur, cui grauiora accidant symptomata, vt ex iis, quæ hactenus de febrium omnium natura & signis dicta sunt, manifestum est. Ac proinde præ aliis morbis, quantum bonum sit Sanitas, monstrare; temperantiam, sanitatis nutricem, suadere, atque à crapula, morborum matre, dehortari; imò ad pietatem nos instigare potest. Quid aliis febricitantibus animi sit, ego quidem nescio: mihi quas cogitationes febris suggesserit, ex versibus hisce, quas, ante annos non ita multos, per febrim filio meo dictaui, Lector Beneuole, cognosces, & procul dubio, quicunque pius es, eadem mecum sæpe cogitabis. Rectè enim Marcus Eremita scribit: Σύμβαινε, ὀδύνη σοι μνήμην Θεοῦ παρέχει τῇ συνέσει. Et Εἰ μὴ θλίψεις ὑπομείνῃς, μηδὲ ... Θεός.

Hospitium est Mundus, non Patria; Munde Valeto,
Dicendum cunctis mortali lege creatis.
Omnibus est calcanda semel lethi via. Verùm
Quàm forte hæc via dissimili calcatur! ad orcum
Quosdam præcipitat Mors, quosdam ad gaudia Cœli
Ducit, & æterna transcribit ciuibus aulæ.
Hæc, mortalis homo, semper meditare, tuique
Conscia corda roga quo sit ductura sit huius
Æternaque illius vita diribitor Mors.
Et si non ardes felicia gaudia cœli:
Fac tamen Infernum metuas. Non ludicra res est
Infernus. Dicam quid sit, per imaginis vmbram.
Vreret si flamma Febris te forsitan vnquam
Vsitatam statue hoc tecum, atque hoc rere futurum,
Vt toto affligat te anno febris ita, nec vllum
Solamen fieri implacabilis adsit, & omnis
Deficiat liquor, aut si forsan vina, zythúmque,
Vndáque circumstent, siccato nulla palato
Gutta tamen placeat, Sis solus & vndique amici
Diffugiant, aliique, & te lux splendida nunquam
Irradiet, sed nox te terreat horrida, & ipsâ
In nocte horrenda, per flammam pérque tenebras]
Horrendum mixtas, te spectra immania miris
Affligant cruciéntque modis. Non illico mentem
Subuertet dolor, & crudas excrescet in iras?
Annon cuncta timebis, & anxius omnibus horis,
Et fortem duram, téque ipsum exosus, acerbos
Optabis tandem letho finire dolores?
Quod si tantula ferre nequis; si incerta fugacis
Vis mortis eo tantum te macerat, & tibi amara
Tempora tota fluunt: quid to, quid fiet, vbi omne
Æuum vsque infandum æternis cruciabere pœnis?
Namque etenim non istud, Homo, non febris Auernus?
Sed nec somnium Auernilimo nec somnium Auerni
Vmbra. O quàm longum æternum hoc quàm dirus Auernus!
Quare, homo fac memori hoc semper duo mente reuoluas;
Atque ita mortalis fugientia tempora vitæ
Transige, vt æternùm potiaris gaudia Cœli.

CAPVT XVIII.

De Febrium Symptomatibus tollendis.

SEd vt ad institutum reuertamur, & tandem huic de febribus doctrinæ finem imponamus, Medici officium est nosse, quâ ratione symptomata illa, quæ in febribus sæpenumerò occurrunt multa, & non minorem, quàm ipsa febris, ægro molestiam exhibent, tolli aut mitigari possint. Etsi enim & aliis morbis talia symptomata coniungantur, & ab aliis quoque causis oriantur, tamen quatenus à febrili causa pendent, febriúmque comites sunt, de iis hic conclusionis loco aliquid secundùm ordinem partium corporis dicemus.

Dolor capitis.

Et quidem primò dolorem capitis quod attinet, oritur is ex humoribus & vaporibus, vel per venas & arterias, vel ex ventriculo, ipsique subiectis locis, ad caput ascendentibus, & vel copia distendentibus, vel intemperie atque acrimonia meninges & pericranium vellicantibus & molestantibus. Is nisi tollatur per vniuersalia, quæ febris alias requirit, venæ sectionem scilicet, aut per clysteres & purgant. euacuationem, cucurbitulas & similia: aliæ quoque reuulsiones instituendæ, vt frictiones, lotiones extremorum, ex decocto aneth. chamæmeli, verbenæ, betonicæ, lactucæ, saluiæ, violar. &c. In malignis febribus plurimi laudant radices raphani in taleolas incisas, pedibúsque sale & aceto priùs mundatis appositas, quòd vim habeant malignitatem ad se attrahendi: Imò nonnulli occipiti etiam applicant: si vehemens capitis dolor adsit. Videndum tamen, ne earum odore caput repleatur. Alij fermentum cum sapone & sale, foliis caulium inductum pedibus apponunt. Vtilia sunt & hic vesicatoria, partibus infra caput apposita.

Sedum maius

Vbi euacuantia & reuellentia præmissa sunt, Topica ipsi Capiti adhibenda, quæ humores & vapores moderatè repellant, simúlque alterent, mitiores reddant, & dolorem leniant.

Sunt tamen quædam ex his, quæ capitis dolorem & æstum leniunt, quæ potiùs halitus illos & vapores calidos attrahendo, quàm repellendo & refrigerando prosunt. Qualis procul dubio est camphora. Refertur & à nonnullis huc sedum maius, quod in tectis in maximo æstu & siccitate, succo & humore turgit, aere verò pluuioso flaccescit, quod procul dubio ex aere halitus sicciores & pinguiores: quibus nutriatur, attrahat, sicut & Aloë Americana multos annos in nostrorum hypocaustorum laquearibus suspensa durat & viret. Ideóque & succus attrahendi halitus illos & calidos siccos vim habet, & linteis applicatus febricitantes refrigerant, & cum pauco lacte muliebri mixtus dolores capitis in febribus sedat.

Vsitatissima sunt Oxyrrhodina dicta, ex aq. rosar. oleo rosar. & aceto, quæ passim extant.

℞. *Aq. rosar.* Vnc. iv. *fol. salicis.* Vnc. i. *aceti rosar.* ʒ. vi. *albumen oui vnius*. F. Epithema fronti applicandum.

Vel ℞. *Aq. rosar.* Vnc. iii. *flor. sambuci, betonic. verben.* an. Vnc. ii. *sem. papauer. albi*, Vnc. sem. *nucleor. Persicor* numer. vi. F. Emulsio, quæ suturæ coronali aut fronti applicetur cum linteaminibus.

Vel ℞. *Aqu. rosarum* Vnc. iiii. *floribus sambuci, fol. salic.* an. Vnc. i. *anethi*, Vnc. sem. *aceti rosar.* Drach. vi. *camphor.* g. vi. Misce.

Vel ℞. *Aq. Verben. flor. sambuci, acet. salicis*, an. Vnc. i. ß. *rosar.* ℥. ii. *maioran. anethi*. an. ʒ. ii. *nucleor. Persicorum*, num. x. F. Emulsio. Adde *camphor.* g. v. Misce.

Vel ℞. *Nuc. england. excort.* num. x. *Persicorum, amygdalar. amar.* an. num. vi. *sem. cannab.* Vnc. ß. *papaueris albi, lactuc.* an. ʒ. ii. Cum. *Aq. verben. rosar. flor. sambuci*, an. ℥. ii. *anethi, aceti rosar.* an. Vnc. i F. Emulsio.

Si dolor sit vehemens, granum vnum atque alterum Opij addi potest.

Plurimùm commendatur etiam radix Rhodia contusa, & cum aq. rosar. capiti imposita; quæ non solùm dolorem lenit, sed & caput roborat. Vt:

℞. *Radic. Rhod.* Vnc. i. *aq. rosar.* lb. i. ß. Coq. ad tertiæ partis consumptionem, atque decocto panni lintei madefiant, capitique imponantur.

Vel ℞. *Flor. violar. ros. nymph.* an. ʒ. i. *santalor. omn.* an. ℈. i. *sem. papau. alb.* ʒ. ii. *flor. chamæmeli* ʒ. i. ß. Contusa irrorentur *aqua rosar.* & *Nicotianæ, cum pauco aceto*, ac sindone rubræ inuoluantur, frontique applicentur.

Medicamentis his etiam commodè nitrum præparatum admiscetur.

Vel ℞. *Ol. rosar. violar. nymphéa*, ao. Vnc. sem. *rad. Rhodiæ* Drach. sem. *succi lactuca, solani*, an. Vnc. sem. *Ceræ q. s.* F. Linimentum.

Efficax est & vnguentum Alabastrinum. in primis suturæ coronali inunctum, cui aliquid vnguenti populei admiscere licet.

In horum tamen topicorum vsu obseruandum: In principio, atque vbi vapores in caput ascendere incipiunt, illud tamen nondum valde replent, & vbi magnus humorum feruor adest, vt periculosa phrenitis metuenda sit, repellentia, corpore tamen priùs euacuato & reuulsionibus præmissis, tutiùs adhiberi. Hoc enim modo viæ coarctantur, & cerebrum refrigeratur; vnde vapores non ita facilè admittuntur. Sunt qui ista repellentia non capiti, sed collo applicant, vt vaporum per venas ascensus faciliùs prohibeatur.

Verùm vbi humores ipsi adeò tenues & calidi non sunt. Repellentia, & refrigerantia præcipuè sola, adeò commoda non sunt. Metus enim est, ne humores incrassentur, cerebróque impingantur: Vnde soporosi affectus, catarrhi pulmones periculosè descendentes, atque alia mala oriuntur. Anodyna igitur & moderatè calida, ad discutiendos vapores admiscenda

sunt

sunt, vt Anethum, flores chamæmeli, sambuci, meliloti, betonica, nuclei Persicorum, & similia.

Vigiliæ.

Vigiliæ.

Vigiliæ plerumque doloris comites sunt: nonnunquam tamen etiam sine dolore in febre adsunt. Oriuntur enim vel ex dolore, vel siccitate, quæ ex humore aut vapore calido vel sicco; vel vtraque intemperie prædito dependet. Vnde pleraque medicamenta, quæ dolorem capitis curant, vigiliis tollendis simul idonea sunt. Generalibus ergo præmissis, Repellentis, frictionésque & lotiones pedum adhibeantur, vt:

℞. *Fol. salicis, lactuc. nymph. malu. violar.* an. M. ii. *summit. anethi*, M. i. *capitum papaueris albi incisorum*, ℔. vii. Coq. pro lotione pedum.

Assumenda quoque, quæ ascensum illum vaporum acrium & calidorum impediunt, eósque mitigant, cerebrique siccitatem emendant. Detur iusculum gallinæ, in quo folia lactucæ ebullierint. Vtilis est & emulsio Amygd. dulc. & sem. quatuor frig. mai. & papaueris albi, cum Aq. hordei, violarum, borrag. vel alia conueniente præparata. Possunt eadem opera alia quoque vel malignitati resistentia vel refrigerantia & confortantia admisceri, vt iuleb. violarum, rosar. cotni. manûs Christi perl. diamargar. fr. &c.

Vt ℞. *Amygd. dulc.* ℥. ß. *sem. melon. excort.* ʒ. vi. *papau. alb.* ʒ. iii. *decocti hordei* ℔. i. ß. *aq. violar. borrag.* an. ℥. iii. F. s. a. Emulsio. Cui addatur *Iuleb. vel Syrupi violar.* ℥. i. Aut si Electuarium placet.

℞. *Conseru. violar. nymph. rosar.* an. ℥. i. *caulium lactuc. Ital. condit.* ℥. ß. *sem. quat. frig. mai. contus.* ʒ. i. Cum *Syr. papau. albi.* F. Electuar.

Vel ℞. *Syr. violar.* ℥. ß. *papauer.* ℥. i. *aq. lact. violar.* an. ℥. i. ß. M. Simul verò adhibeantur Topica.

Vt ℞. *Cortic. hyoscyami, solani, sedi maioris*, an. M. i. Coq. in *vini, aceti rosacei*, an. ℔. i. semin. ad partis quartæ consumptionem.

In decocto calido panni lintei calefiant, & capiti applicentur. In dolore & vigiliis.

℞. *Vng. populeo* ℥. ß. *ol. violar. nymph.* an. ʒ. ii. *ol. nuc. mosch. express.* ʒ. ß. *opij* ℈. ß. M. F. Linimentum, quo tempora & nares inungantur.

Vel *Capit. papau. albi cum sem.* num. iii. Contundantur, & cum *Aq. Aneth.* ℥. ß. *rosar.* a. q. s. Misce in formam pultis, & temporibus applicentur.

Vel ℞. *aq. rosar. spt.* ℥. i. *lactuc. papaueris*, an. ℥. ß. *flor. sambuci, anethi*, an. ℥. i. ß. *nucl. Persic.* num. x. *sem. papau. albi*, ℥. ß. Contundantur, & misceantur pro epithemate.

Emplastrum de Lactuca Nicolai Massæ, suturæ coronali applicandum.

℞. *Succi folior. lactuc.* ℔. ß. *sempervivi, solani, flor. nymph.* an. ℥. iii. *rosar.* ℥. i. ß. *aceti vini albi*, ℥. i. *farin. hordei*, ℥. i. ß. *sem. papauer. albi*, ℥. i. *hyoscyam.* ℥. ß. F. ad ignem Cataplasma.

Vel ℞. *Flor. violar. nymph. sambuci*, an. P. i. *cortic. papau. mandragor.* an. ʒ. i. *sem. anethi, lactuc.* an. ʒ. ß. *croci*, ℈. i. *opij*, ℈. ß. Contusa ligentur in nodulo.

Vel ℞. *Flor. violar. nymph.* an. P. ii. *cortic. mandrag.* ʒ. iii. *opij*, gr. vi. *croci*, gr. iv. Ligentur in sindone rubra. F. Nodulus, qui naribus crebrò admoueatur. Potest idem priùs madefieri aq. rosar. lactuc. anethi.

Nonnulli & plantas pedum, & volas manuum vnguento populeo, oleo violar. & similibus vngunt.

Si ista non sufficiant, efficaciora medicamenta adhibenda, vt Theriaca recens, Philonium, Requies Nicolai, & quod in primis laudatur, Laudanum opiatum. Instante tamen crisi, ab opiatis & aliis somniferis medicamentis abstinendum, ne motus naturæ impediatur. Immò vbi imbecillis est ventriculus, tutius est eiusmodi medicamenta solùm ore continere, quàm deglutire. Commodè quoque & minore cum periculo laudanum opiatum clysteribus additur. Ne quoque cerebrum per ista medicamenta nimis refrigeretur, & lædatur, semper aliquid, quod cerebro familiare sit, modicóque calore reliquorum frigiditatem temperet, admiscendum.

Somnus profundus.

Somnus profundus

Somnus profundus in quibusdam febribus, præcipuè quotidianis, semitertianis, & malignis; oritur à malignis narcoticísque vaporibus cerebrum replentibus, vel nimio narcoticorum in curandis vigiliis vsu. Tollitur is sensuum irritatione, & reuulsione, ac discussione vaporum illorum. Ægri ergo colloquiis vellicatione, strepitu à somno excitentur, & arceantur, ac ligaturis, frictionibus, clysteribus, vapores à cerebro auocentur. Naribus autem admoueatur acetum, vel ruta aceto madida. Vtile quoque est ad primam vel secundam vertebram Cucurbitulas, vel Phœnigmos aut vesicantia applicare, & Theriaca aut Mitridatio palatum ac labia inungere, quibus aliquid Castorei addi potest. Efficacissima in hoc genere est Confectio Anacardina cum aceto scillitico, si febris eam admittat. Fomentum autem discutiens tale esse potest.

℞. *Betonic. primul. ver. origani, saluiæ, rutæ. flor. chamæm. sambuci. lil. conuall. meliloti*, an. M. i. Insuantur duobus sacculis, qui coquantur in æqualibus *vin. aceti, & aqua* partibus, & alternatim calidè capiti apponantur.

Vel ℞. *Rad. angelic. imperator. zedoar. tormentill. diptamni.* an. M. i. *rosar. rubr.* M. ii. *maioran, lauendul.* an. ʒ. ii. *aceti*, Mensur. ii. sem. Coq. vase clauso, & decocto linteola madefiant, & capiti imponantur.

Hoc modo vbi caput per dimidiam aut integram horam fomentatum fuerit, diligenter linteis calidis abstergatur, & vngatur ol. chamæm. maioran. & similibus.

Licet & sternutationem ciere, quod commodissimè fit radicibus lilij conuallij; vel capiti raso iste puluis inspergatur.

℞. *Zingib. galang.* an. ʒ. ii. *piper albi, longi, nigri. cubebar. cardamom. nucis mosch. macis*, an. ʒ. i. ß. *spica nardi, castorei.* an. ʒ. i. F. Puluis.

Vel vertici sacculus ex floribus chamæm. stœchad. Arab, cinnamom. caryophill. & similibus calefacientibus & exsiccantibus confectus apponatur.

Si malum sit pertinacius, phœnigmos ipsi capiti raso applicari potest. Et cùm natura soporem grauem per parotides criticè soluere soleat, natura arte adiuuanda est per cucurbitulas & phœnigmos, vel vesicatoria post aures applicata.

Deliria.

Deliria.

Deliria quoque non rarò in febribus accidunt, ex calidis, acribus, & malignis vaporibus, aut tenui ac bilioso humore cerebrum occupantibus, quibus nisi occurratur, simplex delirium in phrenitidem conuerti potest. Itaque præmissis vniuersalibus, huic malo obuiam itur per reuellentia & repercutientia, eodem ferè modo, quo in dolore capitis & vigiliis. Reuellunt clysteres, frictiones, cucurbitulæ, quæ primò scapulis apponuntur, hinc semper versùs inferiores partes, tandémque ad crura descenditur. Et cùm aliàs febres putridæ venæ sectionem requirant, si immineat, vel accidat delirium, ea multò magis necessaria est. Topica, quæ capiti apponuntur, principiò sint repellentia; procedente verò malo ea admiscenda, quæ calore tepido feruorem cerebri mitigant, & vapores malignos discutiunt, qualia sunt flores chamæmeli, meliloti, betonic. maioran. Aut si metuitur, ne odoratis hisce caput repleatur, vsurpari possunt, malva, semen fœnugræci, lini. Plerique hîc valde commendant pullos gallinarum vel columbarum, viuos per medium dissectos, & capiti impositos. Alij eodem modo applicant pulmones calidos animalium recens mactatorum: qui se refrigerentur, iterum decocto chamæmeli cum lacte parato calefieri possunt.

Conuulsiones Epilepticæ.

Conuulsiones Epilepticæ.

Conuulsiones Epilepticæ nonnunquam satis periculosæ, præcipuè in febribus malignis & pestilentibus, à venenatis vaporibus, aut humoribus meninges cerebri vellicantibus oriuntur. Quod si fiat, acetum rutaceum crebrò naribus admoueatur. Clysteres conuenientes applicentur, dentúrque aliquid de puluere hoc, in febribus malignis cum Epilepsia coniunctis efficacissimo.

℞. *Rad. Pentaphyll. tormentill.* an. ʒ. ß. *ras. vngul. alcis*, ʒ. i. *crystalli præparat.* ʒ. ß. *coral. rubr. præparat. margar. præparat. ocul. cancr. præparat.* an. ℈. i. *smaragd. Oriental. præparat.* ʒ. ß. *rad. pæon. mascul.* ʒ. i. Fiat Puluis. Pro ditioribus addantur aliquot grana lapidis Bezoar.

Hæmorrhagia narium.

Si hæmorrhagia narium accidat, equidem si sit critica non est facilè sedanda; si tamen sit nimia, & vires deiiciat, ei succurrendum, vt in *Practica* dictum, & in primis malignitas, quæ naturam ad hanc excretionem stimulat, impugnanda. Vtilis hîc est syrupus corallinorum sæpe sumtus.

Vel ℞. *Succi granator.* ℥. vi. *ribes*, ℥. iii. *aq. plantaginis, tormentillæ*, an. ℔. i. *rosar.* ℥. iiii. *manus Christi perlat.* q. s. ad gratam dulcedinem.

Vel ℞. *Succi cydoniorum inspissati lucidi, vel mucæ cidonior.* ℔. ß. *corallor. rubr. prap.* ʒ. i. ß. *santali rubri, citrini*, an. ℈. iii. *succini præpar.* ʒ. ii. *lapidis hæmatit. boli Armeni, margarit. prap.* an. ℈. i. *cum syr. granator.* F. Electuar.

Vtile est & compositum Sperolæ pondere gutt. iiii. vel v. cum aqua plantag. vel tormentill. Laudani etiam opiati gr. i. in pilula, vel syr. granatorum exhiberi potest.

Tussis.

Tussi, quæ febres quoque comitatur, qua ratione subueniendum sit, maxima ex parte *cap. præcedente* dictum: Nimirum conueniunt Syr. papauer. è iuiubis, violar. cum aq. Tussilag. spet. diatragac. frigid. vt in febre maligna.

℞. *Diacodij Montagn.* ℥. ß. *syr. violar.* ʒ. x. *aq. papauer. errat.* ℥. i. ß. *specul. diatrag. frigid.* ʒ. i. Misce.

Linguæ ariditas.

Linguæ ariditas.

Lingua etiam in febribus sæpe arida, nigra & aspera redditur; quandoque inflammatur, quam affectionem Germani *die Breune* appellant; nonnunquam lento quodam humore obducitur: id quod accidit ex vaporibus & fuliginibus linguam faucésque adeò calentibus, vt salivalis humiditas absumatur. Qui quidem vapores si minùs calidi minusque copiosi sint, solùm siccitas excitatur; si valde calidi, sicci & copiosi, lingua præterea aspera & nigra redditur: imò nonnunquam quasi finditur. Si iidem vapores ex crudo, crasso, lentóque humore ortum habuerint, circa linguam, dentes ac fauces hærent, & lentore quodam linguam obducunt. Imò hæc mala non solùm linguam occupant, sed interdum & œsophagum totum vsque ad os ventriculi.

Huic ergo malo vt resistatur, ea quæ refrigerant, humectant &

Digitized by Google

& abstergunt, si opus sit, adhibenda. Ergo si malum mitius sit, sufficiunt Syr. violar. de iuiub. granator. portulac. mel rosat. cum decocto hordei, prunorum, iuiubarum, violar. sem. cydon. malvæ, psyllij, altheæ.

Vt ℞. *Mucil. sem. psyll. cydon. malor. aq. violar. extr.* an. ℥. ß. *syr. violar.* ℥. i. *sacch. cand.* ʒ. iii. M.

℞. *Sem. cydonior. psyllij*, an. ℥. ß. *tragacanthæ*, ʒ. i. Cum *Aq. rosar.* s. q. extrahatur mucilago, cui admisceatur *Syr. de granatis dulcibus* parum.

Verùm si maior ariditas & nigredo adsit, fortiora requiruntur medicamenta. Commendatur hîc aq. Lactucæ, Prunellæ.

℞. *Aq. semperviui*, ℥. vi. *lactuc. prunell. nucum*, an. ℥. ß. In his dissolu. *nitri præparat.* ʒ. i. ß. M.

In primis verò aq. semperuiui, h. m. composita.

℞. *Semperuiui*, ℔. i. *salis ammoniac.* ℥. ß. Reponatur in loco subterraneo, donec sal liquescat: postea destillentur: aqua destillata os & fauces abluantur.

Efficacissimum est & sal. præpar. quod salem prunellæ vocant, quódque in aq. semperuiui dissoluitur, atque non solùm fauces colluuntur, sed eius particula aliqua absorbetur.

Est & hoc præstans remedium.

℞. *Cancrorum fluuiatilium viuorum*, num. vi. *vel* vii. *semperuiui*, M. ii. Contundantur, & succus exprimatur, cui addi aliquid nitri præparati, vel salis ammoniaci potest, quo fauces colluantur. Vtile quoque fuerit, extrà collum inungere ol. violar. & aliis refrigerantibus.

Vbi lentore quodam lingua faucésque obducuntur, in primis necessarium est, medicamentis conuenientibus sæpius linguam mundare, os verò vino diluto vel aq. hordei cum pauco aceto & melle rosato colluere, vel hoc gargarismo vti.

℞. *Hordei integri saluiæ, hyssop.* an. M. sem. *caricarum* num. vii. Coq. in s. q. aq. puræ, & in decocti ℔. ii. Dissolue *Syr. acet. simpl.* ℥. iii. vel *oxymel.* ℥. ii. M.

Licet & talibus oris collutionibus aliquot guttas spiritûs vitriol. addere, qui egregiè huiusmodi lentos humores incidit & abstergit.

Sitis.

Sitis. Sitis & ipsa plerumque febris indiuiduus comes est, & oritur ex nimia oris & ventriculi caliditate, & siccitate ac humidi defectu. Siccitas autem oritur ex intemperie calida totius, & in primis hepatis & cordis, ac calidis fuliginibus inde ascendentibus; vel ex humore bilioso, salso, qui ventriculum occupat. Itaque sitibundis sitis circa ventriculum magnus æstus est, aliis pulmones igneum quid quasi expirant. Quam distinctionem notare vtile est. Quæ enim ex pulmonis incendio, calidas fuligines cordis excipientis & expirantis, oritur sitis, per eam ventriculus non admodum afficitur; sed os maximè aridum est, & veluti torridum à fuliginibus continuò exhalantibus; eámque qui patiuntur, iis difficilis sermo est, propter tracheæ & laryngis asperitatem & siccitatem. Neque hanc sitim potus facilè sedat; cùm minima eius portio quæ bibitur, ad pulmones perueniat, sed quamdiu fauces irrigantur, & potu colluuntur, tamdiu solùm sitis lenitur, postea eadem statim redit. Itaque in siti, quæ ex pulmone æstuante oritur, præstat potiùs frigidissimum aërem inspirare, quàm bibere. Si verò sitis ex ventriculo proueniat, rectissimè tollitur sublatis causis, à quibus dependet, humore videlicet bilioso vel salso ventriculum occupante. Cætera vtrique causæ communia sunt. Nam cùm, siue ventriculo, siue pulmone æstuante, os eandem affectionem contrahat, ob internæ tunicæ communionem, eadem quoque refrigerantia & humectantia, sitim ab vtraque causa tollent. Ergò vtile est, frigidam aquam in ore continere, atque illam sæpius mutare. Etsi verò potus maximè humectat: tamen cùm, si ægri, quantum sitiunt, bibant, alia incommoda incurrere possint, sitis aliis modis fallenda est.

Cerasa itaque acida seu condita seu siccata, vel taleolæ ex cucurbita, cucumere, caules, item lactucæ conditi, ore detineantur. Quæ tamen sitis causa exhibentur medicamenta sacchar o condita, magis sitim leniunt, si ab iis saccharum priùs eluatur. Saccharum enim sitim non tollit, sed potiùs auget. Prodest item Crystallum, vel Tamarindos, vel ribes fructus ore detinere, vel succum granatorum sumere: & quidem si tussis sit molesta, sumatur granatum pomum dulce; si tussis non adsit, acidum. Commendantur & folia crassulæ vel portulacæ, detracta cuticulâ in aqua frigida macerata, & linguæ imposita; aut aquâ fontanâ, in qua momentum sal. dissolutum sit, os colluere. Valde etiam commendatur semen psyllij, quod in aqua frigida maceretur, vt mucilago extrahatur, & postea in ore detineatur.

Vel ℞. *Conseru. rosar. vel viol.* ℥. ii. *flor. cassiæ* ℥. ß. *mucilaginis psyllij* ʒ. ii. M.

Vel ℞. *Mucilag. sem. psyllij* ℥. ß. *cydonior.* ʒ. ii. *spec. diatragac. frigid.* ʒ ß. *sacch. candi* q. s. F. Linctus.

Vel fiat talis potus, qui simul aluum laxat, bilémque sitis caussam commodè subtrahit.

℞. *Cassiæ extract.* ʒ. vi. *mucilag. sem. psyllij* ʒ. iii. *syr. viol. solut.* ℥. i. *aq. hord. cum Tamarind. decoct.* ℥. iii. M.

Vtile est etiam ad sedandam sitim saccharum candum violaceum, spiritu vitrioli admisto, atque aqua rosar. madefactum, iterúmque exsiccatum. Si his omnibus sitis non sedatur, frigidos potus concedendus est, & quidem assuetis aquæ frigidæ potus. Verùm quæ conditiones in eo obseruari debeant, suprà dictum:

Aquæ simplicis loco varij potus conficiuntur. Conueniens est aqua cocta, cui aliquot guttæ spiritus vitrioli ad gratam aciditatem admixtæ sint, vel decoctum berber. de quo supra; vel Syr. limonum, granator. oxysacchara, Syr. & Iulep. violar. Conuenit & aqua hordei. Nonnulli radices acetosæ in aqua coquunt, quæ inde colorem vini rubri contrahit. Vel coquitur hordeum cum tamarindis, & sub finem addito santal. citrin. & cinnam. aromatisatur, qui potus non solùm sitim sedat, sed & aluum laxat, hepar refrigerat, cor roborat.

Vel ℞. *Aq. fontanæ puræ* ℔. ii. *sacchar. candi* ℥. i. *santali rubr. puln.* ʒ. iii. *cinnam.* ʒ. ii. *flor. rosarum rubr.* ʒ. i. Infunde in vitro clauso in loco horis 6. Deinde colentur. Adde *Spir. vitriol.* ℈. i. *succi citri, iulebi violar. rosar.* an. ℥. i. F. Claretum.

Vel ℞. *Aq. fontan. coctæ* (Nonnulli ei panem a furno calentem iniciunt) mensur. vnam, *aceti* quartam mensuræ partem, *sacchari albissimi vel candi, vel rotul. manus Chr.* ℥. iii. vel iv. F. Potus clarus.

Vel ℞. *Radic. acetosæ, cerasor. acidor. exsiccat.* an. ℥. i. ß. *pulpæ tamarindor.* ʒ. vi. *passul.* ℥. ß. *fruct. berber. siccat. vel condit.* ʒ. v. *sem. Melon.* ʒ. iii. Coq. in *aq. hordei* s. Col. ℞. ℔. ii. *succi citri.* ℥. iv. *iulebi violar. vel rosat.* q. s. M.

In malignis vtilissimum est decoctum C. C. cum spiritu vitriol. vino granat. iulebo rosato.

Vel ℞. *Decocti* C. C. ℔. iii. *syr. de succo viol.* ℥. iv. Transfundantur aliquoties de vase in vas, & spiritus vitriol. guttæ aliquot, quæ ipsi gratam aciditatem concilient, adiiciantur.

In potu tamen administrando id obseruandum, de quo etiam suprà dictum, vt potus non sumatur in principio paroxysmi, vel in augmento, sed in vigore, & potissimum febrili accessione iam declinante. De nitro supra semel atque iterum dictum, quod aliis medicamentis in hoc genere non cedit, sed summam calorem præternaturalem coërcendi, sitimque sedandi vim habet.

Singultus.

Singultus accidit in febribus præcipuè, dum ventriculum humores acres & mordaces, nonnunquam & maligni, vel quocunque modo naturæ molesti, vellicant. Vtilissimum autem est, primò humorem illum, qui ventriculo molestus est, vomitu reiicere. Si post vomitum singultus manet, reliquus conuenienti modo alterandus: in quo consideranda est natura humoris. Nam si frigidior est humor, tutiùs dantur calida, vt Syr. de mentha, absinthio, & si febris patitur, vinum absinthites, decoctum flor. chamæmeli, absinthij, anethi. In calido autem humore conueniunt lactuca portulaca, acetosa, & similia: & bolus Armenus cum aq. Nymph. buglossi, rosar. portulac. Vel emulsiones sem. 4. frigid. mai. cum aq. portulac. acetos. Conuenit & vinum granat. & conseru. rosar. viol. Quòd si his omnibus singultus sedari non potuerit, danda gr. iii. vel iv. Laudani opiati; in humore quidem calido, cum conserua rosar. acetosæ; in humore autem frigido cum conserua menthæ vel absinthij, cui gutta vna atque altera olei destillati chamæmeli vel anethi addi potest.

Si Laudanum opiatum desit, Philonium vel Theriaca eodem modo vsurpari potest. Extrà verò ventriculo adhibenda est cucurbita cum multa flamma. Alij verò dorso è regione ventriculi eandem applicant. Inungatur quoque oleo absinthij, menthæ, anethi, vel fomentum ex iisdem instituatur.

Vel ℞. *Menthæ absinthij* M. ß. *sem. anisi, carui, anethi, radic. cyperi*, an. ʒ. ii. *caryophyll.* sesquidrachmam. Insuantur sacculo, coquantur vino rubro pro fomento.

Cardialgia & Vomitus.

Cardialgia & Vomitus. Cardialgia, nausea, vomitus ex eadem ferè causa oriuntur, ex qua singultus. Nam quandocunque materia aliqua vitiosa, corrupta, maligna, vel copia vel qualitate aliqua vitiosâ ventriculum irritat & molestat, nunc inde dolor solùm oritur, nunc singultus, nunc nauses, & inanis vomendi conatus, nunc natura id, quod molestum est, vomitu reiicit: Idcóque hi affectus eadem ferè habent remedia.

Vomitum quod attinet, non semper statim sistendus, sed nonnunquam etiam promouendus, vt materia vel copia vel malignitate molesta euacuetur. Sublatâ enim materia ventriculum vellicante, vomitus sistitur: si verò materia diutiùs detineatur, magis corrumpitur, & maiora ac grauiora postea inducit symptomata. Potest eadem quoque per aluum educi. Et si ventriculus omnia medicamenta vomitu reiiciat, Clystere materia versùs inferiora ducenda. Si tamen vomitus sit nimius & ita diuturnus, vt cibi exhibendi nulla occasio sit, virésque debilitentur, & metuendum, ne isto motu & irritatione omnes totius corporis humores vitiosi ad ventriculum confluant, omninò sistendus est. Quod fit, si assumantur medicamenta ventriculum roborantia, humorésque secundùm qualitatem, quâ ventriculo molesti sunt, alterantia. Itaque si humor calidus & biliosus, quod plerumque fit, vomitus causa sit, exhibeatur Syrupus acetos. rob ribium, succus berber. diacydon. conserua rosar. præcipuè vitriolata, sem. acetos. portulacæ, Corallium præpar. margaritæ, extract. tormentillæ, spir. vitriol.

Si

Si verò bilis sit acris valdè, qualis est prassina & æruginosa, ea in primis medicamenta ex antea dictis eligenda, quæ summam vim acrimoniam illorum humorum obtundendi habent, qualia sunt decoctum hordei cum semin. melonum, Syrup. acetosæ & nymphææ cum aq. buglos. violar. & simil. Hinc, vel etiam prius rhabarb. Drach. i. sumere licet, vt materia illa subtrahatur. Si verò materia sit frigidior, nux moschata, caryophylli, macis, sem. coriandri, mentha, cortic. citri, sem. anethi, diacydon. compos. Theriaca non admodum vetusta conuenit. Vtile est & vinum decoctionis mastiches. Et si humor sit crassior, tenacior, vt faciliùs vomitu rejici possit, oxymelite s. vel scillitico incidendus. Vbi materia mista est, mista medicamenta adhibenda, vt aqua menthæ, cum Syr. ribes, puluis etiam iste in omni vomitu conuenit.

℞. *Cortic. citri, ligni aloes, mastiches, sem. coriandri, portulac. santal. alb.* ana ʒ.i. F. Puluis.

Extrà quoque quæ applicantur ventriculo, pro varietate causarum moderanda sunt. Vtilis est panis tostus vino madidus, & puluere coralliorum, nucis mosch. macis, spec. diarrhod. abbat. aromatic. rosat. conspersus: vel imponatur Emplastrum de crusta panis, vel Emplastrum ex fermento, mentha & mastiche, quod ita paratur.

℞. *Fermenti* lb. i. *fol. menth. sicc.* M. ij. *mastiches*, ℥. i. Terantur, & com *ol. mastich.* Fiat emplastrum, vel linimentum.

℞. *Crustarum panis parum tostarum, & aceto rosaceo irrigatarum* lb. ß. *pulpa cydoniorum. vel diacydon. s.* ℥. ij. Misceantur affuso vino rubro, adde *puluer. mastiches*, ʒ. ß. *absinthij, rosar.* an. ʒ. ii. *macis, fl. chamamel.* an. ʒ. i. *ol. rosac. chamamel.* q. s. F. Cataplasma.

Vel paretur emplastrum ex pulpa cydoniorum cum puluer. coralliorum & rosarum. Vel imponantur sacculi, aut cataplasmata ex foliis menthæ, absinthij, florum chamæmel. meliloti, rosis, anetho, radic. syperi, caryophyll. acori, zedoar. bacc. iuniperi.

Vt ℞. *Absinthij, rosar. rubr.* an. M. ß. *radic. cyperi* ℥. ß. *mastiches* ʒ. iij. *caryophyll. macis* an. ʒ. ß. Cum sindone rubrâ F. Sacculus.

Vel vngatur ventriculus ol. absinthij, menthæ, cydoniorum, mastichino, nardino, nucis mosch. Destillata sunt efficaciora.

Naribus quoque quædam non inutiliter, contra vomitum adhibentur odoramenta, vt mentha, ruta, acetum, aqua rosarum, panis item tostus aceto madidus.

Si iis omnibus vomitus non tollitur, ad laudanum opiat. accedendum, cuius gr. iij. cum Syr. vel conseru. conueniente exhibeatur.

Est & hoc obseruandum, si materia sit maligna, quæ ventriculum vellicat, ea eligenda, quæ simul malignitati resistunt, vt C.C. terra sigillata, bolus Armenus, corallia, margaritæ, cum conserua rosar. acetosæ, rob ribium, berber. quibus addi potest aliquid Theriac. vel Mithridatij.

Alui fluxus.

Alui fluxus in febribus sæpe oriuntur ob humores ad intestina fluentes, & vel copiâ vel qualitate expultricem stimulantes; vel quòd virtus ita debilitata sit, vt excrementa retinere nequeat. Nonnunquam & fluxus colliquatiui accidunt, cùm ob causæ malitiam & magnum æstum quasi colliquati humores ad intestina fluunt. Ob posteriores duas causas si alui fluxus accidat, res cum summo periculo coniuncta est, raróque ægri conualescunt, & cum id vnicè agendum, vt causæ vehementiæ & malignitati resistatur. Ob alias verò causas si fluxus accidat, modò qualia oportet euacuentur, & si æger bene ferat, sisti non debet. Si enim sistatur, & materia, quæ euacuari debebat, retineatur, retenta ea longè peior euadit, & postea sursum fluxum periculosiorem excitat, vel ad partes nobiles regurgitat, & symptomatum pessimorum author est. Si verò sponte non sistatur fluxus, & ob diuturnitatem, vel virium deiectio, vel dysenteria metuenda sit: initiò illi humores acres & intestina vellicantes abstergantur, & per lenia soluentia mori humores educantur, & quidem per talia, quæ post se adstrictionem relinquunt: qualia sunt rhabarb. præsipuè in substantiâ sumtum, syr. rosar. solut. myrobalani.

Postea ea exhibeantur, quæ seu acrimoniam seu malignitatem humorum corrigunt, & adstringunt. Vtilissimum est, talia cibis admiscere. Ergo semen acetosæ, berber. sumach, quod commodissimè cibis admiscetur; radic. tormentill. nodulo includantur, & in iosculis ebulliant. Cum Cibis etiam sumantur vel misceantur Syrupos, vel miua Cydoniorum, Syr. ribium berberis, spec. diamargar. frigid. corallium, C.C. bolus Armenus, terra sigill. Vtile etiam est lac ex amygdal. dulc. & sem. 4. frig. maior. ac papauere cum aquis conuenientibus paratum. Eadem quoque extra cibum exhiberi possunt. Et præter ista conserua ros. antiqua, conseru. tormentill. quæ valde efficacia sunt, vt & ipsa tormentill. quocunque modo sumta, rob ribes, diatragacanth. frigid. camphora, vinum granator. cydoniorum, decoctum C.C. Trochisci de terra sigill. de carabe, de spodio: Crystallus in bile æruginosa, quem suprà ex Ioh. Langio, *lib. 1. epist. c. 4.* porraceæ & æruginosæ bilis ac dysenteriæ alexipharmacum diximus, quod ex eodem etiam repetit Valeriola, *lib. 4. enarrat. c. 3.* Vterque verò proculdubio, ex Petri Aponensis *libro de venenis* sumsit. Atque hæc omnia ferè in fluxu bilioso locum habent.

Si fluxus verò sit liensericus & à causa frigida, vtiliter sumitur Mastiche cum rosata nouella. Per aluum injiciantur Clysteres abstergentes tantùm ex decocto hordei, addito sacchare & melle rosato. Postea adstringentes vsurpari possunt, ex rosis rubris, plantagine, consolida, tormentill. cum ol. menthæ, myrtino, rosaceo. Extra quoque applicentur, quæ ventriculum atque intestina roborant, vt pulpa cydoniorum in aceto cocta, & alia, quæ in vomitu sunt proposita. Nisi his fluxus sedatur, ad laudanum opiatum, Philonium, Theriacam recentem veniendum. Videndum tamen, ne fluxus alui sit ex obstructione venarum mesaraicarum. Tunc enim adstringentia nocent: vsurpanda verò hordeum, Rhaphonticum, diatrionsantalon, spica nardi, & alia aperientia & simul roborantia.

Lipothymia & Syncope.

Lipothymia & Syncope.

Tandem Lipothymia & Syncope in febribus nonnullis, inprimis malignis, ægros infestare solens, ad quam tollendam medicamenta roborantia Cor, suo loco proposita conueniunt. Exhibenda videlicet Conseruæ, Syrupi & aq. rosar. borrag. bugloss. melissæ, Syr. acetosit. citri, de cortic. citri, de rubo Idæo, tunicis, vinum granator. confectio Alkermes, spec. cordial. temperatæ, Electuar. de gemmis, diamargarit. lignum aloës, corallia, margaritæ, emulsio margarit. cum aqua rosar. borrag. & cinnamomi parata, tinctura & solutio coralliorum, solutio perlarum.

Vt ℞. *Conserua rosar. tunicis, borragin. bugloss. acetosell.* an. ℥. i. *margarit. prapar.* ʒ. i. *oss. de C. C.* ℈. ij. *C. C. s. vstion. praparat.* ʒ. sem. *fol. auri* num. vj. *confect. Alcherm.* ʒ. i. ß. Cum Syr. acetos. citri, F. Electuarium.

Vel ℞. *Ambr. grysea.* gr. viij. *mosch.* gr. i. *sacch. albiss. parum.* Tere affundendo aliquid *spiritus rosar.* F. instar pastis. Hinc ponatur in vitrum clausum in sellam in arena per mensem. Postea iterum aliquid sacch. & spiritûs & ros. affunde, iterum sepone. Dosis pisi magnitudine in liquore conueniente.

Extrà applicentur pulsibus & cordi sacculi ex rosis, ligni aloes, santalis, corticibus citri, radic. ireos, melissâ, flor. borragin. bugloss. vel linteamina aquis ex eisdem madida apponantur.

Vt ℞. *Cortic. citri flauor. rosar. rubr. santali citrin. galang. macis*, an. ʒ. i. ß. *spec. diamosch. dulc. Zedoar. caryophyll. meliss.* an. ʒ. i. *camphor.* ℈. ß. F. sacculos, qui irroretur aq. melissæ & aceto ros.

Vnguenta itidem cordialia ex vnguento rosaceo, ol. destil. citri, caryophyll. cinnamomi, rutæ, croco, camphorâ parata.

Odoramenta omnes spiritûs recreans, qualia parantur ex aqua rosar. cinnamom. carbunculi, vino, radicibus ireos. Vtilis est ad hanc rem puluis in *Dispensat. August.* sub titulo, *Puluis violatus odoratus.*

Mulieribus tamen, ea quæ odoratiora sunt, tutò non semper admouentur. Habenda quoque in hisce ventriculi ratio, cùm illa animi deliquia non rarò à ventriculi officio ortum habeant: Quod si fiat, exhibendus panis vino odorato vel vino granatorum madidus, fomentandúsque est ventriculus decocto absinthij, menthæ, flor. rosar. rubr. chamæmel. & alij, quæ *in singulis* sunt explicata.

Hæc, quasi obiter, & appendicis loco, de quibusdam & frequentioribus, quæ febricitantes infestare solent, symptomatibus dicta sint. Qui plura de horum & aliorum, quæ febribus accidunt, symptomatum causis & curatione cognoscere cupit: eos, qui ex professo hac de re scripserunt, consulat. Vt enim symptomata talia rectè tollantur, causarum, quæ variis symptomatis non semper eædem, cognitione exactâ omnino opus est: Quam quia sæpe vulgus & empirici negligunt, non leuiter errant. Dum enim, quæ vni graui aliquo symptomate laboranti, profuisse animaduertunt, aliis, qui simile quid patiuntur, causæ inuestigatione neglectâ, adhibent, sæpe accidit, vt ægris non solùm non prosint, sed & noceant: cùm eadem symptomata è diuersis causis proueniant.

Conclusio.

Atque hæc, Lector Beneuole, sunt quæ de Febribus iam dicere potui: Voluissem plura, & meliora, & forsan potuissem, si otium illud, quo nonnulli abundant, mihi quoque concessum fuisset. Verùm hæc pleraque inter morbos Epidemios superiorum annorum, & crebras ægrotantium interpellationes, animo hinc inde distracto, conscripta fuerunt. Pro quibus ipsis tamen, Deo ter Opt. Max. omnium bonorum authori, gratiæ immensæ debentur. Ideóque Hymnum, quem sub initium anni 1614. Febris quartanæ, quâ laborauerám, & pestilentiæ grassantis periculis liberatus atque ereptus, Deo Seruatori cecini, hîc subiungere, & quasi votiuam tabulam suspendere volui, imò debui.

Ergo iterum desueta diu, iamque obsita longum
Spissa plectra situ in numeros animare canoros
Inclyta facta iubent, Bonitásque immensa Iehouæ.
Eia age Mens, Cor, Lingua & corpore quicquid in hoc est,
Exerere, & quascunque potes, nunc collige vires,
Totúmque in laudes te magni effunde Iehouæ.
Mens eia exerere, & meritas Patrique Deoque

Clementi grates persolue, atque omnia in vnum
Sis conferre memor laudum ornamenta Iehouam
Ille quidem iustus Deus est, abnormia plectens
Facta hominum: at facilis venia & placabilis idem,
Non memores durus producit longius iras:
Sed leuat oppressos vltro, gemitúsque precantum
Audit, nec blando affectum Patris exuit vnquam,
Nam scit, quam nostra fragilis sit fabrica massa.
Ecce etenim! vrente me vis longinqua tenebat
Morbi; languebam, ceu flos, cui feruidus Auster
Abstulit afflatu succum gratúmque decorem.
Iam mihi mors atra ante oculos, tenebraque sepulchri
Versari. Tum clamaui: ne, quaeso, dierum
Nunc abrumpe mihi numerum, Pater optime, parce;
Audiit orantem, & mea mi peccata remisit.
Audiit orantem, & mortis tenebrisque sepulchri
Me bonus eripuit, cordi, membrisque vigorem
Reddidit antiquum; & curas tristémque dolorem
Laetitia, luctúmque hilari mutauit ouatu.
Post cùm praesentem inuenirent omnia mortem,
Vt tenebras mortis vitarem & mille pericla,
Me baculo rexit Pastor bonus: ille sinistra,
Et dextrâ strages inter morientium, & inter
Pestiferi occultè volitantia tela veneni
Liberum ab interitu seruauit, méque sub alis
Ceu pullos gallina, manu omnipotente tuens,
Et tutum in medio voluit praestare periclo.
Summè; DEVS bonus est, & quàm promittere larga.
Spes vnquam potuit, largitur plura benignè,
Ergo tot totiens liber, Deus alme, periclis,
Ergo tot toties auctus, Pater optime, donis,
Quid faciam? quo te tam gratus munere donem?
Nil habeo, DEVS: omne tuum est, quod Pontus & Aether,
Quod Tellus habet. Hoc vnum mihi restat egeno,
Vt gratos tibi persoluam. Quare accipe grates.
Verùm quas valeo, non quas tibi debeo grates.
Magnus es, ô Deus, atque tuum mirabile Nomen!
Magnus es, & nullis prensandus sensibus, omne
Immensum humani ingenij excedis acumen,
Principium sine principio, te nullu coercet
Meta, nec vllius te claudit terminus aeui:
Nil tibi cras, vel heri; sunt cuncta Hodie, Omnia sunt Nunc:
Omnia scis, & cuncta potes, Tu Totus vbique
Cuncta reples; praesens sustentas omnia; praesens
Cuncta regis; cunctis tua dat praesentia vitam:
Omnia habes; nullius eges, mutabile nil est
In te: cuncta agitas; nec te tamen omnia agentem
Exercet labor; est requies, sunt otia semper
Laeta tibi, in te vno requies tua; sufficis vnus
Ipse tibi: melius nil te: nil omnia prae te:
Omnia sunt à te, per te sunt omnia, & in te!
Magnus es, ô DEVS, & totus mirabilis idem!
Verùm cuncta tuo superas facta inclyta dextra
Erga mortales miseros Clementia Amórque;
Atque super cunctos Bonitas tua maxima coelos
Eminet immensum. Lapsis peccata remittis,
Frigis oppressos, mediáque in morte iacentes
Seruas, & mortis ereptos in pristina reddis,
Sed quo plura cano, restant mihi plura canenda:
Deficiunt vires; dextra benefacta benigna
Non obtusum caput mens haec; mea lingua, meum cor
Non laudes aequare tuas, non facta referre
O! verè miranda potest, lingua haesitat, & mens
Tot donis cumulata stupet, tanto aucta fauore.
Ergo cùm desint vires, tibi prompta voluntas,
Et grato placeant hae fusa è pectore grates.
Sed, Pater, & porro antiquo me amplectere amore:
Auxiliumque à te sperantem rebus in arctis
Non sperata ope destitue: spes credula ne me
In te confundat fidentem. In corpore sano
Da sanam mentem, vt laeto te pectore semper
Laudare, ac rectè, mihi quae expedienda dedisti,
Officiis fungi, & tua iussa capessere possim.
Pestiferi depelle procul contagia morbi.
Et tandem depone graues, vt mitis es, iras;
Vndique sit nobis salua haec Sarepta; nec ignem,
Nec pestem, nec bella, faméme, aut quicquid alumnis
Nempe tuis Satana minitantur vísque dolisque,
Floret: in excubiis coeli felicis alumni
Stent vigiles: saluus sit defensoribus istis,
Cum Patriis Patriae Pater, & Schola floreat annis,
Leuicorum innumeris, serorum ad secla nepotum:
Vt commissa sibi Diuina oracula, Linguas,
Atque Artes, Dia fama monimenta, propaget:
Sic cor, sic linguam, sic corpore quicquid in hoc est,
In laudes animabo tuas. Te luce canam, te
Nocte canam, penita fibra ex pectoris, & quod
In me est cunque, tuam Bonitatem, almámque fauorem
Perpetuò celebrabunt, & tua facta sonabunt:
Inclyta facta, tuoque feram miranda potentis
Gesta manus, viuens dum spiritus hos reget artus.
Quin natis narrabo meis illa omnia, natique
Vt natis porrò narrent memoranda iubebo.
Verùm quid promitto, Deus! promittere quicquam,
Me quando intueor, mea cùm promissa recordor,
Ausim ego! quin potiùs sic tendo ad sidera palmas,
Qui mentem exprompt am, Deus, & qui Velle dedisti,
Da quoque posse: etenim sine te mea nulla potestas,
Idem fac coeptis adsit Constantia factis,
Dux operum semper tua sit Sapientia, ab alto
Illam mitte throno coeli, scintillula lucis
Diuina igniegenae radiis emissa pigrantem
Fomitem in ingenij mentem hanc accendat, amore
Vsque vt inextincto Verique calescat & Aequi.
Vt vita, quod restat, iter, pérque auia, pérque
Obscuras mundi tenebras, & nubila caeca,
Praelucente facem te, recto tramite pergam!
Sic erit, vt quondam felici sede receptus,
Cum Cherubim, Seraphim, & Caelestis ciuibus aula
Omnibus, aeterno celebrem tua Numina cantu!
Et, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Ter Maxime, Térque
Optime, non cessante canam per secula ouatu!

FASCI

Digitized by Google

FASCICVLVS MEDICAMENTORVM CONTRA PESTEM.

Pro diuersis Rebusp. à Clariss. aliquot Medicis præscriptorum iuxta ordinem annorum & Resp. dispositus.

ET PRIMVM

Conscripta & Collecta à PETRO SIBYLLENO, *Reipublicæ Egranæ Medico.*

Anno 1564.

Trochisci fumales D. Pfelis*, quibus Illustrissimus Saxon. Princeps* Mauritius *vsus fuit.*

BENZOI *mundi in aq. rosar. macerati & rursus exsiccati*, Vnc. ii. *Styrac. calam.* Vnc. ß. *santal. citrin.* Drach. ii. sem. *lign. aloes*, Drach. i. sem. *rosar.* Vnc. iii. sem. Mixta tundantur in mortario ad horam vnam, pòst addatur *sacch. finiss.* Vnc. i. *moschi.* g̅. xv. *dissoluti in aq. rosar.* contundantur omnia ad horæ dimidium: addantur *zibeth.* g̅. vi. *mucilag. tragac. ex aq. rosf.* q. ſ. Fiant Trochisci.

Candela vel Trochisci, qui apud Comites & Nobiles in Misnia & Saxonia in vsu sunt.

℞. *Benz.* ℔. ß. pulueris. crassiusculè, & infundantur in aq. rosf. per diem naturalem. Postea ℞. *Fol. rosf. rub. recent.* Vnc. iv. *sacchar. finiss.* Vnc. j. pistentur longo tempore, tandem adde *Benzoë supra scriptam*, & rursum simul tundantur per duas horas, his admisce *moschi*, Drach. i. *ambr.* Drach. ß. *zibeth.* Scr. i. M. ritè, & formentur troch. parui, & inuoluantur foliis rosf. siccentúrque in vmbra, & recludantur in scatulam mundam.

Trochisci alij pro Consulibus & magnis viris in vrbibus.

℞. *Lign. aloes.* Vnc. sem. *benz.* Drach. iii. *mosch.* g̅. v. *sacch. cand.* Vnc. iii. F. ſ. cum *aq. rosf.* Trochisci.

Alij pro iisdem personis.

℞. *Benzoin.* Vnc. sem. *styrac calam.* Drach. ii. *lign. aloes.* Scr. sem. *sacch. cand.* Vnc. ij. *mosch.* g̅. ii. cum mucilag. tragacanth. ex aq. formentur Trochisci.

Vel ℞. *Ladan. benzoi, sacch. puriss.* an. Drach. vi. *mosch* Drach. ß. M. cum infuſ. tragacanth. F. Trochisci.

Puluis præstans carbonibus inspergendus.

℞. *Alipt. mosch.* Drach. ii. *benzoin.* Drach. iii. *styrac. calam. santal. citr.* an. Scr. i. *lign. aloes.* Scr. ß. *caryoph.* Drach. ß. *nucis mosch.* Scr. i. *cinnam. acerrim.* Drach. i. M. fiat Pulu. pro fumo.

Candela pro ciuibus suauiter redolentes, & vsitata in quibusdam Bohemiæ vrbibus.

℞. *Ladan.* Vnc. iii *alipt. mosch. oliban.* an. Vnc. i. *thymiam.* Vnc. i. ß. *rosf. rub. asæ. dulc.* an. gr. vi. *santal. citr. cinnamomi opt.* an. Drach. iii. *myrrh. cortic. aurant.* an. Drach. ii. *carbon. tiliæ* ℔. ß. Vnc. ii. *styrac. liquid.* q. ſ. M. cum infuſ. tragacanth. & formentur candelæ pro fumo.

Sacculus pro vestibus in scriniis.

Fl. lauend. viol. spica, an. M. j. *borrag. nenuph. meliss. basilicon.* an. p. i. *rosf. rub. non explicatarum.* p. ii. *ben. alb. & rub. cortic. citri, sem. citr.* an. Drach. sem. *lign. aloes*, Scrupul. i. *caryophyll. macis, cinnamomi acerrim.* an. Drach. i. *rad. irid. Illyr.* Scr. i *asa dulc.* Drach. ß. *mosch.* g̅. v. M. contundantur grosso modo. F. Puluis.

Pomum Ambra hybernum.

℞. *Lign. aloes*, ʒ. i. *calam. arom.* ʒ. ß. *caryophyll.* ℈. ii. *cinnam. acerrim.* ℈. i. *sem. ocym. caryophyll. citri*, an. ℈. i. *nucis mosch.* Scr. i. ß. *rosf. rub. maioran.* an. ℈. i. ß. *rad. valerian. diptamn. tormentill.* an. ℈ sem. *myrrh.* ℈. sem. *cubebar.* ℈. i. *sp. diasmoch. d. diambr.* an. ℈. i. *sem. nigell.* g̅. vi. *oriban. mastich.* an. ℈. ß. *rad. angelic.* ʒ. ii. *zedoar.* ʒ. i. *doronic.* ℈ i. g̅. *caphur.* g̅. iv. *ladani puri, styrac. calam.* an. ʒ. i. sem. cum styrace liquid. & modico olei spicæ odorif. F. Pomum cui adde *ambr. grysea.* g̅. vi. *moschi* g̅. vii.

Pomum æstiuale.

℞. *Terebinth. cum aq. rosar. semel atque iterum lotæ*, ʒ. i. *ladan. puri*, ʒ. ii. *rosar. rub.* ʒ. ß. *santal. omnium.* an. ʒ. i. *fl. violar. buglosf. nenuph.* an. ℈. i. *cort. granator. citri*, an. ℈. i *caryophyll. croci, macis*, an. Scr. i. *zedoar.* Scr. ii. *camphor.* Scr. ß. cum mucilag. gumm. Arabic. cum aq. rosar. extract. & styrace liquida, F. Pomum. Possunt addi gr. vi. Musch. in aq. rosf. dissoluti.

Pro pauperibus.

℞ *Rutæ recent.* M. i. Contundatur in mortario, adde aceti vini q. ſ. & agitentur inter se in mortario, deinde exprime succum per talem lineam raram, hunc serua, imbue in eo spongiolam, includéque in orbiculum perforatum ex ligno iuniperino, & alterna diebus renoua.

Pomum Ambra pro pauperibus hyemale.

℞. *Fol. rut.* Scr. ii. *maioran.* Scr. sem. *rosf. rub.* Scr. i. *lign. aloes*, g̅ iv. *rad. angelic.* Drach. i. *styrac. calam. ladan. puri*, an. ʒ. i. *caphur.* g̅. iv. *cera citrin.* Vnc. j. cum aq. rosf. F. Pomum.

Aliud ℞. *Fol. rutæ, summit. absint.* an. nº. xxiv. *maioran.* Scr. sem. *zedoar.* Drach. sem. *angelic.* ʒ. i. Contundantur & macerentur in aceto, ligentur in telam lineam rubr. & includantur ligneo pomo iuniperino perforato.

Sacculus cordialis.

℞. *Sem. acetosf. citri, cort. citri, been. alb. & rub. croci Oriental. integr. santal. omn. spic. Indic. corall. rub.* an. ʒ. ß *flor. borrag. buglosf. rorismar. rosf. rub.* an. p. i. *Sp. diamosch. d. Latit. Galen. cordial. liberant.* an. Scr. i. F. ſ. a. sacculus quadratus interpassatus ex sindone rubro duplici.

Aqua vitæ præstantissima præseruatiua Cl. Dn. D. Augus. Schurf.

℞. *Vini sublimati optimi, ex optimo vino 3. vel quater distillati* ℔. i. in quo infundantur, *caryoph. piper nigr. granor. Paradis.* an. ʒ. i. ß. *Nucis mosch.* ʒ. i. *Macis* ʒ. ii *cinnam. zingib. alb. galang.* an. ʒ. ii. *zedoar* ʒ. i. ß. *cubebar. lign. Aloes*, an. ℈. ii & g̅. ii. Omnia crassè contusa stent in infusione per d. 8. postea distillentur. ſ. a. in M. B. Deinde.

℞. *Illam aq. distillatam*, & Misce cum *Zedoar. diptam. alb. gentian. angelic. cardui ben. cardo paris*, an. Drach. i. *Santal. alb. citrin.* an. Drach. ß. *Mosch.* g̅. iii. *caphar.* g̅. iiii. *Theriac. Mithridat.* an.

an.Vnc.sem. Stent sic commixta ad dies tres, postea iterum distillentur, vt priùs. De ista aq. exhiberi potest Vnc. sem cum Dra.Theriac.& Vnc.iii.aq.acetos.vel plus vel minùs,secundùm naturam & conditionem infirmi & morbi.

Electuarium praeseruatiuum eiusdem,

℞.Spec.elect.de gemm.liberantis,an.Drach.ii. de Hyacinth. Scr. ii.smarag.rubin.an.Scr.i.sem.margarit.perfor.& non perforat.an. Scr.ii.corall.rubr.alb spodij,rasur.ebor. an.Drach.sem. ligni aloes ʒ.sem.oss.de C.C.nº.ii.C.C.vst. in aq. rosar.extincti,sem acetos. an.Scr.ii.santal.omnium, an. Drach. sem. rad. diptamn. alb. tormentill.an.Scr.v.terr.sigill.Drach.sem.boli Armen.sem.citri, ros. rub.an.Scr.ii.croci.Scr.i.fol. Auri puriss.num.xxx.moschi,ambr.an. gr. iii. Terantur lapides pretiosi in vino odorifero s. a. Deinde add.Sachar.cand.Vnc.xvii.cinnamomi elect.Vnc.i.sem.M.F.Pulnis,Dos.ʒ.j.in curatione,verùm in praeseruatione ℈.i.

Aliud praeseruatiuum & curatiuum eiusdem.

℞.Myrrh.croci.an.Drach.ii.oss.de C.C.Drach.i.diptam.alb.ʒ.ii. Zingib.alb.Vnc.sem.caphur. Drach.i.tormentill.Drach.v.zedoar. Drach.iiii.sē.serpentar.pimpinell.an.Drach.i.theriac.opt.mithridat.an.Drach.ii.M.com. Aq.vitae q.s. F.Electuarium.Dos.in curatione Drach.i.sem.cum aq.acetos.℥.iii.in praeseruatione Scr.i.

Electuarium D. Iouohsij Coloniensis.

℞.Cinnamomi.elect. Vnc. sem. nuc.mosch.rad.tormentill.boli Armen. an.Drach.ii. zedoar.doron.Roman.macis,aristolochia rotund.an.Drach.ii.fol.menth.coriand. prap.anisi, carui, corallior. santal.rub.fl.borrag.bugloss. an.Drach.sem. rad.endiu.cichor.taraxac.fol.pilosell.rad.pimpinell.pramors.an.Scr.ii.oss.de C.C.margarit.fragment.sapphiri,granati, an.Scr.i. xyloaloes, Scr. ii. croci Scr.i.conseru ros.antiq. Vnc.i. sacchar.albiss. & mellis despumati, an.q.s.succi scabiosa & acetos.an.Vnc.i.M.F.s.a.Electuarium.

Puluis D. Casparis Lindemanni.

℞.Fragment.hyacinth.Drach.i.ß.smaragd.sapphir.rubini, an. Scr.ii.margarit.non perforat.Drach.ii.Scr.i.corall. rub. alb.spodij de canna,rasur.eboris,lign.aloes.an.Drach.sem.oss.de C.C.nº.ix. sericei crude, C.C. vst.in aq.rosar.extinct.sem.portulac.acetos.coriandr.prap.an.Scr.i.santal.omnium,an.Drach.i.been.alb & rub. rad.tormentill.terr.sigill.boli Armen.ros.rub. an. Drach.i.Scr.ij. sem. citri Drach.i.caphur. g̃ vj. fol. auri nº.xxx. mosch. ambra. grys.an.g̃.vij.M.F.Puluis.

Puluis eiusdem, tempore hyberno.

℞.Cinnamomi electiss.Drach.ii.nuc.mosch.caryoph. an.Drach.i. sem.rad.valerian.pimpinell.tormentill.cort. citri, rad. vincetox. anul.camph.an.Drach.ii.santal.citr.Drach.i.sem. corall. vtriusq; Dra.i.carab.alb. Drach.i.sem.terr. sigill. boli Armen. an. Drach. iii.C.C.vst. Drach.i.caphur.Drach.sem.margarit. orient. Scr. ii. spec.elect.de gem.Drach.sem.sem.basilic. acetos. coriand. citri,an. Drach.sem.fl.scabios.anthos,ros.rub.borrag.an.Scrup.j. ligni aloes Drach.sem.Puluerisentur omnia subtiliss.F.Puluis. Exhibeatur cum vino odorifero,vel cum aq.acetos.vel alterius aq. cordial. Drach.j.in curatione,in praeseruatione Drach. sem.

Morselli D.Doct. Iohannis Behemi.

℞.Rad.diptam.pimpinell.an.Drach.i.ß.santal.omnium, an.ʒ.i. cinnamomi,lign.aloes,an.Drach.i.ß.oss.de C. C. Scr.i.rasur.ebor. margarit.sapphir.rubin.hyacinth, an. Drach. sem. vnicorn. Scr. sem. been vtriusque, sem.acetos.citri excorticati, an. Drach. ß. cort. citri Drach.i.ambra, mosch.an.gr.v. auri prap. Scrup. sem. sacch.albiss.in aq.acetos & scabios. diss. ℔.j. ß. F. Confectio in Morsulis vel rotulis. Huius medius morsulus manè & vesperi sumitur in praeseruatione.

Electuar. eiusdem, ex Zedoaria.

℞.Myrh.aloes,croci,oss.de C.C.diptamn.alb.an Scr.ii.zingiber. alb.Vnc.sem.caphur.Drach sem.rad.tormentill.Vnc.i. Scr.ij.serpent.pimpinel.an.Scr.i.zedoar.elect.℥.ii.Scr.ii.Theriac. vera Andrem.Mithridat.an.ʒ.iii.cum aq.pestil.q.s.F.Elect.

Huius ℞. manè quantit. auellanae, tempore praeseruationis sed in affectione pestis Drach.i.vel Scr.ii.

Electuarium confortatiuum in praeseruatione pro pauperibus, eiusdem Behemi.

℞.Ficuum rec.℔.sem.nucleor.iugland.℔.ß.ruta, Vnc. sem. salis communis Drach.i.ß.M.& contunde omnia in mortario,F. inde Electuar.add.succ.acetos.Vnc.ii.syr.acetos.cit.Vnc.i. De hoc manè sume portionem,quantitate iuglandis:

Electuarium, quod in vsu habuit M. Vldaricus Leonorus Medicus Pragens.

℞.Theriac.Alexand.opt.conseru.ros.an.Vnc.sem. mithridatij. Vnc.i.caphur.Scrup.iis.zedoar.rad.diptam. angelic.gentian. aristol.rot.tormentill.valerian. pramors. pimpinell. leuistic. veronic. baccar.lauri an.Scrup.ii.myrrh.rubr.Drach.i.boli Armen. praparat.in aq.acetos.abluti,terra sigill.an.Vnc. sem. croci Drach. sem. cinnamomi electiss. Drach.ii. electiss. de gem. f. & cal. diamosch. d.diamarg.f.diatrionsant. oss. de C.C.an.Scrup.ii. electuar.regij. Vnc.sem.syr.acetos. citri Vnc.ii. aq. vita contra pestem descript. Arnoldi de Villanoua ℥. i, M. omnia s. a. additis & commixtis auri foliat. folijs x.F.Elect.probatissimum.

Vsus huius remedij est: tempore praeseruationis magnitudine fabae particula mane horis 4. ante prandium sumitur. Tempore verò curationis, in comparatione fortia naturae & adulto viro, datur de eo pondere ducati, Mulieri in pondere aurei Rhenani: puero vel puellae pondere aurei Rhenani medij. Tempore hyemis, si pestis cum frigore aut tremore inuadit, exhibetur cum vino Rhenensi, & prouocetur sudor: in aestate cum calore si inuadit pestis, dissoluitur Electuarium hoc cum aq. acetos. aut aceto vini, aut aceto ros.

Electuarium aliud familiare, sed valde praestans D. Ion. Castneri.

℞.Nucleor.recent.excort.ex iugland.nº. xx. ficuum recent.nº. xv.fol.rut.summit.absinth. scabios. an.M.i.aristoloch. vtriusque, an. Vnc. ß. tormentill. pimpinell. diptam. alb. bacc. lauri excortic.an.Drach.iii.sem.rad.gentian.valerian,an.Drach.i.oss. de C. C.Drach.i.boli Armen.praparat.terr.sigill. an. Drach.iiij. macis, cinnamomi elect. caryoph.an Drach.i.mastich. Drach. sem. lign. aloes,zedoar.an.Dra.i.baccar.iuniper.matur.Drach.iii.Omnibus contusis adde deinde Theriac.Vnc.i.sem.aceti ros.Vnc. sem. vini opt. Vnc.iii.M.F.Electuarium,cui adde salis communis Vnc.i.

De hoc Electuario manè particula quantitate auellanae sumatur, horis 4.desuper ieiunando.

Alia eiusdem,

℞. ol. rutae. M.i.sem. omnium desiccatorum & puluerisator. rad.pimpinell.sicc.& contus.Vnc.i.sem.gentian. Drach. i. cardamom.Vnc.sem.baccar.iuniper. Vnc.i.nucleor.recent.ex iuglandib. Vnc.i.baccar.lauri excort.Vnc.sem.serpentar. Drach.ii. rad. tormentill.℥.ii.sem.bol. Armen.prap.Vnc.sem.His omnib.contusis & in puluerem redactis, addite Theriac. Alexand. Vnc.i.Mixta cum Vnc.sem. aceti rosar. rursus in mortario contundantur & commisceantur.

Manè de hoc Electuario 4. horis ante prandium auellanae quantitas sumitur.

Puluis eiusdem praestantissimus, & à multis approbatus.

℞.Aloes hepatic.Vnc.ii.myrrh.el.Vnc.ii.croci oriental.Vnc.sē. cinnamomi, coriand.prap.anisi an.Drach. iii. rad. tormentill. boli Armen.prap.an.Vnc.i.ß.terr.sigill.Vnc.sē.basilic.Drach.ii. been, alb.& rub.an.Drach.i.cortic.cassia lign.matris perlar. an.Drach. sem.oss.de C.C. corall.rub.rasur.Ebor.rhabarb.el.an.Drach.sē.sp. el.de gemm.℈.i.aromat ros.Gabriel. Drach.i.latit. Galen. Drach. sem.Sacchar.cand.sem.M.F.Puluis. Dosis eius Drach.ii.

Puluis Saracenorum satis praestans,

℞.Rad.tormentill.diptam.alb.tunic.an.Vnc. sem.sem. citri. boli Armen.prap.an.Drach.i.oss.de C.C.corall.vtriusque, an. Drach. i.ß.trium santal.an.Drach.sem.rhabarb.el. Drach. sem. spica g̃. iiij. caphur. Drach.i.M.F Puluis.

Confectio in morsellis.

℞.Sp.de gem.Mos.Drach.ii.liberant.Drach.i.radic.angelic.Scr. iiij.Zedoar.Scr.i.sem.cardopat. Drach.sem. pimpinell.Drach. semi.caryophyll. cinnamom. acerrim an.Scr.iij.croci, cardamom. an. Scr.ß.diptamn.Scr.j.been alb. & rub. an. Scr.j. fol.rut. calament. an.Scr.sem.vnicornu Scr.ij.smaragd. Drach.sem. margarit. granator.an Scr.i.fol.auri.nº.xvi.amb.Drach.sem. sacchar. q.s. cum aq.ros.& aceto dissol. F. Confectio in Morsulis: Dosis pro viris Drach.j. adolescentibus, Drach. sem.

Confectio alia in rotulis.

℞.Spec.diatrionsant.el.de gem.an.Drach.ii.rad.tormentill.diptamn, zedoar Zingiber. cortic. citri. macis, cinnamomi acerr. an. Drach.i.oss.de C.C.croci,an.Scrup.ß.sp.aromat.ros. Gabr. Drach. ii.saluificatis.Vnc.sem.fragment.lap.pretios.an.Drach.i.sacchar. q.s.in aq.scabios & rosar.dissoluto.F.Confectio in rotulis.

Puluis haud contemnendus D. Doct. Sturciadis pro diuitibus.

℞.Boli Armen prap.rad.tormentill.diptamn.an.Vnc.i.cinnamomi acerrim.corall.alb.prap.an.Drach.iii.rhabarb.elect. Drach. ß. terra sigill.cortic.citri,been.alb.& rub.santal. citrin. rasur. ebor. margarit.sem.sancti in aceto per diem infusi.an. Drach.ii. carabe. macis,an.ʒ.i.sem.acetos.endiu.portulac.spodij,lign. aloes,oss. de C. C.an.Scr.ii. serici combust. smarag. granat. hyacinth. rubin sapp. an.ʒ.i.auri & argenti foliat.an.Scr.i. spicanardi g̃.iiii.vnicornu. Scr.i.F.Puluis,Dos.ʒ.i. sumta in vino odorifero.

Cerotum

Cerotum D. Sturciadis sub alis & inguinib. applicandum.

℞. *Aloës hepat. myrrh. opt. gall. mosch. alumin. succi acac.* ana Drach. ß. *caphur.* Scr. sem. *rosar. myrtill. corall. rubr. santal. omnium*, an. ℈. i. *ladani* Drach. i. F. Puluis M. cum oleo lilior. ex florib. parato, & cum aq. rosſ. omnibus mixtis q. s. cerotum.

Iulep præseruatiuum pro deliciis.

℞. *Conseru. rosar. meliss. borrag. buglosſ.* an. Vnc. ii. *syr. de acetos. citri*, Vnc. i. *aq. acetos. scabios. rosar. pimpin.* an. Vnc. ii. M. F. Iulep.

Puluis præseruatiuus pro infantibus.

℞. *Rhabarb. el.* Drach. i. *C. C. vst. aloes. lot. prap.* an. Scr. i. *fem. fancti*, Scr. ii. *sem. acetos.* Scr. i. ß. *caulium* Scr. ß. *citri, puln. lumbric.* an. ʒ. ii. M. F. puluis. Eius dosis est ʒ. i. dissoluta in aq. sacchari.

Conditum pro grauidis.

℞. *Conseru. rosſ. borrag. buglosſ.* an. Voc. i. sem. *rorismar. citri condit.* an. Vnc. sem. *bol. Armen. prap.* ʒ. ii. *zedoar. dictamni, croci, tormentill.* an. Drach. ß. *Syr. de Succo Borrag. cortic. citri*, an. q. s. *fol. auri aliquot.* M. f. a. F. Conditum. Dosis est prægnantibus quantitas mediæ auellanæ; haustu desuper exiguo ex vino sumto.

Alexiterium in formâ electuarij M. Iohan. Bohemi Vuittebergensis.

℞. *Rad. tormentill. pimpinell. cortic. citri*, an. Vnc. i. sem. *angelic. terr. sigill. vera. boli Armen. veri prap.* an. ʒ. ß. *Trochisc. de caphor.* ʒ. i. *myrrh. elect. aloes lot. cum aq. rosſ. zedoar. macis, garyophyll. nuc. mosch. baccar. lauri, zingib.* an. Drach. i. *croci orientał.* Drach. i. sem. *ossſ. de C. C.* Drach. sem. *C. C. vst. ac lots*, Drac. ii. *diptam. Cretic. ireos. gentian. sem. cardui ben. citri*, an. ℥. i. *sp. diaplirit. mosch. diamarg.* an. Drach. i. *diambr. diamosch. dulc. el. de gemmis*, an. Drach. i. sem. *theriaca optima Mithridatij*, vel *diascordij Fracastor.* an. Vnc. i. *syr. acetos. citri* Vnc. ii. Puluerisanda puluerisentur diligenter, deinde cum Theriaca & Mithridatio incorporentur, donec omnia bene vniantur, & cum syr. acetos. citri, F. Massa mediocriter solida. Detur Drach. i. sem. cum aq. acetos. post incisionem venæ, & sudet ac non dormiat. Puero Drach. sem. datur. Sed in præseruatione manè horis 4. ante prandium ß. c. i. exhibetur.

Alexiterium D. Stephani Vuilde, Medici Zvviccauiensis.

℞. *Rad. Angel. vera. aristoloch. vtriusque, vnicornu, gentianæ, galanga*, an. Vnc. sem. *cortic. citri, croci, cinnamomi, pimpinell.* an. Drach. ii. *ligni aloes, serici crudi, diptamn. Cretic. tormentill. limat. auri, margarit.* an. Drach. i. sem. *ossſ. de C. C. sem. acetosell. boli Armen. prapar. terra sigill. vera, rasur. eboris, doronici, santalor. omnium*, an. Scr. iv. *baccarum lauri, absinth. been. alb. & rub. fragment. 5. lap. pretios.* an. ℈. ii. *passular. mundat.* Vnc. i. *sacch. candi* Vnc. ii. *caphur.* Drach. ii. M. F. s. a. Electuarium solidum.

Idem est vsus seu vtilitas cum superiore.

Electuarium siue haustus Iouis barbarè dictus

℞. *Theriac. opt. Alexand. & el.* Vnc. iii. *rad. tormentill. subtilissime pulu.* Vnc. i. M. in modum Electuarij. Deinde.

℞. *Vini ter distillati* Vnc. iii. *camphor.* Vnc. sem. in mortario agitentur, & fiat seorsim aqua, quæ seruetur in vitro. Signetur aqua pro haustu Iouis.

Vsus huius electuarij est.

℞. *Elect. modo descripti* Scr. iv. *vini sublimatic. camph.* ʒ. i. *aq. scabios. & acetos.* an Vnc. i. Detur hæc dosis infecto. Quisquis enim in peste hanc medicinam vsurpauerit, eámque retinuerit, & desuper sudauerit, euadet.

Antidotus Monachorum.

℞. *Diptam. Cretic. tormentill. aristoloch. long.* an. Drach. ii. *zingib. alb. zedoar. cinnamom. el.* an. Vnc. sem. *ossſ. de C. C. vnicorn. ligni aloes*, an. Drach. i. *camphor.* Vnc. sem. *sacch. cand.* Vnc. i. *Mithridat. Theriac. vet.* an. Drach. ii. F. cum Syr. acetos. citri Elect.

Pilula præseruatiua pestis, & ventris lenitiua Spirenses.

℞. *Ossſ. de C. C. croci, spodij, sem. ocymi.* an. ǧ. xv. *ligni aloës* ǧ. xii. *boli Armen. praparat. cum aq. rosſ.* Scr. ß. *camphor. been. alb. & rub.* an. ǧ. vii. ß. *buglosſ.* Drach. sem. *garyophyl. cortic. & sem. citri, zingib. el. omnium mundatorum* an. Scrup. sem. *ambr. grys.* ǧ. iii. *Hyacinth. granati*, an. ǧ. v. *agaric. el. rhabarb. opt.* an. Drach. i. *spica*, ǧ. v. *aloes.* ʒ. iii. sem. & gr. iv. cum *aq. buglosſ. & saluia.* F. Massa oblonga, quæ in vmbra exsiccari permittatur.

Pilula alia cuiusdam excellentis Medici, eiusdem virtutis.

℞. *Fol. scordij* Drach. i. sem. *summit. centaur. min. agaric. trochisc. aloes opt.* an. Drach. i. *summit. ageratí, sem. santonic, nigell.*

anis. garyophyl. an. Drach. i. sem. *C. C. vst. prap. pulu. succin. albiss. sem. acetos.* an. Drach. sem. Pulueriseotur omnia per se: postea aspergantur succo aurantiorum, mixto cum acerrimo aceto vini, & aq. rosarum, æquia portionibus, & permittantur exsiccari, macerentur septies, vltimò addendo *croci* gr. xii. *Moschi ambr.* an. gr. x. cum *syr. de succo aurant.* F. Magdaleon vel massa.

Electuarium præseruatiuum D. Georgij Curionis.

℞. *Succ. Diptam. succi folior. ruta sylu.* (in vere; in æstate verò ℞. eorum radices exsiccatas) an. Vnc. vj. Deinde. ℞. *Nucleor. ex iuglandib. excortic.* Vnc. iij. *fol. ruta domest.* Vnc. iij. *salis gemm.* Vnc. i. *ambra* ℥. ß. vel ad minus ʒ. iij. *ficuum siccarum*, ad pondus omnium, *Theriac. opt.* sextam partem. *myrrh. opt.* Vnc. i. *baccar. lauri* ℥. ß. cum melle despumato q. s. F. Electuarium.

Aut eiusdem.

℞. *Nucum recens. iugland.* num. xx. *caricar.* num. xvj. *ruta*, Vnc. iij. *aristoloch. long.* Vnc. i. *tormentill. diptam. lauri*, ana Vnc. sem. *salis communis*, ad quantitatem nucis Gallicæ, *mellis*, q. s. F. Electuarium.

Sumatur omni manè in quantitate nucis Gallicæ, addendo pro lubitu, *theriac. Andromach.* q. s.

Puluis præstans D. D: Spirensium, probatus & in præseruatione, & curatione.

℞. *Imperat. carlin. plus, enul. aristol. rot.* an. Drach. sem. *pimpin.* ʒ. i. *sem. citri, cordial.* an. ℈. i. *cardui ben.* ℈. i. *ligni aloes, croci, caryophyll. cardamom. macis*, an. ℈. i. *ambr. moschi*, an. ǧ. viij. *cinnamomi*, Drach. iij. *aristoloch. long. zedoar.* an. ℈. i. *gentian.* ℈. sem. *sem. meliss. maioran. anni casti*, an. ℈. sem. *rasur. ebor. C. C. vst. carabes*, an. Drach. sem. *vnicornu*. ℈. ij. *tormentill.* Drach. ij. *santal. citrin.* Drach. i. sem. *rosſ. rubr.* Drach. sem. *camphor.* ℈. sem. *boli Armen. terr. sigill. ver.* an. Drach. ij. *coral. alb. rub.* an. ℈. i. *limatur. auri, margarit. smaragd.* an. Drach. sem. *sapphir. Hiacinth. Granat. Rubin.* an. ℈. i. sem. *sacchar.* q. videbitur.

Conditum pestilentiale.

℞. *Conseru. violar. rosar. borrag. buglosſ. citri*, an. Vnc. sem. *spec. de gemm. sr. diamosch. dulc. sem. citri, acetos. verben. gentian.* an. ℈. ß. *boli Armeni prap. terr. sigill.* an. ℈. iij. *rad. diptam. tormentill. Zedoar. doronic. ossſ. de C. C. Hyacinth. sapphir. rubin. Granat. margarit. corallior. rub. santal. omnium, rasura eboris, spodij, Vnicornu*, an. ǧ. vj. *diarrhod. Abbat. diatrag. frig.* an. Drach. sem. *fol. auri*, num. ij. *syrup. granat.* q. s. F. conditum & deauretur.

Confectio in Morsellis D. Sommerfelts.

℞. *Gran. iuniper. betonic. cinnamomi el. nuc. mosch. macis, caryophyll. Zedoar.* an. ℈. iv. *saluia, menth. ruta, cichor. serpentar. Angelic. aristol. long. & rot. enula campan. diptamni, gentian. tormentill. baccar. lauri*, an. Drach. sem. *santal. amb. croci, doronici, sem. acetos. leuistic. citri, eruca, oliban. mastich. terr. sigill. prap. myrrh. spodij, rasur. ebor. ossſ. de C. C. vnicorn. margarit. prap. sapphir. smaragd. corall. rub. ligni aloes*, an. ℈. i. *boli armen.* Drach. v. *sacchar.* q. s. dissoluti in *aq. acetos.* q. s. *camphor.* Scrup. sem. F. Confectio in morsulis.

Confectio in Rotulis eiusdem.

℞. *Santal. vtriusque, rosar. rub.* an. ʒ. ij. *sem. acetos. citri*, an. ℈. i. *margarit.* ℈. ij. *been, alb. & rub. ossſ. de C. C. serici combust.* an. ℈. i. *smaragd. Hyacinth. Sapphir. vnicorn.* an. ℈. sem. *sem. basilicon, doronic.* an ℈. i. *El. regis diaborrag.* an. Vnc. sem. *Sacch. tabarzet.* q. s. F. dissoluto saccharo in aq. rosſ. confectio in Rotulis.

Sacculi redolentes contra aëris infectionem pro vsu pharmacopolij.

℞. *Maioran. basilic. lauend. rosar.* an. Vnc. sem. *cortic. aurant.* ʒ. iij. *meliss.* Drach. ij. *styrac. calam. cinnamomi, santal. citr. zedoar. macis, caryoph.* an. Drach. i. *sem. acetos. coriand. endiu.* an. Drach. sem. *camphor.* ℈. sem. *spica Celtic.* Drach. ij. *croci*, ǧ. v. M. F. Sacculi quotquot volueris, & in duplici sindone exhibeantur.

Pilula præseruatiua pestis, & prauorum humorum in corpore eductiua D. Sixti Kolbenschlag.

℞. *Aloës succot. lot.* Drach. iij. *myrrh.* Drach. i. sem. *ambra* Drach. i. *xyloaloes, ossſ. de C. C. serici crudi*, an. ℈. ij. *been vtriusque. tormentill. boli Armen.* an. Drach. i. *valerian. diptam.* an. Drach. sem. *croci* Drach. sem. *rhabarb. el.* Drach. i. sem. *agaric.* Drach. i. *spica* ℈. i. sem. *salis gemm. zingib.* an. ℈. i. *cortic. citri* Drach. i. *schœnanth. asari*, an. ℈. i. *Nuc. mosch. caryophyl.* an. ℈. sem. *myrobalan. chebul. Inder. citrinor.* an. Drach. sem. *diagryd. correct.* Drach. ij. *margaritar. camphor.* an. ǧ. vj. cum Syr. de acetos. citri, vel de limonib. F. Massa Pilular. aut cum succo acetos. vel aq. absinthij. Dosis est, Drach. i.

Pilula Pestilentiales D. Sommerfelts.

℞. *Myrrh. croci. carab. boli Armen. corall. rubr.* an. Drach. i. *terra sigill. prap.* Drach. ij. *diptam. zedoar. sem. acetos.* an. ʒ. ß. *camphor.*

camphor. ℈ vi. aloës lot. ad pondus omnium. F. pilulæ ad magnitudinem pestilentialium. cum Syr. acetos. citri.

Electuarium liberantis pro pueris.

℞. Sem. santon. bol. Armen. an. Drach. ij. sem. caulium, citri, an. Drach. sem. rad. tormentill. enula. an. Scr. ii. corall. rubr. Scr. ii. smaragd. Hyacinth. Sapphir. an. Scr sem. rasur. eboris, ferri crudi, sem. plantag. an. Scr. i. sacch. albiss. Vnc. viii. acetos. aq. scabios. cardui ben. an. q. s. F. confectio in rotulis.

Experimentum præstans in peste & omni veneno, sæpe probatum.

℞. Rad. min. Olsenichy, an ℔. i. angelic. Vnc. v. diptamn. Vnc. iii. tormentill. Vnc. ii. pimpinell. Vnc. i. ß. Vnicorn. opt. Drach. vi. Theriac. veter. opt. ℥. ii. sem. Mithridat. Vnc. i. sem.

Hæ radices omnes debent esse recentes & colligendæ circa duo festa Beatæ Virginis, quæ collectæ & antè mundatæ, postea subtiliter incidendæ sunt, tandem desuper fundatur vini optim. quod. emineat duobus vel trib. digitis super præscripta ingredientia. Stent per diem & noctem in infusione, tandem distillentur cautè. & reponantur in vitro. & detur patienti bonus haustus; ieiunet desuper hor. vi. tandem à sudore detur ei citonium assum ad edendum; post huius vsum dentur ei cibi facilis coctionis, & parum.

Contra pestem mirabile.

℞. Rad. tormentill. chelidon. an. Vnc. iv. scabios. rute, an. M. i. sem. aceti vini, ℔. iv. Coquantur per quadrantem horæ, & dimittantur infrigidari. Huius decoctionis,

℞. Vnc. j. in qua dissolue, Theriac. Drach. ij. boli Armen. præp. ʒ. i. sem. M.

Haustus sudatiuus optimus.

℞. Theriac. electiss. elect. liberans. an. Drach. sem. Mithridat. Aure. Alexandr. pulu. diptamn. zedoar. terra sigill. croci hortens. an. Scr. i. boli Armeni. Scr. ii. aq. scabios. sambuc. solatri, an. Vnc. sem. vini ardentis, aceti, an. Vnc. ß. M.

Alius haustus expertus.

℞. Theriac. elect. Drach. i. Mithridat. Scr. i. elect. de croco Scr. sem. ℈ v. spec. liberans. Drach. sem. aq. rosar. scabios. acetos. an. Drach. i. M. Da infecto.

Aqua vita saluberrima & vtilissima in pestis infectione.

℞. Zedoar. diptam. alb. gentian. angelic. cardui ben. an. Vnc. sem. santal. alb. citrin. an. Drach. ii. mosch. opt. ℈. v. camphor. Scr. sem. Theriac. Mithridat. an. Drach. iv. Infundatur in nostra aqua vitæ: Stent in infusione per iii. dies, postea F. distillatio in B. M. Deinde.

℞. Caryophyl. piper. nigri. gran. Paradis. an. Drach. ii. Nuc. mosch. Vnc. sem. macis, Vnc. i. cinnamomi, Zingib. galang. an. Vnc. ß. zedoar. Drach. sem. cubebar. Vnc. sem. Infundantur in aqua vitæ nostra, stent in infusione per dies viii. postea distillentur s. a.

Haustus alius.

℞. Aq. bugloss. Vnc. vi. margarit. Scr. i. sem. rasur. auri Vngar. Scr. i. vnicorn. veri, Scr. sem. M F. Potus.

Electuarium pestis.

℞. Myrrh. croci. oss. de C. C. an. Scr. ij ℈. viij. diptamn. Drach. zingib. albiss. Vnc. sem. camphor Drach. ii. zedoar Scrup. viij. tormentill. Drach. i. Theriac. Mithridat. an. Vnc. iij. M. cum aq. vitæ, F. Electuar.

Puluis optimus, & expertus à quodam rustico contra omnia venena.

℞. Rad. valerian. Vnc. iv. vincetox. Vnc. i. polypod. q. Vnc. i. angelic. ver. Vnc. i. vrtic. min. Vnc. i. angelic. syluestr. Drach. vi. alth. Vnc. ii. cort. rad. coccognid. Vnc. i. Hæc singula in ollam nouam vitream ponantur, affundendo aceti vini acerrimi tantum, vt duobus vel tribus digitis supereminear, postea cooperiatur olla & perlutetur optimè. Bulliant lentè, deinde per mediam horam satis benè refrigerentur. Coletur acetum per pannum, & abiiciatur. Radicibus verò maceratis & coctis addantur baccæ duodecim vuæ lupinæ, & ad singulas baccas dena folia vuæ lupinæ. Exsiccentur hæc omnia supra fornacem, pulueri sentur, & per cribrum excutiantur. De hoc puluere tempore pestis propinetur Drach. i. cum vino albo, aut aceto pro diuersitate temporis.

Electuarium aliud salubre.

℞. Fol. scordij Drach. vi. Zedoar. angelic. garyophyl. tormentill. diptamn. vulg. an. Drach ii. gentian. Drach. i. sem. croci orient. Drach i. theriac. vera Andr. Vnc. i. sem. cum Syr. de succo scordij, F. Electuarium.

Theriaca cuiusdam D. Norimberg.

℞. Terra sigill. tormentill. an. Vnc. i. boli prap. diptamn. Zedoar. an. Vnc. sem. smaragd. auri finiss. an. Drach. sem. sem. citri mund. Drach. i. ambre Scr. i. croci Drach. i. F. omnium puluis, qui infundatur in syrup. limon. siue acetos. citri ℔. i. Stet tribus diebus in infusione, deinde commisc. & F. Electuarium.

Haustus sæpe probatus.

℞. Vini distillati septies opt. Drach. vi. camphor. Drach. sem. croci in quantitate mediæ lentis. M. detur infecto post venæ sectionem in aq. acetos. aut Borrag.

Electuarium curatiuum nobilissimum contra pestem D. Huperij.

℞. Tormentill. pimpin. angelic. diptamn. alb. an. Vnc. sem. valerian. magistrant. morsus diab. gentian. serpentar. an. Drach. ii. aristoloch. vtriusque, chelidon. vngul. caball. plantag. mai. caryophyllat. cort. rad. capp. an. Drach. ii. zedoar. Drach. iij. Herb. rute, verben. veronic. an. Vnc. sem. scabios. gran. laur. iunip. an. Drach. iij. cortic. citri, acetos. an. Drach. ii. sem. been. alb. & rub. doronic. lign. aloes, cinnamomi, an. ʒ. ii. galang. ʒ. ii. sem. myrrh. ʒ. iii. rasur. ebor. C. C. vst. Carabes. an. ʒ. ii. sem. bol. Armen. terr. sigill. an. Vnc. sem. salu Drach. ii. nucum iugland. ab vtroque cortice mundatar. n°. xi. ficuum pingu. n°. xxx.

Pulueri sanda puluerisentur, ficus & nuces incidantur. Coquantur demum cum ℔. sem. mellis despumati, instar opiatæ. Vltimò add. Theriac. opt. Vnc. ii. Mithridat. Vnc. iv. M. simul.

Infusio contra pestem D. Aubusimi.

℞. Bol Armen. terr. sigill. amborum in aq. ros. & aceto prepar. an. Vnc. vi. rad. diptam. alb. pimpinel. tormentill. valerian. Zedoar. gentian. an. Vnc. ii. angelic. imperial. Vnc. iv. fl. betonic. herb. scabios. cardui ben. an. M. ii. Herbæ & radices lauentur cum vino alb. deinde incidantur & infundantur in aceti & vini destillati, an ℔. vi. Huic infusioni add. Theriac. veter. lib. i. Dos. pro senioribus Vnc. ii. pro iunioribus Vnc. i. sem.

Electuarium cuiusdam Bauarici Medici.

℞. Pulu. salutificant. Vnc. sem. spec. liberant. lætificant. Rasis, an. Drach. i. sem. zedoar. Drach. ii. rad. angelic. Drach. iv. sem. cardope. Drach. ii. camphor. Scrup. iv. doronic. Drach. sem. fol. ruta Scrup. ii. semin. terr. sigill. præpar. Drach. ii. vnicorn. Drach. i. oss. de C. C Scr. ii. sulphur. rub. prap. caryophyl. an. Drach. iii. spec. lætific. Galen. Drach. i. diamarg. aromat. rosat. descr. Gab. an. Drach. i. ferri vsti Scrup. ii. xyloaloes crudi Scrup. ii. margarit. præparat. Scrup. ii. sem. fol. auri. n°. xxii. manus Christi perlat. Vnc. i. elect. de ouo Vnc. sem. theriac. veter. Vnc. vi. Mithrid. Vnc. ii. Cum Syrupo de succo acetos. F. Electuar.

Trochisci præstantes & singulares tum in præseruatione, tum in ipsa peste, sub lingua inter sudandum tenendi.

℞. Pimpin. scabios. tormentill. Zedoar. an. Drach. i. sem. angelic. ʒ. ii. sem. rasur. ebor. Drach. i. spec. el. de gemm. diamargar. diamosch. d. an. Drach. sem. sem. ruta. acetos. citri, an. Scrup. ij. gr. viii. myrrh. elect. ʒ. ii. ℈. v. alipt. moscat. gallia mosch. an. Vnc. sem. Theriac. Drach. v. Mithridat. Vnc. i. vnicorn. Drach. vi. Sacchar. tabarz. Vnc. xviii. cum mucilag. Tragacanth. F. Trochisci, demum inuoluantur in spec. liberantis.

Trochisci redolentes pro fumo in conclaui ipsius ægri.

℞. Lign. aloes, ladan. an. Drach. i. Styr. calam. Drach. sem. mosch. optim. ℈. ii. Sacchar. Vnc. i. sem. Cum aq. ros. F. Trochisci.

Puluis præseruatiuus & curatiuus pestis à Doct. Viennensibus ordinatus.

℞. Hyacinth. ʒ. i. smaragd. Rubin. an. Drach. ii. margarit. ʒ. ii. sem. corall. amb. an. Drach. iv. boli Armen. Vnc. i. crystall. ʒ. i. lap. bezoar. ʒ. i. diptamn. tormentill. zedoar, angelic. doronic. mors. diabol. pimpinell. valerian. been vtriusque, rhabarb. el. an. Vnc. sem. C. C. vst. præpar. ʒ. iii. rasur. ebor. santal. rub. & citr. an. Drach. i. croci, ʒ. sem. cinnamomi elect. Vnc. sem. sericis Drach. sem. sem. acetos. portulac. coriand. an. Scr. i. fl. violar. borrag. bugloss. nenuph. an. ʒ. i. sem. rosar. ʒ. ii. camphor. Drach. i. fol. aur. argenti, an. num. x. M. F. s. a. Puluis.

Electuarium D. Castneri.

℞. Conser. fl. tunic. Vnc. ij. acetos. Vnc. ß. Theriac. Venet. Vnc. v. Mithridat. Vnc. ii. sem. rad. Angel. Vnc. sem. tormentill. ʒ. i. sem. diptam. ʒ. ii. zedoar. ʒ. iij. boli Armen. prop. ʒ. ij. cardopat. ʒ. i. sem. fol. ruta ʒ. i. croci Oriental. Scrup. i. sem. camphor. Scr. iii. sem. sulphur. rub. prap. Scr. ii. vnicorn. Scr. ii. sem. smaragd. ʒ. i. sem. margar. Scr. ii. sem. fol. auri n°. xv. ambre Scr. i. Cum Syrup. acetos. citri, & succo acetos. F. Electuarium.

Aqua Bezoartica multum commendata.

℞. Caryophyll. piper. long. granor. Parad. an. Drach. i. sem. nuc. mosch. ʒ. i. macis, cinnamomi, Zingib. alb. galang. an. Drach. ii. zedoar. Drach. i. sem. cubebar Drach. i. lign. aloes. Scr. ii. sem. Conquassentur omnia & infundantur simul in iusta quantitate sp. r. vini rectif. ad iustum tempus digestionis, postea destillentur s. a. igne primi gr. Deinde.

℞. Zedoar. diptam. alb. gentian. angelic. montan. cardopat. cardui ben. petasit. an. Vnc. i. santal. alb. citrin. an. Vnc. sem. mosch. ℈. iij. camphor. Scr. sem. Theriac. Alexand. Mithridat. opt. an. Vnc. i. ß. Contundantur & iterum misceantur cum prædicta aq. destillata, ac digerantur simul tempore conueniente. Postea iterum distillentur, & vsui seruentur in vase idoneo.

Dos. est cochl. i. sem. dissol. in aq. acetosæ aut rosar.

Puluis

Pulvis Bezoarticus pro pauperibus D. Kegleri.

℞. *Castor. baccar. lauri*, an. ℥. ß. *aristol. rot.* ʒ.ij. *gentian. nucis mosch.* an. ʒ.i. *camphor.* ℈.i. omnia redigantur in puluerem.

Pulvis pretiosus, tempore pestis haud contemnendus.

℞. *Rad. tormentil. serpentar. leuistic. coral. alb. turpeth. spermatis ceti*, an. ℥. ß. *rad. fœnic. cortic. citri*, an. ʒ.i. *margarit. granator.* an. ʒ. ß. M.

Ex hoc puluere da ℈.i. mixtum Theriacæ præstantissimæ ʒ.i. & acet. vini, vel cum aq. scabiosæ.

Emplastrum mollificatiuum & maturatiuum.

℞. *Rad. lilior. alth. valerian. raphani, pyrethri, sem. sinapi*, ana ℥. ß. *gumm. ammoniac. sagapen. galban. opopan.* an. ʒ.vj. *pulu. scabios. chamæm.* an. ʒ.ij. *caricar. ping.* n. v. *succi cepa assatæ* ʒ.ij. *ol. scorpion. lilior. visc. querc.* an. q. s. Gummi dissoluantur, & F. s. a. Emplastrum.

Emplastrum aliud mollificatiuum, maturatiuum & aperitiuum, Doctoris Sturciadis.

℞. *Emplastri diachyl. simpl.* ℥. iij. *ammoniac. galban. dissolut. in aceto* ℥. ij. *ferment.* ℥. iij. *sem. sinap.* ℥. i. *cappar. assatar.* num. iij. *ficuum pingu.* num. viij. *uuar. pass. sine arillis* ℥. i. ß. Contundantur, & dissoluantur singula. F. cum ol. ros. resina & cera, in modum Emplastri.

Aliud.

℞. *Lingu. passer. rutæ, scabios. plantag. cortic. med. sambuci, ebuli*, an. M. i. exprimatur succus, cui adde *butyr. maialis*, q. s. Fiat Linimentum.

Topica Spirensia.

℞. *Theriac. Venet.* ʒ. i. *ſp. diamosch. d. ladan.* an. ℈. ß. Fiat cum modico oleo de spica linimentum.

Emplastrum

℞. *Cap. ass.* num. iij. *ficuum* num. x. *Theriac. ol.* ℥. ß. *pulu. castor.* ß. i. F. ad formam Emplastri.

Linimentum mollificatiuum & aperitiuum.

℞. *Mell.* ℥. ij. *salis communis, alb. Græci*, an. ℥. i. *pulu. gran. iuniper.* ℥. ß. F. Linimentum.

Aliud cuiusdam periti Medici pro bubonibus curandis.

℞. *Gapam, eam repleto ficubus, rutâ & optimâ Theriacâ.* Hanc itaque lino crasso, vel cannabe circumligatam assabis, ab assatione in mortario contundes, atque calidè buboni impones, idque singulis horis renouabis.

Alia familiaria & visitata Topica medicamenta pro apostematibus curandis.

℞. *Rutæ viridis, cepham in taleolas dissecti*, an. M. i. *sinap.* cochl. i. Omnibus contusis seorsim, deinde M. omnia, ex illis impone apostemati.

Aliud.

℞ Fimum gallin. M. cum albumine oui in formam Emplastri, quod applicatum apostemati extrahit venenum.

Item ℞. Medium corticem sambuci, tantundem farinæ auenaceæ, coque cum optimo crasso lacte, ad formam pulmenti, & calidè applicetur, quod citissimè maturat apostema, vt aperiri possit.

Pro Carbunculis & Anthracibus.

℞. Vnam lupinam, Germ. *einbeern.* (ea habet 4. folia & in medio nigram baccam.) Ex iis folium vnum pustulis applica quater in die, semper nouum apponendo.

MEDICAMENTA
Contra pestem, pro Republica Dresdensi, ordinata
A D. IOANNE NÆVIO, Elect. Saxonic. Medico.

Anno 1566.

Pulvis Præseruans.

℞. *Terræ Armeniacæ Orientalis veræ, & ter ex aq. scabiosa ablutæ*, ℥. ß. *rad. scabios. tormentill. valerian. Petasit. gentianæ, aristol. rotund. dictamni nostratis, enul. Campan. Angelic. Brisgoensis*, an. ʒ. xv. *Fol. Dictamni Cretici, scordij Cretici*, an ℈. iij. *cardui bened.* ʒ. i. *cinnam. interioris opt. acuti saporis* ʒ. ij. ß. *corticum mali citri* ʒ. ij. *seminis eiusdem excort.* ʒ. i. ß. *acetos.* ʒ. i. *sancti* ʒ. ß, *cornu cerui vsti.* ℈. iv. *scobis Eboris*, ʒ. ß. *ramentorum vnicornu veri, si haberi poterit*, ʒ. ß. *corall. amber. præp.* an. ℈. ij. *Margaritarum Oriental. præp.* ʒ. i. *santali lutei, croci oriental. seminis endiuiæ*, an. ʒ. ß. *camphor.* ℈. i. *succini albi* ℈. i. *ligni aloes crudi* ʒ. ß. *ossium ex corde cerui* ß. i. *pastillorum ex caphura*, ʒ. i. Pulverisentur subtiliss. & misceantur, mixtis adde *spec. Elect. de gemmis confectionis cordialis*, an. ℈. ij. *Folior. auri puri subtiliss. incis.* num. vij. *sacchar. albiss.* ℥. ij. Singulis bene commixtis fiat puluis. Dos. p. i.

Rotula Præseruatiua.

℞. *Spec. pulueris præscripti* ʒ. vj. *Conseru. Borraginis, Buglossi, rosar.* an. ℈. i. *Sacchar. albiss. in aq. acetosa & parum vini Rhenani dissoluti* ℥. vij. Fiant Placentulæ.

Electuarium Præseruatiuum.

℞. *Conseru. Borraginis, Bugloss. Viol. ros. acetos.* an. ℥. i. *Rosmar.* ß. vj. *rad. tormentillæ, Dictamni nostratis, zedoar. elect. Angelicæ Brisgoensis*, an. ʒ. i. *ossis de corde cerui veri* ʒ. ß. *Cortic. citri* ℈. ij. *seminis mali citri excort.* ʒ. ß. *Terræ Armeniacæ cum aq. acetosa ter ablutæ* ʒ. ij. *Sigill. Lemnij Turcici* ʒ. i. *santal. omnium*, an. ℈. ß. *Croci Oriental.* ℈. ß. *Theriacæ veter. Andromach.* ℥. i. *Mithridatij boni* ʒ vj. *aceti rosati* cochlearia vj. *Theriaca cum Mithridat.* in aceto dissoluatur; deinde addantur pulueres & conseruæ: & omnia diligenter subigantur in mortario ad formam Electuarij: quod folio Auri tegatur.

Sumatur manè magnitudine nucis auellanæ vel per se, vel sex cochlear. aq. scabiosæ, aut vini Rhenani, sed calidè meliùs, si sumitur cum vrina propria. Potest etiam parari sine Theriaca & Mithridatio.

Sacculus Cordialis Præseru.

℞. *Flor. Borraginis, Buglossi, ros. rub.* an. M. ß. *fol. Meliss. Basilic. seu ocymi, Garyophyll.* an. ℥. ß. *Dictamni Cretici* ℥. ß. *Cort. citri recent.* ʒ. iij. *zedoar. electæ* ʒ. ij. *santali citrin.* ʒ. i. *ligni aloes crudi* ℈. ij. *specier. cord. temperat. confectionis liberantis sine bolo & aloe*, an. ʒ. i. ß. Incidantur flores cum foliis, & parum conquassentur: redigantur & reliqua in puluerem crassiusculum, & additis speciebus cum cæteris diligenter mixtis impleatur sacculus Cordialis ex serico rubeo factus, & intersuatur.

Linimentum Cordiale.

℞. *Vnguenti de nymphea lutea* ʒ. i. ß. *Theriacæ Andromach. Mithridatij boni* an. ℥. ß. *succi borraginis defæcati* ʒ. iij. *olei de mace*, ʒ. ß. *de croco* ʒ. ij. *spec. cordial. temperat. pro Epithemat.* ʒ. i. Misceantur omnia diligenter, donec veniant ad formam linimenti.

Pilula.

℞. *Aloes rosat.* ʒ. iij. *Rhabarb. electi opt. agarici trochiscati boni* an. ʒ. i. ß. *Epithymi Cretici* ʒ. ß. *Mass. pilular. Rufi verar.* ʒ. i. *Cornu cerui vsti, rad. Angelicæ*, an. ℈. i. *Corallinæ, scordij Cretici, fol. dictamni Cretici, zedoar. electæ, rad. tormentill. santal. lut.* an. ℈. ß. *schœnanth.* g. iv. Pulverisentur singula, & cum aq. acetosæ & modico vini Rhenani, fiat massa. Ex qua formentur pro qualibet drachmâ, pillulæ xxi. Dosis ʒ. i. vel sem.

Pro Infantibus.

℞. *Spec. elect. de gemm. frig.* ʒ. i. ß. *liberantis cum bolo* ʒ. ij. ß. *diarrh. Abbatis* ʒ. i. ß. *Corall. rubr. præp.* ʒ. ß. *oss. ex corde cerui. vel rasura* ℈. i. *seminis sancti* ʒ. i. *rad. Pæoniæ, Granor. eiusdem excort.* an. ℈ ii. *cinnamom. inter. opt.* ℥. ß. vel ʒ. iii. Pulverisa pulverisanda subtilissimè, adde sacchari albiss. ℥. ij. Fiat Puluis.

Pro grauidis Rotula.

℞. *Margarit. Orient. non perforat.* ʒ. ß. *Lapid. pretiosor. ingredient. El. de gemmis*, ana ℈. ß. *Cornu cerui vsti*, ana ℈. ij. *rad. Pæoniæ, gran. eiusdem excortic.* ana ʒ. ß. *spec. diamargarit. Auicennæ, confectionis cordialis*, ana ʒ. i. *sacch. rosati veteris*, ʒ. ß. *sacchari albiss. in aq. acetosa & rosarum dissoluti*, ℥. vj. F. Confectio in placentulis.

Electuarium Curatiuum.

℞. *Theriac. veteris Androm.* ℥. i. *Mithridat. boni, Elect. de ouo*, ana ℥. ß. *Antidoti de sanguinib.* ʒ. vj. *rad. tormentill. fol. dictamni Cretici, scordij Cretici*, ana ʒ. ß. *rad. dictamni nostratis* ℈. ij. *terræ Armeniacæ Oriental. sigilli Lemnij Turcici*, ana ℈. iv. *cornu cerui vsti, ramentor. vnicornu, si haberi potuerint*, ana ʒ. ß. *seminis acetosæ, mali citrij excort. sancti*, ana ℈. i. *caphura* ʒ. ß. Pulverisanda pulverisentur subtilissimè, & cum Syr. acetositatis citri, q. s. redigantur ad formam Elect. tegantur folio auri.

N. B. Infantibus hoc Electuarium non detur.

Aqua.

℞. *Rad. dictamni nostratis, gentianæ, zedoar. electæ, angelicæ Brigoensis, Carlinæ, Imperatoriæ, cardui bened.* ana ℥. ij. Incidantur omnia, & bene conterantur. Deinde

℞. *Santalor. lutear. alb.* ana ℥. ij. *moschi Alex. opt.* ℈. i. *caphura* ℈. ij. *Theriac. veteris Mithridatij boni*, ana ʒ. iij. Pulverisanda pulverisentur, & simul omnia ponantur in organum vitreum, quibus superfunde spiritum vini, siue vini destillati boni lb. iv. Stent in loco calido duobus diebus, deinde colentur per pannum lineum, Colatura vsui seruetur. Siquis

autem totam compositionem per Alembicum, vt vocant, destillaret, haberet aquam palato magis gratam.

Sumatur manè cochl. i. cum aq. cardui bened. vel acetosæ cochl. iij. pro præseruat.

Infecti sumant cochl. iij. vel iv. & sudent aliquot moras.

Oleum pro cute & pulsibus & bubonibus.

℞. *Ol. tormentil.* ℔.i. *laurini, abietis*, ana ℥.vj. *gummi elemni* ℥.iij. *hederæ* ℥.ij.ß. *euphorbij* ℥.ß. *olibani, ligni aloes crudi*, ana ʒ.ij. *mastiches, myrrh. aloes, ladani, castorei, serapini*, an. ℥.ij.ß. *galang. cinnam. garyophyl. nuc. myristica, rubebar. zedoar. elect.* ana ℥.i. *opopanacis*, ℥.i. *resinæ pini, picis naualis*, ana ℥.ß. Terenda terantur, & in vas vitreum recondantur, & stent diebus octo in fimo. Postea lento igne destillentur, & oleum exiens diligenter colligatur, & vsui seruetur.

Si æger sudore defatigatus fuerit, vtatur sequenti Confortatiuo.

℞. *Conf. borrag. bugloss.* ana ℥.i. *rosar. acetosell.* an. ʒ.vj. *Rob de ribes* ℥.i. *de berber. de cerasis*, ℥.ß. ʒ.ß. *sem. citri excort.* ana ʒ.ß. *terr. Armen. Orientall. sigilli Lemni*, ana ʒ ß. *margarit. Oriental. splendid. & prap.* ʒ.ß. *caphuræ* g̃.vj. *corall. rub.* ℈.i. *ossis de corde ceruo veri* ʒ.ß. *specier. elect. de gemm.* ℈.ij. *syrupi acetosit. citri*, q.s. Fiat mixtura ad formam Conditi. Sumatur sæpe magnitudine Castaneæ.

Emplastrum ad Apostemata.

℞. *Fermenti* ℥.ß. *raphani* ℥.i.ß. *fu-in. sem. sinap.* ʒ.i. *capæ assæ* ʒ.i.ß. *allij assi* ʒ.i.ß. *theriacæ* ʒ.iij. Misceantur omnia in mortario, & F. cataplasma apostemati imponendum ter de die.

Aliud ex Gummatibus.

℞. *Caricar. non rancidar.* ʒ.ij. *passular. min. exemptis nucleis, gummi Ammoniaci*, ℥. sem. *Bdellij, Serapini* ana ʒ.ij.ß. *succi Apij* ℥.ij.ß. Gummata in aceto dissoluantur: Postea in mortario omnia diligenter misceantur, & fiat Emplastrum. Applicetur calidè, post sex horas renouetur.

MEDICAMENTA

contra Pestem, conscripta

A D. IOH. SCHROTERO,

Profess. Medicinæ in Academia Ienens.

Anno: 1566.

Puluis præseruans.

℞. *Zedoar. rad. diptam. alb. gentian. herb. scord. cardui ben. acetosæ*, an. Fiat Puiuis. Dos. ʒ.i. manè iu aq. cardui bened. vel hyeme iu vino albo.

Electuarium de nucibus.

℞. *Nuc. iuglandum* xx. *ficuum pinguium* xxv. *Aristol. long. & rotund.* ℥.i.ß. *dictamn. alb. rad. tormentill. pimpinellæ*, ana ʒ.ii. sem. *fol. absinth. rutæ, scabiosæ, asari*, ana Manip. i. *bacc. lauri* ʒ. i.ß. *cortic. citri, galang. macis*, ana ʒ. ii. *ossis de corde cerui, Myrrh.* ana ʒ.i. *mellis opt. despumati*, mensuram vuam cum dimidiâ. F. l. a. Electuarium, de quo sumatur quouis manè bolus magnitudine Castaneæ.

Morsuli pro ditioribus.

℞. *Cinnamomi elect. bol. Armen. prap.* ana ℥.i. *corn. cerui vsti, sem. citri, limon. acetosæ*, ana ʒ.i.ß. *diptamni, tormentillæ, angelicæ, scabiosæ, cort. rad. borrag. santal. omnium*, ana ʒ. i. *rosar. rub. garyophyl. coriand. præpar. sem. portulacæ, rasuræ eboris*, an. ℈.ij. *sem. anisi, marathri, ligni aloes, nucis mosch. serici crudi, sem. iunip. in acet. infusi, sem. citi*, ana ʒ.ß. *oss. de corde cerui, fragment. pretios.* ana g̃. xv. Pulueris atis puluerisandis omnibus subtiliter, cum s.q. sacchari optimis dissoluti in aq. ros. & acetosæ. Fiat confectio in morsulis, pondere Drach. ij. Dosis num. i. antequàm aëri te exponas.

Electuarium pro infantibus & grauidis.

℞. *Cortic. citri, sem. citri, coriandri prap. garyophyl.* ana ℥.ß. *spodij, corall. rub. ligni aloes crud. sem. portulacæ, ocymi, santal. rub. rasur. eboris, zedoariæ, nucis mosch.* ana ʒ. i. sem. *acetosæ, terræ Lemniæ*, ana ʒ.iij. *serici minutim incisi, corn. cern. præpar.* ana ℈.ii. *cinnamomi electi* ℥.i. *oss. de corde cerui*, num. viij. *margarit. prap. fragment. pretios.* ana ℈.iv. *folior. auri fini* num. xxx. *conseru. borrag. bugloss. rosar.* ana ℥.ij. *syr. acetos. citri* ℥.iij. *sacch. alb.* ſ. q. *dissol. in aquis Melissæ & Bugloss.* F. Electuarium in formâ opt.

Electuarium pro grauidis pauperibus.

℞. *Rad. tormentill. Helenij*, ana ʒ.vj. *sem. anisi, carui* ana ℥.i.ß. Fiat cum melle despumato Electuarium.

Rotula.

℞. *Terræ Lemniæ veræ, boli Armeni*, ana ʒ.vj. *rad. tormentill. diptamni, santal. rub.* ana ʒ.ij.ß. *zedoar.* ʒ.ij. *cort. citri, margar.* ana ʒ.i. *rasur. eboris, croci, scordij*, ana ℈. ij. *fragment. præpar. Smaragdi, Hyacynthi, Rubini, Sapphyri, corall. alb. carab.* an. ℈.i. *cornu cerui prap.* ℈. iv. *fol. aur.* num. x. *sacchari dissoluti* in aq. ros. & scabios. Fiat confectio in rotulis.

Electuarium.

℞. *Spec. Diatrionsant. conseru. rosar. borrag. Nymphææ*, ana Vnc. sem. *boli Armeni, terr. Lemn. præpar. Carlin. zedoar.* ana Drach. sem. *fragment. 5. lapid. pretios.* ana ℈.i. *Mithridat. opt.* Drach. i. *fol. auri* num. iij. Cum syr. acetositatis citri. Fiat Electuarium.

Electuarium pretiosum & probatum.

℞. *Tormentill.* Vnc. iij. *cardui ben.* Vnc. iij. sem. *Carlin.* Vnc. ii. *terr. Lemn. prap. boli Armeni prap.* ana Vnc. i. *caphur.* Drach. ij. *Moschi ambr.* ana ℈.ij. *Theriac. elect. 7. annor. Mithridat. opt. & rectè dispens.* ana Vnc. iii. sem. *specier. diamarg. secundum Nicolaum* Drach. ij. sem. *aq. vit. ex Maluatico destill.* q. s. Puluerisatis omnibus subtiliter ponantur in phiala vitrea, & ore ipsius bene obturato maneant in infusione per 24. horas. Postea suauiter destillentur, vsquequò remaneant feces siccæ: & aqua seruetur. Cui adde *sacch. alb. & opt.* ℔.i. sem. *croci* ʒ.ij. Bulliant ad spissitudinem syrupi, & tunc adde *zedoar.* Drach. ij. *boli Armeni præpar.* Drach. iv. *terræ siggillat.* Drach. iij. *Carlin. cornu cerui iusto tempore collecti & præpar.* ana Vnc. i. *lap. serpentin.* ℈.i. *Hyacinthi, Sapphyri, Granati*, ana Drach. i. *Margarit. Matris perlarum*, ana Drach. ij. *Corall. alb. rubr. santal. alb. rub.* ana Drach. i. *cort. citri, ossis de C.C.* ana ℈.ii. *been. albi rubr.* ana Drach. i. *fol. auri* num. xxx. *argenti* num. xxxvj. *Syr. acetos. citri, de limonibus, acetosel. rob ribium*, ana ℥.ij. *conf. ros. borrag. bugloss.* ana ℥.ij.ß. M. F. Electuarium.

Elixir vitæ.

℞. *Cinnam. opt.* Vnc. i. *Rorismarin. acetosell. scordij*, ana M. sem. *rad. Angelic. ros. rubr. ligni aloës*, ana Drach. i. *santal. citrin.* ʒ. ß. *maceris, cardamomi vtriusque, garyophyll. medull. sem. cardui bened. oxalidis, citri*, ana ℈.i. *moschi* g̃. viij. *Aq. vit. ex vino ter destillat.* ℥. xxij. Per xv. dies quotidie quinquies agitando in vitro obturato reposita maneant, postea colentur, adde *Syr. de cortic. citri, Mel. cotoneor.* ana ℥.ij.ß. Misce.

Pilulæ.

℞. *Aloës elect.* ʒ.ij. *myrrh. croci*, ana ʒ.ß. *rhabarb. elect. Agarici trochiscati*, ana g̃ xiv. *caphur.* g̃. xvj. *ros. rubr. santal. omnium, corall. rub.* ana g̃. iv. *zedoar. tormentill. diptamni, gentian.* an. ℈. ß. Cum Syrupo acetositatis Citri, Fiat massa Pilularum.

Pilulæ magis laxantes.

℞. *Aloës hepatic.* ʒ. vj. *myrrh.* ʒ. iij. *croci* ʒ. i. *rhabarb.* ʒ. ij. *agaric.* ʒ. i.ß. *garyophyll. spec.* an. ℈.ß. *cortic. citri* ʒ. i. *tormentill.* ʒ.ß. *sem. citri* ʒ.i.ß. *santal. rubr.* ʒ.i. *terr. Lemn. prap.* ℈. ij. *caphur.* g̃. iij. Cum Syrupo acetositatis citri. Fiat massa.

Pilulæ hyemales.

℞. *Aloës succotrin. Agarici trochiscati*, ana ʒ. iij.ß. *rhabarb. elect.* ʒ.i.ß. *myrob. chebul.* ℈.ij. *zingib. cinnamomi, garyophyll.* ana ʒ. ß. *ros. rub. corall. vtriusque*, ana ℈.i. *sem. citri, myrtæ, croci*, ana ℈. ß. *rad. Pæoniæ, sem. eiusd. zedoar. diptam. alb. pentaphyll. gentian.* ana g̃. vij. Cum Syr. de corticib. Citri, Fiat massa.

Puluis.

℞. *Medul. cornu cerui, Monocerotis*, ana ʒ.i. *doronici, zedoar.* ana ʒ.ß. Misce, F. Puluis.

Trochisci sublinguales.

℞. *Mithridatij opt. Elect. de ouo*, ana ʒ.ij. *rad. Angelic.* ʒ.i.ß. *ligni aloës, maceris.* ana ʒ.i. *corticis citri, Iréos*, ana ʒ. ß. *Alipt. moschat. Gall. moschat. ros. rubr.* ana ℈.ij. *sacch. opt.* ʒ. vj. Cum mucilagine Tragacanthi infusi in aquâ ros. & angelicæ, Fiant Trochisci, æstate addantur *bolus Armenus, flores Nymphææ, Violar.*

Vnguentum pro illis, qui infectos visitant, quo inungendæ nares bis vel ter quotidie: item cor.

℞. *Vini maluatic. ol. Hypericonis*, ana ℔. ß. *Scorpion. ros.* ana ℥. iij. *spic. Aceti de vino*, ana ℥. ij. *succ. Meliss. Borrag. acetos. abrotan. rosar.* ana ℥.i. *Pulu. chamædryos, salu. rosar. meliss. cardui bened.* ana M. ß. *rut. verben. menth. florum Hyperic.* ana P.i. *diptam. albi, gentian. Aristoloch. rotund. aloë. myrrh.* ana ʒ.i. ß. *ladani, styrac. calamit. benzoi*, ana ʒ.ij. *spic.* ʒ. ß. Bulliant ad consumtionem humiditatis completam: deinde adde ceræ nouæ partum. Fiat linimentum, cui, quando ab igne aufertur, adde *specier. cordial. temperat. santal. rubr.* ana ʒ.ij. *Gallia mosch. vera* ʒ.i.ß. *myrrhæ, aloes, ladani, styracis calam.* ana ℈. iv. *croci, caphuræ, zedoar. dictamni albi, cardui bened. chamædryos, iréos, gentianæ*, ana ʒ.i. Misce, Fiat s. a. vuguentum.

Ab

Ab infectis ad alios regredientes vtantur hoc Puluere ſuffumigatorio.

℞. *Bacc.iunip.* ℥.iii. *Myrrh.aloës*, ana ℥.i. *ſuccini, ant.alb.an.* ℥.ß. *thuris, ſtyracis calamit. ladani, thymiamatis*, ana. ʒ.ii. Fiat ex omnibus Puluis craſſiuſculus.

Curatio infectorum.

Puluis alexiterius pro robuſtis.

℞. *Gentian.diptamn.alb.torment.* ana ℈.i. *cardopat.terr.ſigillata Turcico aquâ acetoſ.loto. ſantali rubr. cornu cerui vſti, Zedoar.corall. rubr. prap.* ana ℈.dimid. *camphor.* g̅.i. ß. F. Puluis. Detur in Vnciis tribus aquæ Scabinſæ, addendo ℈.i.Mithridat. vel Theriacæ optimæ.

Alius.

℞. *Diptamn.alb.tormentill. gentian. Cardopat.zedoar. ſcordij. rad.carduε bened.thapſi barbati*,ana ℈.i. Sumatur in aceto vini, tempore æſtiuo; in vino,hyberno tempore.

Si addere volueris Theriacam, minorem pulueris doſim aſſumas.

Alius.

℞. *Spec.cordial.*ʒ.ii.*cornu cerui raſi iuſto tempore collecti* ʒ.i. *myrrh.rubr.ſem.ſantonic.* ana ʒ.ß. Fiat Puluis ſubtil. Detur in aceto vini calido.

Aqua Mithridatica.

℞. *Diptamn.alb.*℔.i.*rad.tormentill. pentaphyl.* an.℔ ß. *zedoar.ſcordij,rut.* an.℥.iij.ß. *cardus ben.carlinæ,valerian.* an.℥iij. *rad.pæon.ſem.eiuſdem*,an.℥.ij. *aq.nucum*, ℔.viij. *chamedr. roſ. ſcabioſ.chamapit.*an.℔.i. *ſucci ſcabioſ.angelic.chelidon.galeg.*ana ℔.i.ß.Contuſas radices cum aquis & ſuccis macera ſuper cineribus calidis per 24. horas, poſteà adde *vini granator.* ℔.i.ß. *Mithridat.opt. conſeru.acetoſell.* an.℔.i. *roſar.borrag.bugloſſ citrangul.* ana ℥.iv. *Spec.diamargarit.fr.* ℥.i. *El.de gemm.* ℥ ſem. *diamoſch.dulcis* ʒ.ij. F.arte per vitrum diſtillatio, ſumma cum diligentia.

Aqua theriacalis.

℞.*Theriac.Androm.rectè diſpenſ.pentaphyll.cum toto*,an.℔.ß. *conſeru.acetoſell.roſar.bugloſſ.borrag.* ana ℥.iv. *rad.diptamn. alb. valerian. angelic. cardus ben.morſus diabol.*an.℥.iij. *galang.ſerpentar.pimpinell.tormentill.pæonia*,an.℥.i.ß. *Cort.citri,ſem.citri, ramentor,C.C.ſem.pæon.* an.℥.i. *bols Armen. terr. Lemnio legit.* ana ℥.ß. *ſantal.omnium,Margarit. fragment.lap.pretioſ.prap. in ſucco limon.ſpec.diambr.*an ʒ.iij. *caphur.* ʒ.i. *Moſch.* ʒ.ß. *vini ter deſtillati ex vino optimo* ℔.vj. *aq.nucum* ℔.iv. *angelic.* ℔. iij. *ſucc.ſcabioſ.rut.verben.pentaphyll.* ℔.i. ß.

Hæc craſſo modo contuſa infundantur ſimul, exceptâ Theriaca & conſeruis per dies duos naturales, & poſtea F.arte deſtillatio per vitrum.

Aqua alia Deſtillata.

℞.*Theriaca Andromach.* ℥.i. ſem. *pentaphyl. cum toto, ſem, pæonia, ſem.Eruca, Garyophyll.* an.℥.ſem. *citri, cinnamomi, ligni aloes*, an.ʒ.i. *Margarit. cum ſucco limon. prap, ſantali vtriuſque*, an.℈.i. *Moſchi*, ℈.ſem. Puluerizatis omnibus ſubtiliter infundantur per 24.horas in ℔.vj. aut ſ. q. aquæ vitæ ter de vino opt.deſtillatæ, & poſtmodum fiat arte deſtillatio.

Alia Infuſio vel Deſtillatio.

℞.*Succi* Galeg.℔.ſem.aut eius loco*,ſucci pentaphylli* ℔.ß. *Theriaca Andromachi*, *Mithridatij opt.*an.℥.iij.*Imperatoria,Carlina,zedoar.diptamni albi, Angelica,Gentiana,Card.ben.*ana ℥.ii. *Pentaphylli cum toto* ℥.i.ß.*ſem.Pæoni.* ℥.i. *ſpecier. diatr. lætitia Galeno adſcript.Diamargarit.frigid.*an.℥.ß. *Caphur.*℈.ij.*Moſchi* ℈.i. *fol.auri* num.xv.

Terenda conterantur,& fiat vel infuſio vel deſtillatio in ix. ℔. Vini ter deſtillati.

Puluis.

℞.*Sacch.candi* ʒ.i. *Zingib.alb.*℈.ij. *Caphur.*℈.i.Detur calidè in vnciis tribus aq.ſcabioſæ, vel angelicæ.

Electuarium Curatiuum.

℞. *Theriac. Andromach.* ℥. i. *Mithridat. deſt.* ℥. ß. *ſcordij, galego*, an.ʒ.vj. *tormentill.zedoar. diptam.alb. verben.* an.ʒ. iij. *Angelic.Cardus.Gentiano*,an.ʒ.ij.*terr.Lemn.prap.*an.Drach.i.ß. *Caphuro* Drach.ij.*ſpec,Diamarg.*℈.ij.*Diamoſchi dulcis*,Drach.ß. Cum ſyr. de ſcordio fiat Electuarium.

Potio pro grauidis.

℞. *Sem.Pæonio maris*,num. xv. pulueriſentur, & coquantur in ℥.iij.*aq Meliſſ.* vnica ebullitione, & poſtea addatur, *Pulu. Card. bened. zedoar. Tormentill.* ana ℈. ij. *Aceti de vino* ℈. i. Miſce. Fiat Potio. Hyeme pro aceto ſumatur vinum.

Ad Bubones & Apoſtemata Emplaſtrum attractiuum.

℞. *Ammoniaci,Euphorbij,Caſtorei,Opopanacis, Galbani*, ana Drach.ß. Diſſolutis in vino adde,*ſem.Eruca, ſinapis, Raphani*, an.℥.ß.*ſquilla* ℥.i. *Facum ol. lini* ℥.ß. *ſtyrac.calam.* Drach. ij. *Cantharid.* num.xij. *Cera & ol.lini,& vini ſublimati*, q.ſ. Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Fuligine Camini Iacobi Riccij.

℞. *Theriac.opt. Mithridat.* ana ℥. ß. *Fermenti Terebinthina*, ana ℥.ij. *Mellis roſ.*℥.ß. *Butyri recentis* ℥.i. *ſalis communis* ℥.i. *Fuliginis camini* ℥.ij. ß. *ſaponis Saraceni* ℥.iij. *Croci*, Drach.iij. *Vitell.ouorum quatuor.* Piſtentur omnia,& fiat Emplaſtrum.

MEDICAMENTA IOH. GVINTERII ANDERNACI.

Anno 1566.

Antidotum ad Peſtilentiam.

℞. *Fol. abſinth. Cnici agreſtis ſeu cardui bened. chamædryos, chamæpytios*,an.M.ß.ſiue ℥.i. *Flor.Veronico altilis, Bugloſſi. Scabioſa,Cirſij ſeu Borraginis*, ana P.i. *ſemin.citri,Acetoſo, Portulaca,Petroſelini, Coriand. prap.* ana ʒ.ß. *ſemin. aniſi, fœniculi, ammeos*,ana ℈.ij.*Bacc.iunip.*ʒ.i. *Garyophyll.*℈.iv. *Corticis citri, auran.* ana Drach.i.ſem. *ligni aloës ſ. agallochi, ſantalor.omn.* ana Drach.i.*cinnamo.electi*.Drach.ii.*galanga*.Drach.i.ſem.*rad.Pimpinell.Dictam.alb.Zedoar.tormentill. Angelica, Imperatoria,Carlina, Iridis Illirico ſ.Florentino, Rhabarb. Centaurei, Rhapontic.* Gentian.an.Drach.i. *Myrrh.elect.& odoro.thuris*,ana ℈.ij. *Sticias prap.*℈.i.ſem.*Croci* ℈.ij.ſem.*boli Armeni veri* Drach.i. *Terra ſigillat*.Drach.i. *Succin.alb.*℈.iij.ſem. *Vnicornu*, *Oſſ.de corde cerui* ana Drach.ſem. *Spec. Elect.de gemmis*, *Diarrhodon. Lætificantis Galeni, Liberantis*,ana ℈ i. *Hyacinthi, ſapphir. ſmaragdi. Corall. rubr.*ana ℈.ſem. *Ambr. Moſch.*ana g̅.viij. *ſucci Berberor.mali punici,citri acidi,abſinthij* ana ℥.i. *ſacch. Penid.* ℥.i.*candi* Drach.i. *albiſſ.*q.ſ. Fiat mixtura inſtar Antidoti ſeu Opiatæ.

Teſſella.

℞. *Radic.Gentian. Angelica, zedoar. Helenij, Pimpinell. Tormentill. Iridis Florentin.*an. Drach.ij.*Semin.citri,Oxalidis,Cichorij,aniſi*,ana Drach.ſem. *Baccar.iunip.*Drach.i.*Glycyrrh.* Drach.i. ſem. *Corticum mali aurant.*℈.ij. *cinnamomi elect.*Drach.iii.*ſantali rubr.*Drach.i. *Agallochi ſeu ligni aloes* Drach.ſem. *Rament. eboris.Oſſis de corde Cerui* ana ℈.i.*croci, ambra* an.℈.i. *Conſerua acetoſell. bugloſſ.*an.Drach.ij.*roſarum* ℥.ſem. Cum *ſacchara & aqua ſcabioſo* fingantur tabellæ pendentes Drach. ſemiſſem. Sumantur manè & veſperi duabus horis ante cibum.

Tragema.

℞. *Spec.Diamargar. Aromatici roſati Gabrielis*,ana Drach. i. ſem. *rad. Angelico, Zedoar.* ana Drach.i. *ſeminis citri, Oxalidis*, ana ℈. ij. *cortic.citri*, *rament.eboris* an.℈.i. *Moſchi Ambr.* an. ℈.ſem.*ſacchari roſ. tabulati* ℥.vi. Miſceantur,& fiat pulnis.

Aliud.

℞. *Rad.Tormentill.Diptamni*,ana Drach.i. *ſeminis acetoſo.citri*,ana Drach.i.ſem. *Zingib. albi, cinnamomi,croci, ſantali albi, rubri*,ana ℈.ſem. *boli Armeni, terr.ſigillat.* ana ℈.iv. F.Puluis.

Electuarium liquidum.

℞.*Conſeru.roſar. Bugloſſ.Borraginis.Violarum*,ana ℥ i. *ſpecierum Diarrhodon liberantis*, ana Drach.ij. *ſantali rubri, xyloaloe, corall.rubr.*ana Drach.ſem.*ſacch.candi,Manus Chriſti* an.Vnc.i. Miſceantur cum ſyrupo ex corticibus citri ad Electuarij liquidi formam.

Pilula.

℞. *Cinnamomi electi.Garyoph. ligni aloës, Myrrha, Croci, Galang.Macis, Nucis moſch.Cardamomi, alipt. Moſchat. Styracis calamit. Zingiberis,Zedoar.* ana ℈.i. *aloës Hepatic.*Drach.i. *agaric.* ℈.ii. *Rhabarb.*Drach.vj. Omnia probè trita redigantur ex vino Maluatico in maſſam, & fiant Pilulæ.

Aqua contra Peſtem.

℞. *Rad. Angelic. Perſonat. maioris*, an. ℔.ſem. *Corticis medij fraxini* M.ii.*Cinnamomi* Vnc.ii. Macerentur per dies & noctes: deinde diſtillentur in balneo Mariæ celeriter : poſtea iterum paulatim deſtillentur.

Alia.

℞. *Imperatoria, Angelic. Carlin. valerian. tormentill. zedoar. Iridis, Pimpinell.Enul,campan.Dictamni* an.Vnc. ſem. *Cinnamomi* Vnc.i.ſem.*fol.ſalu,ruto, agrimon. Cardui bened.Betonic. ſcabioſ.acidul.*an.M.ſem.Omnia minutim inciſa macerentur in vino generoſo per biduum;deinde infermeſcant ad ignem in fictili vaſe vitreato bene operto, lutóque oblucto, ad horam vnam; poſtea per linteum pannum ſenſim colentur,& deſtillentur.

Trochiſci pro fumo.

℞. *Laſerpitij ſeu aſa dulcis*, *Styrac. calamit.* ana ʒ.ij. *Ligni aloës*

Digitized by Google

aloes ʒ.iii. *radic. ireos* ʒ.i. ß. *Moschi* g̅.v. *facch.* ʒ.iii. Ex aqua rosacea fiant Trochisci.

Aqua odorata ad vestes.

℞. *Iridis Florentin. zedoar. spic. nard.* an. ℥.ii. *Mastiches, Cinnamomi, Nucis Mosch. Garyophyll.* an. ℥.ß. *Baccar. iuniperi* ʒ.iii. *Been. Ambr. Moschi*, an. ℈.ß. Omnia ex vino Maluatico ex Gallia Narbonensi, aut Alsatia, macerentur dies decem aut viginti, postea in duplici vase destillentur.

Puluis odoratus ad vestes.

℞. *Rosar. rubr. Violar.* an. ℥.iii. *Corticis citri, Myrtorum, Xyloaloes, santali citrini*, an. ℥.i. *Camphor. ambr.* an. ℈ ß. *Been Moschi*, g̅.v. Fiat Puluis, Qui aqua rosarum mixtus vestibus aspergatur.

Alia Aqua odorifera.

℞. *Aq. ros.* ℔.iv. *acetosi generosi* ℔.i. *rosar. rubr.* M.i. ß. *santal. omnium*, an. ʒ.i. *Camphor.* ʒ.ß. *Moschi* g̅.vii. *Specier. Diamb. Ireos*, an. ℥.j. Omnia in mortario terantur, exceptis speciebus Diambræ, moscho & camphora, ac dissolutis in aqua rosacea adduntur species & Moschus; imposito alembico cœco digeruntur per dies nouem in stercore equino, postea destillantur.

Curatio.

Aqua Sudatoria.

℞. *Pimpinel. Tormentill. Diptamni albi, serpentariæ, gentian. zedoar. galang.* an. ℥.ß. *Piperis longi, Garyophyllor. Macis*, an. ʒ.i. *Theriac. Vener. boli Armeni, terræ sigill.* an. ʒ.ii. Macerentur per duos dies in vino generoso musc[atellino], & destillentur. Dosis Vnc. iij. calidæ.

Alia.

℞. *Radicum Angelic. Pimpinell. Galang.* an. ℥.ß. *Thuris, Myrrhæ, aloes*, an. ʒ.i. *Macis* ʒ.ß. *Theriac. Vener.* ʒ.ii.ß.

Ex aqua fumariæ, Teucrij & Cardui benedicti, singulorum vncijs quatuor, vini selibrâ destillentur. Sumantur vnciæ tres, cum Theriacæ vel Electuarij de ouo drachmæ semisse.

Pro Pauperibus.

℞. *Rad. angelic. galang. ligni Guayaci, Cinnamomi, Bacc. iunip.* an. ʒ.i. Coquantur in mensura dimidia vini albi optimi vsque ad tertias. Dentur vnciæ tres, & sudet.

Vel

℞. *Vincetoxici* ℥.i.ß. *Fumar.* ℥.i.ß. *Rut.* ʒ.vi. *Bacc. iunip.* ℥.ß. Coquantur omnia in duabus mensuris aceti generosi ad dimidiæ partis consumptionem, & sine refrigescere, postea cola. Dentur vnciæ ii. vel iij. calidæ.

Ad Apostemata, Cataplasmata.

℞. *Vitell. ouor.* q.v. *Salis, Mellis, farin. ord.* an. q. pl. F. Cataplasma.

Vel

℞. *Lil. alb. el. cap. assat.* q.v. *malu. & bismalu. contusar.* an. part. æq. *Fermentum nucis iugland. magnitudine.* Fiat Cataplasma, quod calidè applicetur.

Ruptorium mirabile.

℞. *Vitr. ad rubedin. calcin.* ℔.ii. *Salis Vrin.* ℥ i. ß. *sulphuris*, ℥.i.ß. Fiat puluis subtil. qui trajiciatur per cribrum. Postea injiciatur retortæ vitreatæ bene lutatæ cum Recipiente apposito, & oleum destilla, quod per inclinationem à Phlegmate separa. Hoc oleo illine lignum mucronatum, & circulum circa apostema eodem finge, tunc sponte excidet.

MEDICAMENTA
pro Republica Torgensi, ordinata
A D. IOH. KENTMANNO,
Anno 1568.

Electuarium pro familia.

℞. *Fol. acetos. contus.* ℥.i. *rad. tormentill.* ℥ ß. *angelic. Valerian. Diptamni. Pimpinell.* an. ʒ.ii. *Bacc. iunip. recent.* M.ii. Contusa omnia cum succo acetosæ, vel aceto rosac. misceantur in formam Electuarij. De quo sumantur manè & vesperi instar castaneæ boli formâ.

Aliud.

℞. *Nucleo. nucum iugland.* ℥.ii. *ficuum* octauam libr. partem, *fol. rut.* ℥.i. *Bacc. iuniperi* quartam libr. partem, *lauri* ʒ. x. *zedoar. aristoloch. rotund. valerian. rad. Helenij*, an. ʒ.ii. *salu* ʒ.ß. Contrita cum aceto misceantur ad consistentiam Electuarij, de quo sumito tantum, quantum de priori.

Puluis pro sanis & infectis.

℞. *Seminis citri excortic. plantag. acetos.* an. ʒ.ß. *fol. scord.* ʒ.ii. *scabios.* ʒ ß. *acetos.* ℥.i. *Cortic. citri* ʒ.ß. *Cinnamomi interioris opt. & acutiss. saporis* ʒ.iii. *rad. tormentill.* ʒ.ii. *serpentar. Pimpinell. valerian. angelic. zedoar. dictamni*, an. ʒ.i. *boli Armeni prap.* ʒ.i. *cornu cerui vsti, Corall. rubr. Margarit. puriss.* an. ʒ. ß. *Croci Orientalis* ℈. i. Puluerisentur singula subtilissimè & misceantur Dosis huius ʒ.ß.

Possunt etiam de hoc puluere Morsuli aut rotulæ confici, accipiendo huius pulueris ʒ. iv. add. sacch. alb. ℥.sex. in aq. rosac.

Electuarium.

Ex præcedenti puluere, pro sanis itidem ac infectis.

℞. *Pulu. præscript.* ℥.iii.ß. *Mithridat. opt.* ℥.i. *Theriac. veteris* ℥.i. ß *Camph.* ℈.ß.

Misceantur, & cum *syrupo de succo acetos.* q.s. redigantur ad formam Electuarij. Dosis ℈. i.

Trochisci.

℞. *Electuarij præscript.* ℥.i. ß. *Alipt. mosch.* ʒ. i. *gall. mosch.* g̅.iii. *sacchari albiss.* ʒ.iii. *Camphor.* g̅ ij. Cum mucilagine tragacanthæ fiant pastilli instar Bethicorum, inuoluantur speciebus liberantis.

Electuarium aliud.

℞. *Conseru. rosar. Borraginis, violarum acetos.* an. ℥.ß. *Folior. Scordij, Rut.* an. ʒ.ii. *Amygd.* ℥.ß. *Ficuum* num. iij. *Cortic. citri*, ʒ.vi. *Cinnamomi interioris acutiss. sapor.* ʒ.i.ß. *rad. zedoar.* ℈.i.ß. *dictam. ireos, angelic. pimpinell. enul. camp.* an. ℥.ß. *tormentill.* ʒ.ii. *tunic.* ℈.ii. *rasur. eboris, cornu cerui vsti*, an. ʒ.sem. *conf. liberantis cum bolo*, ℥.i. *spec. cordialium, de gemmis Mesue*, an. ℥.sem. Incorporentur omnia cum *Syrupi acetositatis citri*, & *aceti rosarum*, an q.s. Fiat Electuarium ad formam opiat. Dosis ʒ.sem. ieiuno stomacho.

Pomum ambra hyberno tempore vsurpandum.

℞. *Spic. nardi*, ℈.i. *ros. rubr. sem. basiliconis, nucis mosch.* an. ℈.sem. *garyoph.* ℈.i. *cinnamomi, ligni aloes, santali citrini, thuris alb.* an. ℈.ii. *styracis calamit.* ʒ.i. sem. *sutri albi*, ℈.i. *assæ dulcis*, ʒ.i sem. *ladani purissimi*, ʒ.i. Cum aqua rosarum. Fiat pomum ambræ, deinde addatur ambræ & moschi, ana q. s.

Aliud quovis tempore conueniens.

℞. *Flor. Lauendul.* g̅.xv. *ros. maioran.* an. ℈.i. *Rorismarini.* g̅ xv. *nucis mosch. corticum citri*, an. ℈.i. *cinnamomi interioris*, ʒ.i. sem. *ligni aloes*, ʒ.sem. *santal. citr.* ʒ i. *ladani puriss.* ʒ.sem. *styrac. calamit.* ℥.sem. *Galliæ mosch. vulgaris, Alipt. moschat.* an. ʒ. sem. *specierum diamoschi dulcis, diambr.* an. ℈.i. Misceantur cum aqua rosarum, in qua dissolutum fuerit tragacanthum, deinde bene incorporentur. Fiat massa pomi ambræ: cui adde, *Assa dulcis*, ℥.i. sem. *styrac. liquid.* Drach. ii. Misce.

Pomum ambra æstiuum.

℞. *Flor. nymph. violar.* an. ℈.sem. *rosar.* ℈.i. *corticum citr. radic. ireos Illyric. santali citrini*, an. Drach. i. *Galliæ moschat.* ℈.i. sem. *camphor.* g̅ ii. *Ambr.* g̅ iii. Misc. & cum Tragacanth. in aqua ros. dissoluto, Fiat pomum ambræ.

Curatio.

Electuarium probatum.

℞. *Rasur. vnicornu, ossis de corde cerui*, an. ℥.sem. *camph.* ℥.i. *dictamni Cretici, radicis tormentill.* an. ʒ.sem. *zedoar.* ℥.ii. *sacchar. cand.* ℥.i. sem. *Theriac. ver. ac bon.* ℥.vi. *Syrupi acetos. citri*, q. s. Miscendo fiat Electuarium.

Potio confortans cor & reliqua viscera, simúlque à veneno præseruans.

℞. *Flor. borrag. bugloss.* an. pug. iii. *fol. acetos. flor. ros. rubr. violarum, cichor. endiu. syluestr.* an. M.i. *sem. citri, acetos.* an. ʒ.ii. *rad. Valerian. tormentill.* an. ℥.sem. *been albi, rub.* an. ʒ.i. *santal. alb. rubr. serici crudi, ossis de corde cerui*, an. ℈.i. *trochisc. de camphor.* ʒ.sem. Coquantur s.a in s.q. aquæ fontis puræ, ad casum tertiæ partis; stet in infusione per 12. horas. Fiat expressio fortiss. coletur. Colaturæ ℞. ℔.i.sem. In qua dissolue, *Syrupi acetosit. citri, succi limonum, Pomorum dulcium*, an. ℥.i. sem. *vini granatorum* ℥.iii. Misc. Fiat Potio. Dentur ℥.ii. vel iii. manè.

Aliud confortans.

℞. *Conseru. borragin. bugloss. violar. rosarum acetos.* an. ʒ.iij. *citri conditi* ℥. sem. *rob. de berberis* ʒ. vi. *specierum cordialium temperat. diamoschi, Electuar. de gemmis, diamargar. frig. diatrionsantal.* an. ℈. sem. *Syrupi acetositatis citri*, q. s. Fiat Conditum.

Puluis

Puluis post sudorem alternis diebus exhibendus.

℞. *Fol. scordij* Vnc. sem. *dictam. Cretici* Drach. i. *seminis citri* ʒ. ß. *acetos. endiu. portulac.* ana Scr. i. *Coriand. prap.* Drach. i. *maceris* Scr. i. *cinnam. electi* Drach. ii. *spec.* ℥. iv. *radic. angelic. rhapontic.* an. Drach. sem. *tormentill. dipsamni*, ana Drach. i. *rhabarb.* tic. an. Drach. i. sem. *tormentill. dipsamni*, an. Drach. i. *rhabarb. electi* Drach. sem. *been alb. rub.* an. Drach. sem. *serici combusti*, *ossis de corde cerui*, *spodij*, ana ℈. i. *limatur. eboris* Drach. sem. *ligni aloes* ℈. i. *santali citrini*. *margar. plend.* ana Drach. sem. *carabes* ℈. i. *boli Armen.* Drach. iij. *terr. sigill.* Drach. sem. *fol. auri* n°. vii. *ambr.* ℥. ii. *moschi*, ℥. i. *fragment. Sapphyri*, *Smaragdi*, *Hyacinthi*, *Granati*, an. ℥. v. Misc. F. pulule. Quo etiam sani vti possum cum buccea panis aceto madefacta.

Ad Bubones & Apostemata Emplastrum.

℞. *Cap. allium, altheam*, ana part. æq. Minutim incisa coque in aqua fontana pura ad mollitiem, pulmenti instar: adde, *fœnugraci puluerisati*, *adip. porcin. veteris* parum. Omnia rursus calefiant, pistillo ligneo subigantur, vt fiat s. a. Emplastrum.

Aliud Emplastrum maturatiuum.

℞. *Fol. sambuc.* Manipul. i. *fimi columbini*, *sem. sinap.* an. Manipul. i. *Theriac. vet. opt.* Vnc. i. Fiat cum vrina humana, vel vin. albo, Emplastrum.

Aliud, Fortius & calidius prioribus.

℞. *Ammoniaci*, *Euphorbij*, *castorei*, *opopanac.* ana Drach. ii. sem. cum vino in mortario dissol. adde *sem. eruca*, *sinapis*, *raphani*, ana Drach. ii. *scilla* Drach. vj. *fecis oleorum* Drach. i. sem. *styrac. calamit.* Drach. iij. *canthari.* n°. x. *fermenti veteris* Drach. ii. *cera & ol. lini* q. s. Fiat. Emplastrum.

Vnguentum mundificans & exsiccans.

℞. *Farin. tritic. vnum*, *vitell. oui vnius*. Misce, & cum linteolis apostemati iniiciatur.

MEDICAMENTA
D. IACOBI THEODORI
Tabernæ-Montani.

Anno. 1582.

Electuarium exhilarans, pro formidolosis nimium in peste.

℞. *Conseru. rosar. borraginis*, *bugloss. flor. garyophyl. hortens.* ana ℥. i. *florum aurantiorum condit. citri conditi* ana Vnc. sem. *Puluer. latitia Galeni* Drach. ii. *cinnam. electi*, *pul. corticum citri*, ana Drach. i. *zedoaria*, *doronici Romani*, ana ℈. i. ß. *croci electissimi*, ℈. sem. *syrup. corticum citri*, *& pomorum dulcium redolentium*, ana q. s. Fiat Electuarium.

Sumatur vesperi & manè magnitudo Castaneæ dimidiæ.

Rotula.

℞. *Pulu. latitia Galeni* Drach. ii. *cortic. citri*, *cinnamomi electi*, ana Drach. i. sem. *Fol. melissa*, *basilici*, ana Drach. i. *doronici*, *zedoar.* ana ℈. i. sem. *ligni aloes*, *flor. borraginis*, *bugloss. ecbij veri*, *macis*, ana ℈. i. sem. *croci oriental.* ℈. sem. *sacch. opt.* Vnc. x. dissoluti cum stillatitiis liquoribus *corticum Aurantiorum*, *Cinnamomi & buglossi*, ana q. s. Fiat Confectio in rotulis vel Morsulis.

Puppa pro diuitibus.

℞. *Trium florum cordialium.* ana p. i. *cort. citri* Drach. ii. *rad. buglossi*, ℈. i. sem. *echij*, *ligni aloes*, *doronici Romani*, *zedoaria*, *cinnamomi*; ana ℈. i. *croci granorum kermes*, *angelica*, *macis*, *meliss.* ana ℈. ß. Cum sindone rubeâ fiat puppa, quæ ponatur in potu.

Præseruatiua vniuersalia.

Antidotum de ouo expertissimum D. Theodori.

℞. *Ouor. recentium vnius diei*, n°. iv. Quorum albumina abiicito, & testas eorum *Croco optimo Orientali* impleto, deinde in cinere calidissimo tandiu, donec in tenuissimum puluerem redigi possent, assato, postea;

℞. *Seminis Thlaspi veri*, ad pondus omnium, *angelica rad. Imperator.* ana Vnc. i. sem. *bacchar. hedera*, *scordij veri.* ana Vnc. ii. *rad. pimpinell. boli Armeni*, *terra Lemnia*, *rad. pulsatil. sanguisorb. montan. pulu. cordialis describ. Brassauoli*, ana Vnc. i. *zedoar. rad. antithor. tormentill. dictamni Cretici*, *rad. fraxinell. s. dictamni albi*, *monophylli*, *fol. & summitatum rut. caprar. cardui sancti*, *rad. vincetoxici seu hirundinar.* ana Drach. vi. *pulu. latit. Galeni*, *corticum citri mali*, *chamædryos*, *succini albi veri*, ana Vnc. sem. *pulu. cordialis temperat. diambr. sem. citri mundat. granorum tinctorij*, *pulu. diamoschi*, ana Drach. iij. *antidoti Theriacalis Matthioli*, vel eius loco, *antidoti Mithridatici*, *Theriac. Andromachi*, ana Vnc. xii. *Syrup. cortic. citri*, Vnc. iv. Terantur omnia, & commisceantur ad minimum per spatium vnius horæ, fiátque electuarium solidum more solito.

Puluis præseruatiuus.

℞. *Summitat. absinth.* Vnc. sem. *rad. tormentill.* Drach. ii. *flor. centaurei minor. rad. valerian. pimpinell. calaminth. Italic. angelic.* ana Drach. ß. *caryophyllorum*, n°. xv. Fiat Puluis. Detur Drach. ß. in vino generoso manè ieiuno ventriculo.

Alius Puluis.

℞. *Potasitis*, ʒ vi. *rad. angelic. gentian.* ana ℥. i. ß. *glandium decorticat. cruciat.* ana ʒ. ii. Fiat Puluis.

Puluis pro diuitibus.

℞. *Doronici Romani s. Alpini*, Vnc. i. *Boli leuantici cum optimo vin. & liquoribus stillatitiis meliss. & scabios. loti* Drach. iij. *seminis Oxalidis*, Drach. i. sem. *rad. tormentill. fraxinel. cinnamomi electi*, *caryophyll. maceris*, *spic. zedoar. croci*, *Agallochi*, ana Drach. i. *coriandri. praparati*, Drach. sem. *sacchari rosacei tabulati*, Vnc. ii. Misce, & F. Puluis subtilissimus.

Puluis grossus.

℞. *Granorum iuniperi maturorum per noctem in aceto fortissimo maceratorum*, *rursusque exsiccatorum*, *confect. coriandri*, *fœniculi*, ana Vnc. iv. *coriandri praparati*, Vnc. iii. *confect. carui*, *anisi*, *acori veri*, *id est*, *calami aromat. nucleorum nacumingland. confect. liberantis in tabulis*, ana Vnc. ii. *seminis anisi*, *carui*, *fœniculi*, *omnium mundatorum & aceto rosaceo per noctem maceratorum rursusque exsiccatorum*, ana Vnc. i. sem. *seminis citrij mali excorticati*, *radicum Helenij*, *tormentill.* ana Vnc. sem. *pimpinell. alb.* Vnc. i. *angelic. Imperator. fraxinel. seu diptam. albi*, ana Vnc. sem. *zingiberis albi*, *cinnamomi electi*, *cass. lign. ver.* aut eius loco *cinnamomi crassioris*, ana Vnc. i. *zedoar. doronici*, ana Drach. ii. *corticum citrij mali*, *caryophyllorum*, ana ʒ. ii. ß. *maceris*, *cyper. Babylonici*, *nucum moschatar.* ana Drach. i. Incidenda omnia minutim tessellatimque incidantur; misceantur omnia instar pulueris grossi: De quo sumatur manè & vesperi cochleare vnum singulis vicibus.

Alius eiusdem vsus.

℞. *Confectionis liberantis Guidon. in tab.* Vnc. iv. *confectionis coriandri*, *anisi*, *fœniculi*, *carui*, ana Vnc. ii. *granorum iuniper. in aceto maceratorum*, *nucleorum nucum iuglandium mundat.* ana Vnc. ii. *doronici Romani s. Alpini*, Drach. vi. *cinnamomi. cass. lign. ver.* ana Vnc. sem. *galang.* Drach. iii. *tormentill.* ℈. vii. *centaurij magni*, *rhapont. dicti*, *rhabarbari*, ana Drach. ii. *pimpinell. hircin.* Scrup. v. *rad. Imperator. dictamn. albi*, *angelic. gentian. zedoar.* ana ℈. v. *sem. acetos. pimpinell. fœniculi*, ana Scr. ii. sem. *subebar. crassiusculè fract. nucis moschat. acori veri*, *caryophyll. maceris*, an. ʒ. i. Incidenda incidantur, & cum reliquis misceantur. Fiátque puluis grossus secundùm artem.

Puluis pretiosus pro diuitibus.

℞. *Boli Armeni veri*, Vnc. i. *rad. heptaphylli*, *caryophylli hortensis*, *dictamni albi*, *santali citrini*, ana Drach. i. *margarit. prapar.* Scr. ii. *eboris*, *cornu monocerotis*, *spodij*, *cortic. citri*, *antithor.* an. ℈. i. ß. *fragment. lap. pret.* an. ℈. i. ß. Fiat omnium puluis subtilissimus. De quo manè ieiunus sumat magnitudinem auellanæ dimidiæ, æstate cum aq. cichorij, hyeme cum aqua melissæ, vel corticum aurantij citri, aut vino generoso.

Pilula præseruantes quotidie sumenda.

Pilula pestilentiales Theodori pro diuitibus.

℞. *Cornu monocerotis*, *rad. anthitor.* ana Drach. i. ß. *Zedoar. pulu. cordialis*, *liberantis Guidonis*, *rhabarb. electissimi*, *sphragidis Lemnia*, *luti Armeniaci*, *scordij*, *croci Orientalis*, ana Drach. i. *cocci infectorij*, Scr. ii. sem *fragmentorum smaragdi*, *myrrh. elect. benzoi*, ana Drach. i. sem. *margarit. prap.* Scr. ii. *fragmentorum rubinorum*, *hyacinthorum*, *sapphirorum*, *granatorum veror. ossium de corde cerui*, *foliorum auri meri*, *argenti meri*, ana Scr. i. *aloes sincerissim. cum stillatitiis corticum citrij mali*, *& rosarum liquoribus lota*, *succi castracana*, *seu giarg. ad spissitudin. cocti*, ana Vnc. ß. Cum syrupo corticum citri q. s. Fiat massa Pilularum.

Pilula pestilentiales eiusdem pro pauperibus.

℞. *Aloës succotr. lot.* Vnc. i. sem. *myrrh.* Drach. iv. *croci electi*, ʒ. i. ß. *terr. sigillat. agarici trochisc.* ana Drach. i. *boli leuantici*, *benzoi*, ana ℈. i. sem. Cum *succo Castracana*, Fiat massa pilularum. Formentur pilulæ magnitudine pisi minoris. Dosis n°. viii. vel ix.

Aliæ Pestilentiales Pilula.

℞. *Aloes lot.* Drach. iij. *boli Armeni Oriental. terr. sigillat. croci*, *antithor*, *benzoi*, an. Drach. i. Fiat massa pilularum cum syrupo corticum citri.

Pilula liberantes dicta.

℞. *Pulu. liberant.* ℈. viij. *cinnamomi*, *zedoar. rad. angelic. antithor. tragosolmi*, *tormentill.* an. ℈. iv. *boli leuantici*, Drach. i. *Imperator. rad. morsus diaboli*, *granor. iuniperi*, *rad. vincetoxici*, an. ℈. ii. *chelidon. maior. echij. galang. caryophylli*, *hortulani*, an. ℈. i. sem. *doronici*, *caryophyllorum*, *nucis mosch.* ana ℈. i. *aloes lota*, ad pondus omnium. Cum *syrupo de succo Oxalidis* confice massam. Detur manè ℈ i. vel ʒ. dimidia.

Pilula de cornu Monocerotis.

℞. *Cornu Monocerotis.* Drach ii. *seminis citri* ℈. ii. sem. *boli Armeni veri*, *terr. Lemn. ver. tormentill. radicum dictam. pimpin.* an. ℈. ii. *antithor.* ℈. ii. ß. *doronici*, *rad. bistort.* an. ℈. i. sem. *pastillo-*

rum

Digitized by Google

rum de spodio, ℈.ß. *aloes cum stillatitio liquore lota*, ad poodus omnium.

Pilulæ Theriacales.

℞. *Salis Theriaci descr. Actij. theriac. Andromachi, mithridat.* ana Drach.iij. *caryophyllor.* ℈.ij. sem. *sigilli Lemnij. bol. Armen. Anthor. s. antithor. cinnamomi, galang.* ana ℈. iv. *macerꝰ*, Drach. i. *tormentill. agallochi, rosar. rubr.* ana ℈.ij. *cubebar, santali citrini rubri*, ana ℈.i. *aloes lota*, ad pondus omnium. Cum Syrupo acetositatis citri, f. massa.

Electuaria.

Electuarium aureum D.D. Achillei, Illustrissimorum Principum Saxoniæ Medici.

℞. *Zedoar. boli Armeni, sphragidis Lemn. cinnamomi acutissimi*, ana Drach.i. *sulphuris virginei*, ℈.ij.ß. *caphur.* ℈.ij. *dictamni albi, gentian. angelic. aristoloch. rotund. vera, tormentill. rad. Valer. morsus diaboli, leuistici, pimpinell. Germanic. betonic. baccar. lauri mundatarum, ossis de corde cerui*, ana ℈.i. *myrrh. ver.* & *alect. seminis citri*, ana ℈.i.ß. *fol. rut.* gr.xv. *croci*, gr.vij. *Pulueris Electuarij de gemmis frigid. de gemmis calid. diamosch. dulcis, diamargariti Nicolai, diatrionsantalon*, ana ℈. i. ß. *conserv. rosar.* Drach.vj. *theriac. prob. mithridatij antidoti, electuarij de ouo*, ana ℥.ß. *conseru. rosar.* Drach.vj. *theriac. prob. mithridatij antidoti, electuarij de ouo*, ana ℥.ß. *auri veri foliati, fol.* num.viij. *syrupi corticum citri moll. aq. vit. rectificat.* ana q.s. Fiat Electuarium solidum instar Electuarij de ouo.

Præseruatiui loco manè ieiunus sumat magnitudinem duorum pisorum, aliquot horas postea ieiunando. Sumitur vel per se, vel in vino albo, aut liquore conuenienti.

Curationis vice datur ℥.ij. in acero vini, aq. rosar. aut acetosæ, calidè: ad minimum tres vel quatuor horas sudando. Quod si cum horrore malum inuaserit, detur in aqua Melissæ, vino Malnatico, aut aliàs generoso.

Electuarium de Galega.

℞. *Summit.* & *foliorum rut. caprar.* Drach.x. *rad.* & *sem. pimpinell. boli Armeni veri, terr. sigill. ver. cortic. cass. lign. ver.* ana Vnc.sem. *petasitis, rad. angelic. tormentill.* an. Drach.v. *croci. rad. Anthor.* ana Drach.iij. *theriac. Andromach. opt. mithridat. probat.* ana Vnc.i. Puluerisanda puluerisentur subtilissimè, & cum nouendecim vnciis *mellis despumati*, Fiat Electuarium. Vltimò addantur theriaca & mithridatium. Detur manè magnitudo auellanæ.

Confectiones.

℞. *Boli Armeni veri cum stillatitiâ rosar. aq. loti*, Vnc. sem. *terræ sigillat. seu luti Lemnij*, Drach.iij. *rad. antithor. zedoar.* ana Drach.iij. *agallochi, doronici Romani, diptamni albi, tormentill. pulu. diamargarit. Nicola.* ana Drach.i.sem. *seminis Oxalidis, citri mundati, corticum citri, cartilagin. à cordibus ceruorum, seminis ocymi*, ana Drach.i. *ramentt eboris*. ℈.i. *vnicornu fragmentorum quinque gemmarum*, ana ℈.i. *sacch.* q.s. dissoluti in sufficienti quantitate liquorum stillatitiorum buglossæ & rosa. F. Confectio in rotulis vel morsulis.

Alia Confectio.

℞. *Boli Armeniaci, zedoar.* ana Vnc.i.sem. *tormentill.* Drach.v. *rad. pentaphylli, vincetoxici*, ana Vnc.sem. *sigilli Lemnij* Drach. iij. *Phu Pontici corallorum rubr.* ana ℈. iv. *margaritarum*, ʒ.i. *gall. moschat. ver.* ℈.ij. *santali citrini, spodij*, ana ℈. i. sem. *Sacchari* q. s. dissoluti cum liquoribus stillatitiis cordialib. Fiat Confectio, vt dictum est. De hisce, vel superioribus rotulis manè ieiunus suman num.ij. vel iij.

Electuarium Bezoarticum in tabulis, D. Theodori.

℞. *Terr. Lemn. ver. boli leuantici optimi* & *loti, tormentill.* ana Vnc.sem. *rad. caryoph. hortensis, rad. sorbastrel.* ana Drach.iij. *spodij* ℈.iij. *coralli vtriusque, cinnamomi electi, cass. lign. ver. rut. caprar.* ana ʒ.ij. *cornu Monocerotis, santalorum omnium*, ana ℈.v. *margaritarum præparatarum, dictamni Cretici, spic. Indic. antithor.* ana ℈ iv. *ramentorum cornu cerui, zedoar. Phu Pontici, macis*, ana ℈.iij.sem. *doronic. Europ. s. Alpini. succini albissimi, croc. opt. diptamni. alb.* ana Drach.i. *sem. citr. mali. angel.* ana ℈. ij. ß. *cocc. infector. seu kerm.* ℈.ij. *agallochi, fragmentorum pretiosorum omnium*, ana ℈.i.ß. *gall. mosch. ver. ambr. cineric. mosch. odoratiss.* ana ℈.i. *fol. auri fini, fol. argent. fini, fol.* num.xv. *sacch. albissim. in stillatitiis liquoribus buglos.* & *ros. dissoluti*, ana q.s. Fiat Confectio in morsulis, siue in tabulis.

Potiones.

℞. *Nucum iugland. bacc. iunip. rut.* ana ℥.ß. Incidantur & contundantur in mortario: affundatur acet. de vino, ad eminentiam duorum digitorum, reseruentur in vitro bene obturato. Et si libet, bene agitentur, manèque cochleare vnum assumatur. Præseru.24.hor.

Alia.

℞. *Theriac. diatess* ʒ.i. *puln. angel.* ʒ.i. *acet. rosac.* ʒ.ß. *aq. cardui bened.* ℥. ij Misce. Hac potione quolibet octiduo vtere semel, aliquot horas postea sudando.

Aquæ Destillatæ.

℞. *Scabios. cum toto, cruciat. rad. serpentar.* ana M.i. *absinth. sigill. Salomonis, tussilag. cum toto*, ana M.sem. Incidantur & vino fermententur, postea destillentur.

Alia.

℞. *Centaurinor.* ℔.i. *rad. gentian.* ℔.ß. Incidantur & contundantur ad formam pulmenti, & quinque vel octo diebus in vino generoso macerentur, postéaque destillentur.

Alia.

℞ *Rad. valerian.* Vnc.xij. *allij capita*, num. iij. *chamædryos*, ℥.iv. *fol. lign. ceruin.* num.xx. *rad. pimpinell.* Vnc.iij.sem. *nuc. iugland. virid. immatur.* num.xx. Incidantur & contundantur minutissimè. Affunde postea *vini sublimati* mensur.i. *aq. chelidon. maior.* ℔.i. *buglossæ, centaur. minor.* ana Vnc.xij. *salu.* Vnc.vj. *rut.* Vnc.vj.sem. *absinth.* Vnc.iv.sem. *rosar.* Vnc.iv. Digerantur omnia triduo vel quatriduo in loco calido, vel exponantur Soli. Destillentur postea in M.B. lento calore. Reseruetur aqua in vase vitreo, in qua dissolue *Theriac. opt.* Vnc.xij. & per mensem Soli rursus exponatur. Traiice per filtrum. De hac aqua sumat ieiunus manè Vnc.sem. Est Præseruatiuum excellens hyemali tempore.

Alia.

℞. *Rut. herb. chelidon. maio. cum toto, salu. ingland. nuc. immatur.* num.xxx. Incisis & contusis minutissimè, infunde *vini sublimati, aq. acetos.* ana Mensur.i.sem. In vase vitreato biduum Soli exponantur: destilla postea in M.B. & quotidie mane cochleare vnum assume.

Præseruatiua Grauidarum, Electuarium D. Theodori.

℞. *Succi granator.* Vnc.iij *pomorum redolentium ac dulcium*, Vnc.iv. *sacch. opt.* Vnc.xij. Decoquantur ad lentum ignem, donec ad syrupi consistentiam peruenerint: adde, *conseru. borrag. bugloss.* Vnc.ij.sem. *rut. caprar. aut florum caryophyll. hortensis, cichor.* ana Vnc.i. Commisceantur omnia probè cum prædicto syrupo, & postea inspergc sequentes pulueres, *pulueris doronici Roman. fragmentor. pretiosor. omnium corallor. rubr. præp. margarit. præpar. pulu. cordial. granor. tinctorior. pulu. liberantis*, ana ʒ.i. *cornu Monocerotis, boli Armene veri. terr. sigillat. ver. rad. anthor.* Drach.i. *gall. mosch. Mes.* ℈.i.sem. *moschi, ambr.* ana ℈.i. Fiat omnium puluis subtilissimus, qui suprà dictis probè commisceatur, vt Electuarium inde fiat: de quo mane detur magnitudo castaneæ dimidiæ, aliquot horas postea ieiunando.

Aliud.

℞. *Pulu. cordialis, diamargarit. latit. Galeni, serici crudi torrefacti*, ana Drach.ii. *ossium de cordibus ceruorum*, Drach.i.sem. *fragmentor. hyacinthi, granat.* ana Scr.ii. *margarit. præp. doronici Europ. agalochi, sem. oxalidis*, ana Drach. ii. *boli Armen. pulu. croci*, ana Scr.i.sem. *citr. condit. conseru. flor. bugloss.* ana Drach.iii. *rosar. Melissophylli condit. cydonior.* ana Drach.ii. *sacchar. candefacti*, Vnc.viii. dissoluti cum *stillatitio rosar. liquore odoratissimo*, q.s. *Syrupi de limonib. seu de acetositate citri*, q.s. Fiat Electuarium iustæ spissitudinis. Detur quantum prioris.

Aliud.

℞. *Rad. tormentill.* Vnc.i. *Pulu. cordialis, cinnamomi elect.* ana ʒ.ii. *spec. diamargar. Auicen.* Drach. i.sem. *cornu Monocerotis, sphragidis Lemn. boli Orientalis*, ana Drach.i. *Quinque fragmentor. pretiosor.* ana Scr.i.sem *conseru. rosar.* Vnc.ii. *rut. caprar.* Vnc. ii. *bugloss. borrag.* ana Vnc. i. sem. *Syrupi corticum citri*, q.s. Fiat Electuarium secundùm artem. Sumatur manè magnitudine duarum auellanarum.

Manus Christi cum gemmis D. Theodori.

℞. *Margarit. præparat. corall. rubr. præpar.* ana Drach. ii. *eboris combusti*, Drach. i. *Quinque fragmentorum pretiosor. cornu Monocerotis, succini albi*, ana Scr.ii. *boli Armeni veri, terr. sigillat.* ana Scr.i. *fol. auri*, num.ii. *Sacchari albiss.* Vnc. ii. dissoluti in *liquoribus stillatitiis rosar.* & *buglossi*, ana q.s. F. Confectio in tabulis. Manè & vesperi, qualibet vice sumantur num.ii.

Confectio præseruans, pro Mulieribus Pauperibus.

℞. *Pimpinel. albo Galeg.* ana Drach.ii. *Gran. iuniperi, Cass. lign. ver.* ana Scr.iv. *dictamni Cretici*, Scr.ii.sem. *rad. Phu.* Drach. i. *caryophyll. hortulani*. Scr.ii. *chamædryos* Scr.i. sem. *rub. tinctor. cyperi rotundi, cinnamomi, nucis moschat. rosmarini coronarij, melissophylli*, ana Scr.ii. *Sacchari* q.s. dissoluti in aq stillatitiâ radicum nardi, caryophyll. q.s. Fiat Confectio in morsulis vel rotulis.

Sumatur manè duabus horis ante pastum num.ii. vel iii. Vesperi v. cubitum eundo.

Præseruatiua pro Infantibus.

Rotula.

℞. *Tormentill.* Drach.ii. *rad. vincetoxici, antithor. boli Armeni, terr. sigillat. cornu cerui vsti*, ana Drach. i. *corticum citri, diptamni albi, scordij veri*, ana Scr.ii. *corall. rub. margarit. præparat. succini albi, sem citri mundat.* ana Scr.i. *sacchari optimi*, Vnc.viii. dissoluti cum *stillatitiis liquorib. oxalidis* & *rosar* an. q. s. Fiat Confectio in morsulis.

Confectio

Confectio liberans à Peste, pro Infantibus, D. Huberti Streitteri.

℞. *Seminis santonici*, *boli Armeni veri*, an. Drach. ii. *rad. Heptaphylli*, *enul. campan.* ana ℈. ii. *sem. santium*, *citri excortic.* ℈. i ß. *Corall. rubr. praeparati serici crudi*, *limat. eboris*, *sem. plantag.* an. ℈. i. *sapphirorum*, *Hyacinthorum*, an. ℈. ß. *Sacchari albissimi* q. s. Dissoluatur saccharum cum *stillatitiis scabiosæ*, *oxalidis & cardui benedicti liquoribus*, an. q. s. Fiatque Confectio. Dentur quotidie manè num. ii. vel iii.

Puluis D. Theodori.

℞. *Scordij veri* ʒ. ii *seminis santonici*, *Corall*, an. ℈. i. ß. *Tormentill. Dictamni albi*, *Fol. sen.* ana ʒ. i. *Agarici trochisc. Rhabarbari elect. Ramentorum corn. ceru.* an. ʒ. ii. *seminis citri mundati* ℈. i. ß. *corn. Monocerotis*, *trochiscorum Alhandal*, *Cinnamomi*, an. ℈. i. Misceantur secundùm artem, & fiat omnium puluis subtilissimus. De quo datur pucro vel puellæ 12. annorum ʒ. i. cum melle vel syrupo quodam. Octo annorum infanti, ʒ. dimidia. Quatuor vero annorum, ℈. i.

Curatiua.

Oleum citrangulorum, aduersùs pestem & venena omnia D. Theodori, quo statim, quamprimùm malum innaserit, nares & pulsus arteriarum, item Apostemata inungi debènt.

℞. *Pomorum citrangulorum* n°. vi. Terantur cum corticibus & nucleis ad modum pulmenti, quibus superinfunde *olei recentis & loti* ℔. iii. Misce & pone ad Solem per dies octo, deinde in balneo Mariæ, vel in diplomate per duodecim horas coque, postea fortiter exprime & cola: mox adde *Flor. borrag. recentium*, *bugloss. recent.* an. ℥. iii. *Caryophyll. hortulani*, *summitat. Hyperici*, an. ℥. i. ß. *rut. capraria*, *cardui benedict. Scordij veri & recentis*, an. ℥. i. *rad. tormentill.* ʒ. i. *Verben.* ℥. ß. *Dictamni Cretici*, *Gentian. Dictamni albi*, an. ʒ. ii. Contundantur omnia minutissimè, & rursus ad Solem per octiduum relinquito: deinde in Diplomate seu balneo Mariæ, vt supra dictum est, coquito, fiatque fortis expressio, aspergendo super aliquantulum vini Cretici. His factis expressioni addatur, *Boli Armen. veri*, *Theriac. Andromach. Antid. Matthiol.* an. ℥. i. *Angelic. gummos. santalor. omnium*, *Benzoi*, an. ℥ ß. *Rhabarbari electi*, *cinnamomi electi*, an. ʒ. iii. *Myrrhæ puræ*, *corticum citri*, *seminis citri*, *zedoar. Doronici*, *caryophyll* an ʒ i. ß. *Gran. kermes*, *ligni aloes*, *spic. nard. macis*, an. ʒ. i. Contundenda contundantur minutissimè, omniáque cum reliquis probè misceantur: *Terra sigill. bolus Armenus*, *Theriac. Andromachi*, *& antidot. Mathioli* cum vnciis quatuor vini sublimati, & totidem vini Græci seu Maluatici, dissoluantur, misceantúrque denuò. & vt suprà dictum est, in Sole relinquantur, deinde in diplomate bulliant, donec humiditas vinorum prædictorum absumatur, fiatque postea expressio, cui misceantur *Zibethi optim.* ℈. i. *Moschi Alexandrini Ambr. griseæ* an. ℈. ß. Dissoluantur probè in oleo, ipsúmque oleum in phiala vitrea sedulò obturata ad vsum, tanquam thesaurus secretus, reponatur. Oleo hoc inungantur pulsûs in manibus & temporibus; item regio cordis & ceruix.

Potio sudorifera pro robustis.

℞. *Electuarij de ouo* ℈. ß. *boli Armeni veri*, ℈. i. ß. *Theriac. Andromach. Antidot. Matthiol. seu Mithrid.* an. ℈ i. *Aq. bezoartic.* ℈. ii. *Aq. oxalid.* ℥. i. M Fiat potio.

Alia pro imbecillioribus.

℞. *Electuarij de ouo* ℈. iv. *boli Armeni* ℈. i. ß. *Theriac. Andromachi*, *Mithridat.* an. ℈ ß. *Aqu. bezoartic.* ℥. ii. *Aq. stillatit. acetos.* ℥. i. M. Fiat potio sudatoria.

Aqua Bezoartica Theodori.

℞ *Rad. Angel. Valerian.* an. ℥. iv. *Granorum iuniperi*, *Dictamni albi*, *Tormentill. serpentar. Gentian. Pimpinell. alb. Aristoloch. long.* an. ℥. ii. *rad. Helenij*, *Asclepiad.* an. ℥. i. ß. *Corticum citri*, *boli Armeni*, an. ℥. i. *Croci*, *zedoar. Doronici*, *sphragidis Lemnia*, an. ℥. ß. *Corall. albi & rubri*, *seminis Thlaspi*, *oxalidis*. an. ʒ. i. *Myrrhæ elect.* ʒ. ii. *cornu ceruï vsti*, ℈. ii. *herbarum Salu. Rutæ*, *pulegij*, *calamenth. Italic. scabiosæ*, *Basilici*, *Veronic. maioran.* an. M. ii. *Fumar. Scordij.* an. M. i. ß *Florum borraginis*, *bugloss. Violarum*, an P. i. *Rosmarini*, P. ß. Terantur omnia in puluerem crassiusculum & ponantur in vase vitreo mundo, addendo, *Theriac. Andr.* ℥. iv. *Mithridat.* ℥. iii. Misceantur probè, & superfunde *vini sublimati rectificati* ℔. viii. *Aquarum stillatitiar. oxalidis*, *Cardui bened.* an. ℔. iv. Misce, & pone ad Solem per quatuordecim dies, deinde destilentur per vesicam magnâ diligentiâ, vel in balneo Mariæ. Postea.

℞. *Cinnamomi electi* ℥. ß. *Pulu. Diamargarit. frig. Macis*, *nucis Moschat.* an. Drach. ii. *santali rubei & citrini*, *zedoar.* ana Drach. i. *Caryophyll. ligni aloës*, *Pulu. Latit. Galeni*, *Lætificantis Almansoris*, *El. de gemm. frigid.* an. ℈. i. *Moschi*, *Ambr.* an. g̅. ii. Terenda crassiusculè terantur, ac probè cum reliquis misceantur, in sindone rubro colligantur, & à filo in aquam prædictam dimittantur.

Aqua Bezoartica aurea Theodori.

℞. *Electuarium de ouo cum cornu monocerotis*, Vnc. i. *Theriac. Andromachi*, *Antidoti Matthioli*, *Mitridatij*, *boli Armeni veri*, an. Drach. vi. *Pulu Scordij veri*. Vnc. sem. *Angelic. verben. bacc. heder. antithor.* an. Drach. ii. sem. *Tormentill. cardui benedicti*, *Zedoar.* an. Drach. ii. *granor. kermes*, *dictamni albi*, *calaminth. Italic.* an. Drach. i. sem. *terr. Lemn. Caphur.* an. ℈. iv. *Spec. cordial. temperat. rad. Vincetoxici*, *sem. Thlaspi*, an. Drach. i. *Spec. liberantis* ℈. ii. sem. *Doronici Romani seu Alpini*, *Cinnamomi*, an. ℈. ii. *cornu monocerotis*, *croci optimi*. an. ℈. ii. sem. *nucis Moschat.* ℈. i. *spec. lætit. Galeni* ℈. sem. *Aqu. bezoart. Theodori*, *præcedentis* ℔. ii. *Vini maluatici optimi*. lib. i. sem. *Aq rosar.* Vnc. v. *oxalidis*, *angelic.* an. Vnc iv. *cardui bened. Scordij Helenij*, *Tormentill.* an. Vnc. iii. Misce, & pone in cucurbitam vitream bene obturatam per biduum, deinde lento igne per Alembicum destilla.

Dosis huius aquæ maxima Vnc. ij.

Potio sudorifera pro robustis.

℞. *Electuarij de ouo* ʒ. ß. *Boli Armeni*, *Theriac. Andromachi*, an. ʒ. ß. *Pul. scordij veri*, *radicum Angelic.* an. ℈. i. *spec. Cordial. temperat. liberantis*, an. ℈. ß. *cornu Monocerotis* g̅. v. *Aq. Angelic. Cardui bened.* an. ℥. i. ß. M. Fiat Potio.

Alia pro iisdem.

℞. *Electuarij de ouo* ʒ. i. ß. *boli Armeni Mithridat.* an. ℈. ß. *Pulu. baccarum hederæ*, *Radicum Antithoræ*, an ℈. i. *spec. lætit. Galeni pulu. Doronici Romani*, an. ℈. ß. *Liquorum stillatitiorum*, *scordij*, *Helenij*, an. ʒ. i. ß. M. Fiat Potio sudorifera.

Alia pro robustis, quos æstu aggressum est malum.

℞. *Electuar. de ouo* Drach. i. sem. *Pulu. boli Armeni veri* ℈. i. *Mithridat. electi*, *antidoti de sanguinibus*, *Pulu. radicum tormentill. terr. Lemn. vera*, an. ℈. i. *Pulu. cordialis* ℈. sem. *aqu. oxalidis*, *rosarum*, *aceti florum caryophyll. hortens.* an. ℥. i. ß.

Alia eiusdem vsus.

℞ *Electuarij de ouo* ℈. v. *Pulu. boli Armeni* ℈. i. sem. *sphragidis Lemn.* ℈. i. sem. *Theriac. Andromachi*, *antidoti Mathioli*, *Pulu. cordialis*, *antithora*. an. ℈. sem. *cornu monocerotis* g̅. v. *aqu. stillatit. oxalidis*, *aceti rosarum*, *vel florum caryophyllorum*, *aq. tormentill.* an. ℥. i. Misce. Fiat potio sudorifica.

Potio sudorifica, hyeme, vel si aliàs horrore malum inuaserit.

℞ *Electuarij de ouo* ℈. iv. *Theriac. probat.* ℈. ii. *Pulu. boli Armeni veri*, an. ℈. i. sem. *baccarum heder. scordij veri*, *angelic. spec. cordial.* an. ℈ sem. *cornu monocerotis* g̅ iv. *aq. angelic.* Vnc. i. sem. *vini Maluatici*, Vnc. i. Misce: Fiat Potio.

Potio Æstiua, si calore inuaserit malum, sumenda.

℞. *Electuarij de ouo* ℈. iv. *Theriaca Andromachi* ℈. i. sem. *boli Armeni praeparati* ℈ ii. *Pulu. tormentillæ*, *terr. sigillat.* ana ℈. i. *spec. cordial. temperat.* ℈. sem. *cornu monocerotis* g̅. iv. *aquæ stillatitia tormentill.* Vnc. i. sem. *aceti*, *florum Caryophylli hortulani* Vnc. i. Misce. Fiat potio sudorifera.

Potio pro pueris duodecim & vltrà annorum.

℞. *Electuarij de ouo* ℈. iii. *Pulu. boli Armeni* ℈. i. *angelica*, *spec. liberantis*, an. ℈. sem. *cornu monocerotis* g̅. iv. *aquæ stillatitia angelica* Vnc. iii. Misce. Fiat Potio. Sumatur, si horrore aggressa sit pestis.

Quòd si calore, vel æstiuo tempore, detur sequens.

℞. *Electuarij de ouo* ℈. ii. sem. *Pulu. boli Armeni veri* ℈. i. sem. *tormentillæ*, *spec. liberantis*, an. ℈ sem. *terr. Lemn* ℈. i. *aq. oxalidis* Vnc. i. *tormentill.* Vnc. j. sem. *aceti florum Caryophyll. hortensis* ℥. ß. Misce. Fiat potio sudorifica.

Electuarium Theriacale pro pauperibus.

℞. *Teriac. diatessar.* Vnc. iv. *Angelic. puluerisat.* Vnc. i. sem. *baccar. heder.* Vnc. i. *scordij boli Armeni praeparati & loti* an. Vnc. sem. *rad. ostrutij* Drach. ii. Puluerisanda subtilissimè puluerisentur, postea Theriaca addatur, & cum Syrupo de corticibus Citri, Fiat Electuarium.

Electuarium Theriacale pro pregnantibus.

℞. *Theriac. Alexandrin.* Vnc. ii. *rad. tormentill.* Vnc. i. *boli Armeni rubi* Vnc. sem. *serpentariæ*, *rad. pimpinell. rubræ*, ana Drach. ii. Puluerisentur, & cum Syrupo de corticibur Citri, fiat Electuarium.

Puluis pro pauperibus.

℞. *Rad. tormentill.* Vnc. i. *boli Armeni*, *flor. Centaurei minoru*, an. ℥. ß. *rad. pimpinell. croci*, ana. Drach. ii. Misce, & fiat omnium puluis.

Alius.

℞. *Rad. Pimpinell. fol. acetosa*, an. ℥. i. *rad. tormentill. terra sigillata*, an. ʒ. ii. *dyptamni albi* ʒ. i. ß. *boli Armeni* ʒ. i. Misce. Fiat Puluis.

Alius.

℞. *Dipcamni albi* Vnc. i. *meliss. angelica*, an. Vnc. sem. Fiat omnium Puluis.

Puluis Bezoarticus curatiuus D. Theodori.

℞. *Angelica probè mundata & lot.* Drach. x. *calamintha Italica* Drach. vi. *anthor. Myrrh. Melissa*, an. Drach. v. *granorum heder. cornu monocerotis*, an. Drach. iii. *scordij veri*, *boli Orientalis. sphragidis Lemnia*, *rad. ari*, *tormentill. sanguisorba*, *Aristolochia rotund. ver. doronici Alpini*, an. Drach. ii. *croci*, *zedoaria*, an. Drach. i. Fiat omnium puluis subtilissimus, & sedulò probéque misceantur.

Puluis alius pro diuitibus.

℞. *Rad. Imperatoria* ʒ. x. *fraxinella*, *tormentill.* ana ʒ. vi. *florum centaurei parui*, *Cardui benedicti*, an. Vnc. sem. *fragmentorum Hyacinth. cornu monocerotis*, *antithora*, ana ʒ. i. Fiat Puluis secundum artem. Dos. ʒ. i. ad Drach. i. sem.

Alius.

℞. *Scordij veri* ʒ. vi. *chamadryos*, *Cardui benedicti*, *rad. fraxinell. Pulegij ceruini*, *zedoaria*, *tormentill. granorum hedera*, an. ℥. ß. *summitatum rut. capraria*, *Aristolochia rotunda ver. boli Armeni*, *sphragidis Lemnia*, *croci*, *Antithor. Angelic. Imperatoria*, an. ʒ. ii. Fiat puluis secundùm artem.

Alius.

℞. *Zedoaria*, *corticum citri*, *rad. Imperatoria*, *Angelica*, an. Vnc. sem. *scordij*, *chamadryos*, *boli Armeni*, *sigilli Lemnij*, an. Drach. iii. *granorum iuniperi*, *heder. Antithor. cornu monocerotis*, an. ʒ. ii. *betonica*, *ligni aloës*, an. ʒ. i. *sem. hyperici*, *doronici*, *croci*, an. ʒ. ß. *Ambr. cineritia*, *moschi odorati*, an. ℈. ß. Fiat Puluis subtilissimus secundum artem.

Aquæ destillatæ.

Aqua pro pauperibus.

℞. *Sigilli Salomonis*, *rad. serpentaria. pimpinell. rubr. angelica*, an. Vnc. ii. *tormentill.* Vnc. i. sem. *herb. betonica* Drach. x. *petasitis* Vnc. i. *Scabios.* Drach. vi. *Garyophyllat. verben.* an. ℥. ß. *baccar. heder.* M. i. Contundantur omnia, & affundatur *aqua bugloss. borraginis*, an. ℔. i. *vini sublimati* ℔. ii. sem. In vitro bene obturato exponantur Soli, vel alij calori per octiduum. Postea destillentur cum summa diligentia.

Alia.

℞. *Radic. gentian. recent.* ℔ i. Incidatur & contundatur minutissimè, eique affundatur in vase vitreo aqua absinth. ad digiti vnius eminentiam. Stent in loco calido per triduum. Adde *Theriac. opt.* ℥. i. ß. *Aq. Menth. crisp. Flor. chamam.* an. ℔ i. *succi rut. absinthij*, an. ℔. i. *nucis moschat.* Vnc. sem. Destilla per cucurbitam in cineribus collocatam; exibit aqua pro dissolutione electuarij de ouo, vel aliorum. Vsurpatur etiam per se.

Alia non destillanda.

℞. *Rad. tormentill.* Vnc. i. *angelic.* ʒ. vi. *pimpinell. sanguisorb. cinnamomi*, an. ℥. i. *rad. Valerian. zedoar. boli Armeni veri*, *terr. sigillat. verb. verben. Bac. iuniperi*, *heder.* an. Drach. ii. *flor. bugloss.* p. i. *nuc. vomic. flor. sambuci*, *saluia Roman.* an. ʒ. i. *Theriac. pro Mithridat. op.* an. ℥. ii. Puluerisanda grosso modo puluerisentur. & in vitro affundantur *spiritus vini quater rectificati*, *vini malnatici*, an. ℔. i. ß. *syrupi de succo acetosa*, *acetositatis Citri*, an. ℥. iv. Theriaca postea & Mithridatium in *aq. rosar. & borrag.* an. ℥. vi. dissoluta addantur, benéque agitentur, & Solis vel hypocausti calori quatuordecim dies exponantur. Quod clarum erit, effunde, & in vitro bene obturato reserua. Dantur vnâ vice vnciæ tres, absque admixtione aliorum.

Alia aqua pretiosa.

℞. *Summitat. hyperici* M. iii. *chamadryos*, *calaminth. Italic. cardui benedicti*, an. M. i. *scordij* M. i. ß. *centaurei minoris*, *verben. dictamni Cretici*, an. M. ß. *dictamn. albi*, *gentian. tormentill. Aristolochia rotund.* an. ℥. ß. *baccar. sump. heder.* an. ʒ. v. *rhabarbari* Drach. iii. *Trochischor. de caphura* Drach. ii. sem. *caphur.* Drach. ii. *croci* Drach. i. Arida contundantur, herbæ minutissimè incidantur, misceantúrque. His factis superinfunde *Vini Sublimati* lib. vi. ponantur per octiduum continuum ad Solem, deinde in balneo Mariæ, probè destillentur. Postea feces sume & puluerisa, rursúsque in cucurbitam ponito, ac superinfundito *Aq. hyperici* ℔. vi. *borraginis*, *buglossi*, *melissophylli*, an. ℔. i. *pimpinell. cardui benedicti*, *scabiosa*, *caryophyllata*, an. lib. ß. Misceantur probè omnia, & in M. B. vt prius destillentur, priorique destillationi addantur: Adde *Syrup. cortic. citri* ℔. i. *ficuum pinguium* ℔. ß. *vuarum zebebarum enucleatarum*, *Passularum*, an. ℥. iii. *zedoaria* ℥. ß. *cinnamomi*, *cassia odorat.* an. ʒ. v. *Theriaca Andromachi*, *Mithridat.* an. ℥. vi. *vini Maluatici generosi* ℔. ii. Contundenda contundantur crassiusculè, reliqua dissoluantur cum Maluatico, sedulóque commisceantur, & vitrum mundum stricti orificij probè reponatur per mensem ad Solem. His omnibus peractis per filtrum traijciantur.

Postea ℞. *Spec. Diamargarit. diamoschi*, *diambr. Elect. de gemm. frigid.* an. ʒ. ii. ß. *Margaritarum praparatarum*, *fragment. smaragdi*, *Hyacinthi*, *Coralli rubr.* an. ʒ. i. ß. *Ambr. cineritia*, *moschi*, an. ℈ i. Colligantur omnia in syndone rubro, & à filo in aquam prædictam dimittantur. Dantur robusto ℥. ii. ß.

Electuaria.

Antidotum Curatiuum, Antidotum via nuncupatum.

℞. *Boli leuantici optimi* ʒ. xxii. *rad. tormentill. dictamni albi*, an. ʒ. xi. *Helenij*, *bistorta*, an. ʒ. x. *limatur. cornu cerui.* ʒ. vii. *cinnamomi*, *rad. pimpinella. granor. iuniperi*, *heder.* an. ʒ. vi. *Antithor. seminis thlaspios*, an. ʒ. v. *nucis moschata*, *rad. caryophyllata*, *agarici*, *trochiscati*, *galanga*, *acori*, *veri*, *cyperi*. *cornu monocerotis*, *rad. centaurei magni.* an. ʒ. iv. *rhabarbari electi* ʒ. viii. *zedoar. angelic.* an. ℈. viii. *caryophyll.* ʒ. ii. *auri laminati*, *Margaritarum*, *foliorum meliss. scordij veri* an. ℈. v. *quinque lapidum pretiosorum*, *pastillorum de terra sigillata*, *de spodio*, *de caphura*, an. ʒ. i. ß. *macis granorum tinctoriorum*, *gall. moschat. ver. rad. paeon. croci*, an. ʒ. i. *santal. omnium*, *moschi electissimi*, *ambr. grys.* an. ℈. ij. ß. *agallochi*, *doronici Europæi*, *rad. chelidonij*, *sem. ocymi*, *limatur. eboris*, *origani Cretici*, ana ℈. ii. *Corall. vtriusque*, *cardui benedict. Calaminth. Italic. chamadryos*, an. ℈. i. *mell. optimi* ℔. ii. ß. *consern. oxalidis*, *syrup. de corticibus Citri*, an. ℔. ß. *granatorum acidorum*, *acetositatis citri*, *conseru. meliss. flor. caryophyll.* an. ℥. iv. Misce probè, & secundùm artem fiat antidotum instar Theriacæ.

Apostemata.

Diarhabarbarum Theodori, intus sumendum, si vlcus iam sit mundificandum, expellens venenatas impuritates, & curationem mouens.

℞. *Rhabarb. electi* ʒ. vi. *agarici trochiscati* ʒ. v. *puluer. baccar. hedera* ʒ. ii. ß. *diamarg. frig.* ʒ. ii. *turpethi electi* ʒ. i. ß. *zingiberis albi*, *doronici* an. ℈. ß. *Zedoar.* ℈. i. *spic. Indic.* gr. xv. *conseru. rosar. bugloss.* an. ʒ. vi. *Syrup. rosar. solutiui cum Rhabarb.* q. s. Fiat Electuarium.

Emplastrum attractiuum.

℞. *Mercurij sublimati* ʒ. ß. *canthar.* nº. xii. Puluerisentur, & *cum oleo rosar. atque farina hordei.* Fiat Emplastrum.

Vel.

℞. *Vnguenti rosati Mesuës*, *diachyli simplicis*, an. ℥. ii. *Mercurij sublimati* ʒ. i. *cantharidum crassiusculè puluerisf.* nº. x. Incorporeatur instar ceroti, s. Emplastri.

Vnguentum Causticum Theodori.

℞. *Arsenic. rubr. alb.* an. ℥. i Macerentur per noctem in aceto generoso, postea defunde acetum, & maceratis adde *mastich. ceruss.* an. ℥. i. *vitrioli calcinati* ℥. ß. Fiat Puluis omnium, & macerentur per triduum in succo Plantaginis in loco calido, post in vmbra exsiccentur, & subtilissimè puluerisentur, postea ℞. *Adip. porcin. aquâ scabios. lot.* q. s. vt fiat vnguentum. Ad quod requiritur sequens.

Emplastrum defensiuum.

℞. *Ceruss. puluerif.* ℔. ß. *lithargyr. argent. auri*, an. ℥. ß. *olei oliu.* tres libr. quadrantes. Misce & lento calore coque ad aliquam spissitudinem; tunc adde *cera* vncias vi. vt Fiat Emplastrum.

De Carbunculis, Vnguentum defensiuum Theodori.

℞. *Olei rosarum omphacini*, *myrrhini veri*, an. ℥. iv. *succ. plantaginis*, *morell.* an. ℥. ii. *vini granatorum acetosi* ß. *caryophyll.* ℥. i. Decoquantur simul ad lentum ignem, donec prædicti succi absumantur: deinde colo transfundantur: & adde *cera lota*, q. s. *Pulu. Terr. Lemn. vera*, *boli Armen. veri*, an. ℥. ß. *caphur.* ℈. ii. Fiat. s. a. vnguentum.

Vnguentum incarnatiuum eiusdem.

℞. *Terrebinth.* ℥. iij. *mellis optimi* ʒ. vi. *puluer. sarcocoll.* *thuris* ℈ ß. *myrrh.* ℈. ii. ß. *aloes succotrin.* *san. Dracon.* an. ℈. i. ß. *croci optimi*, *mastiches*, an. ℈. i. *virginea* q. s. Fiat s. a. vnguentum.

MEDI

MEDICAMENTA

Contra Pestem,

A D. SIGISMVNDO KOLREVTERO, Pro Republ. Dresdensi ordinata.

Anno 1583.

Alexiterium.

℞. *Succ. fol. Calend. acetos. betonic.* an. ℔ ii. *cichor. paleg. scabiosf. rut.* an. ℔. i. *verben.* ℔. ß. *agrest.* ℥. iii. ß. *Mell. opt. de spum.* ℔ iii. *succ. ribium, berberor.* an. ℥. ii. ß. *vini Rhen. opt.* lib. i. *vini Cret. aut Maluat.* Vnc. x. Misc. decoq. postea lento igne in vase cooperto ad consistentiam Syrupi, & adde permiscendo *Syr. infusion. rosar. acetos. citri, limon.* ana Vnc. ii. sem. Deinde iis tenuiss. puluerem priùs redactis simul mixtis insperge semper agitando, vt formam Elect. solidioris acquirant, q. s. de subseq. spec. *Aloës succotr.* Vnc. ii. *Myrrh. elect.* Vnc. sem. *croci* Vnc. i. *boli Armeni* ʒ. iii ß. *terr. sigill.* ʒ. ii. *castor.* ʒ. i. *nunc. vomic.* ʒ. iii. *vnicornu* ʒ. iii. ß. *cinnamomi* ʒ. ß. *santal. alb. rub. citrin.* ana ʒ. ii. *fol. auri*, nº. xxi. *ligni aloes* ʒ. ii. ß. *visci qu.* ℥. i. *cort. citri, limon aurant.* an. ʒ. iii. *Margarit. splendid.* ℥. ß. *Corall. alb. rubr.* an. ℈. iv. *rasur. dent. apri* ʒ. v. *C. C. vsti* ℥. i. ß. *sem. eruca.* ℥. i. *cardui b. ned.* ʒ. vij. *basilic.* ʒ. ii. *citri, limonum, aurant. raps*, an. ʒ. i. *acetos. naps*, an. ʒ. iii. *nucl. iugland. excort. aceto per noctem macer.* ℔. i. ß. *caricar. pingu.* nº. xv. *bacc. lauri, iuniperi* an. ℥. i. *rad. tormentill.* Vnc. sem. *doronici*, Drach. iii. ß. *diptamn.* Drach. iii. *angelic. domest. syluestr. pimpinell. sorbastrell.* an. ℈. i. ß. *zedoar. bistor. Valerian. Ostrut. phu. veri, aristol. long. & rot.* an. ʒ. ii. ß. *gentian.* ʒ. iii. ß. *vrtic. alth.* an. ʒ. i. ß. *Meu, Zingib. leaistic. sigill. Salom.* an. ʒ. i. *petasit.* ℥. i. *helenij* ʒ. vj. *Asclepiad.* ℥. i. *Aron.* ℥. i. ß. *Asari* ʒ. ii. *cruciat.* ℥. i. ß. *succis.* ℥. iii. ß. *Olsnitij* ℥. i. *fol. diptamn. salu. gratiol. Calend. Ononid. cardus bened. Veron. Carlin.* an. ʒ. ii. ß.

Quod remanet de speciebus, reseruetur in vasculo mundo, & seponatur.

Aqua alexiteria.

℞. *Puleg. acetos. cichor. scabios. rut. salu. fumar. cardui bened.* an. M. vii. *galeg.* M. v. *Calend.* M. xiii. Sint plantæ virides & modò collectæ; concisæ parumper humectentur. *Vini Rhenani puri* ℔. iii. *aqua scabios. fumar. meliss. cichor. verben. betonic.* ℔. ß. *Aceti vini acerr.* lib. i. Destill. s. a. in B.

Electuarium sudoriferum.

℞. *C. C. prapar.* ℥. ß. *succi rut. millefol.* an. ℥. ii. *Caricar.* num. viii. *Lrutium* ʒ. i. *fœniculi* ʒ. i. ß. *baccar. lauri* ʒ. ii. *rasur. dentis apri, ligni visci q.* an. ʒ. iii. *rad. apij* ʒ. ii. *sem. rut. rapar. cardamomi ver.* an. ʒ. i. *Cum oxymel. comp. & conserua. fumar.* F. Electuarium.

Puluis ad sacculos.

℞. *Rad. ireos* ʒ i. ß. *plantag. cichor. hierac. lap. ma.* an. ʒ. iii. *valerian. petasit. angel. helenij, leuist.* an. ʒ. vi. *fol. basilic. rorismar. coron. Puleg. meliss. serpill. maieran. origani. hyssopi, rut.* an. M. i. ß. *millefol. rosar. rubr.* an. M. ii. *stœchad. arab. rad. pœon.* an. ℥. i. *spic. celt.* Drach. i. *Ind.* Drach. ii. Concisa & contusa mediocriter reseruentur in vase ligneo mundo.

Electuarium preseruatiuum.

℞. *Nuc. iugland. per diem naturalem aceto macerat. post mundatos. exquisitè*, ℔. ii. Tritis adde *fol. rut. virid. minutissimè concis.* ℥. iv. *puleg. virid. concis.* ℥. ii. *Conseru. euphras. borrag. bugloss. rosarum, violar. meliss.* an. ℥. i. *betonic.* Vnc. iii. *rad. pimpinell. cond. cichor. cond.* an. ℥. ii. ß. Hæc bene mixta reseruentur seorsim. Rursus.

℞. *Zedoar.* ℥. iii. *myrrh.* ℥. ii. ß. *rad. asclepiad. hierach. olsnit. rad. angel. tormentill. cichor.* an. ʒ. i. *sem. citri, limon. aurant.* an. ℥. i. *basilic. acetos.* an. Drach. ß. *Corall. alb. rubr. Margarit. praparat. Carabes alb.* an. Drach. i. *santal. omnium*, an. ℈. iv. *boli Armeni* Vnc. sem. *Coriandri prapar.* Drach. vi. Ex his omnibus f. puluis tenuiss. & huius medietas commisc. reseruatæ iam mixturæ, & syr. acetos. simpl. q. s. Efformentur Electuarium.

Rotulæ è Zedoaria.

℞. *Resid. mediet. pulueris*, cui adde *Myrrh.* Vnc. i. ß. *zedoar.* Vnc. i. ß. *Sacch. in aq. rosar. betonic. acetos.* an. q. s. dissol. F. s. a. Rotulæ trochiscorum instar.

Puluis pro fumo.

℞. *Styr. calam.* ℥. ii. *ladani* ℥. i. *baccar. iuniperi* M. v. *putam. bacc. lauri* M. i. *fol. querc.* ℥. ii. *Origan. maioran. serpill. hyssop. paleg.* an. ℥. i. ß. *cortic. citri* ℥. i. *Thymiam.* ℥. ii. *Thuris* ʒ. vi. *Sabin.* Vnc. ii. *fol. spic. vulg.* M. iii. *summit. hypericon.* Vnc. i. *rosar. alb.* M. xii. Concisa & mediocriter contusa dentur in vasculo ligneo bene cooperto.

Emplastrum ad Bubones.

℞. *Fol. betonic. salu. Calend. rut. virid.* an. M. ii. *rad. armorat. raphani.* an. M. ii. ß. *lil. alb.* ℥. iii. *cepa* ℥. i. *caricar.* num. vi. *farin. tritici* ℥. i. Concisa & contusa coq. in s. q. aq. ad molliciem, optimè deinde contusis adde *sinap.* ʒ. ß. *salis* ʒ. iii. *fermenti.* Vnc. iii. *Ammoniaci aceto dissoluti*, ℥. i. *Mellis* q. s. Coq. ad Empl. consistent.

Vnguentum mundificans.

℞. *Vitell. ouor.* num. vi. *fungi musch. aceto macerati, postea trit.* ℥. i. *fol. betonic. calend. chelidon.* an. M. sem. *fermenti* ʒ. ii. Misce simul in vnam massam: Contus. adde, *Galbani in aceto dissol.* ℥. ß. *Asafœtida* ʒ. i. *farina silig.* ʒ. i. *spec. alexit.* ʒ. i. *terebinth. aq. scabiosa lota*, ʒ. vi. *Mellis rosaci* q. s. Subigantur in Vnguentum.

Electuar. amarum.

℞. *Aloës succotr.* ℥. iii. *spec. alexiter.* ℥. i. *Myrrha* ℥. i. ß. *Mastich.* ʒ. vi. *Diagryd. ritè prapar.* ʒ. i. *Cum syr. acetos.* q. s.

Aliud lenius.

℞. *Elect. lenitiui, diasebestru sine diagrid.* an. ℥. iii. *trypher Persic.* ℥. i. Misce.

Vnguenta.

℞. *Thur. mastich. myrrh. sarcocoll.* an. ʒ. i. *farin. hord. fabar.* an. gr. xv *sang. dracon. boli Armeni*, an. ʒ. ß. *resin. colata, terebinth. par. colophon. pic. naual.* an. ʒ. vi. *seui ceruini* ʒ. iii. *Ol. hyperici* Vnc. i. sem. *Cera* q. s. Fiat Vnguentum.

Morsuli è zedoaria.

℞. *Cort. citri cond.* ʒ. vi. *aurant.* ℈. ii. *rad. eryng. cichor. pimpinell. omn. condit.* an. ʒ. ii. & abstersa bene saccharo crassiusculè concisorum, *Corall. rub. & alb. prapar.* an. ℈. i. *ligni aloes* ʒ. ß. *Myrrha* ℈. i. *Fol. auri* num. iv. *Zedoar.* ʒ. ii. *boli Armeni loti aliquoties aqua rosar. & cinnamomi*, q. s. F. s. a. Morsuli.

Puluis pro fumo.

℞. *Rosar. rubr.* ʒ. ii. ß. *Styrac. cal.* ʒ. i. ß. *benzoës* ℈. ii. *ligni aloes, cort. citri* ʒ. ß. *stœchad. Arab.* gr. v. Hisce mediocriter contusis adde *scobis tenuiss. ligni ros.* ℈. ii. *Moscha.* gr. iii. *ambr.* gr. ii. M. detur in pyxide lignea munda.

Rotula tempore pestis.

℞. *Zedoar.* ʒ. ii. *Myrrh.* ʒ. ß. *ligni aloes* gr. xv. *Rad. Cichor. Angelic. helenij, pimpinell. omn. cond.* an. ʒ. i. *gentian.* gr. x. *Margarit. prapar.* gr. vii. ß. *Cons. rosar. rubr.* ʒ. ii. *sacch. dissol. in aq. beton.* q. s. Fiant Rotulæ.

Puluis pro fumo communis.

℞. *Cor. bacc. lauri, bacc. iuniperi* an. M. ii. *fol. querc. fagi*, an. M. iii. *summit. hyperici, serpilli, pulegij, origani, sabin. rosar. alb. rub.* an. M. ii. Concisa & mediocriter conquass. commisc. F. Puluis.

Aqua pro suffumigio.

℞. *Boli Rom.* ℔. ii. *alum. boli vulg.* an. ℥. iii. *acetos. rosar. rub. scabios. rosar. rub. scabios.* an. M. i. Hæc omnia concisa & conquass. coq. optimè in cauth. vi. aqu. & aceti acerr. ad cauth. consumt. transcolatum reseruetur.

Trochisci pro fumo.

℞. *Styrac. cal.* ʒ. xi. *ladani, benzoes, caryoph.* an. ʒ. i. ß. *rosar. rubr.* ʒ. ii. *ligni aloes* ℈. ii. *sacchari* ʒ. vi. *lign. rosei.* iii. *trochisc. alips. mosch. rec. prap.* ʒ. ß. *mucilag. tragaranth. cum aq. ros.* q. s. F. s. a. trochisci.

Species pro sacculis.

℞. *Hyssop. puleg. basilic. meliss. maioran. rut.* an. M. iii. *rad. angelic. valerian. cichor. ireos, lap. mas. pœoni. asclep. petasiti. leuistic. ostrut.* an. ℥. i. ß. *mille fol. rosar. rubr.* M. ii. *stœchad. Arab.* ℈. ii. *spica Celt.* pug. i. Hæc omnia mediocr. concisa & mixta reseruentur.

Electuarium amarum.

℞. *Dictamni albi, gentian. asclep. pimpinell. zedoar. tormentill. pœon. bryon. eryng.* an. ℥. ß. *boli Armen.* iii. *Myrrh.* ii. *Cort. citri* Dra. vi. Hæc singula minutissimè pulner. commisc. melli decocto galegæ, rutæ, & puleg. in aceto despum. ad formam & consistent. Electuarij. Reseruetur in fictili.

Puluis odoratus.

℞. *Ligni aloes* Drach. iii. *ladani* Drach. vi. *santal. citrin.* Drach. iii. *styrac. calam.* ʒ. v. *benzoes* Drach. i. ß. *rasur. cort. citri exter.* ℥. ß. *rosar. rubr.* ʒ. x. *caryophyll.* ʒ. i. *Moschi Zibeth.* an. ℈. ß. Mediocriter concisa & conquass. reseruentur.

Syrup. alexiterius.

℞. *Fol. calend. Caleg. verben. myrrhid. cichor. betonic. scabios.*

Digitized by Google

an.M.i. *rad. angelic. olsnit. pimpinell. diptamni albi, petasit. bistort. tormentill. ostrut. asclep.* an. Vnc. i. Cnq. concisa & conquass. in vi. vel viii. cantha. aq. communia ad sufficientiam, transcol. cum lib. ii. mellis ad ipsius despumationem, ebulliant in fictili mundo.

MEDICAMENTA
PRÆSCRIPTA COLLEGIO
Medico, in Academia VVittebergensi.

Anno 1598. 1609. 1610. 1611.

1. *Puluis ad suffiendum pro pauperibus.*

℞. *Baccar. iuniperi* M. ii. *Cortic. baccar. lauri* M. i. *Thuris* lib. sem. *Fol. absinthy, ruta, quercus*, an. M. ii. *Scobis ligni iuniperi*, M. iv. *Succini* Vnc. i. F. Puluis pro fumo.

2. *Candelæ pro fumo.*

℞. *Styrac. calamit. benzoët, thuris elect.* an. ʒ. ii. *cinnamomi, caryophyll. marie, nucis, mosch. radic. angelic. rosar. rubr. siccarum, santal. citrin. ligni aloes, cortic. citri siec.* an. ℈. i. *moschi* g̅. ii. *carbonum tilio* duplum ad species, *tragacanth. in aq. rosac. camphorata dissol.* q. s. F. Candelæ pro fumo.

3. *Alius puluis pro diuitibus.*

℞. *Baccar. iuniperi* lb. i. *thuris* Vnc. iv. *styrac. calamit. benzoet.* an. Drach. i. sem. *santal. citrin.* Vnc. sem. *ligni aloes* ʒ. ii. *fol. lauri* Vnc. i. *flor. lauendul.* ʒ. ii. *rosar. rubr.* Vnc. i. sem. *scobis ligni iuniperi* M. iii. F. Puluis grusso modo pro fumo.

4. *Puluis præseruans.*

℞. *Boli armeni veri prop. terr. sigillat ver.* an. Drach. ii. *rad. tormentill. pimpinell. angelic petasit.* an. ʒ. sem. *valerian. astrutij*, an. ʒ. i. *sem. acetos. citri, endiuiæ*, an. ℈. i. *fol. scordij, dictamni Cret. cardui ben. acetos.* an. Drach. i. *cinnam. interni, caryophyll. Zedoar. ligni aloes, santal. citrin. corall. rubr. præp. C. C. vsti & prop. margaritar. orient. præp.* an. ℈. ij. *croci oriental. crocbisc. de campk.* an. ℈. i. *special. electuar. de gemmis* ʒ. i. M. F. Puluis.

5. *Electuarium Præseruatiuum.*

℞. *Conseru. acetos. acetosell. rosac* an. ℈. i. *anthos.* ℥. ii. *sem. citri excort. cortic. eiusdem.* an. ℈. i. *boli armeni veri* ℥. i. *terr. sigill. vero* ʒ. ß. *mithridati elect.* Vnc. sem. *theriac. optim.* ʒ. ii. *croci orient.* ℈. sem. *aceti vini rosac.* cochl. iii. Theriaca cum Mithridatio in aceto dissoluatur, addantúrque pulueres cum conseruis, & diligenter in mortario ad formam Electuarij ducantur. Dosis sic adultis ʒ. i. infantibus ℈. i. vel ii.

6. *Morsuli. præseruantes.*

℞. *Boli armeni veri cum aqua acetos. præpar.* ℈. iv. *rad. tormentill. dictamni albi, pimpinell. sem. citri excort.* an. ʒ. i. *electuar. de ouo* ʒ. i. ß. *spec. liber. s. aloë* ʒ. i. *conseru. flor. acetos.* Vnc. ß. *sacch. albiss. dissol. in aqua acetos.* lib. i. F. s. a. Confectio in morsulis.

7. *Electuarium pro familia.*

℞. *Fl. acetos.* Vnc. i. *rad. tormentill. angelic. valerian. dictamni albi, pimpinell. baccar. iuniperi recent.* an. M. ii. Contusa cum aceto rosarum, M & adde *rob. sambuci* Vnc. ii.

8. *Puluis præseruans pro pueris.*

℞. *Spec. elect. diamarg. frig. diarrh. Abb. liberant. Cum bolo*, an. ʒ. i. ß. *corall. rubr. præp.* ʒ. ß. *ossis de corde cerui veri* ℈. i. *sem. santon.* ʒ. i. *radis. pæonia, granor. eiusdem excort.* an. ℈. ii. ß. *cinnam. interni optimi, cortic. citri*, an. ʒ. i. ß. Puluerisandis puluerisatis add. *sacch. albiss.* Vnc. ii. M. F. Puluis.

9. *Rotulæ præseruantes pro grauidis.*

℞. *Margar. orient. non perfor.* ℈. ß. *fragm. lapid. pretios.* an. ℈. ß. *sem. acetos. C. C. vsti & præp.* an. ℈. ii. *rad. pæonio granor. eiusdem. excort.* an. ʒ ß. *spec. diamarg. cal. confect. cordial.* an. ʒ. i. *sacch. veteris* ʒ ß. *sacch. albiss. in aqua acetosæ & rosarum odoratiss.* an. *dissol.* Vnc. vi. sem. F. Confectio in rotulis.

10. *Acetum pro spongiis.*

℞. *Granor. iuniperi* ℥. i. *fol. rutæ recent.* ℥. ß. *scordij* ʒ. ii. Incisis iis & contusis adde *rad. angelic.* ʒ. ii. *zedoar.* ʒ. i. *aristoloch. longæ, valer.* an. Drach. i. sem. Puluerisentur grusso modo, & affunduntur aceti vini fortis, lib. iv.

11. *Lingualia.*

℞. *Zedoar.* ℥. ß. *rad. pimpinell. angel.* an. ʒ. i. *ligni aloes, cinnamom. elect. cortic. citri*, an. ℈. ii. *macis* ℈. i. *sacchar. albiss.* Vnc. iii. Cum s. q. *tragacanth. in aq. rosarum dissolut.* formentur Hypoglottides.

12. *Pomambra pro viris.*

℞. *Flor. rosarum rubrarum, violarum*, an. ʒ. ii. *anthos, summit. maiorano, lauendul.* an. Drach. i. *cortic. citri siccor. nucis mosch. cinnam. interior.* an. Drach. iii. *ligni aloes santal.* an. Drach. i. *styrac. calam. benzoe*, an. ʒ. ii. Cum s. q. *tragacantho in aqua rosarum dissolut.* F. Massa pomamb. pro viris. Dosis sint Drach. iii. quæ aromatisentur cum *mosch. ambr.* an. gr. ii. & Syndoni rubræ includantur.

13. *Pro mulieribus*

Aromatisentur *cum castorei* gr. iii. includantur Syndoni.

14. *Sacculi Cardiales pro viris.*

℞. *Rosarum rubrar.* ʒ. iii. *flor. violar. purpur. nymph. albo, fol. maiorano, scordij, santali citrini*, an. ʒ. i. ß. *rad. iridis, cortic. citri*, an. ℥. ß. *zedoar.* ℈. iii. *cinnam. caryophyll. macis*, an Drach. sem. *styrac. calam.* an. ℈. iv. Concisa & tusa crasso modo seruentur ad vsum. Dosis iii. includantur Syndoni. Pro viris adde *camphoræ moschi* g̅. i. F. Sacculus.

15. *Pro mulieribus.*

Adde castorei gr. iii.

16. *Linimentum ad nares.*

℞. *Theriac. opt. mithrid. elect.* an. ʒ. i. *myrrh. elect. benzoe, styrac. calam.* an. ℈. i. *santal. citrin. spec. cordial. tempor.* an. ℈. ii. *ol. nuc. mosch.* ʒ. i. *vini maluatici, aceti rosarum, scordij*, an. q. s. F. Linimentum.

17. *Electuarium Curatiuum.*

℞. *Theriacæ Andromachi veteris*, Vnc. i. *Mithridat. elect. Electuar. de ouo diascord. Fracastor.* an. Vnc. ß. *rad. tormentill.* ℈. iv. *dictamn. alb.* ℈. ii. *fol. dictam. Cret. scordij*, an. Drach. ß. *boli armen. ver. terr. sigill.* an. ℈. iv. *C. C. vsti & prop.* Dra. i. *sem. acetos. citri excort.* an. ʒ. sem. *sanctis* ℈. i. *camphor.* g̅. xxiv. Puluerisentur subtilis. & cum s. q. Syr. acetos. citri, redigantur ad formam electuarij.

18.

℞ *Electuarij huius* ℈. iv. *aq. scordij.* Vnc. iii. *aceti vini* Vnc. i. M. F. Haustus sudorifer, pro adulto.

19.

℞. *Elect. præser.* ʒ. ß. vel ℈. ii. *aq. scordij*, Vnc. ii. ß. *aceti vini* Vnc. ß. M. F. Haustus sudoriferus pro pueris ab anno 7. ad 14.

20.

℞. *Elect. præser.* ℈. i. *aq. scordij* ℥. i. *aceti vini* ʒ. iii. M. pro minoribus.

21. *Syrup. refrigerans & confortans.*

℞. *Syr. de succo acetos. acetosell. acetositat. citri, oxysacch. s.* an. Vnc. i. *rob. ribes, cerasor.* an. Vnc. ß. *vini granat.* Vnc. i. vel q. s. Misce.

22. *Electuarium refrigerans & confortans.*

℞. *Carnium citri condit.* Vnc. i. *conseru. flor. citri, acetosell. borragin. rosar.* an. Vnc. sem. *manus Christi perlato* ʒ. i. ß. cum *Syrup. acetosit. citri*, q. s. F. Electuarium.

23. *Potus purgans pro adultis.*

℞. *Decocti communis flor. & fruct.* in quo *sem. citri* ʒ. sem. *acetos. portulac.* an. ℈. i. bullierint, ℥. iii. Dissolue in his *Elect. diacathol. lenitiu. s.* an. ʒ. iii. *rosate Mes.* Dra. sem. *tryphær. Persic.* ʒ. i. adde *Syrup. de cichor. s. oxysacchar.* an. Vnc. M. Fiat haustus pro adultis.

24. *Pro iunioribus ab anno 7. ad 14.*

Paretur dimidia pars.

25. *Pro infantibus.*

Paretur pars tertia.

26. *Clyster pro adultis.*

℞. *Fol. malu. vtriusque, mercuriol. violar.* an M. i. *flor. chamam.* M. sem. *sem. lini, fœnugr.* an. ʒ. i. *rad. alth.* Vnc. sem. Coquantur in sufficienti aq. tertias, pro lib. i. colat. adde *Elect. diacathol.* Vnc. ß. *diaprun. lenitiu.* ʒ. ii. *rosati Mes.* Drac. i. *ol. viol.* Vnc. ii. *mellis rosat. colat.* Vnc. i. *vitell. oui* n°. i. *Salis communis* Drach. sem. M. Fiat. clyst. pro adulto.

27. *Pro iunioribus.*

℞. *Decocti suprà scripti.* ℥. viii. *Elect. diacathol.* ʒ. ii. *lenitiu. simpl.* ʒ. i. *ros. Mes.* ʒ sem. *ol. violar.* Vnc. i. *mellis ros. colat.* Vnc. sem. *vitell. ouor.* n°. i. *salis* ℈. i. M.

28. *Pro infantibus.*

℞. *Decoct. suprà scripti.* ʒ. iv. *Elect. diacathol.* ʒ. i. *lenit. simpl.* ʒ. ß. *rosati Mes.* ℈. i. *ol. viol.* ℥. i. *mellis rosati colat.* ℥. ß. *vitelli oui* n°. ½. *salis* ℈. ß. M.

29. *Emplastrum ad bubones mitius.*

℞. *Rad. malu. alth. fol. malu. viol.* an. M. i. Coqu. ad mollitiem. Pòst tusis iis adde, *Butyri recent. non salsi* Vnc. ii. *adipis gallin.* ʒ. i. *fermenti* ʒ. i. ß. *ol. rosar.* q. s. M. Fiat Vnguentum.

30. *Fortius.*

℞. *Capar. magnar. rubr. ademptis tunicis exterioribus assatarum*

Digitized by Google

in pappa cannabina sub cinerib. nº. viii. *Fermenti acerrimi ad magnitudinem iv. caparum, ficuum pinguium*, nº. viii. *passular. magnar.* nº. xx. *theriac. veteris* ℥. ii. *ammoniac. in acet. dissolu.* ℥ i. ß. *cantharid. abiectis alis & capitibus*, ℈. ii. Puluerisatis puluerisandis, ad formam Emplastri redigantur.

31. *Emplastrum ad carbunculos.*

℞. *Theriac. opt. mithridat. elect.* an. ʒ. ii. *fermenti, terebinth.* an. ℥. i. *mell. rosat.* ʒ. vi. *butyri recent.* ℥. i. *salis communis* ℥. ß. *fuligin. camini* ʒ. x. *saponis Veneti* ʒ. i. ß. *croci* ʒ. i. ß. *vitell. ouor.* oº. ii. Contundantur omnia, & F. Emplastrum.

32. *Puluis ad infectas domos.*

℞. *Vitrioli, nitri*, an. ℔. ß. *baccar. lauri recent.* ℥. i. ß. *myrrh. rubr.* ℥. ii. *alumin.* ℥. ß. *sulphur.* ʒ. i. Puluerisata misceantur.

Alius.

℞. *Vitrioli* ℥. v. *nitri* ℥. i. *myrrha rubr.* ℥. v. Puluerisata infundantur in aceti vini q. s. de hoc infunde in lateres ignitos, ad faciendum fumum, qui venenatam auram in locis infectis consumit, vestésque quibus adhæret, à veneno liberas facit.

MEDICAMENTA
AB EODEM COLLEGIO
PRÆSCRIPTA.
Anno 1626.

Præseruantia.

1. *Puluis ad suffiendum pro pauperibus.*

Idem, qui suprà ab eodem Collegio præscriptus, nº. 1.

2. *Puluis ad suffiendum pro diuitibus.*

Idem, qui suprà. nº. 2.

3. *Candela pro fumo.*

Eædem, quæ suprà, nu. 3.

4. *Species pro vino.*

℞. *Absinth. vulgar. scordij, cardui bened.* an. M. i. *dictamni Cretici* M. ß. *rad. helenij, pimpinell.* an. ʒ. vi. *cortic. citri*, ℥. ß. Dentur in charta.

5. *Puluis præseruans.*

Idem, qui suprà, num. 4.

6. *Puluis Montagnana.*

℞. *Sem. citri, acetos.* an. ʒ. ii. *rad. dictamni albi, gentianæ, tormentill.* an. ʒ. ii. ß. *boli Armeni. cinnamom. elect.* an. Vnc. i. *margarit. præpar. sapphir. præpar. oss. de C. C.* an. ʒ. i. *santal. omnium, semin. ocimi*, ana Drach. i. sem. F. Puluis præseruans, de quo scribit Montagnana, quòd nunquam viderit aliquem mori, qui illo vsus fuerit.

7. *Rotula liberantis.*

℞. *Spec. liberant. s. aloe*, ℥. ß *extract. angelic. zedoar.* an. ℈. i. *sacch. in aq. rosar. dissol.* Vnc. v. F. Rotulæ.

8. *Rotula cordiales.*

℞. *Spec. confect. de hyacinth.* ℥. ß. *confect. alkermes* ʒ. i. ß. *extract. angelic.* ʒ. ß. *zedoaria* ℈. i. *scordij* g. vii. *magisterij corallior.* ℈. ß. Cum *sacchar. in aquâ galegæ & acetosa dissol.* F. Rotulæ.

9. *Rotula præseruantes.*

℞. *Balsam. sulphur.* Scrup. sem. *extract. helenij* ℈. i. *ol. angel.* Scrup. sem. *sacchar. in aq. scabios. dissolut.* Vnc. iv. vel v. Fiant Rotulæ.

10. *Rotula pro infantibus.*

℞. *Pulu. bezoartic.* D. Sennerti, *spec. liberant.* an. ʒ. i. *extract. tormentill. boli Armeni*, an. Scrup. i. *sacch. in aq. rosac. dissol.* qu. s. Fiant Rotulæ.

11. *Rotulæ pro grauidis.*

℞. *Marg. orient. non perfor.* ʒ. ß. *fragm. 5. lap. pretios.* ao. ℈. ß. *semin. acetos. C. C. vsti & præp.* an. ℈. ii. *rad. pæonia, gran. excort. eiusd.* an. ʒ. ß. *spec. diamargar. calid. confect. cordial.* an. ʒ. i. *sacch. ros. veteris* ʒ. ß. Cum *sacch.* ℥. i. ß. *in aq. acetos. & rosac. dissolut.* F. Rotulæ.

12. *Electuarium præseruans.*

℞. *Conseru. scordij, galegæ, rut. scabios. tormentill. acetos. acetosell. rosar. flor. calendul.* an. ℥. ii. *rad. pimpinell. condit. helenij condit.* an. ℥. ß. *boli Armeni, terr. sigillat.* ao. ʒ. ii. *rad. bistort. succis. angel. zedoar.* an. ʒ. ii. *cortic. citri condit.* ℥. i. *theriac. opt. mithridat.* ana ʒ. vi. Cum *syr. de succo citr. scordij, galeg.* ana q. s. F. Electuarium.

13. *Electuarium de zedoaria.*

℞. *Pulu. rad. zedoar. tormentill. pimpinell. helenij, ossuitij, angelic.* ana ʒ. ii. *myrrh.* ʒ. i. Incorporentur *aceto bezoartico*, ac addantur *Rob sambuci*, Vnc. iv. *sumtp.* Vnc. ii. Misce.

14. *Electuarium pro familia.*

Idem, quod suprà, num. 7.

15. *Syrupus & Morsuli præseruantes.*

℞. *Spec. confect. liberantis Austriac.* Diuidantur in partes duas æquales, ex vna cum *Sacch. in aq. acetos. scabios. cardui bened. dissolut.* q. s. Fiant Morsuli.

16.

Alteri parti affundatur acetum vini optimi q. s. stent in infusione per dies aliquot in loco calido, donec omnis vis attracta fuerit postea acetum colatum cum sacch. coqu. ad Syrupi consistentiam. Fiat Syrupus.

17. *Acetum Bezoarticum.*

℞. *Fol. rut. scord. flor. tanaceti lutei, rosar. rubr.* ana M. sem. *rad. Angelic. succis. ossuitij, dictamni albi, zedoar*, ana Vnc. sem. Affunde aceti qu. s.

18. *Puluis pro infantibus.*

Idem, qui suprà, num. 8.

19. *Acetum ad odorandum.*

Idem, quod suprà, num. 10.

20. *Pomum Ambræ.*

Idem, quod suprà, num. 12. 13.

21. *Noduli ad odorandum.*

℞. *Flor. rosar. rub.* M. sem. *melis. lauendul. fol. rut. cortic. citri sicc.* ana ʒ. i. *santal. citrin. macis, ligni aloes, caryophylli, rad. angelic. zedoaria sem. nigell.* Scrup. ii. *camphor.* g. iv. Puluerisentur grosso modo, insuantur noduli, pondere ℥. ß. vel ʒ. vi.

Qui volunt, possunt moschum vel ambram addere.

22. *Trochisci sublinguales.*

Idem, qui suprà numero 11.

23. *Balsamum.*

℞. *Ol. angelic. rut.* an. ℈ i. *citri destill.* ℈. ß. *moschi, ambra*, ana g. ii. *Ol. macis express.* q. s. Fiat Balsamum.

24. *Amuleta.*

℞. *Arsenic. alb.* Vnc ß. *auripigment.* Drach. i. sem. *puln. bufon. sicc.* ℥. ii. *santal. rubr.* ʒ. ß. Cum *mucilag. tragacanth.* F. Amuleta forma consueta.

25. *Puluis ad infectas domos.*

Idem, qui suprà nº. 32.

26. *Electuarium Alexipharmacum curatiuum.*

℞. *Rob sambuc.* Vnc ii. *Theriac.* Vnc. i. sem. *Sal. cardui bened. absinth. fraxini*, ana Drach. i. *Spir. vitrioli* ℈. iv. *puluer. corall. rubr.* ʒ. ii. Cum *syrup. Scordij.* F. Electuarium.

27. *Electuarium Curatiuum aliud.*

Idem, quod suprà, num. 17.

28. *Aqua Theriacalis.*

℞. *Tormentill. lapp. maior. s. bardan. pimpinell. succisa, valerian.* ana Vnc. iv. *imperator. angelic. gentian. serpentar.* ana Vnc. i. *capar. mundatar. à cortice, nucum recent. nondum plane maturarum*, ana Vnc. vi. *fol. ruta cum floribus, acetos. cardui benedict. lauendul. verben. recent.* ana M. ii. *camph. in sp. vini dissoluti* Drach. i. *Theriac. Mithridat.* ana Vnc. i. sem. *aceti rosar.* Vnc. vi. *Vini alb. præstant.* qu. s. Destillentur.

29. *Syrupus refrigerans & confortans.*

℞. *Syrup. de succo acetosell. galeg.* ana Vnc. i. *succi citri* ℥. i. sem. *Vini granat.* Vnc. i. sem. *succi ribium, rubi Idæi, berber.* ana Drach. vi. *Aq. Lauendul. fragor. s. vitis, acetos. cerasor.* ana ℥. iii. *rosar.* ℥. i. ß. *Spir. vitriol.* ℈. i. Misce.

30. *Electuarium refrigerans & confortans.*

℞. *Carnis citri condit.* Vnc. i. *Conseru. acetos. acetosell. galeg. borragin. rosar.* ana Vnc. sem. *spec. diamargar. frig.* Drach. i. *confect. Alkerm.* Drach. sem. *cortic. citri condit. Manus Christi perlat.* Drach. i. sem. Cum *Syrup. acetositat. citri*, q. s. Fiat Electuarium.

31. *Linimentum ad nares.*

Idem, quod suprà, num. 16.

32. *Vnguentum ad bubones.*

Idem, quod suprà, num. 29.

33. Fortius.
Idem, quod suprà, num. 34.

calcin. an. ℔. ß. *aloes* ℥. i. *myrr. thuris*, an. ℥. ii. *Croci* ʒ. iij. M. F. s. a. Sublimatio.

MEDICAMENTA

Contra Pestem,

A MEDICIS VRATISLAVIENSIBVS

PRÆSCRIPTA.

Anno 1568.

Præseruantia.

1. *Pilulę Pestilentiales.*

℞. *Aloës succotr. Gummi Ammoniaci puriss.* an. ℥. i. *Myrrh. elect.* ℥. ß. *Salis absinthij* ℈. ii. Ammoniacum soluatur aceto scordij Coletur & concoq. ad spissitudinem aliquam. F. massa. Dosis ℈. i.

2. *Electuarium Præseruatiuum, quod in Peste anno 1599. mirè profuit.*

℞. *Rad. bistort. tormentill. succis. thapsi barbati, valde bon. scabios. absinthy. pimpinell. Heleny angelica*, an. ℥. ß. *ol. rut. verben. scordy*, an. ʒ. ii. *Sem. acetos.* ℥. i. ß. *card. bened. meliss.* an. ℈. iv. *myrrh. zedoaria*, an. ℈. i. *camphor. aceto destill. solut.* ʒ. vi. *Syrupi de succo scordy & acetos.* q. s. Fiat Electuarium.

Pro mulieribus, in quibus est caput debile imminuto camphoræ pondere, adde Ol. garyophyll. destill. gutt. aliquot.

3. *Rotulæ liberantis compositę.*

℞. *Spec. liberantis* ʒ. vi. *Extract. tormentill.* ʒ. ß. *angelica, zedoaria*, an. g̃. xv. *Sacchar. aqu. tormentill. scabios. & angelic. soluti* ℔. ß. F. Rotulæ.

4. *Species pro sacculis.*

℞. *Rad. Valerian. angelic.* an. ℥. i. *baccar. iuniperi* ℥. ij. *fol. scordij* ℥. ii. ß. *ruta* ʒ. vi. *Macis in aceto infus.* ʒ. ii. M. Fiat Puluis crassiusculus.

5. *Puluis pro fumo purarum ædium.*

℞. *Bacc. iuniperi* M. iv. *rut. virent. absinth. rad. heleny, Cort. betul. inter. circa caudicem*, an. M. ii. *fol. querc.* ℥. i. *myrrha rubr.* ℥. iv. Exsiccata puluerisceotur. Dosis pro ratione ædium.

6. *Amuletum.*

℞. *Arsenici Crystallini, rubri, lapid. Magnet.* part. æqual. *santali rubri* modicum pro colore. Cum *mucilag. gummi tragacanth. aquâ rosac. extr.* q. s. F. Amuletum formâ consuetâ.

MEDICAMENTA CVRATIVA.

1. *Electuarium Curatiuum.*

℞. *Theriac. Germ.* ℔. ß. *Salis card. bened. absinthij, scabios. fraxini.* an. ʒ. i. *spir. vitrioli* ʒ. ii. M. Fiat Electuarium, Dosis a ℥. ß. ad Drach. ii.

2. *Aqua Sudorifera.*

℞. *Nucum iugland. immat*: no. 100. *vel maturescentium, aut iam maturacarum cum toto tempo viridi ligneo cortice*: incidantur & contundantur minutim. Contusis adde, *scabios. verben. solani, semperuiui*, an. M. i. Misce, & affuso aceto optimè bulliant. Stent per noctem in infusion, Postridie destill. lento igne. Dosis ab ℥. ß. ad ℥. ii.

3. *Puluis sudoriferus.*

℞. *Rad. pimpinell.* ℥. ß. *dictamni albi, valerian.* an. ʒ. ii. *Tormentill.* ʒ. vi. *Angelic.* ʒ. ii. *C. C. Oculor. cancri prop.* an. ʒ. iii. *Succini albi* ʒ. ii. *sem. napi* ℈. vii. *Card. benedict.* ℈. vii. *terr. sigill. Strig.* ℥. ii. *boli Armeni prapar. Flor. Sulph. myrrhat.* an. ℈. iv. *Salis fraxini, scabios. card. benedict. iuniperi, absinthij valerian. artemis.* an. ℈. i. ß. *Macis aceto macerat. Croci*, an. ℈. i. Misce. F. Puluis subtilis. Dosis à ℈. i. ad ℈. iv.

4. *Syrupus roborans.*

℞. *Syrup. de succo Rubi Idæi, acetosi simpl. de succo Ribium.* an. ℥. ii. *Aqu. tormentill. veronic. scabios. card. benedict.* an. ℥. i. ß. *Spir. Vitriol.* ℈. i. M. pro dosibus iv.

5. *Puluis pro domibus infectis.*

℞. *Baccar. iuniperi* M. iv. *rut. virentis, absinthij. rad. helenij, Cort. betal. infer. circa caudicem. Cornu hirci rasparum non castrati, Sabina, Capill. hirci castrati*, an. M. ij. *fol. quercus.* ℥. i. *myrrh. rub.* ℥. i. Exsiccata pulnerisentur. Dosis, cochl. i.

6. *Flores Sulph. myrrhati.*

℞. *Sulph. purifi. & puluerif.* ℔. i, *Vitriol. calcinati, Sal. gemma*

MEDICAMENTA.

Contra Pestem, selecta pro Repub. Francofurtensi ad Viadrum,

Anno 1611.

AD PRÆSERVATIONEM.

1. *Puluis pro fumo communis.*

℞. *Rad. iréos Florent.* ʒ. iii. *Caryophyll.* ℈. v. *Scobis ligni iuniperin. fraxini*, an. ʒ. i. *Cortic. tamarisc. Limonum, aurantiorum. Citri, Flor. genist. rosarum rubrarum, anthos*, an. P. s. *Baccar. iuniperi cum summitacibus ramulorum, baccarum Lauri cum corticib.* an. ʒ. i. ß. *Nuc. cupressi* ℈. ii. ß. *Fol. querc. absinthy, saluia, maioran.* an. P. s. *Myrrh. elect. Olibani, gummi Arabici*, an. ℈. iv. *Resin. ab etiu.* ʒ. ii. Grosso modo incisa seruentur ad vsum.

2. *Alius pro pauperibus.*

℞. *Cortic. baccar. lauri*, vel *Fol. lauri* M. i. vel *vtriusque* M. ß. *Gran. iuniperi select.* M. ii. *fol. querc.* M. i. *fl. rosar.* M. i. *Sabin.* ℥. ß. *Olibani*, ℥. i. *myrrh. rubr. Carab.* an. ʒ. ii. *rad. irid. angelic. enul.* ao. ʒ. ii.

3. *Puluis pro fumo pro diuitibus.*

℞. *Specier. puluer. communis pro fumo*, q. s. adde *Ligni guaiaci* ʒ. i. *santal. citrini odorati, ligni aloes*, an ℈. i. *Garyophyll. Cinnamomi electi*, an. ʒ. i ß. *fl. Lauendul.* P. ß. *fol. Rorismarini, lauri* an. ʒ. ß. *rament. succini* ℈. ii. ß. *Thymiamatis* ℈. ii. *Terebinth. Cypr.* ℈. v. *Styracis calamit.* ℈. ii. ß. *ladani puriss.* ʒ. ß. *alipt. mosch.* g̃. xvij. *camphor.* ʒ. i. *asa dulcis* ʒ. ii. F. Puluis grosso modo.

4. *Trochisci pro fumo communes.*

℞. *Thuris, Mastic. gran. iuniperi, myrrh. elect. carab.* ao. ʒ. i. *nuc. moschat. garyophyll.* an. ʒ. ß. *ligni cupressi, calami aromat.* an. ʒ. i. ß. *ladani, Thymiamatis*, an. ʒ. i. ß. *Bizoin.* ʒ. ii. *Styracis, liquid.* ʒ. ß. *Terebinth. Cypr.* ʒ. ii. *moschi* g̃. ii. Cum mucilagine tragacanthæ aquâ rosar. extractâ q. s. Fiant Trochisci parui.

5. *Trochisci pro magnatibus cum moscho.*

℞. *Radic. angelic. zedoar.* an ʒ. i. ß. *galang. dipeamni albi*, ana ℈. iv. *Styracis calamit. asa dulcis odorat. ladani puriss.* an. ʒ. ii. *thuris* ʒ. i. ß. *alipt. moschat. ver.* an. ℈. i. *Gran. iuniperi* num. ix. *Myrrh. elect. Succini albi, ligni aloes*, an. g̃. vij. *Camphor.* ℈. ß. *flor. Lauendul. rorismarin.* an. g̃. iv. *Sacchar. candi albi* ʒ. ii. *ambr. grysea* g̃. iii. *moschi* g̃. viii. *Zibethi* g̃. iii. Dissoluantur ambra, moschus, camphora & ladanum cum aqua rosarum, & cum mucilagine tragacanthæ in aqua rosar. extract. Fiant s. a. Trochisci, aspergendo oleum spicæ.

6. *Electuarium ex Scordio prestantissimum.*

℞ *Pulueris Scordy* ℥. i. ß. *rad. tormentil. dipeamn. albi, angelic. valerian. Bistort. Pimpinell.* an. ℥. i. ß. *Cass. lign.* ℥. i. *styrac. calamit.* ℥. ß. *boli nostratis praparat.* ℥. i. ß. *Conseru. rosarum. calendul.* an. ℥. viii. *Piperis longi Zingiberis*, an. ℥. ii. *Mellis despumati* ℔. ii. *Vini Maluatici, vel Hispanici aromatici*, ℔. i. Misce. Fiat s. a. Electuarium.

7. *Conditum pro familia Stapedij.*

℞. *Gran. iuniperi*, ℥. vi. *Caricarum*, num. xii. *nucleorum nucum inglandinum*, ℥. viii. *Conseru. flor. borrag. citri vel bugloss.* an. ℥. iv. *Theriac. veter. rád. tormentill. gentian. pimpinell. angelic. Zedoar.* ao. ℥. i. Cum Syrupo de Limonibus. Fiat s. a. conditum.

8. *Electuarium nucum Mithridatis vulgare.*

℞. *Nuc. iugland. excortic.* lib. i. *Fol. rut. mundat.* ℥. ii. *Caricar. pinguium* lib. ii. *Salis triti* ʒ. vi. Puluerisatis puluerisandis, cum Syrupo acetos. citri, rob ribium & berberorum, atque aceto vini scordiato vel rosato. Fiat s. a. Electuarium.

9. *Idem aliter cum puluere Scordij.*

℞. *Nucum inglandium, ficuum*, an. num. iij. *fol. rut.* num. xxx. *Puln. scordy* ʒ. ii. *sem. citri excort.* ʒ. i. *cort. citri* ʒ. ß. *salis nitri depurati*, ℈. i. *boli Armeni ver.* ʒ. i. *condit. citri* ʒ. i. *Theriac.* ʒ. i. ß. *Mithridat.* Drach. i. Cum succo citri q. s. Fiat s. a. Electuarium.

10. *Tabulæ Bezoartica.*

℞. *Spec. diamarg. cal.* ℥. ii. *Liberantis* ℈. iv. *zedoar. elect. cortic. citri, cornu cerui prapar.* an. ℈. i. *santal. citrin. rub.* an. ʒ. ß. *Fol. auri fini* no. v. *Magistery perlarum, Smaragdi prapar* an. ℈. ß. *Caryophyllorũ* ʒ. i. *rad. pimpinell.* ʒ. ß. *Extract. angelic.* ℈. i *Cinna. elect.* ℈. ii. *Sacch. albi*

albi. Vnc.ix. In aqua cardui benedicti & rosarum soluti. Fiant. s.a.rotulæ, In fine adde olei è cortic.citri destillati gutt.viij.

11. Rotulæ, ex extracto Zedoariæ.

℞. Sacch.alb.Vnc.iij. dissolue in aqua pimpinell. inspissatóq; Saccharo adde Extracti zedoar.Drach.ij. vel Drach. sem. vel olei ex zedoar.arte chymic.ritè extracti gutt.xv.Fiant Rotulæ.

12. Rotulæ Zedoariæ communes.

℞. Pulu.zedoar.ʒ.ij.Sacchari optimi,in aquâ pimpinell. dissoluti,q.s. Fiant s.a.Rotulæ.

13. Confectio Saccharata pro pueris.

℞. Rad.gentian angelic. Zedoar.pimpinell.an.Drach i. Emolliantur in aceto rosarum per horas iij.Postea diuidantur in taleolos quadratos minores, sacchatóque obducantur, & exsiccentur in cribro.

14. Electuarium præseruatiuum pro grauidis Andernaci.

℞. Cinnamomi electi,ligni aloes,santal.omnium, nuc.moschat. ana Drach. i.angelic.zedoar.enul. ana Drach. sem. semin. citri, anisi, cichorij, ana ℈. i. flor.borrag. bugl.ss. ana P. i. Margaritar. Rament.eboris,Sapphiri. Corall. rubror.an. ℈. sem. Conseru.rosar. borragin. flor. citri, an. Vnc. sem. Cum succo acetos. & saccharo, q.s.Fiat Electuarium

15. Aliud Electuarium grauidarum.

℞. Cortic. citri tenuissime incisorum, aurantiorum incisarum. Semin. Citri, coriandri præpar. Caryophyll.ana Drach.ij.Corallor.rubror.ligni aloes, santal rubror. rasur. eboris, zedoar. nuc. mosc. bac.ana Drach.i. terr. sigill. ʒ. i. ß. ℈. i. C. C. præpar. ℈. i. Cinnamomi elect. Vnc. sem. ossis de corde cerui, num. ij. Margar. præpar ℈. ij fragment. hyacinth. Sapphiri, Smaragd. granat.præpar. ana ℈. sem. sem. pæon. excortic. acetos. ana Drach. sem. fol. auri num.vij.conseru.borrag.bugloss rosar. iacarn.meliss. an.Vnc. i.Cum syrupo acetositatis citri & de corticibus citri. M. Fiat Electuarium.

16. Rotulæ pro grauidis.

℞. Rad. Tormentill.zedoar.an.℈.ij.sem.pæon.excort.acetos.an. ʒ ß.spec.diamarg.frig.ʒ.i. Fragm.pretios.omn.an. ℈.ß. C.C.prap. ʒ. ß. Corallor.rubr.prop.℈.i.Ol.nuc.mosch.gr.v. Caryophyll. gutt. ij.Cinnamom.gutt.iij. Sacch. Crystall.in aqua acetosa dissoluti. q. s. Fiant s.a.Rotulæ.

17. Puluis Bezoarticus pretiosus.

℞ Boli Armeni veri, ossium è corde ceru. propar. ana Drach.i. santal. omnium, ana ℈.i. terr. sigillat. ℈. ij. lapid. Bezoar. g. x. camphor. ℈. sem. Cinnamomi ℈. ij. sem. Croci orientalis g. ix. semin. citri excortic. ℈. sem. Hyacinthi præparati ℈. sem. Moschi, Ambr. grysea, an. g. v. rad.diptam. alb. tormentill. zedoar. been vtriusque, ana.℈.ij. fol. auri num.iij. M. Fiat puluis subtilissimus.

18. Puluis Præseruatiuus pro familia.

℞. Pulu.fol.acetos.absinthij,scordij, rut. cardui benedicti; scabios. an.Drach.i.rad. valerian. enul. Olsnitij, tormentill. bistort. serpentar. an. ℈. iij. vincetoxici,gentian.pimpinell.polypodij q. ana ℈. ij. Angelic. Dictamni albi, zedoar. ana. ℈.i. sem. sem.acetos. citri excortic. ana ℈. i. rut. cardui benedicti, ana ℈. ij. ß. Gran. iuniper. ℈.v. Baccar.lauri num.vij. Sacchar.albiss. Vnc.v.Misce, Fiat Puluis.

19. Puluis pauperum de acetosa.

℞. Fol.acetos.Rad. Valerian. æq. part. Macerentur in aceto, rursumque in vmbra exsiccentur, seruentúrque ad vsum. Possunt alia addi, vt Scordium, verbena, carlina, &c.Misce, Fiat puluis.

20. Tragéa Bezoartica pretiosa.

℞.Cornu cerui præparati, Margarit.præparat. Eboris vsti, cinnamomi,tormentill.boli Armeni, vnicornu veri, an.Drach.i. Cortic.citri ℈.ij. trium santal. an.℈.i.Rasur.ebor. Hyacinthi,Sapphiri,Corall.rubr. & albor.Succini albi orientalis,rad.valeriana. zedoaria, xyloaloes, an.℈.i. terra sigillata, ℈.i.& gr. xi. Serici crudi torrefacti gr. xii. Spec. diamarg. frigid. diamosch. dulc. ana Drach.ii. Been albi & rubri gr. xii. fol.auri num.iv. Sacch.albiss. lb.i.Misce, Fiat Tragéa.

21. Alia Tragéa præstantissima ex flor. Sulphuris myrrhatis.

℞. Flor.Sulphuris myrrhat.. Vnc.i. Sacchari cand.alb Vnc.ß. Spec.diacrocum cum vel sine aloe Drach.i.Misce.

22. Flores Sulphuris myrrhati sic parantur.

℞. Sulphur.flauiss. Goslariensis lb.i. Salis fusi, vitrioli Cosfeciensis purificati & calcinati lib. i. vel an. lib. sem. Puluerisata conijciantur in cucurbitam vitream, & sublimentur gradato igni. Sublimatum sulphur denuò cum sale & vitriolo sublimetur. Idque tertiò cum sacch.cando. Horum florum partem vnam seruato ad affectûs thoracis magnum auxilium.

℞. Horum florum alteram partem, adde myrrhæ æqualem portionem, croci tantundem, cum quarta parte croci Austriaci, misce, & quartò sublimato Flores sublimatos seruato pestis & pulmonum affectibus nobile remedium.

℞. Hosce flores myrrhatos quantum libet, verbi gratiâ Vnc. i. adde illis Spiritus terebinthina rectific.in cucurbit. vitrea Vnc. iij. Munito sigillo Hermetico, & collocato in aqu. cal. vel Bal. M. vaporoso per dies ia. & Spiritus fit rubicundissimus. Huic rubicundo liquori affunde spiritum vini probè rectificatum, & paruo alembico separato aquositatem in B. M. manebit in fundo Balsamus sulphuris præstantissimus.

Spiritus therebinthinæ destillatione euanescit.

23. Aqua Theriacalis siue expulsiua temperata.

℞ Rad. gentian, ciperi, tormentill. enul. campan. Vnc.i. Fol. thapsi barb. cardui benedicti, morsus diaboli, pimpinell. scabios. oxalid. agrest. mm. ana M. sem. summit. rut. P. i. baccar. myrti Vnc. i. rosar. purpur. flor.bugloss. borraginis, hyperici, ana Vnc.i. Mundentur omnia, pistentur & macerentur 24. hor. in vini maluatic, aq.rosar. & oxalid. ana lib. 1. Deinde reponantur in vase vitreo, addantur theriac. & mithridatij ana Vnc. iv. Fiat Destillat.in B.M.Aqua destillata phialâ vitreâ recipiatur,eique rursum addatur croci ʒ. i. terr.sigillat.boli arment. Santal. citrini, rasura eboris, limatura cornu cerui iniutoris propè caput assumti, ana Vnc. sem. Obserata phiala Soli exponatur octo vel decem dierum spatio Seruetur pro communi vsu.

In summis ardoribus tutò detur, & sudores tamen copiosè satis mouet. Optima paratur mense Iunio, innoatè propinatur, etiam lactentibus puerulis in peste, variol. & morbill. Item grauidis, pro quibus & similibus delicatis personis, quò gratior sit, colari debet per manicam addito saccharo & cinnamomo conquassato.

24. Linimentum pro naribus.

℞. Theriac. Mithridat. an. Drach. sem. Sem.acetos. ℈ ii. Santal citrini odorat. Drach.i.sem. Ol.nucis moschat.destillat. Angelic. Succini albi, ana ℈. sem. Camphor.myrrh.select. ana ℈. i.moschi. g.iij.aceti rosacei, q.s.F. Linimentum.

25. Aliud.

℞. Olei nuc. moschat. express. Drach. i. sem. destillat. maior. gutt.vi. Myrrh. Succini albi, ana gutt.iij. Theriac.optim.℈.i. Extract. ligni aloes ℈ sem. moschi, ambr. ana gr.iv. Cum aqua vitæ pretiosa,q.s.F.s.a.Linimentum.

26. Pomum odoriferum.

℞. Nucem moschatam dimidiam, Rad. angelic. leuistici, gentian. ana ℈. sem. ligni aloes, santal. citrini odorat. rosar. rubrar. fol.myrtill. veror. cortic. citri. fragrantiss. Aurantior. Caryophyllor. ana ℈. i. ladani puriss. ℈. ii. Succini albi Drach. sem. myrrh. gr. vii. Camphor. gr. ii. Croci orientalis gr. iii. asa dulcis odorat. Drach. sem. moschi dissoluti cum ladano in aqua rosar. redolentiss. gr.ii. ambr. grisea gr. iij. Dissolato cum ladano & moscho in mortario calido. Postea adde reliqua, & fiat s. a. massa exteriùs Zibethi gr.ii. inungenda, pro pomo odorifero includendo orbiculo aureo vel argenteo.

27. Noduli odoriferi, pro Orbiculis ex ligno iuniperi vel succino factis.

℞. Absinthij, rut. meliss. Salu. maioran. lauendul. rosar. rube, ana P. sem caryophyll. num. v. nuc. mosch. num. i. Cinnamomi, macis, ana ℈. sem. gran.iuniperi ℈.i. castorei gr.ix. rad.gentian. leuistici,angelic,ostrutij Drach.i. Macerentur per noctem in aceto acri rosato in loco tepido. Manè in fornace tepida cautè iterum exsiccentur, exsiccata puluerisentur, aspergantúrque aqua vit.optim.aquâ ros.q.s & adde Theriac. Mithridatij, ana Drach. sem.

Misce omnia, & syndone excepta formentur in nodulos: ex qualibet Vncia, vel vncia sem. nodulus vnus includendus orbiculo ex iunipero facto.

28. Pomum ambræ pro Peste.

℞. Ladani electi Vnc.sem.camphor.gr.iij. mosch. elect. gran. vi.dissoluantur in mortario calido cum aquâ rosarum q.s. Dissolutis adde aspr.moschat.styrac.calamit. ana Drach.ii. succini albi ʒ.i.ß. mastich.Drach.sem. Sem.nigell. Roman. tosti ℈.i cortic.citri,caryophyll.nucu moschat. macis, Myrrh.elect. an.Drach. sem. Rad. ireos Florentia. Xyloaloes, santal. citrin. ana ℈. ii. flor. rosar.rubr. lauendul.ana P.sem. Olei angelic.zedoar.rut. an.gutt. ix. è baccis iuniperi ℈.i.spic. fœnicul. ana gutt.v. Olea arte chymicâ extracta cum cæteris incorporentur in massam vnde fiant Poma ambræ inungenda zibetho nobilissimo, & obducenda syndone rubra, includantur nodulo.

29. Species pro sacculis odoriferis.

℞. Rad.valerian.ireos illyric.ostrutij,angelica, ana Drach. iii. phu.pontici,olsnitij,zedoaria, ana Drach.ii.ß. cortic. citri. santal. citrin.ana Drach.i. ß. ligni aloes Drach.i. baccar. iuniperi Drach. iv. Fol meliss.rorismarin.thymi.ruta,ana M.sem. absinthij, maioran.ana P.ii. Flor.ros.rubrar.spica,lauendul.rorismarin ana P.iij. camphora Drach. i. sem. nuc. moschat ℈.ii.sem. caryophyl. ℈. iv. sem. nigell. tosta ℈. iv. sem. Myrrh. ℈ ii. Incisa omnia grosso modo, & tusa repone.

30. Acetum contra Pestem.

℞. Rad.tormentill.serpentar.gentian.pimpinell.angel. an ʒ.vi. Fol.aceta,absinthij scordij, an.Vnc.ß.Bacc.iuniperi,lauri, an.ʒ.v.

Zedoar. Drach. ii. *nuc. moschat. nuc. Indica minutim incis.* ana ʒ. iii. ß. *Theriac. optim. Mithridatij elect.* Drach. i. sem. *aceti scordij vel flor. tunic.* q. s. Seruetur.

31. *Amuletum ex Hydrargyro.*

℞. Nucem auellanam excauatam, vt moris est, immitte in illam cauitatem hydragyri tantum, quantum capit dimidia excauati putaminis capacitas, obsignatóque foramen diligenter cū cera Hispanica. Postea istum nucleum include sacculo cordiali ex syndone rubra duplicata, & adde. *Rad. angelic. zedoar. elsuit. in aceto maceratur. zedoaria,* ana Drach. sem. *camphor. opt. cortic. citri, asa dulcis,* ana Drach. sem. *flor. rosar. rubr. spica nardi, lauendul.* ana P. sem.

Omnia cum nucleo illo includantur sacculo cordiali minori, & bene interpassato, ne nucleus loco moueri, aut ad imum delabi possit.

AD CVRATIONEM.

1. *Electuarium Diascordium Fracastorij.*

Passim descriptum habetur.

2. *Electuarium Bezoarticum Curatiuum & Praseruatiuum.*

℞. *Theriac. Andromachi* Vnc. sem. *Mithridatij* Drach. iii. *Rad. angelic. pimpinell. cinnamomi elect.* ana ℈. sem. *Flor. sulph. myrrhat.* ℈. ii. Cum *Syrupo acetos. citri* q. s. F. Mixtura.

3. *Aqua Stapediana prima pretiosa pro diuitibus.*

℞. *Theriac. Andromachi, Mithridatij Damocratis,* ana Vnc. vi. *Pul. Elect. de bolo Ioubert. bezoartici Nicolai,* ana Vnc. ii. *Aqua vita per balneum bis destillat. vini maluatici, Aceti rutacei,* an. ℔. i. *succi rad. pimpinell. limonum,* ana Vnc. vi. Destillentur in Balneo torido, lento igne. Huic destillato liquori conseruato in phiala vitrea, adde *Theriac. veter.* Vnc. vi. maneántque sic simul omnia, vt in fundo theriaca quiescat. Hæc Aqua quò vetustior, eò melior. Sed est valde calida; idcóque si pestis insignem calorem comitem habeat & febrim, vt & alias tempore æstiuo, eius loco commodè & tutò substituitur aqua Theriacalis temperata Parœi, quæ quouis tempore innoxiè sumi potest.

4. *Aqua Stapediana secunda, siue sudarifera, communis.*

℞. *Conditi pro familia Stapedij* lib. ii. *Aqua vit. semel in Balneo extract. Vini Maluatici, Aceti rutacei, succi radic. pimpinell. limonum,* ana lib. 2. In Balneo, vt de primo dictum, liquor extrahatur, cui adde *Theriac. veteris* Vnc. iv. residcátque per quietem in fundo theriaca.

5. *Aqua Bezoartica Langij.*

℞. *Herb. Chelidon. cum radicibus* M. iii. sem. *ruta* M. i. *scordij* M. ii. *dictamni Cretici, card. bened.* an. M. i. sem. *zedoaria. angelic.* an. Drach. iii. *cortic. citri, limonum,* ana Drach. ii. *flor. tunica, borragin.* ana Drach. iii. *cinnamomi opt.* Drach. ii. sem. *caryophyll.* Drach. ii. Incisis incidendis & contusis contundendis fiat infusio in.

℞. *Vini sublimati ter destillati* ℔. viii. *vini Maluatici, aceti scordij,* ana ℔. i. *Aqua rosar. scabios.* ana ℔. ii. Macerentur per biduum. Postea lento igne in organis vitreis destillentur. Huic destillati liquori adde *Theriac.* Vnc. iii. *Mithridatij* Vnc. i. sem. *camphor.* ℈. ii. *macis* Drach. i. sem. *cinnamomi* Drach. iii. *ligni aloes,* ℈. i. *santali citrini* Drach. ii. sem. *caryophyllor.* Drach. ii sem. *conseru. flor. tunic.* Vnc. ii. *card. benedict.* Vnc. i. *cornu cerui prapar.* Drach. i. sem. *spec. liberantis* ℈. v. Macerentur in priori destillatione, & ita seruentur ad vsum.

6. *Puluis Bezoarticus Curatiuus.*

℞. *Semin. acetos. Citri excortic. rad. tormentill.* ana Drach. ii. *Margarit. prapar. Cornu cer ui prap.* ana Drach. i. *santal. omnium, ozymi,* ana Drach. i. *Antidoti Saxonici* Drach. vi. Misc. Fiat Puluis.

7. *Puluis ex scardio viridis praestantissimus.*

℞ *Scord.* Vnc. ii. *Card. bened. cornu cerui vsti & cum succo Scordij prap.* ana Vnc. i. ß. *Sem. citri, veronic. pimp.* ana Drach. iii. *Rad. petasidis, sarsparill.* ana Vnc. i. *corall. rubr. prap.* Drach. vi. *flor. Sulph. myrrhat.* Drach. ii. ß. *camphor.* ℈. i. sem. Misce. Fiat Puluis diligenter mixtus.

8. *Puluis Euphorbiatus VVildij.*

℞ *Euphorbij electi* ʒ. i. *mastich.* ℈. ii. *croci* ʒ. ß. *sacchar. opt.* ʒ. iii. Misce F. Puluis.

9. *Alexiterium VVildij.*

Ex iisdem speciebus cum Theriaca & mithridatio additis conseruis, &c. vt notum est, fit Electuarium præstantissimum pro robustis.

10. *Potio corroborans.*

℞. *Syrup. acetos. citri, de succo limonum, de pomis, Rob. ribium, berberorum,* ana Drach. ii. Solue in *aqua acetos. cardui bened.* an. Vnc. i. *scabios.* Vnc. sem. add. *manus Christi perlata* Drach. vi.

11. *Aqua Perlata pro infectis.*

℞. *Tab. manus Christi perlat.* Vnc. i. *succini albi orient. pell.* ℈. i. ß. *Magister. perlar.* ℈. i. *Aqu. borraginis, acetos. card. benedict. scabios.* ana Vnc. i. *Syrup. à succo ribium* Vnc. i. sem. *Iulepi rosacei* Drach. vi. *spir. vitrioli* q. s. vt iucundum aciduliúmque saporem percipias.

12. *Alia potio confortans.*

℞. *Conseru. flor. rosar. incarn. borraginis, bugloss.* ana Vnc. sem. *acetos.* Drach. i. *meliss.* Drach. ii. *cort. citri conditi, Rad. cichor. condit.* ana Drach. iii. *Aq. borragin.* Vnc. vi. *scabios. ros. ondensa, card. bened.* ana Vnc. iii. Bulliant parum: Colentur & exprimantur, clarificentur cum albumine oui: adde *succi citri acidi* Vnc. ii. *tinctur. corallior.* ℈. sem. Misce, & repone in loco frigido.

13. *Syrupus confortans.*

℞. *Syrup. de succo acetos. Limonum, acetosit. citri, acetosel. rubi Idai,* ana Vnc. i. *Succi violar. purpur. Rob. ribium, berberor. oxysacchar. Iulepi rosacei, violacei, mina, cydonior.* ana Drach. vi. *manus Christi perlat.* Drach. x. *cortic. citri condit. & minutim incis.* Vnc. sem. *aq. Endiuia, cinnamomi tenuioris,* an. q. s. pro aromatisando. Misce.

14. *Electuarium resumtiuum.*

℞. *Condit. cortic. citr.* Vnc. ii. *aurant.* Vnc. i. *Conseru. rosar. acetos. acetosell.* ana Vnc. ii. *Flor. borraginis, violarum,* an. Vnc. i. sem. *boli Armeni* Drach. i. *terr. sigillat. Strigensis, corallior. rubror. prapar. cornu cerui vsti & prap.* ana Drach. i. sem. *Margarit. prap.* Drach. ii. *santali citrini* ℈. ii. *ligni aloes* ℈. i. *Fol. auri* num. iv. *confect. Alkermes* Drach. ii. Cum *Syrup. acetositat. citri* q. s. Fiat Electuarium.

15. *Morsuli confortantes pro infectis.*

℞. *Sacch. Chrystallini* Vnc. iv. dissol. in aqua rosarum, & ad iustam consistentiam cocti, agitetur donec incipiat inspissari: & tum adde *cortic. citri minutim incis.* Vnc. i. sem. *Olei cinnamomi destill.* gutt. v. *macis* gutt. iii. *è cortic. citri, caryophyllor.* ana gutt. iv. *succi citri recenter express.* q. s. pro aciditate euidenti. Fiant s. a. Morsuli.

16. *Tabula confortantes pro Infectis.*

℞. *Boli Armeni* Drach. i. *Magisterij perlar. corall. rubror. prap.* ana Drach. sem. *terr. sigill. Strigensis, cornu cerui vsti prap.* ana ℈. i. *Puluer. cinnamomi opt.* ℈. sem. *Nucis moschat. macis,* ana gr. v. *Olei garyophyll.* gutt. iii. *Sacchari Crystallini* Vnc. ii. Dissolue Saccharum in aqua rosat. addendo in fine fol. auri. num. iii.

17. *Epithema Cardiale.*

℞. *Spec. de gemmis* Drach. i. *Santal. rubror. cortic. citri, xyloaloes, macis,* ana Drach. sem. *been albi & rubri, camphora, croci,* ana ℈. ß. *moschi* gr. iv. *Aq. ros. fragrantiss.* Vnc. iii. sem. *Aq. Corfunenls* Vnc. ß. *Vini odorosissimi* Vnc. iii. *aceti rosacei* Vnc. ii. Misce, pro Epithemate.

18. *Linimentum Cordiale.*

℞. *Theriac. opt.* ʒ. sem. *Succi Limonum vel citri,* ℥. sem. *aceti rosacei* ʒ. ii. *Confect. Alkermes* ʒ. ß. *camphor.* ℈. ii. *croci* ℈. ß. *moschi* g. iii. Misce pro Linimento.

19. *Aqua hordei pro infectis.*

℞. *Hordei mundi* M. i. *Rad. Caryophyllat. mundat.* vel *acetos. scorzoner.* ana Drach. ii. sem Coquantur in aq. pluuial. mens. ii. ad crepaturam hordei. Colaturæ adde *Syrup. è succo rubi Idai.* vel *Syrup. Limonum,* vel *Rob. berberor.* Vnc. iv. *aceti scordiati* Vnc. ß. Coletur iterum per manicam Hippocratis.

20. *Vnguentum ad bubones primùm apparentes*

℞. *Vnguenti dialthaa simpl.* Vnc. i. *flor. chamameli, meliloti citrini, Fol. Scabios.* ana ℈. ii. *Mithridatij,* ℈. sem. *pinguedinis gallin.* ℈. i. sem. *caricar. pingu.* num. ii. *Olei lilior. alborum* Drach. ii. *Scorpionum* ℈. iv. Cum s. q. *aq. vit.* F. linimentum.

21. *Emplastrum validè attrahens ad bubones.*

℞. *Caparum assatarum sub cineribus, alliorum similiter assatorum sub cineribus,* an. Vnc. i. sem. *Fermenti acris* Vnc. i. sem. *Theriac. veteris* Drach. ß. *Mithridatij* Drach. ij. *Axung. suilla vet.* Vnc. ß. *stercoris columbini* Drach. i. *corporum cantharidum abiectis alis & pedibus* ℈. ß. *ammoniaci, Euphorbij, castorei, opopanacis, galbani in aceto vini dissol,* an. Drach. i. *rad. diptamni albi, pimpinell. ari, vincetoxici,* an. Drach. j. sem. *Pulu. fol. scabios. rut. centaurij minoris.*

minoris, an. ℈.i. Sem. eruc. sinapis, raphani, an. Drach.i. squill. prapar. Drach.ii. Croci, camph. an. ℥.vi. farin. hordei Drach.iii. Olei lini, resini, abietin, terebinth m. Cypria, cer. citrin. an. q. s. Fiat s.a. Emplastrum.

22. *Alij idem minore labore sic parant.*

℞. Capatum sub cineribus coctarum Vnc.iv. Fermenti acris ℥.i. stercor. columbini Vnc.ii. Axung. suill. & gallin. an. Vnc.i. Contunde, & Fac. s.a. Emplastrum.

23. *Emplastrum ad Carbunculos.*

℞. Mithridatij. opt. Theriar. an. Drach.i. Saponis Veneti Drach. ii. Butyri recentis, Fermenti acris, an. Drach. iii. Mell. rosati Drach.ii. Croci Oriental. Drach.i. Capam sub cineribus assatam, num.i. Allij itidem pro cineribus tosti, Drach.i. ficuum pinguium num.ii. fimi columbini, Sem. sinapis an. ℈.ii. sem. Cantharid. ablatis alis & pedibus, ℈.i. Misce pro Emplastro s.a.

24. *Emplastrum Defensiuum in ambitu Carbunculi.*

℞. Boli Armeni Voc.iv. terr. sigill. Vnc.ii. C.C. vsti & praparati. Eboris prap. ana Drach. ii. camphor. Drach.iii. cera, Vnc. iv. Olei rosacei Voc. ii. album. ouorum duorum. Misce pro Linimento.

25. *Aliud.*

℞. Boli Armen. terr. sigill. Strigens. santal. rubr. ana Drach.i. Vnguent. Rosacei, cum s.q. succi plantaginis. F. Linimentum.

MEDICAMENTA
Contra Pestem,
A MEDICIS BERLINENSIBVS & Coloniensibus præscripta.
Anno 1625.

1. *Puluis pro fumo.*

℞. Benzoi puriss. Vnc.iii. rament. succini, Vnc.i. sem. styrac. calamit. Drach.vi. ladani mundi, ligni aloes, rosar. rubrar. Sacchar. albiss. ana Drach. ii. Caryophyl. Santal. citrini odorati, cinnamomi. cortic. citri, granor. iuniperi, Thuris, an. Drach sem. Alip. moschat. ℈. sem. Crasso modo incisa, & probè permixta asseruentur in scatula.

2. *Trochisci pro fumo.*

℞. Benzois, ladani mundi, ana Vnc. sem. Thuris, styracis, calamit. granor. iuniperi, ana Drach.ii. Myrrh. elect. ligni aloes, caryophyll. mastiches, Rad. angelic. garyophyll. ana Drach.ii. santal. omnium cortic. citri, cinnamomi, ana Drach. sem. Ambr. Moschi, ana gr. vi. Cum mucil. Tragacanth. aqu. rosarum. extract. & pauca styracis liquidæ quantitate F. s.a. Trochisci intra duo fol. rosar. purpurear. recentia reponenda.

3. *Candelæ pro fumo.*

℞. Ladani mundi, Thymiamatis, ana Vnc. sem. Thuris Vnc.i. styrac. calamit. Vnc. sem. Myrrh. Drach.ii. benzoi Drach.i. garyophyll. ℈.i. cinnamomi, ligni aloes, santal. citrini, Fol. lauri, Rosar. rubrar. cortic. citri, sem. ocymi. baccar. iuniperi Drach. i. sem. Gall. moschat. ℈.i. Moschi ℥. iv. Ladanum & moschus aqu. rosar. fragrantiss. dissoluantur, addatur Carbonum tiliæ s. q. pòst incorporentur cum mucilagine Tragacanth. aquâ rosar. extracta, & fiant s.a. Candelæ.

4. *Puluis pro fumo communis.*

℞. Barchar. iuniperi Vnc.iii. lauri Vnc iii. Fol. Rut. meliss. tormentill. absinthij, Rosar. rubrar. ana Vnc.ii. Thuris, Vnc.i. F. grosso modo Puluis s.a.

5. *Puluis pro suffitu in Templis, Æstiualis.*

℞. Sem. coriandr. prap. ℔.i. Flor. rosar. rubr. exsiccat. ligni iuniperi, ana ℔. sem. thuris Vnc. vi. thymiamatis, ladani. ana Vnc. ii. Mastiches, Styracis calamit. santali albi, citrini, Myrrh. ana Vnc.i. sem. Camphor. Benzoi, ana Drach. vi. fol. quercus, Nymphaa albæ, ana M.iv. fol. acetos. flor. lilior. conuall. ana M.ii. Granor. iuniperi ℥.iv. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur. Fiat Puluis pro suffitu.

6. *Puluis pro suffitu in Templis, Hyemalis.*

℞. Ligni iuniperi ℔.ii. Granorum eiusdem contus. ℔.i. Thymiamatis, Myrrh. thuris albi, ana Vnc. vi. semin. coriandri, nigell. Iridis Florentin. ladani, sandarach. ana Vnc. iv. cortic. aurantior. Styrar. calamit. ana Voc. iii. Mastiches Vnc. ii. Caryophyllat. absinthij, ana M. v. Meliss. Salu. Spic. M iii. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur. F. s. a. Puluis.

7. *Rotulæ Extractionis Cardui benedicti.*

℞. Extr. cardui benedict. ʒ.i.ß. Sacchar. albiss. ℥.iv. aquâ pimpinell. dissoluti. F. s.a. Rotul.

8. *Rotulæ Extractionis Angelicæ.*

℞. Extract. Angelic. ʒ.ß. Sacch. albiss. ℥.iv. aquâ scordij dissolutis. F. s.a. Rotul.

9. *Rotulæ Extractionis zedoariæ.*

℞. Extr. zedoaria ʒ. ß. Sacchar. albis. aquâ rosarum dissolutis, F. Rotulæ ℥.iv.

10. *Puluis Præseruatiuus suauissimus pro delicatis.*

℞. Smaragdi, Cornu cerui, Alcis Margarit. Corall. rubr. omnium aquâ scordij prapar. ana Drach. sem. Hyacinthi, Granati, Rubini omnium aqua scordij prap. ana Scrup. i. Rasur. eboris Drach. sem. ossis de corde cerui, Oculorum cancrorum, Lapidis Bezoar veri, ana Drach. sem. Misce, F. s.a. Puluis subtilissimus.

11. *Electuarium ex citro Prophylacticon.*

℞. Poma citrla recentia optimi coloris, num. iii. Discindantur in frusta, & coquantur in s. q. aquæ rosar. fragrantissimæ ad pultis consistentiam, & traiiciantur per cribrum, vt fiat massa ferè impalpabilis, cui adde Conseru. Rosar. Pruninc. Borraginis, violar. purp. ana Vnc. sem. Spec. Liberant. sine aloe, Cordial. temper. de gemm. frigid. ana Scrup. i. Coralli rubri praparat. Margarit. prapar. succini albi praparat. ana Scrup. ii. Cornu cerui prap. Drach. i. Sacchar. albiss. Vnc. vi. in aqua rosar. fragrantiss. & Cinnamomi, ana q. s. dissoluti F. s.a. Electuarium, cui admisce Confect. Alkermes Drach.i. sem. Olei Cinnamomi gutt. vii.

12. *Electuarium ex Nucibus commune.*

℞. Nucum iuglandium recentium, vel harum defectu siccarum, aceto rutaceo maceratarum, vt excorticari possint, ℔. i. Fol. rut. Vnc.ii. ficuum pinguium ℔.ii. Salis absinthij Drach. vi. Cum syrupi de scordio & aceto rutacei s. q. F. s. a. Electuarium.

13. *Puluis Bezoarticus Aureus pro diuitibus.*

℞. Boli Armeni veri aq. scordij prap. rad. Carlin. in aceto flor. tunicis per triduum macerata, Dipiamni albi, tormentill. ana Scrup. iv. Angelic. Zedoaria, Gentian. morsus Diaboli. Tunic. scabios. Serpentaria, Cinnamomi acutiss. ana Vnc. ß. rad. pæoniæ, galang. calami aromatic. Doronici Romani, Ari, Petasitidis, Ostrutij, valerian. zingiber. albiss. macis, ana Drach. ii. Cort. citri, nucis Moschat. Cubebarum, Barchar. Lauri, Iuniperi, sem. Aurantior. Coriandr. prap. Santonici, Acetos. Ocymi. cardui benedict. ana Drach. i. Fol. Chamadryos, Scordij, verben. Menth. Meliss. ruta. Cardui benedict. Saluia minor. Dictamni Cretici, Flor. Rosar. rubr. ana Scrup. ii. gr. v. vnicornu veri, fragment. lapid. pretiosar. omnium, Ossis de corde cerui, Eboris vsti, Corallij vtriusque, Margarit. prap. santal. omnium, ter. sigil. ver. vel Strigens. Succini albi, Cornu cerui vsti, ana Drach. i. Myrrh. elect. Croci oriental. ana Drach.i. sem. fol. auri purissimi, num. xv. Aceti vini acerrimi, Voc.i. vel q.s. pro aspersione. Misceantur, & fiat puluis subtilis.

Potest etiam aliquid Sacchari addi, circiter partem quartam.

14. *Puluis Bezoarticus communis.*

℞. Pulu. Bezoartic. aurei, Vnc. i. sem. acetos. santonici, ana Vnc. sem. Myrrh. elect. fol. dictamni Cretici, Chamadryos, Betonic. Cardui benedicti, Ruta, Verbena, Scordij. ana Drach. vi. Rad. zedoaria, Liquiritiæ ras. Carlin. prap. Petasitidis, Tormentill. Diptamni albi, Rhapontici, Gentian. Ostrutij, Angelic. Helenij, Pimpinell. sem. coriand. prap. Anisi, Terr. Sigillat. Strig. Baccar. lauri, excortic. iuniperi. ana Vnc.i. sem. Misce, F. s.a. Puluis subtilissimus.

15. Confectio

15. *Confectio Rotularum liberantis.*

℞. Spec. Liberantis sine aloe Drach. i. Sacchar. albiss. Vnc.iii. Aqua rof. fragrantiss. dissolut. F. Rotulæ.

16. *Rotulæ ex oleo Citri.*

℞. Spec. Diamarg. frigid. ℈.ii. De gemmis ℈.i. Margarit. prapar. cornu cervi prap. Smaragdi prap. ana ℈. sem. Ol. è cortic. citri gutt. iv. Sacch. albiss. Vnc.iii. in aqua rof. dissolut. F. Rotulæ.

17. *Morsuli è Citro.*

℞. Succ. citri recent. express. & per residentiam depur. Vnc. I. sem. Cortic. citri recent. incis. Vnc.i. Margar. prap. Drach.i. Smaragdi prap. Cornu cervi usti prap. an. ℈.ii. sem. Macis ℈.i. Ol. still. aurantior gut. vi. Sacchar. albiss. in aqua rosac. dissolut. Vnc.vi. F. s.a. Morsul.

18. *Aqua Præservativa pro pueris & Infantibus.*

℞. Poma citria recentia integra nº. ii. Discinde in frusta, & contundantur cum tota substantia & seminibus, adde Rad. tormentill. recent. contus. Vnc.ii. Macis aceto rosar. per noctem macerat. Vnc.i. Conserv. flor. tunic. Vnc.iv. zedoariæ Drach.ii. Cinnamom. acutiss. ʒ. vi. Aq. rof. fragrantiss. ℔. ii. Scordei, Cardui benedicti, ana ℔. i. Stent in infusione super cineres calidos per horas 24. deinde destillentur in alembico vitreo.
Si vis dulcoretur Iulepo Rosaceo.

19 *Pulvis Præservativus pro gravidis.*

℞. Spodij prap. Drach. i. Corall. rubr. prap. Margarit. praparat. Ossis de corde cervi, an. ℈. ii. sem. fœniculi, Drach. sem. fragment. Lapid. pretiosor. omnium, an. ℈. sem. Ol. nucis mosch. destill. gutt. iii. Misce F. Pulvis subtilissimus.

20. *Electuarium Præservativum pro gravidis.*

℞. Conserv. flor. Tunic. Meliss. an. Vnc.ii. Rosar. rubr. Vnc.i. Specul. Liber. sine aloe Drach.iii. Corall. rubr. prap. Drach.ii. sem. boli Armeni prap. Terr. sigill. Strig. an. Drach.i. sem. santali citrini, Spodij de Ebore, an. Drach. sem. Succini albi prapar. Drach.i. Margarit. prap. Drach. sem. Syrup. acetos. citri, & de succo acetosell. q.s. F. s.a. Electuar.

21. *Herba pro vino medicato.*

℞. Herb. absinthij M.ii. Card. bened. M.iii. Scordij M.ii. Radic. Scorzoner. zedoar. an. Vnc i. Cortic. citri Vnc.ii. Granor. iuniperi Vnc. sem Incisa & contusa dentur in charta.

22. *Radices sublinguales.*

℞. Rad. Ostrutij, Angelic. zedoariæ, Pimpinell. Helenij, Tormentill. valerian. an q. v. Macerentur per horas 24. in aceti vini s.q. & rursus exsiccentur.

23. *Rotulæ vel Trochisci sublinguales.*

℞. Extract. Lign. aloes ℈. sem. Ol. è cort. citri, Angelicæ, ana gutt. iii. zedoariæ gutt. ii. Sacchar. albiss. Vnc. i. sem. Cum mucilagine Tragacanth. aqu. rosar. moschat. extracta, F. s. a. Rotulæ.

24. *Aqua vitæ Citria.*

℞. Spirit. vini optimi ℔. xii. In hoc per biduum infundantur Poma citria cum succo & semine in frusta descissa num. vi. Post destillentur in alembico vitreo per B.M. dulcoretur destillatum Iulepi rosatum sufficienti quantitate.

25. *Species pro Saccul. odoratis.*

℞. Rad. zedoariæ, valerianæ, angelic. Ostrutij, Iridis Illyr. an. Drach. ii. Cortic. citri, aurantior. fol. Meliss. Rorismarin. Maioran. Rutæ, an. M. s. flor. rosac. rubr. M. i. lavendul. spic. an. M. sem. Ligni aloës, santal. citrini odor Myrrh. elect. an. Drach. i. semin. nigell. torrefact. Basilici, an. Drach. ii. Caryophyllor. Cinnamomi acutiss. nuc. moschat. ana Drach. i. sem. Camphor. Drach. sem. Alipt. Moschat. Galliæ Moschat. an. Drach. i. Styrac. calamit. Benzoes, an. Drach. i. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur.

26. *Pomum Ambræ.*

℞. Rad. Iridis Illyric. santali citrini odoratiss. an. Drach. i. Ligni aloes opt. Cinnam. opt. Caryophyllor. Cortic. citri, aurantior. Rad. Angelic. an. ℈. ß. ladani puriss. Vnc. ß. Styracis calam. Benzoes, an. Drach. ii. Mosch. Ambr. an. gr. iii. Ol. Maiorana, Spic. Lavendul. an. gutt ii. Cum mucilag. Tragacanth. aqu. rosar. & aq. vitæ albæ pretiosæ s.q. extractâ, fiat s.a. pomum: ut tenaciùs cohæreat, potest aliquid terebinthinæ addi, ac involuatur serico rubro duplicato.

27. *Amuletum Cordiale Hydrargyricum.*

℞. Nucem avellanam Longobardicam excavatam, quam imple Hydrargyri s. q. ad medietatem; foramen arctissimè occludatur cerâ Hispanicâ. Nux postea includatur in sacculum cordialem ex serico rubro duplicato, cui adiunge Specierum pro sacculis odoratis. Drach. iii. & interpassetur, ne nux sacculi fundum petat.

28. *Amuletum Cordiale Arsenicale.*

℞. Bufonis torrefacti & pulver. ℥. iv. Arsenici albi Vnc. sem. rubri, Diptamni albi, Tormentill. an. Drach. ii. Margarit. non perforat. Drach. i. Corall. rubr. Smaragdi, Hyacinth. an. Drach. sem. Croci ℈. ii. Cum mucilagine Tragacanthi aqu. rosar. extracta, fiat massa. ex quâ formentur placentulæ ad formam cordis, quæ obducantur primò telâ lineâ, pòst serico duplicato.

29. *Vnguentum Cordiale.*

℞. Vnguenti è Nymph. Vnc. i. sem. Rosati Mos. recent. Vnc. sem. Specier. Liber. Drach. i. Theriac. Mithridatij, an. Drach. i. olei scorpion. Drach. i. sem. Confect. Alkermes, Drach. sem. Ol. Citri. angelic. an. gutt. iii. Cum aqua rof. & aceti Bezoartici s. q. fiat s. a. Linimentum.

30. *Vnguentum Nasale.*

℞. Ol. nuc. moschat. express. Drach. i. sem. Destill. maioran. gutt. vi. Myrrh. Succ. albi, an. gutt. iii Theriac. optim. ℈. i. Extract. ligni aloes ℈. i. Moschi, Ambr. an. gran. iv. Cum aqu. vit. alb. pretios. s. q. fiat. s. a. Linimentum.

31. *Acetum Bezoarticum.*

℞. Bacc. Lauri, iuniperi, an. Vnc. sem. rad. Angelic. ostrutij, zedoar. Pimpinell. dictamni, Tormentill. valerian. an. Drach. vi. fol. rut. scordij, flor. rosac. Lavendulæ, an. Vnc. sem. Cortic. citri, aurantior. an. Drach. iii. Macis, Caryophyll. Myrrh. an. Drach. ii. Aceti flor. tunica q.s. pro infusione.

32. *Oleum scorpionum compositum.*

℞. Flaved. cortic. citri Vnc. ii. flor. rof. rubr. recent. Tunic. Meliss. an. Vn. i. sem. succini albi Vnc. sem. rad. zedoar. angelic. Anther. ana Drach. ii. Camphor. Drach. i. sem. Incisis incidendis, & contusis contundendis affundatur Olei Scorpionum ℔. i. vini malvatici Vnc. iv. Aq. rof. fragr. Vnc. ii. Commisceantur diligentissimè, & stent in infusione super cineres calidos per horas 24. pòst coquantur in duplici vase, & exprimantur. Expressioni adde Camphor. ℈. ii. Moschi opt. ℈. sem. Misce diligenter, & asserventur in vase vitreo bene clauso: Potest etiam maioris efficaciæ causâ theriaca addi.

33. *Potio sudorifera pro infectis divitibus, cum lapide Bezoar & unicornu.*

℞. Aqu. scordij, Calendul. an. drach. vi. in his dissolve Antidoti Matthioli, Alexiterij, an. drach. i. sem. Theriac. opt. Scr. i. Pulv. Bezoart. aurei, Vnicornu veri, Lapid. Bezoar. an Scr. sem. Syrup. de acetos. citri, De succo acetos. an. Drach. vi. Aceti cortic. citri Vnc. sem. Ol. sulphur. acidi gutt. iv. Misce.

34. *Alia pro divitibus, sine lapide Bezoar & unicornu.*

℞. Aqu. Acetosell. Nucum, an. Vnc. i. In his dissolve Electuar. de ovo, Alexipharmaci an. Drach. ß. Mithridatij opt. ℈. i. Pulv. Cordial. praesci. Spec. Cord. temper. De gemmis frigid. an. ℈. sem. Essentiæ Margarit. g̅. vi. Syrup. de Limonibus Vnc. i. De succo scordij, De succo acetos. an. Vnc. sem. Aq. Alexiter. Aceti flor. tunic. an. Drach. i. spir. Vitriol. gutt. iv. Misce.

35. *Alia pro pauperibus.*

℞. Aqu. Cardui benedicti Scabios. an. Vnc. i. sem. In his dissolve Diascord. Theriac. opt. an. ℈. ii. Pulv. Bezoar. comm. Drach. sem. Aceti rut. Vnc. sem. M.

36. *Alia pro gravidis.*

℞. Aq. è cortic. citri, Cornu cervi, an. Vnc. i. In his dissolve, Elect. diascord. Drach. i. Spec. Diamarg. frig. boli armeni prap. Terr. sigill. Strig. an. ℈. sem. Syrup. de rubo Idæo, Succi citri recent. express. an. ℥. ß. Aceti flor. Tunic. Drach. ii. Tinctur. corall. gutt. iii. Misce.

37. *Alia pro pueris.*

℞. Aqu. præserv. pro pueris, Vnc. i. sem. In his dissolve Electuar. diascord.

diascord. Drach. sem. *Spec. Liberant* Scrup. sem. *Syrup. de Limonibus* Vnc. sem. *Magister. Corall. Margaritar.* an. gr. iii.

38. *Emulsio Margaritarum pro Infectis.*

℞. *Aqu. Rosar. fragr.* Vnc. sem. *Acetos. Bugloss.* an. Vnc. i. *Vini malvatici*, vel hoius defectu *Rhenani optimi*, *vel aqu. cinnamomi* ℥. ß. *Manus Christi perlac.* Vnc. i. *Succini albi praepar.* Drach. sem. *Margarit.* Scrup. i. *auri puriss. fol.* n°. iii. Misce. Fiat s. a. Emulsio.

39. *Aqua cocta pro potu quotidiano.*

℞. *Hordei mundi* M. i. *Rad. mund. tunic. Scorzoner.* an. Drach. ii. Coquantur in duabus mensuris aq. fontis ad crepaturam hordei. Colaturæ adde *Rob. de Ribes* Vnc. iv. *Aceti rosac.* Vnc. sem. Coletur iterum per manicam Hippocratis.

40. *Iulepus confortans pro Infectis.*

℞. *Aq. acetos. Fragorum. Scordy, Borrag.* an. Vnc. sem. *Vini. Granat. acidor.* Drach. vi. *Syrup. de succo acetosell. de Limonib.* an. Drach. ii. *Iulep. rosar.* Drach. ii. *Margarit. praepar.* Scr. i. *Spiritus vitriol.* q. s. pro concillanda aciditate iucundâ.

41. *Potio Refectiva pro Infectis.*

℞. *Aq. Endiviæ, Violar. Rosar. frag. Bugloss.* an. Vnc. i. *Syrup. de acetos. citri*, Drach. vi. *de rubo Idaeo. Rob de Ribes* Drach. ii. *Succini albi prap.* Scr. i. *Olei sulphuris acidi* q. s. pro suavi acore. Misce.

42. *Emplastrum attrahens bubones.*

℞. *Flor. Camomill. nostr. Sem. fœnugraci, Lini, Malvae contusorum*, an. Drach. i. *Rad. lilior. albor. Caparum sub cineribus assatarum. Alliorum itidem sub cineribus coctorum*, an. Vnc. ii. *Ficuum pinguium* num. vi. *Fermenti acris* Vnc. i. *Rad. & herb. Tormentill. Valerian. dictamni*, an. Drach. iii. *Vincetoxici* Drach. ii. *Sem. Sinapi, fimi columbin.* an. Vnc. sem. *Mithridatij opt. Theriac. opt.* an. Drac. i. sem. *Emplastr. Diachylon.* Vnc. i. sem. *Ol. lilior. albor. Scorpionum, Terebinthin. Resin. cera aq. scabios. lot.* an. q. s. F. s. a. Emplastrum.

43. *Emplastrum Maturativum ad bubones.*

℞ *Rad. lilior. albor. althæo mundat.* an Drach. vi. *Fol. malvæ bismalv.* an. M. i. *Sem. Fœnugraci, Lini* ʒ an. Drach. ij. *Flor. camomill. Summitat. Anethi*, an. M. s. Coquatur in s. q. aqu. ad modum pultis, cui adde *Butyri recentis non saliti* Vnc. i. sem. *Pingued. gallin.* Drach. ii. *Olei Lini, Scorpionum*, an. Vnc. ii. sem. F. s. a. Cataplasma.

44. *Emplastrum ex Bufonibus Guilhel. Fabricij.*

℞. *Pulu. bufonis exsiccati* Vnc. i. *Fermenti acris* Vnc. iii. *Theriac.* Vnc. i. *Fol. Rut. viridis.* Vnc. i. Commisceantur omnia in mortario, cum mellis s. q.

45. *Emplastrum ex fuligine.*

Habetur suprà lib. 4. c. 6.

46. *Linimentum Defensiuum pro Carbunculis.*

℞. *Vng. Alb. Camphorati, Rosacei.* an. Vnc. sem *boli Armeni, Terr. sigill. Strig.* an. Drach. i. *Ol. Rosacei* q. s. M. pro linimento.

MEDICAMENTA.

Contra Pestem,

A COLLEGIO MEDICO

Tubingensi ordinata,

Anno 1626.

PRÆSERVANTIA.

1. *Electuarium præseruatiuum acidum.*

℞. *Rob r. buum inspissat.* lib i. *Antidot. Matthiol.* Vnc. iv. sem. *boli Armen. Orient. aquâ Theriacali praeparat. C. C. usti praepar. succo scordij* an. Drach. ii. *Ol. sulphuris acidi* q. s. Misce. Fiat Electuarium.

2. *D. D. Harstij Electuarium præseruatiuum.*

℞. *Conserv. flor. bugloss. rosar.* an. Vnc. i. *Pulveris ligni Indici subtilissimè pulverisati, & per noctem in s. q. aceti scordij macerati hac ratione, ut acetum totum à pulvere absorbeatur*, Drach. ii. *Extract. zedoar. angelic.* Drach. i. *camphor.* Scrup. i. *Cum Syrup. acetositatis citri*, q. s. Fiat Electuarium, addendo pro fermentatione, *spiritus vit.* Scrup. i. vel q. s. M. Seruentur in fictili amplo.

3. *Aqua vita Paracelsi.*

℞. *Spir. vini bis destillati* mensuras duas, *Theriac. Andromach.* Vnc. vi. *Myrrh.* Vnc. ii. *Rad. vngul. caball.* Vnc. iii. *spermat. ceti, terr. sigillat.* an. Vnc. sem. *Radic. hirundinar. dictamni albi, pimpinell. valerian.* an. Vnc. sem. *camphor.* Drach. i. sem. Incisa & contusa indantur vitro, & stent clausa post fornacem per mensem.

4. *Pulvis Bezoarticus.*

℞. *Lactis sulphuris* Vnc. i. *croci Orientalis* Drach. sem. *Zedoaria myrrh. rub.* an. Drach. i. *Sacch. rosat. tabul.* Vnc. ii. *Ol. still. angelic.* gut. iv. Misce, Fiat. Pulvis.

5. *Vel huius loco.*

℞. *Florum sulphuris ter sublimatorum* (meliùs cùm *aloë, myrrha & croco*) Drach. ii sem. *cornu cervi praeparat. terr. Lemnea ver.* an. Scr. ii. *myrrh. elect.* Drach. i. *croci Orientalis* Scr. i. *Sacchari fini* ad lubitum. F. Pulvis.

6. *Rotula.*

℞. *Extract. angelic.* Scr. i. *Zedoario* Scr. sem. *Confect. Alkermes* Scrup. i. *essentia croci* gr. vi. *Ol. still. citri* gutt. iv. *succini* utt. ii. *lapid. bezoar Orient.* Scrup. sem. *Sacch. fini* Vnc. iii. ß Disso ut. in *aquæ Theriacalis* Vnc. i. *cinnam. rosarum*, an. q. s. F. Confectio in Rotulis.

7. *Rotula pro infantibus.*

℞ *Myrrh. rubr. elect.* Drach. i. *specier. liberantis* Drach. i. sem. *lapid. Bezoar. Orient.* Scrop. ß. *Margarit. prap. corall. rubr. prap.* an. Scr. i. *Sacchari albiss. in aq. citri & rosarum dissoluti*, q. s. F. Confectio in Rotulis.

8. *Pulvis præseruatiuus pro infantibus.*

℞. *Cornu cervi prap. succo scordij, cortic. citri odoratiss. Rad. tormentill.* ao. Drach. i. sem. *lactis sulphuris, succini albi prap. boli Armen. Orient. prap.* an. Drach. sem. *Sacchari candi* Drach. vi. M. F. Pulvis: vel cum sacchato suffic. in aqua rosarum & cinnam. dissolut. F. Rotulæ.

9. *Pulvis pro grauidis.*

℞. *Boli Armeni Orient. cum aqua veronic. & cum vino destillat. doctes. lot.* ℈. iv. *Rad. tormentill.* Drach. i. sem. *zedoaria, macis moschat. granor. alkermes recent.* an. Drach. i. *rasur. eboris* Drach. i. sem. *corall. rubr. prap. margarit. prap.* an. ℈. ii. F. Pulvis.

10. *Amuleta.*

℞. *Theriac. Andromach.* Drach. i. ß. *Rad. zedoaria. angelica, enula, dictamni*, an. Drach. ß. *castorei* Drach. i. *camphor.* ℈. i. sem. *croci* ℈. ß. *Thuris* ʒ. ß. *Ol. still. succini, angelico, iuniperi*, an. gutt. iii. *cum infusione gummi Tragacanth. in aceto rutaceo facta.* F. Massula, cuius vncia semis vel vncia vna, serico rubro inclusa, pro pectiammate suspensa collo gestetur.

11. *Species pro globulis ex ligno iuniperino tornatis.*

℞. *Folior. rut. saluia, scordij, rorismarini, Rad. angelic. zedoar.* an. ℥. ß. *cortic. citri, aurantiorum.* an. ʒ. ii. *Flor. rosar. rubrar. semin. nigell.* an ʒ. i. ß. *baccar. iuniperi* ℥. ß. Grosso modo incisa & contusa, dentur drachmæ duæ in syndone ligatæ pro vno globulo.

12. *Linimentum ad nares pro ditioribus.*

℞. *Balsam. rosar, incarn.* ℈. ii. *Ol. destillat. citri. cinnam.* an. gott. iii. *styrac. liquid.* ℈. i. *Extract. angelic.* ℈. ß. *Moschi, zibeth. opt.* an. gr. ii. M. pro Balsamo.

13. *Pro pauperibus.*

℞. *Rut. Saluia, absint. galeg. angelic. scordij*, an. M. sem. macerentur incisa in *Olei oliuar.* ℥. iv. *aceti rutacei* Vnc. ii. per horas duodecim: Postea lento igne coquantur ad aceti consumptionem: adde colaturæ expressæ, *Olei iuniperi ex granis*, ℥. ii. Misce & serua.

14. *Trochisci sublinguales.*

℞. *Mithrid. opt. Elect. de ovo*, an. ʒ. i. ß. *zedoario, xyloaloës, cortic. citri, Ireos odorat.* an. ℈. j. ß. *rosar. rubrar.* ℈. ii. *flor. sulphur.* ʒ. i. *Sacchar. albiss.* ℥. viii. cum *mucilagine gummi Tragacanth. aqua rosar. extract.* F. Trochisci sublinguales, possunt etiam cum moscho & ambra.

15. *Trochisci pro fumo.*

℞. *Myrrh. ladani puri. flor. sulphur.* ao. ʒ. i. *camphor.* ℈. i. *ligni aloes succulent. fragment. succini*, an. ʒ. i. *Sacch. albiss.* ℥. iii. cum *mucilagine Tragacanth. aqua extract.* q. s. F. Trochisci.

16. Pul

16. *Pulvis pro fumo.*

℞. *Ligni iuniperi tornati* ℔. ß. *Rad. eſtrutij, baccar. lauri*, an. ℥. *fragment. ſuccini, maſtiches, myrrh. thuris, ſtyrac. calamit. benzoin.* an. ℥. i. *flor. ſulphur.* ℥. i. ß. Groſſo modo inciſa, Miſce.

17. *Pilulæ Peſtilentiales compoſitæ.*

℞. *Myrrh. elect.* ℥. ß. *Rad. angelic. ſuccin. albiſſ. croci Orient.* an. ʒ. ß. *agaric. trochiſc. Rhabarb. veri*, an. ʒ. i. ß. *Aloes ſuccotrin. aquâ roſarum decies lotæ & exſiccat.* ℥. i. *Ol. ſtill. angelic.* gutt. iv. *Syrup. maſtichin.* q. ſ. F. Maſſa Pilularum.

18. *Vel pro Ditioribus.*

℞. *Extract. aloës* ʒ. ii. *Rhabarb.* ʒ. i. ß. *ligni Guaiaci* ʒ. ii. *zedoar. angelic.* an. ℈. i. *Eſſent. croci* ℈. ß. *Salis abſinthij, ligni Guaiaci*, an. ℈. i. *camphor.* ℈. i. *Ol. ſtillat. citri, ſuccini*, an. gutt. v. *macis* gutt. iij. F. ex his maſſa, Doſis à ʒ. ß. ad ℈. ii.

19. *Medicamentum D. Heurnij, quod ſimul purgat, ſudorem prouocat, veneno reſiſtit, cor firmat.*

Eius deſcriptio habetur ſuprà, *l. 4. c. 6.*

CVRATIVA.

20. *Electuarium Curatiuum D. Bloſſi.*

℞. *Theriac. Andromachi, Mithridatij optimi, Electuarij de ouo*, an. ℥. ij. *Diaſcordij Fracaſtorij* ℥. i. ß. *Extract. zedoariæ, angelic. card. benedict.* an. ℥. ß. *Spec. liberantis* ʒ. iij. *diamargar. frig. de gemmis frigid.* an. ʒ. ij. *cornu uſti* ℥. ß. *citri conditi.* ℥. i. *pulu. radic. angelic. zedoariæ, chamaleont. ſeu Carlin. chelid. maior. cuul. ſcorzonera, Dictamni albi, Pimpinell. Enuſtici, Petaſit. Gentian. tormentill. biſtort.* an. ℥. ß. *Salis abſinthij*, an. ʒ. ij. *prunell.* ʒ. ij. ß. *Camphor. Lactis ſulphur.* an. ℥. ß. *Spiritus ſulphuris, Vitrioli, Salis*, an. ℈. iv. Cum *Syrup. acetoſitatis citri*, q. ſ. Fiat Elect.

21. *Emplaſtrum ad bubones.*

℞. *Caparum, indito priùs croco, toſtarum, Alliorum aſſatorum*, an. ℥. iij. *caricarum pinguium* num. xx. *fermenti, Semin. ſinap*, an. ℥. ß. *malu. radic. alth.* an. ℥. i. *Salis nitri*, ʒ. ij. *galbani, ammoniaci*, an. ʒ. iij. ß. *ceræ* ℥. i. *Theriac. opt.* q. ſ. *pulu. buſonum* ʒ. i. ß. M. Fiat Emplaſtrum.

22. *Emplaſtrum de fuligine.*

℞. *Theriac. opt. Mithridatij*, an. ℥. ß. *fermenti, Terebinth.* an. ℥ſſj. *mellis roſat.* ℥. i. ß. *Butyri recentis* ℥. ij. *Salis communis* ℥. i. ß. *fuliginis camini* ℥. ij. ß. *Ol. ligni Indici* ʒ. i. *Saponis Veneti*, ℥. iv. *Salis nitri* ʒ. ij. *Croci* ʒ. iij. *vitellor. ouor.* num. iv. *mucilag. ſem. cydon. cum aqua ſcabioſa extract.* ʒ. vj. Impaſtentur in vſum Emplaſtri.



DANIELIS

DANIELIS SENNERTI, EPISTOLARVM MEDICINALIVM CENTVRIÆ DVÆ.

CENTVRIA PRIMA.

EPISTOLA PRIMA.

PERIOCHE.

1. *Indicium de Opere Ægidij Gutmanni.* 2. *Contra Enthusiastas inuehitur.* 3. *Censura de Pollionis libello de Morbo Vngarico.* 4. *De Podagra, & medicamentis antipodagricis.* 5. *Podagricos VVitteberga raros esse.* 6. *in Podagra parti mittenti magis studendum quàm topicis.* 7. *Vitanda in podagra.* 8. *Diata in podagra prastat medicamentis.* 9. *Fr. Antonij aurum potabile, eiúsque parandi modus.* 10. *Indicium de P. Rinealmi medicamentis.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Indicium de Opere Ægidij Gutmanni.

SMeguo *Ægidij Gutmanni* operis titulo, & programmate à Typographo præmisso, & ego allectus, istud opus emi. Mallem verò, me in alium aliquem librum, quàm in istas nugas, pecuniam erogasse. Sed videant & mei posteri nostri seculi nescio quem bonarum litterarum contemtum, & nouorum dogmatum affectationem! Non apud vos solùm, sed in vicinis locis plurimis, Magdeburgi, & alibi, sunt non pauci, qui in *Enthusiasticis* istis *commentis* singularem quendam sapientiam reconditam putant, & contra omnem veram Theologiam & Philosophiam contemnunt. Sed nescio quæ fata nostrum seculum vrgeant. Rem Medicis gratam facies, si scripta illa, quæ nominas, publici iuris feceris. *Pollio* ille quis sit, ego nescio. Vidi aliquando libellum quendam *Pollionis* Lucæ filij, *de morbo Vngarico*, Germanicum; & audiui tùm, (à quo non memini) pleraque eius libri non Pollionis, sed *Cratonis* esse, neque qui illa narrabat, Pollioni aliquam insignem eruditionem tribuebat. Sed nihilne ampliùs nobis de tua ὀνλοθυκῆ ἰατρικῇ promittis? Nihilne etiam de *Aconito Pardalianche* expiscatus es? *Podagrâ* Te iam correptum esse doleo, & libenter medicamentis aliquot Tibi succurrerem, si quæ ipsus expertus essem. Verùm cùm vix vllus apud nos sit podagricus, alia medicamenta non habeo, quàm quæ in libris passim occurrunt, quæ Tibi non

Contra Enthusiastas inuehitur.

Censura de Pollionis libello de morbo Vngarico.

De Podagra, & medicamentis antipodagricis.

Podagrici VVitteberga rari.

Tom. VI.

ignota sunt. An verò id quod pollicentur semper præstent, ego experientiâ obseruare non potui. Hoc tamen suaserim, vt plus curæ impendas parti mittenti, & vitiosos humores generanti, quàm Topicis. Et procul dubio vitium Tibi in hepate & hypochondriis hæret, ex tuo illo graui & periculoso morbo contractum, à quo forsan & capiti & articulis materia communicatur. Parti ergò illi mittenti, ne vitiosos humores generet, inprimis prospicies; & à vino procul dubio, & omnibus, quæ Tartarum illud, acrtósque humores suppeditant, abstinendum erit. Et cùm ego olim articulorum doloribus vexarer, & varios eâ de re authores legerem, in eo omnes consentire animaduerti, *in Arthritidis curatione, plus spei in bona diata, quàm in medicamentis ponendum esse.* Si tamen inposterum de morbo tuo magis instructus, consilij quid communicare potero, nihil in me desiderari patiar. *Aurum potabile* nullum confeci; quia tamen *Fr. Antonij* plurimum laudebatur illud parare in animo habeo. Calcinatur primò ☉ per VR & post per ♆; hinc tinctura extrahitur per spiritum vini, cum sale vrinæ mixtum, & per 30. dies digestum. De Renealmeis nihil ampliùs tentaui, quia nihil certi vel à D. Kœppen, vel à D. Lepotino cognoscere potui, & vterque non differtur, medicamenta ille per flores ♁ acui. Si tu intereà quid in iis laborasti, me certiorem facias, quæso. Bene vale cum Tua. VVittebergæ, 10. Iulij, Anno 1629.

Ad quid in Podagra magis attendendum?

Quæ fugienda?

Diata præstat medicamentis.

Modus parandi aurum potabile Fr. Antonij.

Indicium de medicamentis P. Renealmi.

EPISTOLA II.

PERIOCHE.

1. *Commendatio libelli Pollionis.* 2. *Quis eius genuinus auctor.* 3. *Quid de aliorum operum Doringianorum editione sperandum.* 4. *De aconito pardalianche.* 5. *Hepatis & ventriculi contrarias intemperies agrè tolli.* 6. *Symptomata, quæ suspicionē de scorbuto excitabant Doringio.* 7. *De arthritide scorbutica, & signis ipsius.* 8. *De diata in podagra.* 9. *Abstinentiam à vino in podagra quid dissuadeat.* 10. *Vinorum delectus.* 11. *Disquisitio de specificis antipodagricis.* 12. *Flores aurei VVeidneri.* 13. *Fr. Antonij aurum potabile, & tinctura auri.* 14. *Topicorum in arthritide commoda.* 15. *Barthij aqua sudorifica.* 16. *Sal vitrioli vomitoriū, an tutū medicamentū* 17. *Tētzeli Luna hydragōga.* 18. *Non promiscuè admittēda, quæ buccinātur medicamēta.* 19. *Institutiones medicæ Sēnerti præparationib. chymicis augēda.*

Y y . D. DA

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Commendatio libelli Pollionis.

SPollio 'is ipſe fuit, *Cl. Dn. Affinis , & Compater honoranda* , quem Tu ſuſpicaris. Eruditio ipſius qualis , aut quanta fuerit , ego haud ſcio. Illud tamen affirmare poſſum , quòd ſcriptum ſub ipſius nomine publicatum , vt breue, ita neruoſum ſit, & noſtro huic ſolo maximè accommodatum; cui lucis & gratiæ nonnihil ex noſtris additamentis acceſſurum eſſe , nullus dubito; cuiuſque cùius noſter fuerit, dignus idcircò mihi videtur , cuius memoria per me aliis ad animum reuocetur.

Quis eius genuinus auctor?

Si Catonianum ſit ſcriptum , (quanquam aliquando quidam Tobiæ Fiſchero id tribuere malebat ; vtpote cuius non tantùm remediorum nonnullorum mentio facta in eo eſt, ſed & qui tamen gratulatorium opuſculo præfixit ,) dignius procul dubio fuerit, quod lucem denuo aſpiciat, imprimis Curadini , & Tabernæmontani de eodem argumento ſcriptis vtiliſsimis aſſociatum. Prodibit forſan, ſi Deus otium, vitam, & valetudinem largitus fuerit, proximo vere.

Quid de aliorum editione ſperandum?

De ἐπανόδῳ ἐκ τῆς ..., vt multa promittam, impræſentiarum, reliquis nondum confectis , fruſtrà eſt. Neque Tu promiſſiones ſine effectu vanas , facilè laudaueris. *Tabula illæ de morbo Vngarico ſynaptica* , quando in lucem olim , bono cum Deo, prodierint , Hoplothecæ latricæ ſpecimen luculentum exhibebunt.

Aconitum pardalianches.

De* *Aconito Pardalianche* nihil hactenus expiſcari potui , tametſi nec operæ , nec ſumptibus pepercerim. Tibi nunc de eo aliquid innotuerit ſcire peruelim. Podagricor inſultus vt deinceps declinare valeam , optarim fortaſsis rectius, quam ſperarim.

Hepatis & ventriculi contraria intemperies difficulter tolluntur.

Vt enim hepatis intemperies *calidior* ita temperari poſſit , ne ventriculus mihi frigidior lædatur , vix animaduerto. Hæc enim duo præcipuè membra , materiam catarrhis generandis ſuppeditere in meo corpore , & Fernelij opinionem, de viis (*l. 6. de part. morbis , c. 18.*) per quas materia decurrit ad articulos , veram eſſe , hoc duplici meo decubitu teſtari poſſum : concurrere tamen reliquorum viſcerum dyſcraſiat, non negarim.

Fernelij opinio de via defluxionum podagricarum.

De Renibus vt conquererer, hactenus vix deprehendi aliquid ; niſi quòd hiſce diebus, circa ipſorum regionem, vti & paulò inferius circa coxendicem , nec non circa inguina, dolores quoſdam grauatiuos , cum laſsitudine quadam vlceroſa totius propemodum corporis , ſentire cœpi.

Quam ſuſpicionem auctori excitarint nonnulla ſymptomata.

Quæ indicia mihi ferè de alio affectu latitante ſuſpicionem aliquam mouerunt; præſertim cùm vrina ſolito citra febriculam ſit rufior , & ventriculus dolere reſpiratióque minùs expedita , fieri, deprehenſa ſit. Vxor iiſdem ſymptomatibus grauiùs affligitur , & iam a triduo ex iis decumbit ; quæ omnia Scorbuti , ad quem hactenus inclinare viſa fuit , ſoboles eſſe, non obſcurè cognoſco. Mea Podagra an eodem parente genita ſit , hactenus aliquoties tacitè mecum cogitaui ? & parùm abeſt quin hanc ſententiam propendeam.

Arthritis ſcorbutica.

Hæc autem dum ſcribo, opportunè Eugaleni recnidor, & locum de arthritide ſcorbutica excutio (*in libro eiuſdem de ſcorbuto morbo, ſigno, ſeu ſymptomate* XXX,)

Eius ſigna.

Nonnulla profectò illic inuenio , quæ me in præmiſsâ ſententiâ non leuiter confirmant. Nam vt à vagabundo dolorum motu incipiam , hoc certè aſſeuerare poſſum, me , cùm prius, quàm bis vicibus è podagrâ primum dextri pedis , poſteà ſiniſtri decumberem ; tùm poſteà etiam non rarò , iam in hoc, iam altero pede ; iam in hac , iam altera manu ; iam in hoc, iam alio digito, ſed citra omnem tumorem, dolores percepiſſe. Deinde cùm ante duos menſes per quatriduum lecto affigeret, & initio arthritis ſiniſtrum pedem occuparet , mox verò & dextrum , (quanquam leuius , vtpote cùm partim pharmaco, partim venæ ſectione materiæ copiam nonnihil imminuiſſem) inuaderet , atque ita alternis diebus iam hunc , iam illum pedem grauiùs affligeret ; leuem quandam reſolutionem eo ipſo in crure, cuius pes deterius habebat, ſenſi. Ex his coniecturis an certi aliquid ſtatuere liceat, Tu diligentiùs diſpice.

Arthritis diata rectius, quàm medicamentis tollitur.

In curatione arthritidis , ſiue rectiùs eiuſdem præſeruatione, plus ſpei, in bonâ diætâ , quàm medicamentis ponendum eſſe facilè aſſentior. A vino tamen vt abſtinere queam , propter ventriculi vitium , haud liquet. Terrent me etiam vehementer ſenioris VVnyſſelij & Sandecij defunctorum exempla.

Abſtinentia à vino quæ nocumenta pariat.

Cùm enim hi à vino primùm , mox & aliis potibus ſpirituoſis , abſtinuiſſent , eò tandem miſeriæ deuenerunt , vt leuiſsimum etiam potum , præ dolorum metu vix attingere auſi fuerint. Interim vino vel Rhenano , vel Auſtriaco vtor ; nec facilè ſequar Glogouienſium Medicorum morem , qui ventriculi causâ, Vngaricum podagricis concedere dicuntur.

Quæ vina vtiliora?

Abſynthites Eugalenus in hoc caſu valde commendat , cuius conſilium ſequi animus eſt.

An dentur ſpecifica antipodagrica?

An verò non dentur aliqua *ſpecifica medicamenta*, quæ initio ſumta & Viſcerum dyſcraſias emendent , & ſuperfluorum humorum generationem , prohibeant ? Equidem ex hoc cenſu videntur eſſe *flores* illi , ſiue puluiſculus ſubtiliſſimus, ex *Auro* , ope Roris Maialis paratus ; cuius beneficio ſenior VVeidnerus cruciatus podagricos ſibi aliàs cùm moleſtiſſimos, tùm familiariſſimos feliciter depulit , de quibus plenius differentem vide Barthium in *Tyrocinio Chymico Beguini*, *p. 333. editionis Francofurtenſis.*

Flores auri VVeidneri.

Aurum potabile , ſi quod tale haberi poſſit , in hoc caſu eximiè profuturum, vix negabis.

Aurum potabile.

Superior deſcriptio an ſit Antoniana?

Deſcriptionem quam miſiſti extrahendæ tincturæ non improbo ; An tamen Antoniana ſit, ſubdubito. Diſtinguit enim inter *Aurum potabile , & eiuſdem tincturam* , vt ſcriptum ipſius excutienti facilè patebit. *Potabile* eſt , quando totum ferè Aurum in liquorem reſoluitur ; *Tinctura* , quæ ex hoc proculdubio per competens menſtruum , elicitur. Minorem curam Topicis , quàm partibus mittentibus impendendam eſſe , lubens largior ; negligenda tamen penitùs haud reor , Dolores enim niſi ſopiantur, quantopere defluxiones irritent , vigilias promoueant, ac vires omnes deiiciant , arthriticorum clamores, & eiulatus abundè fidem faciunt.

Topicorum commoda.

Qualia eſſe debeant.

Opportuna tamen, quæque nihil labis parti affectæ imprimant , vt inueniantur , hic opus , hic labor eſt. Multas paſſim apud Authores , præſertim Recentiores, quique Spagyriti audiri volunt , aquas antipodagricas legi : laudat quiſque ſuam ceu probatiſſimam , cui nihilominus fidam vix video.

Aqua ſudorifica Barthij.

Aquas duas , ſudorem extrinſecùs illitas nouo quodam inuento mouentes , offendi in *Tyrocinio Chimico editionis Barthij.* † Ex iis alteram , *pag.* 85. doloribus abigendis vtiliſſimam eſſe illic reperies. De eâ quid ſentias , proximè , quæſo , ſignificâ. De *Kenealmois medicamentis* nec ego quicquam tentaui amplius.

Sal vitrioli vomitorium.

De *ſale vitrioli vomitorio*, quem Sala Mannam vomitoriorum appellare non veretur, ecquid Tibi videtur ; Aſſentiriſne Mundetero & Glucaradio ? qui ab ipſius vſu intra corpus abſtinendum eſſe monent, eò quòd valenter ſtringat, & coarctet ; & quaſi ſpecificâ quadam facultate pulmonibus aduerſari , & nociuum eſſe videatur.

Anticum medicamentum.

Contrarium docet Sala in *Ternario Bezoardico , fol.* 130. Et in *Emetologia , p.* 255. *&* 259. *& ſeqq.*

Tentzelij Luna hydragoga.

Tentzelius deſcribit nobis Lunam quandam hydragogam, eamque aduerſus hydropem miris extollit laudibus. Dignum profectò medicamentum , in quod, ſi effectus reſpondeat , & ſumtus, & opera impendantur. Ita ſcilicet non deſunt remedia hoc tempore, quibus grauiſſimi affectus depellantur. Sed vereor , ne hîc locum mereatur tuum illud , *in præfatione ad Lectorem , ſuper libros de Febribus* ; nonnullos medicamenta vix ſemel probata, imò à fornace adhuc calentia , magnis verborum præconiis ornare , atque incautis cum multorum periculo obtrudere.

Sennerti iudicium de nonnullorum remediis valdè laudatis.

Inſtitutionum tuarum iterandam editionem , vt ego negotioſiſsimo iſto tempore aliquâ re expolire valeam non , animaduerto. Hoc vnicum ſaltem addo ; Si *partem pharmaceuticam* ſecretioribus quibuſdam præparationibus Chymicis hactenus non publicatis (quarum copiam Tibi non deeſſe certus ſum) locupletares , Medicinam tam diſcentibus , quàm facientibus rem accepiſſimam præſtares , &c. Bene cum Tuis vale , & à nobis ſalue. Br. ſlæ die 2. Auguſti , Anno 1616.

Obſeruationes Michael. Doring. ad Epiſt. 2.

† *Ex iis alteram.*] Vt lectorem , qui *Tyrocinio Chymico Beguini cum Notis Barthij* deſtituitur , deſcriptionis aquæ ſudorificæ ignarum non dimittam, lubet bonâ fide formulam , corollarij quaſi loco , hîc ſubnectere : quod ipſum de Iohannis quoque VVeidneri aureo vellere , necnon de Andreæ Tentzelij Luna hydragoga , ac de Angeli Salæ ſale Vitrioli vomitorio feciſſem , niſi hoc auctores omnium manibus verſari compertum haberem. In *Tyrocinio* itaque *Chymico Beguini , editionis Barthij, pag.* 85. habetur hæc.

Aqua Sudorifica extrinſecùs vſurpanda.

℞. *Mercurij ſublimati optimè puluerif.* ℥. j. ß. *euphorbij* ℈. j. *aqua vita bene rectificata , aqua roſar.* an. ℔. j. Miſta & infuſa, in matracio colli longioris , probè obturato, horas ij. vel iij. lento igne digerantur : demum bulliant circiter quadrantem horæ. Liquorem frigefactum , & per inclinationem à fecibus ſeparatum, recondo in vas vitreum.

Vſus. Tollit mirabiliter dolores neruorum , præſertim ſi cauſam habeant frigidam. Foueatur pars affecta lotu conueniente , & ſemper ante fotum humectetur hac Aquâ præſertim ad introitum lecti. Vbi ſemel atque iterum eâ vſus fueris , ceſſabunt dolores. In doloribus Venereis mira eſt hæc Aqua : nam ad ſudorem prouocandum , ſpina dorſi hac aquâ madefiat , vel carpi ſaltem debilioribus : ſic copioſum ſequetur ſudoris profluuium. Curat quoque iſchiaticum , & alios dolores.

* *De Aconito Pardalianche.*] Aconitum Matthioli noſtri hîc Vratiſlauiæ reperi , Radix ex terra exemta alabaſtri modo ſplendet , & caulem Scorpij imitatur : ſicca qualis ſit, apparet. Primo vere colligitur, atque tum tanquam ἀρχὴν emittit caulem floribus purpureis. Is exeunte Aprili perit : itaque Radix Amplius reperiri nequit. De foliis nihildum certi potui cognoſcere : nam ſuperſtitioſi ante Georgij diem effodiunt , &

deſtil

Digitized by Google

deſtillata illius, magno ſanè ſucceſſu, vt ipſe de fide dignis hominibus cognoui, contra Epilepſiam vtuntur. Certè plus hoc deſtillatum prodeſt, quàm Carrichteri puluis de gemmis atque cryſtallo. Hactenus Ceato, in *Epiſtola Ms. ad Geſner.* Item: Aconitum pardalianches creditur omnium venenorum eſſe maximum: ob id etiam Radix eius legitimè præparata Mercurium figere dicitur, &c.

EPISTOLA III.

PERIOCHE.

1. Sennertus poſt iteratam Inſtitutionum editionem, ad Practicam elaborandam ſe accingit. 2. De Arthritide Doringij ſententia Sennerti, eſſe videlicet potius hypochondriacam dicendam, quam ſcorbuticam. 3. Indicationes in affectu Doringij ſpectanda, ad ipſum expugnandum. 4. Cautio adhibenda in vſu Vinorum Auſtriacorum. 5. De VVeidneri aureo vellere, iudicium Sennerti. 6. Sudores matutinos, ad arthritidis præſeruationem plurimum facere. 7. Magiſterium perlarum, eiuſque ſuccedaneu. 8. De topicis antipodagricis. 9. Aqua antipodagrica Rulandi. 10 Aqua antipodagrica Hartmanni. 11. Aqua alia ex ſale armoniaco. 12. Vitrioli albi vſus internus. 13. Crollius & Beguinus, medicamentorum quæ deſcripſere, authores non fuerunt. 14. De Ioh. Hartmanni medicam. chymicis. 15. Caſp. Bauhinus Bezoarticum minerale, venenatum medicam. pronunciat, & in Sennerti Inſtitutionibus proponi miratur.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SVt ſcripta tua, quæ promittis, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, lucem feliciter aſpiciant, Deus faxit! Ego poſt Inſtitutionum iteratam editionem, quæ cras cum Deo inchoabitur, quod promittam amplius, non habeo.

Quid Sennertus poſt Inſtitutionum iteratam editionem elaboraturus?

Reliquum tamen vitæ tempus, quod mihi Deus conceſſerit, ita profeſſione publicâ exigente, Practicis Lectionibus tribuam; quas ita poſthac inſtituere in animo habeo, vt breuiſſimè cuiuſuis affectus cauſas omnes colligam, & ſingulis indicationes, cum vtilibus remediis, ſubiiciam, diſputationibus peculiaris maximâ ex parte omiſſis; idque in meorum Auditorum commodum, & mihi ſeneſcenti in memoriæ ſubſidium. De Aconito pardalianche, nihil inueſtigare potui. Tuam arthritidem equidem ſcorbuticam eſſe non affirmauerim; hypochondriacam tamen eſſe, & ex iis locis originem trahere, facilè dixero, qui ipſâ experientiâ edoctus ſum, quas febres acutæ, qualem & Tu ſuperioribus annis es paſſus, viſcerum *ἐμφράξεις*, hypochondriacorum morborum authores, poſt ſe relinquant. Quas vt emendes, & vitioſos humores ſine viſcerum offenſâ, leniter per interualla educas, laborabis, & eum victum eliges, qui tales humores non cumulabit. Et ſi vitium ventriculi à vino abſtinentiam non permittat, vt puro vtaris, ſtudebis, qualia ſunt Rhenana. In eligendo Auſtriaco, vt cautus ſis omninò opus eſt, vt non ſolùm benè defæcatum eligas, ſed & quod ſoli ratione tartareum non ſit, qualia non pauca eſſe, eaque Vngaricorum naturam ferè æmulari, audio. Si aureo vellere VVeidneri vti velis & potueris, non opinor, peccabis. Sed an tantum præſtare poſſint ea Auri folia, dubito. Et vt talibus interdum minus, quam forſan debebam, fidem habeam, faciunt nonnullorum, vt Glauceradij, & aliorum ſcripta, quibus ea medicamenta commendant, quæ ipſos nunquam expertos eſſe, benè noui. In ſore tamen peculiarem vim Aurum ſoluendi eſſe, à multis fide dignis accepi. Ego quod Dei beneficio, Arthriticos illos inſultus, quos in pedibus habebam, hactenus non ſenſerim, etſi poſt Quartanam vino nunquam abſtinuerim, ſudoribus maximâ ex parte acceptum fero, qui ſingulis ferè diebus è lectu ſurrectuo, leniter cùm maximâ *ἐνεργείᾳ* fluunt. A Riuerio Regis Gallicorum Medico valdè commendatum fuiſſe audiui, Magiſterium perlarum. Et cùm Perlæ hodiè in maximo ſint pretio; retulit mihi quidam, Hartmannum pro Magiſterio perlarum, in omnibus morbis, quibus aliàs Magiſterium perlarum conuenit, Magiſterio Matris perlarum vti, quod longè minore ſumtu paratur. Nonnulli Magiſterium oculor. cancri, in pretio non minore habent.

Quid Sennertus ſentiat de Auctoris ſuper ſua arthritide ſententia.

Quid faciendum ſuadeat.

In vinis Auſtriacis quis delectus obſeruandus.

Iudicium ſuper aureo vellere VVeidneri.

Sudores matutini ab arthritide præſeruant.

Magiſterium Perlarum.

Quod eius ſuccedaneum?

Topica in Arthritide multa à multis laudari certum; ſed rectè cenſes, in electione hîc cautione opus eſſe. Nimis forte illud Barthij, *pag. 85.* mihi videtur: Mitior mihi videtur eſſe *aqua antipodagrica*, quam Hartmannus Rulando tribuit. ℞ *Flor. chamameli, meliloti*, an. M. j. *Mercurij ſublimati*, ℈ ij. (modò in pondere hîc non ſit vitium) Coq. in *ſ. q. aquæ* ad ℔. iv. colaturæ adde *aqua marina*, id eſt, aquæ fortis, quâ vſi ſunt Aurifabri in ſeparationibus, *aqua fortis recentis, ſucci, ſiue decocti myrtillorum*, an. ℥. ij. M. Laudat *Hartmannus* & hanc:

Aqua antipodagrica Rulandi.

℞. *Spermatis ranarum, menſe Martio circa nouilunium*, collecti ℔. iv. *ſtercoris bubuli recentis* ℔. totidem, M. ſtent per noctem, poſteà ex Balneo deſtillentur.

Hartmanni.

Commendatur & ſpiritus ſalis Armoniaci, cum cinerum partibus quatuor paratus, & æqualibus partibus ſpiritus vini mixtus, & plumaceolo loco dolenti illitus. Sale Vitrioli nunquam vſus ſum. Vitriolo albo D. Rupertus, Budiſſinæ frequentiſſimè vtitur, & vulgò etiam ibi notus puluis eſt, nomine *D. Ruprechts brechpuluer.* Vix enim ſumtus cum ceruiſia calida vomitu reijcitur; & ſi quam laudem meretur, eo nomine eam meretur; aliàs diutius in corpore detentus, quin viſceribus noceat, vix fieri poteſt. Inſtitutiones meas, vt Chymicis quibuſdam ſecretioribus hactenus nondum publicatis, locupletem, rectè quidem mones. Sed quid ferè in hoc genere iam non publicatum eſt? Vt tamen ea non præteream, neceſſarium videbitur, an ergò illa è Crollio, è Beguino, &c. (qui iſta quidem ediderunt, authores tamen omnium illorum medicamentorum mihi non videntur) breuiter tranſcribere, an verò loca ſaltem citare debeam; de eo tuum iudicium expeto. Supérſunt adhuc quædam Hartmanniana, quæ ſi edidero, ipſum offendam. Et præterea in his ipſis delectu quodam opus eſſe videtur: Et dubito, an omnia illa egregia præconia ſuſtinere poſſint. Mitto iam quædam ex eius *prælectionibus in Crollium*, quæ retinere tecum potes; mittam & poſthac alia, vbi deſcripta fuerint. De his, quæſo, candidè tuum iudicium mihi aperi, & quæ ex his magis probes, atque inſerenda cenſeas, ſignifica. Nam nolim hîc famam meam proſtituere. Licèt enim Chymicis iſta omnia, acceptiſſima fore ſcio, tamen Galenicorum quorundam iudicia reformido, quæ nec in priori editione effugere potui. Retulit enim quidam mihi, nuper Bauhinum inter reliqua & hoc dixiſſe, ſe mirari, quòd Inſtitutionibus venenata talia medicamenta, (*Bezoardicum minerale* nominatum hoc modo taxauit,) inſeruerim, & iuuentuti propoſuerim. Si ergo Bezoardicum minerale veneni nomine ſuſpectum eſt, quid aliis fiet, &c. Benè vale. VVittebergæ 25. Auguſti, Anno 1619.

Alia ex ſale Armoniaco.

Quid de vitriolo albo ſentiendum?

Cenſura de Crollio & Beguino.

De Hartmannianis medicam. chymicis.

Bauhini iudicium de Inſtitutionibus Sennerti, & de Bezoardico minerale.

EPISTOLA IV.

PERIOCHE.

1. Scorbutus & affectio hypochondriaca, valde congeneres ſunt. 2. Scorbutus apud Germanos hodie ſatis frequens. 3. Pulueres duo laxatiui domeſtici Doringij, vnus compoſitior, alter ſimplicior. 4. Diæta obſeruationem neceſſariam quidem eſſe, non tamen nimis rigidam. 5. Abſtinentiam à vino non omnibus arthriticis conuenire. 6. De vinorum electione. 7. Vina Rhenana Auſtriacis atque Vngaricis & debiliora, & magis adulterata. 8. Ex iſtis vinorum generibus quæ magis minúſve tartarea. 9. Examen vini Rhenani, & Toccauienſis. 10. Cur Rhenanum plus tartari exhibeat, quàm Toccauienſe. 11. Cur Toccauienſe articulis magis noxium, Rhenanum verò minus. 12. Auſtriacorum vinorum varietas. 13. De aureo vellere VVeidneri. 14. VVendleri gallina aurea. 16. Machfredi gallina aurea. 16. Puluis Scholtzij à podagra præſeruans, eiúſque vtendi modus. 17. Puluis antipodagricus VVendleri, eiúſque vtendi modus: quin & in pilulas vt redigendus: quando item parandus ſit, & quas vires habeat. 18. Petri Poterij de catarrhorum generatione peculiaris opinio. 19. Antihydropica quædam expetuntur. 20. Sudorum matutinorum in præſeruando ab arthritide vis

vtilitas vnde pendeat. 21. *Diuretica arthriticis, quibus renes malè affecti, noxia.* 22. *An & istis radices artemisiæ conducant?* 23. *Oculi cancrorum, eorúmque magisterium an arthriticis vsurpanda.* 24. *An admotio cucurbitularum & scarificatio partium arthritide correptarum probari debeat.* 25. *Rulandi aqua antipodagrica: necnon aqua limacum.* 26. *Quercetani aqua antipodagrica.* 27. *Hartmanni anodynum in podagra.* 28. *Hieronymi Seilleri aqua antipodagrica.* 29. *VVenceslai Raphani Emplastrum incognitum ad podagram.* 30. *Varia variarum anodyna.* 31. *Historia decubitus Doringiani, cum serie curationis.* 32. *Rob sambucinum cassiæ succedaneum.* 33. *Dari affectum quendam ventriculi, qui febrim putridam mentiatur.* 34. *Potus medicatus pro arthritico.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quod nuper, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, propter certas quasdam causas effectum dare, hoc est, ad tuarum litterarum capita præcipua respondere non potui, id iam ordine exsequor. Ac primò quidem Arthritidem meam quod attinet, eam Tu non Scorbuticam, sed Hypochondriacam appellare mauis. Mihi de nomine non erit grande tecum litigium; cùm sciam, tam congeneres, Scorbutum, & Hypochondriacam esse affectiones, vt non tantùm altera alterius specie decipiat, sed & iisdem propè ad vnguem remediis depellantur.

Scorbutus & malum hypochondriacum affectus valde congeneres.

Nostratibus certè Scorbutus hodiè tam familiaris est, vt vix satis quisquam sibi cauere possit, ne in conuiuiis per contagium ipsum infusus, ac nil tale cogitans, contrahat. Mea quoque vxor, quam spleneticam esse ipsemet nosti, ab omni labe immunis non est: decubitura dudum grauissimè ex hoc morbo, nisi hactenus per Specifica diligenter ipsi restitisset, & igniculos subinde erumpentes maturè restinxisset. Ad vitiosos humores sine viscerum offensâ educendos, domi meæ per triennium q. talem paraui Puluerem, qui

Scorbutus hodie satis frequens.

Puluis laxatiuus domesticus Auctoris.

℞. *Pulu. fol. senæ el.* ℥. ij. *flor. violarum Martiar.* ʒ. vj. ß. *prunorum syluestr. Trochisc. de violis s. scammonio, & colocynthid.* an. ℥. ß. *cremor. tartar.* ℥. j. ß. *sem. anisi, fœniculi.* an. iij. *salis absynthij* ʒ. ij. ß. *tartari vitriolati, crany humani praparat.* an. ʒ. ij. *ol. macis destillati, caryophyllati*, an gutt. vj. M. f. Puluis. Dosis à ʒ. j. ad ʒ. j. ß. Simpliciorem ita compono.

Alius simplicior.

℞. *Pulu. fol. senæ el. cremor. tartari*, an. ʒ. ij. *Trochisc. de violis s. scammon. & coloc.* ℈. ß. *sem. anisi, fœniculi*, ana gr. v.

M. F. Puluis pro ij. Dosibus.

Quorum prior manè vel cum cibo, vel paulò ante, posterior horâ vnâ, vel alterâ ante cœnam è iusculo haurium. Vter Tibi magis probetur, proximè, quæso significa. Quod si aliquam formulam vtiliorem nosti, eam vt mecum liberaliter communices, oro. In competentis victus electione magnum præseruationis momentum esse positum, si diffiterer, næ cùm omnibus saniorum Medicorum præceptis, tum ipsi rectæ rationi temerè contradicerem.

Diæta obseruatu necessaria quidem.

Interim tamen rigidiorem victus rationem vt ineam, nemo facilè persuaserit mihi, qui non tam appetitus mei deplorandam propè conditionem perspectissimam habeo, quàm Hippocratis nostri verissimum consilium, quod est, *l. 2. aphor. 38.* inuitus quandoque sequi, atque per hoc illi aliquantulum blandiri cogor. Consulit autem hoc loci Hippocrates, vt *cibus ac potus, qui quidem naturâ paulò deterior, palato tamen amicior, meliori, sed ingratiori, præferatur.* Quod consilium ni interdum sequerer, à mensa, vel malè satur, vel planè famelicus sæpenumero discederem, vtpotè qui aliàs parcissimè comedo. Quæ verò cibi suauioris vsum commoda, insuauioris autem incommoda subsequantur, Tibi artis nostræ peritissimo ignotum esse non potest.

Non tamen debet esse nimis rigida.

Cur?

Incidi his diebus in Epistolam quandam *Scholtzij Patris*, quâ ad Monaulanum quendam discursum, minùs seueram Arthriticorum Diætam defendentem (quem tamen inter *Scholtziana Manuscripta* hactenus reperire non licuit) respondet, & sibi non solùm apud Arthriticos, sed & cum aliis morbis conflictantes aliquantò licentiosiorem Victus rationem fuisse obseruatam, apertè profitetur. *Vino* qui Arthriticis interdicant penitùs, non paucos, nec plebeios, in venias Medicos. Eandem abstinentiam si quis mihi imperet, cum rem duram

Assentitur Monaulano & Scholtzius.

Auctor à vino abstinere non audet.

mihi imperare, non iniustâ cum Morantio inter Cratonianas *Epistolâ* 237. fortean dicero. Causas, cur eam ferre non possim, proximè (*vide supra Epist. 2.*) notaui: In electione tamen vinorum cautione opus esse meo malo didici. Tu Rhenana ceu puriora, commendas. Quod etsi & ego hactenus factitare solitus sim: ea tamen nostrorum hominum, quippe Austriacis atque Vngaricis vinis assuetorum, ventriculis debiliora esse (qualia scilicet vulgò dicenduntur) plerumque deprehenduntur. Quid? quod mihi ipsorum vsum laudanti, semel atque iterum obiectum memini, tartiora esse ab adulteriis Austriaca, atque Vngarica, quàm Rhenana: quandoquidem hæc sine illis à corruptione præseruari nequeant, cum sine fece, (quam Matrem communiter indigitant) ad nos transvehantur. Minus tartarea esse, si deprædices, ocularem q. demonstrationem protinùs obiiciunt, nempe vasa Rhenanis vinis deplera, longè maiorem tartari copiam exhibere, præ illis, in quibus Austriaca vel Vngarica, continebantur. Respondi aliquoties: satius esse, vina, tartarum in vasa, quàm in corpus nostrum, deponere. Quod cùm Rhenana faciant, idcircò reliquis puriora & salubriora existere.

Electio necessaria.

Rhenana nostratibus cur debiliora?

Cur quàm Austriaca & Vngarica magis adulterata?

An minùs tartarea?

Sed opposuit mihi aute annum quidam, examen, iussu Illustris Do. Abraham à Dohnavv, a D. Leschto per destillationem aliquando institutum, & manu ipsiusmet M. Christophori Scholtzij Ecclesiastæ quondam ad D. Elisabethæ, consignatum: Nimirum tam vini *Rhenani*, quàm *Toccaniensis*, quod inter omnia Vngarica censetur generosissimum, mensuras nostrates quatuor & viginti per alembicum destillauit, atque post illius quidem destillationem è residuo Tartari lotones sex; post huius autem vix dimidium lotonem acceptus est.

Examen vini Rhenani & Toccaniensis.

Ecquid Tu ad instantiam istam regereres? Ego tunc temporis quod responderem, vix inueniebam aliud, quàm hoc; quòd videlicet in Toccaniensi vino vel propter spirituum copiam tartarum adeò subtile & spirituosum euaserit, vt cum reliquo vini spiritu alembicum transcenderit, vel etiam crassius tartarum ætate (quinquennale enim vinum fuit) probiùs in vase sequestratum fuerit. Hinc igitur euenire dixi, vt tale instar aliorum vinorum Vngaricorum penitius penetret, & ad articulos deferatur. Contra cùm Rhenana minùs spirituosa sint, & præterea vi diuretica præ aliis vinis maiore (tu æstima, an ob minorem admixtionem hoc fiat?) polleant, accidere, cum, vt articulis minùs infensa sint, tum si quid admistum habent secum tartarearum, vel in alui recrementa id deponant, vel per vrinas è corpore secum deducant. Quæ an verò sint consentanea, tu defini: Ego verisimiliora pro tempore comminisci non valeo. Austriacorum vinorum magnam esse vafritatem, lubens fateor: ideóque & illa, quæ locis Vngariæ, aut Morauiæ vicinioribus prouenniunt, quantum licet, ceu insalubriora, sedulò deuito, & Rhenano lubentius vtor: quo procul dubio deinceps etiam vtendum fuerit, ob Austriacorum penuriam: quam partim frigus præterito hoc vere insolentius induxit, partim militum ingluuies illic locorum procurauit. Aureo vellere VVeidneri sine peccato me vti posse opinaris, quod vtinam ad manus esset! Initio veris si de eo aliquid rescuiissem, rorem maialem debito tempore collegissem. Sed quia id factum non est, tantisper mihi eo adhuc carendum, & meliora interim speranda fuerint, dum illo aliquando potiri liceat. Dubitas tamen, an duodecim auri folia tantum præstare possint? Atqui ego numerum saltem foliorum in vno vase soluendorum, authorem definiuisse existimo. Putásne verò tu, Gallinam auream, à VVendlero nobis descriptam, aurei velleris vicem supplere posse? At competens, & ab ipso determinatum, eam saginandi tempus, iam prætertlapsum est.

Cur Rhenanum plus tartari, quàm Toccaniense exhibuerit?

Vina Vngarica cur tam penetrabilia sint?

Rhenana minus.

Cur ista magis diuretica?

Cur articulis minus noxia?

Vinorum Austriacorum magna varietas.

Aureum vellus VVeidneri.

Gallina aurea VVendleri.

Nactus sum his diebus tractatum *de pestilitatibus Abrahami Machfredi*, Medici ante paucos annos Lignicensis, in quo is etiam, *cap. 20. doctr. 5.* modum auro alcoholisato gallinas saginandi proponit; verùm in his à VVendleriano differentem; 1. Quod saginationi nullum certum tempus assignat. 2. Carnem non auri colore, sed virtute tingi monet. 3. Rationem aurum indigestum, tam in ventriculo relictum, quàm cum excrementis reiectum, reducendi narrat. (Confer historiam *de auro digesto à calore cuiusdam Gallinæ*, propositam à Zacharia Puteo in *Claue Medica, pag. 255. & seq.* Vide etiam VVendlerum in *prognostico super annum* 1620. *cap. 7.*) Vtrius præscriptum potiùs sequendum statuas, scribe. Sed nullámne habes aurum soluendi Hartmannianam descriptionem? Vel placet iste Puluis à Podagra præseruans? quem in *Collectaneis Scholtzij* reperi. ℞. *Aristolochia rotunda vera*, ʒ. ij. *centaurij minor.* ʒ. j. ß. *hyperici* ʒ. j. *gentiana* ʒ. j. ß. *mei* ℈. iv. *petroselini Macedonici*, ʒ. j. *agarici albiss.* ʒ. ß. *rhabarbar. optimi* ℈. j. Ex his omnibus fiat puluis subtilissimus: de quo hebdomadatim bis, terve, inprimis verò autumnali, ac verno, aut, quo quem arthritis affligere solet, tempore, pondus dimidij Vngarici è quatuor cochlearibus aquæ Betonicæ; quibus cochlear vnum syrupi de succo betonicæ admistum fit, manè ieiuno stomacho horis duabus ante prandium bene calidum hauriatur. Superfluos humores, defluxionum authores, absorbere, caput roborare, & à plurimis prauis symptomatibus præseruare

Machfredi.

Puluis à Podagra præseruans.

Vtendi modus.

Idem à VVendlero ſic deſcriptus.

nate dicitur. VVendlerus in *ſuo prognoſtico Aſtrologico medico*, paulò aliter hunc in modum ipſum deſcribit.

Vide Cratonem Conſil. 216.

℞. *Ariſtoloch. rot.* ℥. ß. *centaury min.* ʒ. i. ß. *gentiana*, ʒ. ij. *mei* ʒ. ij. ß. *h. peric. iua arthetica*, an. ʒ. iij. *petroſelini Macedonici*, ʒ. ij. *agarici al. rhabarbar. optim.* an. ʒ. i. M. F. Puluis, qui per totum annum tali ordine aſſumatur: nempè Ianuario menſe totis quinque diebus continuis ℈. ij. totidem ſcrupuli totidem diebus, menſe Februario: duobus totidem Martio: tribus totidem Majo, vno totidem Iunio; duobus totidem Iulio; vno totidem Auguſto; duobus totidem Septembri, Octobri & Decembri vſurpentur.

Quomodò vſurpandus?

In pilulas redigi poteſt.

Qui Pulueris vſum reformidauerit, ij per Vini ſpiritum correctum ſ. a. Extractum ex eo parent, & cuilibet extracti quinque drachmis de puluere podagrico drachmas duas admiſceant, atque ordine præſcripto de maſſa iſta ℈. j. vel ʒ. ß. in pilulas redactam loco Pulueris capiant. VVendlerus tempore coniunctionis Iouis & Lunæ, vel coniunctionis Veneris & Lunæ, puluerem iſtum parari iubet. Numquid & meo corpori vtilem futurum arbitraris? Concoquentis vtique, aperientis, penetrantis, flatus diſſipantis, & vrinam magis, quam aluum mouentis, facultatis eſſe videtur. Niſi calorem, & ſiccitatem hepatis per ipſum adauctum iri metuerem, eo procul dubio vterer. Quæ pericula an paſſularum vſu, vel alio aliquo medio, (cichoracea, & caprinum ſerum meus ventriculus ferre neſcit) declinare valeam? proximè paucis docere haud grauare. Si vera ſunt, quæ de catharrhorum generatione ſcribit Poterius Medicus Bononienſis, *obſeruationum ſuarum libro*, *obſeruat.* 1. puluis prædictus in arthritide magni profectò vſus futurus eſſet, diſcurſum ipſius ipſus conſule. Habet hic Author ſingularia quædam remedia, eaque metallica, ſed quæ more Renealmeo, occulsat. In primis quid per ſulphur metallorum, *obſeruatione* 2. intelligat, ſcire velim. Occurrunt enim nunc frequentes hydropici, apud quos communibus & vſitatis remediis oleum & operam perdimus. *Diacubeba* illud *Paracelſi* quodnam ſit, aut quale? quod Tentzelius ſpecificum hepatis confortatiuum eſſe refert, maximopere cognoſcere deſidero. Tu ſi vel iſto, vel alio aliquo, cuius efficacia tibi explorata eſt, remedio antihydropico me iuuare potes, iuues ſeriò.

Quando parandus?

Quas vires habeat.

Quibus calefactio & ſiccatio hepatis præcaueri poſſit.

Vide ſub finem iſtius Epiſtola.

Antihydropica remedia.

Sudorum matutinorum vtilitas.

Sudoribus matutinis ab arthritide te præſeruari, rectè ſcribis. Excrementitius enim humor, defluxionum arthriticarum genitor, è tertia concoctione prodit, authore Poterio *obſeruat.* 11. Quod ſi ſudoribus diſcutiatur, quid mirum, arthritidem non redire? Iſtud naturæ beneficium ſi mihi obtingeret, podagræ inſultus minus ſine dubio ſentirem.

Diuretica quibus noxia?

Radices artemiſia.

Oculi cancrorum.

Diuretica nonnulli pro præſeruatione commendant; quæ mihi propter renes malè affectos, non conuenire exiſtimo. Multos ſolo *radicum artemiſiæ*, inſtar radicum petroſelini, cum cibis coctarum, vſu, ab articulorum doloribus liberatos fuiſſe teſtatur Abrahamus Scilerus, *Conſilio inter Cratoniana* 295. quæ ſi quid hac in re præſtant, ob facultatem certè diureticam id præſtant, ideóque & mihi non ſatis tutò conducunt. Eodem loco *magiſterium ocul. cancrorum* habeo; quod quin rectè ipſarum margaritarum magiſterio æquiparetur, parum dubito. Legiſti forſan quantis laudibus cancrorum oculos in *ſuo de peſte Tractatu* extollat Hennemanus. Mater perlarum, ſi eaſundem cum ipſis perlis ſit virium, quis nolit ſummum facere compendium?

Cucurbitulorum applicatio ad locum affectum.

In Auſtria & Morauia audio Magnates podagricas inuaſiones applicatione cucurbitularum paruarum circa locum affectum, & ſcarificatione cutis depellere; quod an ſecundum methodum, præſertim in ipſo initio, fiat? ego haud video. Felici tamen ſucceſſu id fieri fama eſt.

Rulandi aqua antipodagrica.

In meis aduerſariis talem Rulandicæ aquæ antipodagricæ lego formulam. ℞. *Flor. chamameli*, *verbaſci*, *iua arthetica*, an. ℥. i. *aq. fabrorum chalybeata* ℔. ij. Macerentur ſimul per diem dimidium, poſteà coquantur per diem integrum, colentur, & adde *aqua fortis mortificata*, ℔. ij. Bulliant iterum in B. M. adde *ſpir. vitrioli* ℥. ß. *aq. limacum cum ſale deſtill.* ℔. ij. M.

Aqua limacum.

Aqua limacum ſic paranda. ℞. *Limacum rubr.* q. v. contunde cum ſale, & deſtilletur ex iis *aqua per retortam*. Alia planè ab hac eſt illa, cuius compoſitionem docet ipſemet Rulandus, *centuria* 5. *obſeru.* 35. Quercetano hæc tribuitur.

Quercetani aqua antipodagrica.

℞. *Nitri per ſulphur depurati, vt artis eſt*, ℥. iij. *vitrioli*, ℥. i. ß. *ſalis fuſi* ʒ. i. puluerifatis ſuperinfunde *aqua calc. viua*, quæ ita conficienda. ℞. *Calcem*, cui affunde *aquam claram*, ſtet per octiduum, deinde filtra. *In hac aqua exſtingue ſæpius aurum candens*, *addenda tunc* ʒ. ij. *herb. iua arthetica*, *florum ſambuci*, *betonica*, *calendula*, an. p. ij. *ſem. ebuli* ℥. j. Coq. vnà, poſteà filtra: tandem *aurum candens aliquoties adhuc in ea exſtingue*, *& calidâ vtere*.

Hartmanni anodynum.

Hartmanno tale anodynum aſſignatur. ℞. Vitrioli Romani ℔. j. ſalis nitri ℥. iv. aluminis ℔. ß. Miſta indantur ollæ, & euaporare permittantur, dum fumum flaueſcentem inſtar aquæ fortis emittere incipiant. Refrigerata puluerifentur, puluerifatiſque æquales partes, *farina hordei & fecum vini* admiſceantur, & in paſtam ſiue maſſam, redigantur. Hæc maſſa ſuper linteum ad dorſi cultracei craſſitiem extenſa loco dolenti imponatur, & poſt 24. horas viciſſim tollatur: Hieronymus Scillerus *tractatu de catarrhis*, *in fine*, ſequentem aquam multoties feliciter à ſe vſurpatam, commendat.

Hieronymi Scilleri aqua antipodagrica.

℞. *Fol. ebuli* M. iij. *chamæpityos*, *ſaluia vtriuſque*, an. M. ij. *abrotani*, *meliloti*, *chamameli*, *malua*, *branca vrſina*, *mercurialis*, an. M. ß. *flor. ſambuci*, M. ij. *primula veris*, M. j. *ſem. fœnigræci* ℥. ß. *hyoſcyami*, ʒ. vj. *granor. iuniperi*, ℥. ij. *hermodactylor.* ʒ. x. *caſtorey* ʒ. ij. ß. *vini albi* ℔. iij. *aqua ſolani*, *ebuli*, an. q. ſ. *vermium terreſtrium mundatorum*, No. LX. *terebinthina clara*, ℥. iv. M. & infuſa per octiduum deſtillentur lege artis.

Emplaſtrum incognitum Raphani.

VVenceſlaus Raphanus, ceu in *Scholtzy miſcellaneis* inueni, emplaſtrum quoddam, cognomento incognitum, è myrrhâ, maſtiche, gummi elemi, colophonia, ſantalis rubris, &c. conflatum, arthriticis applicare eſt ſolitus; per quod vitioſos humores euocauit, & dolores mitigauit. E ſcroto, ob hydropem tumefacto, adeo largiter id aquam exſugere profeſſus fuit, vt poſt detractionem aqua ferè ex ipſo effundi poſſit. Excuſſi multos authores, conſului etiam de eo Collegas nonnullos; ſed deſcriptionis participes fieri non potui.

Varia anodyna.

Tibi ſi de ipſo aliquid innotuit, vt & mihi id tecum commune eſſe velis vehementer oro. Abrahamo Scillero ad cruciatus arthriticos leniendos aqua hederæ arboreſcentis; Greuſero & Schvvenckfeldio, vlmariæ vſitatiſſima fuit. Poterius moleſtiſſimos crurum exulceratorum dolores anagallidis ex aqua fabrorum decocto ſuſtulit, vt liquet ex *obſeru.* 1. & aliis. Saponariam antiquatos cuiuſcunque generis dolores fugare, primò omnium aduertit, atque vſu comprobauit Rudios, teſte Claudino, *in Appendice Librorum*, *de ingreſſu ad infirmos*, *ſect.* 3. Empiricus quidam in arenâ (veluti vernaculâ linguâ locum notamus) apud nos habitans, aquam è radicibus helenij deſtillatione prolectam, & oleum è nucibus perſicorum expreſſione eductum, nō ſine nullo fructu arthriticis commendare iactatur.

1.
2.
3.
4.
5.
6.

Caſſiam ſolutariam etiam admoueri, non ad articulorum duntaxat, ſed & aliarum partium dolores demulcendos, tibi fortaſſis nouum non eſt, certè mihi ipſi nuper decumbenti eximiè profuit.

7.

Hiſtoria decubitus.

Atqui, quia nuper pollicitus ſum, decubitus hiſtoriam, & mox prolixiore iſtâ ſcriptione tibi aliàs occupatiſſimo ampliùs moleſtus eſſe deſinam. Octiduum pòſt, quàm, quæ ſymptomata me affligere inciperent, tibi exponerem, deterius ſubinde habui, adeò vt neceſſariò de corpore à ſuperfluorum humorum colluuie liberando cogitarem. Quod vt ſine vehementiori vllâ agitatione, & viſcerum ſenſibili aliquâ læſione conſequerer, *Puluere meo domeſtico*, *poſterius ſuprà deſcripto*, per biduum vti cœpi. Mouit is quidem, ſed non admodùm multa promouit. Maiorem igitur in hypochondriis & circà inguina moleſtiam, vti & vellicationes in membranoſis partibus per vniuerſum propè corpus ſenſi: quæ omnia pertinaciores viſcerum infarctus ſubſequi, conieci. Qui cùm alio biduo bonam partem expediti eſſent: ecce! ad Renes materia delabitur, & tam exquiſitos dolores illic excitat, vt quâ decubitus formâ lenimen aliquod quærerem, haud dignoſcerem. Dolebat vtrinque vreterum regio; inguina, & genitales partes non minus afficiebantur, vt mihi de nouâ alterius, dextri videlicet Renis, inflammatione, & ſubſecuturâ ſuppuratione inſigniter metuerem. Noctes inquietiſſimæ reddebantur; ventriculus inflabatur. Hoc infelici meo ſtatu plus ſatis perturbatus, & de ſalute ſollicitus, in conſilium Doctores *Bucratium & Francum* aduoco.

Series curationis.

Ii, meo quidem monitu, venæſectionem concedunt; ſed in vtroque pede fieri ſuadent. Pareo; tametſi didicerim prius, *Euacuationes non eſſe per locum affectum conſtituendas*.

Regula.

Paratur emulſio ex amygdalis dulcibus, cum decocto hordei & paſſularum minorum, addito ſyrupo violaceo, ad bilem, quæ abundabat, contemperandam: Renes vnguento roſaceo, & citri ſucco, perunguntur; aluus officij minus memor clyſteribus ſollicitatur. Doloribus necdum cedere volentibus, Caſſia è cannis tracta, cataplaſmatis inſtar linteo ſuperinducta, imponitur: à qua dolor omnihil conquieſcere deprehenſus. Areſacta, de meo conſilio, aquâ florum ſambuci viciſſim humectatur, non ſine præſenti meo commodo.

Rob ſambucinum caſſia ſuccadaneum.

Analogiſmo itaque vſus Caſſiæ, quæ in maiori nunc eſt pretio, ſambucinum rob non minùs vtiliter ſubſtitui. Hinc aluus per quatriduum paulò frequentiùs ſolui cœpit, vt deiectionum numerus toto hoc tempore ad quadragenarium ferè creſceret. Inde ſenſim melius habui: niſi quod ab aſſumpto cibò tam manè, quam veſperi, inſultum putridæ febris inuaſioni quàm ſimillimum per pluſculos dies ſuſtinere coactus fui; quem mihi vitiatus ventriculus pariebat.

Affectus quidam ventriculi febrim putridam mentiens.

Meditatus ſum de hoc affectu olim Gieſſæ *Schediaſma*, quo probaui, non protinus febri quem correptum putridâ, ſi à paſtu extrema frigere, anhelitus coarctari, pulſus immutari, corpus vniuerſum, in primis verò manuum, pedúmque extremitates æſtuare, & facies rubere incipiant: quod ſi videre geſtis, proximè lubens communicabo.

Potus medicatus.

Emulſionis ſatietas cùm me caperet, talem Potum elegi. Coquebantur in Cereuiſiâ ſecundariâ recenti, quæ nondum efferbuerat, Paſſulæ minores; poſtea vbi decenter refrixiſſet, ſuſpendebatur in eâ Nodulus ex *Herba fragaria*, *flor. violarum*, *borraginis*, *& bugloſſa*, *radicibus ſcorzonera*, *borraginis*, *plantaginis*, *pentaphylli*, *& galanga*, *cum corticibus citri*, atque ſimul efferueſcere permittebantur. Bibi ipſum vltra menſem dimidium, ſine vllâ ventriculi offenſâ. Atque hæc potiora ſunt, quæ de nupero meo decubitu tibi ſignificanda duxi.

Pro *Hartmannianorum* communicatione gratias officioſas ago, oróque, vt reliquorum etiam me participem reddere non dedigneris. Quid mihi de nuperis videatur, liberè (quia id à me fieri cupis) cogitationes meas qualeſcunque peculiari Epiſtola tibi aperiam. Tu cum tuis B.V. & mihi porrò ſaue. Breſlæ, die 4. Octobr. Anno 1619.

APPENDIX EPIST. IV.

PETRVS POTERIVS,

Centuriâ primâ inſignium curationum, curatione primâ, de catarrhi origine.

HVivs affectus generationis modum his verbis eleganter expreſſit Hippocrates *libro de Flatibus*. *Cum capitis vena aere repleta fuerint, primum quidem caput vrgentibus flatibus grauatur; deinde ſpiritus ... cum ſanguine propter viarum anguſtiam intus conuoluitur: id vero quod in ſanguine eſt tenuiſſimum, per venas, foras eliditur. Hoc ſanè humidum, vbi copiosè coacervatum fuerit, per alios in actu effluit, cumque confertim ad aliquam corporis partem peruenerit, ibi morbus contrahitur.* Quomodo verò acris & mordax fiat defluxio, paulò poſt idem Author hæc ſubdens apertè ſatis demonſtrat, *Pituita namque acribus humoribus permixta, vbi in loca minimè aſſueta irruperit, ea exulcerat.* Quid verò ſalſum & acrem efficiat humorem nullibi expreſſit; ſalſum tamen homini ineſſe, veluti amarum & ſimilia, *libro de veteri medicina* docet; Quamvis autem Galenus *lib. 4. de facultatib. ſimpl. cap. de ſapore ſalſo*, id tribuat caliditati, non propterea ſalſum gigni à calore, ſed potius manifeſtari, eundem intellexiſſe arbitramur, nec itidem contrarium ſenſit Ariſtoteles, quamvis alij alio modo cenſeant; alioquin Ariſtoteles contra ſe pugnare, & Galenum perperam philoſophari manifeſtum eſſet. Cum ergo nihil ſuprà vires agat, qualitatem Salem generare non poſſe ſatis tritum eſt. Quocirca ſalſedinis in corpore exiſtentis cauſas inquirentibus repetenda Hippocratis ſententia, quâ habetur, corpora iiſdem conſtare, quibus nutriuntur. At Edulia, quæ in noſtri alimoniam cedunt eiuſmodi ſaporum participia ſunt: quædam enim amara, quædam dulcia, quædam ſalſa, &c. quotidiè aſſumimus, iiſque nutrimur; horum inſuper plura ſunt, nonnunquam in eadem re temperata, quæ non niſi artis beneficio conſpicua ſunt.

Hinc licet temperatiſſimis cibis viuat homo, iiſque dulcibus, & ſuauiſſimis tantùm, eadem tamen in eo conſiſtere minimè diffidat; vrina & ſudor quærenti exemplo ſunt. Verùm enimvero ciborum adhuc ſapores, qualitatibus tribui, inconueniens haud diſſimile erit: Sapor enim non minus rei propria affectio, quàm quævis alia qualitas, ſuum habet ſal, ſuum ſaccharum, & ſimilia: Non calidi, ſed ipſius ſalis ſapor eſt, propriáque affectio. Interim me non latet, eiuſmodi qualitates ſecundas nominari, & à primis oriri, & dici, cui etiam eadem eſto reſponſio: Cumque ergo ex Hippocratis ſententia flatus ſint humorum vectores ad caput, ab eo pariter flatuum eiuſmodi cauſa apprimè indaganda. Itaque ipſe eodem *de Flatibus libro* non ratiocinij criterio qualitatibus innixo, ſed analogia à maiore mundo deſumpta philoſophaturus, inquit, *Quod enim cœlum & terram interiacet, id omne ſpiritu eſt plenum*; quem flatum agnoſcit mirabilium actionum operatorem; & quicquid in humanis fit, eiuſdem medio fieri, & ſic ventos in nobis concitari, obſeratis communibus viis, per quas illis liber patebat aditus, vnde inferioribus occluſis, ſurſum ruere neceſſe eſt, à quo, humores ad caput feruntur, hinc fluxiones, quæ tum à ſubiectæ partis, tum ſublatæ materiæ nomine varias denominationes nanciſcuntur, &c.

Scio Neotericos non flatibus, ſed intemperiebus iecoris, ventriculi, & cerebri, eaſdem cauſas tribuere, atque ipſorum flatuum originem inde deducere; quibus cùm opinio hæc ad medendum parum apta ſit, etiam ineptum hîc reſpondere arbitramur. Præterea ſi Hermeticos conſulere velimus, non aliunde fluxionum cauſas, quàm à neſcio quibus ſpiritibus omnium functionum corporis humani parentibus, oriri comperiemus; ſiquidem ipſi non qualitatibus rerum actiones atque virtutes adſcribunt, ſed potius naturis quibuſdam ſubſtantialibus, quas ſpirituales, aſtrales, & omni ſaporum genere inſtructas eſſe dicunt. Quod dogma Platonicorum authoritate, maximè diuini illius Plotini, *Enneade ſecundâ, libro* 2. non ridiculum, quin potius maximum & percelebre cenſendum; ipſis enim actiones à viuentibus procedunt, nam motus dicunt à vitali quodam principio concitari, &c.

PETRVS POTERIVS ANDEGAVENSIS,

Centuriâ ſecundâ inſignium curationum.

P. 73. curat. 26. De Paralyſi cum grauiſſimis ſymptomatibus.

CYRVS Barbetta ex officio figulus annos triginta quinque natus in viâ del Pratello, à tribus menſibus paralyſin, dextrum latus obſidentem, contraxerat, cum acerrimis occipitis doloribus, vertebris ſuperioribus diſtortis, ob id collum adeò vehementer obriguerat, vt ligneum planè appareret, quæ concomitabantur vigiliæ infeſtiſſimæ, & crebri motus conuulſiui in ſcapulis, & dorſo, mœſtitia item, & apepſia. Traxerat originem iſte affectus à leui capitis dolore, cui vt ſuccurreret alter Medicus, ipſi multa incaſſum præſcripſerat remedia. Morbo ſic indies conualeſcente, in paralyſin, & prænominata ſymptomata incurrit. Quibus idem Medicus, vt mederetur, denuò multa planè trita admouet, purgatores potiones, capitales, & phlegmagogas minimè omittit, phlebotomias bis in brachiis repetit, nucha ſetone vexatur, podex ſanguiſugis afficitur, ſcapulæ cucurbitulis dilaniantur, brachia tandem cauſticis inuruntur, & in vanum omnia. Miſer ſuam ſalutem conclamatam exiſtimans, ad me tanquam ad extremum aſylum refugit. Primis diebus pilulas catholicas ter ipſi dedimus, ſequentibus diebus decoctum ſequens.

℞. Ligni ſaſſafras ℥. j.
Baccarum lauri ℥. j. ß.

Infundebantur in ℔. vj. vini albi per 24. horas, demum coquebantur ad medietatem, de colatura dabantur bis in die ſero & manè ℥. v. pro doſi.

Intra octo dies capitis dolor euanuit, & paralyſis cum omnibus ſymptomatibus obliterata fuit; agit nunc octauum annum a cura ſanus, &c.

Idem Centuriâ 1. curat. 43. pag. 88.

Sequens decoctum proponit in dolore capitis inſigni.

℞. Raſuræ ligni,
Viſci quercini, an. ℥. j.
Rad. Chinæ minutim concis.
Salſæ parillæ, an. ℥. j. ß.
Fol. betonicæ, cicerbitæ, cichorij, borraginis, acetoſæ, an. M. ß. ſem. pæoniæ, dauci, an. ʒ. j.

Parabatur decoctum in iuſculo carnis vitulinæ.

Idem pag. 90. curatione 45.

Franciſcus Pinettus annos 35. natus, Serici textor, in via Nozadellæ, paralyſi in brachio ſiniſtro à ſemeſtri detinebatur.

Potu ex pede bouino,
Fol. roris marini,
Saluiæ,
Menthæ,
Praſſij,
Calamenth.
Origan. an. M. ß.
Baccar. lauri,
Iuniperi, an. p. j.
Coquebantur in vino, & aqua.

Sumto etiam potu ex dulci ſale vitrioli & tartar. balſamo.

Ex his optimè conualuit.

Baricellus in Hortulo Geniali, pag. 216.

Ex India Carduum benedictum primum omnium ad Imperatorem Fridericum honoris gratiâ miſſum fuiſſe multi Hiſtorici autumant, quod miris laudibus, ob peculiares eius virtutes, planta hæc celebrabatur, & ob id à multis *Carduus Sanctus* dicitur. Hæc enim venena ſuperat, & confert tum vlceribus, tum vulneribus; eſt præſentaneum remedium ad peſtem, necat vermes, & vtero prodeſt, & in cibo & potu vſurpata, ab immenſo illo præſeruat capitis dolore, quem *Hemicraniam* vocant.

Idem, pag. 133.

Multo experimento Democritus Hemicraniam, *lapidis Gagatis* appoſitione ad collum, tolli comprobauit: Scribit enim huiuſmodi lapidem geſtatum ſemper magis ponderare, quàm antequam appendebatur. Quaſi in eo quædam attrahendi in ſeſe humorem, à quo dolor in parte cranij ſuſcitatur, proprietas reperiatur.

Hydromel antipodagricum Querc. cuius meminit D. Sponius, *in Conſilio de Arthritide* habetur, *pag.* 274.

℞. Hydromelit. ſ. ℔. vj.
Radic. enulæ campanæ in taleolas diſſectæ, mediocriter ſiccatæ ad ſolem. ℥. ij.
Radic. Filicis,
Acetoſæ, an. ℥. ij.

Ligni

Ligni roſarum, ℥.j. Chamædryos, chamæpityos, an. M.j. macerentur & digerantur omnia per 24. horas, ad lentum calorem. Poſtea coq. ad conſumptionem tertiæ partis, addendo ſub finem decoctionis Flor. verbaſci, primulæ veris, calendulæ, an. p. ij. colentur per manicam Hippocratis, aromatizentur tantillo cinamomi, aut coriandri præparati cum ſucco cydoniorum. Tranſcolentur aliquoties per eandem manicam, donec dilutiſſimum euadat, & lucidiſſimum. De quo capies ℥.ij. in principio: poſtea ſenſim augebis doſin.

EPISTOLA V.

PERIOCHE.

1. *Excuſat reſponſionis breuitatem, & prolixiores proximè pollicetur literas.* 2. *Rogat vt ſuum ſuper Hartmannianis medicamentis iudicium perſcribat: necnon vt ſi qua habeat medicamenta, quibus ſuas Inſtitutiones exornare queat, candidè communicet.*

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

SProlixiorem tuæ litteræ, *Vir clariſſime, Compater & Affinis honorande*, deſiderant reſponſionem, quam quæ iam à me vix domum reuerſo, & pluribus negotiis occupato, adornari poſſit. Habebis eam certò primâ occaſione. Interim nec hanc ſcribendi occaſionem negligere volui, quâ; quod reſtat, proximæ meæ epiſtolæ caput expedire, & de Hartmannianis tuum iudicium, vt & de Chymicis medicamentis, Inſtitutionibus inſerendis, perſcribere poteris. Mittam proximâ occaſione omnes Hartmanni *in Crollium prælectiones*. In primis verò hoc te oratum velim, vt ſi quid medicamentorum habes, quibus eas exornari poſſe putes, mecum liberaliter communices. Bene vale. Feſtino calamo, VVittebergæ, 22. Octobr. Anno 1619.

EPISTOLA VI.

PERIOCHE.

1. *Iudicium Doringij ſuper oleo fuliginis Hartmanni.* 2. *Huius olei facultatum examen.* 3. *Cenſura præparationis ſcammoneæ Hartmanni.* 4. *Huius præparationis doſis & effectus.* 5. *Laudat ad præſeruationem à podagra.* 6. *Iudicium ſuper Laudano Opiato Hartmanni.* 7. *Crocatum potius quàm opiatum nuncupandum videri.* 8. *Tractatum de Vnicornu promittit.* 9. *Negat abſentem ſe medicamenta locupletandis Inſtitutionibus Sennerti communicare poſſe.* 10. *Hartmanni in Crollium prælectiones reliquas videre geſtit.*

D. DANIELI SENNERTO, MICHAEL DORINGIVS, D.

SProlixius, reſponſum, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ad meas proximas te primâ occaſione miſſurum eſſe certò pollicitus es. Vtinam verò per alia negotia id adornare tibi liceret: Satis enim vberem haberes multa vtilia monendi materiam. Quòd autem meum vrges *de Hartmannianis* iudicium, Amori erga me tuo pluſculùm blanditus videris. Quis enim ego ſum, vt de tanti Chymici laboribus iudicare auſim? Abſit iſta à me audacia! Vt tamen aliquatenus tuæ petitioni morem gererem, *Triada* duntaxat remediorum hac vice præ manibus ſumere placuit. Inter ea igitur, quæ nuper miſiſti, Hartmanniana, *Oleum Fuliginis* primum locum occupat. Vbi miror, Hartmannum ab vna Fuligine liquori illi oleoſo nomen ſimplex impoſuiſſe, cùm non oleum Fuliginis ſimpliciter, ſed cum adiectione, compoſitum reuera dicendum videatur. Camphoratum odorem num poſt crebras rectificationes acquiſiturum ſit, nonnihil ſubdubito; qui noui, quàm pertinaciter, ſuccini oleo per retortam profecto, poſt numeroſiſſimas etiam rectificationes graueolentia inſideat. Mortis & ſanitatis *ἀνωμαλία*, quam ipſi tribuit, fide authoris nititur: ego quid de eâ aſſirmem, aut negem, haud video. In caduco, contracturâ, ſyncope, & lipothymiâ ſi quid poteſt, ſuccino procul dubio debet, lo cancro quin aliquid poſſit, non diffiteor. In eundem enim vſum ab aliis quoque authoribus Fuligo commendatur. Carbonibus & bubonibus peſtilentibus vtile futurum ex eodem fundamento non abſurdè forſan concluſero. *Scammonea*, quam docet, *præparatio* vera eſt; quam etſi olim Gieſſæ adhuc ab Hartmanni diſcipulis didiciſſem, neglecta tamen à me huc-vſque fuit, donec tu nuperum Hartmannianorum ſpecimen ad me mitteres. Quippe lotionem vnum ſcammoneæ ad modum præſcriptum præparaui; excepto ſaltem ſeminis aniſi & fœniculi oleo, pro quibus macis oleum, ventriculi cauſa, ſubſtituere malui, & manibus diligenter ſubegi. Rediit ad picis ſutoriæ conſiſtentiam, & tam, quàm iſta, ſine inquinatione tractabilis euaſit. Nunc poſtquam vltra menſem ſtetit, maſſa fluidior, & ad inquinandum paratior facta eſt; vt ægrè niſi puluiſculus aliquis aromaticus addatur, tractari poſſit. Pependit maſſa exactè drachmas quinque; vt idcircò drachma vna per præparationem ipſi acceſſerit. Feci huius remedij primum periculum in proprio corpore. Namque *ſcrupulum dimidiatum* in pilulas coactum horâ vnâ ante cœnam aſſumpſi; qui mihi poſt mediam demum noctem, duas quidem ſolùm, ſed profuſiſſimas & torminum omnium expertes, ſedes mouit. Dedi aliis *ad xvj.* aliis *xviij. grana*. Apud omnes ſatis feliciter operatione ſuâ perfunctum fuit. Propridiè cùm arthritidis recidiuam metuerem, ſcrupulum integrum ante cœnam ipſe, & coniux alterum, (quandoquidem euacuari petebat) boli formâ deglutiuimus. Maturiùs operabatur. Ego enim quaternas ante ſomnum, & totidem, pluréſve deiectiones a ſomno, ſatis copioſas, ſed planè ſeroſas, bona cum tolerantia (neque enim quicquam torminum iterum mihi excitauit) habui: vxor idem medicamentum maximè proficuum ſenſit, vt ſe eodem inpoſterum purgari petierit. Hanc euacuationem niſi maturè ſubſtituiſſem, à podagræ inſultu hoc pluuioſo & nebuloſo cælo vix immunis modò eſſem. Præbui his diebus fœminæ cuidam iuuenculæ annos 17. natæ, *ſcrupulum integrum*, de eodem; ſed ne tantillum commota inde fuit. Dedi igitur poſtera die ʒ.ß. quæ nec ipſa multùm mouit. Tam difficulter ſcilicet fœmina iſta à purgante expugnatur. *Laudanum Opiatum*, quod deſcribit, neſcio, an tam, vt titulus quidem ſpondet, ſacratum ſit? Primò enim Opij vſtulatio num probanda ſit, nonnihil dubito. Cauſam dubitationis, *in fine mei Acroamatis Medicophiloſophici de Opio*, in medium attuli. Quibus adde, quod ſcribit de Opij vſtulatione Galenus, *lib. 3. de comp. medic. ſec. loc. cap. 1.* ſub titulo, *Remedia Apollonij contra aurium dolores.*

Tincturæ extractio per acetum deſtillatum proba eſt, quam tamen è crudo Opio fieri potiùs velim. Deinde totam Laudani compoſitionem quod attinet, patet equidem, *Laudanum* rectiùs, vt ſic appellem, *Crocatum*, quàm Opiatum, nuncupandum eſſe: cùm, ſi quam habet vim narcoticam, vel, ſi ita malis, anodinam & hypnoticam, à Croco potiſſimùm, & cum quo Extractum fieri iuſſit Hartmannus, vini ſpiritu, ſortiatur. Quæ meæ diuinationes an alicuius momenti ſint? tu vide. Habes igitur iſtam, quam hac vice me expediturum recepi, Triada. Reliqua in aliud tempus, & maius otium differo. Nunc enim *Poliœnium* iterum præ manibus habeo; cui colophonem ante Natalitiorum feſtum libenter imponerem, vt de *Vnicornu* tractatum ſemi adhuc perfectum ad vmbilicum tandem deducerem, in quo perfectiùs elaborando, ſi me *Baccij* de eodem argumento tractatu, ſiue ex tua, ſiue alienâ Bibliothecâ, iuuare poſſes, rem equidem mihi gratiſſimam faceres. Ego quidem etiam, ſi præſens eſſem, iteratam tuarum Inſtitutionum editionem, medicamentorum communicatione, haud ineptè fortaſſis, exornare poſſem; abſens non poſſum. Vt enim vel ipſe neceſſaria in tanta temporis penuria tranſcribam, aut ipſos Codices opportunè tranſmittam, non video: præſertim cùm eas iam ſub prælo vltra menſem calere, è proximis tuis intellexerim. Reliquas *Hartmanni in Crollium prælectiones* lubens viderem. Bene cum tuis vale, à nobis ſalue, & reſponſum ad proximas meas maturare haud intermitte. Breſlæ, die 3. Octobr. Anno 1619.

Indicium de Hartmanniana oleo fuliginis Hartmanni.

Facultatum examen.

Cenſura ſuper ſcammonea Hartmanni præparatione.

Doſis & effectus.

Præſeruatio à podagra.

Examen Laudani Opiati Hartmanni.

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

PERIOCHE.

1. *Quot & qualibus laboribus distineatur Sennertus.* 2. *Affectio hypochondriaca cur tam varia symptomata pariat.* 3. *Scorbutus frequentior quàm multi credunt.* 4. *Appetitui quatenus indulgere liceat.* 5. *Cibi cum nausea sumti chylum non adeò bona nata pariunt.* 6. *Vini denegatia in assuetis, coctioni ventriculi officit.* 7. *Qualia vina sint arthriticis noxia.* 8. *In delectu vinorum, consuetudinis utentium vel maximè habenda ratio.* 9. *Tartari vox apud Chymicos aequivoca.* 10. *Sal vini aduersus podagram utile est.* 11. *Quid verè sit Tartarum.* 12. *Verè ac propriè dicti Tartari minus est Vinis Rhenanis quàm Vngaricis.* 13. *Vina Gornbergensia arthriticis salubria; verùm Ketschbergensia insalubria.* 14. *In Moravia etiam abstemij arthritide affliguntur, & cur id fiat.* 15. *Processum gallinæ aureæ VVendleri non successisse.* 16. *Iudicium super pulvere podagrica, epistolâ praecedenti descripta.* 17. *Medicamenta ex tartaro contra arthritidem optima.* 18. *D. Amelungi iactantia super liquore quodam suo antipodagrica.* 19. *Topica quaedam ad arthritidem commendata.* 20. *Hydrops fortiora requirit remedia, quàm quæ vulgò usurpantur.* 21. *Hydropica curata Mercurii vita.* 22. *Vina potentia an omnibus hydropicis commoda.* 23. *Iudicium de morbo Doringij, priore epistolâ descripto.* 24. *Iudicium de Hartmanno.* 25. *De quibusdam ad suas medicinæ Institutiones pertinentibus Doringium consulit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SPromisi equidem nuper, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, prolixum responsum; mitto tamen nunc quale possum. Animus quidem sæpè multa ad te scribendi est promptissimus: sed facultatem alia, quæ obueniunt, eripiunt. Vt dies diem, ita labor laborem trudit; & suus cuique diei, ac horæ ferè labor est destinatus.

Qualibus laboribus distineatur Sennertus.

Et nescio quo fato, præ multis aliis, (vt mihi quidem videtur) negotiosum ac laboriosum vitæ genus mihi obtigerit. Matutinas horas meditationi Lectionis post meridiem habendæ tribuo; nec illas tamen omnes possum, sed à plurimis sæpissimè interpellor: tum ægri ipsi visitandi sunt, quod vnam atque alteram horam postulat. Prandeo. Iterum ægri visitandi, habenda lectio. Exemplar Institutionum reuidendum, corrigendum, augendum. Noui exemplaris correcturæ bis de die vacandum. Postulant & tempus aliquod, imò sæpè multum temporis, negotia Academica, aliquod amici sibi dari volunt. Requirit itidem aliquid rei familiaris cura. Plus postulat liberorum educatio, quàm dare possum. Sed nondum finis. Accedunt studiosi: Illi collegium Chymicum, hi Disputatorium, alij cursum Practicum expetunt. Et omnibus aliquid gratificandum. Sed quò delabor, tempúsque de cuius penuriâ conqueror, his querelis tribuo? Nec tamen recensui omnia.

Affectio hypochondriaca cur tam varia symptomata pariat.

Sed ad tuam Epistolam, ac primò Morbum tuum quod attinet, *Hypochondriaca affectio*, à loco, vt scis, dicta plurima mala sub se complectitur. Nam humor, qui eò loci circa lienem, ac venas mesaraicas colligitur, nec eandem semper sortitus est originem, nec eundem corruptionis terminum attingit. Hinc morbi, & symptomata varia, Quartana, Melancholia, scorbutus, arthritis, flatus, ructus, &c. Humores autem, qui in tuo corpore colliguntur, quales iam sint, & quos morbos ac symptomata inducere apti nati, ipse facilè iudicare poteris.

Scorbutus frequentior, quàm multi credunt.

Scorbutum vestris satis familiarem esse, facilè credo; qui satis sciam, & nostris hominibus non esse rarum, etsi multi id non credant. In victus ratione ineunda, vt appetitui, quem aliquomodo languere animaduerto, indulgeas nonnihil, ex consilio *Hippocratis 2. aphor. 38.* non dissuadeo, ita tamen

Quorsque appetitui indulgendum?

procul dubio hoc facies, vt cibi gratioris, paulo vero deterioris, non plus assumas, quàm Natura vincere, & in Chylum, quam fieri potest, optimum, conuertere possit. Nec suadeo, vt cibos sua natura salubres, cum nausea assumas. Ex iis enim non melioris notæ chylum, quam ex paulò deterioribus, palato tamen gratioribus, generari non nego. In licentiosa tamen ista victus ratione nemus, vbi vuls, peccat Medicus, quàm alius artis Medicæ imperitus.

Qualem chylum cibi cum nausea sumpti pariant.

Atque huc omnino pertinet vini vsus. *Assuetis enim qui Vinum planè interdicit, vt cruditates in ventriculo colligantur, author est*, quæ forsan plus Arthritidem augere poterunt, quàm moderatus vini vsus; cùm *errata coctionis primæ non corrigantur in secunda.*

Denegatio vini in assuetis quæ mala afferat? Cur?

Quod tamen Vinum cuiuis bonum, & eligendum sit in genere vix definiri posse puto. Etsi enim vina quædam sint, quæ nulli Arthritico tutò concedi possunt, qualia sunt *Moravica, Vngarica pleraque, & ex Austriacis non pauca*: tamen & in iis, quæ concedi solent, delectu omnino opus esse existimo.

Quæ vina Arthriticis noxia?

Qui enim fortioribus vinis assueti sunt, iis si *Neccarina, & Rocaana* debiliora offeras, facile in ventriculo ea acescunt, & parum ægro conueniunt. Et *quantum consuetudo in hac re possit*, satis Moscouitæ monstrant, qui ex vino & frugibus spiritum sine damno copiosè potant; quod alias non assuetus sine periculo imitari non potest.

Fortioribus assueti cur debiliora non ferent? Quanta sit vis consuetudinis.

Quod verò tartarum attinet, cuius plus in vino Rhenano, minus in Vngaricis reperiri, nonnullos affirmare audio; ego quidem hoc examen nondum institui. Verum sit ita, & habeat plus tartari vinum Rhenanum, minus Vngaricum tamen non hoc ideò potius quam illud Arthriticis concedendum est. Et latet hic æquiuocatio in voce tartari, de quâ alias etiam Chymici sibi parum constant, nec *quid Tartarum* sit, satis explicant. Si enim per *Tartarum sal vini* saltem intelligatur, siue plus, siue minus eius Rhenanum, quàm Vngaricum habeat; id nihil ad generationem Podagræ, facere existimo, vtpote, quo contra Podagram & Arthritidem hodie frequentissimè vtuntur Chymici. Si verò omne illud *excrementitium*, & Hippocratis ἀπόπατος per Tartarum intelligatur, eius nimirum *plus in Vngaricis, & Moravicis, quam in Rhenanis* inesse puto. Neque id saltem illud est, quod cum sale superfluo, corpulento, & nondum volatilitatem ac spirituositatem adepto, aliisque fecibus terrestribus, doliorum lateribus adhæret, sed vino quoque per minima permistum est; atque hinc nec in prima, nec in secunda coctione facilè separatur, sed in venas penetrat, & vltimò tanquam inutile, ad articulos propellitur. Atque hæc tartarea, seu lapidescens, aut quomodocunque appellare libeat, materia, cuius *plus in vino Vngarico & Moravico, quàm Rhenano* continetur, non est propriè sal Vini, sed illud, quod argillosum, lutosum, calcarium, vel alterius mineralis naturæ, (*mergel, kalch*, &c.) à vite è terra eiusmodi attractum est. Eius rei documentum exhibent cùm alia passim, tum nostra *Iessensia seu Gornbergensia, & Dresdensia, seu Ketschbergensia* Vina. *Gornbergensia* enim, quia in pura ferè arena crescunt, satis salubria sunt, nec novi vllum eius oppidi ciuem, (quamvis satis liberaliter illud Vinum potent) Arthritidi obnoxium esse. Contrà *Ketschbergensia*, etsi potentiora, & palato gratiora, quæ non procul à Dresda in montibus altioribus, & saxosis crescunt, nemo Arthritidi obnoxius sine damno potat: imò qui Arthritidi nunquam obnoxius fuit, facilè eorum potu illam sibi conciliabit. Itaque *Iessensia nostra Rhenanis; Dresdensia, Vngaricis, & Moravicis* comparo. Et nactæ audiui eos, qui Iglauiæ in Moravia medicinam fecerunt, quòd eò loci non solùm vinum Arthritidem generet, sed quòd & qui à vino planè abstinent, æquè Calculo, Arthritide, Nephritide laborant; cùm causa talium morborum, *etiam in hordeo, tritico, aliisque frumentis, imò & aqua* lateat.

Vox Tartari æquiuoca.

Sal vini aduersus podagram vtile.

Quid verè Tartarum sit?

Tale minus in vinis Rhenanis.

Vina Gornbergensia arthriticis salubria.

Ketschbergensia insalubria.

Cur in Moravia etiam à vino abstinentes arthritide affligantur?

Quid de *Gallina philosophica VVendleri* sentiendum sit, hæreo; & optarim, me eius in *Præfatione mea* non fecisse mentionem. Feci nuper eius rei periculum, & Sole in Cancro versante, integro mense, folia argenti saginæ admiscui; sed nihil peculiare in Gallinâ reperi: Ideóque nuper *D. Grafio* ex Italia reduci hoc negotium dedi, vt *D. VVendlerum* eo nomine alloqueretur; quod & fecit, & ad me rescripsit, fassum esse *D. VVendlerum*, se iterum eandem rem tentasse, nec tamen idem deprehendisse. Si *D. Machfredus* peculiare aliquid in illo *tractatu de Pestilentia* habet, legendum mittere poteris. *Puluis podagricus* videtur habere eandem intentionem, quam ille *Donzellinus in Consiliis Cratonis, Consil. 184. & 229.* Item ille *Consil. 216.* nimirum aperiendi, abstergendi, & serosos humores absumendi. An tamen tuo corpori ex asse vtilis sit futurus, & ipse dubito. Si tamen puluis radic. cichorij; & spec. diarrhod. Abbatis, adderentur tutiorem fore putarem. Arthriticos, quod & nuper fassus sum, multos præ manibus non habui. Ex eorum tamen, qui in hoc morbo curando, peritiam aliquam iactitant, sermonibus accepi, vix inter interna medicamenta esse vtiliora, quàm quæ ex tartaro parantur, inprimis *spiritum*; sed non illum fœtidum, verùm ex *crystallis* eius, qui non magno negotio parantur, destillatum. *D. Amelungus*, qui iam Lipsiæ viuit, & *tantùm non miracula pollicetur*, nuper

Processus Gallinæ aureæ non successit.

Ipsemet VVendlero fatente.

Iudicium super pulvere Epistolâ præcedente descripto.

Contra arthritidem medicamenta ex tartaro optima.

nuper nobili, quidam in viciniâ 80. guttas liquoris cuiusdam pro duabus dosibus, in aqua cichorij sumendas, vendiderat, & sanctè affirmauerat, post eius vsum illum perpetuò ab arthritide immunem futurum. Aspexi liquorem, olfeci, gustaui, vix aliud esse deprehendere potui, quam *mixturam illam è spiritu tartari vitriolati, & aqua theriacali*, aut certè spiritum aliquem ex tartaro: acidiusculus enim erat minus tamen, quàm spiritus vitrioli, vel salis. Extrà verò summopere commendatur *sal vrina volatilis* in spiritu vini dissolutus, & extra loco dolenti, applicatus.

D. Amelungi iudicatu.

Topica in arthritide.

Commendatur etiam sulphur vitrioli, modúsque eius parandi à quodam mihi nuper communicatus est, faciam eius periculum; si successerit, & tibi commune erit. Commendauit etiam quidam *spiritum calcis vina* dulcem. Modum intra paucos dies me accepturum spero: nec eum te celabo.

Hydropicos quod attinet, communibus & vsitatis medicamentis oleum & operam perdi, ipse quoque expertus sum. Fortioribus ergo opus est: modò viscera sint adhuc salua. *In enim valde debilitatis, neutra quicquam proficiunt.* Medicamenta è Chalybe multùm pollunt, & sors, his *Platerum* sæpè feliciter vsum. Ego ante biennium filiam *D. Reusneri* hydrope satis periculosè decumbentem cum *D. VVanckelio* curaui Mercurio vitæ. Monebat me de eo tum D. VVanckelius, qui eo tempore hic forte aderat. Atque habebat ipse eum tum ad manum, & vt referebat, ex mercurio antimonij paratum, quem per integrum annum igne continuo inurat, vt fixior nonnihil redderetur. Dabamus gr. v. & ferè singulis diebus, per 14. dies. Idem VVanckelius omnibus suis *hydropicis vina potentissima* concedit, eósque a reliquo fere potu omni arcet. Quod an in omnibus locum habere possit? tuam sententiam audire cupio.

Hydrops fortiora requirit remedia.

Mercurius vitæ quid præstiterit?

An vina potentissima omnibus commoda?

Legi etiam morbi tui historiam, in quem proculdubio ex vitiosis humoribus in hypochondriis, non sine ventriculi culpâ, collectis incidisti. Siue medicamento illo leniter purgante agitata, siue sponte materia mota, ad renes antea debiles, viam affectauit, ea proculdubio in diuturniorem aliquem morbum se conuertisset, nisi naturæ robore expulsa fuisset. Curabis ergo posthac, etiam me non monente, vt ventriculus suum officium faciat, ne eiusmodi vitiosi humores cumulentur.

Iudicium de morbo Doringij priore Epistolâ descripto.

Sed ad posteriores tuas litteras properandum est, *iudicium tuum de Hartmanniano mihi gratissimum fuit*, & velim, vt illud contineas. Neque ille tantus mihi Chymicus est, vt te (ne tibi blandior) eius arcana nō assequi putem. Vereor potius, ne *in suis arcanis inueniendis commendandis sæpè nimius* fuerit. Sed & de hoc tuum expeto iudicium. Mitto nunc integrum eius in *Crollium commentarium*, è quo nuper excerpsi. Perleges eum, & si quæ placent, vel etiam integrum, si libet, describi curabis. & ad me quamprimum remittes. Vt *Pollianem*, quem feliciter absoluas, opto. *Baccij de Vnicornu*, tractatum nunquam vidi.

Vide Epistolam præcedentem.

Iudicium de Hartmanno.

Quin etiam absens quorundam medicamentorum communicatione meas Institutiones exornare possis, non dubito, & vt facias, oro. Notes saltem medicamenta describenda in tuis Codicibus, & alicui meo sumtu transcribenda tradas. Ego facilè videro, vbi inserenda sint: & satis adhuc temporis superest. Si ad Bacchanalia accepero, bene est: ante nundinas Paschales Lipsenses non absoluentur. Et pertinent hæc omnia ad finem. Vellim etiam ad nuperum quæsitum respondeas, *an aliqua medicamenta Chymica vtiliora transscribere, an verò loca saltem indigitare debeam?* Chirurgiam commodè post p. 860. vbi hiatus est, inseri posse, imò debere, puto. Neque ea ampla est. Manuscriptum 18. quaterniones complectitur, & omnino post medicamentorum materiam subijcienda videtur, nihilque continet nisi operationes purè Chirurgicas ad pauca capita, *συνθεσιν*, scilicet *διαιρεσιν, ἀφαίρεσιν, ἐξαίρεσιν*, reductas, &c. Tandem praxis hisce diebus mihi in memoriam reuocauit quæstionem, in qua diu iam hæsi: *Qui scilicet fiat, quòd infante morituro, ac non solum matres, sed & nutrices, deficiat?* Vnde fœminæ, nec vti mihi videtur, malè inter lethalia signa habent, si lac subitò matrem, vel nutricem, infante malè habente, deficiat. Ego causam probabilem nullam reperio, tu si habes communica. Sed nolim ad meliorem recurras, quem scio, aliquoties in nutricibus fuisse nullum. Cæterùm bene vale cum tuâ, quam saluere cum meis iubeo. VVittebergæ, 22. Nouembr. Anno 1619.

Quæstio.

Appendix ad Epistol. vij.

Pulueres tres podagrici Donzellini habentur in *Consilijs à Scholtzio collectis*. 1. *Consilio* 184. *p.* 545.

℞. *Chamædryos, chamæpityos, centaurij minoris, aristol. saluia, betonica*, an. ℥.i. *ligni guaiaci optimi. & maturi, & nigri*, ℥.viij. Singula seorsim contundantur in tenuissimum puluerem, & diligenter misceantur. Hoc vno remedio perfectissimè curatur podagra, nisi quis in viuendi ratione per omnia velit Sardanapalum imitari. 2. *Consilio* 229. *p.* 675.

℞. *Chamædryos, chamæpyt. centaurij mai. minor. saluia, betonica, gentiana, aristoloch. rot. guaiaci optimi*, duplum omnium reliquorum pondus, an. ℥.j. M.F. ex omnibus subtilissimus puluis, sumitur per multos menses, in aqua mellis aut sacchari. 3. *Consilio* 216. *p.* 613.

℞. *Aristolochia* ℥.j. *centaurij* ʒ.iij. *gentiana, mor.* ʒ.v. *hyperici* ʒ.vj. *petroselin. Macedon.* ℥.ß. *agarici albissimi*, ʒ.ij. *rhapontici, veri, vel* ℥.ß. *rhabarbari al.* si Rhaponticum non habetur. ʒ.i. Ex his omnibus F. Puluis cum summa diligentia. Hoc remedium, vt dixi, est veterum Medicorum, & à multis, vbi alia remedia non contulerunt, expertum.

EPISTOLA VIII.

PERIOCHE.

1. *Quæ res Doringio otium ad scribendum præripiant.* 2. *Praxeos medica molestia.* 3. *Quibus in capitibus superioribus literis contentis; inter Doringium ac Sennertum conueniat.* 4. *Discrepantia inter ipsos circa Tartarum, nonnisi verbalis ostenditur.* 5. *Salsa calculosis inimica.* 6. *Arthritis qui differat à calculo.* 7. *Similia à similibus sæpe restitui.* 8 *Cur vi a natalibus differentia, alia aliis sint salubriora.* 9. *VVendleri gallina mirea, fumus.* 10. *De quorundam arcanis quid sentiendum.* 11. *Nouus modus parandi flores benzoini, eorum dosis, quid reuerà sint: & de aliorum floribus quid statuendum.* 12. *De correctione Sennertiana pulueris antipodagrici, iudicium Doringij.* 13. *Succus marrubij ad podagram vtilis.* 14. *Sulfur metallorum Poterij.* 15. *Chalybeata medicam. in hydrope quid præstent.* 16. *Elaterij præstantia in curanda hydrope.* 17. *Cautela in vsu Mercurij vita obseruanda.* 18. *Mercurius vita num per spiritum vitrioli benignior reddi possit?* 19. *Abstinentia à potu hydropicis summè vtilis.* 20. *Vinum de Candia quibus hydropicis sit commodum.* 21. *Halecum vsus in hydrope salubris.* 22. *De sulfure vitrioli.* 23. *Aquarum narcoticarum laus.* 24. *Spiritus calcis vina facultates.* 25. *An ad nephritidis prophylaxin vena pedales legitimè secentur?* 26. *Quos labores præ manibus tunc habuerit Doringius.* 27. *Hartmanni nimius sua commendandi astus.* 28. *Sennerto consulit, medicamenta Chymica suis in Institut. potiùs vt transcribat, quàm vt simpliciter alleget.* 29. *De lactis defectus causis, imminente infantis obitu.* 30. *An hiatus ani, sit certum mortis signum.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Sfacilè credo, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, te sæpenumero multa ad me scribere velle, sed facultatem atque otium alia negotia eripere. Ipse enim ego idem conqueri necesse haben. Nam est nec Lectioni vlli studendum, nec Studiosis gratificandum, nec publicis negotijs vacandum, nec liberorum educationi incumbendum, nec aliis rebus, quæ tibi fortassis insuper expediendæ sunt, inuigilandum sit, omne tamen ferè tempus etiam non aduertenti mihi præterfluit, vt nonnisi paucissimum seris aliquibus meditationibus tribuere possim. Praxis tametsi non adeo sit copiosa; (neque enim ipsam facilè optârim) molestissima tamen est, non ob vrbis duntaxat amplitudinem, sed ægrotantium, etiā siue morositatem, siue importunitatem, quam „ nobis *nonnullorum Medicorum nimia & pudenda facilitas,* „ *ac non necessaria* (quam sibi quidem isti imaginantur) *dili-* „ *gentia, in ipsis visitandis*, peperit. Partem etiam, & sæpe satis magnam, *Amici* sibi vendicant, qui sanè aliquando *vt temporis, sic somni suis fures*, rectè dici merentur. Partem quoque valetudinis propriæ, (quam mihi nosti maximè esse fluxam & dubiam) cura postulat, quæ lucubrationes ac meditationes diuturniores ægrè concedit. Taceo alia. Ita nimirum vides, *mi Sennerte*, nec mihi forsan deesse, quæ agam; quantumvis nihil propè agere videar. Turbæ quin etiam Bohemiæ, & nobis à Polonis impendentia pericula, ita me turbant, vt ferè omnium meditationum satietas me ceperit. Hypochondriacam & scorbuticam affectionem (contra quam aquam excogitaui destillatam, propter magnam, quam ex eius vsu perceperunt ægrotantes, vtilitatem ab aliis etiam Medicis vsurpatam, & sub meo nomine apud *Lauream nostrum* venalem) arthriticorum victus rationem aliquantò licentiosorem, & vini apud eosdem vsum, atque delectum quod attinet, video de istis optimè nobis inter nos conuenire. Discursus tuus de causa, propter quam arthriticis alia vina aliis salubriora existant, placet; vtpote qui à meo illo non re, sed verbis solummodò videtur diuersus. Nam quod ego *Tartarum spirituosum* appellaui, id tu excrementitium illud, vino per minima permistum, atque hinc neque in prima, neque in secunda coctione facilè separabile, è terra cum reliquo alimentario succo à vite attractum, terræ illius indolem redolens, nominare maluisti. Sanè quid hoc sit aliud, præter spirituosum tartarum, siue, vt aliis verbis sim eloquar,

Praxeos molestia.

In quibus nulla inter nos dissensio.

Circa tartarum discrepantia saltem verbalis.

Digitized by Google

quar, salem illum vini tam volatilem & armoniacum, (quemadmodum à Spagyricis quibusdam dicitur) terræ, in qua vnumquodque vinum prouenit, conditionem retinentem, quam fixum, ego haud video. Neque tartari nomine illud feculentum saltem doliorum lateribus adhærescens intellectum volui, vt ex litteris illis colligere poteris. *Illum ipsum vini salem partim volatilem, partim fixum, cum vino haustum nihil ad Podagræ generationem facere, ego haud dixerim*; qui noui, quantopere arthritici propterea lædentur. Salsa quam impense calculosis sint infensa, & ad calculi generationem plurimum conducant, ipse nosti. *Differre arthritidem à calculosa affectione loco fermè tantum*, multi sunt, qui profiteantur. Neque obstat, quam adduxisti, ratio, quòd videlicet sale vini contra arthritidem Chymici hodie frequentissimè vtantur. *Ab eadem enim Scorpio, qui ictum inflixit malo subsecuturo præsentaneum affertur remedium.* Ambusta igni admota, refrigerata in frigore detenta, citius restituuntur, quam si contrariis protinus tractentur. Sales calculos potenter tercre in confesso est. Quis ergo miretur, in sale vini contra arthritidem quæri iuuamen? Nota est illa Spagyricorum regula: *Quæ resoluta coagulant, eadem coagulata resoluunt*, vt patet in vitrioli, sulphuris, & salis spiritu.

Salsa calculosis inimica.
Quatenus arthritis à calculo differat.
Similia à similibus sæpe restituuntur.

Arthriticis vina natalibus differentia, alia aliis esse vtiliora, vltrò largior. Causam tamen, cur alia plus noceant, vini sali, siue tartaro, adscribendam opinor. Etsi enim e terra vitis illud suxerit, vino tamen in hoc vel illo loco nato proprium fecit; perinde ac fruges, quod attrahunt, sibi assimilant. Aëris igitur, aquarum, & locorum, in quibus viuitur, naturam diligenter Medico cognoscendam esse, peculiari scripto non immeritò monuit *Hippocrates*. Atque hæc non temerè contradicendi, sed veritatem solùm penitius inquirendi animo, scribere placuit. Tu de singulis diligentiùs cogita, & ista in meliorem partem interpretare. *VVendelinus* de Gallina sua Philosophica in *prognostico Astrologico-medico super annum iustinianum*, 1620. paulò aliter scripsit. Fortassis & ipsum scriptionis prætextæ pœnituit. Ita vides, quàm sæpe ij, *qui sua arcana vix vnquam elaborata magnis laudibus extollunt*, hallucinentur, & impingant, id quod vel Chymicis vsitatissimum esse, quotidie experimur. Nolo multa exempla accersere. Sufficiant enim pro tempore *Benzoini flores*, quos cùm ad omnes Pulmonum morbos scrupuli dimidij pondere commendauit *Beguinus*, & post hunc *Glückradius*, seritémque *Schwenckfeldius Silesiorum* eosdem in vsu esse; pro quodam magnæ existimationis ægroto, videlicet phthisico, ipsemet his diebus domi meæ eos ex optimo Benzoino præparaui, more florum sulphuris, sed *addendo salis*, & Colchotaris loco, *masculam terra sigillata, proportione tripla ad simplam*. Prodierunt flores niuei, elegantes; qui in alembico peperderunt; reliqui cucurbitæ collo adhærescentes impuriores erant, & coloris cineris. Vtrique tam excellenti odore, atque acri sapore pollent, vt *vltra duo grana* dosin vix extendere liceat. Ex quo colligo, vel deterioris conditionis fuisse Benzoinum, ex quo illi flores suos præparatunt; vel neutrum eos vnquam præparauisse, sed formulam ex aliis transcripsisse; aut, si fortassis præparauerint quidem, in vsum tamen nunquam vocauisse. Quid iis præstiturus sim, videbo. Existimo autem eos nihil esse aliud, quàm salem illius lachrymæ volatilem. Tibi num de ipsorum efficaciâ aliquid constet, proximè significa.

Cur vina natalibus differentia alia aliis sint salubriora.
VVendelini gallina aurea fumus.
Quid de quorundam arcanis sentiendum?
Modus parandi flores Benzoini.
Dosis.
Quid de aliorum floribus statuendum?
Quid flores isti reuera sint.

Puluis antipodagricus nuper descriptus etiamsi puluer. radic. cichorij, & spec. diarrhod. abbat. additione, corrigeretur; mihi tamen nihilo conducibilior redderetur. Nam, vt proximè scripsi, cichorium meus ventriculus non fert, æquè ac rosas; quas ferè à sinistro illo vsus Mercurij dulcis successu auersari cœpi. Solenander, si rectè memini, *in quodam Consilio*, (verùm ex aliorum sententiâ) *Marrubij succum laudat*; qui meo corpori forsan melius, quàm puluis ille, conueniret. *Tartari spiritus à crystallo paratus*, vel & *mistura illa à spiritu tartari vitriolati, & aqua theriacali*, iisdem scopis, minori nauseâ fortè inseruiunt; sed ad manus non sunt. Ecquid verò de *cucurbitularum partiarum applicatione* sentis? de qua ne verbum vnicum addidisti. Ecquid etiam esse putas *sulphur metallorum*, contra hydropem à Poterio commendatum? de quo etiam alterum apud se silentium. Nunquid fortè sit *sulphur antimonij* communiter dictum? Appellatur enim, & aliud ex eo paratum remedium *crocus metallorum*. De *Paracelsi diatrabeus & emplastro interrogatio* etiam est nihil.

De correctione pulueris antipodagrici, quid sentiat auctor.
Quid de succo marrubij.
Quid de tartari spiritu & mistura triplici.
Quid sulphur metallorum Poterij?

Hydropicis *medicamenta à Chalybe confecta*, egregiè prodesse, cum aliis scribis. Nimirum, aperiendi, & viscera corroborandi, vi pollent. Sed istis solis tota non absoluitur curatio. Exhauriendæ enim quæ in abdomine continentur, aquæ; id quod nullo alio remedio felicius obtineri censet Heurnius in *sua methodo generali*, quàm elaterio: quippe quod aquas etiam in abdominis cauitatem illapsas probè educat. Hoc eo modo, quo Diagridium præparatum, nuper hydropico propinassem, nisi postulla remedia, (de quibus, si ita placuerit, proximè) & ventre, & crura detumuissent. *Viscerum robur* aliquid adhuc superesse requiris si medicamentis siue communibus, siue fortioribus, quicquam profici debeat, facilè concesserim. Quis enim viscera planè læsa corrigat? *Mercurio vita*, apud delicatas personas, ego non facilè vti velim, qui non semel ipsius violentiam obseruaui. Accedit, quod ab eius repetito vsu frequentiore qui procidentiam incurabilem excitari scripserit *auctor Basilica antimonij*. Vester ille ex Mercurio antimonij paratus, & per integrum annum in igne continuo seruatus, quòd tam fuit proficuus, & innoxius, vobis ex animo gratulor. Sed quotus quisque talem possidet? Nam vt de Mercurio ex antimonio eliciendo (cuius varij & operosi habentur modi) nihil scribam: quis ignem haud interruptum, toto anno facilè alat? Cogitaui quidem aliquoties, *num iste Mercurius, per vitrioli spiritum benignior ac mitior reddi posset?* Sed statim incidit in memoriam sublimatus, & ne ille per istam spetatam correctionem, istius naturam induceret, subuerius sum. Etenim è dissoluto per aquam calidam *Mercurio sublimato*, produci *vitrioli spiritum*, vel nominant, *philosophicum*, vna propè omnium Spagyricorum vox est. *Dosis*, quam exhibuistis, satis item magna fuit; quàm ego robustissimo cuique vix dare velim: sed hinc liquet illius clementia. In *Potus abstinentiâ* eximium hydropicis positum esse præsidium, quis neget? Exempla habentur, nisi me fallit memoria, neque enim loca iam excutere potui, propter summam festinationem) in *Obseruationibus Schenckij, Dodonæi, commentariis Heurnij super aphorismos Hippocratis*, &c. *Vina potentissima*, quæ *Dn. VVanckelium* omnibus suis hydropicis concedere scribis, an in omnibus locum habere possint, quæris. Si *vinum de Candiâ* eligatur, (quod singulari facultate non ventriculo saltem, sed & hepati languidiori, eximiè conferre constat,) idque parcè sumatur, cur id hydropicis planè denegem, præsertim si febris absit, non inuenio. Concessi id hactenus meo etiam hydropico, qui paulatim conualescit.

Medicamenta Chalybeatâ quatenus in hydrope prosint.
Elaterij præstantia in hydrope.
Viscerum robur in curatione hydropis requiratur.
Cautela in vsu Mercurij vitæ obseruanda.
Mercurium vitæ num per vitrioli spiritum benigniorem reddi possit?
Doses exhibitus.
Abstinentia à potu hydropicis vtilissima.
Vina potentissima num omnibus hydropicis commoda?
Vini de Candia facultates.

Referam de *Halecis vsu* historiam, quam hîc accidisse accepi. *Camerarius Iurisperitus*, ex hydrope periculosissimè decumbens, petiit à *Packischio*, tum Medico suo, vt Halecis vsum sibi indulgeret. Annuit Packischius, sed hac lege, ne intra duarum horarum spatium quicquam poculenti super assumeret, & integrum Halecem, si posset, absumeret. Ægrotus paret. Quid fit? Æger tandem ad vrinæ emissionem, stimulatus tam largiter ipsam profudit, vt per horæ ferè quadrantem nulla mictionis quies interueniret, ipsumque abdomen sensibiliter magis magisque subsidere, deprehenderetur. Hanc historiam à *D. Gregorio Franco*, semel atque iterum recitari audiui. *D. Bucretius* etiam solorum halecum continuato per aliquot dies & septimanas vsu potusque parcitate imperata, tres hydropicos se restituisse fassus est.

Halecum vsus in hydrope quantus?

De *sulphure vitrioli*, multi multa scribunt, & gloriantur, qui autem verum describat, vel ostendat, necdum video vllum. Kernerus *in sua Tetrade Chymiatrica* cuiusdam modi, sibi tum recèns communicati, meminit: sed cuius nondum aliquod periculum fecerit. Tu tuum si successerit, communem mihi futurum promittis. Verùm verò & effectus, qui vulgò sulphuri isti adscribuntur, respondeant? Experiar, si eò potitus fuero, ipsius vires, & de iis Te certiorem, quam primùm faciam. Interim istud hoc in loco dissimulare nequeo, me *aquas à Narcoticis destillatas* pluris facere, quàm vlla ferè alia siue Philonia, siue Laudana, &c. Ansam, vt hoc faciam, præbuit *Bucretius*, qui *aquam* quandam, vti vocat, *Nepenthes*, parari iussit in officina; cuius cùm penes ipsum curæ cuidam vacans effectus salutares viderem, vrgente necessitate non apud alios duntaxat ægrotos, sed & in nuperâ meo decubitu ipsus pro inducendo somno paucarum guttarum dosi, cùm tota corpus vsum ipsius reperij, tum foris naribus & temporibus illeui. Etsi autem ipsius genuina descriptio me adhuc dum lateat, operam tamen daturus sum, vt à Pharmacopola ipsam extorquere valeam. Hæc causa fuit, vt his ipsis diebus, in *Notis ad Pollionis mei titulum, de somni conciliatione*, paulò prolixiùs de his aquis disseruerim, & formulas vtiliores ex auctoribus hinc inde collectas plures recensuerim.

Sulphur vitrioli.
Aqua Nepenthes Bucretij commendatio.

Spiritum calcis viuæ, tartaro resoluendo & dissipando idoneum esse, adeoque arthriticis doloribus mederi posse, non diffido. *Dulcedo ipsius*, quæ iactatus, vereor, ne eiusdem fortè sit conditionis, cuius *menstrua illa non corrosiua*, per quæ nonnulli suum potabile aurum parari clamant. Vt vt sit, ἐγχείρησις omnia monstrabit. Tu interea amicè ignoscas, quod de re ignotâ meam hîc nihilominus censuram interponere, etiam non rogatus, ausus fui.

Spiritus calcis viuæ.

Diuturniorem aliquem morbum mihi sustinendum fuisse, nisi Natura materiæ peccantis colluuiem suo sudore expulisset, omninò tecum sentio. Sed hîc ex te scire aueo; cùm nuper scripserim, *ad præcauendam renum inflammationem, venam mihi in vtroque pede* successu satis laudabili *sectam* fuisse, non præmissâ venæ alicuius superioris sectione: numquid censeas rectè, & secundùm methodi legem hoc factum? Certè in crudeli Nephritide idem præcipiunt Practici. Nec ignoras quàm in Ischiade extollant *venam*, ab effectu (quia videlicet malo isti certum afferre auxilium) *Ischiaticam* communiter dictam in incipiente pleuritide & hypochondriorum doloribus, vtilissimam venarum pedum sectionem, aliquoties animaduerti.

Venarum pedalium sectio quatenus instituenda in præcautione inflammationis renum.

Tibi de Hartmannianis qualescunque diuinationes meas nō fuisse ingratas, lætor. Continuationem, quam flagitas, primâ occasione, modò otium fuerit, instituam. *Polliontem* enim *cum tractatu de vnicornu, & scriptum Tabernamontani* libenter prius absoluerem, vt tres illi de morbo Vngarico Tractatus Germanici tandem Ienam mitti quirent. Interim igitur moram aliquam patienter feras, oro. *Hartmanniana* cui describenda concredam,

Quos labores Auctor præ manibus habeat.

credã, noui neminem. Ipse quæcunque elaboro, ipsus itẽ describere cogor, vt proinde haud videam, quomodo medicamentorũ quorundam communicatione tuas Institutiones hoc tempore exornare possim. Postulat etiam partem *Pollio*, partem *Tabulæ de morbo Vngarico synoptica*, partem *Hoplotheca illa Iatrica*. Hartmanniam, quamprimùm volueris, remittam. Nunc enim inspicere saltem licuit. *Hartmannum in suis commendandis sæpe fuisse nimium*, ego haud miror, qui id ea re ipsius nummariã, famã, quin etiã auctoritate, tam apud discipulos, quàm multos alios, fuisse scio. Nimirum, *quo quisque sua altius nouit extollere, eo etiam maiorem sui admirationem apud incautiores sibi solet conciliare*. Antiquum est, *Mundum regi opinionibus*, atque id circo, quia facilè credit, & omnia non satis perspecta pro Eleusiniis sacris protinus habet, volentem turpiter decipi.

Transcriptio, & non sola allegatio, quid boni adferat? Quid in iteratis scriptorum editionibus fieri suadeat Auctor.

Medicamenta Chymica vtiliora, vt ex aliis transcribas, non dissuadeo. Ita enim tam illis, qui auctoribus ipsis carent, quàm qui eos habent, consules. Illos namque sumptuum elargitione, qui in auctores coëmendos alias impendendi sunt; hos labore auctores ipsos adeundi liberabis.

Nisi sub prælo dudum fuissent Institutiones tuæ, ego suasissem, vt *augmenta*, quæ addis, *in peculiare aliquod volumen* coniecisses, & Institutionum iteratam editionem priori per omnia similem reliquisses. Ita enim priore exemplari possessores æquè ac posteriore vti potuissent; quod, sat scio, multi ægrè ferent, qui illud emerunt. Sed cur, te non amplius integrã, ego priorũm ista moneo?

Vt placet *triplex Danielis Mylij Basilica*? Nondum percurri opus, nec temerè velim sumptus profundere.

De lactis defectus imminente infantis morte, causis.

Moues sub finem tuarum litterarum quæstionem, & super eã meum Responsum videre gestis: *Qui scilicet fiat, quòd infante morituro, lac non solum matres, sed & nutrices deficiat.*

Vt verum fatear, τὸ ὅτι huius quæstionis mihi hactenus non patuit. τὸ διότι ergo vt ex tempore nunc inueniam, difficulter percipio. Reijcis tu *siue matris, siue nutricis mœrorem*, cùm sciat, eum aliquoties in nutricibus fuisse nullum. Quomodo verò tanta ἀγαλακτία siue in matrem, siue nutricem cadere possit, infante de vita periclitante, ego quidem vix mihi imaginari possum. *Vigiliæ, inappetentia, labor*, quæ hîc concurrunt, *lac imminuunt*: sed hæc etiam præsente lacte concurrere possunt.

Quid si etiam, vel *ob infantis debilitatem*, vel *lactis insuauitatem*, quam per mœrorem, & alias causas contrahere potest, suctio non fiat: quâ interruptâ lac deficere, notissimum est? sed fortassis nec has causas lactis defectus semper subsequitur. Si quis fortè *subitam menstruorum eruptionem* obtendat, audiet statim, vel eam tum prorsus defuisse, vel sæpe aliàs nutricibus adesse, citra lactis defectum. Quorsum ergo, nisi forsan ad *Scaligeri illud plenum ingenuitatis verbum*. Nescio, recurram, vix ac ne vix quidem intelligo. Nec satisfecero Tibi, tametsi dixero; *infantem moriturum contrariam aliquam Natrici obtinere facultatem, quæ in ore maximè item residet*, vt patet è lue Venereâ per osculum propagata, ob quam sanguis retrocedat, & vitis brassicam, aut leo galli cantum, sic lac infantis suctum fugiat. Hîc enim tu mihi, sat scio principij petitionem confestim obiecturus es, cum illis, qui has ἀντιπαθείας cum occultis proprietatibus *ignorantiæ Asylum* nuncupare consueuerunt. Nec fortassis obliuisceris alterius obiectionis quæ à φύσει, quâ vnumquodque etiam brutum ad suorum conseruationem fertur, peti ac desumi queat. Ergo quid impræsentiarum, si hæc non sufficiunt, facilè respondeam aliud, quam vsitatum illud, Nescio? cogitabo tamen de hac ipsa re deinceps diligentiùs.

De ani hiatu.

Sed audi, scribas, quæso & tu, quid *de hoc muliercularum prognostico* sentias? Etenim si anus hiet, nec claudatur, (*vvan dass zuloch offen ist, und sich nicht vvieder schliessen vvil*: ita illæ loquuntur) vt clysteres retinere nequeant, id certum mortis esse præsagium, continuò vociferantur. Mihi talis aliquis casus, vt verum iterùm fatear, hactenus occurrit nullus. Locutus tamen cum quodam Medico, qui istius certitudinem suis quibusdam Obseruationibus comprobauit. Sanè *facultatum naturaliũ abolitionem esse pessimum signum*, non diffiteor. Vtrum tamen in hac parte hiatus iste (qui à paralysi fortassis sphincteris proficisci posset) mortem protinus denunciet, tuam sententiam cognoscere gestio. Sed finem facio, & te cum tuis bene valere, atq; a nobis plurimùm saluere iubeo. Breslæ, die 5. Decemb. Anno 1619.

EPISTOLA IX.

PERIOCHE.

1. *Annum vouet felicem.* 2. *Vetat suas litteras publicari, nisi incudi prius redditas.* 3. *Sennerti aqua antiscorbutica.* 4. *Dubitat, an sal vini à tartaro non differat, tartarique naturam magis explicat.* 5. *De Benzoës florib. iudicium Sennerti.* 6. *Nouitia medicam. non temerè in vsum vocanda.* 7. *Crollius vnde sua hauserit.* 8. *De aliquot ipsius effatis iudicium Sennerti.* 9. *Sulfur metallorum Poterij, videri è croco antimonij paratum medicam.* 10. *In hydrope præter chalybeata medicam. necessaria esse hydragoga.* 11. *Stibiata & Mercurialia rarò apud hydropicos vomitum mouent.* 12. *De spiritu vitrioli philosophico, obseruatiũcula.* 13. *De vi soporifera spiritus vini, dum à laudano opiato abstrahitur.* 14. *Probatur venarum pedaliũ sectio in præcauenda renum inflãmatione.* 15. *Censura de Dan. Mylij chymicis.* 16. *De prognostico ex ani hiatu, cum obseruatione Sennerti.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SALVTEM, annumque nouum felicem. Id enim, vt à Deo Opt. Max. *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, ferijs votis ac precibus petamus, res ipsa flagitat. Verè enim sunt iam ea tempora, in quibus homines ferè exanimantur ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ, neque quisquam sibi ab istis turbis ac periculis immunitatem polliceri potest. Sed vt ad litteras tuas veniam, quod olim à te petiui, iam repeto, si forsan doctorum virorum, quæ ad te scribuntur, Epistolas aliquando publicare volueris, ne meas inseras, nisi prius relegendas miseris. Sunt enim extemporaneæ omnes, nec, vt opinor, ita scriptæ, vt publicâ luce dignæ sint. Aquam meam scorbuticam, si mittere placuerit, grata erit. Hæc mea est, quâ vtor.

Aqua antiscorbutica Sennerti.

℞. *Cortic. tamarisc. radic. capparum, fraxini, polypody q. radic. 5. aperientium, an. ℥. j. armoraciæ acerrimæ minutim incisæ, ℔. j. ß. camadryos, chamæpityos. an. M j. trochisc. de capparib. ℥. j. Infund. per dies iv. in sert lactis caprini ℔. iij. vini Rhenani, ℔. iv. Posteà adde succi cochleariæ, nasturtij aquatici, becabungæ, fumariæ, an. ℥. viij. destillentur.*

Tartari natura magis explicatur.

In discursu de tartaro non magna in nostris opinionibus est discrepantia, nisi forsan in eo aliqua sit, quòd salem vini à tartaro illo feculento differre non putas; de quo dubito. Habent omnia vina suum salem, neque omnia arthritidem generant. Et non video, cur illud [illegible] Hippocratis, quod est in terrâ calcariâ, argillosâ, minerali, aut metallicâ, omne salis naturam induere, & in sal vini mutari debeat; ac mihi absurdum non videtur, illud suam naturam vino etiam per minima mixtum retinere, & tandem, vt corpori alendo ineptum, arthritidi causam præbere. Neque necessarium videtur, vt tophi illi, qui in thermis, & alius aquis concrescunt, ac succum lapidescentem in se habent, toti salini sint. Tale ergo quid præter salem, vina illa insalubria, continere puto, qualis est materia tophorum illorum, quæ tamen ita thermarum aquis per minima permista est, vt nullo modo animaduertantur, donec canalibus, lignis, & lapidibus adhærescat.

Iudicium de Floribus Benzoes.

Flores Benzoës quod attinet, (qui omninò maxima ex parte sale volatili, vt scribis, illius lachrymæ constant,) & ego non nullorum præconiis permotus periculum de iis feci. Sunt autem omnes, quocunque etiam modo parentur, acerrimi saporis. Vidi enim, & qui in nostrâ & qui in Dresdensi officinâ fuerunt parati. Ideòque non facilè ad illam dosin adscendere ausim.

Dosis & vsus.

Commodè dantur cum sacchoro candi in ouo sorbili in asthmaticis non inefficaces esse deprehendi. An verò, ideò ab iisdem etiam phthisici multum commodi sperare debeant, sine tamen incommodo, dubito.

Admonitio de nouitiis medicamentis.

Nescio quomodo nostrum sæculum in accipiendis istis nouitiis medicamentis, nondum satis probatis, tam auidax sit, & sæpe eorum præconiis fidem habeat, qui Medici non fuerunt. Fuerit etiam *Beguinus* peritus in ἐγχειρήσει Chymicâ; medicus tamen non fuit.

Vnde sua hauserit Crollius? Iudicium de Crollij sententiis.

Crollius quantùm curando præstiterit, incertum, hoc non incertum, pleraque illa medicamenta eum à Chymicis Rudolphi Imperatoris accepisse, qui non omnes fuere Medici. Ausisne tu cum eo *lac sulphuris* cum aquâ cinamomi hecticis & aridis exhibere? Adstipularisne illis vniuersalibus, & indefinitis propositionibus; *Omnibus febribus tam continuis, quam intermittentibus, omnibus infirmitatibus ventriculi, cordis, capitis, hepatis prodest*, &c.

Quid sulphur metallorum Poterij sit Sennerto?

Quid *Poterij sulphur metallorum* contra hydropem sit, equidem certò non scio: suspicor tamen è *croco antimonij* medicamentum esse. Nam per aluum aquas euacuant, non per sudores, quod præstat sulphur auratum antimonij. Quid Discubebæ Paracelsi sit, itidem ignoro.

Chalybeata quatenus hydropicis vtilia?

Hydropicis *medicamenta è Chalybe parata* prodesse, non neglectis tamen aquas euacuantibus, tibi assentior. Saburra enim illa nisi euacuetur, reliquorum medicamentorum vim hebetat.

Antimonialia & Mercurialia non semper vomitum mouent.

Elaterio nunquam sum vsus. *Medicamenta autem Antimonialia & Mercurialia, quæ in aliis vomitum facilè mouent, rarò vomitum in iis mouere animaduerti.* Quibus medicamentis illum tuum hydropicum sanâris, scribe. Ego de oleo antimonij, quo hydropicum curaui, proximè quoque scribam.

Obseruatio de spiritu vitrioli Philosophico.

Et cùm *spiritus* vitrioli *philosophici*, ex aquâ quâ butyrum antimonij paratus, mentionem feceris: facere non possum, quin scribam quod nuper in eo obseruaui. Papyrum quâ vitra teguntur, non corrodit, vt spiritus vitrioli, & salis; vitra tamen,

Digitized by Google

in quibus asseruatur, rimas contrahunt. Quod in tribus vitris obseruaui. Nolo tamen hinc vniuersale quid concludere poteris & Tu id obseruare. *Sulphur* vitrioli de quo nuper scripsi, non mihi probatur; aliud experiar. Et *non puto hac in re multum laborandum esse; cùm Laudanum Opiatum satis suum officium præstet.* Ex opio aquam narcoticam facilè confici posse puto; etsi periculum non fecerim. Scio enim aliquando hic Pharmacopæi famulum obdormiuisse, cùm in B. spiritum vini à laudano Opiato separaret, solùm vapore illius per nares admisso. Si tamen *Bueretij* illam expiscatus fueris, fac vt mecum sit communis.

Obseruatio de spiritu vini à laudano Opiato abstracto.

Ad præcauendam renum inflammationem in vtroque pede venam Tibi rectè, & secundùm methodum apertam fuisse censeo. Satis enim ab hisce partibus reuellere hæ venæ possunt. *Hartmanniana* si iam describendi tempus non est, remittas. Alio, quo volueris tempore, iterum communicabo.

Probatur sectio venarum pedum in præcauenda renum inflammatione.

Danielis Mylij Chymica emi quidem, sed nondum legi. Nisi priorem partem emissem, alteram non comparassem; sunt mera collectanea.

Censura de Danielis Mylij Chymicis.

Prognosticum illud muliercularum vestrarum *ex ano biante* petitum; non incertum esse puto. Vidi id accidere in Academiæ nostræ Quæstore, *M. Elia Iano*, cui Apoplexiâ correpto ita anus hiabat, vt clyster retineri non posset. Intra sextam horam mortuus est. Idem si in aliis grauibus aut acutis morbis accidat, proculdubio lethale est. Si tamen ex priuatâ musculi Ani Paralysi id fiat, non lethale esse puto, &c.

De Prognostico ex ano biatu. Obseruatio.

Vale. VVittebergæ, pridie Cal. Febr. Anno 1620.

EPISTOLA X.

PERIOCHE.

1. *Aqua antiscorbutica Doringij.* 2. *Aqua melissæ composita eiusdem vires, & descriptio, additâ ratione compositionis.* 3. *Sal Vini, & tartarum ipsius spirituosum, vnum idémque esse.* 4. *Responsio ad instantiam Sennerti.* 5. *Fundamentum sententiæ Sennerti, cum Respons. Doringij.* 6. *Explicatio sententiæ Doringij per aliquot exempla rem illustrantia.* 7. *Vina Rhenana cur arthriticis conuenientiora iudicet Doringius.* 8. *Flores benzoini remedium non contemnendum.* 9. *Non tam ad remediorum auctores, quàm ad ipsa remedia attendendum.* 10. *Agyrtarum arcana commentitia cauenda sapienti.* 11. *Lac sulfuris phthisicis quomodo prosit.* 12. *Arcæi phthisicos curandi ratio per bocheta.* 13. *Qualiter decocta ista impinguent vtentes.* 14. *Auctoritates pro Arcæo.* 15. *Sulfur metallorum Poterij, è croco antimonij esse, negat Doringius.* 16. *Catharticorum & phlebotomes frequentiam quæ sequantur incommoda.* 17. *Facultates sulfuris metallorum Poterij.* 18. *Sulfur illud metallorum videri esse panaceam sulfuris antimonij.* 19. *De Paracelsi Diacubeba, coniectura.* 20. *In felici curatione hydropici, tria omne punctum tulisse. Emplastrum, vinum purgans, & aquam destillatam hepaticam: quæ tria describuntur.* 21. *De Mercurio vitæ, quæstio.* 22. *Alia, de vsu spiritus vitrioli philosophico contra epilepsiam.* 23. *Contra sectionem venarum pedis, ad præcauendam renum inflammat. obiectio.* 24. *Hartmanniana iam antè ab aliis publicata fuisse.*

D. DANIELI SENNERTO, *MICHAEL DORINGIVS, D.*

Litteras tuas, quascunque *Tabulis de Morbo Vngarico* deinceps insertrurus sum, relegendas suo tempore mittam, quia ita postulas. Nunc *Pollio* adhuc me detinet; in quo de cordis palpitatione versor. Tardè procedit labor multis de causis, quarum partem nuper Tibi descripsi. Aqua mea antiscorbutica sic habet. ♃. *Herbarum cochlearia, nasturtij aquatici, beccabunga, nummularia, chelidonij minoris,* (in ipsius defectu radices eiusdem substituuntur) *barbarea, siue accipitrina,* an. M. j. *flor. cordial.* an. ʒ. ij. *calendula* ℥. ß. *rad. gentiana.* ℥. ß. *calami aromatici* ʒ. vi. *helenij, aronis,* an. ℥. ß. *cortic. citri siccatorum, aurantior. sicc.* an. ʒ. iij. *trochisc. de eupatorio,* ʒ. vj. *sem. cuscuta,* ℥. ß. *cochlea-*

Aqua antiscorbutica Auctoris.

riæ, nasturtij aquatici, anisi, fœniculi, an. ʒ. ij. *Incisa infundantur per triduum in aqua fumaria, cuscuta, cardui benedicti,* an ℔. iij. *vini albi generosi,* ℔. ij. *aqua nostra melissæ composita,* ℔. ß. F. s. a. in vasis vitreis per B. M. destillatio, suspendendo in alembico nodulum *ex speciebus Diambra,* ʒ. ij.

Aqua melissæ composita, quâ potissimùm apud fœminas ad cor & vterum roborandum, menses promouendos, (grauidis tamen minimè monet) flatus dispellendos, & id genus alios affectus, vtor, hæc est. ♃. *Herbarum melissæ vera,* M. vj. *cardui bened. flor. calendula.* an. M. j. ß. *cortic. citr. siccat.* ʒ. vj. *cinamomi acutissimi,* ℥. ß. *rad. angelica, calami aromatici, pimpinella,* an. ʒ. ij. *croci integri,* ʒ. j. *infundantur in vini Vngarici optimi,* quart. iij. *vini sublimati rectificatissimi,* ℥. iij. *fiat in infusione per dies iv: quotidie cum spatula agitando postea destilletur per B. M.* in vase vitreo. Miraris Stomachicorum & cordialium admistionem? Eam verò datâ operâ institui; qui scio, ventriculum hîc maximè peccare, & vitales spiritus languere. Et affirmare Tibi audeo *puluerem stomachalem à me correctum,* (de quo olim, si rectè memini, aliquid ad Te) & addītione salis cochleariæ, atque olei de corticibus citri fortificatum, apud scorbuticos multa præstitisse. Radix gentianæ, quæ basis propè est meæ aquæ, quàm sit nobilis medicina, ipsemet nosti. De cæteris, præsertim seminibus cuscutæ nihil dicam. Quibus propter caliditatem minus commodam suspicor; illis admistione aliarum aquarum & syruporum, inprimis acetosi simplicis, oxysacchari simpl. & similium, ipsam attemperare solto. Flatus insigniter discutit & præter alia commoda, coctionem egregiè promouet.

Aqua melissæ composita vires. Descriptio.

Ratio cur addantur sudantes aqua antiscorbutica.

Quomodo corrigatur.

In *Discursu de tartaro* non magnam esse in nostris opinionibus diuersitatem, ipse nuper fassus sum: Iterum dico; in re ipsâ nobis inuicem conuenire, in solis autem nominibus discrepantia aliqua nobi intercedit; quam vsque adeò magni non faciendam censuit, vti scis, passim Galenus. Tu offendéris *sale vini, & tartari spirituosi,* (à me non tantùm propter exquisitissimam per minima cum vino permistionem, sed & vt sic dicam, volatilisationem, cuius gratiâ alembicum etiam (id quod in vino Toccauiensi potissimùm locum habere, aliàs scripsi) simul transcendit, ita appellati,) promiscuâ acceptione.

Explicat auctor suam sententiam de sale vini & tartaro spirituoso.

Improbare ipsam videris ex hoc fundamento: quòd omnia quidem vina suum habeant salem, verùm non omnia generent arthritidem. Sanè lubens concedo vtrumque membrum. Hinc tamen nondum sequitur; sal vini, & tartarum esse diuersa. De certo enim vini genere, v. g. *Kutschbergensi, Toccauiensi,* &c. quæritur, an in hoc, vel illo, quatenus talia, vino, ista ab inuicem sint distinguenda? Tu id affirmas: ego nego. Affirmationis tuæ caput in eo consistere animaduerti, quòd non videre videaris, cur illud *αὐτόματον* Hippocratis, quod est in terrâ calcariâ, argillosâ, minerali, aut metallicâ, omne Salis naturam induere, & in Sal vini mutari debeat; quin non absurdum videri, illud suam naturam vino etiam per minima mistum retinere, & tandem, vt corpori alendo ineptum, arthritidi causam præbere.

Respondetur instantia Sennerti.

Fundamentum Sennerti.

Sed videris mihi, (quod tamen pace tuâ dictum volo) *mi Sennerte,* Salem in abstracto, à Sale in concreto consideratum, id est purum putum Salem, à Sale impuriore non discernere. Explicatiùs aliquantò, vt animi mei sensa penitiùs intelligas, per exemplum rem istam Tibi aperiam.

Responsio auctoris.

Vitriolum sal esse, non negabis. Atqui non est purus putus sal: quando quidem post calcinationem, & salis extractionem, terra fixa, nullo liquore amplius resolubilis, ex eo remanet. Interim in aquâ ante vstionem totum soluebatur, eidémque per minima miscebatur. Pari ratione Salis nomine omne illud intelligo, & hoc nomine sine absurditate appellari posse existimo, quicquid substantiæ vini per minima vsque permiscetur. *Nihil enim, quod salis naturam non participat, hoc præstare posse, mihi quidem persuasissimum habeo.* Et cur vino, quâ scilicet tale Vinum, hoc est, in hoc, vel illo solo natum, eiusdemve Soli, tale quid non adscribam, haud percipio.

Explicatur per exemplū.

Quippe viti id è suo solo attraxit; vitis alterauit, & concoxit? vitis denique vuis communicauit, atque ita vino ex vuis exprimendo, tandémque expresso; proprium fecit. Perinde equidem res ista habere videtur, atque cum Chylo, & consequenter sanguine inde producto: quorum vtrumque proprium fit huius, illiusve animantis, à quo elaboratur. Nam etsi diuersa animalia, vno eodémque pabulo alantur: attamen tam chylo, quàm sanguini singulare aliquid forma animantis specifica calore natiuo ministro, superaddit, ob quod, & animalium carnes diuersi saporis, ac qualitatis, & eorundem excrementa diuersimodo existunt. Sic in vite idem euenire non dubito. Etenim vinorum diuersitatem, in vno sæpe solo natorum, quis non aduertit? Multùm, mehercule, refert; vnde vitium surculi capiantur, ac cuius indolis ij sint. *Gornbergensia* igitur vestra, non ob Soli duntaxat, sed simul, & quidem vt principalioris causæ, primorum suorum parentum (vt ita appellem) implantatam bonitatem, *Kotschbergensibus* salubriora esse reor. Memini enim me aliquando apud vos audiuisse, *vitium Iessensium primos surculos è locis Rhenanis esse petitos.* Quis igitur miretur, ista vina Rhenanorum naturam adhuc dum

Aliud exemplum.

Iessensium vitium surculi vnde primùm petiti.

imitari?

imitari? Nôsti transplantationum vim, atque efficaciam; vbi quidem res transplantatæ ratione soli, in quod transplantantur, non leues alterationes suscipiunt, interim tamen alimentum sibi assimilant, & proprium faciunt. Thermarum succum lapidescentem, aquis per minima sic permistum, vt nullo sensu deprehendatur, donec tandem canalibus, lignis, & lapidibus adhærescat, quod attinet: næ is meam opinionem potius stabilire, quàm conuellere videtur. Illum ipsum enim salinum esse, tametsi non tatum, h. e. purum putum, sed mucilaginoso inuolucro vestitum, & à solo sale demùm coagulari, atque in tophum compingi, nec tu, vt opinor, negabis. *Tophos esse tartari concreti nomine commodè insigniri*, haud abnues? Quid caosæ igitur sit, cur horum tophorum proximam materiam, formâ liquidâ thermarum aquis per minima permistam, (id quod nulli iua alterius, quam vnius salis beneficio accidere puto: sal enim succum illum lapidescentem resoluit per minima. Argumento sunt metallorum per suas aquas fortes solutiones, magisteriorum è lapidescentibus per acetum præparationes, & vrinæ integræ, siue nondum turbatæ) à prædominio salis, salem non appellem?

Tertium exemplum à Sennerto adductum pro auctore stat.

Nostra *Elementa* puræ non sunt, & tamen vnumquodque à prædominante appellationem sortitur. Vides hinc, *mi Sennerte*, quo sensu *salis* nomen vsurpem, & cur vino potiùs, quàm solo natali effectus adscribere malim. Tu si aliter rem istam explicandam censes, per me sanè liceat: modò fatearis, rem nos diuersis loquendi formulis notare eandem. De *Vinis Rhenanis* addebam in primis meis litteris, quòd ea duplici nomine arthritidis generationi minus idonea esse censeam: cùm quòd minùs, quàm Vngarica, sint spirituosa; tum quòd vi diureticâ præ aliis vinis polleant maiori. Vis ista vnde proficiscatur, tu non explicasti. Ego eam rei adscribendam arbitror, tunc innui.

Quartum exemplum.

Vina Rhenana cur arthriticis conuenientiora?

Flores Benzoini asthmaticis prodesse, qui ambigas? phthisico illi meo cum floribus sulphuris permistos propinaui frequenter hactenus, non sine nullo, vt mihi videtur, successu. Offensam nullam inde animaduerti. Si iis fidem habemus, qui pro Lasere veterum habent; aut *Buetnero* placita sequimur, qui pro Opobalsamo in antidotorum magnarum compositiones substituit; (de qua re in *Annotationibus ad Collectanea de Mithridatio* à me dictum est, *p.280. & seqq.*) Flores certè isti minimè sunt flocci faciendi, sed ipsorum vires diligenter inquirendæ. Non censeo attendendum esse, tam ad remediorum quorundam auctores, vera æ medendi methodi vt plurimùm ignaros, quam ad remedia ipsa. Namque & hîc locum habet illud: *Sæpe etiam est olitor non importuna locutus.*

Flores Benzoini non contemnendi.

Non ad remediorum auctores, sed remedia ipsa attendendum.

Sic à plebe quandoque discimus quædam coporista, quæ deinceps cum ratione adhibita magnarum videmus esse virium. Consule primam nostræ Medicinæ originem; reperies, per experimenta ipsam cœpisse, & ad hoc fastigium tandem, monstrante ratione, adscendisse. Interim tamen quorundam temeritati per ista patrocinari nolim; qui omnia *omnium erronum & circulatorum*, quæ venalia extrudunt, commentitia arcana protinus arripiunt, & præconiorum amplitudine persuasi, non sine certo sæpè sanitatis detrimento, hominibus obtrudunt. *Prudentiâ hic opus est medicâ; ne pro remedio venenum propines.*

Errones fugiendi.

Quæris ex me, *an cum Crollio ausim lac sulphuris cum aquâ cinamomi hecticis, & aridis exhibere?* balsamum sit humidi radicalis, viresque confortet naturales, (quas facultates ipsi adscribit *Crollius*) quidni ausim? Si hectici propter vlcus pulmonum arescunt; quidni id, sed cum aliâ aliqua aquâ specificâ, dare ausim? *Sublatâ* enim *causâ tollitur effectus*; & ad id, quod magis vrget, principaliter attendere decet. Nota Tibi proculdubio est *Arcæi phthisicas per decoctum ligni curandi ratio*; à quo illos non tantùm non lædi, sed impinguari insuper contendit. Paradoxon istud pro Endoxo plerique iam habent; *Guajaci, salsæ, sassafras, chinæ, & similium decocta impinguare.* Quod Horatius Guarguantius *in suis Responsis Medicinalibus, mihi pag. 235.* hunc in modum explicat. *Ista decocta attenuant quidem, & exsiccant praue, & excrementitios humores; bonos verò & vtiles incolumes relinquunt. Excarnibus igitur, & emaciatis, nullum damnum inferunt. Cum enim macies & excarnis habitus à malâ nutritione proficiscantur, mala autem nutritio ob acres, & salsos humores, qui dulcem & vtilem sanguinem absumunt, ac pinguem agglutinari prohibent, fiat; consectarium est, vitiosis istis succis per decocta prædicta consumptis, corpora vicissim rectè nutriri, ac impinguari.*

De vsu lactis sulphuris apud phthisicos.

Quomodò Arcæus phthisicos curauerit? Qualiter decocta guajaci & similium impinguent.

Eandem rationem curandi Phthisicos obseruauit, ac commendauit *Erastus*, vt videre est apud Schenckium *de phthisi, lib. 2. obseru. 145.* Vide ibidem, obseruationem præcedentem. Alphonsus Ferrus, *lib. 2. de ligno sancto*, vsu decocti ligni guajaci Phthisicos extremè afflictos sanitati restitutos esse, affirmat. Radicis chinæ decocto mulier quædam aliquandiu vsa, & obesior, & toto corpore firmior euasit, Ferlinus *Historia altera Med. parte 3. pag. 70.* Vniuersalibus illis & indefinitis propositionibus, quas proponis de lacte sulphuris, quis vtatur, ego nescio. Apud *Crollium* certè ipsas non inuenio.

Auctoritates pro Arcæo.

Quid verò tu de marrubij succo, & cucurbitularum panarum; in imminente arthritide, vsu? Intactum enim vtrumque reliquisti. *Sulphur metallorum Poterio* dictum, non esse medicamentum ex ♂ croco confectum, ipsásque aquas per aluum subducens, non magno negotio ex ipsomet *Poterio* tibi demonstrabo. Etenim *Poterius* culpat huius temporis Medicos, qui ægrotum salutem in catharticis, & phlebotomiis sæpè repetitis repositam esse arbitrantur, curationis vtriusque vitium minimè memores. *Cathartica* siquidem frequenter reiterata radicale humidum exhaurire, *Phlebotomiam* pariter totum corpus refrigerare, & idem humidum absumere prætendit, vnde postea cruditates multæ, & ab his deinceps mille alia incommoda, & præsertim hydropes, generentur. Suo itaque illi ægroto ferè quadragenario, ex Anasarcâ & Ascite, Asthmate quin etiam & similibus à quatuor mensibus in lecto decumbenti, metallorum sulphuri cum conseruâ rosarum, olei vitrioli guttulis aliquot adiectis, exhibuit; à cuius vsu intrà horum spiritum commodius ducere cœpit. Sequenti die eiusdem remedij vsum quater iterauit, summo videlicet manè à prandio, paulò ante cœnam, & statim sub lecti ingressum. Magnitudo medicamenti vix fabam superauit; sapor sacchato rosaceo parùm dissimilis. Actio eius fuit, *non aluum laxare, non vires labefactare*, vt elaterium, scammonea, ebuli semina, & similia solent; verùm incidendo, aperiendo, atque natiuum calorem adiuuando, saburram omnem aqueam foras propulsare, expellere, ac deiicere. Operatur in nobis istud remedium solis instar, *crudos humores coquendo, & superfluos insensibiliter exsiccando.* Sic fluxiones omnes tollit, partibus nobilioribus robur conciliat, ac demum reparat vires, fessáque membra iuuat. Suo igitur ægroto roboratis visceribus; & commodioribus viis adapertis, intra 12. dies, abdomen totum detumuit, magnâ aquæ copiâ per os & virgam erumpente. Hac curandi methodo, atque his remediis, tam iuuenes, quàm senio confectas personas, sese ex hydrope liberauisse, gloriatur Poterius. *Centuriâ primâ curationum insignium, obseruatione 2. de hydrope, p. 19.* Ex his proculdubio intelligis, *mi Sennerte*, sulphur illud metallorum neutiquam esse remedium ex antimonij croco paratum. Si non sit sulphur auratum; panacæam tamen sulphuris antimonij (cuius sulphuris præparationem Trognius primus, quod ego sciam, descripsit. Vide & lac sulfuris in Balduini Clodij *Officinâ Chymicâ, p. 152.*) esse crediderim; quam reperies in *Tyrocinio Chymico Beguini per Barthium edito lib. 2. cap. 20 p. 344.* de quâ vt tuum mihi iudicium candidè exponas, oro.

Sulphur metallorum Poterij non est è croco antimonij.

Catharticorum & Phlebotomiæ frequentiam quæ? incommoda sequantur.

Facultates sulphuris metallorum Poterij.

Sub nomine *Diacubeba Paracelsi*, istam adeptus sum formulam, quam tamen non censeo genuinam. ℞. *Acori conditi cum melle.* ℥. iv. *cubebarum pulueri satarum.* ℥. ij. M.

Diacubeba Paracelsi.

Norimbergenses peculiarem præbent descriptionem, quam ad incipientem hydropem, & hepatis corroborationem valde commendant. Quis ipsius author sit, non addunt. Placet quidem compositio; sed calidiori hepati magis videtur esse amica; frigidiori, qualem maximam partem apud hydropicos esse solet, *Cyphoides Andromachi* magis ex vsu esse dixerim. An rectè dicam, tu dicas proximè.

Norimbergensium. Hoc calidiori hepati.

Cyphoides Andromachi frigidiori vtilius.

Medicamenta Mercurialia, & Antimonialia hydropicis raro monere vomitus, scribis. Ego talia nulli hactenus exhibui. Tibi igitur id affirmanti contradicere nolo.

Medicamenta, quæ hydropico illi meo, post alia incassum per aliquot septimanas adhibita, maximè proficua deprehendi, tria ista præcipua fuerunt; *Emplastrum* videlicet *pro abdomine, vinum purgans, & aqua destillata hepatica.*

Quibus remediis auctor hydropicum curauerit.

Emplastrum sic habet. ℞. *Colophonia.* ℥. iij. *cera noua*, ℥ ij. *gummi elemi. tacamahaca*, an. ℥. j. *salis nitri*, ℥. j. ß. *sulphuris viui.* ʒ. vj. *puluer. santali rubri. myrrhæ rubeæ. mastiches el. olibani*, an. ℥. ß. *ol. laurini.* ʒ. vj. *balsami, Indici.* ʒ. ij. Infundatur santalum in *spiritu vini* per horas aliquot: pòst adde cæteris, & F. s. a. Emplastrum, quod non inquinet.

Emplastrum.

Istud super linteum extensum toti abdomini applicari iussi; à quo non tantùm abdomen insigniter emollitum est, quod anteà nullis inunctionibus emolliri potuit, sed tensum, ac renitens semper mansit; verùm etiam cutis sensibiliter madere deprehensa est. Hinc postquam de vino, quod tali Nodulo superfusum erat, bibere cœpit tam largiter, & cum tantâ εὐφορίᾳ euacuatus est, vt Hyppocratis illius *Aphorismi* (qui, iis, qualia oportet, expurgatis, ægros iuuari, & euacuatione ab ipsis facilè tolerari, monet) veritatem liquidò obseruauerim. ℞. *Herb. absinthij pontic.* p. j. *gratiola, soldanella, fol. sena ol. sem. ebuli*, an. ℥. ß. *cortic. radic. ebuli, hellebori nigri præparati*, an. ʒ. iij. *turpethi albi & gummosi*, ʒ ij. *cortic. aurantiorum*, ʒ. iij. *zinziber. albiss.* ʒ. j. ß. *sem. anisi, carui, fœniculi*, an. ʒ. j. Incisa includantur Nodulo.

Vsus & vires.

Nodulus pro vino.

Prioris Noduli vires postquam vini affusione totæ essent exhaustæ, alium recentem parari iussi; quiete nihilominus ipsius vsu subinde interpositâ, & roborantibus interiectis. Inter roborantia autem principem locum facilè tenuit sequens aqua destillata.

℞. *Herb. agrimonia.* M. ij. *cuscuta, chamædryos vera*, an. M. j. *rad. calami aromatic. rhapontici veri, cichorij*, an. ʒ. vj. *granorum chermes.* ʒ. ij. *flor. cichorij. hepatica nobilis*, an. ʒ. iij. *sem. ebuli*, ℥. j. *ligni sassafras.* ℥. i. ß. Incisa & conquassata infundantur in s. q. *aqua agrimonia & cichorij per biduum. Posteà adde hepar*

Aqua destillata hepatica.

vituli adhuc calens, & minutissimè dissectum, No. 1. Instituatur B.M.s.a.destillatio.cauendo, ne hepar aduratur, suspendendóque in alembico Nodulum ex syndone alba lotâ cui inditæ sint *species. diatrion santalon s. camphorâ* ℈. ij.

Habes hîc *mi Sennerte*, curationis illius remedia tria, quibus præ cæteris omnibus vnicè speratum euentum ac successum adscribo.

Tu de *Antimonij Oleo*, quod te proximè facturum pollicitus es, etiam scribe. De *ani incurabilis procidentiâ*, quam ad frequentiorem vsum Mercurij vitæ consequi scripsi, vti & de correctione eiusdem Mercurij, de quâ num per spiritum vitrioli commodè fieri possit nuper dubitaui, ne verbum quidem adjecisti. Quæso te horum ne obliuiscaris proxima occasione.

Quæstio de vita Mercurio.

Quin & tuum judicium mihi exponas; nunquid astipuleris Barthio, qui *super l. 2. Tyrocinij Chymici, c. 12. Notâ 1. ad Titulum, de Mercurio vitæ*, rationibus satis plausibilibus pugnat, hunc ipsum puluerem emeticum nihil esse aliud, quàm Antimonij Regulum, spiritu sublimati vitriolito dissolutum, & calcinatum.

Spiritus vitrioli Philosophicus contra Epilepsiam laudatur.

Spiritu vitrioli philosophico, ad Epilepsiam tantoperè à Chymicis commendato, num aliquando vsus es? quandoquidem mediocrem ipsius quantitatem possides. De vitrioli sulphure totus siles. Aquam narcoticam nondum habeo; vbi habuero, promptus tecum communicabo.

Ad præcauendam Renum inflammationem in vtroque pede venam rectè & secundùm methodum sectam censes, cùm ab istis partibus venæ istæ satis reuellere possint. Hanc verò seriò censes? nec morbi principium veteris? Ego quod impræsentiarum Tibi objiciam, propter temporis penuriam, non habeo aliud, quàm vt ista cum illis concilies, quæ scripsisti *l. 5. institutionem, parte 2. sect. 1. c. 18. contra Fuchsium*, in curatione inflammationis vterinæ, venarum, poplitis, aut malleoli sectionem commendantem. Si enim vera sunt & firma, (prout ipsa esse mihi persuadeo) quæ illic habentur, vt præsentia consistere possint haud video. Tuum erit hæc à contradictione vindicare.

Obiectio contra sectionem venarum in pedibus ad præcauendam Renum inflammationem.

Hartmanniana tam antè publicata.

Hartmaniana cum luculentâ gratiarum actione remitto. Secretiora mihi spopondissem: Vix enim inter ea reperio aliquid, quod alij hodiè non publicarint.

Mylij scripta quereris mera esse collectanea: sed talia quoque erunt pleraque quæ *in notis ad Pollionem, & Tabulas de Morbo Vngarico synopticas*, additurus sum. Si hoc nomine reijcienda, nolim vtique edere sed priuato duntaxat vsui seruare. De *spiritu Calcis viua* nihil hac vice mouuisti: Noli & huius deinceps obliuisci.

Iudicium tuum de *prognostico ex ani hiatu* desumpto, placet. Meum *de Nutricum Lactis defectu*, infante morituro, num probes, aut probaueris, ignoro. Si quæ desideras ampliùs, proximè fortassis scribi poterunt.

Ecquid rerum gerunt passim in Academiis Enthusiastæ, *Fratrum Rosea Crucis* titulo superbientes? Marpurgi quid acciderit, sine dubio nosti. Fuerunt non ita diu, vti intellexi, & apud vos talia ingenia, quæ mira de Electoris interitu, & vestræ Academiæ dissipatione præ foribus quasi stante, sine pudore & metu elocuta esse dicuntur. Miror, Te de istis nihil planè ad me. Quicquid sit aut fuerit, vt me primâ occasione de eo certiorem facias, precor, &c. Bene cùm Tuis vale, & à nobis salue. Breslæ, die 22. Februar. Anno 1620.

EPISTOLA XI.

PERIOCHE.

1. *Tractatus aliquot suos, nominatim Mithridatiotechniam ad Sennertum mittit, deque erratis typographicis conqueritur apud ipsum.* 2. *Iudicium Sennerti super ipsis petit.* 3. *Quo fine istos publicarit, docet.* 4. *Formula atque narcotica, seu Nepenthes Bucretij, vnà cum dosi, & correctione.*

D. DANIELI SENNERTO, *MICHAEL DORINGIVS, D.*

Nisi mihi Rhedarius vester, Petrus, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, fortè fortunâ obuius hodie factus esset; de ipsius ad nos aduentu nihil planè mihi constitisset. Miratus verò fui maximoperè, qui factum sit, vt per ipsum nihil omnino litterarum ad me dederis. Audè quippe tuum ad meas proximas expecto responsum: quod vt maturare velis, etiam atque etiam te rogo.

Conqueritur Auctor de erratis Typographicis Mithridatiotechnia & reliquorum tractatuum.

Mitto nunc tandem *libellorum meorum exemplar*; sed non sine pudore. Tam vitiosè enim excusum est, vt me fœtus istius à prima inspectione protinus insigniter pœnituerit. Optaram profectò, vel nondum in lucem editum, vel correctiorem edendum. Perlegi *μιθριδατιοτεχνίαν*. Tot illic offendi errata sensum peruertentia, quod vix duæ chartæ in forma quarta capere potuerunt. Corrigentur, & vel meo sumtu publicabuntur, si *Perfertus* id facere recusauerit. Intereà sauciatum fœtum benignè suscipe, & medicas manus ipsi lubens admoue. Quin si præter næuos, quos Typotheta impressit, alios à parente in ipsum transplantatos deprehenderis, vt me de iis candidè ac liberè monere haud graueris, aut dedigneris, maiorem in modum oro. Multa fateor videbis, quæ monstrosi aliquid præ se ferent. Sed qui aliter fieri potuisset, tempore præsertim hoc monstrorum plenissimo. Vtut sit, non alios docendi, sed mei saltem animi sensa exprimendi aliorumque meliora inuenta extorquendi studio, hoc omne, quicquid etiam est publicum feci.

Petit Sennerti super iis judicium.

Quo fine ista publicarit.

Promisi nuper me *Aquæ Narcoticæ Bucretianæ* formulam ad temissurum esse. Communicauit ipsam ipsius mecum pridiè. Respondet per omnia illi quam ego *Acroamatis Medicophilosophici de Opio, sectione 4. cap. 1.* produxi. Ne igitur de huius rei veritate dubitare ausis, bona fide formulam (qualem *Bucretius* sua manu descriptam tradidit, cùm obeam tuo nomine à me rogaretur) describam.

Aqua Nepenthes Bucretij

℞. *Opij* ℥. *pistarum duobus capitibus alij; posteà hanc mistionem destilla per alembicum.* Aqua, quæ inde prodibit, somnum prouocat, eritque sine fœtore. Eadem aqua dolores cùm internos, tùm externos sedare poteris, guttatim exhibita. Guttæ autem erunt tres vel plures, pro patientis natura. *Pharmacopœus* admiscet nonnihil aquæ flor. tiliæ. Absque hac enim si destillationem instituat, frustrà se laborare ait. Rectius faceret, si aquam nymphææ, vel lactucæ, aut similem aliquam narcoticam, substitueret. Hæc, *mi Clarissime Dn. Affinis ac compater*, modò scribere placuit, ne à meis litteris vacuus vester Petrus ad vos rediret.

Vsus. Dosis. Correctio.

Quæ vt boni consulas, & cum tuis bene beatéque valeas, ex animo precor. Breslæ, die 18. Martij, Anno 1620.

Appendix.

Aqua Nepenthes compositior D. Danielis Bucretij.

℞. *Opij* ℥. ß. *Conseru. violar. borrag. nymph. an,* ℥. ij. *mithridat. electi* ℥. j. *aqua flor. tiliæ*, ℥ vi. Misce: destill. per B M Datur intrà ad gutt. v. Extra etiam aliis potest admisceri.

EPISTOLA XII.

PERIOCHE.

1. *Pleuritis VVitteberga, anno 1620. epidemia.* 2. *De tartaro, fatetur se Doringio consentire, quanquam salis vini vocabulo illum indigitare, paulò durius videatur.* 3. *Lac sulfuris etsi phthisicis concedi possit, minimè tamen hecticis propriè dictis.* 4. *Guaiaci decoctum phthisicis non inutile censetur.* 5. *Non pauca apud Crollium, Beguinum, Quercetanum occurrere, quæ Iuuentuti fraudi esse possint, nisi cum grano salis accipiantur.* 6. *Poterius, aliique scriptores ænigmatici lectione parum digni, ex qua nullum fructum decerpere est.* 7. *Antidotus cypoides, aliaque antiquorum medicamenta nouitiis sæpe præferenda.* 8. *Historia curati à Sennerto hydropici oleo antimonij, croco Martis, cum specieb. dialacca, vino medicato, Laconico, aquâ taraxaci.* 9. *Spiritus vitrioli philosophicus Hartmani, Sennerto nonnihil suspectus est.* 10. *Responsio ad obiectionem epistolâ X. datam, contra venæsectionem è pede ad præcauendam renum inflammat.* 11. *Collectanea cum iudicio facta probanda, secus respuenda.* 12. *De quodam suis temporis Enthusiasta.* 13. *Liber precum Enthusiastarum* 14. *Iudicium Sennerti de cucurbitularum admotione in arthriticis.* 15. *Marrubij succus arthriticis vtilis, & cur.* 16. *Responsio ad quæsita de Mercurio vitæ.* 17. *Mercurius vitæ per spiritum vitrioli redditur diaphoreticus.* 18. *Scammonij per eundem spiritum vitrioli præparatio an legitima.* 19. *Melior eiusdem scammonij præparatio, & dosis ipsius.* 20. *De fatali typothetarum & correctorum negligentia.*

21. *Du*

21. Dubium, circa ſantalum rubrum Emplaſtro contra hydropem à Doringio adiectum, ſuprà Epiſt. 10.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Pleuritis Wittebergæ Anno 1620. Epidemia.

SAberam peregrè nuper, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, dies aliquot apud Nobilem quendam pleuritide, quæ ſub initium huiusanni hîc vulgaris morbus fuit, decumbentem; atque aberat intereà, quod non opinabar, Rhedarius: quæ cauſa fuit, vt nihil literarum proximè à me acceperis. Vtrique igitur tuæ Epiſtolæ nunc reſpondeo.

Conſentit cum Auctore de Tartaro.

Tuæ primò *de Tartaro* ſententiæ non eſt quod obloquar, ſi eam ita explicas, & ſic tibi loqui, ac ſalem vini omne illud appellare libet, quicquid ſubſtantiæ vini per minima permiſcetur. Quanquam enim non adeò commodum videatur, vt omne illud ſal appelletur; (Nam vt Tartarum dicatur, facilè permitto,) tamen quia mentem tuam intelligo, & in re nobis conuenit, non operæ pretium eſſe puto, vt de nominibus certemus.

Contra vſum Lactis Sulphuris apud Hecticos.

Lac ſulphuris Hecticis & aridis ego exhibere non auſim. Nam etſi *Crollius* dicat, eſſe humidi radicalis Balſamum, & confortare vires naturales; tamen quo argumento id probet, aut probare poſſit, non video. *Non adeo magna inter id, & flores ſulphuris eſt differentia*; quod facilè ſi igni initiatur, animaduerti poteſt.

Phthiſicis conceditur.

Verùm de Hecticis ego propriè dictis loquor, non de Phthiſicis, quos etiam *Crollius No.* 10. 15. diſtinguit. Et vt Phthiſicis exhibeatur lac ſulphuris, approbo. Sed quid commodi Hecticis ſiue phthiſi afferre poſſit, imò quomodo nocere non poſſit, non video. De Decocto Ligni Guaiaci phthiſicis exhibendo, *Horatij Guarguantis* reſponſum ſatis commodum mihi videtur. Scripta eius nunquam vidi. Eſtne bonæ notæ ſoror?

Probatur Decoctum Guaiaci pro Phthiſicis.

Vniuerſales illas propoſitiones atque indefinitas, quas notaui, non quidem de lacte ſulfuris habet *Crollius*, paſſim tamen alibi; nimirum p. 118. No 8. p. 120. p. 126. No. 8. p. 127. No. 10. p. 131. & p. 135. &c. Nec tamen ab iis ſibi planè temperat de Lacte ſulphuris agens, No. 13. Quæ an Iuuentuti non fraudi eſſe poſſint, imo ſint, facile animaduertes. Occurrunt talia etiam apud *Beguinum Quercetanum*, & alios, quorum dicta & ſcripta Iuuentus tantum non habet pro Oraculis. *Poterium*, quem Seuerinisnum potius, quam Dogmaticum puto, per Metallorum ſulphur non Crocum metallorum dictum intelligere, vbi locum diligenter inſpicio, animaduerto. Quanquam hac ipſa in re non ſatis ſibi conſtet, dum iſtud ſulphur ſuperfluos humores exſiccando Hydropem curare ſcribit; paucis verò lineis interiectis, Hydropico illi magnam aquæ copiam per os & virgam erupiſſe ſcribit. Etſi verò ſulphuri aurato ea, quæ de eo ſcribit, conuenire videantur; tamen quis hoc certò affirmare auſit? Quæ res ipſa facit, vt eiuſmodi Scriptoribus ænigmatographis non multum temporis tribuam, cùm ea eorum lectione nullum fructum me percipere poſſe ſciam. Etſi enim ſuſpicari quid liceat: tamen nihil certò affirmare, multominùs medicamenta ex Coniecturâ parata exhibere licet. Velim etiam certiorem me facias, quis *Trognius* ille ſit, & quid ediderit, qui ſulphuris antimonij præparationem primus deſcripſit.

Admonitio Iuuentutis de cauenda fraude.

Cenſura de Poterio.

De Scriptoribus Ænigmaticis.

Laudatur ſulphur antimonij.

Sulphur illud antimonij à Begnino *l. 2. c. 20.* deſcriptum, non inutile mihi videtur medicamentum: nunquam tamen illud paraui, nec eius periculum feci.

Cyphoides.

Antidotum Cyphoides ſatis commodum ad Hepticos videtur medicamentum, vt à Galeno *de compoſitione medicam. ſ. loc. l. 8. c. 7.* deſcribitur.

Antiquorum remedia præſtât nouitiis.

Atque omninò exiſtimo, nos inutilem operam non locaturos, ſi interdum antiqua illa medicamenta à *Galeno in lib. de compoſ. medic.* collecta in vſum reuocaremus. Poſſet forſan plus vtilitatis ex iis, quàm ex nouitiis quibuſdam, in ægros redundare. Ego vbi pluſculum otij nactus fuero, libros illos diligenter euoluam, & medicamenta perpendam.

Quibus remediis Sennertus Hydropicum curauerit.

Oleum Antimonij.

Crocus Martis.

Spec. Dialacca.

Vinum medicatum.

Laconicum.

Hydropicum nuper, cui crura, ſcrotum & abdomen valdè intumuerant, ſequentibus curaui. Exhibui primò Oleum antimonij, (ita liceat eum vulgò appellare, etſi oleum non eſſe probè ſciam) *in noua editione noſtrarum Inſtitut. pag* 1235. deſcriptum, purgauit, & ſine vomitu; non tamen tam ſenſibiliter, vt in ancilla illa, tumor ſubſidebat. Itaque pôſt exhibui etiam Crocum ♂. *ibid. pag.* 1262. deſcriptum, additis trochiſcis, & ſpeciebus Dialaccæ. Semel etiam atque iterum vinum medicatum conueniens exhibui. Poſteà, quod valdè, ipſi profuit, in Laconico, (*in einer Zugedeckten wanne*, excepto capite) eſſerto 1. aliquoties eum ſudare iuſſi. Tandem etiam quod commendari audiueram, quaſi ſpecificum, & quod per cutem aquas hydropicorum inſigniter expellat, remedium, Aquam Taraxaci experiri libuit. Exhibui illi aliquot hauſtus, & cute hinc inde in cruribus, ſcroto, imò in digitorum interſtitiis apertâ, Aqua copioſiſſimè effluxit. Quod an ſoli Aquæ Taraxaci adſcribere debeam, an verò iis quæ præceſſerunt, medicamentis, & præcipuè Laconico, dubito. Tu ergo idem medicamentum, vbi occaſio Tibi offeretur, experire, & quid obſeruaueris, ad me perſcribe.

Aqua Taraxaci ſpecificum.

Effectus.

Spiritum vitrioli *Philoſophicæ Hartmanni*, an tantum tribuendum ſit, non parum dubito; cùm non ignorem, in ſuis laudandis *Hartmannum* ſæpe nimis glorioſum eſſe. Et ne eius periculum facerem, illud in primis cauſa fuit, quod etſi guſtu acris non percipiatur, vitrum tamen, in quo continebatur, corroſit, & fregit; quod ipſum Tibi ſpectandum mitto; (remittes tamen illud) idemque aliis accidiſſe vidi.

Hartmannus in ſuis laudandis nimius.

Sulphur vitrioli ex Hartmanno me habere putabam; ſed an habeam, dubito. Deſcriptionem eandem poſteà inuenio in *Beguino Barthij p. 349.* Tu quid de ea ſentias, ad me perſcribe. Dixi hac de re etiam aliquid in *Inſtitutionibus*.

Sulphur vitrioli.

Vteri & Renum in vena aperienda diuerſitatem quandam eſſe exiſtimo. Nam reſpectu trunci Venæ Cauæ is Vteri ſitus eſt, vt ſi Venæ in cruribus aperiantur, ſanguiſque verſus inferiora trahatur, ſimul verſus vterum trahatur: Renes verò ita ſiti ſunt, vt venâ in cruribus apertâ ſanguis verſus eos non trahatur, ſed ab iis potius auertatur.

Reſpondet ad obiectionē Epiſtolâ 10. datam circa venarum in pedibus ſectionem.

Mylij ſcripta, quantum obiter inſpiciens indicare potui, mera collectanea eſſe dixi; Idque non eo fine, vt Te ab inſtituto tuo abſterream. Sine iudicio enim pleraque ab illo corraſa videntur. De te verò longè aliud mihi polliceor. Nam *colligere, aut potius ſeligere, non cuiuſuis eſt, ſed & id iudicium requirit.*

Quid ſentiat de Collectaneis.

De *Nutrientum luctu defectu* nihil iam ſcribo; ſed τὸ ὅτι diligentiùs adhuc obſeruabo. Idem & tu facias.

Fratrum R.C. Societas intermori mihi videtur. Enthoſiaſtæ tamen plurimi, qui hoc nomine ſe iactant, hinc inde vagantur. Quid *Marpurgi* acciderit, non audiui: neque etiam multa de aliquo, qui *Electori noſtro, & Academiæ interitum* prædixerit. Fuit quidem nuper quidam Francus hîc, quem tale quid ſuſurraſſe dicunt. Is latuit apud Sileſios duos fratres, qui venditis libris, & coriaſo, vt aiunt, in patris patrimonio, eum neſcio quò locorum ſequuntur. Poſt abitum illorum famulus Theologia exhibuit manuſcriptum quoddam *Schemhamphorae*, id eſt, Preces, quæ ex ſingulis Pſalmis ſingulos verſus continent; in quorum ſingulis nomen Iehouæ continetur. Sed in margine mirabilia nomina Angelorum ſingulis verſibus adſcripta erant, quæ in orando pro nomine Iehouæ recitare ſolent. Recitant autem has preces ſingulis diebus, & noctibus, &c.

Enthuſiaſta quidam alios duos induxit.

Liber Precum Enthuſiaſtarum.

Et vt ad capita, quæ in priore Epiſtolâ prætereram, etiam reſpondeam; quomodo Cucurbitularum paruarum circa locum affectum applicatio, & cutis ſcarificatio, Arthritidem auertere poſſit, non video; præcipuè illam, qualis pleraque eſt, quæ tranſmiſſione materiæ, & *per Criſin quaſi* accidere ſolet. Ergo ſi iuuat, in illâ ſaltem iuuabit, quæ à congeſtione fit; de quo ipſo tamen dubito. Inquirendum ergo erit diligentius an ita ſe res habeat? & quo cum ſucceſſu id fiat? *Marrubij ſuccum* Podagricis non inutilem eſſe exiſtimo; cùm vitioſos humores abſtergendi magnam vim habeat.

Quid ſentiat de Cucurbitularum applicatione pro auertenda Arthritide?

Marrubij ſuccus cur vtilis?

An *Mercurij vitæ vſus* frequentior Ani procidentiam excitet? neſcio; neque id obſeruaui, neque eum frequenter exhibui. An verò mitior reddi, vt tamen vim purgandi retineat, poſſit ſpiritu vitrioli addito, dubito, atque exiſtimo, eodem modo illum ſpiritu vitrioli figi poſſe, ſicut ſpiritum nitri, vt vim purgandi amittat, & diaphoreticam acquirat, vt *Bezoartici mineralis* loco haberi poſſit. Et commendatum eſt mihi à Chymico quodã Bezoardicum minerale hoc modo paratum, atque illud tum etiã paraui, ſed nulli dum exhibui. Atque hîc in mentem mihi reuocatur *ſcammonij præparatio per ſpiritum* vitrioli, poſſétque dubitari, an genuina ſit? quærique an non ſolùm vis purgandi hoc modo imminuatur? ita, vt maiore doſi, quàm anteà, opus ſit; An verò prætereà malignitas corrigatur? Non incommoda illa videtur præparatio, cuius *in Inſtitutionibus* mentionem feci. In præparatione hoc ſaltem obſeruandum, vt ſpiritus vini eſſentiâ ſcammonij impregnatus priùs filtretur, poſteà Aqua Roſarum infundatur: quæ poſtquam infuſa eſt, quieſcere per aliquot dies ſinatur, & Scammonium inſtar Reſinæ pellucidæ in fundo ſubſidet, quæ effuſo ſpiritu vini, & Aquâ Roſarum ſiccatur, & ad gr. X. XII. vel etiam plura exhibita, ſatis modeſtè purgat.

Reſpondet ad quæſita de Mercurio vitæ.

Mercurius vitæ per ſpiritum vitrioli redditur Diaphoreticus.

Scammonij per eundem præparatio an ſit legitima?

Melior eiuſdem præparatio.

Doſis.

Alteram tuam Epiſtolam quod attinet, principiò Tibi gratias habeo pro Libellis tuis tranſmiſſis; atque ἀντιδώρου loco mitto meas Inſtitutiones. Compactori eos ſtatim tradidi, perlegam eos quam primùm; & ſi quid offendero, quod monendus videaris, candidè id faciam. Errata multa in eos irrepſiſſe, non miror; præcipuè cùm ab operis abſueris; cùm rationes *Typographiarum* ſatis notæ mihi ſint. Putaram & ipſe, iteratam iſtam Inſtitutionum editionem priore correctiorem prodituram; ſed multò vitioſior priore prodit.

Typotheta & Correctores negligentes.

Correctore enim vsus sum negligentissimo, & cùm sæpius peregrè abfuerim, vicariâ Studiosorum operâ mihi vtendum fuit, quorum incuriâ etiam multa σφάλματα irrepserunt.

Perge, & reliqua tua feliciter absolue. Ego quid promittam incertus sum, & in potestate Dei hoc situm est. Et aliorum negligentia me etiam remissiorem facit: Cui accedit & æstas iam ingrauescens, quæ vires ingenij minuit. Quod tamen hactenus feci, cum Deo, in posterum etiam faciam: *Non cessabor.*

Tibi, & D. *Bucretio*, cum salute, pro Aqua Narcotica gratias ago.

Dubium circa Emplastrũ Doringij contra Hydropẽ. sup. Epist. 10.

Hoc tamen addendum etiam superioribus censui, mihi mirum videri, quòd Emplastro contra Hydropem santalum rubrum, addideris, istud ipsum tamen posteà in spiritu vini maceraueris. Causam eius rei ergo mihi patefacias. Saluere iubeo tuam vxorem, & Dn. Abrahamum Scilerum, & vos omnes bene valete. VVitteberga 5. April. Anno 1620.

EPISTOLA XIII.

PERIOCHE.

1. *Pleuritides, anno 1620. Bresla etiam familiares.* 2. *Historia Empyici ex pleuritide.* 3. *Vini absinthitis vtilitas in Empyicis.* 4. *Vnguentum viride phthisicis & Empyicis vtile.* 5. *Historia pleuritici, cum euentu calamitoso.* 6. *Quæstio, per quas vias pus è pectore per vrinas euacuetur.* 7. *Alia quæstio, quomodo pus è pectore per intestina vacuetur.* 8 *Obseruatio expurgati per aluum puris, ex abscessu hepatis in abdominis cauitatem illapsi.* 9. *Cacochymia corporis per vrinas, saluis renibus & vesica expurgari potest.* 10. *Lac sulfuris in hecticis sine phthisi, suspectum præsidium.* 11. *Sulfur nonnullis humectare.* 12. *Optat vt Sennertus, quæ monenda censet circa Chymicorum medicamentorum præparationem, breui publicet.* 13. *De Guarganto, & Trognio.* 14. *In hydropico restituto striæ caruleæ per cutem abdominis transparentes.* 15. *Aqua taraxaci an hydropi conducat?* 16. *Spiritus vitrioli philosophicus, an calculo vesicæ vtilis?* 17. *Historia fœminæ à calculo vesicæ liberatæ.* 18. *A sulfure vitrioli intrò sumpto cauendum.* 19. *Venas inferiores tunsas potiùs à Renibus deriuare videri, quàm reuellere.* 20. *Mercurij vita per spiritum chalcanthi correctio num succedat.* 21. *Diagridij per spiritum calchanthi præparatio improbatur.* 22. *Cur Santalum in Vini spiritu maceratum Emplastro contra hydropem adiiciatur.* 23. *Emplastri Santalini, vel Incogniti vsus.* 24. *Cur Euphoristorum Helidæi publicationem dissuadeat D. Bucretius.* 25. *An cruentatio post primum congressum sit signum Virginitatis.* 26. *Bartholomæi Cabrolij paradoxon de Testibus, & rationes contra ipsorum facultatem seminificam.* 27. *De Dentibus geminis, quando erumpant, & cur ita dicantur.* 28. *An toti dentes excidant.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Pleuritides Anno 1620. Bresla etiam fuerunt familiares.

SPleuritides, *Clariss. Dn. Affinis, & Compater honorande*, nobis quoque per hyemem decursam valde fuerunt communes, non intra vrbem dumtaxat, sed & extra tandem in vicinis hinc inde pagis, plurimósque intra paucos dies è medio sustulerunt: qui euaserunt, Empyici plerique facti sunt, inter quos & *noster affinis, Daniel*. Is tantam puris copiam tussi reiecit quantam vix credere possis. Nunc meliusculè iterum

Empyici exemplum.

habet à continuato vsu *vnguenti viridis potabilis*, & domo vicissim egreditur; verùm œdematosis cruribus. Euentus quidem adhuc dubius; præsertim cùm symptoma istud, non tantùm post febrem chronicam, qua cum per biennium ferè conflictatus est, sed & morbum acutum, ac pectoris vitium, consequatur. Bibit tamen cum cibo *vinum absynthites*; cuius vsum sibi satis ex vsu esse experitur, cruribus nonnihil detumescentibus. *Vnguento viridi* apud Phthisicos & Empyicos multùm tribuo, cùm id satis efficax aliquot in casibus compererim. Hir diebus singularis casus mihi oblatus est. *Georgius Iosu*, Institor, vir quinquagenarius, ex itinere, vt longinquo, sic molesto, laborioso & periculoso, è Polonia reuersus, pleuritide corripitur. Medicique sibi familiaris consilio per septiduum vtitur, & me tandem etiam accersi iubet. Ad quem vbi accedo, non maximam solùm virium deiectionem, sed & dolorem lateris dextri intensissimum, respirationem crebram ac difficilem, tussim, (quam tamen propter doloris acerbitatem cohibere cogebatur) vigilias, calorem acutum, & quod *maximi momenti* esse censeo, *pulsum* plenum, durum, & nunc ad secundum, nunc quintum, nunc decimum, nunc decimumquartum, nunc aliquem aliquem ictum, semel *intermittentem*, deprehendo. Vrinæ quoad colorem sanis non erant absimiles, quamprimùm emittebantur, nonnihil turbidæ; postquam verò aliquamdiu stetissent, inclarescentes, & materiam subalbicantem farinaceam (*qualis in renum ac vesicæ vlceribus & calculo conspici solet*) deponentes, talésque toto morbi decursu fuisse dicebantur. Casus mihi quidem statim visus planè desperatus; ægri tamen ipsius & coniugis, tum amicorum precibus victus, quæ ad rem præsentem commoda censebam, in medium consulo, & præter alia cucurbitularum ad scapulas scarificationem, & Cassiæ dolenti loco applicationem propono. Nec omni res hæc caruit successu, Inde enim respiratio nonnihil facilitata; hinc dolor intolerabilis sensibiliter lenitus fuit. *Opinatus venam à priore Medico non pridie primùm, sed primis statim diebus sectam fuisse.* Quid fit? post biduum, in quod incidebat morbi dies nonus, ita omnia exasperabantur, vt ægrum iam expiraturum dixisses. Collega hoc die non rediit. Ego per famulum sciscitabar, viueretne adhuc æger, an obiisset? De vita certior factus, & à coniuge inuitatus, ipse accessi. Offendi in meliore paulùm quàm ipsum reliqueram statu. Respiratio enim facta erat liberior; tussi purulenta, atque inter hæc, *grumos puris, pollicis articulum anteriorem magnitudine æquantes* (vera scribo) expectorabat; vrinæ copiosius profluebant, & farinaceam illam materiam maiori adhuc copia deuehebant.

Vini absinthitis vtilitas.

Vnguentum viride Phthisicis & Empyicis vtile.

Casus singularis.

Grauia symptomata.

Pulsus varie intermittens.

Vrina constitutio.

Prognosticum.

Curationis auspicium.

Venæsectio in Pleuritide maturanda.

Expectoratũ multum purulentum.

Collega absente, *syrupi de fragis, & lapide prunella*, pro vrinæ promotione, tres doses hac ipsa die; pro iuuanda autem expectoratione, *Oxymel pectorale Quercetani, cum syrupo de hyssopo, de glycyrrhiza, extracto glycyrrhizæ, aquâ tussilaginis*, & spiritu sulfuris acido frequenter lambendum, sequenti die præscribo; *Roborantibus* interea, quibus antea vsus fuerat, *& Clysteribus non neglectis.* Afficiebatur leui parapbrenesi; postridie è lecto surrexit, & vestes (expediendum enim sibi aliquid necessariò esse prætendit) ipsemet induit, atque extra hypocaustum per horam q. dimidiam sedit, qui pridie moriturus videbatur. In conclaue reuersus, ad mentem integrè rediit, & inde post competentium remediorum vsum indies melius quodammodo habere visus est. Quippe pulsus non ampliùs intermittebat, sputum promptè subsequebatur, vires erigi incipiebant, aluus anteà segnior per biduum, vel triduum, singulis diebus ter quaterue respondebat, respiratio facilitabatur, somnus bellè habebat, extra lectum interdiu per vices considedat: Vrinis interim in eodem semper statu permanentibus, & pure cum sanguine alui fecibus permisto prodeunte. *Summa*: in sanitatis consequendæ spem omnes non parùm erigebamur; adeò vt ægrotans de Collegâ dimittendo non cogitaret solùm, sed & hoc ipsum mihi significaret, & vt curæ solus deinceps præessem, proximo paschatos profestu me rogaret; repulsam tamen à me, bono meo fato, referret. Ecce enim, qui iam extra omne periculum se constitutum esse opinabatur; circa huius ipsius diei vesperam, de nouis doloribus versus spinam conqueri, calere iterum, languere multùm, appetitu priuari in vniuersum, respirare difficulter, expectorare plurima ordiebatur; hocque continuabat ad diem proximè sequentem Mercurij vsque, vrinis sibi semper simillimis: in quo cum hora secunda pomeridiana ab ipso discederemus, post bihorium, adstantibus nil tale suspicantibus, subitò exspirauit, suffocatus proculdubio à rupta recenter pulmonum vomica, morbi die 29. Hæc istius ægrotantis est historia: in qua tria in primis memorabilia occurrunt. Vnum est, puris per Vrinas, alterum puris cum sanguine per aluum euacuatio; tertium Pulsus intermissio. Quæro igitur, *per quas vias ad loca ista è pectore pus transiisse putes?* De primo antè decennium ferè Giessa Epistolam quandam ad D. *Kirstenium* scripsi; ad quam is nihil respondit. Si illam videre, & de ipsa iudicium tuum mihi exponere iubes, protinus mittetur. Maioris indaginis est: *quomodo intra intestina è pectore pus transmitti potuerit?*

Remedia.

Quæ inde consecuta fuerint.

Conualescentia quanta spes.

Euentus.

Tria notabilia in hoc casu.

1.

2.

3.

Quæstio 1.

Quæstio 2.

Sanè

Observatio expurgati per alvum puris, ex abscessu hepatis in abdominis cavitatem illapsi.

Sanè observatum est mihi ante quinquennium, rupto abscessu hepatis, (curæ illi mecum præerat *D. Frauens*, qui testis esse potest) pus ad inguina descendisse, dolorem gravatiuum ibi excitasse, & per alvum cum fecibus expurgatum fuisse. Evadebat ille æger, quantumuis ferè sexagenarius; & vltra sesquiannum superstes manebat, tandemdenique ex alio, sed nescio, quo (neque enim tunc curæ intereram) morbo, naturæ naturæ debitum persoluebat. Pus hîc per intestinorum poros transsudasse, si dicam, an absona dicturus sim? Tu æstima pari ratione apud Empyicos idem obtingere in pulmonibus, quis diffiteri ausit. Disputent licèt contra ista vulgò in Scholis acerrimè: mihi tamen vna Experientia hac in parte mille ratiunculis Dialecticis potior, & firmior est. Ita nimirum *multa nobis suggerit experientia, quorum veritatem disputando nunquam assecuturi eramus.*

Per quas vias illo pervenerit?

Experientia vis.

Caussa intermissionis Pulsus.

Noua Quæstio.

Pulsus intermissionem quod attinet, eam à pure impacto fuisse causatam, ipse haud invitus admitteres. Eadem illa historia materiam mihi suppeditare poterat, quærendi: *An sabulosa, & farinacea materia* (quam hic verè purulentam fuisse, vel illud docere potest, quòd ea, quæ tussi reiiciebantur, in aquâ similiter diffluebant, & in fundo vasis adinstar illinæ materiæ albicantis subsidebant,) *cum insigni ardore vrinæ per menses quasi octodecim, postquam Vrinæ initio semel atque iterum cruentæ præcessissent*, in viro propè septuagenario sabulum, non per multos tantùm annos, sed & tum excernere solito, (vt alia lubens præteream.) *prodiens, non renum & vesicæ calculum atque exulcerationem, sed cacochymiam corporis, & humorum vitiosorum ad has vias defluxum duntaxat portendat?* Causam cur hoc quæram, non habeo nullam: de qua forsan proximè. Equidem saluâ vesicâ saluisque renibus, cum maximo in meiendo cruciatu, pituitosum excrementum ex aliis partibus per multas sæpe septimanas Naturæ motu cum vrina expelli, lubens tibi concessero. Ast in illo casu aliunde, quàm à renibus & vesicâ, materiam farinaceam transmissam, haud opinor. Verùm de hac re aliàs pluribus.

Cacochymia Corporis per venas, saluis renibus & vesicâ, expurgari potest.

De vsu Lactis sulphuris in Hecticis.

De Lacte sulfuris quæ nuper scripsi, quâ cum limitatione scripserim, ipse nôsti. Nimirum, si id balsamum sit humidi radicalis, viresque confortet Naturales, vti voluit *Crollius*; Hecticis atque aridis dari haud recusauerim. Verùm cùm de illis facultatibus non parùm dubitem, (quicquid etiam aliquando Medicus quidam, Chymicorum alias hostis infensissimus, *de facultate sulphuris humectante* obiecerit,) & à sulphuris medicamentis sudores facilè moueri sciam: Hecticis certè sine phthisi (vt scribam, quod sentio) id exhibere nolim.

Sulphur nonnullis humectat.

Bene facis, quòd incautam Iuuentutem de huius generis rebus prudenter mones. Quàm auidè enim Recentiorum Chymicorum scripta ij arripiant, & in ægrotantium perniciem magnificis præconiis seducantur, nemo est nescius. Rem profectò vtilissimam præstares: si (quod *in alterâ super tuas Institutiones præfatione polliceri* videris,) eorum, quæ circa medicamentorum Chymicorum præparationem monitu sunt necessaria, accuratiorem, & ex principiis rerum naturalium deducendam, ac petendam tractationem, præ aliis maturares. Quod vt facias, per communem hominum salutem, etiam atque etiam Te rogatum volo. *Guarganti* scripta mihi quidem non displicent: præposuerim ipsa *Guarinonij*. Medici olim Imperatorij, *Consilia*. *Trognius*, quod sciam, nihil edidit. Gallus fuisse dicitur magni cùm nominis, tùm orter. Apud *D. Rhodium* ante aliquot annos chartarum ipsius nonnihil vidi.

Rogatur Sennertus, vt ea, quæ circa præparationem medicamentorum Chymicorum monenda censet, maturet.

Antiquorum medicamenta haud inutiliter in vsum reuocari posse, ipse etiam in *Diatribe de Opobalsamo Syriaco* monui. Hydropico illi tuo Laconicum valde profuisse, non dubito. Vsus eodem & meus ille; sed postquam vente ad statum naturalem totus ferè rediceat, cruribus œdemate adhuc affectis, Illud mihi nuper mirum videbatur. Postquam enim restitutus est, strias quasdam ad abdominis latera sub cute cæruleas, non parum dolorificas, ab aliquot iam septimanis primùm animaduertit. Eas cùm tangerem, sub cute eò vsque, quò striæ pertingebant, cauitatem leuem digitorum admotu percipiebam. Quid causæ esse putas? videntúrne, & hæ Scorbuti latentis esse soboles?

Striæ cæruleæ per cutem transparentes.

Aquam Taraxaci illa, de quibus scribis, præstitisse, tecum dubito. Communem id cum Cichorio obtinere facultatem, ipse haud ignoras. Hydropicis igitur an ratione hepatis conducat, & earundem aquas per cutem tantoperè expellat, non sine causa hæreo. Interim aliorum experientiam (quæ mihi profectò semper magna est, si certa sit) protinus damnare nolim. Faciam, vbi dabitur occasio huius rei periculum.

Aqua Taraxaci quomodo Hydropicis conducat?

Vitrum à spiritu vitrioli philosophico diffissum, in mera frustula fuit distractum. Fuêre ipsorum in vniuersum maiuscula, & minuscula, No. 28. Dubitaui an remittenda forent? si poposceris, mittam proximè. *Numquid comminuendo vesicæ lapidi vtilem ipsum futurum arbitraris*, si per siphonem cum aliis competentibus liquoribus temperatus, vesicæ infundatur? Memini enim, me aliquando à quodam audiuisse, fuisse quendam, qui liquore quodam Mercuriali in vesicam immisso, calculos ibi hærentes dissoluerit. Viuit & hîc etiamnum fœmina, cuius valetudini ego à quinquennio nunc præsum, quæ olim calculo Vesicæ laborauit, & Pragæ tunc à quodam Chymico oleum subnigrum causticum (quod vitrioli fuisse suspicor) tulerit, cuius vnam atque alteram guttulam cùm in alio dato liquore è cochleari sorpsisset, post paucas horas in vesicæ regione efferuescentiam quandam sensit, & deinde copiosum sabulum excreuit. Liberata hoc modo à Calculo fuit. Quod cùm aliquando *D. Kisierno* nunciasset, ad hoc persuasa residuum illud oleum ei spectandum dedit, sed non recepit. Mira huius fœminæ viscerum constitutio. *An ab hoc spiritu successus aliquis sperandus, nec læsio aliqua vesicæ metuenda sit* hâc ratione tutissimè ac bellissimè explorare posses; si nempe vesicæ suillæ, aut bubulæ recenti, cui Corallia, aut huius fortis aliud quid indideris, spiritus illius nonnihil infundas. Quod vt experiaris tibi hortator esse velim. Tentarem ipse si spiritus iste ad manus esset.

Spiritus vitrioli Philosophicus an Calculo vesicæ vtilis.

Fœmina à Calculo vesicæ liberata.

Quomodo periculum fieri possit cu spiritu vitrioli Philosophico.

De Barthij censurâ super vitæ Mercurio, quid tibi videatur nihil adiecisti. Quæso facias id proximè. Sulphur vitrioli purpurinum, quod in *Barthij Begaino pag.* 349. describitur, idem mihi videtur cum illo, quod alias vniuersis laminis chalybeis in solutum Vitriolum adhærere docetur. Ab hoc symptomata illa omnia produci, quæ tu *in Institutionibus* recenses, me ex aliis audiuisse recordor. Nolim, fortè, cuiquam auctor esse, vt eius periculum in corpore humano faciat.

A Sulphure vitrioli cavendum.

Quomodo Venarum cruralium, vel pedalium sectio in Renum, quàm Vteri, vitiis tutior sit, necdum video. Æquè enim emulgentes à trunco venæ cauæ, atque Vteri enascuntur. Sectâ igitur venâ in inferioribus, & confluente sanguine è superioribus truncum venæ cauæ, quin per Emulgentes ad ipsos quoque Renes idem rapiatur, fieri vix potest. Deriuationis causa vtiliter eas secari, præmissâ venæ brachialis sectione non negauerim.

Instantia ad responsionem Sennerti de sectione venarum in pedibus.

De Cucurbitularum paruarum cum scarificatione vsu circa locum affectum pro præseruatione ab Arthritide, siue ea per transmissionem, siue congestionem materiæ oriatur, rectè quidem dubitas. Dubitaui & ego de eodem hactenus: quinimò veritus sum, ne isto ingenio plus nocumenti, quàm adiumenti, loco affecto inferatur. Laudat tamen idem remedium Pansa, *in suo de Arthritide Tractatu*.

De vsu Cucurbitularum in Arthritide.

Sunt alij, qui eundem in finem Venarum in pedibus sectionem commendant. Ab Arthritide mea quòd per annum iam immunis fui; an Venarum pedalium sectioni, quam in proximo meo morbo, vti scis, instituebam; an abstinentiæ, & bonæ potius diætæ, institutisque aliquoties euacuationibus, adscribere debeam, facilè animaduertis.

Venæsectio in pedibus.

Quibus medijs Auctor per annum ab Arthritide præseruatus fuerit.

De Mercurio vitæ in Bezoardicum minerale per vitrioli spiritum figendo, quæ scribis; vera esse fateor, si cum spiritu nitri processus instituatur. At si cum eodem semel atque iterum saltem imbibatur, & in marmore læuigetur, exsiccatusque rursum edulcoretur, aliter multò rem habituram existimarim. De quo tu diligentius cogites, oro.

Mercurij vitæ per vitrioli spiritum correctio nũ succedat?

Diagridij per Vitrioli spiritum correctio vires ipsius reuerà minuit. Nam si paulò vetustius sit, inefficax propemodum redditur; contrà recentius præparatum efficaciùs multò operatur. Interim tamen Ventriculum ab ipso lædi obseruaui. Altera, quam modò descripsisti, & *Institutionibus* etiam inseruisti, omnino mihi probatur, si paucula saltem spiritus Vitrioli aut Olei Tartari per deliquium parati, guttulæ instillentur, an non securius euasurum arbitraris Diagridium? Hanc præparandi rationem *an etiam aloe, succo Indico & similibus vtilem futuram censes*? Sed heus? rectificatissimóne vini spiritu ad hanc rem opus est?

Diagridij præparatio per vitrioli spiritum improbatur.

Altera laudatur.

Miraris quod Emplastro, contra Hydropem Santalum rubrum addiderim; illudque tamen ipsum in spiritu vini deinceps macerari iusserim. Causam ergo istius facti hanc habe. Legeram *in Manuscriptis Scholtzianis*, *VVenceslaum Raphanum* Emplastrum Incognitum dictum ad tumores hydropicos & arthriticos mirè *Scoltzio Patri* commendasse. Cuius descriptio cùm me lateret, non meos tantùm Collegas, sed & teipsum vt nosti, ob eam ante aliquot menses compellaui. Tandem cùm ipsa potitus essem, santalum in spiritu Vini maceratum (quod illa recipit) retinui, formulámque quibusdam (quæ ad institutum magis facere videbantur) adiectis, ad modum nuper descriptum permutaui. Santalum autem non hepatis duntaxat roborandi, sed & acrium ac serosorum humorum contemperandorum causa rectè admisceri, censeo: cuius facultas vt promptiùs penetraret, in spiritu vini id infundi decuit. Emplastrum illud Incognitum *Augustæ* in magno & frequenti dicitur esse vsu. *VVirthius* idem *in sua Chirurgia* commendat. *Ioannes Sothius* Chirurgus noster, totus VVirthianus, eodem in fracturarum initio vti solet. *VVoyssellius*, hoc temporis senior, id suum santalinum, ne agnosceretur, appellare, & contusis partibus imponere solitus est. Mutaui communem descriptionem nonnihil, & *Laurea* pro communi vsu parandum dedi sub Titulo *Emplastri Incogniti nostri*. Exemplar tuarum Institutionum, Bibliothecæ Nationis Germanicæ, quæ Patauij est, vt dono mittas, non dissuadeo. Animus est, & meos libellos patriæ Bibliothecæ donare, si id consultum iudicaueris. Eos vt per otium euoluas etsi quid offenderis, de quo me

Santalum in spiritu vini maceratum cur Emplastro contra Hydropem sit additum?

Emplastri Santalini vel Incogniti vsus.

monendum videris, candidè id facias, ceu promisisti, rogo. Si otium fuerit idem de me tibi pollicearis, volo, &c.

Cur D. Bucretius Helsdai Exporistarum publicationem dissuaserit.

Pro Institutionum exemplari dono mihi missa gratias officiosas ago: non oblitutus ἀντιδῶναι, quamprimùm data fuerit occasio. Indicabam nuper D. *Bucretio*, me aliquando *Helsdai Exporistas* publicaturum. Dissuadebat is, non quidem eam ob causam, quasi aliis talia inuideret; sed quia ea vilescerent, & facilè à quopiam in linguam vernaculam (vti huius sæculi quorundam mos est non satis laudabilis,) transferri possent. Eadem ne & tua est sententia? Quæ si sit, vereor, me, & *Conradini*, *Tabernæmontani*, ac *Pollionis* iterata editione, apud vos impingam, qui & ipsi Germanico sermone sua ediderunt. Hæc sunt, mi *Sennerte*, quæ ductum tuarum litterarum secutus impræsentiarum, pro temporis ratione, respondere volui, ac potui.

De Signis Virginitatis.

Cùm autem ista ob festinum, inopinatumque Rhedarij discessum, vt proximè significaui, describere non potuerim, & moræ nonnihil interuenerit, priusquam nostri Lipsiam proficiscerentur: Alia insuper, quæ tibi aut ingrata futura spero, adiicere placuit. De Signis Virginitatis multa vulgò dorem, multisque istis plurima erronea hinc inde admisceri, mecum sine dubio lubens fateris. De *Cruentatione*, primum congressum subsecutura, quid tandem sentiendum sit, non pauci hæsitant. Quidam sanè pro indubitato indicio eam habent. Ego tamen (vt mitissimè de ipsa loquar) incertum esse iudico: & puellas expugnatæ prius virginitatis, si cruentatio nulla succedat, protinus accusandas esse non arbitror. Nam si virgo vel prouectioris ætatis, vel grandioris staturæ sit, locósque muliebres naturâ paulò ampliores obtineat, aut menses non ita pridem fluxerint; congressurus autem cum ipsa minùs grandi crassóue membro sit præditus, nec vsque adeò magno cum terrore ac impetu, pugnam veneream ineat: Cruentationem vllam via deprehensum iri, ipse proculdubiò asseuerabis. At quomodo cum his illa mihi conciliaturus es, quæ leguntur *Deuteron. c. 22.* vbi disertis verbis scriptum comperimus, eos, qui Coniuges suas temerè, atque ea priuato duntaxat odio aliquo violatæ Virginitatis accusauerunt, producti iussu diuino coram Iudicibus vestibus in primo congressu inquinatis, criminis falsi, atque iniuriæ coniugi illatæ ab huius parentibus esse conuictos. Quærebat nuper ex me huius rei causam *D. Bucretius*. Ego prætermissorum inemor peculiarem Dei ordinationem prætendebam; quam *Bucretius* reiiciebat, & hanc in medium afferebat, quòd videlicet iuuenes Iuuenculas admodùm, *duodecimum vsplur inum ætatis annum hodiè vix prætergressas*, in vxores ducant, & rem veneream nimia furentes aggrediantur. Quæ ratio esti locum mereri possit: An tamen hodiè etiam verius sit, & olim tam iuuenculæ Viris nupserint, dubitatione haud caret. Nisi igitur singulari ordinatione diuina (qua libidinosum populum coërcere voluit Deus) cruentatio illa pro infallibili Virginitatis signo habita fuit; veriorem vt tu mihi proximè reddas, precor.

Obiectio.

Cur?

Cruentatio post primum congressum signum incertum.

Responsio mea.

D. Bucretij.

Censura super ista.

Paradoxon Sennerti de Renum vsu.

Legendum mihi nuper dedit, quidem Medicinæ studiosus Præceptoratu apud *Bucretium* fungens, vestræ ante hac Academiæ aliquandiu alumnus, Paradoxon tuum de Renum vsu.

Quod vt cum aliis à te institutis exercitiis ad me mitteres, proximè rogaui. Paradoxon est, vt vidi; sed quod penitiore examine indiget.

Incidi his diebus in *Bartholomæi Cabrolij Monspeliensis Academiæ Anatomici, & Chirurgi Regij Obseruationes*, Alphabetho ipsius anatomico adnexas. Inter illas in ea, quæ in ordine est tertia, rationibus, & experientiis pugnat, Testibus vim σπερματοποιητικὴν deesse. Quod paradoxon cùm tuo illi succenturiatas q. operas præstare videatur, quale apud *Cabrolium* inueni, ad te perscribere, & de eo iudicium tuum explorare volui. Mihi quid in vtroque placeat, vel displiceat, proximè indicabo. Penitius ergo, inquit, hominis membra dum rimor, magnus mihi scrupulus aliquando iniectus est, *de Testium natura & viribus*. In testibus enim semini vltimam imponi manum, tam certum plerique habent, quàm quod certissimum: mihi id non incertum modò, sed & falsum esse persuasissimum est: *cum* quod nulla spermaticorum vasorum, seu præparantia, seu differentia fiunt, nullaceous testes subeant; *tum* quod *Aristotelem*, vt in naturalibus semper; ita & hîc verum vidisse autumem, cui testes non nisi pro ponderibus sunt, vt Epididymides in æquilibrio teneant, facilioremque viscoso aliàs, nec facilè fluanti semini, viam faciant, vt Textorum in officinis appensos videmus telæ lapides, quò subtemini faciliores sint alterni recursus. *Addo*, Testes serosiorem seminis partem exsugere, vt ei prolificam vim augeant. Neque negauerim, in parastatibus, vasorúmque labyrintheis anfractibus, elaborationis seminis principia iaci, demúmque in prostatibus perfici; perfectum autem hinc inde cellulis octonis, nouenisque, quarum singulæ venereum vnum telum, vbi constiterit emittant, contineri. Iam verò in testium substantia semen non perfici, argumento est, quod nemo in iis cauitatem vnquam insignem, huic tamen rei pernecessariam, obseruarit. Omnes eos fibris, pilorum instar, multóque sero plenos, videmus; omniáque vasa spermatica integris testibus à corpore reuellimus. Cùm ob hæc argumenta, omniumque auctoritatem fluctuarem, accidit anno 1564. quod me in vado collocaret. Erat eo anno Monspelij *Dominus Mommorancius*, ex cuius stipatoribus, cùm quidam vim facecet Virgini, *Mommorancius*, vt fortè illac iter faciebat, audito matris clamore, séque intellectâ, hominem, vt erat, ipso momento è fenestra suspendi iubet, cadauer eius theatro Anatomico illatum. Aderant *D. Suporta*, *Feynes*, *Ioubertus*, præsidebat *D. d'Assas*, omnes Medicorum æui nostri phœnices. Ecce! cùm ad genitalia ventum, stupratorem illum, *Plauti* ioco, intestatum, hoc est, testibus carentem, tam exterius, quàm interius, inuenimus. Cellulas tamen illas in eo, venereos in vsus arma promptuaria, vt in aliis notauimus. Hîc omnibus rei nouitate attonitis, quæstio agitari cœpta, num testes generationi seruiant? Negabam ego. Cùm mihi *Suporta*; cedo mihi Eunuchum, qui genuerit? Respondi, Eunuchis vasa præparantia, deferentiaque exsecta, quo minus, mirum si soluta cellularum continuitate, nihil eis inueharur. Demum, plane me confirmauit, quod Bellicadri accidit. Oblatus est mihi illic 22. annos natus Adolescens, quem quia parentes intestabilem naturâ deprehenderant, matrimonióne, an Ecclesiastico statui addicerent, dubitabant. Adhibitus ego in consilium, author ei fui in leges vt maritas descenderet; dictum, factum, postuerta prosa, nitaisque omnibus fauentibus. Viuit etiamnum, iamque complures genuit filios, testaturus mihi sine testibus se genitos. Hucusque Cabrolius, *d. lib. p. 94. & seq.* Quæ omnia quanti ponderis sint, ac momenti, breuem aliquam temporis moram impendere, vt ea penitiùs cognoscas, haud dedignare. Digna enim, imò dignissima hæc res est, vt exquisitius perpendatur.

Cabrolij rationes contra Testium facultatem semificam.

1.

2.

Quid testes Aristoteli?

3.

Vbi semen præparetur & perficiatur.

4.

5.

6. Obseruatio de Testium absentia.

Eunuchi cur nō generent?

Alia obseruatio similis.

Non minus consideratione dignum est, quod de Dentibus genuinis annotauit Vesalius *de humani corporis fabrica, lib. 1. c. 11.* Cùm enim illi post pubertatem venerisque vsum, (Archangelus Piccolhomineus *Anatomicarum prælectionum lib. 2. lect. 7.* scribit, eos circa vigesimum annum, aliis quadragesimo; aliis, tam viris scilicet, quàm mulieribus, quibus in iuuentute nati non fuerint, auctore Aristotele *lib. 3. de Historia Animalium, c. 4.* octuagesimo demùm erumpere, Hippocrates *lib. de Carnibus, text. 14. distinct. Cornarij*, in quarto septenario id accidere ait; vel quod *Plutarcus* rectiùs dici putat, detegi. *Vesalio* ætatis anno vigesimo sexto, trigesimus secundus succreuit,) cum maximis subinde cruciatibus, (Gorræus apud Bauhinum, *Theatri Anatomici l. 3. cap. 79. p. 932. in margine sub lit. a*; & tum hoc Bartholinus, *Institutionum Anatomicarum l. 4. c. 13.* id aliquando indolenter fieri testantur) prodeant: Medici id parùm obseruantes, aut alios, inquit dentes euellunt, aut humorum vitio eos infestari sibi persuadentes, ægros catapotiis, atque id genus pharmacis obruunt; ignari interim, quod dolore affectis nullum sibi gingiuarum ad postremum dentem scarificatione, ac interdum ossis pertusione, præsentius remedium afferri possit. Sanè decipi aliquando posse Medicos, dentium istorum delectatione, non negauerim. Nec negabis id forsan tu quoque. Illud mihi saltem expones velim; cur dentes isti, (quos Hippocrates *loco citato*. Sapientiæ, Auicenna *l. c. fen. 3. doctr. 5. c. 5.* sensus & intellectus, nominat, eò quòd vt est apud Ruffum Ephesium, *l. 1. c. 8.* tum nascantur verioque singuli, cùm homines incipiunt σωφρονεῖν, h. e. moderati & prudentes esse. *Plinio* nouissimi dicuntur, *lib. 11. natur. histor. c. 37.* siue vltimi, quæ enim recentes fiunt, vltimum locum habere solent,) Genuini à Latinis appellentur? Numquid cæteri veri dentes non sunt? vel an propterea hoc epitheton peculiariter sortiti sunt, quòd reliquorum adinstar non cadant? siue, vt significantiùs loquar, caput & superiam partem non abiiciant? Dentes enim totos non excidere ac renasci; vel inde constat quod quicquid abscedit, radice caret. An ideò etiam genuini fortè vocari merentur, quia, vt Auicenna scripsit *loco allegato*, ipsorum, quàm reliquorum, operatio maior est? cuius gratiâ pluribus capitibus eos donari, *ibidem* monuit Auicenna. Nimirum si reliqui omnes absint, soli isti omnium loco operari tandem coguntur. An denique à genis, quia in harum extremitate oriuntur, sic indigitantur? Tu quam istius appellationis veram rationem esse potes, proximè, quæso, perscribe. Bene vale, & prolixitati isti amicè ignosce. Breslæ, die 3. Maij. Anno 1620.

Dentes genuini quādo erumpant?

Quomodo erumpent?

Eorum eruptione decipiuntur Medici.

Variè ab Auctoribus nominantur.

Cur Genuini dicuntur.

1.

2.

An toti dentes excidant?

3.

4.

Appendix.

Obseruatione dignum puto, per vrinas expurgari cœpisse pus tertio morbi die, in Coniuge Michaëlis Scholtzij Textoris pleuriticâ, die 2. August. Anno 1622.

Emplastrum Incognitum.

℞. *Resinæ* ℥. vj. *terebinth.* ℥. iv. *ceræ* ℥. viij. *santal. rubr.* ℥. ij. Iterentur *spiritu Vini. optimo* Santalum, & commisceantur simul.

EPISTOLA XIV.

PERIOCHE.

1. *Sennertus ab ignauia alienissimus.* 2. *Quid de medicamentorum Chymicorum examine promisso sperandum.* 3. *In practica Medicina quæ desideret.* 4. *Deliberat de Praxi medica scribenda.* 5. *Propone*

Digitized by Google

ponit operum suorum reuisionem, necnon appendicem ad Institutiones suas. 6. Probat opinionem Plateri, pulmones in pleuritide ferè coaffici. 7. Pus è pectore ad intestina per venam cauam peruenire, idemque de abscessu hepatis statuendum. 8. Quomodo discernendum, an ex renibus, an verò ex aliis partibus proueniat materia purulenta, cum vrina excreta. 9. Stria carulea scorbutica. 10. Examen Barthij de Mercurij vitæ natura. 11. Responsio ad instantiam Doringij, circa venæsectionem in pede, ad renum inflammationem præcauendam. 12. Scammonij præparatio, & dosis. 13. De cruentatione Virginum consentit cum Doringio. 14. Ratio dubitandi super paradoxo de Vsu renum. 15. Cabrolij opinio de testium vsu expenditur. 16. Eunuchi coëunt. 17. Genuini dentes vnde sic vocentur. 18. An Diæta ad vitam longiorem aut salubriorem faciat, quærit. 19. Obseruatio fœmina phthisica, similem materiam ex nare, cauóque dente quotidie emittentis, illi quam tussi reiiciebat.

D. MICHAELI DORINGIO, *DANIEL SENNERTVS, D.*

Eruditissimis tuis litteris, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, responsum debeo; idque iam adorno, sed breuiter. An possim tempestiuè quod petis, dubito. Vides enim ipse me ista vt in calamum venire solent, ad te scribere, & nullum exemplar mihi reseruare. Quæ ipsa tamen boni consules. Mallem vt cultiora per otium possem. In respondendo verò ductum tuarum litterarum sequar.

Sennertus ab ignauia alienissimus.

Principiò tamen extra ordinem consilium tuum expecto, de labore posthac suscipiendo. Etsi enim pro parte mea, vt spero, ignauiæ culpam hactenus vitauerim, & me, cum Deo ita gesserim, vt officio meo non dedecenti fuerim, & lampada iunioribus iam tradere possim: tamen quia ad otium mihi natus non videor, pauxillum, quod restat, vitæ, etiam non malè locare velim. Promisi quidem aliquoties Examen medicamentorum Chymicorum; & per otium interdum eâ de re aliquid meditabor: sed lentus iste labor erit, & difficultatem operis agnosco. Licèt enim singulis nundinis libelli aliquot Chymici euolent, qui tamen in hoc labore me iuuare possint, vix video.

Quid de examine Medicamentorum Chymicorum sperandum.

Alterum verò, quod tractare possem, est *Medicina Practica*. Cùm enim aliàs Lectiones Practicæ mihi incumbant, possem & in eo genere aliquid elaborare; & nescio quid confusi & manci in caosis, sæpe animaduerto, nec Indicationes ad causarum diuersitatem disponi video. Præterea in Italis Medicamentorum maiorem apparatum & delectum sæpe desidero. Et *illud etiam admiratione non indignum*, quòd si 20. Medici ad ægrum conuocentur, & tandem omnes consilio habito in causis & Indicationibus conueniant, nullus cum altero, si quisque seorsim sua ægro medicamenta præscribere deberet, in Formulis Medicamentorum & Materia medica sit conuenturus. In qua re, an nihil situm sit, ipse facilè conicere potes. Itaque aliquid μεθοδικώτερον hîc animo concipio. An tamen operæpretium futurum sit, post tot authores Practica scribere, tuum iudicium audire volo. Et si ita tibi videbitur, vnum morbum nonnihil elaboratum imprimendum dabo, & tibi censendum mittam vt tuum iudicium audiam; an in reliquis idem tentare operæ pretium sit futurum? Et si labor hic tibi arrideret, quoties vnum Morbum absoluissem, ad te descriptum mitterem.

Quid in Practicis desideret?
1. 2. 3. 4.
Practica scripturus.

Ad quem posses tu tuas *Notas*, & vtilia, quæ in Lectione & Praxi tibi occurrunt, Medicamenta addere. Atque ita haberemus perpetuum litterarum argumentum, & tale, quod è re vtriusque esset. Et possent tandem illi Morbi cum tuis Notis & additamento edi, tuo nomine etiam adiecto: Sicut exemplum habetur in *Pereda & Pascualio*. De modo facilè conueniremus, modò labor absolutus esset. Tertium, in quod laborem impendere possem, est scriptorum meorum, id est, *Institutionum & Librorum de Febribus*, Reuisio; vt scilicet omne, quod ab ordinariis laboribus subtrahere possem, otium, in Libros istos emendandos, & augendos impenderem, pro vltima eorum vel post mortem meam adornanda editione: Addo quartum, quod dudùm etiam in animo volui, nimirùm *Appendicem ad Institutiones* parare, qui cum secundo labore ferè conueniret: in quo fundamenta omnium morborum curandorum in Institutionibus, loco notato, monstrarentur, & Medicamenta necessaria, & alia, quæ deessent adderentur. Quæso ergo te per amicitiam nostram, candidè mihi aperi, quem bonum quatuor laborum eligere debeam, & quo ex his magis & famæ meæ, quam (absit verbo inuidia) vltra spem, Deus mihi, vt animaduerto, maiorem concessit, & Rei Medicæ sim consulturus.

Scripta edita reuisurus.
Appendicem ad Institutiones paraturus.

Sed vt ad litteras tuas respondeam, primò peto, vt *Vnguenti viridis potabilis* vobis vsitatam descriptionem ad me mittas.

In Pleuritici illius *Georgij Iohn* morbi historia, in primis notabilis est puris cum sanguine euacuatio. De cuius via cùm quæras, omnino mihi recurrendum videtur ad opinionem *Plateri*, *Practici diligentissimi & experientissimi*, qui in omni ferè Pleuritide simul Pulmones affici dicit. Quod si ita est, vt esse puto, per venam Cauam pus ad intestina peruenisse, credibile est. Neque viam hanc vel impossibilem, vel raram esse, credet quilibet, qui, quæ in morbis fiunt, diligenter obseruat. Atque inter alia id persuadet μετάστασις materiæ in Hypochondriacis, Scorbuticis, paralysi ex Colica, ortus morborum pectoris & capitis, ex dysenteria & alui fluxibus intempestiuè obstructis. Vide obseruationes Schenchij *l. 3. obseru. 569.* Pus à læsis artubus ad aluum confluere. Neque opus fuisse puto, vt in eo, cui abscessus hepatis ruptus fuit, pus per intestinorum poros transsudarit, & ad inguina peruenerit, ibique dolorem grauatiuum excitarit; cùm viæ satis manifestæ sint, ex cauo scilicet hepatis ad intestina, & Gibbo ac vena caua ad inguina.

Plateri Opinio de Pleuritide probatur.
Per Venam Cauam Pus à pectore ad intestina peruenit.
Idem de Abscessu hepatis statuendum.

Si de copia illius materiæ, quæ per menses q. octodecim, cum insigni vrinæ ardore, cum vrina excreta est, mihi constaret, atque aliæ circumstantiæ perspectæ essent, certiùs respondere possem. Vtrumque enim fieri potest, vt & *ex Renibus exulceratis, & ex aliis partibus* talis materia cum vrina excernatur. Sed si magna copia excernatur, vix credibile videtur, vt ex solis Renibus proueniat; qui etsi in pus mutarentur toti, tantæ tamen copiæ, tanto tempore suppeditandæ, vix sufficerent.

Purulenta materia quando ex Renibus, & quando ex aliis partibus proueniat.

In Hydropico illo ad latera abdominis striæ illæ cæruleæ proculdubiò scorbuti soboles fuerunt. Et sunt hodie Hydropes scorbutici non rari. Et mens scorbuticus nuper scabie satis fœda correptus est.

Stria carulea Scorbuti soboles.
Scabies Scorbutica.

Si de *Taraxaci Aqua* periculum feceris, euentum ad me perscribe.

Sententiæ *Barthij*, qua statuit Mercurium vitæ nihil aliud esse, quàm Regulum antimonij spiritu sublimati vitriolico dissolutum, in omnibus assentiri non possum, atque aliud me docuit experientia. Sit enim, vt aliquid simul de Regulo antimonij (sæpe etiam ex crudo antimonio paraui) destillet; tamen maximam partem liquoris qui destillat, ex Mercurio sublimato constare puto: cùm nihil Mercurij, (præter eum qui viuificatur in Recipiente) in Retorta relinquatur, sed solum antimonium; quod etiamsi in Cinnabarim, si ignis vrgeatur, sublimetur & collo Retortæ adhærescat, tamen illud non est solum sulphur antimonij, quod experientia me docuit: Nam cùm in duplici tigillo illud sublimare vellem, nec labor succederet, liquata est illa Cinnabaris iterum in corpus antimonij. Cùm truncus venæ circa hepar quasi flumen sanguinis sit; à quo in totum corpus plurimi riui quasi manant; facilè agnoscis, si versus crura trahatur, è publico illo flumine versus vterum recto cursu fluxurum. Idem non fit in Renibus. Etsi enim emulgentes æquè è trunco venæ cauæ, atque vteri venæ enascantur: tamen spatium inter hepar, & exortum emulgentium paruum est, longè verò maius est spatium ab exortu venarum emulgentium ad diuaricationem venæ cauæ in crura. Si ergo sanguis ille, qui in trunco venæ cauæ, qui inter exortum venarum emulgentium, & bifurcationem venæ cauæ, iuxta os sacrum est, ad crura trahatur, à Renibus idem reuelletur. Et plus est sanguinis in illa parte trunci venæ cauæ, quàm est in parte venæ cauæ, quæ est inter hepar & exortum emulgentium.

Examen sententia Barthij de Mercurio vita.
Responsio ad instantiam meam de sectione Venarum in pedibus pro Renum inflammatione pracauenda.

Ad extrahendum scammonium *spiritu vini mediocriter rectificato* vsus sum. Ab aqua rosarum affusa planè gratum odorem acquirit. Exhibui eius ℈. vi. cum Cremor. tartari ʒ. ß. sexies aluum mouit. Potest tamen & maiori dosi exhiberi.

Scammonij praparatio.
Dosis.

Vt libellos tuos *Patria Bibliotheca* dones, non dissuadeo. Ego hactenus omnes meos eidem donaui, & *Dn. Christoph. à Poley* misi, qui vt ei insererentur, vt spero curauit. In edendis *Heliodas Euphoristus*, ne, quæso animum mutes. Abusus rem non tollat.

De *cruentatione Virginum* in primo congressu dudum tuæ fui sententiæ: quomodo tamen cum iis, quæ leguntur *Deuteron. c. 22.* conciliari possint, ipse etiam hactenus dubius fui.

Consentit de Cruentatione Virginum.

Ratio *D. Bucretij* non displicet, si ita sese res habet, quòd tam iuuenes omnes nupserint. An circumcisio huc aliquid facere potuerit, tu cogita.

Paradoxum de vsu Renum, adhuc pro paradoxo habeo, nec ausim id seriò defendere. Etsi enim quædam probabiliter pro ea opinione dici possint; tamen id præcipuè contra eam pugnare videtur; quòd viæ peculiares à Renibus ad testes, vel vasa spermatica, nullæ sint, quæ præparatam in Renibus materiam, eò loci ferant. Et hanc ipsam ob causam *Cabrolij* opinio, meam non roborat. Siue enim in testibus, siue in vasis spermaticis, semen conficiatur, res eodem redit. Neque etiam euincunt id, quod debent rationes Cabrolij. Vt de aliis non dicam; Nam etsi ille, quem *Mommorantium* suspendi curauit,

Paradoxum de vsu Renum.
Cabrolij Opinio de Testium vsu expenditur.

Digitized by Google

curauit, vim virgini faceret; tamen non sequitur, quod semen habuerit, & generauerit. Eunuchi enim coëunt, vt apud *Scalig. Exerc.* 104. *s.* 8. 175. *s.* 2. 277. *s.* 3. videre est, sed non semen emittunt. Quid verò si alter quem sine testibus genuisse scribit, testes intus habuerit?

Eunuchi coeunt.

Genuini dentes vnde ita dicantur, inter Authores non conuenit. Mihi ita appellari videntur, quòd cum reliqui cum homine nascantur, hi soli pòst gigni creduntur, &c.

Genuini dentes quare ita vocentur?

Paradoxon de vsu Renum, quod cupis, adiunctum hîc accipies; vt & aliam *de scorbuti causâ* Disputationem, ex meo sensu verbis respondentis, descriptam. Perpendes illam & quid veri, vel falsi contineat, liberè monebis: Adiunxi, & tertiam, quæ *Paradoxon* Collegæ mei, *de causâ Apoplexiæ proximâ* continet. Leges, quæso, & ea quæ in *nupera Institutionum editione* de causa Apoplexiæ habeo; & re diligenter considerata, quid tandem serio de Apoplexiæ causa statuendum censeas, breuè scribas.

Etsi verò satis iam argumenti adscribendum habeas, vnam tamen adhuc quæstionem mouere libet.

An scilicet *aliquid Diæta ad vitam vel prolongandam vel salubrius viuendum faciat, An verò consuetudinis hic maxima vis sit?* Et causa dubitationis est, quòd video Saxones, Danos, aliósque, qui Diæta minùs exacta vtuntur, corpore esse vegetiore, & floridiore, quàm Misnicos, Suecos, Austriacos, Silesios, qui Diæta delicatiore vtuntur. Addo & hoc, præ manibus habui hisce diebus nobilem fœminam, quæ phthisi laborat, ei singulis ferè diebus è nare sinistra satis copiosè effluxit materia fœtens, colore virescenti, atque illi, quam tussi reiicit, similis, & talis quoque ex dente quodam cauo effluit. Quæro ergò, *vbi illa generata fuerit.* Per otium aliquando & hoc ad me perscribas, *quid tandem tibi, & vestris Medicis videatur de affectu illo,* quem Germani dicunt *daß Vuehthun.* Item, *Verbrechen.*

Quæstio.

Observatio.

Alia quæstio.

Saluere iube meo nomine vxorem tuam & Danielem, ac cum iis bene vale. Vvittebergæ, 6. Iunij, Anno 1620.

EPISTOLA XV.

PERIOCHE.

1. *Doringius Sennerto suadet Practicæ Medicinæ elaborationem.* 2. *Vulgares Scriptores practici parum inuicem differunt.* 3. *Doringius modestè recusat laborum Sennerti epicrisin, & quibus elaborandis vacet, exponit.* 4. *Vnguenti viridis potabilis Officinis vsitati descriptio.* 5. *Germanica ipsius formula, qualis à fœminis domi parari solet.* 6. *Censura super sententiam Plateri de Pleuritide.* 7. *An pus in pectore contentum per vasa pulmonis in venam cauam, & ex hac per venam portæ in intestina deducatur?* 8. *Pus ex rupto hepatis abscessu in cauitatem abdominis elapsum, per poros intestinorum transsudasse, vt per aluum reiiceretur.* 9. *Materiam farinaceam cum vrina excretam, à vesica calculo reuerà ortam fuisse, in casu proposito Epist.* 13. 10. *Signa calculi vesicæ.* 11. *Crudos humores aliunde quoque in vesicam affluere potuisse.* 12. *Striæ scorbutigenæ, & quæ causa cauitatum sub striis.* 13. *Scorbutus instar Prothei.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Si tam otio nunc, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quàm scribendi cupiditate abundarem, ad singula Tuarum litterarum capita responderem. Verùm quia temporis ista angustia quâ, apud nos commoratur Rhedarius vester, id à me fieri prohibet; ideircò illa saltem hac vice attingam, quæ priora in ordine sunt: reliqua in aliam occasionem dilaturus.

Principio autem meum consilium petis super laboribus à te deinceps suscipiendis, scireque ex me cupis; num examini remediorum chymicorum; vel excolendæ Medicinæ Practicæ; vel reuidendis Institutionibus & Libris de Febribus; vel elaborandæ Appendici ad Institutiones, in quâ fundamenta omnium morborum curandorum, medicamentáque necessaria te monstraturum polliceris, vacare potissimùm debeas? si (quod tu optas) candidè (quod ego sentio) tibi aperire velim, ipséque, si tuo essem loco, præstare malim; suasor tibi sum, & hortator, vt sepositâ interim de Institutionibus, & Libris de Febribus (vtpote quæ opera à Typographia adhuc fermè calent) curâ, omnes conatus *Medicinæ Practicæ* impendas: sic enim non tam famæ quam vsui proprio & alieno consules.

Auctor suadet elaborationem Medicinæ Practicæ.

Auctorum practicorum multitudo te absterreat nolim. Scripsère enim & Institutiones, & de Febribus multi. *De Febribus* his quoque nundinis prodiit *Baudetonij, Medici Galli,* opus; quod quanti valoris, aut bonitatis sit, proximè moneas. Parturit, vti audio, iuuenis quidam Medicus Brégæ viuens, cui nomen *Muntzero*, de iisdem Tractatum, *Perfecti nostri* sumptibus imprimendum: qui qualis futurus sit, cum tempore experiemur. Tot de his Libri, veluti & Institutiones, facilè ætatem ferent, nec antiquabuntur. Idem de *Practica Medicâ* speres, licet. Etsi enim hanc multi hactenus descriptam nobis dederint; verè tamen descriptam, aut verius ex aliis transcriptam dederunt; adeò, vt si vnum legat, omnes, quod ad causarum deductionem, Indicationum inuentionem, & Remediorum delectum (paucissimis quibusdam sæpe exceptis) attinet, legisse videaris. Institutum proinde tuum admodùm mihi probatur. Me tamen quod tuorum laborum iudicem constituis; næ, quod alias etiam scripsi, plus mihi tribuere videris, quàm à mea tenuitate præstari queat. Ipse enim

Vulgares Scriptores Practici parum inuicem differunt.

Mecum habito, & noui, quàm sit mihi curta supellex.

Sanè, si pristinus ille ingenij vigor etiamnum præsens esset, aut superstites isti qualescunque igniculi, per quotidiana exercitia, ceu flabella quædam, resuscitarentur, qui in ista extra Academiam vitæ inditis magis magisque sopescunt, & saltem non penitus suffocantur; quod à me expectares, compromittere fortassis possem. Nunc in tanta penuria, quod pollicear, vix habeo: præsertim cùm omne, si quod interdum conceditur otium, aliorum, quæ me præ manibus habere nosti, elaborationi destinare cogar. Profectò pudet, tam tardum me esse in absoluendo *Pollione*. Sed excusabis me sat scio, cùm vltra trimestre, manum sibi admouere non potuerim. Si placuerit, tuorum Morborum tractationes inposterùm ad me mittere poteris. Si fuerit otium, vt Notis & additamentis meis locupletentur, operam, quoad potero, dabo sedulam. Nescio enim, quod me Cacoethes agat, aliorum potiùs labores meis qualibuscunque Annotatiunculis illustrandi, quàm proprios perficiendi. Quiescit enim etiamnum *tertius de Medicina, & Medicis* Liber; quiescit item *Opus de Febribus malignis* in vniuersum; in quo vtroque dudum progredi licuisset, nisi me aliorum fama auocasset. *Minonus* meus, vt tibi probetur scire gestio. Constitui etiam *Soceri nostri Disputationem de Variolis & Morbillis* (vbi *Conradinum cum Pollione, Tabulas Conradini synopticas de morbo Vngarico, & Helidæi Euporista* prius publicauero) perpetuis Commentariis adaugere, & adauctam in lucem emittere: quâ in re non parùm me iuuabunt Collectanea, ab ipsomet Socero comportata, quorum possessio in illa per furtem facta Bibliothecæ diuisione bonâ fortunâ ad me peruenit. Nolim enim Soceri nostri nomen planè intermori. Medicamentum Chymicorum examini subsecinum tempus dare poteris.

Quæ elaboraturus sit Auctor.

Vnguenti viridis potabilis formula, Officinis nostris, quod sciam, vsitata hæc est:

Vnguentum viride Potabile Officinis vsitatum.

℞. *Fol. auriculæ muris, saluiæ, sanicula rutæ, pimpinellæ, mellefolij, fœniculi, petroselini, violariæ, borraginis, maluæ, agrimoniæ, plantaginis, brancæ vrsinæ, betonicæ, fragariæ, parietariæ, scabiosæ, acetosæ, rubræ tinctorum, omnium rec.* an. M. ii. *rad. tormentillæ, pimpinellæ, buglossæ, rubeæ tinctorum*, an. ℥ iii. *castorij* ʒ. i. (*alibi* ℥. i.) Decoq. s. a. cum *butyri Maialis* ℔. viij. F. Vnguentum.

Paratur hîc & à fœminis quibusdam domi Vnguentum viride, cuius descriptionem inter arcanissima habent, eamque nonnisi per manus inuicem tradunt. Magni vsus existit, nec infeliciter vtentibus cedit. Communicabo & eius Germanicam formulam, qualem *Scholzij patris* manu descriptam inter Collectanea ipsius reperi, qualémque is à cuiusdam Dn. VVenceslai Schnoij Coniuge accepit.

Domini à fœminis parari solitum.

Nehmet rothen beyfuß, vueyssen beyfuß, poley, erdtbeerkrautt, quenlein, betenige, odermenige, schafgarbe, kreützvvurtzel, ehrenpreyß, negelmuntze, heydnischvvundkrautt, (*in einem andern Recept der grunen Salbe fur daß vuehethun, finde ich schlecht,* vuindtkraut.) vielgutt, vuegebreitt, eißkrauts, (*an Verbena?*) teifelkrautt, gochheil, S. Peterskrautt, ochsenzunge, bibenel, heyligen geistvvurtzel, vvegeuuartt, tausentdkorn, sanickel, vuinresgrun, hœnigenkrautt, Vrbankrautt, brustkrautt, drey speierlein nabeluurtzel, (*darfur nimmet man* erdtbeerkrautt: *In dem vorgedachten Recept stehet,* dreyspilen, oder lorbeeren, vnd nabelvuurtz.) vuild muttcrkrautt, siebekrautt, alantkrautt mitt der vvurtzel, dæhngraß, liedegænge, (*an forsè* gliedlenge *scribi debuit? quo nomine scabiosam vocari testis est Schuuenckfeldius*) tag vnd nacht zuueyerley, pompelblumen mitt vvurtzel, hertzblumlein, (*hoc est, hepatica pratensis alba*) pfeff. krautt, vnser frauvenflachß, schvvartz bibenell, fischmuntze, sibyllenvvurtzel, toste mitt vvurtzeln, schvvalben vvurtzel, teschlinkrautt, battsch. Sibyllenkrautt vnd kœrbelkrautt allein ist gute fur daß vvehthun.

thun. Vor Vrbansxrautt, so man es nicht bekommen kan, nehme man ripxraut; vor brustkrautt, calmuss a. *Ioth*, vnd lorbeeren. Diese mag man zustossen, vnde auch bald in die kreütex thun. Darnach ich ihr viel mache, so nehme ich ieder kreüter, *M. iij.* oder iv. vnd lasse die kreüter allein zuhacken, vnd die vvurtzeln auch allein. Darnach schütte iche in einen kessel, vnd lasse es mit der butter milch ein stund 4. sieden, (*alij*, lassent zugleich 8. stunden sieden) Darnach thue ich die butter darein, auch ein 3. stunden. Die letsten kreuter lasse ich auch eine halbe stunde mittsieden. Diese kreüter muss man bey den Krautern kauffen, braun rittersporn, syndavv, peterselge, leberblumen, roth benedick. Diese hernach geschriebene kreüter thue ich auf die letste in die butter, dass die salbe fein grün davon vvird, vnd lass es nicht viel uber eine halbe stunde damit sieden, Mayran, *M. iv.* salbe, rauthe, krausemüntze, gartheil, hysop, becsilgexrautt, (*alibi* basilienkrautt) kerbelkrautt, rossmario, lorbreren, kalmuss, fenchel mit der vvurtzel, (par pondus vel mensura hic procul dubio subintelligitur.) Hæc Germanica istius vnguenti apud nos vsitatissimè est formula; quam bonâ fide, prout *manu Scholtzij* consignatam inueni, tecum communicare volui.

In ea autem tu simplicium quorundam obscuritatem mecum non immeritò culpabis: quod ipsum olim *VVenceslaum Raphanum* etiam factitasse, alicubi me legisse memini. Optarim mihi fœminæ compositionis huius gnaræ familiaritatem, à qua ignota doceri possem. Posset tamen huic instituto Schvvenckfeldij *liber de stirpibus* non parùm inseruire, qui vulgaribus Silesiis vsitatas herbarum appellationes subiunxit; modò quis tantum otij sibi sumeret, vt nomenclaturas Silesiacas colligeret.

Censura super sententiam Plateri de Pleuritide.

Sententiam tuam de via, per quam apud *Georgium Jos.* p.m. pus cum sanguine ad intestina migrauit è pectore, quod attinet, altioris est indaginis, quàm vt in ista festinatione examinari à me accuratiùs possit. *Plateri* sententiam quod spectat, an in omni Pleuresi locum habeat, dubito: Neque enim ea signa, quæ Peripneumoniæ peculiaria sunt, in omni Pleuresi obseruamus. Aliquando tamen affectus istos complicari, non omnino negauerim. Et complicentur sanè isti affectus; per

An pus in pectore contentum per Pulmonis vasa in venam cauam, & ex hac per venam portæ in intestina deducatur?

Pulmonis tamen vasa materiam purulentam sanguinolentámque transsumi, & per Cor (quod factu omninò esse necessarium, ipse haud diffitebetis) sine præsentaneâ noxâ in truncum venæ cauæ deuehi, nec breuiori viâ per tussim expurgari, (præsertim si & hâc luculenta eiusdem materiæ fiat euacuatio, id quod in dicto casu accidit.) sed hinc per hepar in venam portæ; atque ex hâc in ipsa intestina demùm propelli, nec item expeditiore viâ per renes in vesicam deferri, & cum vrinâ expelli, (quod & præsenti in casu euenit) admiratione non caret. Materiæ reciprocam translationem lubens agnosco, & per venas, atque arterias eam perfici vltrò fateor.

Obseruationes Pareana, quas *l. 3. parte priore, Obseruat. 269.* recensuit *Schenckius*, de pure à læsis artubus in aluum confluente, sententiam quidem tuam non parùm stabilire videntur. An tamen ad diuersa ista loca, non per easdem, sed potius per diuersas vias materia purulenta in meo casu fuerit translata, dubitare haud iniuriâ quis posset.

Pus ex rupto hepatis abscessu in cauitatem abdominis lapsum per pores intestinorum transsudauit. Materia farinacea à vesica calculo orta reuera fuit in casu qui est Epistol. 13.

Alterum exemplum *rupti Abscessus hepatici* quod concernit, næ subitanea tumoris euanescentia, & ab hâc tactu in hepate deprehensibilis cauitas, nec non dolor in inguine grauitatiuus istâ è vestigio consequens, & puris per aluum reiectionem præcedens, satis luculenter testatum faciunt, pus in abdominis cauitatem illapsum, per intestinorum poros trans-sudasse; non autem per venam cauam ad intestina permeasse.

Materiam illam farinaceam, de qua nuper scripsi, vesicæ à calculo impacto factam exulcerationem portendisse, méque in affectus dignotione neutiquam hallucinatum, (vt quidem ægrotanti persuadere conatus erat, qui à meo discessu vocatus in Consilium fuit, tibi aliàs haud ignotus, & in Collegam olim iungendi cupidus Medicus,) euentus ante vnam, atque alteram septimanam ad oculum comprobauit. Ecce enim! dolores acerbissimi tum recruduerunt, vrina per diem quasi suppressa fuit; & post vsum clysteris, cum cruciatu intolerabili, cruentata profluxit, & calculus oblongus, indicis ferè articulum anteriorem longitudine, cætera fabam magnitudine exæquans, tersissimus, & farinaceam illam materiam colore propemodum æmulans, propulsus est.

Signa calculi vesicæ.

Huius rei oculatus testis esse potest *D. Iohannes Dobritius*, meus tum temporis, quando digiti in anum immissione calculum in vesicâ stabulantem ex parte ipsius tangebam; (ob digiti enim breuitatem & clunium crassitiem minùs profundè pertingere quidam) ponderis in inguine hærentis, seséque ex vna in aliam partem, pro decubitus & inclinationis diuersitate, volutantis sensum ex ægrotantis ipsiusmet relatione cognoscebam; virgam sæpe inflari, meatum vrinarium indesinenter quandóque ab ima radice ad verticem vsque insignem morsum sentire, glandem frigere, & talia multa fieri audiebam; tum, inquam, temporis meus, & hodie etiamnum alterius Medici ibidem Collega; qui ante paucos dies hæc omnia mihi significauit. Quod nuncium cum bis duodenis Imperialibus commutare haud voluissem.

Copia materiæ farinaceæ.

Tu de copiâ istius materiæ farinaceæ erudiri postulas. Fuit ea certè satis copiosa; verùm vnâ, quàm aliâ, die copiosior; sæpe tanta, quantâ cochlear argenteum mediocre adimpleri potuisset. E reliquo corpore crudos humores, propter senium, vigilias, &c. (quæ omnia calorem naturalem debilitare solent,) contractos, ad easdem vias vnà confluxisse, vi doloris, & longâ assuetudine, inficiari nolim. Sed heus! quid de Spiritus philosophici, pro dissoluendo vesicæ calculo, vsu, tibi videtur? Quæstionem hanc ne verbulo quidem proximè tetigisti.

Crudi humores cur etiam aliunde affluere potuerint.

De *Striis illis* hydropico, seu rectius ex hydropico illi meo, ad abdominis latera productis, duo quæsiui; *vnum* fuit, num scorbuti latentis fuerint soboles? *Alterum*, quæ causa fuerint leuicularum illarum cauitatum, quas sub cute, eo vsque, quos striæ pertingebant, digitorum admotu percipere poteram? Striat, quâ striæ, scorbuti fuisse sobolem, qui dubitem: cùm æger prius è quartanâ per menses aliquot laborauerit, nec hospes nobis iste morbus nunc sit, sed indigena, & ciuis. Nimirum tam miris nobis illudit formis, instar Prothei, vt vix post multum tempus tandem perfectè agnoscatur. Cauitatum coniunctarum causam in primis scire auebam, quam abscessibus minutulis forsan acceptam ferre possis. At cutis nunquam perrupta fuit; nec in cute, sed sub cute, tam striæ visu, quàm cauernulæ tactu deprehendebantur.

Striæ scorbuti incidunt. Scorbutus instar Prothei. Quæ causa cauitatum sub striis?

Pro transmissis disputationibus gratias officiosas ago, & peramanter peto, vt similium me porrò participem facias, & ad reliqua tuarum litterarum capita responsum patienter expectes; vsque dum alia sese obtulerit paulò commodior scribendi occasio. B. V. & à nobis salue. Dabam Bresl., die vltim. Iun. Anno 1620.

Appendix.

Vt *doctrina de expurgatione puris è pectore per vrinas* fieret illustrior, placuit augmenti loco subiungere hac ipsa de re sententiam *Adriani Spigelij*, quam proposuit *in Opere suo Anatomico, lib. 6. cap. 4. pag. 192.* Postquam enim intercostalium inferiorum propagationem & distributionem descripsisset, de eorum vsu talia subiungit. Vsus est, vitalem spiritum & sanguinem musculis intercostalibus diffundere, quem præter & alium insignem obtinent, aquam scilicet, & pus in thorace collectum in arteriam magnam, & hinc per ramos emulgentes ad vesicam deportandi. Tametsi neutiquam sum nescius doctissimum Falloppium, alióSque, qui ante me in nobilissimo hoc Patauino Gymnasio docuêre, aliam monstrasse auditoribus suis viam, per quam vel pus, vel aqua, renum auxilio educeretur, venam nempe sine pari, cuius ramulus in sinistro latere in sinistri renis Emulgentem progreditur. Etenim hæc via, quam per intercostales arterias monstramus, breuior multò est: vt taceam, per arterias faciliùs, quàm venas materiam quamcunque congestam rapi posse. Neque est, quòd aliquis hic vereatur, ne ab his excrementosis prauísque humoribus, vitales spiritus contaminentur, vnde Cor grauissima symptomata incurrat, cùm lubentes id & æquo animo largiamur, (quod & experientia sæpenumerò nos docuit) dum per vrinas pus euacuatur, ægros in syncopen aliáque mala incidisse, interdum etiam in repentinam mortem, vbi aut copiâ, aut malitiâ nimiâ humor peccarit, & Naturæ tantam vim intulerit, vt calor spiritúsque succubuerint. *Hactenus Spigelius.*

Spigelius per intercostales arterias inferiores pus è pectore per vrinas expurgari statuit.

EPISTOLA XVI.

PERIOCHE.

1. *Sennertus Practicam se scripturum, ex consilio Dolingij, significat. 2. Annotationes Doringij ad suam Practicam adiungi petit. 3. Moneri ab ipso rogat de libris aliorum, qui sui mentionem faciant. 4. Duos neotericos scriptores sibi occurrisse, qui sui mentionem iniiciant, Fabritium scilicet Bartholetum, & Dominicum Salam. 5. Muntzerum, suum auditorem fuisse.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Facile credo, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, non tam voluntatem, quàm otium scribendi tibi defuisse. Ego verò etsi longius habuerim respondendi spatium; tamen cùm semel atque iterum peregrè mihi abeundum fuerit; & præterea

Digitized by Google

tereà alia negotia me detinuerint, ad tuas proximas iam ferè nihil, respondeo, ſed responſionem in proximum differo. Quia tamen ad vos Iobus Schræterus, cum vxore, Nyſſam ad filiam profecturus, tranſibit, ſine meis litteris eum dimittere non debui.

Sennertus Practicam scripturus.

Sequar verò tuum Conſilium, & quicquid ætatis ac temporis ſuperfuerit, in Practicam impendam. Dabo verò operam, vt ſpecimen, in vno, atque altero affectu, circa autumnum ad te mittere poſſim, vt maturè de methodo tuum mihi iudicium aperire poſſis, antequam ad alios progrediar. Et quia tibi ita libet, aliorum magis labores Annotationibus quibuſdam illuſtrare, quàm proprios perficere; author tibi ſum, vt quæ ſub manibus habes, quamprimùm abſoluas, vt poſteà meis etiam vacare poſſis. Non ſpero, quòd laboris huius te pœnitebit.

Facilè o. omne, quod vel in praxi, vel in lectione auctorum ſingulare, & notatu dignum occurret, locum inueniet, in quem illud, cum tuo, meo, & aliorum bono inſerere poſſis. Imò, iam velim tibi aduerſaria pares, de morbis particularibus, in quæ notatu digniora, quæ neceſſariò etiam quotidiè occurrunt, inſeras: Ex quibus poſteà facilè, & non magno negotio, illa meis adiungere poteris. Vtinam opus, quod non inchoatum: abſolutum eſſet! De titulo nobis facilè conueniret, poſsétque hic, vel alius eſſe, Practica D. S. cum Annotationibus, & Additionibus M. D.

Bauderonij de Febribus libros nondum vidi; ſi tamen vidiſti, tuum mihi de iis iudicium exponas: Illud etiam te rogatum velim, ſi forſan in aliorum libros, (omnes enim nec emere, nec legere poſſum) incidas, in quibus mei mentio fiat, id mihi aperias, & præcipuè ſi quid contra me ſcriptum ſit. Incidi nundinis bis in duos Italos, qui mei mentionem fecerunt, *Fabritium Bartholetum*, Profeſſorem Bononienſem, qui in ſua *Encyclopadiâ Dogmatico-hermetica*, in *Quaſtione de facultate formatrice* mei mentionem, facit & *Dominicum Salam*, Profeſſorem Patauinum, qui *in ſuâ arte Medicâ*, quæ eſt medendi methodus vniuerſalis, me ſæpius allegat: quandoque probat, quandoque reprehendit: Quæ tamen magni momenti non videntur. *Muntzerus* ille proculdubio meus auditor fuit Scripſit *Diſputationem de morbis totius ſubſtantiæ*, ex meâ ſententiâ, quam Baſileæ pro gradu habuit, ſatis, vt mihi videtur, eruditam. Plura iam non licet. Bene vale, cum tua, & Daniele. VVittebergæ, 7. Iul. Anno 1620.

EPISTOLA XVII.

PERIOCHE.

1. Annuit Doringius, ſe Practica Sennerti exornanda operam collaturum. 2. Iudicium ſuper Encyclopadia Bartholeti. 3. Angelus Sala Barthium deprehendit ſuper natura beZoardici mineralis. 4. Defenditur Barthius aduerſus Sennertum & Salam. 5. Butyrum antimonij æquè ex antimonio crudo, ac è regulo parari poſſe. 6. Venas pedis, reuulſionis gratiâ, non melius in renum quàm in vteri inflammatione ſecari. 7. Cur Galenus in Iſchiade ſanguinem primùm è cubito mittat. 8. De Extracto ſcammonea. 9. Barthij paradoxon, quòd ſena ℥. ß. in aqua ℥. iv. infuſa, non plus purget, quàm ʒ. ij. 10. Barthij paradoxon ratione & experientiâ refellitur. 11. Quomodo cruentatio Virginum potuerit, apud Iudæos olim, certum eſſe Virginitatis ſignum. 12. Rationes, quibus Sennertus ſuum de Renum vſu paradoxon adſtruit, euertuntur. 13. Cur renes à retento ſemine lædantur. 14. Contra Cabrolij paradoxon, de teſtium vſu. 15. Sine teſtibus nec ſemen perfectum, nec animal perfectum gigni. 16. Iterum de genuinis dentibus.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Obſequar tuæ hortationi, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, atque enitar ſedulò, vt ea quę ſub manibus habeo, tandem abſoluere queam. Equidem nihil optaſſem magis, quàm vt dudum iſtis laboribus colophonem imponere potuiſſem, quod & ſine dubio factum fuiſſet, niſi alia, de quibus aliàs ſcripſi, conatus meos interturbaſſent. De parandis aduerſariis rectè tu quidem mones; verùm quomodo reliquis nondum ad finem perductis, ea à me inchoari poſſint, nondum video. Vbi aliquando ad tuorum illuſtrationem ventum fuerit; media, per quæ ad ſcopum præfixum pertingam, fortaſſis non deerunt; modò otium, quo in primis opus habebo, non deſit. Vtilitatem laboris ſummam ipſe præuideo, quam mecum agnoſcunt alij omnes, quibuſcum inſtitutum hocce tuum communicaui.

Annuit ſe Practica Sennerti exornanda operam collaturum.

Quia itaque in excolenda practica me tibi impoſterum cupis eſſe ſocium; age! poſtquam dictis operibus defunctus fuero, potiora ſtudia, & vires in tuæ Practicæ exornationem animo, quàm lubentiſſimo conferam. Bauderoni libros in Bibliopolio quidem vidi; verùm non emi, nec legi. Quis enim in omnes libros coëmendos ſumptus erogare, aut in legendos tempus impendere queat? Quæram è Noſtratibus, an quis eos euoluerit? ſi commendari audiuero, vt id quamprimùm reſciſcas, faxo.

Iudicium ſuper Encyclopadia Bartholeti.

Bartholeti *Encyclopadiam* vidi Non omninò conatus viri iſtius diſplicent, ſi reliqua, quorum in præfatione ad Lectorem fit mentio, publicauerit, ingenij ſolertiam eui-dentium proculdubio manifeſtaturus eſt. Dominici Salæ *artem medicam* non vidi. Si ſumtibus dignam arbitraris, vt & eâ deinceps potiar, curabo.

Angelus Sala Barthium reprehendit, ſuper natura bezoardici mineralis.

Redeo nunc ad proximas tuas litteras, vt iterum nonnulla ipſarum capita perſequar. Sententiæ Barthij tecum contradicit Angelus Sala, *Anatomia antimonij parte 2. ſect. 3. ſub titulo, beZoardici antimonialis*; eodem planè tecum argumento vſus: quòd antimonium in retortâ permaneat, & non procedat, deſtilléтve aliud, quàm portiuncula aliqua Mercurij ſublimati. Exigui tamen momenti iſtam contra Barthium eſſe inſtantiam, liquet è *Nota eiuſdem ſecunda*, in qua dicit, illos in doſi errare, & ad naturæ pondus non attendere, qui ad libram vnam Mercurij ſublimati, plus quàm dimidam antimonij libram, adiiciunt.

Defenditur Barthius aduerſus Sennertum & Salam.

Si enim, inquit, plus de hoc addas, manet illud in fundo retortæ indiſſolutum. Rectè ergò Argentorari olim faciebat in ædibus quidam, quòd pro parte j. Reguli, ſumebat part. iij. Mercurij ſublimati. Atque hinc non miror, ſi tibi Cinnabarim antimonij in duplici tigillo ſublimaturo, Cinnabaris in corpus antimonij iterum conuerſa fuit. Multi enim flores antimoniales ex admixto forſan in maiori pondere antimonio vi ignis ſuppreſſorij eleuati, Cinnabari commixti fuerunt, qui poſtea liquatione in antimonium redierunt: Mercurio interim per tigillorum commiſſuras exſpirante. Cinnabarim itaque non ſolum eſſe ſulphur antimonij facilè tibi concedet Barthius. Quin ſi ſolùm eſſet ſulphur, non eſſet Cinnabaris, quippe, quæ ex ſulfure & Mercurio conſtat. Quod ſulphur vt à Mercurio ſegregandum, & in Panacæam redigendum ſit, apud Beguinum *ibid. cap.* 20. legitur, de quâ re aliàs etiam ſcripſi. Nec mireris, nihil Mercurij in retortâ relinqui, præter eum, qui viuificatur in recipiente: Reliquus enim in Cinnabarim, per ſulfur antimonij redigitur.

Butyrum antimonij æquè ex antimonio crudo, ac ex regulo, parari poſſe.

Cum crudo antimonio etiam parari poſſe liquorem illum gummoſum, non diffiteor, liquor tamen inde prodiens, non æquè, ac ſi Regulus ſumatur, albicat, ſed nonnihil rubeſcit. Quod ipſum nouum ſuppediat argumentum, ex antimonio veriùs, quam Mercurio ſublimato, liquórem illum conſtare. Quod ſi quis puluerem copioſiorem expetat, eum rectiùs facturum cenſeo, ſi pro Regulo crudum antimonium ſumat: Maximam enim ſulfuris antimonialis partem ſcoriis miſceri, quæ in Reguli præparatione, ceu inutiles, à pleriſque abiiciuntur, ſulphur auratum ex iis omnes abundè teſtatur. Barthij argumentum à reductione pulueris emetici in Regulum antimonij per magnum follium ignem facta, petitum, apodixis eſt, cui aliæ rationes meritò cedunt.

Venas pedis, reuulſionis cauſa, non meliùs in renum quàm vteri inflamat. ſecari.

In renum quàm vteri inflammatione, venas crurum, vel pedum, ſub morbi initium rectiùs, & quidem reuulſionis cauſa ſecari, nondum tibi aſſentiri poſſum. Etenim teſte te definitore, *l. 5. Inſtitut. part. 2. ſect. 1. cap.* 28. Reuulſio eſt auerſio humoris in partem aliquam fluentis, in contrarium. Reuelluntur a. humores (agnoſciſne tua verba?) non qui iam ſunt in parte affecta, (hi enim propriè ex parte affecta, aut vicina euacuantur) ſed ij, qui ad partem aliquam fluunt, aut fluxuri ſunt; quâ ratione cauetur & prohibetur, ne pars affecta humoribus affluentibus repleatur: reſpicitque reuulſio magis partem mittentem ceu recipienti contrariam, quá de cauſa ab hac verſus illam, veluti primam ſcaturiginem humores fluentes trahi, & ne ad partem affectam ampliùs fluant, effici neceſſe eſt. Ex his concludo, æquè malè, reuulſionis à renibus, quàm ab vtero, cauſa, venam in inferioribus partibus ſecari. 1. Quia ſic non tam attenditur ad humorem fluxurum, quàm fluxum.

2. Quia fluxio non retrahitur ad principium, ſed partem affectam. Nec te excuſat, quam adducis, diſcrepantia. Etſi enim vltrò admittam, venæ cauæ truncum circa hepar eſſe q. flumen ſanguinis, è quo in totum corpus plurimi riui manant, & ſpatium ab exortu venarum emulgentium, ad diuaricationem venæ cauæ in crura, illo, qui inter hepar, & venarum emulgentium exortum exiſtit, aliquantò, non autem longè, vt tu ſcribis, eſſe maius; ac proptereà etiam plus ſanguinis continere concedam: attamen cùm ſanguis ad renes non ex illo inferiore, ſed ſuperiore ſpatio, ceu ipſiſſima ſcaturigine,

ad

ad emulgentes transmittatur; fiet herclè, vt sectâ in cruribus vel pedibus venâ, sanguis à superiore illo spatio in inferius, non tantùm propter fugam vacui, sed & naturalem grauitatem, delabatur, & ad emulgentes primùm, mox ex istis in ipsos rapiatur. Et hæc fuit causa, quòd Galenus, *l.10. de compos. med. secund. loca, c. 2.* in Ischiade sanguinis detractionem è cubito primùm fieri, iussit: tametsi paulò antè expressè scripsisset, quòd Ischias, quæ quidem tarò ex sanguinis multitudine oriatur, venis tamen circa poplitem & talos sectis, citissimè curetur. Reuulsionis igitur causa sub renum inflammationis initium dictas venas neutiquam rectè secari concludo.

Cur Galenus in Ischiade sanguinem primùm è cubito mittat.

De Extracto scammoneæ.

Præcipitationem Extracti scammoneæ, apud Tentzelium *Exegeseos Chymiatrias, part. 2. folio 5.* etiã reperi, in hoc solùm à tuâ differentem, quod loco aquæ rosarum, simplex fontana frigida ad eam accipitur. Tua quidem pro viris, Tentzelij pro mulieribus aptior videtur: commodius tamen fieret, si in locum fontanæ alia aliqua medicamentosa substitueretur.

Cùm a. de Extracto scammoneæ sermo nobis hactenus fuerit, facere non potui, quin eius occasione, ex te quærerem, quid de illo Barthij paradoxo, quod proponit *l.2. c.9. in nota, ad Extractum rhabarbari*, statueres? nempe quatuor sennæ drachmas in vnciis quatuor aquæ infusas, non magis purgare, quàm drachmas duas in pari aquæ quantitate maceratas. Mihi id aduersari videtur, tam rationi, quàm experientiæ. Rationi quidem, quia vbi maior medicamenti dosis, ibi etiam maior necessariò virtus: experientiæ verò, quia syrupos sam nouem infusionum rosarum, & violarum, quàm triplicis infusionis sennæ (qui propterea de tribus solutiuus nobis dicitur) multò efficatiores deprehendimus, quàm si simplici infusione, aut multiplicibus negligenter institutis, constarent. Experientia quam prætendit, instituto probando mihi videtur non esse sufficiens: prout enim corpus probè fuerit liberum, & humores ad motum commodè dispositi: sic etiam aliud aliquod medicamentum in substantia propinatum in minori dosi efficacius, quàm in maiore aliàs efficacius operari obseruamus. Exempla confirmationis loco producta, in quibus totum corpus toti corpori in minima redactum, miscetur, an satis firmiter, quod intendit Barthius adstruant? Tu proximè exponas, precor.

Barthij Paradoxon, quòd ℥. iv. sennæ, in aquæ ℥. iv. infusa, non plus purgent quàm ℥. ij. Barthij Paradoxon refellitur, ratione & experientiâ.

Quomodo cruentatio Virginum potuerit esse certum Virginitatis signum.

Cruentationis Virginum in primo congressu, inter Iudæos pro certo Virginitatis signo habitæ, causam à Bucretio in medium allatam, cur pro legitima vix agnoscere possim, proximè significaui. An circumcisio huc aliquid facere possit? cogitare me iussisti. At quid circumcisio ad cruentationem promouendam faciat, non video: Quin prohibere potius ipsam videtur; cum dempto præputio membrum circa glandem oppidò reddatur gracilius. Naturalem causam, in qua animus meus planè acquiescat, ego comminisci non possum: tu si potes, proximè mecum communica. In singulari igitur ordinatione diuinâ adhuc subsisto.

Rationes, quibus Sennertus suum de Renum vsu Paradoxon adstruit, euertuntur.

Ioh. Matthaus, quæst. 90. idem habet Paradoxon.

Paradoxon tuum de renum vsu quod attinet, etsi primâ fronte magnam probabilitatis speciem præ se ferat: attentiùs tamen si quis examinet, quæ contra id in medium proferat, facilè inueniet. Cúmque de ipsius certitudine ipse dubites: idcircò in eius examen multùm impendere nolo. Plerisque sanè (sed ignosce quæso libertati) quæ pro eius confirmatione adducuntur, principium petitur. Arteria magna, vnde copiosissimum serum accipiat, quærere noli. Cum sanguine enim venoso, partim illò traducitur, partim ex äëre tam per respirationem à pulmonibus, quàm capillaria arteriarum oscula attracto, generatur, vel per vasa splenis illo deriuatur, iuxta Pisonis dogma de Lienis vsu. Argumentum ab odore, qui in non castratis per vniuersum corpus, & maximè in renibus percipitur, deductum, causam tuam magis euertit, quàm fulcit. Si enim ex eo pro renum isto officio certi aliquid concludere licet: quidni & totum corpus seminis generando eodem respectò materiam elaboret? semine retento renes lædi tatum non est. Et cur non lædantur, qui non tantùm loco vicinio siti sunt; sed & per vasa spermatica præ aliis partibus noxios halitus facilius suscipere possunt. Medicamenta, quæ in Gonorrhæa lumbis admouentur, non renes primariò, sed vasa spermatica respiciunt.

Cur renes à retento semine lædantur?

Contra Cabrolij paradoxon de testium vsu.

Cabrolij opinionem meritò damnas, & rationes ipsius, id quod debent, non concere, rectè scribis. Etsi enim, vt verè docet Bauhinus, *Theatri Anatom. l.1. c. 27.* Testes facultate suâ insita formam (putà exteriorem) & colorem semini principaliter non tribuant, cùm in horum substantiam non excidet, naturam tamen & vim prolificam impertiuntur, ita validam, & robustam, vt animal perfectum ex eo generari possit: quæ in masculis roboris & virilitatis, in fœminis muliebritatis causa existit; sine testibus igitur, neque semen perfectum gigni, neque perfectorum animalium generatio perfici potest. Ex his, quid ad Cabrolij argumenta priora, à te non tacta, respondendum sit, haud difficulter liquet: Nimirum non opus fuisse, vt vasa spermatica vllatenus testes subirent, atque hi insignem aliquam cauitatem obtinerent. Testes serosiorem seminis partem exsugere, vt ei vim prolificam augeant, dum scribit; proprio dogmati contradicit, quo Testibus omnem vim σπερματοποιητικὴν detrahere conatur. Et quis non videat, hanc virtutis prolificæ augmentationem à Cabrolio, sed suo sensu concessam, nihil esse aliud, quàm vltimam seminis perfectionem? Posteriora Cabrolij argumenta ipse sufficienter diluisti: vt meâ refutatione non egeant.

Sine testibus nec semen perfectum gigni, nec perfectum animal fieri potest.

Iterum de genuinis Dentibus.

De genuinorum dentium appellationis causa inuestigandâ, vt pluribus solliciti simus, operæpretium non est. Ob hanc enim, vel illam causam dicantur, perinde fuerit; cùm ista scire, parùm referat: modò ipsorum eruptio, siue, vt Platero visum fuit, detectio, non negligatur in sopiendis doloribus; in quibus cùm prodire solent, Vesalij consilium obseruetur.

Tantùm & istâ vice ad alia quædam, vt vides, tuarum litterarum capita respondere volui. Ad reliqua respondebo aliàs: Neque enim vel ipse nunc potui, vel te pluribus simul & semel onerandum esse duxi. Bene vale, & plurimùm à Nobis salue, Dabam Breslæ, die 2. Augusti, Anno 1620.

EPISTOLA XVIII.

PERIOCHE.

1. *Breuitatem epistolæ imputat tum angustiæ temporis, tum otij penuriæ.* 2. *Quærit, an nucleus cerasi in pulmonem delabi, ibique per dies aliquammultos, saluo homine, hærere possit?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Breuitatem epistolæ imputat tum angustiæ temporis, tum otij penuriæ.

SNun putaram, *Cl. Dn. Affinis, Compater & Amice honorande*, Rhedarium istum nostrum hisce tumultibus bellici, ad vos iter suscepturum: Quia tamen præter spem abit, sine meis litteris quidem non dimittendus est, litteris tamen tuis, quod maximè optabam, respondere non possum. Imò etsi de eius obitu, dudum certior fuissem: tamen otium non fuit ad tuas respondendi; cùm mense superiore Febres q. epidemiæ plurimùm mihi negotij facesserint: & præterea misera, & calamitosa ista tempora omnes serias meditationes excutiant. Ne tamen istæ litteræ planè vacuæ sint, putásne quòd Nucleus Cerasi in pulmonem delabi possit, atque ibi vnâ atque alterâ septimanâ hærere, antequam iterum reiiciatur? Ego impossibile non puto, atque id nuper, nisi planè fallor, obseruaui, de quo proximè. Respondebo ad vtramque epistolam proximè: Tu procul dubio ad mearum, quæ restant capita, etiam respondebis. De rerum nostrarum statu nihil: audies eum ex Dnm. Nicolao Poslio. Bene vale cum tua; quam saluto, VVittebergæ, 5. Septembris, Anno 1620.

An nucleus cerasi in pulmonem delabi, ibique per dies aliquammultos saluo homine hærere possit?

EPISTOLA XIX.

PERIOCHE.

1. *Ad propositam præced. epist. quæstionem de Nucleo cerasi responsio.* 2. *Nucleus cerasi intra asperæ arteriæ superiorem partem hærere nequit, citra suffocationis periculum.* 3. *Nucleus cerasi, si ad asperæ arteriæ ramos descendat, ibidem hærere potest, sine suffocatione.* 4. *Alia corpuscula varia in pulmonibus diu hærere possunt.* 5. *Historia asthmatis, ex nucleo cerasi in pulmonem delapsi & germinantis.* 6. *An ex partium genitalium refrigeratione Asthma oriri possit?* 7. *Historia asthmatici cuiusdam, variis symptomatis affecti.* 8. *Destillatum anti-asthmaticum.* 9. *Elixir vitæ magistrale,*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SQuæ tibi, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, eadem tempora calamitosa, & mihi omnes serias meditationes excutiunt, quibus se socios insuper præstant, cùm praxeos hoc temporis iterum paulò vberior molestia, tum recentissimè per duas hebdomadas è defluxionibus podagricis, à quibus me porrò immunem futurum credebam, decubitus. Ob intermissum ad

meas

nicas binas reſponſum, ſotilè te excuſatum habeo; quam veniam, vt propter ſuſpenſum ad reſidua tuarum capita reſponſum, à te quoque impetrare mihi liceat, vehementer oro. Quæris ex me, numquid Ceraſi nucleum in pulmonem delabi, atque ibi vnâ, atque alterâ ſeptimanâ hærere poſſe putem, antequam rectum reiiciatur? Id tibi non impoſſibile videri, ac nuper obſeruatum eſſe, ſcribis.

Ad propoſitam quæſtionem de Nucleo ceraſi reſponſio.

Ego quid hac de re cenſeam, breuiter expediam. Bimembris iſta quæſtio, bimembre etiam poſtulat reſponſum. Aio igitur quòd in altum ſublatâ per imprudentiam epiglottide, Nucleus intra aſperam arteriam quidem deferri, quin tamen ſuffocationis periculum inducat, fieri vix poſſit. Quotidiana enim atteſtantur exempla, quantum periculi, vel guttula ſaltē aliqua ἀδήλως illò delata, vel micula panis eodem illapſa mineur. Eorum qui à pilulâ per incuriam in arteriam impulsâ, acino vuæ tam paſſæ, quàm crudæ, pilo in lacte hauſto, &c. extincti ſunt, hiſtorias collegit Schenckius, *lib. 2. Obſeru. 14.* quas ibi videre poteris. Quòd ſi tamen Nucleus ille in ſuperiore parte arteriæ non diu hæſit, ſed vel propter arteriæ amplitudinem, & propriam lubricitatem, præproperè ad arteriæ diuaricationes deſcendit, vel propter pulſationes in dorſo factas, ſimiliáque ingenia, in pulmonem detruſus fuit, quin aliquandiu ibi hærere potuerit, priuſquam reiiceretur, diffiteri nolim. Si enim calculi, veſiculæ, vermes, & huius generis alia intra pulmones genita ſatis diu illic latere poſſunt, antequam expellantur, cuius rei teſtimonia habemus apud Schenckium, *dicto libro*: quidni & talis aliquis Nucleus ibidem ſtabulari poſſit? Optarim, vt tuæ Obſeruationis hiſtoriam pleniùs ad me perſcribas. Quod vt proximè facias, etiam atque etiam te rogo. Rem miram audi, quæ tuæ Obſeruationi quidem ex vna parte ſimilis, ex alterâ verò eâdem creditu multò impoſſibilior eſt: Cum enim heri Dn. Kirſtenio tuam quæſtionem proponerem, tunc protinus reſpondit, fuiſſe ſuo tempore Ienæ Medicum Chymicum, Medicis Academicis admodùm inuiſum, qui conſtantiſſimè aſſerere non dubitauerit, Aſthmaticum quendam, qui Ienam conſilij petendi gratiâ venerat, non aliam ob cauſam ex affectu iſto laboraſſe, quàm quòd talis Nucleus in pulmonem delapſus ibidem germinauerit, & in puſillam arbuſculam excreuerit. Hæc vt ſuo nomine ad te perſcriberem; ipſe Kirſtenius hortatus eſt. Percontanti autem mihi, quo indicio id ille confirmauerit, & numquid à morte, diſſecto cadauere tale quid in pulmonibus repertum fuerit? Reſpondit, ægrum Ienâ viciſſim diſceſſiſſe, & Medicum illud ex illapſu Nuclei comprobaſſe.

Nucleus ceraſi intra arteria aſpera ſuperiorem partem hærere nequit, citra ſuffocationis periculum.

Nucleus ceraſi ſi ad aſpera arteria ramos deſcendat, ibidem hærere poteſt, ſine ſuffocatione.

Alia corpuſcula varia in pulmonibus diu hærere poſſunt.

Hiſtoria aſthmatis ex nucleo ceraſi in pulmonem delapſi & germinantis.

De quâ re quid tibi videatur, proximè, quæſo, ſignifica. Ego ipſam ſuo auctori defendendam relinquo.

Quia verò Aſthmatis modò facta eſt mentio, facere non poſſum, quin hac occaſione ex te quæram; quid ſentias de hoc nouo dogmate, nuper à Kirſtenio contra nos tredecim Medicos ſummâ contentione defenſo; quod videlicet ex refrigeratione partium genitalium, Aſthma, & quæ iſto grauior, Orthopnœa, induci queat. Cauſam iſtius contentionis præbuit quidam æger, magni nominis, in publico officio conſtitutus, & Senatui chariſſimus: cuius curæ cùm tres noſtrûm præeſſent, ipſe tandem nobis iunctus, vt opinione ſingulari ſibi quidem famam, & eruditionis laudem conciliaret, nobis autem ignominiæ, & ignorantiæ labem aliquam aſpergeret, dogma iſtud nouum procul dubio commentus eſt. Vt autem ex iſta re animi faciliùs te expedire valeres; ecce caſum; qualem die 5. Septembr. ſecundùm ſtylum correctum omnibus Medicis in hac Vrbe verſantibus, & à Magnifica Domina Vidua Krauſeneckiana ob amorem erga Dn. Ægrotantem conuocatis exhibuimus, & ſuper eo ipſorum iudicia & conſilia popoſcimus, bonâ fide adſcribendum duxi.

An ex partium genitalium refrigeratione Aſthma oriri poſſit?

Magnificus & Conſultiſſimus Vir, Dominus Ægrotans, annum nunc 58. agens, craſſo, qualis in Saxoniâ datur, victu, per multos annos in iuuentute vſus, poſtquam publicis muneribus Præfectus, crebris ablegationibus perfunctus eſt, & multa, ac grauia errata in victu commiſit: ob quæ à multis etiam annis frequentibus catarrhis ad pectus, ſuâ naturâ breuius, infeſtatus, & anhelitus difficultate, vtrique parenti defuncto, & alteri ſurori adhuc ſuperſtiti familiari, correptus fuit. Quinquennium eſt, cum in quartanam incideret, & ex eâ vix poſt ſemeſtre, non tam multis remediis, quàm commoda victus ratione vſus, conualeſceret: Hypochondriis interim, qualia & nunc deprehenduntur tenſis, duris, & renitentibus. Cumque noctu alui exonerandæ causâ tum temporis ipſi non rarò ſurgendum eſſet, in ſellâ diutius pro more commoratu ob frigus hybernum partes geniales adeò refrigeratæ ſunt, vt tandem, (ante biennium) curru in quadam ablegatione vectus, tantum in illis locis frigus ſentiret, vt ipſiſſimæ glaciei inſidere videretur. Intereà catarrhi, exſpuitiones, & anhelitus difficultas ſubinde vrſerunt: quibus antè biennium ferè acceſſit defluxio quædam eryſipelatodes, ad alterutrius pedis ſalum, ab eo tempore ſemel atque iterum recurrens. Ante paucas ſeptimanas præ ira paulò grauius excandeſcens, commotâ in abdomine (ipſi pro viſcerum, & inteſtinorum magnitudine ſatis amplo & ſpatioſo) materiâ, vmbilico tenus quaſi ſurſum aliquid adſcendere, & reſpirationem intercludere ipſi

Hiſtoria Aſthmatici cuiuſdam, variis ſymptomatis affecti.

viſum fuit. Hinc malum, quantumvis remediis aperientibus, abſtergentibus, lenitiuis, bechicis, internis, externis, carminantibus, roborantibus, &c. iiſque vtrumque ventrem principaliter, tam inferiorem, quam medium, & genitalia, reſpicientibus, diligenter inſiſteremus; indies propemodum increuit, vt erectus ſpiritum cum ſonitu vtplurimum ducere cogeretur: vires magis, magiſque attritæ, & appetitus proſtratus fuit.

Septiduum fuit, quod caſu quodam inſperato perterritus, de nocte grauius aliquantò laborare cœpit: Inde per quatriduum paroxyſmus tam adauctus fuit, vt non niſi erectus maximo cum labore reſpiraret, ſputum ſubſiſteret, frigidus ſudor vniuerſo propè corpore promanaret, extrema, & inter ea, manus potiſſimum frigerent, pulſus nunc tenuiſſimus eſſet, nunc intermitteret, nunc vermiculans appareret, fauces ob reſpirationis crebritatem ſicceſcerent, abdomen præ flatuum copiâ palpitaret, noctes vtplurimùm inſomnes eſſent, &c. Vrinæ paulò tinctiores ſunt, & craſſiores, ſabulum quandoque ſecum deuehentes: Nam & nephritico malo obnoxius eſt Dn. ægrotans. Aluus ab vſu quinque pilularum ex ammoniaco, & agarico trochiſcato formatarum, & vltra 12. grana vix pendentium, ter ad minimum, vtplurimùm quater aut quinquies, limoſa, & quandoque fœtidiſſima, deiecit. Ante quinotiduum ſputo procedente leuamen aliquod ſenſit. A triduo poſtquam Elixire D. Kirſtenij præter alia vſus eſſet, flatibus magnam partem diſcuſſis, palpitatio quidem abdominis remiſit, & reſpiratio aliquantò liberior euaſit; calorem tamen aliquem, ipſi alias haud vſitatum, Dominus ægrotans, inde deprehendit, vt Oxyſaccharâ ſcilliticâ id temperare nos oportuerit. Hæc caſus dicti, qualis tum temporis apparuit, vera eſt hiſtoria. Tu, *mi amantiſſime Sennerte*, te cum Collegis, (quibus officioſam ſalutem adſcribo) communicatâ, numquid nouum illud dogma Kirſtenianum locum aliquem hîc mereatur, pro amicitiæ, & affinitatis noſtræ iure, liberè ad me quamprimum perſcribas, oro.

Nos tres, vt alia nunc omittam) quò oculis intenderimus, ſequens deſtillati formula vnica (quod reliqui Medici omnes probauerint) Te abundè commonefaciet.

Deſtillatum anti-aſthmaticum.

℞. *Spec. decoct. pectoralis*, M. i.
Herb. pulmonaria maculoſa,
capillor. Veneris,
botryos,
hyſſopi,
tuſſilaginis,
ſcabioſæ,
hederæ terreſtris,
nummulariæ,
agrimoniæ,
phyllitidis,
ceterach veri,
praſſij,
cochleariæ,
beccabungæ, an. M. ß.
Scobis ligni ſaſſafras, ℥. j.
Rad. aronis,
ireos Florentinæ,
vrticæ,
tuſſilaginis,
helenij,
liquiritiæ,
calami aromatic.
capparar.
Agarici trochiſcat. ana ʒ. iij.
ſem. vrticæ, ℥. i.
aniſi,
fœniculi, an. ℥. ß.

Infundantur per biduum in *aquis cardui bened. tuſſilaginis, hyſſopi, ſcabioſæ*, an. ℔. i. ß. *vini Rhenani*, ℔. ij. additis hepate & pulmone vituli tranſmiſſis. Ab infuſione biduanâ omnia deſtill. in B.M. igne lento, ſuſpenſo nodulo in alembico ex *ſpec. diarrhod. Abbat. diambr. diaplitu*, an. ʒ. i. ß.

Elixir vitæ magiſtrale.

Elixiris vitæ, cuius primus author fuit Schepterus, vt videre eſt apud Panſam de prorogandа vita, *l. 2. c. 31. fol. 130.* nec diffitetur Kirſtenius, hæc eſt deſcriptio, ab ea, quam Panſa habet, nonnihil diſcrepans.

℞. *Cinnamomi el.* ℥. j.
ſcordij,
acetoſæ, an. M. ß.
ligni aloes,
roriſmarini,
flor. helenij,
Roſar. rubr. an. ʒ. i.
macis,
cardamomi vtriuſque,
garyophyllor.
nuc. moſchat.
medulla ſem. cardui bened.
Acetoſæ,
citri, an. ℈. i.

ſantali

Digitized by Google

santali citrini, ℥. ß.
moschi, gr. viij.

Incid. grosso modo, & infund. in *aq. vita* de vino optim. ter destillat. ℔. j. ß. ponantur in vitro bene obturato, & stent per dies 15. quotidie bene agitando. Colentur, & colaturæ adde *syr. de corticibus citri. myrtum cydoniorum*, an. ℥. ij. ß. M.

In hoc medicamento commendando, quàm pro more suo prolixus, & in dosi definiendâ, nobis Collegis sæpe reclamantibus, liberalis fuerit, ego quidem vix scribere, tu verò difficulter credere, ausimus. Illud nostrum destillatum cum pilulis ex ammoniaco, & agarico trochisc. protinus abrogatum, & alia, huius consilio, nobis sanè ferè inuitis, sed ad omnia annuente ipsomet ægro, vtpote largis promissis ab hoc effascinato, & spe sanitatis post haud ita longum temporis interuallum, recuperandæ turgido, substituta sunt; me interim è podagrâ decumbente. Quæ an suo isti dogmati fuerint consentanea, & quo in statu æger noster modò sit constitutus, proximè, si id fieri à me volueris, plenius significabo.: nunc plura propter alias occupationes subiungere non licet. Responsi igitur ad residua tuarum literarum capita, moram, vt patienter feras, obnixè rogo. Intacti enim adhuc dum, & reliqui mei labores, ac quasi contempti hactenus iacent. Bene vale, & cum à nobis, tum D. Bucretio, Francu. & Pontano salue. De Dn. Græsio scias velim, cùm nuper è dysenteriâ malignissimâ septimo morbi die extinctum, adeóque multorum de ipso haud frustra conceptæ expectationi ereptum esse. Sic scilicet stat sua cuique dies. Vale iterum. Dabam Bresslæ, die 25. Septembr. Anno 1620.

EPISTOLA XX.

PERIOCHE.

1. *Sennerti iudicium super Vnguento viridi potabili vtroque.* 2. *Probabilis causa cauitatum sub striis scorbuticis, suprà Epist. 15. memoratis.* 3. *Iterum contra Barthium, de Mercurij vitæ naturâ, ipsam nimirum magis esse mercurialem quàm antimonialem.* 4. *Succinum antimonij, quid?* 5. *In renum inflammatione quæ sit pars mittens sanguinē.* 6. *Cēsura super Barthij opinione de proportione liquoris ad rem extrahendā.* 7. *Historia cuiusdam, cui nucleus cerasi in asperam arteriam illapsus fuit, & quid de similibus casibus censeat Sennertus.*

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

SPectabam equidem, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, me serius hisce, quas Nundinæ Lipsenses nobis faciunt, initium *Practica* in affectu aliquo, speciminis loco, elaborando facturum, aut certè ad literas tuas omnes responsurum; sed ita aliis atque aliis negotiis subinde interuenientibus elapsæ sunt, vt nec calamo manum admouerim. Nunc iam sese itineri accingente Rhedatio, calamum in manus sumo ne is sine meis literis ad te veniat, & ad aliqua litterarum tuarum capita, quantum potero, respondebo. Pro *Vnguento viridi potabili vtroque* habeo gratias. Sed heus! an non prius ob rubiam tinctorum rubro colore tingitur? Mallem ego quoque ob saporem Castorei ingratum, pro eo sperma ceti, vel oculos cancri sumere. In altero verò mihi nimia medicamentorum farrago videtur.

Descriptiones vide Epist. 15. Iudicium Sennerti de vtroque.

Spiritus vitrioli philosophici vim, in dissoluendo calculo in vesicâ macteri nuper an. malis, dudū tentassem, si ad manus ie t fuisset. Quamprimum eius copia mihi facta fuerit, periculū faciam.

Spiritus philosophici experimentum contra vesicæ calculum.

Striarum illarum sub cute, & *lenticularum* ibidem *cauitatum* in scorbutico caussam aliam iam inuenire non possum, quàm sanguinem serosum, eò effusum & spatia aliqua excauantem; qui posteà, vt in suffusionibus fieri solet, exhalauit, nec vllum abscessum excitauit.

Caussa cauitatum sub striis scorbuticis, epist. 15.

Barthio, butyrum antimonij potius ex antimonio, quàm Mercurio sublimato prouenire statuenti, nondum assentiri possum, nisi priùs adhuc semel eius rei periculum faciam, & omnia ad libram expendam. Tantum enim, quarumque etiam proportione adhibita, antimonij in retorta remanere puto, vt ab eo omne butyrum prouenire non potuerit. Et quamuis nulla cinnabaris antimonij in collo retortæ reperiatur (quod sæpè accidit, si ignis non satis fortis adhibeatur) nihilominus nullus Mercurius sublimatus in retorta apparet, sed vel viuificatur, vel in butyrum abit. Interim non nego, aliquid antimonij butyro permisceri. Atque hinc accidit, vt puluis ille emeticus in vitrum, quod *succinum antimonij* vocant, & regulum reduci possit: sed multum illi decedit.

Iterum contra Barthiū de vita Mercurio.

Succinum antimonij quid?

De natura reuulsionis consentimus; hoc saltem adhuc controuersum videtur, quænam sit pars mittens in inflammatione renum. Tu saltem superiorem venæ cauæ partem, quæ est inter hepar & venas emulgentes: ego totum illum communem truncum, qui ab hepate ad crura extenditur & cuius maior portio est infra emulgentes, esse puto. Etsi enim in sanguinis distributione sanguis ab hepate ad renes mittatur: tamen totus ille truncus, commune quasi promptuarium est sanguinis, è quo ille ad partes vicinas inflammatas fluere solet. Et forsan tantâ copia tum sanguis non fuit euacuatus, vt reuulsionis vires supplere potuerit, sed simplex saltem fuit euacuatio.

Quæ sit pars mittens sanguinem in renum inflammatione.

Barthius in extracto foliorum sennæ parando, mihi eò tendere videtur; iustam proportionem liquoris ad rem infusam requiri. In quo ipsi facilè assentior; & credo, si multum corporis sumatur, & liquoris exiguum non omnem vim à liquore extrahi: quod vel ex eo patet, quòd in extractis parandis necessariò infusiones repetimus, & liquores, seu menstrua, mutamus. Aliud si sentit, cum experientia & ratione pugnat; quod satis in litteris tuis monstrasti. Exemplum à sale in aqua soluto petitum, abs re mihi non alienum videtur: verùm maturitas abitum vrget. Saltem historiam de nucleo in thoracem, vt puto, illapsu, addo. Vir quidam, cùm fortè cerasa scalâ nixus, ab arbore decerperet & comederet, atque scalā notaret, ac vacillaret, ipse exterrefactus, subitò in strangulationis, & suffocationis periculum cum maxima tussi conicitur, atque ipse nucleum cerasi in guttur illapsum, & tussis, & strangulationis causam esse existimat, & Chirurgum, qui illum eximat, accersit: verùm cùm Chirurgus nucleum nullum deprehenderet, & suffocationis periculum cessaret, tussis verò perseueraret in eam opinionem venium, nucleum nullum gutturi illapsum esse, sed hæc symptomata à catarrho subito & vehementi prouenire. Catarrhis enim aliàs satis obnoxius est; & in horto manè tempestate pluuia deambulauerat. Durauit ista tussis tres septimanas, & per interualla ægrum valde afflixit, qui dolorem etiam quemdam grauantem in dextro latere deprehendit. Tandem cùm noctu vehementer integram horam tussiuisset, nucleum cerasi pituitæ adhærescentem reiecit atque ita à tussi illa, & dolore pectoris liberatus est. Ego suffocationes illas à rebus illapsis tantùm accidere puto cùm res illapsæ in capite & orificio asperæ arteriæ hærent: illapsas verò in amplum arteriæ spatium non suffocare, argumento sunt illa, quæ per tussim reiiciuntur: si enim sine suffocatione reiici possunt, cur non etiā sine suffocatione illabi possint? Iā nō plura nisi vt oremus, vt Deus Opt. Max. tandem bellis istis finem faciat, & Ecclesiam suam, ac nos in ea cōseruet, ac tueatur Vittebergæ, 15. Oct. Anno 1620.

Cēsura super Barthij opinione de proportione liquoris ad rem extrahendā.

EPISTOLA XXI.

PERIOCHE.

1. *Vnde fiat quòd Vnguentum potabile prioris descript. non euadat rubrum, ex admixtione rubeæ tinctorum.* 2. *Castoreum in huius vnguenti compositionem cur admittendum videatur.* 3. *De spermate ceti cacodoxum mirabile cuiusdam.* 4. *Noua & artificiosior Vnguenti viridis potabilis descriptio, idiomate Germanico.* 5. *Repetitur circa sectionem venarum pedalium, ineunte renum inflammatione, data instantia.* 6. *Iterum contra Barthi dogma, de certa proportione sennæ, & aqua in qua infunditur.*

D. DANIELI SENNERTO, MICHAEL DORINGIVS, D.

SQuæris, *an Vnguentum viride prioris descriptionis, ob rubeæ tinctorum admixtionem, rubro colore non tingatur?* Ad quod quæsitum tametsi in scripto sufficienter respondere videatur; caussam tamen addo geminam, cur viridis color vincat. *Prior* est, quòd herbæ omnes sumuntur virides: posterior, quòd radicum rubeæ ad herbas nulla ferme, quoad colorem, est proportio. Tu ob castorei ingratum saporem sperma ceti, vel oculos cancri, te substituturū lubenter asseris. Quod quidē non improbarim vsque adeò, tamen cùm castorium non ad sanguinem cōcretum duntaxat dissoluendum, sed & flatus discutiendos eximiè conducat, omitti id in compositione nolim, præsertim, si dosis ipsius non nimiùm extendatur. Sed heus! quid tibi videtur, de cuiusdam hominis in omnibus singularis, & semper contrarij, cacodoxo? quo contendit, cùm sperma ceti nobis dictum è pinguedine piscium, quæ inter omnes pinguedines censetur pessima, additione calcis viuæ in tantum consistentiam & albedinem certo artificio reducatur, eius vsum corpori humano esse nocentissimum. Sic scilicet homo ille famosissima aliàs remedia, qualia etiam cremor tartari, & gummi indicum Gambuischi, &c. sine merito eludere & exosa reddere nostratibus conatur. Ego ineptias tales hodie

Cur propter rubea admixtionem, vnguentum non rubrum fiat?

Digitized by Google

Alia vnguenti viridis artificiosior descriptio.

silentio vt plurimùm refutare soleo. Alterius Vnguenti paulò artificiosiorem descriptionem, sub nomine *der frauv Sebastian Monavvin*, cùm nactus sim, eam tecum quoque liberaliter communicare volui. Ea autem sic habet:

N°. 1.

Diese kreüter die vverden allein zu der butter, 6. oder 7. stunden gesotten, darnach der Salben viel vverden soll.

Sonickel, tausendtkorn, sindavv, vvintergrün, kænigenkrautt, leberblumlein, Vrbenkrautt, dreyspeln, oder gockenschar, nabelvvurtzel, oder hunnervvurtzel, rettelkrautt, Sibillenvvurtzel, korbelkraute, schvvalbenvvurtzel, ehrenpreiss, vvildmutterkrautt, ehrbelnkrautt, quanlein, beyfuss, peley, bottenige, odermennige, schaffkarbe, pompelvvurtzel, vogelmantz, vielgutt, heydnisch vvundkrautt, vvegebreidt, bornkresse, gochheil, S. Petersskrautt, ochsenZunge, biebenell sampt der vvurtz, vvegevvarte, fenchell, alleine die vvurtzel, albenkrautt, beustkrautt, heilige geistvvurtzel, petersilgen die vvurtZel.

N°. 2.

Nun folgen die kräüter, die durffen auf die letzte vngefehr ½ stunden mit den krautern No. 1. sieden vnd kochen.

Eysop, krausemüntze, salbey, majoran, rärtha, rossmarin, petersillgenkrautt. Ieder soll man 4. handsvoll nehmen.

N°. 3.

Diese folgende kräüter sol man auf die letzte nur ¼ stunden, mit den kräütern N°. 1. *vnd* N°. 2. *sieden; Nur ein viertelstunde ist genug: davon gevvinnet sie, die Salbe, eine schœne grune farbe.*

Garthëill, grün petersillgen, fenchelkrautt.

Succedanea.

Im fall man von den obgesetzten kräütern, nicht haben kan Elbenkrautt, dafüre nehme man Rupkrautt, kallmuss vor Brustkrautt, vor Dreyspiel Lorbeen. Darnach man der grunen salben viel oder vvenigee machen vvill, so nim eines ieden krautes, eine hands-voll 3. oder 4. vvie du vvilst, es muss aber alles gar rein gelesen, vnd durchsehen vverden.

Quantitas simplicium.

Modus eligendi ingredientia.

Darnach vvelche kräüter harte stengel haben, so ziehe das krautt von dem stengel abe, vnd brauche das krautt alleine, denn die stengel viel butter nehmen, vnd nicht viel kraftig sein. VVelche kräuter aber vvurtzeln haben, die muss man darbey lassen. Lass dasselbe alles, vvie andere kräüter, zuhacken: Doch vvill du, so kanst du dass kraut sonderlich, die vvurtzeln auch sonderlich hacken, darnach zusammen thun lassen. Nim darnach gutte vngesaltZene Meybutter, thue alles in einen kessel, vnd nach dem dass krautt vil ist, darnach nim butter, nicht zu vil, auch nicht zu vvenig, sondern vvenn sie Zergangen, dass sie ïiber dass krautig gehe, vnd dass es allezeit fein dunne sey, vnd also must du erstlich die kräuter Zusammen thun, als bey N°. 1. *aufgemercket. Dieselben müssen in der butter, 6. oder 7. stunden kochen, doch most du sie ollzeit rühren, damit es nicht anbrenne, vnd vvisse dass es nicht gross fevver haben muss, sondern lass es in einer kleinen hitze so vor sich sieden.*

Modus coquendi.

Quantitas butyri.

Gradus ignis.

VVenn nun die kräüter N°. 1. 6. *oder* 7. *stunden gesotten, oder vvie es die gelegenheit nach menge der kräuter giebet, vnd in der butter alse gekochet sein; als thue die kräuter, vnter* N°. 2. *verzeichnet, auch darein, vnd lass dieselben auch also beysammen, vngefähr 1½ stunden sieden: dann die nicht so harte, als die ersten. Vnd vvann die kräuter vnter* No. 1. *vnd* N°. 2. *also vnterschieden, zusammen kommen sein, vnd miteinander bey 8. stunden gesotten haben, alsdenn nim letzlich die kräuter vnter* N°. 3. *verzeichnet, die thue auch darein, die dur en nur mit den andern ¼ stunde kochen: Von diesen letzten kräutern gevvinet es alsdann eine grune farbe.*

N B.

Mercke auch, dass du die kräuter einer iedern N°. *Zuvor besonders hacken, vnd also eines nach dem andern in den kessel thun must. Vann es nun also die zeit miteinander 8. stunden gekochet hat, es kochet nicht vielein, so nimb ihm das fevver, doch lass ihm ein vvenig vnter dem kessel, damit es sich lautere vnd setZe: Muss aber gleichvvol vvarm bleiben, dass man eine hands darinn leiden kan.*

Modus colandi.

Nun darnach einen engen durchschlag, doe schœpfe vveiter in ein klein harin Siebelein, darunter dann ein ander gefess stehen soll, darin es laufe. Alse vvird es zvveymal durchgetreibede, vnd das grœbste bleibet im kessel, doch ist dasselbe nicht das argste. VVill du, so nimb dasselbe gar vvarm, vvie duer erleiden kanst, vnd drucke es durch ein rein tuchlein, ohne es alleine, es gevvinnet vvol eine schvvartZe farbe, es kan aber fast als das beste gebrauchet vverden. VVann es nun, vvie gemeldet, durchgeschlagen ist, so thue es in eine krauss oder glass, darinnen du es halten sollest: Auch muss solches in einen kühlen orth gesetzet vverden, dass es gestehe vvie baumohl. Ist auch besser, dass man es gerinnen helt, so vvird die Salbe nicht garstig, vnd kan etliche jahr gehalten vverden.

Quali vase asservandū, & in quo loco.

VVie man die genandte grune Salbe brauchen soll.

Hast du dir sehr vvehe gethan, so nimb der Salben so viel, als ein VVelsche nuss, vnd thue die in vvol gevvarmet bier, dass die darinnen zergehet, die trincke des morgends nüchtern, oder zu abend, vvenn du vvilt schlaffen gehen. VVenn es aber Manns-personen sein, vnd starcker natur, ists besser, dass die Salbe in einem vvarmen scharpfen bieressig eingenommen vvird, ist kräftiger. Schvvangere frauven mægen sie auch trincken, dass gross reissen im leibe haben.

Spiritus vitrioli philosophici vires in coralliis & similibus lapidescentibus periclitari rectè poteris. In striarum scorbuticarum causâ reddendâ facilè tibi adstipulor. Optarim vt vnum atque alterum de hoc argumento Disputationis tuæ exemplar haberem, quod *Bucretio, Franco, & Vrsicke*, quid id valde capetunt, tuo nomine donare possem.

In Butyri antimonij examen, vt diligentiam aliquam impendas, & *Barthij* de hac re sententiam accuratius, expendas, oro. De sectione venarum pedalium in inflammatione renum, plura hoc in loco scribere nolo. Quæ enim nuper in hanc sententiam protuli, satis firma mihi videntur, quæ nos ab harum sectione sub morbi initium dehortari possunt. Quæ vt iterum, si libet, legas, precor.

Repetitne circa sectionem pedalium venarum instantia.

Alterum *Barthij* Dogma quod attinet, quòd videlicet quatuor senæ drachmæ, in vnciis quatuor aquæ infusæ non magis purgent, quàm drachmæ duæ in æquali quantitate aquæ maceratæ, nondum probare possum, cùm ob rationem, tum experientiam nuper à me productam. Plura scribere non vacauit. Ad residua tua quæsita responsum meditabor per otium; tu vt idem facias peto, &c. Bene vale, Breslæ, die 6. Nouembr. Anno 1620.

Contra Barthium iterò.

EPISTOLA XXII.

PERIOCHE.

1. Notas & Obseruationes Doringij ad tractatum suum de scorbuto exposcit. 2. Consilium petit ab ipso, super methodo in Practicis seruanda, tresque eâ de re quæstiones proponit. Hortatur vt doctrinam de febribus excutiat, ac illustrandam sumat. 4. Censura super opinione paradoxa de spermate ceti, quæ habetur Epist. præced. 5. Explicat suam mentem super Dogmate Barthij, de proportione materiæ infundendæ, & menstrui. 6. Opinionem Kirstenij, de asthmate orto ex refrigeratione partium genitalium, improbat.

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

S Litteris tuis, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, debeo responsum. An tamen ea voto iam illud exsolutus sim, dubito. Non enim solum speciem abit in maturat Rhedarius, sed etiam in Disputatione quadam inaugurali conscribenda iam occupatus sum. Breuitati ergo ignosces. Si *tuæ disputationi de scorbuto notas & obseruationes* addes, rem gratam mihi facies; poterit que, si Deus volet, Disputatio illa, posteà à me reuisa, & tuis notis aucta, caput vnum in Practicâ occupare. Iam verò pro præstitâ diligenti & prolixâ operâ in examinanda *Disputatione Nymmanniana de apoplexiâ*, gratias tibi habeo singulares.

Notas & obseruationes Doringij ad tractatum suum de scorbuto exposcit.

Quæstiones de Methodo in Practicis seruanda Epistolæ, nisi me fallit memoria, ab hac tertiæ inserui. Fuerunt autem, si rectè memini, hæ. 1. An generalia omnia generaliter tradere, id est, de morbis capitis acturus generaliter, quomodo caput euacuandum, alterandúmque sit, docere, & ad ista in specialibus affectibus saltem remittere; an verò in quolibet affectu, omnia, quæ ad ipsum curandum necessaria sunt medicamenta proponere debeam? Causa dubij hæc est, quòd vix in genere ista ita tradi possint, vt omnibus particularibus affectibus conueniant. Ex. gr. sternutatoria in apoplexia, & epilepsia, etsi ferè conueniant, in quibusdam tamen differunt. Idem accidit in aliis medicamentis. 2. An quæ in *Institutionibus* de symptomatis & eorum causis tradidi, in *Practicâ* repetenda sint? 3. An quæstiones controuersas singulas suis locis inserere; an verò saltem meam sententiam, & quæ ad morbi naturam, & causas, cognoscenda & annotanda necessariò sunt, breuiter sine disputatione proponere; posteà verò in fine cuiuslibet affectus, omnes controuersias proponere debeam?

Quam methodum in Practicis Sennertus seruare debeat, quærit, tripliciemque quæstionem proponit.

Quod nuper etiam rogaui, iam repeto, vt *doctrinam de febribus* commendatam tibi habeas, & si quid in Lectione, vel praxi notatu dignum occurret, id annotes, & suo tempore mecum communices. Quomodo in *ridiculam istam de spermate ceti opinionem* bonus ille vir peruenerit, scire aueo. Vbi, quæso, locorum isto artificio id parari comperit? Rectè facis, quòd ineptias tales silentio refutare soles. Pro *vnguentis posterius alterius* communicatione tibi gratias habeo.

Hortatur ad doctrinam de febribus, excutiendam ac illustrandam.

Etiā

Explicat suã mentem super Dogmate Bartgij, de proportione materia infundendæ, & menstrui.

Etsi *Barthij Dogma* in eo, in genere probo, quòd liquoris certa quantitas ad materiam extrahendam requiratur; neque illud planè absurdum esse puto, si liquor anteà ex materiâ, quantum potuit, extraxerit, cum ampliùs parùm aut nihil attracturum, atque hinc menstrua permutari; tamen illud non credo, ℥.iv. sennæ, in ℥.iv. infusas, non plus purgaturas, quàm ʒ.ij. *Experientia enim*, vt rectè scribis, *repugnat*: neque ʒ.ij. sennæ, ℥.iv. liquorem ita imbuere possunt, vt si adhuc ʒ.ij. iniiciantur, ex iis nihil extrahere possit. Miror quoque D. Kirstenium in absurdam istam opinionem adductum fuisse; *Asthma* consultissimi illius viri, quem iam mortuum esse audio, *ex refrigeratione partium genitalium originem traxisse.* Non equidem de Quæstione istâ Collegas meos consului, tùm quòd modò vnus, modò alter abfuerit, tum quòd magni momenti non videtur. Ego tamen non video, quomodo refrigeratio partium genitalium per se angustiam bronchiorum pulmonis, quæ proxima asthmatis causa est, & ad quam reliquæ causæ omnes reducendæ sunt, producere possit.

Opinionem Kirstenij, de asthmate orto ex refrigeratione partium genitalium improbat.

Ego, nisi me fallit opinio, scorbuto hunc bonum virum laborasse existimo; cui quot morbi & symptomata coniungi possint, non ignoras, aut certè scorbutum reliquis morbis associatum fuisse. Elixir vitæ D. Kirstenij non vitupero; non tamen cum illis facio, qui talia indicationibus sæpè neglectis, panaceæ loco commendant. Bene vale. VVittebergæ, 2. Decembr. Anno 1620.

EPISTOLA XXIII.

PERIOCHE.

1. De Praxi vberiore Doringio gratulatur, excursiones tamen extra vrbem ad agros visendos dissuadet. 2. Inter remedia contra arthritidem Fonticulos laudat. 3. Cereuisia hordeacea in arthritide vsus, commodior quàm vini. 4. Solâ victus mutatione quidam ab arthritide liberati. 5. Sudores matutinis arthriticis oppidò vtiles. 6. Iudicium operis Car. Pisonis de morbis a sero. 7. A calculi motu calorem febrilem oriri.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Cum omnis nostra vita, *Clarissime Dn. Affinis Compater & Amice plurimum honorande*, Dei seruitio, proximi ministerio, & animæ curæ insumenda sit: præstat nos esse negotiosos quàm otiosos. Laboremus, dum valemus: Ideóque breuitati, tuarum litterarum facilè ignosco, & de vberiore praxi tibi gratulor: simul peto, vt & mearum breuitati ignoscas; aliquoties tuas litteras, vt eas relegerem, in manus sumsi: sed excusserunt eas alia negotia; in primis superioribus septimanis multum negotij mihi fecerunt aliquot ægri extra vrbem. Si domi, quod agas, satis habes, facile suaserim, vt excursiones extra vrbem negligas. Malo & ego domi vnum florenum, ex praxi lucrari, quàm extra vrbem duos: ita illæ excursiones mihi plus molestiarum habere videntur, & multum temporis eripiunt. Et vix possibile est, domi ægros rectè curare, & aliis extra vrbem etiam vacare. Sed quid tuæ vires ferent, ipsemet rectissimè dispicies. Vt arthritis te tandem deserat, ex animo precor. Vix autem puto, me aliquid remedij contra eam habere, quod tibi ignotum sit. Rarissimi enim hîc, imò ferè nulli sunt, qui cum hoc morbo conflictantur. *Dom. Doctor Balduinus*, anteà quidem sæpius arthritide, & catarrho, ac raucedine laborabat: sed postquam de meo consilio Fonticulum in brachio aperiri curauit, rariùs hoc malo conflictatur. Ego in Diætâ maximam sanationis spem pono, & suaserim, nisi forsan, iam antè id facis, vt *omni vino Vngarico, Austriaco, Morauico abstineas*; & cereuisiam aliquam hordeaceam, claram, & defæcatam, quæ in loco aliquo, cuius loci incolæ ab arthritide immunes sunt, cocta sit, bibas. Obseruaui enim hactenus sæpius, eos, qui ex Morauiâ & Bohemiâ ad nos veniunt, malo huic obnoxij, solâ victûs mutatione tandem liberari. Simul dabis operam, vt sudoribus matutinis serosos humores discutias, qui mihi singulis diebus vltrò fluunt. *Aureo vellere*, sine periculo, vt opinor vti poteris; quid possit, experientia docebit. *Carolum Pisonem de morbis ex humoribus serosis* tandem nactus sum, & obiter peruolui. Habet multa consideratione digna, & videtur mihi sub alio nomine idem. ferè agere, quod *Seuerinus Eugalenus in tractatu de scorbuto*. Quid tibi videatur significa. Induxi ferè animum, quamprimùm aliquid otij nactus fuero, *Disputationem meam de scorbuto reuidere*, & cum eâ has *Caroli Pisonis* meditationes conferre. Operæ pretium futurum puto, si tractationi illi, quid sentiam, *de naturâ & loco generationis serosi humoris, an Lienis officio*, inseruero, cùm hîc totum malorum fundamentum situm sit. Velim tuam sententiam mihi aperias, quæ causa sit, quòd in calculi motu calor febrilis percipitur; adeò, vt sæpè incautis ea res imponat, & febris primario esse putetur, quæ tamen à calculi motu saltem est, & calculo excreto euanescit. Si, *quæ in D. Bucretij corpore obseruata sint*, mecum communicaueris, rem gratam facies. Vxorem tuam nostro nomine saluta & bene vale. VVitteb. Cal. Iul. Anno 1621.

Fonticuli arthriticis vtiles.

Cereuisia hordeacea vinis vtilior.

Victus mutatio quantum possit.

Sudores matutini commodis.

Iudicium de Caroli Pisonis opere.

Quærit, vnde calorem febrilem percipi contingat, à motu calculi.

EPISTOLA XXIV.

PERIOCHE.

1. Generalia seorsim, seorsim item particularia in Practica Sennerti tradenda videri. 2. In practica non repetenda qui iam in Institut. proposita. 3. Controuersiæ post affectus quoslibet tractandæ. 4. Spermatis ceti vsus medicus. 5. Boli Armeni vires aduersus asthma, ex Varignana. 6. Asthma in quodam ex genitalium refrigeratione prouenisse, quibus rationibus probauerit Kirstenius. 7. Remedia ab ipso præscripta ad suppositam prius indicationem nullo modo pertinuisse.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quæstiones de methodo, *Cl. Dom. Affinis, & Compater honorande*, in practicis seruandâ, in nullâ Epistolâ quotquot hactenus ad me peruenerunt reperire potui. Primariò igitur inter eas, quas nunc proposuisti, quod attinet, suaserim, vt generalia suo capite generali tradas; ne idem toties in particularibus repetere opus sit. Suffecerit enim, si Lectores ad generalia mittantur. Etsi verò ista vix ita tradi posse videantur, vt omnibus particularibus affectibus (ex æquo) conueniant: satis tamen fuerit, meo quidem iudiciolo, si particularia saltem hîc adiiciantur, adeóque generalitas illa per specifica limitetur, & cuique affectui propria reddatur.

Generalia seorsim, seorsim etiã particularia tradenda videri, in Practica Sennerti.

Si casus particulares; siue Obseruationes addantur, quid desiderari ad illustrandum quemque effectum possit, ego non animaduerto. Quæ in *Institutionib.* de symptomatibus, & eorum causis tradidisti, in practica reperi nolim; ne illas quasi antiquare, & emptores ab ipsarum coëmtione auocare videaris. Quæstiones controuersæ in fine cuiuslibet affectus ad exemplum Vasci, *de morbis pectoris*, commodiùs tractabuntur, ne Lector curationis cognoscendæ cupidus, detineatur, aut turbetur. Quomodo in illam de spermate Ceti opinionem Medicus ille deuenerit, si ipsius ingenium ad contradictionem natum nosses intimiùs, causam facilè hariolari posses. In Hollandia autem sic parari dixit, & Cordum pro teste præsenti vere citauit, quod idem peculiari scripto profiteatur.

Sanè celebre admodum apud nostrates istud est remedium contra casum, & ad pulmonum infarctus expediendos. Quod vt in catarrhis suffocatiuis esset vtilius, cum Bolo in nostris officinis etiam paratur, ex ordinatione, vti à D. Bucretio mihi aliquando relatum, D. Parixschij: sic enim mistam acquirit facultatem, cum catarrhos delabentes sistendi, & reoues incrassandi, tum delapsos expectorandi, & crassos incidendi. Miratus sum non parùm, quæ Varignana *secretorum Medicinalium, tract. 8. c. 4.* de Bolo Armeno, in difficili asthmate scripsit: quòd nimirum, qui istâ Medicinâ non sanantur, nullâ aliâ sanari possint, siquidem omnes nobiles Medicinæ in eâ concordent. *Et nos*, subdit, *pluries experientes, tam in viris quàm mulieribus, senibus quàm iuuenibus, mirabilem inuenimus effectum, & non fallacem. Quare confidas*, inquit, *in ipso, neque hoc à complexione communi habet: cùm Bolus Armenus sit frigidus & siccus, & potius constrictiuus quam dilatatiuus: sed hoc habet à proprietate mirabili & diuinâ, quæ in eo existit.* Hæc Varignana. Hinc fortassis occasionem desumsit Parixschius, vel quisquis alius author fuit, vt Bolum cum Ceti spermate misceri iuberet.

Spermatis ceti vsus medicus.

Boli Armeni vires aduersus asthma ex Varignana.

Porrò mirari desines D. Kirstenium ante annum statuisse Asthma consultissimi illius viri, ex partium genitalium refri-

Asthma in quodam ex genitalium refrigeratione prouenisse, quibus rationibus probet Kirstenius.

generatione originem traxisse, si rationes, quibus vt hoc faceret, adductus fuit, cognouerit, Recitabo eas ex ordine. Primu fuit: quia ab ascensu auræ frigidioris ex his partibus cœperit.

Ratio I.

Quia æger ad generosissima etiam remedia asthmatica nihil alleuiationis senserit. (Tu confer cum his rationibus casus historiam, quasi verò etiam generosissimorum remediorum vires, morbus, si vel contumax, vel incurabilis sit, sæpe non eludat.)

II.

Quia post calida & sicca, (putà elixir) malignitatem frigidam (attende phrasi) corrigentia, mitigationem deprehendit. (mitigationis causam casus historia exprimit.)

III.

Quia a longo tempore ad actum Venereum, inhabilis fuerit. (N B. Huic rei ipse contradixit æger.)

IV.

Quia alij graues affectus à seminis corruptione oriantur, (include quæso hanc rationem formæ syllogisticæ, & vide num ista conclusio inde prodiitura sit, ergo Asthma est à refrigeratione genitalium.

V.

Quia frigore externo genitalibus refrigeratis in lipothymiam incidit. (Nulla est hic conclusio. Quin & falsam lipothymiæ caosam allegauit: huius enim vera causa fuit spirituum defectus, qui quoties exonerandæ alui gratiâ extra lectum in sellâ paulisper commorabatur, adauctus fuit, partim conatu eiciendi, partim excrementorum fœtore.)

VI.

Quia spiritus Meteorij, (ita loquebatur) & frigus externum, Asthma inducere possint. (Putasne tu, in corpore viuo tantum frigus reperiri posse, quod instar externi frigoris tam potentes impressiones faciat? Et quis concedat, asthma propriè dictum ab his causis produci?)

VII.

Atque hæ sunt rationes Medici illius, ob numerum septenarium perfectionis laudem procul dubio meritæ. Quæ an iuste eam mereantur, tu dispice.

Remedia à Kirstenio praescripta, ad suppositæ ab ipso indicationum nullo modo pertinuisse.

Profectò remedia partim expectorantia, partim venarum obstructiones reserantia, partim euacuantia, partim hepar roborantia, atque ab hydrope præseruantia, &c. qualia me absente, & tum temporis à podagra decumbente; ex ipsius consilio præscripta & adhibita sunt, ad indicationem istam minimè pertinuerunt. Tu in affectûs dignotione nobiscum optimè consensisti. Bene vale, & à nobis salut. Bresiæ, die 23. Nouembr. Anno 1631.

EPISTOLA XXV.

PERIOCHE.

1. *Error in victu, causa frequens rediuiuæ arthritidis.* 2. *Arthriticis rarenter comminandum.* 3. *Vesicam & aluum minus aliquando respondere, ex vsu cereuisiæ hordeaceæ.* 4. *Doringius ob suam arthritidem meritò sollicitus, ac consilij ferè inops.* 5. *A phlebotomiæ & cucurbitul. vsu frequentiore, sanguis serosior redditur.* 6. *A fonticulis solatium quidem arthritidis, nequaquam immunitas sperabilis.* 7. *Podagrographi recentes, Pithopœus, Raicus, Majerus.* 8. *Cur isti minus placeant.* 9. *Imbecillitas facultatis naturalis, causa principalis arthritidis.* 10. *Natura & medicatrix & præcautrix morborum.* 11. *Aurei velleris periclitatio in arthritide.* 12. *Commendatio Operis Caroli Pisonis.* 13. *Quæ fuerint obseruata in aperto D. Bucretij cadauere.* 14. *Ratio, cur à calculi motu calor febrilis percipiatur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S De vberiore praxi, *Clar. Dom. Affinis, & Compater honorande*, nescio an rectius mihi gratulari, an condolere potius debeas? Si enim vires meas metior, tot laboribus sufferendis, quos nuper sustinui, minùs imposterum par ero: præsertim cùm arthritis mea nuperrimè recurrerit, & me denuò per septiduum domi detinuerit. Recidiuæ autem istius causam non tam quotidianis circumitionibus, articulos nondum plenè à defluxionibus liberatos magis magisque delassantibus, quàm *vini vsui*, quem in nuptiis Filiæ Sandecianæ, quæ *D. Ioh. Donato*, Gorlicensi, ante mensem nupsit & sub meâ tutelâ hactenus vixit, honestè subterfugere non potui, adscribo. Diætæ igitur errata & impora vina quantoperè arthritidē promoueant, meo malo edoctus testari possum. Quis

Caussa recidiuæ frequens, error in victu,

tamen ista omnis tam strictè semper euitabit? Sanè *Consilium Bucretianum*, quod mihi paucis ante obitum diebus, post arthritidis insultum ipsum visitanti impertiebat; animo præfixum, & infixum habebo; quo suadebat, vt *commutarer rarò*: modò id semper honestè obseruare licuerit. A *vinis Morauicis, Austriacis, atque Vngaricis* caueo mihi, quantum potero. *Hordeaceam cereuisiam* citra ventriculi offensam antehac bibere non potui: a bimestri tamen spatio frequentiùs bibita, præsertim *Seruestana*, & *Laubana*, innoxiè à me assumpta fuit. Id tamen mihi mirum videtur; quod cùm vtramque copiosius, quam nostratem, bibam; vrinæ tamen parcius perfluant, nec aluus in faciendo officio tam prompta sit. Quibus certè de causis serum in vasis augeri, & materiam arthritidi subministrari, quis non concludat? Matutini sudores mox, atque ante duos menses, tam expeditè non promanant. Equidem valdè me angit affectus iste, & quid consilij ferè sequar, vix video. Ventriculi enim, iecoris, renum, & totius corporis constitutio, necnon ipsamet arthritis, contrarias planè Indicationes suggerunt. Quippe crebriore vsu purgantium ventriculus læditur, Diureticorum renes offenduntur, sudoriferorum iecur accenditur, & corporis habitus siccatur, & tamen arthritidis causa his mediis exturbari postulat. Cucurbitulas, & venæsectionem etiam non negligo.

Bucretij Consilium, vt arthriticis rarò commutentur.

Quid à cereuisia hordeacea Doringio acciderit

Doringius ob suam arthritidem valdè sollicitus. Cur?

Hinc tamen sanguinem serosiorem & imperfectionem reddi, verè scripsisse Salam in *Ternario Bezoardicor. c. 3. sub finem*, in me ipso haud obscurè experior. Fonticulos serosos humores exhaurire, & ad arthritidis præseruationem aliquid momenti adferre, non ignoro. Immunitatem tamen solidam, ex iis sperare non licet. Euolui varios authores, qui desiderio meo satisfacerent, inuenio nullum. Pithopœus de remediis antipodagricis gloriatur quidem *in suo de poste libello*, sed ænigmata loquitur; qualia etiam habet Iohannes Raicus *in suo de arthritide scripto* nuperrimè edito. Majerus curam instituit per Mercurium sublimatum dulcem. Ego certè, qui periculo meo sapere didici, huius Consilium non sequar. Aliâ viâ huic hosti occurrendum censeo. Vulgares enim illi, tam curandi, quam præseruandi modi, causam solummodò respiciunt actu iam genitam, serosos nempe in corpore humores existentes, quibus tollendis omnem operam vulgò impendunt. Ii quò minus generentur: potius præcauere, & qua ratione hoc obtineri possit, cogitare decebat. Victus mutationem hic multùm posse, lubens confiteor. Attamen cùm arthriticos prius, quàm hoc malo affligi inciperent, consueto victu innoxiè vsos sciam, & alios etiam sine damno vti videam: causam in ipso potiùs corpore, quàm alimentis, quærendum esse suspicor. Eam autem *facultatis naturalis imbecillitatem* esse reor; ob quam tartarea extrementa à laudabili alimento minùs probè secernuntur, & è corpore expelluntur. Hæc imbecillitas si tollatur, & facultati naturali suum robur restituatur, tunc demum coctiones ritè administrabuntur, extrementa debitè eiicientur, & corpora non tantùm ab arthritide, verùm etiam aliis multis morbis præseruabuntur. *Natura*, enim, *vt morborum medicatrix, sic & præcautrix* rectè dici potest. Consentiunt cum his, quæ habet Alexander Suchtheutus *de vera Medicina, lib. B. 1.* Quò inclinem, facilè animaduertes.

Quid à frequentiore vsu cucurbitularum & venæsectionis eueniat.

Fonticuli quantum possint.

Doringius varios consuluit scriptores.

Cur ij non placeant.

Quæ sit principalis arthritidis caussa.

Aureum itaque illud *vellus*, si facultatis naturalis languores auferret; panaceæ loco non immeritò haberetur. Quid possit, experientia aliquando docebit, vt rectè scribis. Decursâ enim septimanâ Pharmacopœus noster *Dn. Petrus Kallenberg*, meo iussu, auro foliato, per antimonium prius purgato Rorem Majalem probè depuratum affudit; facturus in septem vasculis periculum, an processus successuros sit? De euentu monebeis, si vterque superstes vixerit, suo tempore. Nosti enim, *Burthiam* definire pro huius Magisterij perfectione, nouem cum dimidio mensium spatium. Interea igitur diætæ errata studiosè vitanda, & consuetis euacuationum generibus corpori succurrendum erit. Tibi, quid de his meis cogitationibus videatur, proximè, quæso, significa. *Carolus Piso* bonæ notæ author est; & videtur candidè agere, dum historias medicas recenset.

Aurei velleris periclitatio.

Opiniones habet hinc inde singulares, quæ non contemnendæ. Vix credis, quàm me huius authoris lectio recreauerit. Opinio ipsius de Lienis vsu reuera consideratione non indigua est.

Commendatio operis Caroli Pisonis.

In D. Bucretij cadauere hæc nobis visa sunt. 1. Abdomen solâ cute, & ex carnibus penè musculis tectum. 2. Omentum omni pinguedine destitutum. 3. Ventriculus & intestina flato turgida, atque instar vesicæ inflatæ transparentia: interque tenuiora nonnullis maculis liuescentibus interstincta. 4. Lien pro corporis magnitudine exiguus, forma ouali, sed depressâ, & in lobos quasi quatuor dextera sui parte dissectus. 5. Folliculus felleus magnus. 6. Hepar grandiusculum sic satis coloratum. 7. Ren vterque; quoad substantiam ipsam inculpabilis, secùs, quàm ipsemet etiam *Bucretius p. m.* suspicabatur. Dexter tamen ipsi infundibulo calculum, magnitune radicem zinziberis ferè æquantem, acutum, & vni atque alteri interiori renis meatui peculiaribus protuberantiis tam firmiter impactum, (scrupulos quatuor, si rectè memini, pependit) continebat, vt non nisi cum violentia, & sonitu extrahe

Obseruata in aperto cadauere D. Bucretij.

extraheretur: sinister verò externâ, & supernâ sui parte, vesicam, instar nucis iuglandis grandioris, aquâ limpidissimâ distentam, & dimidia parte renis substantiæ inhærentem; vreter quoque iuxta infundibulum non parum sabuli nobis repræsentabat. 8. Vasa, venam intelligo cauam, & arteriam magnam, erant propè tota exsanguia. 9. Arteria magna spinæ incumbens tantæ amplitudinis erat, vt pollicem sine vlla difficultate admitteret. Hæc sine dubio in causa fuit, vt quandoque doloribus nephriticis nimis furentibus, & spiritibus sanguinéque ad locum affectum impetuosiùs confluentibus, manu abdomini iuxta vmbilicum admotâ, pulsatio exquisitissimè sentiretur; præsertim cùm, vt ex antedictis patet, tam abdominis musculi, quàm subjacentes partes adeò fuerint extenuatæ. 10. Pulmones maculosi. 11. Cor grandiusculum, & tam copiosâ pinguedine obsitum; quantam, meâ opinione, è toto corpore per coctionem non prolecturus fuisses. Huic adscribo, quòd sufferendis tam diuturnis, & exquisitis doloribus, parcissimo alias cibo ac potu vtens, par fuit. Cor enim perpetuò quasi ab ea humectatum, & spiritus refocillati sunt, vt pulsus, ad extremum propè, satis rectè aliorum corporum respectu, constaret. Miraberis fortassis, idque non immeritò, pinguedinis circa cor, copiam, corpore alias tam emaciato, & tam pectore, quàm abdomine hirsuto; quæ omnia caloris sunt indicia. Hoc etiam singulare habuit; quòd cum paucissimi esset somni, lachrymas tamen facillimè, vel post risum etiam profunderet, & nares sero vtplurimum stillantes circumferret. Cranium apertum non fuit. Atque hæc, sunt, *mi Sennerte*, quæ in *amicissimi mihi ante obitum per biennium Bucretij* cadaueris dissectione occurrerunt. Et hinc etiam ratio reddi posse videtur Quæsiti tui, qui scilicet fiat, quod in calculi motu calor febrilis percipiatur? Nimirum, cùm calculus non tantùm bili, sed & crassiori sero, egressum intercludat, atque insuper membranosas partes lancinando, graues & immanes nonnunquam dolores excitet, & sanguinem atque spiritus ad locum affectum accurrere faciat, adeóque totam massam sanguineam insigniter perturbet; quin exæstuantibus humoribus, & spiritibus febris symptomaticæ species exoriatur, fieri vix potest. Nosti quæ alias *de adstrictione ventriculi* ad te scripserim, quomodo videlicet illa febrem quoque putridam mentiri possit. Plura in istâ Tabellarij festinatione impræsentiarum scribere non vacauit. Tu festinata hæc, & non satis ponderata atque relecta, boni consule, & litterarum mearum, *sententiæ Nymmannianæ* considerationem exhibentium, examini per otium temporis aliquid tribue. Ego quin idem in iis, ad quæ responsum me tibi debere lubens confiteor, primâ occasione facturus sim, dubitare noli. Deus vndique clementer largiatur pacem, & sanitatem, quæ hactenus exolare propemodum in his regionibus visa sunt. Speremus nihilominus meliora, & nos vtrique fortunæ patienter accommodemus. Bene cum tuis vale, & à nobis humaniter salue. Dabam Breslæ, die 9. Augusti, Anno 1621.

Internum aneurysma.

Cur in calculi motu calor febrilis percipiatur.

EPISTOLA XXVI.

PERIOCHE.

1. Historia febris albæ lethalis. 2. An pernicies in hocce casu à solis vterinis symptomatis, an à maligno copiam assumto, illata fuerit? 3. An sudorifera, ineuntibus febribus, sat tuto exhiberi possint?

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SD: Garthianâ familiâ, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, hæc habe. Ipsa quidem in dies meliùs habet: sed filia Leonora Catharina non solùm hactenus non benè habuit, sed & nudius tertius mortua est. Laborauit hactenus malaciâ, Cordis palpitatione, & omnino morbo illo Virgineo, quem Langius, febrem albam appellat. Die proximo Veneris adhuc in horeo fuit. Die Sabbathi, manè in lecto ipsam, ac de nausea conquerentem offendi, circa vesperam & nocte sequente creberrimè vomuit, puto vel quadragesies, viridia planè. Vocor post mediam noctem: præscribo externa quædam. Nam interni (etsi antè præscripseram) nihil assumebat. Horâ quinta matutinâ ipsam sermo defecit, neque ab eo tempore quicquam locuta est. Conuulsiones quidem manifestas non patiebatur: crebrò tamen in lecto se circumuoluebat, & per interualla, atque inopinatò sæpè clamare solebat: nullam tamen articulatam vocem edebat. Motus posteà sensim imminuebatur, & præcipuè in sinistro latere mouendi impotentia magis apparebat, nec sinistram naris pinnam, sicut dextram, in respiratione mouebat. Os arctissimè claudebat quandoque, & nihil omninò poculenti deglutiebat.

Historia febris albæ lethalis.

Horâ secundâ deinde noctis, quæ diem Solis & Lunæ intercessit, mortua est. Quæso quid morbi fuisse tibi videtur, soláne vterina symptomata tam subitam perniciem ipsi inferre potuerunt? Ego suspicor, an verum sit, nescio, illam in vitioso illo appetitu, aliquid venenati, aut maligni, clam comedisse. Ne verò, præter casum istum, nullius argumenti sint hæ litteræ: Quid quæso, sentis, *de exhibitione sudoriferorum in principio Febrium*? Neque enim ignotum tibi esse puto, à vulgo, sæpe non malo successu Theriacæ atque aliorum sudoriferorum exhibitione, mox in primâ inuasione febres depelli, & præcipuè malignas & contagiosas: Narrabátque mihi heri signifer Torgeosis, milites suos omnes, (Febres enim malignæ passim inter milites grassantur) qui theriacâ assumtâ largè sudauissent, euasisse.

An pernicies in hocce casu à solis vterinis symptomatis, an à maligno quopiam assumto, illata fuerit?

Verùm cum malignæ Febres primâ inuasione non ita semper ab aliis satis discerni possint, quid tuto hic agi posse putas, ne vel malignitas in corpus penitius sese insinuare permittatur, vel intempestiuo sudoriferorum vsu mali aliquid ægro attrahatur? Bene vale, & salue ab omnibus meis cum tua, VVittebergæ, calamo celeri. Cal. August. Anno 1621.

An sudoriferorum exhibitio ineunte febre, sat tutò suscipi possit?

EPISTOLA XXVII.

PERIOCHE.

1. Venenum intus genitum adfuisse, in casu illo febris albæ superiùs descripto, probabilius indicat. 2. Symptomatum aliquot ἐπιγινομένων causæ. 3. Historia cuiusdam, post variolas, febre malignâ correpti ac extincti. 4. Crystalli facultas in cholera & alui fluxu cœliaco. 5. Cratonis de crystallo opinio minùs aqua. 6. Obseruatio de quodam ex ranularum apertione, larga hæmorrhagia correpto ac demortuo. 7. Sectio ranularum parum probatur, vt & sectio venæ nasi.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SVidor Garthianæ, ob fatum filiæ Leonoræ Catharinæ, ex animo condoleo, quam condolentiam, vt ipsi, præmissâ salute, nostro nomine significare haud graueris, obnixè rogamus. Venenati aliquid subfuisse, ex symptomatum annumeratione liquet. Vnde id prodierit, suspicari quidem faciliùs, quàm certò statuere quid licet. Sanè in vitioso illo appetitu, tale quid ipsam non aduertentem ingerere potuisse, à vero non est vsque adeò absimile. Si tamen vitam anteactam, quantum miseriarum in fugâ illâ Pragensi passa est, & diætam hic seruatam attenté, consideres: quin ex priuato humorum vitio, & indicibili illâ corruptione, simile quid intrà corpus etiam ipsum, aliàs plethoricum, & nubile, generari potuerit, ipsus, vt opinor, penitus haud inficiaberis: Quippe menses hîc primùm obstructi ipsi sunt; qui tamen ab vsu nucum iuglandium, in *aquâ melissæ compositâ meæ descriptionis* infusarum, iterum prodierunt. Habetur autem *l. 3. prax. Sennerti.* Familiare mihi hoc remedium est, nec vnquam successu caruit, qualem de eo pollicitus fuit Matthiolus; tametsi is nucleos in simplici spiritu vini macerari iusserit.

Venenum intus genitum, in casu febris albæ, adfuisse, probabilius videtur.

Symptomatū aliquot ἐπιγιγνομένων causæ.

Motus imminutio, quæ obscuras conuulsiones in sinistro latere consecuta est similis est paralysi, quæ post epilepsiam in fratre ipsius hîc demortuo in eodem latere oboriebatur. Huius casus me confirmat, ex peculiari potius humorum deprauatione, quàm aliunde venenum illud processisse. Nam etsi iste è variolis probè conualuisset, & per vnam, atque alteram septimanam optimè sanus videretur: in febrem tamen incidit malignam cum Cephalalgia præter expectationem, ortam vnicè ex vitiosorum humorum apparatu, quam mihi partim excretiones fœtidissimæ per aluum, partim vermis corruptus cum iisdem prodiens, partim vomitus crebriores, partim sudores, & sudamina erumpentia, apertissimè commonstrarunt.

Historia cuiusdam, post variolas, febre malignâ correpti ac demortui.

Vomituum porraceorum, siue viridium (magnam humorum corruptionem designantium) occasione, in memoriam mihi reuocasti ea, quæ de crystallo scribit Anselmus Boethius, *de gemmis & lapidibus, l. 2. 74.* vide Sennertum, *de febrib. p. 3. 1.* quòd fluxum cholericum, vel cœliacum, citissimè, & à proprietate, tanquam Bezoar aliquod, compescat. Vsus sum

Crystalli facultas in cholera & fluxu alui cœliaco.

ipſe hactenus eo, non infructuosè ſemel, atque iterum. Quâ de causâ aſſentiri non poſſum Cratoni, qui *Epiſtolâ* 121. Cryſtalli vſum, tutum non eſſe profeſſus eſt. Nec refert, quod ægri, qui ex vſu pulueris è cryſtallo, corallis, margaritis, & ſmaragdo præparatis confecti, ab epilepſia liberati fuerunt, tandem obierint: alia enim obitus cauſa, non cryſtallus eſſe potuit. Cùmque apud infantes in primis è porraceæ, & æruginoſæ bilis euaporationibus epilepſia vt plurimùm oriatur, non minimam ſalutis ſpem in iſtum puluerem reponerem. Tu quid de hac re ſentias, proximè ediſſere.

Cratonis de cryſtallo opinio minus æqua.

De venarum ſublingualium ſectione, noſtris quibuſdam Medicis valdè vſitata, vt aliquid adſcribam, caſus quidam nudius tertius à Dn. Nicolao Poſlio, qui te officiosè iterum ſalutat, mihi relatus monuit: Nimirum Dn. Samuelis Bluſchæij, Cõcionatoris Polonici ad D. Chriſtophori filius duodecennis, ex febre decumbens, Paraphreneſi corripitur. Medicus, tuus circa meas nuptias conuictor, ſuadet, vt pro eâ mitigandâ vena ſub linguâ aperiatur. Chirurgus facit officium: verùm cùm nihil ſanguinis effluerer, ſecatur altera. Rem miram audi. Neutra ſanguinem profudit, vel per mediæ diei ſpatium. Inde tanta hæmorrhagia ſucceſſit, quam, non niſi poſt ſeſquitertium diem, vſus, vti dictum, Boli Armeni, (ego verius ob ſpirituum, & ſanguinis defectum, factum crederem) compeſcuit, ægro interim ſub noctis initium exſpirante: cuius cadauer hodierna luce humi mandatum eſt. Profectò licentioſam iſtam, non imperitioribus duntaxat Chirurgis, ſed & Medicis quibuſdam, (quos tamen decebat eſſe multò prudentiores) ſuſque dèque habito morbi tempore, in Paraphreneſi, dolore capitis, angina, &c. plus ſatis familiarem probare nec potui, nec poſſum. Ego vt verum fatear; nulli vnquam ægrotanti eam ſuaſi. Sunt alij, qui venam in apice naſi, intra duas cartilagines ſitam capillarem, pro tollendo capitis dolore pertundi curant, vide Collectionem *aduerſariorum in Tom.* 2. *t.* 1. *cap.* 81. ſucceſſum audiui rariſſimum, ſit ſcilicet quibuſdam nouitas acrior & caritas! Ad Quæſtionem de vſu ſudoriferorum in principio febrium, alio tempore reſponſum expecta prolixius. B. V. & à nobis cum tuis amiciſſimè ſalue. Breſlæ, die 20. Auguſti, Anno c621.

Obſeruatio de quodam ex ranularũ ſectione, larga hæmorrhagia correpto, ac demortuo.

Sectio ranularum parũ probatur: vt & ſectio venæ naſi.

EPISTOLA XXVIII.

PERIOCHE.

1. *Sennertus tædio ſcribendi afficitur, ſuam ignorantiam agnoſcit, de temporum difficultate conqueritur.* 2. *Iudicium expromit de affectu Virginis Garthianæ.* 3. *Febres Epidemia cum cholera.* 4. *Varia ipſarum ſymptomata.* 5. *Damnatur ranularum apertio in febribus, citra anginam.* 6 *Farraginem medicamentorum Chymicorum, additis facultatibus, ac doſibus communicat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Malim ego, *Cl. Dn. Affinis, Compater, & Amice plurimum honorande*, tempus Practicis potius tractandis, quàm aliis Quæſtionibus impendere. Imò neſcio, quomodò iam à ſcribendo ſim alienior, & in iſtis miſeris & calamitoſis, in quæ incidimus, temporibus, neſcio quod tædium, & nauſea rerum humanarum me capiat. Cur enim laboribus me macerem, cùm neſciam, quam gratiam apud poſteritatem initurus ſim, imò qualis poſteritas futura ſit, ignorem? Mihi ipſi non ſatiſfacio; quomodo ergo aliis me ſatiſfacturum putem? *Et quò diutius & intentius in res Naturales, ac Medicas inquiro, eò plura me ignorare animaduerto*; vtcunque alij eruditionis inſignis perſuaſione ſibi placent. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quia tamen Deus hunc laborem, etſi durum, nobis impoſuit, planè otiari etiam non poſſum. Deus ſaltem lætiora tempora nobis largiatur, & vires corporis & animi, ſenio iam imminente, alias langueſcentes, gratiâ ſuâ & vultu ſereniore poſt hæc nubila recreet. An vos meliori fortunâ vtamini, neſcio. Eam tamen vobis precor. Nos certè in ea incidimus tempora, quæ nemo hominum meminit, vel timuit. Calamitatúmque harum cauſam præcipua ſunt *nummorum arroſatores, & monetæ corruptores.* Quod malum iam plerique omnes (niſi forſan ii, qui ex aliorum damno ſua quærunt commoda) agnoſcunt. Sed quomodo ei occurrendum ſit, neminem adhuc conſilium dare potuiſſe ſcio. Nam pleraque remedia vlcus hoc ſaltem demulcere, non verò intùs tangere videntur.

Sennertus tædio ſcribendi afficitur.

Suam ignorantiam agnoſcit.

Conqueritur de temporum difficultate.

Facilè tibi aſſentior, filiam Garthianam, vitioſos illos humores in corpore cumulaſſe: præcipuè ſi vitam ab hac ætate planè alienam conſidero, quæ, (niſi nuper etiam hoc ſcripſi (curis, & mœſtitiâ indies macerabatur, quas partim mater, partim maritis ſorores ipſi creabant.

Iudicium ſuum exprimit ſuper affectu Virginis Garthianæ.

Cryſtallum ad choleram valde etiam commendat Lælius Eugubinus à Fonte. Cuius mentione in memoriam mihi reuocas, febres iam per menſem vnum atque alterum apud nos præcipuè inter infantes, epidemias, cum cholera. Vomunt illi viridia, & eadem per aluum deiiciunt. Etſi calor extrà non magnus percipiatur, tamen eum arguit ſitis continua, & tandem linguæ ſiccæ, ſcabræ, nigræ. Plerique moriuntur, & tandem pedibus, & abdomine intumeſcunt, cum rarò debilitate remedia admittant, & matres imprudentes vinum iis exhibeant. Adulti rariùs hoc morbo corripiuntur, & plerique omnes conualeſcunt.

Febres epidemia cum cholera.

Varia ipſarum ſymptomata.

Miror Medici illius, quicunque etiam ſit, in venis ſub linguâ aperiendis temeritatem. Ego nulli vnquam ægrotantium hanc venæſectionem ſuaſi; etſi Barbitonſores interdum ſuadeant. Et quid illa præſtare poſſit, præſertim vbi nulla adeſt angina, ſed ſaltem lingua ſcabra & nigra propter ardorem in viſceribus, non video. Tollatur æſtus ille in viſceribus; ſymptoma hoc facilè ceſſabit. Farraginem medicamentorum Chymicorum, cùm nuper è morbo nonnihil conualeſcerem, necdum tamen ad alia ſtudia ſeria aptus eſſem, ne planè otioſus eſſem, cœpi colligere, quæ mihi tutiora, & vtiliora videbantur, & eorum facultates, ac doſes annotare. Ea deſcripta, ſed nondum ſelecta ac reuiſa ad te mitto, & rogo, vt ſi quæ ex iis minùs tuta videbuntur, aut ſi de aliquorum viribus dubitas, vt me moneas. Si etiam tibi præter hæc, & alia in vſu, aut nota ſunt, ea addas; & exemplar hoc (aliud enim non habeo) commodâ occaſione, & vbi perlegeris, remittas. Hiatus, quos vides, ſupplendi animus fuit, ſed nondum ortum. Volebam etiam indicem addere, ſecundùm corporis humani affectus, ſed nec eum conficiendi otium fuit. Bene vale cum tuâ. VVittebergæ, Cal. Octobr. Anno 1621.

Damnatur apertio ranularum in febribus, citra anginam.

Colligit farraginem medicamentorũ Chymicorũ, cum ipſorum facultatibus ac doſibus, quam communicat.

FARRAGO MEDICAMENTORVM Chymicorum, cum Facultatibus, ac Doſibus.

A*Qua Carfunculi* cerebrum & cor confortat, ſpiritus reficit, ab apoplexia, & epilepſia præſeruat, ſyncopæ medetur, grauidas, & fœtum earum confortat, iiſque, ſi conſternatæ fuerint, vtiliter exhibetur, partum etiam faciliorem reddit, vulneratis quoque & ex ſanguinis nimiâ profuſione languentibus exhibetur. Confortat quoque ea media languores, & ſumta, & pulſibus illita.

Doſis Cochlear. j. ij.

Eadem quoque ad dolores capitis, è frigida cauſa, vtilis eſt. In grauidis ſi fœtus langueat, eâ linteum madefaciendum, & vmbilico, & pulſibus imponendum. Si ſecundinæ ſubſiſtant, vmbilicalis funiculus. (Nabelſchnur,) vſque ad ventrem illinendus. In vteri ſuffocatione, ſpongia vel linteum hac aqua madidum pudendis imponatur.

Principio ſciendum, è vegetalibus parata medicamenta ſimplicia pleraque eandem cum plantis, è quibus parantur, habere efficaciam, & in eoſdem vſus adhiberi poſſe, niſi plantæ illæ diuerſas partes habeant. Tum enim videndum, à qua parte quælibet vis pendeat. Hinc rhabarbarum integrum adſtringit; extractum non ita adſtringit. Hinc malè nonnulli ſpiritum roſarum ad refrigerandum exhibent: cùm tamen æquè calidus ſit, ac alij ſpiritus, & à partibus roſarum, refrigerantibus planè ſeparatus ſit.

SPIRITVS.

Roſarum, cor & cerebrum recreat, & ſpiritus reficiendi vim habet. Vna atque altera gutta, ſatis magnam aquæ copiam odoratam reddunt. Hinc in ſyncope & lypothymia.

Ceraſorum nigrorum vtilis eſt contra apoplexiam & epilepſiam.

Doſis, Gutt. v. vj. ad ℈. ß. vel ℈. j.

Sambuci.

[*Fragorum.*

Baccarum rubi idæi.]

Tartari, aperit egregiè.

Doſis, à ℈. j. ad ℈ ij. in aquis conuenientibus.

Terebinthina abſtergit, vrinam mouet, calculum & arenam expellit, vlcera renum & veſicæ ſanat, vaſa ſpermatica calefacit, vterum mundat, phthiſicis vtilis eſt.

Datur à gran. viij. ad ℈. ß. vel etiam ℈. j.

Extrà, contuſionibus medetur.

Vitrioli, humores craſſos, & viſcoſos incidit, obſtructiones aperit, renes mundat, putredini reſiſtit, & inflammationes humorum prohibet. Hinc in febribus ardentibus & peſtilentialibus

libus vtilis, sitim sedat, appetitum excitat, vomitum sistit, vaporea ad caput ascendentes supprimit, & hinc ad morbos & symptomata inde ortum habentia, vtilis.

Dosis à gutt. v. ad plures. Admiscetur conuenientibus liquoribus plerumque ad gratam aciditatem. Vide Mioder, de *Chalcantho, cap. 9.*

Salis item, vim attenuandi, incidendi, aperiendi, putredini resistendi habet. Hinc febribus putridis medetur, calculum frangit, icterum tollit, hydropicis cum sale absinthij mistus vtilis est, renes & vesicam mundat, ob aciditatem etiam appetitum excitat, sitim sedat.

Dosis, à gr. iv. ad ℈. ß.

Extrà & oleo terebinthinæ, vel aliis conuenientibus, & ceræ mistus ad dolores podagricos, tophosque discutientes, vlcera etiam sordida, putrida, membra quoque paralytica, & contracta, vt vocant, commendatur. [Aquæ Vlmariæ mistus spiritus salis, & parti arthriticæ illitus, partem fumare facit & corrugari, præmissa purgatione.]

Sulphuris oleum seu spiritus per campanam factus, aperit, incidit, putredini resistit, calidos vapores reprimit. Hinc in febribus putridis vtilis est, sitim sedat, lumbricos necat.

Dosis, à gr. v. ad viij. ix.

Extrà etiam adhibetur ad gangrænam, fistulas, vlcera putrida.

Spiritus tartari, seu *mistura simplex* hodiè appellata, commendatur ad omnes obstructiones aperiendas, putredinem inhibendam, malignitatem expugnandam, & malignam aut putridam materiam in febribus per sudores discutiendam, ad menstrua prouocanda.

Dosis, ad ʒ. j. in liquore conueniente.

Elixir proprietatis, Paracelso dictum, calefacit, siccat, putredini resistit, stomachum calefacit & confortat, pulmonum morbis vtile, pectusque mundat, capitis morbis frigidis & catarrhosis auxiliatur, sensusque acuit, à peste præseruat, vulnera & vlcera interna sanat.

Dosis, à gr. vj. ad xij. in liquore conueniente.

OLEA.

Olea destillata simplicium, è quibus parantur vires habent. Atque exhibentur in vino, aquis destillatis, iusculis aliisque liquoribus, syrupis, conseruis & electuariis, torulis, morsulis, pilulis. Hinc *Oleum*

Absinthij, intus extraque adhibitum, ad affectus ventriculi vtile est.

Datur ad gr. iij. vel iv.

Nonnulli contra quartanam ante paroxysmum à ℈ ß. ad ℈. j. exhibent. Sed nimis magna Dosis esse videtur.

Angelica, à peste præseruat, sudores ciet, menses mouet, secundinas educit, sanguinem concretum dissoluit, stranguriæ medetur.

Dosis gr. ij. vel iij. Nonnulli tamen in peste curanda ad vj. & vij. gr. exhibent.

Anisi, calefaciendi & discutiendi vim habet, flatúsque discutit, & torminibus ventris auxiliatur, Vtile est vertiginosis, catarrhosis ac difficulter spirantibus, hydropicis, omnibus membris exanguibus, ventriculo, intestinis, vesicæ, vtero, vtiles: menses albos exsiccat, halitum oris fœtidum emendat.

Dosis, gr. iij. iv. v. vj.

Ex *Aurantiorum corticibus*, flatus discutit, & contra colicam intus & extrà adhibetur, ventriculum calefacit, cor roborat & palpitationi eius auxiliatur.

Dosis, gr. iij. iv. vel plures.

Caryophyllorum, calidum & siccum est, in tertio gradu; ventriculi & cerebri, tum cordis affectibus frigidis vtile est, spiritus crassos attenuat, & melancholicos dissipat; vertigini & visus debilitati medetur, catarrhosis vtile est, & ab apoplexiâ præseruat, contra colicam & vteri dolores, tum morbos frigidos, & fluxus veneris à causa frigida.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

Extrà etiam ad vulnera sananda à nonnullis commendatur, & vires balsami habere dicitur.

Carui, flatus discutit, & tormina ventris sedat, caput roborat & catarrhos absumit, difficultatem vrinæ tollit, humores frigidos in vtero discutit, & absumit.

Dosis, gr. iv. v. vj.

Cera, resoluit, attenuat, discutit, & propterea ad tumores frigidos & paralysin vtile est. Prodest & ambustis cum oleo ouorum mistum; cicatrices vulnerum deformes emendat, vtile est ad contusa. Commendatur quoque ad fissuras papillarum in mammis mulierum, vt & in pedibus & manibus.

Cinamomi, calidum & siccum est, & omnia membra principalia calefactione indigentia roborat, putredini resistit, ventriculi concoctionem adiuuat, cerebrum confortat, & catarrhosis prodest, cor exhilarat, & in deliquiis animi prodest, menses ciet, & partum promouet, & propterea grauiter parturientibus vtilissimum remedium, cùm & partum acceleret, & animi deliquio resistat. Senibus reficiendi vtile est remedium.

Dosis, gr. ij. iij.

E citri corticibus, cor valdè roborat, lipothymiæ & syncopæ medetur, a morbis pestilencialibus præseruat, humores pituitosos in ventriculo absumit.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

Extrà etiam pulsibus & cordis regioni illitum cor confortat.

Cumini, calefacit, discutit, flatus dissipat, colicos dolores tollit, vrinæ stillicidio auxiliatur, & tussi & difficultati spirandi medetur, sanguinem concretum dissoluit. Vtile etiam vulneribus ad lienem pertingentibus esse dicitur.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

Fœniculi, capiti, & imprimis oculis, pectori item & renibus vtile est, humores pituitosus absumit, difficultati spirandi auxiliatur, flatus discutit, vrinam mouet, calculum comminuit, menstrua ciet: stomacho etiam prodest.

Dosis, gr. iv. v. vj.

E baccis iuniperi, calidum & siccum est, attenuat, discutit, & humores pituitosos & crassos absumit, caput neruosúmque genus roborat, & eorum affectibus à causa frigida ortis prodest, paralysi auxiliatur, stomachum calefacit, vrinam mouet, renes mundat, calculum frangit, & pellit tormina ventris, & dolores matricis à causa frigida, & flatibus sedat, vlcera interna sanat, à pestilenti contagio præseruat.

Dosis, gr. iv. v. vj. Nonnulli ad ℈. j. exhibere audent.

Extrà inunctum neruis, & membris resolutis, tremori, conuulsioni prodest, dolores lumborum & coxarum tollit, vlcera antiqua & maligna sanat, & à nonnullis ferè Balsami loco habetur.

Lauendula, cerebrum, vterum, intestina & alia membra refrigerata calefacit, flatus discutit, vermes necat, apoplexiæ medetur.

Dosis, gr. j. ij.

Extrà, tormina ventris & dolores vteri in fœminis vmbilico illitum tollit, vrinam mouet, si lumborum & vesicæ regio inungatur: auribus instillatum tinnitum aurium, & dolores à causa frigida sanat.

E lauri baccis, flatus discutit; hinc colicæ auxiliatur, vteri frigidis affectibus prodest.

Dosis, gr. iv. v.

Extrà inunctum ventriculo eum roborat, membra resoluta restituit, dolores frigidos tollit, tinnitum aurium, & difficultatem auditus sanat.

Macis, vide, *Nucis moschata.*

Majorana caput confortat, ab apoplexia præseruat, & paralysin linguæ post apoplexiam sanat, si gutta vna vel altera linguæ illinatur, menses mouet.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

Magis tamen ad externos vsus adhibetur. Olfactum, & naribus admotum, cerebrum roborat, memoriam confortat, contra vertiginem, affectus capitis frigidos, & catarrhos ad pectus delabentes vtile est, Vmbilico id cum dolorea, & tormina ventris, item vteri tollit.

Mastiches extrà præcipuè adhibetur, calefacit & siccat (& nonnihil adstringit) ventriculo frigido illitum, vel quocunque modo adhibitum prodest, & hinc vomitum sistit: fluxiones etiam alui, & dolores ventris sedat, vmbilico & ventri illitum, maculas faciei tollit ad procidentiam vteri & ani vtile est, vlcera caua sanat, & vt in ossibus carne denudatis caro crescat, præstat. Si vino misceatur, & eo os colluatur, dentes confirmat.

Melissa, caput confortat, melancholicis prodest, memoriam roborat, cordi amicum est, & lipothymiæ, syncopæ, ac palpitationi cordis medetur. Vtero etiam valdè vtile est, quem calefacit, menses mouet, & inordinatum eorum motum corrigit.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

Mentha, ventriculum calefacit, vomitum sistit, ad ructus vtile est; colicum dolorem efficaciter tollit, fluxum alui sistit, vterum calefacit & roborat.

Dosis, à gr. ij. ad v.

Extrà etiam ventriculo illitum, eum calefacit & roborat, sicut & vterum.

Nucis moschata, cerebrum calefacit & contra vertiginem atque apoplexiam vtile est memoriam confortat, vaporesque crassos, qui visum obscurant, absumit, catarrhos sistit, & absumit, ventriculum calefacit & roborat, eiusque dolores sanat; & contra ructus prodest, vomitum & alui fluxus à causa frigida sistit, cordi etiam amicum est; flatus quoque in intestinis discutit vterum calefacit, & nimios mensium fluxus, tum fluorem album sistit, semen auget, ac Venerem stimulat.

Dosis, à gr. ij. iij. iv. v.

Extrà quoque illitum caput roborat, ventriculo inunctum eum calefacit & roborat, vmbilico illitum tormina ventris, & alui fluxum à causa frigida sanat.

Rorismarin: cerebrum calefacit, ac contra omnes eius affectus frigidos, apoplexiam, paralysin vtile est, visum quoque confortat, cordi amicum est, ad album vteri fluxum vtile est, commendatur etiam ad pestem.

Dosis, gr. iij. iv. v. vj.

Ruta, contra epilepsiam vtile est, visum confortat, contra palpitationem cordis, & lipothymiam prodest, pesti & venenis aduersatur, & ad morsus animalium venenatorum prodest, flatus discutit, & tormina ventris sedat, commendatur & ad hydropem; semen absumit, & veneri resistit, gonorrhœam sedat, vermes necat.

Dosis, gr.iv.v.vj.

Extrà etiam naribus admotum paroxysmum epilepticum sedat, vermes in vlceribus necat, ventri illitum tormina lenit.

Saluia, caput calefacit, eiúsque morbis frigidis, letharg. apoplexiæ, paralysis catarrhis, linguæ resolutioni medetur. Exulcerationes pulmonum hepatis, ventriculi sanat, tartareos humores resoluit, vterum calefacit, vrinam mouet, sanguinem mundat, pudendorumque vlcera sanat, pesti resistit.

Dosis, gr.iv.v.

Extrà etiam paralysin & tremorem curat, vlcera oris sanat.

Succini, calefacit, siccat, aperit & discutit, capitis affectibus frigidis, apoplexiæ, epilepsiæ, paralysi medetur; catarrhos exsiccat arenas & calculos è renibus & vesicâ pellit, meatusque vrinarios aperit, menses mouet, partum accelerat, secundinas & fœtum mortuum expellit, vteri suffocationem curat, à pestilenti contagio præseruat.

Dosis. gr.j.ij.iij.iv.

Extrà etiam apoplecticis, epilepticis, vt & ad præseruationem à contagio pestilenti naribus illinitur, in membris resolutis & frigidis neruorum affectibus vsurpatur, & in vulneribus neruorum ac tendinum, at vlceribus antiquis emplastris admiscetur: cum *ol.lini* ambusta curat.

Terebinthina, extrà ferè tantùm adhibetur, calefacit, emollit, discutit, frigidis neruorum & aliarum partium affectibus medetur, medicamentis ad vulnera & vlcera antiqua admiscetur.

Zedoaria, præseruat à contagio pestilenti, vtile est ad dolores capitis à causa frigida, & vertiginem, palpitationem cordis, lumbricos necat, & contra insecta & venenata animalcula, quæ interdum cum aquis impuris hauriuntur, prodest, & contra aquas impuras & putridas alexipharmacum est; sicut & contra venenatas auras metallicas; flatus discutit, & tormina ventris sedat, menses mouet.

BALSAMA.

De balsamis, vt in specie aliquid dicatur, opus non est. Cùm enim tota eorum vis ab oleis destillatis dependeat, ea iis, quæ de oleis dicta sunt, patet, in quos vsus adhiberi possint.

Extracta & tincturæ.

ALTERANTIA.

Absinthij, calefacit ventriculum & hepar, & affectibus frigidis ventriculi auxiliatur: iis verò qui calidum hepar habent, & debile, non conuenit: appetitum excitat, sanguinem à putredine præseruat: bilem abstergit tormina ventris sedat, fluxus alui sistit, ictcrum curat, vermes necat, hydropem, & febres diuturnas tertianas & quartanas curat, ad menses albos vtile est.

Dosis, à ℈.ß. ad ℈.j.

Angelica, calefacit, siccat & aperit, morbos cordis frigidos curat, & cor roborat, à morbis pestilentibus præseruat, eosdemque curat, aliis etiam venenis resistit, pulmones mundat à pituitosis & viscidis humoribus, pleuritidem curat, initio statim exhibitum; tormina ventris sedat, & stranguriæ medetur, menses mouet, partum faciliorem reddit, dolores post partum lenit, vulnera & vlcera interna sanat, etiam ea, quæ à vi Magica illata creduntur. Vide Tabernæmont. *part.* 1. *pag*. 236. *col.* 2.

Sunt & alia *extracta* plurima in vsu, vt *cort. aurantiorum, calami aromatici, cardui benedicti, cortic. citri, eryngij, helenij, ireos, è baccis iuniperi, gentiana, pœonia, sarsaparilla, sabina, scordij, tormentilla, veronica, zedoaria*, Quæ ad eos vsus, ad quos simplicia exhibentur.

Dosis, à ℈.ß. ad ʒ.ß. vel etiam ℈.ij.

E castoreo quoque paratur *extractum*, quo vix certius ad suffocationem vteri est remedium.

Dosis, à gr. ij. ad vj.

Laudanum opiatum in vigiliis immodicis vtiliter intus & extrà adhibetur, & propterea in febribus, phrenesi, manis, vsus eius sæpè necessarius: vomitum, etiam alui profluuium, sanguinis & menstruorum nimias euacuationes, omnisque generis defluxiones sistit: in doloribus acutis & vehementibus efficax est remedium.

Dosis, gr. ij. iij. iv.

EXTRACTA PVRGANTIA.

Senna, dant à ʒ.ß. ad ℈.ij.

Mechoacanæ. *Dos*. ℈.j. ʒ.ß.

Rhabarbari, *Dos*. ℈.j. ʒ.ß. vel etiam ℈. ij.

Agarici, *Dos*. à gr. xv. ad ʒ.ß.

Scammonij. Si extracti scammon. ℥. j. ʒ. j. cum succi cydonior. ℥.j. sacchar. ℥. ij. ß. in spiritu vini infundatur, spiritus vini posteà decoletur, medicamentum purgans iucundum euadit.

Dosis, cochl.j. vel ij.

Vel ♃. *cremor. tartari*, ℈. j. *extr. scammonei*, gr. vj. vel ℈. ß. M. F. puluis.

[Formâ pulueris commodè non exhibetur, scammonea enim in calido protinus instar gummi coagulatur, & fundum petit. Ego syrupis, & bolis miscere soleo.]

Ellebori nigri, *Dos*. ℈.j. ʒ.ß.

Panchymagog. *Dos*. ℈.j. ℈.ij.

Pilularum.

Dantur, si morbus ferat, in vino Maluatico, in syrupis, in pilulis, in oblata.

SALES.

Sales, non omnes vires, quas plantæ, è quibus parantur, obtinent; cùm partes quædam combustione separentur. Non tamen omnes plantæ vires amittunt, neque omnes sunt eiusdem generis, sed diuersas habent facultates, vt ipsa experientia testatur.

Dantur cum conueniente morbo liquore.

Absinthij, aperit, vrinam mouet, hinc hydropicis prodest, ventriculum confortat, colicum dolorem, & tormina ventris sedat; sudores mouet, & hinc contra febres ac pestem vtilis est.

Datur in vino vel alio conueniente liquore.

Dosis, à ℈.ß. ad ℈.j.

Artemisia, menses mouet.

Dosis eadem.

Angelica.

Betonica.

Cardui benedicti.

Caryophyllorum ventriculum confortat, & vomitum sedat, in vino dissoluatur, & eo os colluatur, fœtorem oris tollit.

Dosis, ℈.j.

Centaurei minoris.

Chamameli difficultati vrinæ medetur, menses mouet contra dolorem laterum prodest, sanat icterum, hydropicis vtilis est.

Dosis, ℈.j.

Charefolij, vrinam mouet, calculos frangit, menses mouet, sanguinem concretum dissoluit, & dolorem lateris lenit.

Dosis, à ℈.ß. ad ℈.ij.

Cichorij, aperit, febribus putridis vtile est.

Dosis, ad ℈.j.

Cinamomi, menses & secundinas mouet, vrinam ciet, hydropicis prodest.

Dosis, à gr. vj. ad ℈.i.

Fœniculi, vrinam & menses mouet, calculos frangit, & stranguriam tollit, ictericis prodest.

Dosis, à ℈.j. ad ʒ.ß.

Folior. sennæ.

Fraxini.

Fuliginis, ad gangrænam, & maligna vlcera vtile est remedium.

Gentiana, viscerum obstructiones aperit & expurgat, atque hinc febribus diuturnis putridis conducit, vrinam & menses mouet.

Dosis, ℈.j.

Genista, vrinam mouet, calculos frangit.

Dosis, ad ℈.j.

Gratiola, hydropi auxiliatur.

Hyperici, ad pleuritidem commendatur. Datur iis, quibus ex potu aquarum impurarum ranæ vel similia in ventre gignantur.

Dosis, à ℈.j. ad ℈.ß. ʒ.ß.

Hyssopi.

Iuniperi, hydropicis vtile est, obstructiones aperit.

Dosis, ad ℈.j.

Extrà etiam commendatur ad ictus venenatorum animalium, si vino, in quo hic sal solutus sit, vulnus lauetur.

Melissa, menses mouet & vterum purgat.

Dosis, ℈.j.

Ononidis, obstructiones hepatis, lienis, renum aperit, calculos renum, & vesicæ frangit.

Parietaria.

Petroselini, vrinam mouet, calculos renum & vesicæ pellit, tartareos viscososque humores incidit & expellit.

Pimpinella, aperit, renes mundat.

Ruta, hydropicis vtilis est, contra epilepsiam valet, febribus diuturnis medetur, pestilenti veneno resistit.

Dosis, ad ℈.j. vel etiam ʒ.j.

Saluia.

Sambuci,

Scordij.

Stramonis

Straminis fabarum, vrinam ciet, calculus frangit & expellit.

Dosis, ℈. j.

Veronica, pesti resistit.

Nitrum præparatum, seu *Sal prunellæ* insignem vtilitatem præstat, in febribus ardentibus & inflammationibus, calorem extinguit, & ne humores accendantur prohibet: Aperit etiam, ac arenam & calculos pellit: In faucium quoque inflammationibus gargarismis admistum, est efficax remedium.

Dosis, à ℈. j. ad ʒ. ß. imo ℈. ij.

Sal vrinæ volatilis resoluit, aperit, ad arthritidem commendatur, cuius causam & materiam resoluit.

Sal C. C. commendatur ad sudores ciendos in febribus malignis, palpitationem cordis in fœminis, vermes necandos, ad colicam, item vulnera interna, & rupturas partium interiorum.

Dosis, à gr. v. ad ℈. j.

Sal crany humani Epilepsiam curat.

Dosis, à gr. iij. ad gr. xij.

Sal Succini.

Sal armoniacus sublimatus commendatur ad sudorem in febribus mouendum, præsertim quartana & aliis diuturnis.

Dosis, à ℈ ß. ad gr. xv.

Vitriolum album vomitiuum, vomica ventriculum euacuat. Ideò nonnulli in cruditaribus ventriculi, febrium putridarum initio, vermibus exhibent.

Dosis, à ℈. j. ad ʒ. ß. in vino, cereuisia, vel iusculo.

Sal vitrioli easdem vires habet.

Dosis, à ℈. ß. ad ℈. j. Datur commodissimè in iusculo carnis, vel cereuisia butyro condita.

MAGISTERIA ET SOLVTIONES.

Margaritarum. Cor roborat, & contra eius palpitationem & lipothymiam prodest, humores prauos exsiccat, contra melancholiam vtile est, vt & epilepsiam, commendatur ad phthisin & corporis tabem, fœtum in vtero roborat.

Dosis, à gr. vj. ad aij. xv.

Coralliorum. Cor & cerebrum roborat, spiritúsque reficit, sanguinem mundat, *αἱμάτωσιν* in hepate promouet, sanguinem concretum dissoluit, melancholiæ aduersatur, contra epilepsiam prodest, flatus vterinos supprimit, & vterum confortat, fœtum in vtero roborat, nimium mensium, vt & hæmorrhoidum, & alui fluxum sistit.

Dosis, à gr. vij. ad ℈. j.

Matris perlarum. [Hystericis in primis vtile est. D. Buererius aliquando retulit, fœminam quandam his cruciatibus subiectam nullo alio remedio restitui potuisse, quàm Amuleto ex hac ad cordis formam efformato, & collo appenso.]

Oculorum cancri.

Oleum oculorum cancri, in *Institut. pag.* 663. calculum frangit.

Dosis, gr. vj. x.

C. C. in malignis & pestilentibus febribus vtile est, sudores mouet, fluxus alui, & dysenteriam cohibet.

Dosis, à ℈ ß. ad ℈. j. vel ʒ. ß. ℈. ij.

Tartari cremor, & crystallus, abstergit, crassos, & tartareos Tumores incidit, atque obstructiones aperit, aluum mouet, gratumque, si eius ʒ. j. in iusculo carnis, vel aqua cocta butyro condita, cum gr. iij. iv. v. diagridij vel extract. scammon. exhibeatur medicamentum, iusculum acido sapore inficiens, nullóque alio nauseabundo sapore ingratum, *Crystalli* minùs acidi; nec ita diuretici, vt *cremor*, ideóque in corpore nondum purgato tutius exhibentur.

Dosis, à ℈. j. ad ʒ. j.

Tartarum vitriolatum viscerum obstructiones aperit, abstergit, renes mundat, & calculos ac arenas pellit: hine in febribus putridis exhibetur, & hydropicis vtile est, inconuenienti liquore exhibitum.

Dosis, à ℈. ß. ad ℈. j.

E SVLFVRE MEDICAMENTA.

Flores sulfuris exsiccans, sudores mouent, à putredine præseruant: Hinc in præseruatione & curatione pestis exhibentur, præcipuè cum extracto helenij; ad pulmonum vlcera, asthma, tussim antiquam, & catarrhos pituitosos commendantur. Fœminis cautè exhibeantur, quia menses promouent.

Dosis, à ℈. j. ad ʒ. j. in curatione. In præseruationem, gr. viij. x.

Lac sulfuris eosdem ferè vsus habet.

Dosis, quantum ad liquorem, cum quo exhibetur, albicante colore tingendum satis est, liquoris dandum cochlear j.

Balsamus sulfuris easdem quoque facultates habet. Præstans est ad præseruandum à peste, & malignis morbis remedium. In quem finem ex eo & saccharo rotulæ fiunt, quæ efficaciores sunt, si extractum helenij addatur. Ita etiam in pectoris morbis phthisi, empyemate, asthmate, raucedine, catarrho suffocatiuo exhibetur, præterea ad flatus discutiendos & colicam commendatur.

Dosis, à gr. iij. ad xij.

Flores Benzoës asthmaticis & phthisicis prosunt.

Dosis, ad ℈. ß. in conueniente liquore.

Fæcula Aronis.

Fæcula bryoniæ.

Crocus Martis, duplex est; *adstringens*; qui rectissimè paratur calcinatione, si ferrum igne solo in puluerem rubentem redigatur. Vsurpatur ad alui fluxus omnes caeteroas & internas hæmorrhagias. *Aperiens* verò absque calcinatione fit: & vtilis est ad hepatis & lienis; vteri obstructiones, cachexiam; affectionem hypochondriacam.

Dosis, à gr. vj. ad ℈. ß. vel etiam ℈. j.

Oleum, seu *tinctura Martis*, ad eosdem affectus commendatur.

Extrà etiam ad vlcera sordida & cacoëthe vtilis est.

Saccharum Saturni. Nonnulli quidem in febribus ardentibus & dysenteriâ, gr. iij. vel iv. exhibeat. Verùm vsus eius non ita tutus, virilitatem enim adimit.

Ad inflammationes verò externas & præcipuè oculorum vt & eorum vulnera, vlcera maligna, contra impetigines efficacissimum est remedium. Miscetur commodè cum oleo rosarum, vel oleo terebinthinæ.

Oleum seu balsamum Saturni, easdem vires habet.

Antimonium fixum, seu diaphoreticum. Datur ad sudores ciendos in febribus malignis & peste.

Dosis, ad gr. xv.

Bezoarticum minerale, In febribus malignis & pestilentialibus ad sudores ciendos, & materiam malignam ad ambitum corporis pellendam exhibetur.

Dosis, gr. iv. v. vj. In liquore conueniente.

Flores Antimonij, præcipuè è vitro parati; per aluum & vomitum purgant: morbos contumaces sæpè tollunt, si vires medicamentorum ferant, hydropem melancholiam, & maniam, præcipuè è philtris ortam epilepsiam.

Dosis, gr. iij. iv. v. vj. & dantur rectissimè in infusione.

Oleum Antimonij cum saccharo cando, paratum, ad hydropem, quartanam, & alias diuturnas febres, lepram plurimósque morbos à cacochymia ortos, commendatur.

Dosis, gr. iij. iv. v. vj.

Vitrum Antimonij.

Succinum Antimonij. Easdem vires habet, quas reliquum vitrum, sed mitiùs operatur.

Dosis, gr. ij. iij. iv. rectiss. in infusione.

Sulfur auratum Antimonij commendatur ad sudores ciendos, in febribus pestilentialibus, præcipuè theriacæ, & aliis antidotis admistum. Hoc enim modo facilius operatur.

Dosis, à gr. v. ad gr. x.

Crocus metallorum, seu *Antimonij*, purgat per superiora & inferiora, & humores pertinaces educit. Conficitur inde *Aq. Benedicta Rolandi*, de qua passim in *centuriis*.

Dosis, in infusione, gr. iv. v. vj. vij.

Mercurius dulcis. A nonnullis quasi Panaceæ loco habetur. Commodissimus tamen eius vsus est in lue Venerea.

Dosis, à gr. xv. ad axx. sed commodissimum est vt cum gr. iij. vel iv. Scammonij præparati, vel trochiscor. Alhandal, aut alterius purgantis acuatur, ne in ventriculo & corpore hæreat, & saliuationem atque alia periculosa, quæ Mercurium sequi solent, symptomata excitet: quod quandoque factum esse memini. Et omninò in genere de omnibus Mercurialibus medicamentis tenendum, commodissimum esse, vt quamprimùm suam operationem perfecerunt, è corpore extermincntur. Retenta enim ad pristinam naturam redire, & pessimorum symptomatum autores fuisse, experientia docuit.

Flores Mercurij argentei. Vsurpantur à nonnullis in pluribus morbis, febribus, scabie, lepra, & aliis & sine violentia purgare dicuntur. Excitant tamen ipsi non rarò vomitum.

Dosis, à gr. iij. iv.

Mercurius præcipitatus, & turbith minerale. Præcipuum vsum habet in lue Venereâ curandâ. Vsurpatur tamen & quandoque ad alia, vt philtra excutienda.

Dosis, à gr. iv. ad ℈. ß.

Extrà etiam magni vsus in vlceribus Venereis, & aliis sordidis, & prauis mundandis, aliis vnguentis mistus.

Aurum vitæ. Vsurpatur in lue Venerea, & crassis ac viscidis humoribus euacuandis. Nonnulli ad arthritidem & hydropem curandam, cum aliis morbis hisce conuenientibus purgantibus mistum exhibent.

Dosis, à gr. iv. ad gr. viij.

Extrà etiam aliis medicamentis admistum vlcera Venerea, callosa, & fistulas curat.

Mercurius vitæ. Mirificè plurimi hoc medicamentum ad omnes vitiosos humores, in stomacho, & omnibus corporis partibus, per os, aluumque expellendos commendant, ideoque non solùm ad luem Veneream, sed & ad arthritidem, hydropem, febres intermittentes, deliria melancholica, aliosque morbos plurimos eo vtuntur.

Cautè tamen, vt & alia medicamenta Mercurialia, vsurpandus, & non nisi, vbi corpus plurimis & crassis humoribus abundat. In corporibus verò gracilibus biliosis, debilibus, non exhibentur.

Dosis, à gr. j. ad iv. v.

Vellus aureum, cor confortat, venenis resistit, arthritidem etiam curasse obseruatum.

Rhoan. 44.

Oleum arsenici, commendatur ad externa antiqua vlcera, fistulas, cancrum; admiscetur aliis vnguentis & oleis.

EPISTOLA XXIX.

PERIOCHE.

1. *Sennertus Doringio adstipulatur de præcauenda Arthritide, non modò commoda Diætà, sed & præcipuè Facultatis Naturalis corroboratione.* 2. *Docet, quanti sit momenti Facultatis Naturalis robur & debilitas.* 3. *Rectam ab Arthritide præseruationem perquàm difficilem esse.* 4. *Diæta vtilitatis in auertenda Arthritide stabilitur, non exclusis medicamentis idoneis, constitutionem p. n. tollentibus.* 5. *Fatalis affectus Viduæ Garthianæ describitur.*

D. MICHAELI DORINGIO.

DANIEL SENNERTVS, D.

Sennertus probat sententiam authoris de caussa & curatione arthritidis.

SPutabam equidem, *Cl. Dn. Affinis. Compater, & Amice plurimum honorande*, me prolixam ad te hisce Nundinis & Feriis Lipsiensibus Epistolam scripturum: sed ita inter manus tempus elapsum est, vt abitum iam parante Rhedario, breuis hæc exaranda sit.

Morbum autem tuum quod attinet, omninò præstat, vitiosos humores non generari, quàm genitos euacuari. Et frustra sunt, qui saltem in euacuationibus genitorum humorum spem curationis ponunt, quod facit *Mauerus. Rauam* ea polliceri, (bene enim hominem, & eius iactantiam noui) quæ præstare non potest, miror. Verùm quomodò vitiosorum humorum generatio præcaueri possit, hoc opus, hic labor est. *Victum* equidem multum posse, sed non sufficere, rectè mones. Videmus enim multos iis cibis & potu copiosissimè, siue omni valetudinis incommodo, vti, quibus si arthritici, vel calculo obnoxij, etiam parcè vtantur, maximè læduntur. *Maxima* itaque, *sanitatis spes in facultatis naturalis robore consistit*; contrà ex eius debilitate varij morbi oriuntur, siue enim excrementitium in alimento non benè separet, siue etiam quod alimentarium in eo est, non benè immutet, vitiosi humores generantur. Videmus enim præcipuè in febribus, etiam ex bono cibo, prauos humores generari, si viscera non benè constituta sint, & humores dispositioni p. n. analogos cumulari.

Facultatis Naturalis robur & debilitas quanti momenti.

Verùm, quæ illa debilitas & dispositio p. n. sit, quæ arthriticos facit, non ita facilè vel inuestigare, vel explicare, &c. vt ita non mirum sit, rectam arthritidis præseruationem instituere, difficile esse. In bonâ Diætâ hîc tamen multùm situm esse, experientia docet. Natura enim erroribus victus, vel vitiosis humoribus non grauata, spontè pristinas vires recolligere solet, vt in febribus videre est. Si tamen idoneis medicamentis constitutio p. n. modò illa satis cognita sit, tollatur, Natura adiuta faciliùs pristinas vires recuperabit. Quæ in *D. Bucretij* cadauere animaduersa sint, legi; scire etiam velim, quæ ægrotantem symptomata afflixerint, vt quâ ratione huic historiæ quadrent, videre possim. Hodie etiam *Viduam Garthianam* ad sepulchrum extulimus. Conualescere nuper videbatur, vt iam in domo hinc inde deambularet, & manibus vti posset. Sed ecce! nuper, nescio quam molem se per aluum deiecisse dicebat, & de eâ varia suspicabatur. Ab eo tempore non ita bene habuit. Ante octiduum diarrhoea cum febre, ipsam corripit: me tamen, medicamentorum vsum procul dubio exosa, ante quintum, vel sextum non vocat. Vbi accessi, calor ita fauces exasperauerat, vt nullius medicamenti vsum internum toleraret. Accessit postea singultus, viresque in corpore debili mox prostratæ fuerunt; atque intra biduum, accedentibus tandem grauibus conuulsionibus, huic mondo valedixit. Saluta à nobis tuam coniugem; & benè vale. VVittebergæ, 14. Octobr. Anno 1621.

Cur præseruatio ab arthritide difficilis sit. & Diæta vtilitas.

Casus fatalis seu effectus Viduæ Garthianæ.

EPISTOLA XXX.

PERIOCHE.

1. *Dispositio arthritica difficulter cognoscitur.* 2. *Cucurbitularum prope locum affectum vsus pro præseruatione arthritidis, qualis à quibusdam præscribatur.* 3. *Censura Doringij super ista præseruandi ratione.* 4. *Nitrum præparatum intus sumtum; an ad arthrit. præcautionem faciat.* 5. *Paradoxon cuiusdam, de vini abstinentia post esum eduliorum insalubrium.* 6. *De isto paradoxo iudicium Doringij.* 7. *Exquisitæ diætæ legibus non facilè se quenquam obstringere debere.* 8. *Symptomata præcipua, quæ D. Bucretium afflixerunt.* 9. *Casus alius singularis, cum cura adhibita, & symptomatis superuenientibus.* 10. *Emplastri de rhabarbaro vires.* 11. *Tumor insignis in rene sinistro.* 12. *Quæ in isto cadauere post apertionem inuenta fuerint p. n.* 13. *Ren sinister totus purulentus.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SVtramque tuam Epistolam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, tam eam, quam ipsis Calendis, quàm alteram, quam die 14. Octobris, ad me perscripsisti, rectè me accepisse scito. Ad posteriorem quòd tunc nihil respondi, ob otij penuriam factum putato. Hac igitur vice defectum illum supplebo. Assentior autem tibi, quòd, quæ illa debilitas & dispositio p. n. sit, quæ arthriticos facit, non ita facile vel inuestigatu, vel explicatu sit. Illam *num aureum vellus* tollat, quodque rectum sit, experientia aliquando testabitur. Erat nuper apud me *D. Martinus VValtherus, Episcopi Nissensis Medicus*, tibi olim familiariter notus, is me ad talem cucurbitularum prope locum affectum vsum persuadere conabatur. Nimirum suadebat, vt quacunque Lunæ quadra cucurbitulas iuxta locum affectum primò affigi curarem; dein post octiduum; tertiò post 14. dies; quartò post septimanas tres, tandem singulo spatio menstruo repeterem, & hanc sanguinem, humoresque superfluos euacuandi rationem studiosè obseruarem. Improbauisse se primùm hanc præseruandi consuetudinem, sed cùm successum vidisset, admisisse aiebat. Quippe si negligatur, arthritidem protinus recurrere; si verò vel in ipso statim insultu administretur, abigi rursum, dicebat. Verùm & ista medicatio humores actu iam genitos saltem respicit, nec radicem ipsius mali funditùs excindit; quin vereor, ne illud, quod è Sala antea monui, in me magis magisque verificetur, dum ob nimis frequentem sectionem sanguinem subinde serosiorem & crudiorem fieri, scripsit. Moui dudum de vsu cucurbitularum circa locum affectum quæstionem; sed tu hactenus ad eam nondum quicquam respondisti. Idem instarea corpus commendabat vsum nitri præparati, eo fortassis permotus argumento, quòd vrinas promoueat. Sed & per istas vias propter Renes, olim malè affectos, serositates toto expurgare, non audeo. Sudores matutini, qui mihi iterum familiares esse incipiunt, rectiùs & tutiùs sentinam humorum apud me exhaurient. Idem tale paradoxon proponebat; satius videlicet esse, si post esum carpionum, carnis suillæ, anserum, anatum, & huius qualitatis, ciborum aliorum, arthritici à vini potu abstineant, quam eidem indulgeant. Siquidem istâ ratione vitiosi succi ad articulos faciliùs deuehantur, id quod experientia ipsa testatum fecerit. Sanè ego potius suaserim, vt à suspectis edulijs tales omnino abstineant, quàm superpotâ cereuisiâ cruditates cumulent, ac grauiora deinceps mala sibi accersant. In vino si iustum delectum obseruarent, minùs fortassis peccarent, rariùsque Arthriticos insultus experirentur. Ipse ego cibos paulò suâ naturâ insalubriores totos non aspernor,

vinum

Dispositio arthritica difficulter cognoscitur.

Cucurbitularum prope locum affectum vsus qualis esse debeat pro præseruatione arthritidis.

Censura super ista præseruandi ratione.

Nitrum præparatum.

Sudores matutini vtiliores.

Paradoxum de vini abstinentia post esum eduliorum insalubrium.

Iudicium de isto paradoxo.

vinum etiam superbibo maximam partem Rhenanum; inde tamen, quod sciam, nihil nocumenti hactenus percepi. Et nolim me exquisitæ admodùm diætæ adstringere; ne vel minutos in ea errores commissos protinus luere cogar; quod aliis accidisse memini.

Exquisita diæta cur se nolit auctor adstringere?

Symptomata, quæ D. *Bueretium* p. m. ægrotantem afflixerunt, sequentis fuere præcipua. 1. Nausea *gabmligkeitt*. 2. Dolor subtus ventriculum & iuxta vmbilicum, pulsatiuus. 3. Dolor, & ardor intolerabilis, circa regionem renum. 4. Ardor quandoque in vniuerso corpore, quandoque inprimis in plantis pedum molestissimus. 5. Vigiliæ. 6. Circa Lunæ σύνοδον, præsertim postremo decubitus mense, insultus epileptici, quos ipse è tremore crurum præsentiebat. 7. Summus virium languor. Hæc, vt ad historiam nuperam quadrent, videbis.

Quæ symptomata D. Bueretium afflixerint?

Casum aliam notabilem quia tecum simul communicem, facere non possum. *Casparus* enim *Schepsius*, *Danielis Schepsij*, celeberrimi illius, apud Suidnicenses olim Medici *filius*, anno ætatis 25. die proximo Dominico denatus, statura procerus, habitu corporis macilentus, colore subfuscus, ad iram pronus, potationum, iam tum ab annis pubertatis, studiosissimus, ex eius lapsu ante plures annos grauissimè conuulsus & febribus cùm Tertianis, tum Quartanis semel, atque iterum infestatos, tumore lienis insigni, & renis sinistri exulceratione, ab aliquot annis, correptos fuit. Ex itinere Gallico ante biennium quasi redux, cùm ex liene potissimùm, ventriculóque, malè haberet, meum Consilium exposcere cœpit.

Casus singularis.

Postquam igitur de morbis prægressis, & vitæ genere anteacto certior fiebam, *fratrémque natu maiorem ante quinquennium à scorbuto periculosissimè decubuisse* aliàs nossem; curam omnem eò inprimis direxi, vt membra nutritioni inseruientia, quantum possem, roborarem, lienis inueteratum affectum demulcerem, corpus ab excrementitiis humorum colluuie repurgarem, sanguinem desiccarem, viscerum intemperies corrigerem, nec tamen Renis vlcus interim negligerem. Etsi verò ista curandi ratio, vicibus interpolatis, omni successu non caruit: genio tamen iterum indulgendo mala postliminiò reuocauit. *Vrina purulenta* magnum inter emittendum ardorem excitarunt. Accessit cibi fastidium & crebri de manè bilis vomitus; Noctes vtplurimùm transactæ insomnes, corpus indies magis, magisque emaciatum. Annus breui complebitur, quando ad Testes, præcipuè sinistrum, defluxio scirrhosa decumbebat, quæ nullis emollientibus, discutientibusque, tolli poterat. Semestre propemodùm est, cùm perinæum obsedit tumor durus, dolorificus, latus, oblongus, resolutu & suppuratu eò vsque contumax, donec post alia incassum adhibita, ab vsu *Emplastri de Rhabarbaro* cutis primùm excoriaretur, mox etiam tota perrumperetur, ac pus inde concretum, quale in Steatomatibus reperiri solet, in conspectum prodiret. Vlcus istud tametsi mundificantibus probè tractaretur, sordibus tamen nouis quotidiè obductum fuit. Bimestre abiit, quòd vrinæ inclaruerunt, nec pus secum ampliùs deuexerunt. Vna atque altera hebdomade pòst, circa renem sinistrum graues initio dolores persentire, postea verò illic intumescere visus est. Tumor iste in tantum creuit, vt magnitudine panem, *qualis nunc grosso argenteo vox redimitur*, æquaret. Is foris nullum nec suppurationis, nec rupturæ indicium exhibebat. Adhibita sanè plurima, sed frustraneo conatu omnia. Intereà autem vires vehementiùs detritæ; Abdomen quandoque à flatibus ita distentum, vt Tympanitidis metum incuteret; sputationes & exscreationes multiplicatæ. Aluus etiam, aliàs segnior, per plusculos dies, suâ sponte reddita fluidior, Vigiliæ, & inquietudines nocturnæ amplificatæ, *Breuiter*. omnia in peius ruebant, quantum vis operâ medicâ, quod valerem, reniterer. Tandem triduo ante obitum, cum decubiturus aluum priùs exonerare vellet, quæ triduo non responderat, in sellâ, capite aperto, & reliquo corpore contra externum frigus non satis communito, paulò diutius commoratus, secutâ nocte grauissimo catarrho prehensus fuit, periturus ex eo, nisi cùm tussi, tùm screatu copiosissimum, viscidissimumque phlegma reiecisset. Successit dolor pectoris ad pulmonem dextrum, & respirationis clangosæ summa difficultas: genæ rubore perfusæ, & sudoribus diaphoreticis vires residuæ ita tandem exhaustæ fuere, vt Dominico die proximo, post horam tertiam matutinam, placidissimè ex vita decederet. Hæc breuis est decubitus & obitus historia. Accipe verò & partium internarum dissecti cadaueris conditionem. Aperto abdomine, primò omnium notauimus intestina, quæ excepto ventriculo, & loco qua circa renum sinistrum inflectitur, & in rectum desinit; partim flatibus fuère distentissima, partim maculis liuescentibus hinc inde interstincta. Colon ipsi reni sinistro per communem tunicam fuit adnatum, vt non nisi incisione liberari potuerit; dextrâ parte idem intestinis cum rene commune fuit. Omento, maximè sinistram versùs, adhæserant *excrescentiæ quædam globosa*, magnitudine nucis iuglandis mediocris, renum quidem externo aspectu, lienis verò substantiæ per medium dissectæ, intus quam simillimæ. *Lien autem, vti & Hepar insignis fuêre magnitudinis*, qualia hactenus in nullo cadauere alio à me visa sunt. Ille quidem, quà hypochondrio incubuit, crassior, quà ad ventriculum deflexit, exilior; oblongus aliàs, & eo, qui è D. *Bueretij* cadauere exemptus, sextuplo ad minimum maior; substantiæ, cùm incideretur, diffluentis putredinis non obscuri indicis: Hoc verò extrinsecùs striatum, cum exactissimè in modum, qualis scorbuticorum plerorumque sanguis superficietenus post concretionem conspicitur; intrinsecus in vasis sanguine atro ac coagulato plenum, supernè ipsi diaphragmati agglutinatum. Remotis partibus modò recensitis, Renes contemplati sumus. Dexter totus quidem erat integer iusto tamen, quam decebat, maior; sinister admirandæ, vt suprà dixi, apparuit magnitudinis, substantiâ seuo simillimus. Dissectus totus inuentus est purulentus, cortice duos ferè transuersos digitos crasso & seuoso exteriùs constans, interius copiosissimo pure subuiridi, fluxili, & impensè fœtente, oppletus. Ad Thoracem vbi peruentum est, Ecce, ibi pulmo dexter latebat exiguus, sinistrum vix dimidio, quoad magnitudinem, æquans, colore nigricans, ad iugulum retractus, & pleuræ ad clauiculam connexus; Sinister duplo erat grandior, subpallidus, & in superioris lobi apice inferiore tuberculis quibusdam conspicuus quæ dissecta tophaceam materiam commonstrabant. Pericardium admodum erat firmum, densum, & amplum; cor depressum, & laxum. Et, hæc etiam sunt, quæ in isto cadauere tumultuariâ perlustratione à *D. Franco, VVeiesio, & me*, animaduersa sunt. Pes sinister vt hoc etiam adijciam, aliquantulum intumuerat. Tuum quale de vtraque, tam scilicet ipsius Morbi, quàm anatomiæ superficiariæ (accuratiorem enim fœtor detestandus non admittebat,) historiâ sit iudicium, primâ occasione significa. Ego vereor ne aliquid malignitatis venereæ sub isto schemate delituerit. *Collectanea tua vsu & dosi medicamentorum Chymicorum* num receperis, nihil innuisti. Vtectio placet *Drebbelianus auri quintam essentiam conficiendi modus?* Bene cum tuis vale; & à nobis amicissimè salue. Bresllæ, die 9. Decembris, Anno 1621.

Cura qualiter fuerit instituta?

Symptomata superuenientia.

Emplastri de Rhabarbaro vires.

Tumor insignis in rene sinistro.

Quæ in cadauere post apertionem inuenta fuerint.

Sinister Ren totus purulentus.

EPISTOLA XXXI.

PERIOCHE.

1. *Sennertus in Chymicorum medicamentorum vsu parcus.* 2. *Rationes, quibus adstruebat quidam, Asthma nonnunquam ex refrigeratione partium genitalium produci, futiles indicantur.* 3. *De vsu cucurbitularum circa locum affectum in arthritide, quid sentiat.* 4. *Experientia quando fidendum.* 5. *Quo sensu vinum post cibos crudiores denegandum.* 6. *Iudicium in morbis quare difficile.* 7. *Morbi maligni sæpe in humoribus hærent.* 8. *De nouo Antidotario moliendo, cogitationes Sennerti.* 9. *Vulgarium Antidotariorum censura.* 10. *Liber MS. cui titulus, cura Schatonis.* 11. *De Adamo Bruxio.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SNe & hac vice vacuus ad te veniret noster Rhedarius, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quædam adhuc ad superiores tuas Epistolas addere libet. Et quidem in Chymicorum vsu & ipse satis parcus sum, & rarissimè sermonibus illis (quorum vsu tamen nonnulli hodie fauorem populi captant) imò ferè nunquam vtor. Omnem tamen illorum vsum etiam non improbo. Velim ergo adhoc, vt tuam de Chymicis medicamentis sententiam aperias & quænam in illo Catalogo, quem ante annum ægrotus ferè collegi, probes vel improbes, significes. Rem etiam gratissimam faceres, si quæ *in lib. 5. Instit.* Chymica occurrunt, quæ non probas, liberè illa annotes: facilè enim illa *in tertia editione* omisero.

Sennertus in Chymicorum vsu parcus.

Medici illius rationes quibus probare conatus est, Asthma viri illius consultissimi, ex partium genitalium refrigeratione originem traxisse: certè nullius momenti sunt. Ita verò fieri necesse est, cùm saltem Θέσις φυλακῆς propositum est, & non veritatis, sed victoriæ causâ disputatis; Si talis est, mihi certè gratulor, quod eum Collegam nactus non sum.

De

Quid censeat de vsu cucurbitularum circa locum affectum.
Quando experientia fidendum?

De vsu cucurbitularum circa locum affectum in arthritide, etsi quidam multa glorientur; ego tamen multum spei in eâ non pono, neque istas experientias (vbi curationis ratio ab occultâ qualitate non dependet) magnifacio; si indicationes non consentiant. Hæc verò curandi ratio humores iam genitos, & circa partem affectam fluctuantes respicit; non verò fontem mali tollit. Et metuo, ne hoc modo parti affectæ potius assuescant humores, & ad eam potius trahantur, quam ab ea auertantur. Scio & alios in eadem cum *Dn. Vualchero* opinione esse, & vini potum post cibos crudiores prohibere. Verùm hoc tantùm concedendum esse puto, si vinum copiosius potetur, vt cibos crudo facilè secum in penitiora corporis rapere possit. Alias vini moderatè sumpti vsum non solùm tutum, sed & summè vtilem esse, post tales cibos crudos ipsa experientia testatur.

Quando vinum post cibos crudiores denegandũ?

Certior etiam fieri aueo, quid de vellere vestro aureo fiat. De duabus illis historiis Anatomicis, vt iam multa addam, otium non est, nisi hoc saltem: satis illas docere verissimum illud Hippocratis esse, *Iudicium difficile.* Quis enim ista omnia, quæ sectione deprehensa sunt, ex morbis; & symptomatibus, dum viuerent, conijcere potuisset? Ita namque sæpe accidit, vt primò origo mali in vna parte hæreat, quod temporis progressu in totum corpus dispergitur & plures partes inquinat ac corrumpit; vt, cùm in mortuis tot partes vitiatæ occurrunt, vix affirmare ausis, quæ primò laborauerit, *Schepsium* à scorbuto immunem non fuisse, puto: putarit tamen & malignitatis venereæ aliquid subesse. Hærent enim ista vitia sæpè in humoribus potissimùm, & propterea mortuis non satis deprehenduntur, corruptionésque partium & putredines sæpe à pluribus causis prouenire possunt.

Iudicium in morbis quare difficile?

Drebelianus autē quintam essentiam parandi modus quis sit, non satis recordor. Monebis me ergo de eo. Aduersarij libellum, cum meâ Apologiâ per otium perleges, & tuam sententiam addes. Facilè credo, te iam ab annis aliquot istarum controuersiarum curam deposuisse; mallem & ego alijs, quam hisce tempus impendere: Verumtamen nec istæ controuersiæ videntur inutiles. Et multa in rerum naturâ, quæ latent, inuestigari possent, si communes operas conferremus & nobis persuasum non haberemus, omnia ita esse a maioribus perfecta, vt nihil nobis laboris restet, quam quod in eorum scripta impendimus, idque solùm philosophari esse, putaremus. Collectanea mea de vsu & dosi medicamentorum Chymicorum accepi. Velim aliquid ijs adiecisses, vel tuam sententiam de quibusdam aperuisses, quod vt adhuc facias oro. Ipse etiam iam satis parcè Chymica vsurpo: planè tamen etiam negligenda non censeo; & quandoque duro nodo durus quærendus cuneus. Nisi tot negotiis obruerer, & aliquem qui me iuuaret, haberem, de antidotario continuando curam susciperem, eo breui, sed quod composita maximè vt ita ad omnis generis indicationes, tam à morbis quam causis, ac symptomatibus petitas, contineret! Nam quæ in vulgatis habentur, vix dimidiam partem vsurpantur & antiqui, & Arabes pro suis Regionibus, & ea sibi domesticis medicamenta composuerunt, quorum magna pars hodie, vel ignota est, vel exoleta, & corrupta, ad nos perueniuntur. Contra quot hodie sunt nobis vsitatissima medicamenta, carduus benedictus, sambucus aquilegia, cochlearia, & succeuta eiusmodi, quæ in illis plane in nullo vsu sunt. Fuit olim hîc studiosorum in manibus MS. quoddam, quo se philosophiæ candidati ad Magisterij gradum capessendum præparabant, quod *cura Schatonis* inscribebatur. Id si est in tua Bibliotheca, fac vt id videam: vel si eo destitueris, apud vestrates, quibus proculdubio notum, inquire. Tandem etiam hoc tecum communicandum visum. Mihi è patria schola adhuc notus est D Adamus Bruxius, qui etiam dum Cothenis Anhaltinorum Medicum ageret, aliquoties me visitauit. Is nuper ad me litteras dedit, quas inclusas ad te mitto. Vides, quàm cum multis hodie religionem foueat, & quid de alijs etiam sentiat. Ita mira sunt hominum iudicia, quæ si attendenda essent, consultius foret otio torpescere, quàm talibus iudiciis suos labores subijcere. Ne verò eius subscribere viderer sententiæ, respondendum fuit aliquid, quod quale sit, litteris ipsius subieci. Credo te ea legere posse. Bene vale. VVittebergæ, 3. Martij, Anno 1622.

Sennerti de Antidotario molendo cogitationes.
Vulgarium Antidotariorum censura.

Inquirit in librum MS. cui titulus cura Schatonis.

D. Adamus Bruxius.

EPISTOLA XXXII.

PERIOCHE.

1. *Cauda pauonis, genus pulueris quale.* 2. *Pharmacopæorum plerorumque indoles & improbitas.* 3. *De Gregor. Martinia indicium Bruxij.* 4. *Scheunemanni apologia aduersus Sennertum.* 5. *VVeigelius defenditur.*

D. DANIELI SENNERTO,

ADAM BRVXIVS, D.

Cauda pauonis, genus pulueris quale.

SPuluerem ex vrinâ sublimatum alium mitto, qui non iniuriâ cauda pauonis, ob colorum varietatem posset nominari.

Quem antea miseram, fuit & is eiusdem formæ, propterea mirer, cur eum planè nigrum fuisse scripseris: nisi forsassis itineris longitudo, temporisque iniuria eum à pristino nitore deturbauerit; quod etiam præsenti huic accidere possit. Velleris aurei *D. VVeidneri* forma & color cum hoc ipso omnino idem sunt, nec in aliquo differunt nisi quòd illud est purius; hic verò impurior. Æquè tamen purus hic esset, nisi vitri disruptio segregationem impuritatis impediuisset.

Pharmacopæorum plerorumque indoles & improbitas.

Quod de Balsamis petis, nihil est: labor enim iste potiùs mulieres, quam viros decet. Nec omnia propalanda sunt Pharmacopœis, quorum plerique sunt homines superbi, auari, obtrectatores, &c. Fuci sunt, qui mel magno labore ab apibus confectum luxuriosè deuorant, otio torpescentes omniaque seruis & famulis commendantes.

De Gregorio Martinio iudicium Bruxij.

D. Gregorius Martinius bene mihi est notus eius Commentatiunculam in *cap.* 11. *libri* tui *de Chymicorum cum Galenicis consensu & dissensu*, vidi, & legi: sed non sine nauseâ; velim enim eum modestiùs tecum egisse. In Chymicis laboribus versatus nihil est, vnde non mirum, illum oleum vitrioli & salis, communiter sic dictum, pro vero oleo habere, idque exempli loco in medium afferre. Expectant haud dubiè multi boni viri mecum, quid responsurus sis homini.

Scheunemanni apologia aduersus Sennertum.
VVeigelius defenditur.

Cæterùm præter voluntatem suam videtur is quodammodò vindicasse manes Scheunemanni, quos & tu, (pace tuâ dixerim) tractasse debuisses mitiùs. Neque enim vulgaris eruditionis, & authoritatis vir fuit Scheunemannus, mihique admodum, dum viueret, amicus. Quod si vixisset iam pridem respondisset, sed canis mortuus non latrat. Acriter inter alia ipsum vellicas, quod Hermetem grana aliquot Mastichis deglutiuisse ad prohibendam coagulationem scripserit. Quasi verò non alij etiam aute Scheunemannum idem de Hermete in publicis scriptis affirmauerint. VVeigelio etiam iniuriam à te fieri opinor, de cuius scriptis, si ea priùs omnia, aut pleraque cum Tauleri operibus perlegeris, haud dubiè iudicabis melius. Atque vtinam plures huiusmodi nunc haberemus Theologos. Sed hæc bono vt accipias animo, maiorem in modum oro: ex amore sincero hæc te monere volui. Faueo siquidem, existimationi tuæ plurimùm, & fauebo etiam imposterum.

Scripta aliàs tua mihi arrident, lectúque sunt dignissima. Vale Vir Clarissime Sennerte, & me amare perge, simulque etiam cognatum meum VValtherum quàm commendatissimum tibi habe. Datum Sprottæ, die 7. Febri Anno 1622.

EPITOLA XXXIII.

PERIOCHE.

1. *VVeidneri vellus aureum, ex auro fit.* 2. *Respondet dictis de Gregorio Martinio.* 3 *Respondet dictis de Scheunemanno, quem purè Paracelsistam indicat.* 4. *Reponit Bruxio super VVeigelio, & phanaticas opiniones fouisse censet in Theologicis.*

D. ADAMO BRVXIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

VVeidneri vellus aureum.
Respondet dictis de Gregor. Martinio.

SReddite mihi sunt literæ tuæ, & in iis puluis ex vrinâ sublimatus coloris iam non nigri, sed varij. An eiusdem sit cum VVeidneri aureo vellere, coloris & formæ, nescio: vellus enim illud aureum VVeidneri nunquam vidi. Et sit vt aliquam in colore cum eo conuenientiam habeat; totâ tamen substantiâ differunt. Illud enim ex auro est, & aurum est; hoc ex vrinâ. Quid verò sit, & in quos vsus eum paraueris, è te scire aueo. Balsamorum tuorum confectio, quia mulieres potius, quàm viros decet de eâ ampliùs non sum sollicitus. Gregorius Martini suo sensu abundet; ego meo. Non verò est, vt à me responsum expectes. Sunt vtriusque scripta in publico: penes viros doctos rerum Chymicarum peritos, & quorum animi

proceres

Digitized by Google

præconceptis opinionibus fascinati non sunt, sit iudicium. An Schennemannum immitiùs tractarim, nescio. Habeas eum (ignosce candido & libero verbo) quocunque velis loco: ego vt alio, quàm puri paracelsistæ, loco, eum habeam, adduci non possum, nisi alius priuatus fuit, quàm est in publicis scriptis.

Respondet de Schennemanno.

Si qui alij etiam de granis mastiches ab Hermete deglutitis aliquid affirmarunt (de quo tamen mihi non constat) fides sit penes authores. VVeigelio nullo modo me iniuriam fecisse existimo: legi ipsius scripta, quæ habere potui, pleraque. Legi & Tauleriana. Taulerum deuotum Theologum fuisse puto, (nisi aliquid labis Monachatus uspersit) à quo *VVeigelius* immane quantum discrepat, qui mel, quod ex Taulero hausit, Paracelsi veneno, & suo enthusiasmo conspurcauit. Et ne meis, sed acerrimi cuiusdam in Christianismo vrgendo viri, & in hoc genere ab omni affectu liberi verbis, de VVeigelio quid sentiendum sit, aperiam: *pri ma fronte sapere deuotum quid, & cælicum spirare videtur. sed supponit monstrosissima quæque, & in religionem puriorem contumeliosissima profert.* Item: *Magno Sathanæ Colobos libros spargi arbitrandum est, vt veroris pietatis, internaque deuotionis iluminatio*, quæ seriò hodie reduci, & sinceriore spiritu plantari cœperè bona, hac fœdâ commixtione, & religiosis suspecta, & impiis magis dedignanda, reiiciendaque redderentur.

Respondet de VVeigelio.

Non est igitur, vt plures tales Theologos optemus: satis multis antea hisce phanaticis opinionibus infecti hinc inde latent: Si verò scire cognoscere cupis, quæ VVeigelij Theologia fuerit, lege quæso librum, qui ante paucos dies hîc editur, titulo: *Christliche Betrachtung der newen Paracelsischen vnd VVeigelianischen Theologi gestellt durch D.* Nicolaum Hunium. Quæ omnia vt in meliorem partem accipias, oro. Scripsi liberiùs, cùm quotidie videam, in quos labyrinthos sese plurimi ex incautâ iuuentute demittant, dum Paracelso & VVeigelio plus æquo fauent. Vale. Dabam VVittebergæ, 23. Aprilis, Anno 1622.

EPISTOLA XXXIV.

PERIOCHE.

1. *Doringius Sennertum hortatur ad lectiones practicas.* 2. *Mercurij dulcis vsus an cholericis vtilis?* 3. *Historia VValtheri de quodam à pustulis faciei, & colica biliosa curato ope Mercurij dulcis.* 4. *Laudatur Sennerti responsum Bruxio datum.* 5. *Censura de puluere Bruxij ex vrina.* 6. *Aduersus Secretistas.* 7. *Bruxius auctor libelli, tituto Helias Artista.* 8. *Historia insultus morbosi Doringij.* 9. *Suspicio concepta malignitatis.* 10. *Series remediorum adhibitorum, Bezoardica.* 11. *Bolus purgans, eiusque operatio quanta fuerit.* 12. *A quibus morbis, dictorum remediorum vsu præseruatus fuerit Doringius.* 13. *Iudicium de Neumeistero.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctor hortatur Sennertum ad lectiones practicas.

S Practicis lectionibus, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, vt diligentiùs vaces, easque accuratiùs elabores, si opus fortè est, te magis, magisque hortor. In metallicorum vsu nonnullos optarim esse circumspectiores, &c. De remediis Chymicis censuram tametsi mihi non arrogem; tamen quia de eù me sollicitas, monebo nonnihil, vbi otium nactus fuero.

Vsus Mercurij dulcis an cholericis vtilis? Historia.

Quod *Paradoxa VValtheriana* attinet, lubens tibi assentior. Identidem apud me esset, & de Mercurij dulcis vsu choleritis suspecto inuicem sermones commutaremus, tantum absuit, vt eum iis in commodum concederet, vt potiùs maximè proficuum esse, tali historiâ comprobaret. Nimirum, inquit, Nissæ viuis etiamnum ciuis quidam, qui præterquam quòd pustulis faciem valde deturpatam habuit, colicâ ex bile præterea insigniter per interualla afflictus fuit. Is cùm variis remediis incassum vsus fuisset, accidit, vt in Mercato quodam Nissensi *Ciscum nostrum Mummerum*, remedia Chymica illic diuendentem, & inter alia Mercurium dulcem simul distrahentem, impressâque schedâ pro more Empiricorum vires ac laudes suorum remediorum publicè exhibentem, offenderet. Emit igitur Mercurij dulcificati partem, & re cum D. *VValthero* prius communicatâ, tam salutariter ipso vtitur, vt non tantùm à colicâ, sed & pustulis faciei liberator sit, hocque ipso remedio ab vtroque affectu sese etiamnum præseruare soleat. Ecquid verò de hac re tibi videtur? *Vna* certè, vt vulgatum habet Prouerbium, *hirundo non prorsus facit ver.*

Meum enim exemplum olim exhibebat contrarium. Sed ita comparatum esse vides, vt quot sunt capita, tot itidem sius sensus, quale quid è *D. Adami Bruxij* literis etiam apparet. Rectè fecisti, quòd hunc in modum homini respondisti, ne nimium sapere videretur. Ergóne immitiùs tractasti *Schennemannum Paracelsistam*? Profectò grauiore, & seueriore animaduersione dignus erat. Ergóne etiam iniuriam fecisti *VVeigelio*? Ita scilicet videtur iis, qui sputa ipsius lambunt, & exosculantur. Prohibeat verò Deus, ne monstra hæc & fucus puriorem Theologiam porrò turbent & contaminent. Laudo *D. Nicolai Hunnij* tactum, qui senticeta ista è Domini vinea masculè exscindit. Nondum vidi scriptum, vbi ad nos allatum fuerit, vt nanciscar, faxo. Puluerem ex vrina sublimatum, cum literis Bruxianis bona fide remitto. Cui vsui ipsum parauerit, ego item scire vellem. Neque tam stupenda res mihi videretur, si quâ parte sublimatorij collectus sit, nossem. Si enim circa inferiora, sordes putarim, ab exustione coloris varietatem adeptas, quales in aliarum etiam rerum sublimationibus & destillationibus colligi, nouum non est. Nolim tamen rem ignotam, siue improbare, siue suggillare. Balsamorum confectionem mulierum esse opus, in *præfatione libelli sui de Balsamis* etiam scripsit. Quasi verò bonum *non* sit communicatiuum sui! Relinquamus ergò istis auaris sua *secreta*, quæ quidam non malè *Decreta* aliquando appellitabat, cùm interdum, magni momenti res non sint, & tantisper solummodò magnæ, quantisper occultantur. Equidem in propalandis iis, quæ vel ad Artem nostram exornandam, vel ad genus hominum variis morbis subiectum, iuuandum, facere quicquam possunt, non parcos, sed liberales nos esse decebat.

Laudatur Sennerti responsum D. Bruxio datum.

Censura de puluere ex vrina.

Contra secretistas.

Væ homini! qui talentum à Deo sibi concreditum sub terram, vti *scriptura* loquitur, defossum abscondit, nec publico bono fœnerat. Iste *Bruxius auctor est scripti illius*, quod ante paucos annos ad Fraternitatem R. C. prodiit, *sub titulo Helia Artista*; id quod ipsemet literis ad *D. Casparum Conradum* scriptis est fassus. *Aureum vellus* nondum absolutum est. Neque enim dum tempus ipsius perfectioni præfinitum præteriit. *Drebellianum* auri quintam essentiam parandi modum inuenies *in Tractatu ipsius de quintâ essentia*, edita curâ *Ioachimi Mors*, autumno præterito. Antidotarium tale, vti scribis, si concinnaret, rem vtilem præstares, sed memento, quòd

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Curam Schacoois, inter mea nec habeo, nec vidi vnquam, & haud scio, apud quem inuenire debeam. Inquiram tamen in eam apud Nostrates.

Vnum adhuc, quod me concernit, addere placuit. Die præsentis mensis Martij nonâ, circa vesperam omnium membrorum lassitudo vlcera, cum lancinationibus quibusdam articulorum, & decurrentibus defluxionibus è capite per dorsum, me prehendit. Cùm igitur de malignitate, vel ex ægrotum visitatione, vel fœtore sordium in plateis iacentium, & curru subinde agitatarum contractâ suspicio aliqua me inorderet, cubitum iturus *bina cochlearia Aquæ zedoariæ* sorpsi, quæ subsequente nocte tam largum sudorem mihi protruserunt, vt turbato insuper somno, posterò manè, non parum languerem. Visito nihilominus ægrorum præcipuos, & vt meam per biduum subsecuturum absentiam haud grauatim ferant, oro.

Historia insultus morbosi.

Suspicio concepta malignitatis.

Quæ remedia adhibita fuerint.

Bezoardica.

℞. Meridie, & sub noctem, *haustum aquæ meæ Bezoardicæ distemperatum essentiâ mei cordialis incompletâ, addito Magisterij ocul. cancri* ℈. j. capio. Postridiano manè bolum purgantem deglutio, qui constabat *Diacydonij mei purgantis* ʒ. ij. *puluer. Ghialapi*, (Baudronius in sua praxi Ialapium, alij Galapium scribunt) ℈ ß. *cremorn. tartari*, ℈ j. *puln. rad. serua* gr. v. *salu. card. benedict.* gr. vj. *extr. zedoariæ*, gr. ij commistis omnibus cum s. q. *Oxysacchara scillitica*. Ab huius vsu vsque ad sequentis diei horam primam pomeridianam vicies quater dejeci, sine quidem tormine, sed cùm tantâ copiâ, vt libras iiij. longè excessisse credam, tum tanta scsi biliosi acrimoniâ, vt præ ani excoriatione ægerrimè domi culcitræ insidere, multò minùs extra domum curru vehi potuerim. Delassarat me quidem largior ista euacuatio, & ventriculus per triduum ferè nauseabat: *insultus* tamen *arthriticos* imprimis, (qui sine dubio me afflixissent, quàm ante hac, acerbiùs) *Febremque* etiam *ardentem*, aut, ni intestina muco interiùs probè fuissent communita, *Dysenteriam* periculosam per Dei gratiam hac vice effugi. Deus porrò largiatur sanitatem. Cum *D. Bruxij* litteras cum tuo responso describerem, incidi in litteras *Neumeisteri*, quas ante sexennium mecum communicaueras. Si plures vel ad te, vel ad *D. Tandlerum* p. m. scriptas ab eo possides, vt earum compos fiam, faue. Non enim vulgare quid vir iste sapit. Bene vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, ipso Viridium die anno 1622.

Bolus purgans.

Operatio boli quanta?

A quibus morbis auctor dictis remediis præseruatus fuerit.

Iudicium de Neumeistero.

APPENDIX.

I.

Aqua Bezoardica D. Doringij.

℞. *Succorum acetosæ, borraginis, buglossa, flor. aquilegia, tunica, rosar. Violar. cyani, consolida regalis, bistorta, calendula, galega, scordij, petasidis, card. benedict. chelidonij maior. oxylapathi, veronica, plantaginis, verbena, tormentilla, pentaphyll. portulaca, myrrhidis, melissophylli, citri, limonum, granatar. cydonior. aurantior. fragor. baccarum rub. idæi*, an. ℔. ß. *aceti vini acerrimi* ℔. In his infunde per spatium trium dierum in vase vitreo probè obturato. *Flor. nymphea, flor. papaveris erratic. buglossa, borraginis, violar. tunica, aquilegia, calendula*. an. M. j. *rad. scorzonera* ℥. iij. *seruæ* ℥. i. *sem. napi, citri, acetosa, aurantior. cardui benedict. aquilegia, portulaca* an. ℥. ß. *cortic. citri siccat.* ℥. j. ß. *scobis CC. non vsti*, ℥. iij. Fiat s. a. in vasis vitreis per B. M. distillatio, suspendendo in alembito nodulum ex syndone chermesina cui indita sint seqq.

℞. *Spec. trium santal. cortic. citri siccat.* an. ℥. ß. *granor. chermes*, ʒ. iij. *ligni aloes*, ʒ. j. ß. Seruetur in vitro. Tandem adiiciantur. *Fol. auri finiss. argenti finiss.* an. No. vj.

N. B. 1. Ex iis, quæ residua manent tam post succorum expressionem, quàm aquæ destillationem, paratur sal Bezoardicus.

2. Non diutius vrgeatur destillatio, quàm dum guttæ imbecillioris saporis deprehensæ fuerint : Tunc enim quod remansit, coletur cum forti expressione, & cum sacchari q. s. F. s. a. syrupus clarificatus. Seruetur pro vsu.

II.

Essentia Cordialis D. Doringij.

℞. *Fol. melissophylli sicc. sem. borraginis, melissa, ocymi, garyophyllat. rasur. CC. rad. seruæ*, an. ℥. ß. *rad. doronici, zedoaria, scorzonera, gran. chermes*, an. ʒ. ij. *cinamom. elect. ligni aloes*, an. ℈. iv. *oss. de corde C. macis*, an. ℈. ij. *camphora*. ℈. j. (pro viris & mulieribus quæ moschum ferunt, adde *confectionis alkermes, diahyacinth.* an. ʒ. ß.) Mista indantur cucurbitulæ idoneæ, affunde *aqua nostra melissa composita*, ℥. xx. *spir. vitriol.* ℥. ß. Stent in infusione per mensem, & quotidie agitentur. Posteà colentur, & exprimantur, adde *Syrup. de s. Borraginis, melissophyll. Fernelij, syr. è gran. chermes*, an. ℥. iij. Quæ cum confectionib. paratur completa, altera incompleta inscribenda.

III.

Diacydonium purgans D. Doringij.

℞. *Pulpa cydoniorum ad iustam consistentiam cocta*, ℥. iv. *sacchari Thomæ*, ℥. ij. *pulu. santal. rubr. spir. vini irrorat.* ʒ. ß. *cortic. citri condit. & minutiss. incisor.* ʒ. ij. *scammonij præcipitat.* ʒ. iv. F. s. a. Electuarium.

IV.

Drebelianus quintam ☉ essentiam parandi modus.

Modus parandi quintam essentiam ☉ iuxta Drebelium habetur d. l. vt sequitur. Fiat aqua fortis ex vitriolo, & sale nitro, in eam immitte tantum salis communis præparati, quantum capit. Deinde auro foliato saturetur, donec tres quatuórve dies in tepore retenta, nihil ampliùs combibat, sed in fundo aliquid non solutum, aut in calces redactum, relinquat. Posteà benè rectificatam vini Q. essentiam vulgarem affunde. Impone fornaci calenti, & auri Q. E. siue tinctura, cum spiritu vini phlegmate liberato, supernatabit, rubra instar sanguinis. Iam defiltra & affusionem itera, dum rectificata aqua nullam amplius tincturam educat. Tum colorem sicca, & solvendo, coagulandóque ablue aquâ mundâ, donec aquæ fortis acrimonia euanescat. Dehinc iusta proportione hauriatur à spiritu, cui ne gutta quidem aqueæ humiditatis; putrefiat philosophicè, ita vt ambo ascendant, atque habebis Q. essentiam auri, beneficio spiritus vini, ad miraculum vsque omnes morbos sanantem, præditámque quibuscumque antedictis proprietatibus : Tinctura enim animam, spiritus vini corpus & spiritum repræsentat : nec vllis vnquam mediis diuelli possunt. Ergo perfecta quinta essentia, atque sine spiritu non esset quinta essentia, & vel minima eius dosis hominem necaret : vt in præcedentibus dictum. Sed si sublimando tincturam auri, transitum illi ad corpus facias, deinde rubifices, & in aqua communi soluas. Aut etiam compendiosius fit, si nimirum corpori auri, euaporatione ab aqua forti liberato, sal abluas, mox reuerberes, sicut & spiritum, siue tincturam, donec in aqua communi soluantur, tumque simul figas. Atque hæc est perfectissima, & subtilissima via.

EPISTOLA XXXV.

PERIOCHE.

1. *Experientiæ non temerè fidendum.* 2. *A publicis calamitatibus, quales inprimis tunc vigens monetæ corruptio, quantum Sennertus turbetur.* 3. *Quanta damna inde immineant tam rei literariæ, quàm toti Ecclesiæ.* 4. *Quæsita duo medica : cur scil. à sudoriferis curam auspicatus fuerit? & cur in purgante oxysaccharum scilliticam addiderit?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Experimentis non temerè fidendum.

S De remediis Chymicis, *Cl. Dn. Affinis, & Compater plurimum honorande*, tuam censuram & sententiam si aperueris, rem gratam mihi facies. Ego VValtheri, & similes experientias non magnifacio: cùm ad artem constituendam non vna, sed multæ experientiæ necessariæ sint. Verùm multis, Chymicis præsertim, inter quos & Hartmanus, rarum non est, vt medicamentum ne semel rectè vsurpatum, nescio quibus laudibus extollant. Practicam mea vrgebo, quantum potero, & quantum Deus mihi virium, otij, & vitæ concesserit. Verùm vix credis, quantum me istæ publicæ calamitates turbent. Intrant equidem in thalamum cuiuslibet damna publica, & quemque etiam planè priuatum ista ἀτυχία sollicitum habet. Verùm quia in isto officij genere, aliquid etiam publicæ iræ ad me redundat, multum inde mihi creatur molestiæ, multúmque temporis eripitur, & mens à studiis auocatur.

A publicis calamitatibus, qualis inprimis tunc vigens monetæ corruptio, quantùm Sennertus turbetur.

Vix enim iam multis mensibus, septimana transit, quin non semel atque iterum, vel antemeridianæ, vel pomeridianæ horæ, interdum vtræque eripiantur deliberationibus, quomodo turbis publicis, variis querelis, & omninò calamitatibus, quæ nostram academiam premunt, occurrendum sit. Neque me istius operæ, vel temporis pœniteret, si aliquid proficeremus. Verùm plerumque frustra laboramus. Dato vno absurdo, tot secuta sunt, vt nemo sciat, à quo corrigendo sit faciendum initium. Nihil ad turbandam Germaniam, & Christi Ecclesiam in eâ, efficacius inuenire potuisset Sathan, quàm istam Monetæ corruptionem. Quantum enim rei litterariæ & Ecclesiæ damnum allatura sit, nisi Deus præsens aliquod remedium attulerit, posteri nostri demùm sentient.

Quãta damna inde immineant tam rei literariæ, quàm toti Ecclesiæ.

Turbantur, & dissipantur passim Academiæ, & iuuenes in medio cursu studia abrumpere conantur. Laboramus tam multis mensibus, ne mensa communis hîc dissipetur & tollatur : an id obtenturi simus, incertum.

Valetudinem tibi saluam iterum esse gratulor. Imminebat tibi proculdubio arthritis, vel febris periculosa : Ne tamen hæc Epistola sine Quæstione medica abeat, breuiter quærere libet. 1. Quâ ratione ductus & an rectè primò ad sudorifera confugeris? 2. Cùm in purgante bolo habeas cremorem tartari, & salem cardui benedicti, an rectè acidum quid, oxysaccharam nempe scilliticam, addideris? Verùm controuersia ista non erit prolixa; duobus verbis expedietur. Bene vale cum tua. Vittebergæ, 27. Martij, Anno 1622.

Quæsita duo medica, cur scil. à sudoriferis curam auspicatus fuerit & cur in purgante oxysaccharã scilliticam addiderit?

EPISTOLA XXXVI.

PERIOCHE.

1. *Responsio ad prius quæsitum præcedentis Epist. quare scil. à sudorifici vsu curam aggressus fuerit.* 2. *Ab intempestiuo sudorificorum vsu, incommoda; à tempestiuo verò, emolumenta.* 3. *Laus sudoriferorum in febribus benignis inchoantibus.* 4. *Sudoriferorum malignis in febribus incipientibus quàm salubris vsus.* 5. *Venenum bezoardicis oppugnandum.* 6. *in malignis*

febribus,

febribus, minùs;in mitioribus magis cunctandum sudorifica exhibere. 7. Quanti sit momenti,occasionem medicandi aucupari. 8. Responsio ad alterum quæsitum præcedentis Epist. cur scil. purganti bolo oxysaccharum scilliticam addiderit. 9. Non imminui vim cremoris tartari detergentem ab aciditate oxysacchara scillitica.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Responsio ad prius quæsitū præcedentis Epist. Quare scil. à sudoriferis vsu curam aggressus fuerit.

Geminum tuum quæsitum, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ex historia nuperæ in me ipso institutæ medicationis desumptum, & quidem præcipuè primum quod attinet, quâ scilicet ratione ductus, & an rectè primò ad sudoriferum, putà, aquam zedoariæ, confugerim? Ad id respondebunt proximè ipsæ meæ litteræ. Nimirum cùm de malignitate, vel ex ægrotorum visitatione, vel fœtore sordium in plateis per hyemem collectarum, & æris externi calore resolutarum, cutisque, quo nunc arthritide opræcaucendi causa, vehi cogor, subinde agitatarum, contracta, suspicio non præter rationem me inuasisset, ab vsu sudoriferi optimè me curationem esse auspicaturum consilio, præsertim cùm aluus sponte respondeirit, corpus meum sit ἀγοῦ, & humores apud me vt plurimum abundent serosi: quales tum temporis etiam adfuisse, cùm largissimus sudor, tum præ[illegible] vrinæ, vnguentio luculenter testatum fecerunt. Facilè autem causam hanc, quà ductus, istam mihi quæstionem mouisti: annus enim futuris Maij Calendis complebitur, cùm sciscitareris, quid sentirem de exhibitione sudoriferorum, in principio febrium: siquidem mihi non ignotum foret, à vulgo sæpe non malo successu, theriacæ, atque aliorum sudoriferorum exhibitione mox in prima inuasione febres depelli, & præcipuè malignas, & continuas. Etsi verò ex præmissis quid responsurus fuerim, facilè prævideas: tamen cùm hæc ipsa Quæstio, in *Notis ad Pellisonem* Germanicis, mihi tractata sit, placet discursum illum inde mutuari, & Latio vestitum tibi censendum proponere.

Locus ex Notis Doringianis ad Pellisonem.

Ab intempestiuo sudoriferorum vsu incommoda.

A tempestiuo sudoriferorum vsu emolumenta.

Laus sudoriferorum in febribus benignis incipientibus.

Sanè nemo abit infitias, à sudoriferorum intempestiuo vsu (qui est, si corpus succorum vitiosorum plenum sit, aluus subsistat, & minores venæ obstructionibus laborent) febres vulgares benignas sæpe numerò exasperari, simplicem in duplicem, vel triplicem, atque intermittentem in continuam commutari. Interea tamen nec hoc diffitebitur, si tempestiuè, (quod est, quando præcessit conueniens humorum superfluorum crassorum, aluique secum euacuatio, meatuum apertio, humorum ad sudores debita præparatio, &c.) administrentur, per ea multas febres abigi paruo negotio, quæ aliis remediis cedere noluerant.

Præterea cum fieri facile possit, vt quandoque non aliter, atque scintillula aliqua fomitem, sic leuecula putrefactio humores prehendat, nonnunquam verò ob spiraculorum cutis occlusionem, insensibili transpiratione, ad vitam sustentandam alias maximè necessariâ, vel diminutâ saltem, vel in totum abolitâ, febris oriatur: tunc equidem sudorifera eximiè prodesse solent: Nunc enim incipientem duntaxat putredinem extinguunt, & ne ea latiùs serpendo sinceros humores inquinet, præcauent: verùm etiam poros cutis obstructos recludunt, & insensibilem transpirationem redintegrant. Hæ itaque sunt causæ, quod per sudorifera multæ febres benignæ sub primum insultum præter exspectationem non sine admiratione depelluntur. Nihilominus efficaciæ esse deprehenduntur eadem in malignis & pestilentibus. Etsi enim eiusdem omninò gradus omnes non sint, sed cùm alia aliâ per se fæuior, cum hæc per contagium propagata, illa è morboso apparatu, in corpore ægrotantis præexistente, suscitata: in eo tamen concordant vniuersæ, quòd veneno participant, & ob hoc præ benignis, multò magis sudoriferis indigeant; Venenum enim quatenus tale, non purgantibus, sed Bezoardicis (quæ omnia in iusta dosi propinata sudorem ciere, & huius interuentu venenum exturbare apta nata sunt) tractari, & oppugnari postulat. Quæ si negligantur, quanto id fiat cum ægrotantium detrimento, euentus (proh dolor) testificari solet. In hoc vno omnis bonæ & salutaris medicationis vèrsatur cardo, vt quis debito vtrinque tempore ea exhibere sciat.

Sudoriferorū in malignis febribus incipientibus, quàm salubris vsus.

Venenum bezoardicis oppugnandum.

In malignis febribus minùs, in mitioribus magis cunctandum sudorifica exhibere.

Quod enim ad maligniores, & verè pestilentes attinet, cùm mora periculum adferat, & ad id quod magis vrget, primò omnium respiciendum sit, vsum ipsorum diutinâ deliberatione non procrastinare, sed primo quoque momento sine hæsitatione maturare conuenit, nisi cui oleum atque operam impendenda perdere animus sit. Nec refert, per inspirationemne, vel contactum externum morbosa seminaria æger contraxerit: Ad ipsum enim & solum venenum primariò, ac per se attendere, eique quàm licet, maximo conatu aduersum ire decet. In reliquis, quæ mitiores existunt, & ex nimio morbidorum humorum apparatu progrediuntur, tantâ ad sudoriferorum exhibitionem festinatione opus haud est; sed per conuenientia lenitiua, ipsamque venæsectionem, corpus aliquâ succorum redundantium parte prius leuare licet. Quod si tamen malignitatis certa indicia conspicua sint, atque aluus vel suamet sponte, vel suppositorio, clystereque sollicitata, officium faciat, parum herclè peccabitur, si vel maximè sudorifera admoueantur; quandoquidem ea, præterquam quod putredini aduersantur, veneno inimica sunt, & ex sua natura viribus refocillandis dicata sunt, vt norunt Medici. Et quis neget, salutarius ea porrigi viribus adhuc constantibus, quam à veneno iamdudum magnam partem attritis, ipsoque veneno nimium exaltato, & per totam humorum massam diffuso, necnon cordi firmius impresso? quoniam Natura ope medicamenti succenturiatâ adiuta, longè promptiùs id superare, adeòque vel per sudorem, vel maculas, vel pustulas, vel alia id genus molimina eliminare potis est. Neque extra semper est, si quis tantisper quiescat, donec ipsamet natura viam præeat. Accidit enim sæpe numero, vt tum commoda medicanti opportunitas iam iam præterierit, & æger præter omnem opinionem intereat. Tam præceps nimium iusta agendi est occasio, magistrâ experientiâ. In tantâ enim febrium ambage nulla est insidiosior, nulla fallacior: Quippe quæ salutem in fronte promittit; occipitio verò exitialem exitum refert, ita pronunciante concinnè ac verè Alexandro Benedicto, *lib. de peste, cap.* 12. Huc vsque *Notæ meæ ad Pellisonem.*

Quanti sit momenti, occasionem medicandi aucupari.

Possem, quoad benignas febres, tum illud subsidij loco huc adducere, quod febres tertianæ, in quibus sub paroxysmi declinationem sudores erumpunt, soleant esse breuiores; quàm alterum, ex Angeli Salæ *Bezoarticorum Ternarij, cap.* 2. de causa & sede febris quartanæ, si otium mihi nunc esset. Ea igitur, vt ipsus aliquanto accuratiùs pensites, etiam atque etiam oro.

Responsio ad posterius quæsitum præcedentis epistolæ à cur scil. purganti bolo oxysaccharā scilliticam addiderit.

Bolo tibi purganti, ad quem spectat posterius tuum quæsitum, rectè me miscuisse acidum quid, oxysaccharam scilicet scilliticam, ex istis conijcio, quòd medicamentis gratiam maiorem conciliet, ventriculum roboret, crassos humores incidat, viscidos detergat, aluum lubricet, & seliquorum penetrationem adiuuet.

Non imminui vim cremoris tartari detergentem ab aciditate oxysaccharā scillitica.

Nec obstat tartari cremor, & sal cardui benedicti: Acidus enim & ille est, & fiat quædam istorum per acida præcipitatio: quid tum verò posteà? Neque enim, vt in sale cardui benedicti vis diaphoretica, sic & in cremore tartari abstersiua, & mundificatiua inde hebescit. Si credere nolis attende, quæso, paulò diligentiùs ad vitriolatum tartarum: in eo enim seruari vim abstergendi, est purgantium ἐνέργειαν intendi, ipsemet procul dubio obseruasti: Quomodò loquetur pro me, ipsa tum temporis liberalissima ab assumpto bolo prouocata euacuatio, vires medicamenti, non tam imminutas, quàm adauctas fuisse. Nolo itaque plura in hunc sensum scribere, ne vel tempus inanites perdere, vel chartam rebus tibi perspectissimis inutiliter complere velle videar. Quantæ nos hodiè premant communes vobiscum miseriæ, exarare nihil attinet. Emendationem ab vno petamus, & expectemus Deo. Is enim vota, gemitúsque multorum certò tandem exaudiet. Bene cum tuis vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 29. April. Anno 1622.

EPISTOLA XXXVII.

PERIOCHE.

1. Sententiam Doringij, circa sudorificorum vsum in principio febrium, probat: nonnullos tamen circa illam scrupulos, saltem quoad febres benignas, præcipuéque interpolatas, mouet. 2. Proponit vt deinceps Epistolæ certis quibusdam argumentis concludantur, quæ ad quinque omnino capita reducit. 3. Doctrinam de Febribus obscurissimam agnoscit. 4. Mutuam dari plantarum in mineralia, & contrà, mutationem. 5. Vitriolum è deciduis quarundam arborum foliis Schmidebergæ generari. 6. Obseruationes duæ, de mirabili efficacia certi cuiusdam pulueris: vna, in cancro mamma, huius ipsius vsu, feliciter curato; altera, in mensium suppressione cum atrophia persanata.

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

Probat ſententiam Doringij, circa ſudoriſicorū vſū in principio febriū.

SI De exhibendis ſudoriferis in principiis febrium, tecum facilè conſentio. Et quidem de malignis febribus res manifeſtior eſt : modò mox primo inſultu malignæ à benignis diſcerni poſſint, quod difficile: Vt enim tuum ſaltem exemplum adducam, ſuſpicari quidem licuit, te malignâ febre correptum fuiſſe, quin tamen aliquis cum iiſdem circumſtantiis, intermittente aliqua febre corripi poſſit, impoſſibile non eſt: Atque ita hac etiam in parte Ars noſtra valdè coniecturalis eſt.

Scrupulos mouet, quoad febres benignas, præcipuéque intermittentes.

De benignis & præcipuè intermittentibus, res paulò intricatior eſt : Nam etſi & ipſe in hac ſum ſententiâ, ſub primum inſultum, & vbi putredo nondum ſe in corpus diffudit, ſed μίασμα quoddam, & initium corruptionis vno ſaltem loco hæret, id hoc modo diſcuti, & febrem depelli, poſſe, non negem: tamen vulgata practicorum doctrina à curandi hac ratione paulò diſcrepat. Præterea etiam è tuis *ad Pollionem Notis* non pauca obiici poſſunt : Nam cùm, vt ſcribis, ſi corpus ſuccorum vitioſorum plenum ſit, aluus ſubſiſtat, & minores venæ obſtructionibus laborent, febres vulgares, ac benignæ ſæpe numero exaſperentur, ſimplex in duplicem, vel triplicem, atque intermittens in continuam commutari poſſit, ſudoriferorum vſu : quotumquodque corpus eſt, quod, vbi intermittente febre corripitur, primas venas liberas habeat, & vitioſis humoribus vacuum ſit? Vnde, ipſe ccoſes, in febribus mitioribus, quæ ex nimio morbidorum humorum apparatu, progrediuntur, tantâ, ad ſudoriferorum exhibitionem feſtinatione opus haud eſſe, ſed per conuenientia leniua, ipſámque venæſectionem, corpus, aliquâ ſuccorum redundantium parte priùs leuandum eſſe. Sed hoc opus, hic labor eſt, in ipſo primo inſultu benignam, & mitem febrem à malignâ diſcernere, vt ante etiam ſcripſi. Et quidem ſcriberem hac de re pluribus, niſi præter ſpem abitum Rhedarius maturaret. Si tamen libet, de hac quæſtione etiam proximè aliquid ſcribi poterit. Omnino enim conſideratione digna eſt. Et ſi placet litteræ noſtræ poſthac certis terminis & argumentorum generibus concludantur, vt ſcilicet val I. aliquid contineant, quod ad *Medicinam Practicam* faciat : Iſtud enim futuris noſtris laboribus inſeruire poterit. Atque ſi id expetis, mittam interdum vnum atque alterum affectum. *Scorbuti* doctrinam nuper publicè inter affectus lienis abſolui : curabo vt deſcribatur, ſi placet. II. Vel aliquid habeat de *febribus*. Habes quidem meam ſententiam in *libris meis de febribus*: Sed in nullo meorum ſcriptorum mihi minus, quàm in hoc ſatisfacio. Ita doctrina hæc obſcuriſſima eſt : cùm tamen nullum morbi genus ſit frequentius. Si ergo me hac in parte iuuare potes; iterum meam operam tibi promitto. III. Aliquid, quod *Apologiam meam Chymicam* concernat, habeat. Vbi quin hoc addam, facere non poſſum. Me nimirum penè certum eſſe, eſſe aliquam mutuam plantarum in mineralia, & contra mutationem, & non ſemper opus eſſe reſolutione in elementa, ſed dari propiora principia. Nam experientiâ conſtat, Schmidebergæ, vbi à vicinia noſtrâ vitriolum olim coctum eſſe non ignoras, nullas eſſe fodinas metallicas, ſed vitriolum illud & alumen, ex deciduis Alni, & Quercus foliis in valle illa longo temporis tractu cumulatis, affluente aquâ quâdam ferratâ, *das etwas von Eyſenſchlich fuehret*, generatum eſſe. IV. Si libet etiam vires medicamentorum Chymicorum examinare, & de eorum legitimo vſu diſſerere, nec hoc ingratum fuerit. Qua de re, quæ nos informare poſſit, hanc hiſtoriam tecum communicandum putaui, ex *Epiſtola*, quam Iohannes Iacobus Reiter Profeſſor Medicinæ Lipſienſis ad me ſcripſit. Ita autem ille : Vocabar VVeiſſenfelſam ad Viduam quandam quadraginta aliquot annorum : Ea vlcus cancroſum ac fœtidiſſimum, multis lobis, magniſque extuberans fouebat in mamma ſiniſtra. Deliberandum erat Nobis, (aderat enim Dn. D. Romanus Naumburgenſis, & Dn. D. Suſſenbethus Zizenſis, cum Medico VVeiſſenfelſenſi) vtrum præter ſectionem aliud ſuppeteret remedium, quam Chirurgus quidam famoſus præſens valdè vrgebat. Nos quamvis ſpes in anguſto poſita eſſet, noluimus tamen in ſectionem conſentire, quæ abſque dubio mortem ſecum attuliſſet, in corpore à viribus omnibus planiſſimè deſtituto. Quid fit? Poſtquam aliquid medicamentorum à nobis relictum eſſet, ad leniendum potiùs, quàm curandum malum, superuenit quidam Ioh. Eridericus Prætorius, Halæ Sax. iam degens. Is reiectis omnibus aliis remediis ſe certum puluerem habere dixit, qui radicitùs percureret, tum morbum, tum cauſam morbificam. Ægra illis auditis voluit potius cauſa dubiæ ſpei aliquid experiri, quàm cum deſperatione certâ mori; Ideóque ſibi eius pulueris vſum concedi obnixè rogauit. Poſtquam eo ſemel vſa eſſet quodam die, adeò bene habuit ſtatim, vt nos eum ipſâ meritò etiamnum miremur : Tribus diebus continuis vſurpauit puluerem, quem Prætorius ille ex auro Arabico ſe conficere dicebat, quique primò vomitu, mox ſudore copioſo, & poſt aliquot demum dies, per aluum materiam admodum fœtidam eduxit. Huius igitur pulueris ſolius vſu adeò illa paulatim conualuit, vt cum primùm vix digitū mouere poſſet, (aderat enim febris hectica continua, ſitis, nauſea, dolor inprimis aterrimus vlceris, quod caput infantis æquabat) nunc negotia agere, ambulare, cibum capere, peregrinari liceat, perinde ac ſaniſſimo; Niſi quòd aliqua portio vlceris adhuc ſuperſit, aut lobi potiùs exigua parte cum mamma cohærentis, qui facilè filo reſecari poſſet, ſi vellet illa. Ac, vt fatear, quod ſentio, vtique inſignem oportet eſſe Medicinam illam, quæ non ſolùm hunc incurabilem, Hippocratis, Celſi, Galeni, omniúmque dogmaticorum iudicio affectum, ſanauit, Verùm etiam tam diuerſas operationes exhibuit. Fuit ibidem VVeiſſenfelſæ tum, quando illic fui, virgo adulta, quæ laborauerat iam longo tempore retentione menſium, ac decumbebat lecto, propter atrophiam, & virium imbecillitatem : Ea eodem puluere ſemel atque iterum aſſumto itidem conualuit. Doctor VVeiſſenfelſenſis ait eſſe puluerem rubri coloris, pondere paucorum granorum exhiberi, ſed ne verbulum quidem potuiſſe expiſcari de compoſitione. V. Tandem & rem gratiſſimam faceres, ſi aliquid interdum, ſuggerente id vel experientiâ, vel lectione auctorum, in *Inſtitutionibus* moneres. Fecerunt idem & alij amici: Ita ſatis, quod laboremus, habebimus. Vnicè tamen optauerim, vt Deus nobis lætiora & pacatiora tempora largiatur, vt adhuc in hac vita alicubi (vbicunque etiam ſit) ad aliquot dies conuenire, & de multis rebus, quæ litteris ita facilè non expediuntur, coram colloqui poſſimus. Interim cum tua bene vale : vt & Danielem noſtrum à Nobis ſaluta. VVittebergæ, 15. Maij, Anno 1625.

Propoſit vt deinceps Epiſtolæ certis quibuſdam argumentis concludantur, quæ ad quinque omnino capita reducit.

Doctrinam de Febribus obſcuriſſimā agnoſcit.

Mutuam dari plantarum in mineralia, & contrà, mutationem.

Vitriolum ex deciduis arborum quarundā foliis Schmidebergæ generari.

Hiſtoria cancri mammæ percurati feliciter vſu certi cuiuſdā pulueris.

Ioh. Friderici Prætorij puluis.

Alia hiſtoria de menſium ſuppreſſione, cū atrophia, einſdem pulueris vſu perſanata.

EPISTOLA XXXVIII.

PERIOCHE.

1. Remouet ſcrupulos ſuprà iniectos, circa ſudoriſicorum exhibitionem initiis febrium. 2. Practicorum doctrina vulgata non omni ex parte perfecta, aut vera. 3. De oxygalactis vſu obſeruatio. 4. Variorum Practicorum de oxygalactis facultatibus ſententia. 5. Spiritus terebinthinæ pectori illitus, phthiſicis ſuſpectus. 6. Vitrioli & aluminis Schmidebergenſium, aquæ ferratæ affluenti adſcribendam videri. 7. Scorici lacus mirabilis facultas tranſmutatoria, iuxta Michaëlem Potierum. 8. Alnum etiam, & quercum, materiæ vice, concurrere ad mineralium geneſin, probabile videri. 9. Spiritus vitriolicus è quercu. 10. In cura polypi, denigratio à ſale vitrioli admoto exortà, nequaquam verò ab admotione ſpiritus vitrioli. 11. Atramentum ſcriptorium à ſpiritu vitrioli inſtillato nigrum colorem mutat. 12. Quæſita quinque proponuntur, occaſione data ex hiſtoria percurati mammę carcinomatis. 13. Hiſtoria Georgij Moltheri, de ſolatio carcinomati cuidam feliciter adhibito, ope vulgaris herbulæ, quam auctor Eryſimum fuiſſe coniectatur. 14. De Eryſimi aduerſus cancrum facultatibus, quid à variis proditum Scriptoribus. 5. Eryſimum eſſe remedium arteriacum non pœnitendum. 16. Plumbeam laminam valere ad cancrum exulceratum. 17. Vngenti de ſuccis, I. Caſ. Arantij, vis ad cancros ſanandos, cum eiuſdem vnguenti deſcriptione. 18. Formula ſex aliorum topicorum demulcentium, Arantio in cancris vſitatorum. 19. Tria ad cancrum ſingularia, ex Doringij Collectaneis deprompta. 20. Salis vitrioli ad carcinomata præſtantia, ex Minderero. 21. Butyri antimonij facultas ad carcinomata curanda. 22. Pulueris ſabinæ ad hyperſarcoſes exſtirpandas vſus. 23. An remedium vnum, quatenus tale, per diverſas vias operetur? 24. Num hecticis cathartica commodè adminiſtrentur? 25. An puluis Pretorianus, panaceæ loco in morbis haberi poſſit? 26. Quà ex re puluis iſte præparetur. 27. Quâ facultate hic ipſe puluis ſuperfluitates è corpore expellat. 28. De vſu tum Mercurij dulcis in arthritide, tum lapidis philoſophici, necnon Mercurij aurati emeticocathartici, Salæ. 29. De aureo vellere; inquiſitio. 30. Sexûs permutatio in gallina obſeruata.

D. DANIELI

D. DANIELI SENNERTO, MICHAEL DORINGIUS, D.

Scrupulos circa sudoriferorum initio febrium exhibitionem suprà tunc dos, remouet.

S De sudoriferorum, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, in febrium principiis, exhibitione, quod mecum faciliè consentis, gaudeo. Etsi verò quoad benignas febres non pauca obiici possint, quæ in *Nota mea ad Pollionem*, ipsemet tetigi: tamen si ad vitæ genus, & diætam prægressam tum ad id, quod magis vrget, incipientem videlicet putredinem, attendamus, ad sudoriferorum vsum magis animabimur? præsertim si aliàs febres malignæ frequentes sint. Si enim tunc sudorifera negligantur, & ab euacuantibus curationis fiat initium, quanto id cum ægrorum non tantùm salutis, sed & vitæ coniunctum sit detrimento, euentus dudum docuit; & subsequetur sanè in benignis commeatorum noxa aliqua: tanta tamen ea non est, vt vitæ periculum plerumque inducat. Hoc tamen suaserim, vt ante sudoriferum aluus clystere ad minimum eluatur; ni ipsa paulò antè sponte sponte officium fecerit. Et licèt discrepet à curandi hâc ratione vulgata practicorum doctrina: quid tum verò postea? Non enim in hac duntaxat re, sed in aliis quàm plurimis, manca sæpe, quandoque etiam à vero non parùm aliena esse animaduertitur. Attestatur mihi historia tua cancri exulcerati, vnius puluisculi vsu persanati? de quo infrà aliquid annotabo. De sudoriferorum debitâ administratione, vt proximè plura ex tuâ mente scribas, non dissuadeo: Interea tamen ea, quæ Angelus Sala in *Ternario Bezoardicorum, c.* 20. de causâ, & sede febris quartanæ proposuit, exquisitiùs expendas, iterum peto.

Vulgata Practicorum doctrina non semper aut perfecta, aut planè vera.

De Oxygalactis vsu obseruatio.

Vt autem tuo hortatu Practici aliquid in medium adferam, placet de Oxygalactis vsu nuperrimè in D. Keihlio obseruata tecum communicare. Is igitur è phthisi cum febre hecticâ per mensem vnum, atque alterum decubuerat. Accesserunt vigiliæ continuæ, sudores diaphoretici, alui deiectiones spontaneæ fœtidissimæ, quinæ, senæve quotidiè, calor febrilis intensissimus, summa faucium ariditas, & exulceratio, tam potulentorum, quàm esculentorum fastidium, maximúsque in faucibus etiam ab iis, quæ leniendi & humectandi vi pollebant, excitatus ardor; summa totius corporis extenuatio. Breuiter vnâ cum facie Hippocraticâ, reliqua omnia videbantur mortem breui subsecuturam certò prænunciare. Quid fit? Ipsemet in tantis angustiis constitutus, oxygalactis fortunæ incidit memoria. Bibit de eo initio tepido: sed nullo successu. Haurit ergo gelidum. Ecce! tunc calor remittere, sudores subsistere, aluus quiescere, & non nisi pro numero poculorum oxygalactis exhaustorum respondere, fauces humescere & sanari, appetitus redire, &c. cœperunt.

Variorum Practicorum de Oxygalactis facultatibus sententia.

Miratus euentum, auctores consului: Auicennam igitur *l.* 4. *fen.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. 6. & 7. Hecticis, & *l.* 3. *fen.* 10. *tr.* 5. *c.* 6. Phthisicis: Rhasen autem *l.* 3. *ad Mansorem, c.* 15. fluxum ventris ex acumine bilis rubeæ patientibus, corpúsque habentibus macrum, ac debile, id commendare deprehendi. Auicennæ subscribit Mercatus, *de febrib. l.* 5. & *de curatione morborum internorum, l.* 2. *c.* 9. vbi elegans ad phthisin ex oxygalacte, saccharo rosaceo, & bolo Armeno remedium docet. Rhasæ adstipulatur Rodericus Fonseca, *de tuendâ sanitate, c.* 18. Nimirum oxygala, vt Galenus monet, *l.* 3. *de alimentorum facultatibus, cap.* 16. calidam acremque qualitatem, ac facultatem, quam lac à sero suo habet, non ampliùs retinet, neque pinguem & mediocriter calidam, quam lac à pinguedine, quæ sibi inest, possidebat. In eius enim præparatione relinquitur maximam partem caseosa substantia, eáque ipsa non eiusdem naturæ, cuius ab initio fuit, sed ad frigidius conuersa, & humido aqueo diluta. Quæ ipsa repetiit Iulius Alexandrinus *salubrium, l.* 12. *c.* 6. & 9. Acrem autem qualitatem sero inesse, non ex eo tantùm liquet, quòd abstergendi, aluumque lubricandi, ob nitrositatem, vi polleat: sed etiam quòd linteamina è sero decocta & dealbata citiùs atterantur, quàm alia. Non itaque errauit Galenus, quando in suo *de proroganda vita tractatu, c.* 20. mihi *p.* 587. in hæc verba erupit: *magno oxygala esse auxilio in caloribus, ad temperandos internos æstus, febriumque ardores pestilentes, indubitata experimentis recentior medicina comprobauit.* Verò versatilia, iuxta Comicum sunt humana, & in iis nihil perpetuum; ita etiam D. Keihlio gaudium istud non fuit diuturnum, sed fermè duntaxat triduanum: cùm enim magnam conualescentiæ spem concepisset, & extra lectum per tres quasi horas in sella consedisset tremoribus artuum dolore lancinante crurum, difficili spiratione, & mentis quodam stupore ex improuiso corripitur, vt animam agere adstantibus videretur. Ab hoc paroxysmo cùm nonnihil releuatus esset mente abalienari cœpit, & nonnunquam tantum non furere. Durat ita mentis alienatio nunc in tertiam vsque septimanam, & suas habet cùm remissiones, tum exacerbationes. Miror phthisicum cum ea, vt & hæmorrhoidum fluxu satis interdum largo, tandiu superuiuere, cùm alias mortis soleant esse prænuncij; quod mihi in aliquot phthisicis antehac obseruatum. Bonus iste Keihlius malum hoc non parum exasperauit remediis sulphuratis, vitriolatis & therebinthinatis; quibus suasu VVoyselij se vsum esse nuper mihi proprio motu confitebatur; sed nunc se confessum esse non semel pœnituit. Ita sæpè in proprias ceruices ruimus. Et quis in phthisicorum hecticâ, (vereor ne subsit & putrida) non damnet inunctionem pectoris cum spiritu therebinthinæ? ne de internis remediis quid dicam. Ignea subinde erepuit VVoyselius præsidia; quibus vnis malum radicitùs exori deberet. Accendit equidem ignem, sed de restinctione eiusdem nunquam, de desertione autem Keihlij plurimùm cogitauit. Doleo huius vicem: tametsi à multis iam annis me deseruerit, & soli VVoyselio, tanquam idolo, adhæserit.

Spiritus terebinthinæ pectori illitus, phthisicus suspectus.

Quæ de vitriolo & alumine Schmidebergensibus scribis dubitatione non carent. Sit enim ita: nullas esse, aut fuisse hactenus illic fodinas metallicas, quin tamen forsan ibidem adhuc inueniri possint, si quis sumptus & labores impendere velit, haud dubito. Et cur non aquæ potiùs ferratæ affluentis, quam alni & quercus foliis in valle illâ longo temporis tractu cumulatis, mineralium illorum generationem adscribere mauis? ceu propinquiori eorum materiæ, tum efficienti: propter quod enim vnumquodque tale est, illud magis tale est, iuxta axioma topicum. Quis non aliter res hic habere videtur, atque cum lacu illo Scotiæ, de quo ex Ioan. Henrici Alstedij Encyclopædiâ, in *Viridario suo Hermetico-philosophico*, mihi *pag.* 91. scribit Michaël Potier, quòd scripto in eo positus, imâ sui parte, quæ luto mergitur, in ferrum; mediâ verò, quæ aquam tangit, parte, in lapidem commutetur. De quo Potieri scripto quid tibi videatur, quæso proximè significa. Inuitat alios ad lapidis philosophici reuelationem: qui tamen ipsemet eum nunquam præparauit, vt ex ipsiusmet propriâ confessione patet. Scire velim, an ipsum hac de re consulturus aliquis, & facile aditurus sit. Sed ad rem: Etsi verò aquæ ferratæ maximam ad producenda illa mineralia vim, atque efficaciam attribuendam esse censeam: nolim tamen interea obstinatè negare, quòd aliquid alni & quercus folia, ad eiusdem productionem conferant. Præterquam enim quòd materiæ loco esse possunt, alnus loca etiam amat vliginosa, quæ externo aspectu censere possis ferruginea; & tincturæ nigræ inseruit Cortex ipsius cum Iulis perinde, atque Gallæ & cortices quercus. Spiritum vitriolicum è querco prolici, ignotum tibi non est. Eadem salem participare vitriolatum, ex eo forsitam probare possim, quòd hic vnus nigredini extrahendæ sit accommodatus, ceu ante paucos menses tali experimento didici. Cùm enim in polypi benignioris curâ versarer, & pro restinguendo sanguine, qui nimio ad leuem contactum facillimè promanabat, adstringendâque carne flaccidâ & spongiosâ, puluerem è nuc. cupressi, cortic. granatorum, & gallis inspergi, & dein phlegmate vitrioli, cui de sale eiusdem aliquid commistum erat, vicissim purgari & abstergi curarem; ad ipsum contactum in momento quasi omnia denigrati visa sunt. Cum verò absumendæ carni præternaturali spiritum putarem esse vtiliorem, loco salis spiritum phlegmate attemperaui: cuius illitu nulla nigredo excitata sunt, vsque dum salis nonnihil adjeci. Quin & hoc aliquando expertus sum, atramentum scriptorium ab instillatis aliquot in vitro spiritus vitrioli guttulis nigrum colorem mutasse, & subcæruleum vel violaceum induisse.

Vitrioli & aluminis Schmidebergens. generationem aquæ ferratæ affluenti adscribendam esse.

Scotici lacus mirabilis facultas transmutatoria.

Alnum etiã & quercum, materiæ vice, ad mineraliũ genesin concurrere, probabile videri.

Spiritus vitriolicus è quercu.

In cura polypi, denigratio à sale vitrioli admoto exorta, nequaquam verò ab admoto spiritu vitrioli.

Atramentũ scriptorium à spiritu vitrioli instillato nigrum colorem mutat.

Historia, quam è litteris D. Ioh. Iacobi Reiteri repetiisti de cancro exulcerato persanato, vt notatu verè est dignissima, ita cognitu lectúque mihi fuit gratissima; gratior futura, si remedij, cuius ope, cura fuit absoluta, præparatio foret perspecta. Plurima autem sunt, eáque non contemnenda, de quibus aliquid mouendi & quærendi ansam præbet illarier ipsa historia. *Primum* est, an non præter sectionem, quæ ob causas à Galeno, *lib. de ocul. partical.* 6. *c.* 2. recensitas, non immeritò formidabilis? etiam extra illum famosum pulueem, aliud aliquod suppetierit remedium? Recordaris proculdubio eorum, quæ Georgius Moltherus de peregrino illo refert, qui VVerraflarie neglectissimæ cuiusdam herbulæ è proximâ maceriâ collectæ, & contritæ impositione, non primâ saltem vice duros, quibus à carcinomate miserum in modum excarnificata, plures quam trium mensium noctes continuè trahebat insomnes, cruciatus fœminæ cuidam sustulerit: sed & secundâ (cùm ei ab ingesto mali succi edulio, singulari tamen appetitu, post longa fastidia desiderato, dolores recruduissent) breui, ceu incantamento quodam iterum maximam partem sopiuerit, repetitâ eiusdem, quâ antea vsus fuerat, herbulæ recentis applicatione. Herbam autem quam adhibuit, eam fuisse scribit Moltherus, quæ vel Dioscoridis testimonio atque omnium adeò Medicorũ consensu ad carcinomata, & vlcera cacoëthe, quàm plurimùm valeat, cuius etiam Phanias Physicus olim, perinde vt Cato Brassicæ, ob multiplices virtutes, egregias laudes condiderit: licèt nobis, qui fastidiosè neglectis domesticis exotica & trans mare petita magis admiramur non tantùm spreta sit, sed etiam valdè exosa. Cogitanti verò mihi quænam fuerit hæc herba, opportunè tandem incidit *fasciculi remediorum* memoria, quem è Dioscoride & Matthiolo, congessit *Iustus Mollerus*, quemque tu olim vel eo nomine mihi commendasti, quòd Salomon Albertus eo familiariter vsus fuerit, & iuxta eius monitum medicationes instituendo, magnam sibi famam conciliauerit. Is igitur *capite* 549. è Dioscoride *l.* 2. *cap.* 152. refert; Erysimi, siue,

Quæsita quæ que proponuntur occasione datâ ex historia curati mammæ cancri.

Primum quæsitum.

Historia Moltheri, de sedato carcinomati dato, ope vulgaris herbulæ.

quam Erysimum fuisse conijcitur.

De Erysimi aduersus cãcrum facultatibus, quid à varijs prodatur scriptoribus.

Irionis semen ex aqua vel melle, cæcis carcinomatis vtiliter illiniti, Cataplasmata ad affectos cancrosos discutiendos ex semine Erysimi cum œsypo, & mulsâ, calidum imponendum proponit quoque Benedictus Textor, in *suo de cancri naturâ & curatione libello*, mihi p. 16. etsi ex melle tantùm antiquissimus Græcorum Medicus Archigenes tritum illini iuberet, teste Marcello Virgilio, in *comment. sup. Dioscorides*, iuxta ipsius distinctionem, *l. 2. cap.* 147. Quanquam verò cæcis duntaxat carcinomatis ea vsu esse docuerit Dioscorides, & post exulcerationem contra omnia huiuscemodi remedia, recrudescere monuerit Virgilius: tamen in exulcerato etiam à Peregrino illo fuisse adhibitum, vel inde colligo, quòd non tantum Moltherus ex propriâ mente scribat, malum etiam ab initio curatu difficillimum eo vsque inualuisse, vt debita remedia frustrà adhiberentur; verùm & iam Peregrinum testatum esse, ingratiis suis eò se esse deductum, vbi benè mereri, & professionis suæ specimen edere non liceat. Omninò enim de restituendæ sanitatis spe esse conclamatum. Quin è vestigio se fuisse recessurum, nisi & ægrotantis miseriâ, & liberorum condolentiâ cogeretur, solatij igitur causâ facturum, quod superesset.

Erysimum quarendum arteriacum praxi tendum.

De Erysimo, iuxta Vrbes, in ædificiorum ruinis, & cœmeteriis neglectâ plantâ hæc etiam e Schvvencafeldij *de stirpibus*, *l. 2. p.* 111. admouere, fas esse duxi; id simul arteriacum esse laudatissimum: quandoquidem asthmaticis, & infarctui pulmonum vocique raucæ, etiam diuturnæ, adeò præsenti sit remedio, vt fidem fermè superet: Sed hæc παρέργως.

Plumbeam laminam valere ad cancrum exulceratum.

Ad cancrum exulceratum laminam plumbeam maximæ & incredibilis esse efficaciæ, idem Textor *p.* 24. profitetur. Sanè scirrhosis tumoribus, quàm vtiliter imponatur, semel atque iterum propriâ experientiâ edoctus sum.

Vnguenti de succis, I. C. Arantij vis ad cancros sanandos. Vnguenti de succis descriptio.

Iulius Cæsar Arantius *libro de tumorib. p. n. c.* 41. vlceri curando nullum opportunius remedium excogitari posse scripsit suo de succis vnguento, circumstitis verò partibus, quæ dolore ac duritie correptæ sunt, demulcentia & humectantia accommodando, ita tamen vt vlcus nec attingant, nec comprimant, Scriptum hoc cùm tibi vix esse ad manus suspicer, non grauabor formulas ipsius describere. Vnguentum ergò de succis hæc est parandi ratio. ℞. *Rosacei optimi*, ℔. j. *ceræ candidæ nouæ*, ℥. viij. *folior. plantaginis, solani, hyperici, centaurij minor. sicci*, si viride desit, an. M. ij. Cera primum lento igne oleo liquescat. Addantur posteà herbæ, pridiè cælo sereno, orto iam Sole, loco ad orientem sito, æstate, vel autumno ipso ineunte collectæ; bulliantque donec probè decoctæ fuerint, posteà colentur, torculariqúe exprimantur, expressum verò abiectis herbis, denuò moderatè ferueat, quovsque omnis aquea humiditas absumpta fuerit, solidiusculamque vnguenti formam acquisiuerit: quo ferè iam refrigerato *camphoræ* puluerisatæ ℥. ß. inspergito, tamdiuque medicamentum agitato quo vsque sit frigidum, ac fictili vitreato vase, vel plumbeo, sectum conseruato. Demulcentium hæ sunt formulæ.

Formulæ ex topicorum demulcentium, Arantio in cancris vsitatorum.

1. ℞. *puluer. rosarum rubrar*, ℥. j. ß. *meliloti* ℥. j. M. & cum *vino dulci pauciferò* F. cataplasma molle; cui adde *luteos oua duos, ol. amygd. rec.* q. s.

2. ℞. *Radices altheæ* mundas in lacte vaccino, aut vino dulci vel aqua plantaginis decoctas, atque contusas, adde iis medullam panis contusam, & rosaceum, redigantur que in formam cataplasmatis, quod parti leniter insideat.

3. Efficax valdè & probatum in exacerbationibus. ℞. *Foliorum plantaginis* puluerisatorum, vel eius succi. *folior. solani puluerisator. sem. papaueris albi*, an. ℥. j. *carnis passularum vino dulci maceratarum* ℥. iv. *pulpæ ficuum decoctarum ex lacte* ℥. ij. *rosarum, violarum, farinæ hordei*, an ℥. ß. singulis in tenuissimum puluerem redactis tum *aqua, vel succo plantaginis, lacteue vaccino, ouillo, vel caprino*, interdum *vino dulci*, pro vt tempus anni, ætas ac temperatura postulare videbuntur. F. cataplasma molle, sicut electuarium, cui adde *pinguedinis anserinæ*, & *ol. amygd. dulc.* q. s. ac per æstatem, frigidum, hyeme tepidum admoueatur, & frequenter permutetur.

4. Simplex hoc magis probatum, quod è solis *radicibus altheæ* recentibus conficitur molle ac blandum, cui *amygdalinum oleum* tantùm adiectum.

5. Quoniam propter acrem partis sensum, cataplasmata ob pondus perferri nequeunt; tunc ad decoctiones confugere oportet, quibus lintea multiplicia madefacta apponuntur.

℞. *Meliloti, rad. altheæ, flor. chamameli. sem. lini* an. M j. *fol. plantaginis, solani, portulacæ*, vel eorum *succi*, an. ℥. ij. *capitum papau. albi, cum semiuib. N. v. fol. lactucæ, violarum*, an M. ß. *flor. nenupharis albi*. M. j. ß. Ex his omnibus, vel quibusdam, fiat decoctio in aqua vel sero lactis vaccini, q. s. ad herbarum decoctionem. Probè enim mulcere solet, ac doloris sæuitiam lenire.

6. Magno etiam vigente feruore, medicamentum ex *solani succo* & *lacte*, eâdem ratione prodest. Hactenus Arantiana.

Tria ad cancrorum singularia, ex Doringij Collectaneis.

In meis *Collectaneis* tria sequentia ceu singularia reperta sunt. 1. ℞. *primum virginis menstruum*, & forma ex eo cum colophonia, (*hartz* Germanicè enim remedium istud descriptum est) emplastrum, discutit, sanátque, & alij vsui reseruari adhuc potest. 2. ℞. *Bufonem, cancrum, talpam*, an. No. j. Comburantur in puluerem, quando ☉ intrat in cancrum, & inspergantur. 3. Capiti mortuo vitrioli, affundatur oleum oliuarum vel lini: vbi semel in infusione per dies 6. steterint, F. olei destillatio. Posset eidem misceri aliquid de sale vitrioli, illinatur cum pennâ.

Salis vitrioli ad carcinomata, præstantia, ex Minderero.

Vitrioli sal sinus, fistulas & carcinomata repurgare, gangrænam educere, atque vlceribus malignis ac putridis, quæ cacoëthe vocantur, præsenti remedio esse, & mira in iis præstare; ac perficere, grauissimus auctor Mindererus in *Disquisitione Iatrochymica de chalcantho*, *c.* 8. memoriæ prodidit. Quando igitur *vnguenti de succis arantij* ℥. j. salis vitrioli ℈. j. vel ʒ. ß. admisceri præcepit; cancro vtique sanando multò efficacius id reddidit.

Butyri antimonij facultas ad carcinomata curanda.

Circa primum istud quæsitum hoc adhuc addere lubet, quid tibi videlicet videatur de Butyro, vt appellant, antimonij? numquid eo non labia corrosâ vtiliter illini, & per ea mortificata tolli possint? Sanè non ignoro constantem esse omnium propè auctorum consensum, quòd cancer per caustica exacerbetur: tamen si ingredientia spectemus, antimonium nimirum, & Mercurium, minus fortasis vsum ipsius formidabimus.

Actor *Basilico antimonij*, docet, quòd si labia gangrænæ & sphaceli eo illiniantur, malum non ampliùs proserpere, ipsáque sectio commodiùs administrari possit. Addit insuper, quòd carbunculus pestilentialis oleo isto circumscriptus, paulatim excutiatur; cuius cauerna deinceps sarcoticis & consolidantibus medicamentis expleri; & persanari queat. Confirmat me etiam in hac sententia polypi, de quo etiam supra, absumptio, illitu istius olei, sed post debitam corporis euacuationem, & decocti radicum Chinæ vsum, (quibus affluxus prohibitus fuit, vt nec exsereret amplius polypus, qui totam naris sinistræ cauitatem replebat, nec sanguine tactus stillaret) procurata, cùm nec pastilli ex alumine vsto, cum aqua plantaginis, in mortario plumbeo continuò agitato, formati, (quos D. Kirstenius pro singulari secreto in hoc casu collaudare perhibebantur) nec spir. vitrioli, nec sulfur, nec Mercurius præcipitatus (quæ alij authores eatenus commendare solent) quicquam profecissent. Nunc in exstirpanda versamur radice, quæ vsum illius olei ferre recusat, propter dolores, quos excitat insignes. Periculum facturi an puluis sabinæ eam excisurus sit? quem Alfonsus Ferrius *peculiari tractatu*, *c.* 9. ad caruunculam collo vesicæ adnatam absumendam, toque ipsa *l.* 5. *Institut. part.* 1. *sect.* 2. *c.* 13. ex Hieronymi Fabricij authoritate, non hanc solùm, sed & thymos, in quacunque corporis parte auferendos, ceu singulare quoddam secretum commendastis. Tantum de primo quæsito. In cæteris futurus breuior.

Pulueris sabinæ ad hypersarcoses exstirpandas vsus.

Secundum quæsitum. An remedium vnum quatenus tale per diuersas vias operetur?

Secundum est: Num detur remedium, quod quatenus tale per diuersas vias operetur? Nosti enim & in hac re Chymicis cum Dogmaticis non conuenire. Dixi autem quatenus tale: Nam vel ex vsurpantium errore, vel ipsius materiæ diuerso, ad diuersa emunctoria motu, diuersimodas operationes non rarò subsequi, insitatum non est. Puluis tamen ille Prætorianus pro Chymicis concludere videtur, vt qui primò per vomitum mox per sudorem operatus fuisse dicitur. Purgatio per aluum post aliquot demum dies facta, num pulueri potius vel ipsimet naturæ de hoste iam triumphanti, & robur per illum puluerem adeptæ, adscribenda sit? non immeritò fortassis quis dubitare possit. Tu breuibus sententiam tuam mihi aperi.

Tertium quæsitum. Num hecticis cathartica commodè administrentur?

Tertium est: Num hecticis atrophiâ, & virium imbecillitate laborantibus cathartica commodè administrentur? Quicquid enim corpori aliàs debili maiorem debilitatem inferendi vim obtinet, id iure optimo intermittendum. Cathartica talia sunt. Ergo, &c. Hippocrates igitur *s.* 5. *aph.* 14. tabidis profluuium alui superueniens lethale esse dixit; ipséque Heurnius in *huius loci comm.* §. 2. Practicos, per hæc admonitos scripsit, vt summâ religione in talibus pharmaca præscribant, ac caueant, ne validis aluum moueant. Nec refert, si vel maximè excipias, Hippocratem hîc de phthisicis agere. Perinde enim vt in his, sic & in illis medicamenta deiectoria vires deiicere apta natâ sunt. At enim verò Prætorianus ille puluisculus tantùm abfuit, vt vires deiecerit, vt potius iuxta D. Reiferi testimonium à primâ ipsius assumptione adeò benè statim ægra habuerit, vt eum ipsamet meritò etiam tum miratus fuerit: Scilicet nobilioris, ac diuinioris conditionis quàm volgaria cathartica fuit.

Quartum quæsitum. An puluis Prætorianus panaceæ loco in nobis haberi possit? Matthiæ Erbinæi de prædicto puluere relatio.

Hinc *quartum* pullulat quæsitum; An non puluis iste Panaceæ instar, in morbis præsertim Chronicis, haberi possit? Profectò cùm ex desperatis illis duobus diuersis casibus tam mira præstiterit, quin in alios etiam vsus vtilissimè adhiberi valeat, extra omne dubium positum esse arbitror. Ipse Prætorius, quod Panaceæ loco eum habeat, hinc colligo. Fuit enim nuper apud me D. Matthias Erbinæus, natione Bohemus Basiliæ olim familiariter mihi notus, Practicus hactenus Posoniensis, nunc verò Viennam Austriæ habitationem translaturus, & ibidem Praxin exercitutus. Is referebat, se non itadiu in montanis Bohemicis oppido sedecim milliaribus hinc dissito. Chymicum quendam, cantoris munere illic fungendum, (cuius, vti & oppidi nomen propalare nolebat (famâ adeò celebrem, vt hinc inde ad ipsum litteræ de Chymiâ mittantur, accessisse, & apud eum litteras Prætorianas offendisse, cognouisseque è cantore, quod Prætorius ille solo illo puluere vltra sex florenorum millia lucratus fuerit: cùm eum proculdubio in deploratissimis affectibus feliciter vsurpasset.

Interro-

Interrogatus à me num quid cantoris illi, de præparatione aliquid innotuiſſet? reſpondit; eum, loco, neſcio cuius tincturæ transmutatoriæ, è Mercurio conficiendæ, illam extorſiſſe. Interrogatus denuò; numquid & ſibi de eâ aliquid conſtaret ſubiecit: conſtare ſibi quidem, ſed ægerrimè, & non niſi, treſcentis cuiuſdam Lunaris, quæ fixam Lunam exhibeat, communicatione obtinere ſe potuiſſe.

Quintum quæſitum: Qua ex re puluis iſte nobilis præparetur.

Quintum ergo nunc oritur *quæſitum*; è qua videlicet re nobilis illa Medicina præparetur? D. Eibinæus ſuper hac re diu multumque à me ſollicitus, tandem ad te ſcriberem, mandauit, vt certò crederes, puluerem illum nihil eſſe aliud, quàm Mercurium cum ☉, ſed immaturo, nempe minerâ ☉ (quod ☉ vulgari multò ad hoc opus ſit præſtantior) amalgamentum, & dein certo artificio præcipitatum. Cum regererem; me iſta reuelatione non multùm grat æ apud te meriturum: rogare igitur me, ne te diutius ſuſpenſum detineret, ſed ipſum met artificium liberaliter communicares: cà ſe id lege demum facturum promiſit, ſi ſingulare aliquid ἀντίδωρον loco à te viciſſim reciperet. Admonitus, vt, ſi communicare id vellet, gratis, nec ſpe lucri faceret, præſertim cum nihil ipſi ſic periturum eſſet, vale mihi dicens, diſceſſit, & poſtquàm Schvvidnicio (illò enim neceſſitate ſibi proficiſcendum eſſe prætendebat) ad nos reuerſurus eſſet, ſe iterum ad me venturum pollicitus eſt: cuius aduentum adhucdum auidè expecto.

Plura expiſcari non valui. Hic ipſa Eibinæus nouam *antidotarij Auguſtani* editionem meditatur, nobilitandam è ſe ſecretioribus remediis ſpagyricis? Optarim etiam tandem in lucem prodire Bartholeti *antidotarium Chymico-dogmaticum*, cum ipſius libro *de compoſitione medicamentorum ſecundum Hermeticos*. Non enim dubito, quin multa recondita in illis ſcriptis detecturus ſit. Remedij illius præparationem, ſi aliunde nanciſci potſsis, operæ nulli parcas, velim. Sperarem enim me eodem non parùm adiutum iri aduerſus inſultus podagricos, qui me recentiſſimè, per duas iterum ſeptimanas domi continuerunt, & nunc, tametſi præterito die Dominico primùm domo egreſſus ſim, neſcio, quam recidiuam minantur: videtur namque talis eſſe medicina, quæ non inſtar aliorum catharticorum, ſiue trahendo, ſiue irritando; ſed ipſam inprimis naturam roborando, noxias ſuperfluitates è corpore expellit. Idem D. Eibinæus nunciabat ægiuræ Morauorum duos arthriticos vſu Mercurij dulcis ad præſcriptum Mayeri eſſe reſtitutos. Ego tamen nolim in meme curam iſtam experiri, cùm effectus ipſius non ipſe ſolùm in proprio corpore, meo malo deprehenderim, ſed & in alio ante annum obſeruauerim. Magis placeret vſus lapidis philoſophici, à Fiorauanto ſic appellati, & ab ipſo in *Corona Medicina*, *l. 2. c. 2.* deſcripti, quem Angelus Sala in *ternario bezoardicorum*, *cap. 10. Emerologia*, p. 235. & in *Synopſi Aphoriſmorum Chymiatricorum*, *ſect.* 2 *aphor.* 34. commendauit; ſed hac adiectâ admonitione, vt bene præparetur, & ſpiritus aquæ fortis corroſiui diligenter ſequeſtrentur. Lapidi iſti non abſimilis eſt Salæ Mercurius auratus vomitiuo catharticus, in *ſpagyrica recenſione ſeptem planetarum terreſtrium*, mihi *pag.* 80. plenè deſcriptus: quò te ablegatum volo.

Qua facultate puluis Prætorianus ſuperfluitates è corpore expellat.

De vſu Mercurij dulcis in arthritide.

De vſu lapidis philoſophici in eodem affectu.

De vſu Mercurij aurati emetico-cathartici. Ang. Sala.

De aurei velleris præparatione inquiſitio.

His diebus quid de aureo fieret vellere, apud Pharmacoporum inquiſiui, Contemplatus vaſcula & ecce! Rorem majalem; qui ante annum effuſus flaueſcebat, nunc inſtar aquæ fontanæ limpideſcere deprehendi, lateribus vaſculorum nihil adhærere; circa fundum in vno, atque altero vaſculo cryſtallos albicantes tenuiſſimos, florum Benzoini annulos, ipſáque auri foliata cemenra ſimitate conſpexi. Dubito ferè, an de aurea illa lana aliquid adepturi ſimus? Cryſtallos illos ſuſpicor à rore majali concreuiſſe.

Sexus permutatio in gallina obſeruata.

Volebam quidem nonnulla, de ſexus permutatione etiam mouere, cùm mihi anſam ſuppeditaret gallina domeſtica, quæ non tantum gallum cum cantu, tum alarum crepitu egregiè repræſentaret; verùm etiam mactata prægrandes, ceu gallus aliquis, teſtes habere viſa eſt: ſed ſcriptionis vela contrahere iubent alia negotia. Tu interea iſtam prolixitatem tibi moleſtam eſſe noli, & per ocium de ſingulis tuum iudicium mihi expone. Dabam Breſlæ, die 5. Iohannis Profeſto, Anno 1622.

EPISTOLA XXXIX.

PERIOCHE.

1. *Remedia arthritico cuidam à Sennerto ordinata.* 2. *Remediorum effectus.* 3. *Antidotarium quomodo colligendum.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SPerturbauit me reditus noſtri Rhedaij, *Clariſſime Dn. Affinis & Compater plurimum honorande*, non ſolùm quòd nihil à te literarum ſecum attulit; verùm etiam quòd iterum arthritide te decumbere nunciauit. Certè doleo, iam iſta ætate te toties hoc malo conflictari, & libenter conſilio te iuuarem, ſi quid ſingulare, & aliis non cognitum ſuppeteret. Verùm, quod nuper ſcripſi, rari, aut ferè nulli apud nos ſunt arthritici. Ideóque ea ſaltem, quæ in libris Practicorum occurrunt, mihi nota ſunt; peculiare nihil experientia me docuit. Eſt tamen Conſul quidam in vicinia, qui antea totos ferè ſemeſtres arthritide decubuit. Ei ſequentia ordinaui.

Remedia arthritico cuidam à Sennerto ordinata.

1. ℞. *chamædryos, gera, chamæpit. rhapontici veri, centaurij minoris, gentiana, ariſtolochia rotunda, an.* ℨ. j. *cum therebinthina cypria* ℔. *pil. è* ℨ. iß. no. xxx. De quibus ſingulis diebus manè ſumſit, 6. 7. 8.

2. *Pilul. è pilul. tartareis Quercetani cum extr. ſcammonij, & aloe roſacea* mediocres ſingulis menſibus bis vel ter, horâ vnâ ante cœnam ſumſit ea. 14.

3. Quandoque etiã vſurpauit *pilulas marocoſtinas Minderert.*

4. Tandem etiam *electuarium ex conſerua anthos, chamæpithyos, betonica, flor. ſambuci*, ac (*cum ad ſcorbutum & melancholiam inclinaret*) *cochlearia, & confectionem alkermes* vſurpauit.

Remediorum effectus.

Atque ita factum, vt aluus, quæ prius perpetuò aſtricta erat, laxior redderetur, & ſudores matutini ſatis copiosè erumperent, atque ille ſatis diu à morbo liber maneret. Animaduerteis verò, me hic ſecutum eſſe puluerem illum, & electuarium antipodagricum, antiquum medicamentum, cuius variæ deſcriptiones extant, ſub nomine *Cratonis, Monauij, Eraſti, Donzellini*, cuius tamen horum nullus Author eſt. Videbis, quid è re tua ſit.

Antidotarium quomodo colligendum.

Feceram etiam nuper antidotarij mentionem, Ab ſuius collectione me dehortaris. Et agnoſco, me antea plus laborum ſuſcepiſſe, quàm ſuſtinere poſſim. Verùm ſi in propoſito noſtro perſiſtimus, putarim fine multo labore tale quid colligi poſſe; ſi nimirum vterque purgantia, alterantia, &c. medicamenta, quæ in praxi in familiari vſu habet, quæque in lectione Auctorum incurrunt inſigniora, annotaret. Ex quibus poſtea facilè antidotarium concinnari poſſet. Operi Practico præmittendum, vt in ipſa Practica non opus ſit, medicamenta talia prolixè deſcribere, vel ſæpius repetere. Sufficeret, ſi nominaretur ſaltem, & locus in antidotario allegaretur. De quo tuam mentem proximè mihi aperias. Et cùm, vt ſpero, hac æſtate practicæ lectioni primæ finem impoſiturus ſim, ſi quid circà ſecundam adornandam monendum tibi viſum fuerit, liberè facias, oro. Bene vale cum tuâ, quam è Nobis ſaluta. VVittebergæ, 19. Iun. Anno 1622.

EPISTOLA XL.

PERIOCHE.

1. *Doringius ſingularem Sennerti erga ſe affectum agnoſcens de arthritide qua conflictatur queritur.* 2. *Laus antidotorum Aetij.* 3. *Examen ingredientium pilularum Sennerti.* 4. *Chamadrys Arthriticis & Iſchiadicis commendatur.* 5. *Decoctum chamadryos iuxta Solenandrum.* 6. *Decocto chamadryos vtendi modus.* 7. *Decoctum chamadryos cur proſit?* 8. *Chamæpitys frigidis cerebri neruorum & articulorum affectibus opitulatur.* 9. *Ariſtolochia rotunda Podagricis ſalutaris.* 10. *Centaurium minus Iſchiadicis & arthriticis medetur.* 11. *Rhaponticum pro eorundem medela non inutiliter admiſcetur.* 12. *An Pontico Rhabarbarum rectè ſubſtituatur?* 13. *Gentiana cum præcedentibus communes poſſidet facultates.* 14. *Terebinthina Cypria vſus.* 15. *Cur Terebinthina vehiculum ad articulos addendum?* 16. *Vehiculum illud quodnam?* 17. *Cur pilula Sennerti tam vtiles fuerint?* 18. *Sudorum matutinorum vtilitas.* 19. *Prognoſticon imminentis arthritidis.* 20. *Multitudo & frequentia remediorum non ſemper vtilis.* 21. *Purgantium frequentia non ſemper tuta.* 22. *Arthritici quomodo tractandi?* 23. *Doringius quomodo ſit conſtitutus?* 24. *Pilula Sennerti quomodo corpori Doringij magis idoneæ reddendæ?* 25. *Hyperici ſemen Iſchiadicu*

dicis ſaluberrimum. 26. De ſemine hyperici obſeruatio. 27. Oſſa combuſta inueteratum morbum curant. 28. De radice cichorij. 29. Santali rubri vſus. 30. Vis diuretica quomodo infringenda? 31. Formula pilularum Doringij corpori idonea. 32. Caliditas pilularum quomodo adhuc magis corrigi poſſit? 33. Quo tempore Arthritis alios & quo Auctorem affligat. 34. Quid in vſu pilularum obſeruandum? 35. Diacorallium quia in vſu eſſe deſijt. Arthritis non facilè curatur. 36. Cur veterum remedia vbique locorum non ſemper aqualiter efficacia? 37. Conditiones therapeutica. 38. Antiquorum praceptum circa vſum medicamentorum antipodagricorum. 39. Tralianus qualiter ſuum Diacorallium exhibuerit? 40. Qualiter ſuum puluerem VVecherus? 41. Qualiter Crato? 42. Iudicium ſuper modo vtendi puluere antipodagrico Cratonis. 43. Quem vtendi modum ſuarum pilularum obſeruaturus ſit Doringius. 44. Ad quos morbos alios eadem vtiles ſint? 45. Auctor qualiter circa Diatam ſe geſturus? 46. Abſtinentia à vino arthriticis ſalutaris. 47. Vinum medicatum ſalubre. 48. Gallinarum caro arthriticis noxia. 49. Galli cur arthritidi obnoxij? 50. Acetum quatenus arthriticis concedendum? 51. Crato annon ſibi contrarius circa vſum acidorum? 52. Spiritus & oleum vitrioli quatenus Arthriticis concedenda? 53. Venaſectionis vtilitas. 54. Purgantia validiora pro praſeruatione incommoda. 55. Rhabarbari laus. 56. Rhabarbari nauſeabundus odor & ſapor quomodo corrigendus? 57. Vis Rhabarbari nimia trituratione perit. 58. Iudicium Doringij de pilulis Marocoſtinis Mindereri. 59. Pilula ex ſarſaparilla Andrea Laurentij. 60. Aloë arthriticis vtiliſſima. 61. Aloë quibus noxia. 62. Cardanus inuehitur in Galenum propter vſum aloes. 63. Aloe an Auctori proficua futura? 64. Auctor quas conditiones circa vſum aloes requirat? 65. Cur nonnulli ab Aloe tantopere laſi fuerint? 66. Cardano Galenum propter vſum aloes perſtringenti reſpondetur. 67. Aloe ventriculo proficua. 68. Sena ventriculum roborat. 69. Amara ad ſatietatem conducunt. 70. Cardanus ſibi ipſi contrarius. 71. Purgantia ante cibum data dimidia doſi quàm efficacia? 72. Modi aloem praparandi. 73. Quantum de ſucco roſarum addendum? 74. Auctor quoties aloe vti velit. 75. Scammonea pracipitata pro electiuè purgante vſurpanda. 76. Forma pulueris commodè non datur. 77. Antipodagricum ſpecificum Petrai. 78. Auctor in Secretiſtas inuehitur. 79. Oleum antimonij Arthriticis ſalutare. 80. Auctor magnum ad pracauendam arthritidem emolumentum ex puluere Pratoriano ſperans eiuſdem praparationem expetit. 81. Inconſtantia D. Erbinai. 82. Quid de externis roborantibus articulos pro praſeruatione ſentiendum? 83. Cur articuli defluxiones ſuſcipiant? 84. Praſeruatio in quibus potiſſimum conſiſtat? 85. Quid praſente paroxyſmo faciendum? 86. Caroli quinti Dicterium. 87. Auctor cur de Topicis minus ſit ſollicitus? 88. Obſeruatio de ſcobe radicula in colica. 89. Obſeruatio de betonica. 90. Polypi remedia.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SQuod meo iſta ætate, Cl. Dn. *Affinis, & Compater honorande*, toties cum arthritide conflictari doles, & conſilio libenter iuuare, ex eo ſingularem tuum erga me affectum abundè cognoſco; pro quo vt gratias officioſiſſimas tibi ago, ita reciprocum amorem certò ſpondeo. Qui affectus quantopere me angat, quantóſque ſumtus tempore hoc difficillimo equis alendis impendere cogat, ipſe haud difficulter æſtimare poteris. Pro communicatione remediorum, quibus Conſul ille in vicinia veſtra plurimùm adiutus fuit, gratias condecentes ago. Scripſi ad te ante triennium geminam pulueris antipodagrici formulam, ad cuius, nec non eius, qui eſt apud *VVeckerum in ſyntax. Medic. l. 2. part. 2. p. 629.* & *Steghium Med. pract. l. 13. c. 12. p. 509.* vti & illorum, qui habentur inter *Cratoniana Conſil. 148. 216. & 229.* imitationem tu pilulas quaſdam cum terebinthina Cypria ordinaſti: quales ex parte item ſunt, quas deſcribit *Platerus prax. tractat. 2. p. 721.* Pulueres autem illi, maximam partem conueniunt cum antidotis *Aëtij*, quarum vnam ex hyperico, alteram è centaurio inſcripſit, ambaſque tam efficaces eſſe prodidit, vt illa quidem duritiem inſtar tophorum in articulis quibuſdam per vim morbi coactas diſſoluerit, hæc etiam per quindecim annos hoc malo laborantes ſanitati reſtituerit. Conſentiunt iis, quæ habentur apud *Rhaſen in continente, lib. 26. c. 2. mihi fol. 289. col. 2. & 3.* Remedium tuum æquè ac pulueres illos & antidotos, ad præcauendam arthritidem, non contemnendarum eſſe virium, nemo dubitabit qui ingredientia ſeorſim diligentius inſpexerit, vireſque ipſorum cum indicantibus contulerit. *Chamædrin* enim arthriticis iuxta, & Iſchiadicis commendarunt *Dioſcorides in Euporiſtis, Marcellus Empiricus, & Apuleius.* Horum itaque authoritate fortaſſis perſuaſi, quidam de ipſius in vino albo decocto, ſexaginta diebus continuis, manè tribus horis antè prandium hauſtum mediocrem bibitum magnis laudibus contra podagram extulerunt; dummodo corporis purgatio præceſſerit. atque æger ab acidis, & valdè ſalitis cibis abſtinuerit. *Solenander ſect. 4. Conſil. 25. p. 419.* hoc modo præparari volt. Accipe *vini Rhenenſis quartas menſurales* (quot libras quartæ hæ capiant, non exprimit) *duas, aqua puriſſima quartam dimidiam*, (quod ſi in ea auri fruſtum, aut lamina ignita aliquoties extincta ſit, melior eſſet.) *Mellis roſacei puri quartæ vnius ſextam, vel quartam partem.* Coquantur ad carbones in fictili, & deſpumentur; tum addo *chamædryos M. iv. chamæpithyos, M. ij. herba paralyſeos M. j.* Seleѓta cuq. in duplici vaſe horas iij. Decocti iſtius manè ſumendus hauſtus, continuanduſque ipſius vſus dies plures ad 60. Id fieri poſſet aut hyeme, aut primo vere, Aprili & Majo menſibus, corpore prius expurgato. Probatum hoc arthriticum medicamentum eſt, & cæteris viſceribus & membris innoxium. Hoc ipſum medicamentum *Carolo Quinto Imperatori* à Medicis Genuenſibus, ceu experiſſimum in plurimis fuiſſe communicatum, è *Veſalij libro de China decocto* recenſet *Camerarius in Matthiolo Germanico, l. 3. c. 74.* Id autem ideò prodeſſe putat *Schneebergerus in Euporiſtis contra arthritidem, p. 37.* quod vrinas prouocet, qualia *Rhaſes* in hoc affectu vel maximè conducere, ipſorumque vſum homines è lecto erigere ſcripſerit. Ego tamen non hanc, ſed obſeratorum meatuum apertionem, & ſpecificam quandam virtutem, præcipuam ſanationis cauſam exſiſtere opinor: ſiquidem, vt de catarrhorum generatione non inſcitè diſſerit *Foreſtus Obſeruatione 5.* (deſumpſit ex *Hippocrate, libro de flatibus*) reſeratis communibus viis, flatibus liber patet exitus, nec opus eſt, vt ſurſum ferantur, humoreſque ſecum ad caput deuehant: *Solenander* vinum illud tam diuretici, quam ſudorifici vices ſupplere poſſe ait. Craſſum enim humorem, inquit, attenuat abſumitque, per vrinam ſuperfluum excernit, & ſi fortè per ſudorem non euidentes, ſaltem per inſenſibilem tranſpirationem excludit, cunctaque viſcera interna, & neruoſum genus omne roborat habituique neruoſo quaſi tonum quendam impertit.

Chamæpithys præterquam quòd eaſdem Indicationes complet, omnibus frigidis cerebri, neruorum, & articulorum affectibus opitulatur, aluumq; cum fico in pilulis ſumta emollit, Auctore *Dioſcoride Schneebergerus ibidem, p. 39.* è *Lobelio* refert, pilulas ex vnæ ſiue chamæpithyos puluerifatæ ℨ.j. cum ſ.q. therebinthinæ lotæ formatas, in omni articulorum dolore vtiliſſimè exhiberi, permultis arthritidi obnoxiis in præcautione & curatione maximoperè eas profuiſſe, atteſtatur *Steghius loco citato, pag. 506.* *Ariſtolochiam rotundam* podagricis ſalutarem eſſe monuit *Galenus l. 6. ſimpl.* quippe quæ dolores ab infarctu & crudorum flatuum craſſitie oriundos magis, quàm longa, perſanet. Quæ cum *Meſues teſtimonio, l. 2. de purgant. ſimpl. c. 27.* pituitam, & cerebrum, quin & quorundam ſententiâ bilem expurget, multò adhuc vtilior inſtituto iſti futura eſt. Confirmat purgandi facultatem *Camerarius in Matthiolo, l. 3. c. 7.* Sed doſin ℨ.iij. præſcribit. Apud *Rhaſen* igitur *in continente, l. c. fol. 293. col. 2.* legitur, quod ariſtolochiæ longæ ℨ.ij. cum ℥.ß. mellis diſtemperatam, & per dies in menſe (ita ſonant verba ipſius. Integrum autem fortaſſis mêſem innuit.) bibitæ podagram tollant. *Gualtherus* etiam *Commentariolo de ægritudinibus iuncturarum, c. 29.* ait. *Si tam vere, quàm hyeme, ariſtolochia rotunda,* ℨ.j. *cum aqua mellis, per menſem continuè podagricus biberit, eum nunquam podagra inuadet.* Ad hæc *Sigiſmundus Kolreuterus tractatu de arthritide, c. 8. p. 52.* docet, ariſtolochiæ rotundæ ℨ.ij. vtiliter præberi aliquoties vere & hyeme, quia paroxyſmum prohibeant. *Centaurium minus* Iſchiadicis & arthriticis mederi, *Dioſcoridis, Galeni, Aëtij, & Aegineta* auctoritatibus cõmunit *Schneebergerus, pag. 33.* Apoplecticis, epilepticis, paralyticis, &c. magno vſui eſſe, cùm humores deorſum ad inteſtina potenter trahat, annotauit

Laus antidotorum Aëtij.

Examen ingredientium pilularum Sennerti.

Chamædrys arthriticis & Iſchiadicis commẽdatur.

Decoctum chamædryos iuxta Solenandrum.

Decocti chamædryos vtẽdi modus.

Decoctum chamædryos cur proſit

Chamæpitys frigidis cerebri neruorum & articulorũ affectibus opitulatur.

Ariſtolochia rotunda podagricis ſalutaris.

Centaurium minus Iſchiadicis & arthriticis medetur.

annotauit *Camerarius in Matthiolo l. 2. c. 4.* Quid de antidoto è centauriis pollicitus sit Aetius, dictum est superius. Centaurium minus ad Flatus circa hypochondria discutiendos egregie conferre, *in Institutionibus suis l. 5. part. 1. sect. 2. c. 15.* primò omnium, quod sciam, legi, quo nomine non tantùm catarrhis prohibendis, sed etiam orgasmo humorum præcauendo vtile fuerit: quæ duo ad inducendam Arthritidem maximi alias esse momenti, non negabis. Scio, inquit *Solenander loco nominato*, qui articulari morbo affectis dabat quotidie decoctum centaurij minoris, & ceterach, duas æquis portionibus aquæ fontanæ cum melle incoquebat, eoque modo, phlegmate mucilaginoso subducto, ægros curabat. Bilem id etiam expurgare, nemini non notum est. Meo itaque corpori non minus ex vsu erit. *Rhaponticum* non inutiliter quoque admisceri, siue verum, siue Officinis vulgò ita dictum, quod Centaurij maioris radix est, sumatur, ex vtriusq; facultatibus abundè constat; quæ vtrobique ita sibi sunt similes, vt vulgare in veri locum citrà aliquod erratum substituatur. Si tamen verùm præstò sit, idipsum eligere item præstiterit. Etsi verò alij pro vulgari *Rhabarbarum* subordinare malint; tamen cùm in Pontici succedaneo non tam ad facultatem purgandi, quàm aperiendi, incidendi, discutiendi, & adstringendi (quâ Visceribus robur adaugetur) respiciendum sit, quibus omnibus vulgare præcellit; *Aetiusque* Antidotum ex vtroque Centaurio tam eximie celebrauerit, rectius, meo iudicio, fiet, si vulgare retineatur.

Rhaponticū pro eorundem medela non inutiliter admiscetur.

An Pontico Rhabarbarū rectè substituatur?

Gentiana tametsi priuatim inter specifica aduersus Podagram à nullo Auctore, quod sciam, numeretur, cum iisdem tamen cum præcedentibus facultates possidet, aperiendi, vrinas mouendi, incidendi, resoluendi & discutiendi; peculiarem verò ventriculum roborandi, eiusque Coctiones promouendi, quæ certè hoc in casu non minùs, quàm reliquæ, necessaria, vt liquet è *Discursu meo Anno decurso mense Augusto* ad Te exarato. Superest *Therebinthina Cypria*, quæ non tantùm reliquorum specierum vnionis, sed & pituitosorum humorum incisionis, abstersionis, & expurgationis causâ à te adiunctam censeo. Eius plures se fecisse experientias fatetur *Kolrenterus de arthritide l. c. p. 48.* Eandem ad Arthritidem frigidam curandam esse aptissimam testatur *Campolongus suo de Arthritide libro c. 57.* vtpote quæ tum frigidam intemperiem tollat, tum redundantem humorem, seu vaporem discutiat, eundemque præduram emolliat.

Gentiana cum præcedentibus communes possidet facultates

Terebinthinæ Cypriæ vsus.

Quia verò Therebinthina diureticum est medicamentum: idcirco ne ad vias Vrinæ potius, quam ad articulos affectos feratur, vehiculum aliquod ei admiscendum censet *Campolongus*; quod ipsam à viis vrinariis auertat, & ad articulos deducat; cùm alioquin, licet fluentem ad Articulos humorem per vias Vrinæ euacuet, eum tamen, qui iam influxit, non discutiat, duritieme emolliat, aut frigidam Articulorum intemperiem tollat. Vehiculum autem illud *Ius* puluerem esse dicit. Quare tandem concludam, cùm pateat, non *Iuam* duntaxat, sed & alia insuper ingredientia vtilissima, & Indicationibus Arthriticis decentissimè respondentia, Pilulas istas tuas ingredi, non potuerunt non illi tuo ægrotanti esse quàm maximè proficuæ, quippe quibus valdè acceptum refert, cùm quòd aluus ipsi reddita fuerit fluidior, tum sudores matutini satis copiosè eruperunt. Equidem verissima scripsisse *Cratonem Consil. 224.* Egomet ipse non semel comperi, quòd vtilissimum sit Podagricis, vt singulis diebus manè in lecto sudent, et si non consueuerint; facere adsuescant: quandoquidem serosi humores plurimùm Podagricis nocent. Rectissimè ergò fecit *Carolus Piso, dum libro de Morbis è serosâ colluuie ortis p. 390.* Intrepidè fassus est, se credere, quod in sero per cutis spiracula siue insensili expurgatione sola præcautionis omnium fluxionum Arthriticarum momentum omne positum sit. Verissimum quoque eiusdem *rationis* ibidem de aduentu podagræ est *prognosticon*, quod è sudorum suppressione, & vrinæ paucitate exstruxit. Sudores matutini si nuper in me ipso non promanassent, Recidiua certo certius sustinenda mihi fuisset.

Cur Therebinthina vehiculum ad Articulos addendum? Quodnam illud?

Cur Pilulæ Sennerti tam vtiles fuerint?

Sudorum matutinorum vtilitas.

Prognosticum imminentis Arthritidis.

Sed videndum iam, *num quid idem medicamentum è re meâ futurum sit?* De quo priusquam definiam, duo è *Hieronymi Perlini primâ Historiâ, seu instructione medicâ parte 3. mihi p. 51.* præmittenda esse duxi. *Prius* est: Morborum sæuitiem magis corrigere multoties remediorum paucitatem, quàm multitudinem, atque cedere quandoque morbo, dummodo rursus instet Medicus, consilij rectius quàm inscitiæ, vel omissionis indicium esse.

Multitudo & frequentia remediorum non semper vtilis.

Posterius est: Satius esse periculosum, & odiosum Purgantium frequentem vsum, temperare Diæta, ac omni alia medica œconomia: aut non vltrà, quàm, *Perlinus habet lenioribus*, alterantibus, morbi vim coërcere. (Nimirum aperientium vsum damnat *Scholzius Epistolâ inter Cratonianas quartâ*, quòd ventriculus & Epar iis labefactetur. Ego de Decoctis duntaxat tecum esse arbitror, etsi sola aperientia sint alterantia, quæ nulla vi roborante simul pollent.) Iuxta quorum illud non possum non eorum damare consuetudinem, qui sine intermissione propemodum ægros Medicamentis molestant. Præterquam enim quòd ægri tandem ea fastidiunt, assuescit etiam ita eorum vsui Natura, vt deinceps sine emolumento assumantur.

Purgantium frequentia nō sēper tuta. Crato in Consil. Scholzi Consil. 246.

Istud si non attendatur: Ventriculus labefactatur, & Concoctiones turbantur, malúmque sæpè increscit potius, quàm decrescit. Exemplis hoc comprobarem, nî Te idipsum vltrò confessurum esse considerem. Vnde sic statuo; Arthriticos nec nimiis medicamentis obruendos, nec purgantibus crebrò lacessendos esse. Nam huius generis caollarios (verba adscribo *Caroli Pisonis è dicto libro p. 368.*) puta vi morbi iam diu fractos & languescentes, & verò tædij plenam alias vitam traducentes, variis etiam morosisque medicamentis fatigare, religioni esse debet. Adstipulantur isti meæ Opinioni successus cum *Antidotis Aetij suprà memoratis, cum pulueribus antipodagricis ibidem allegatis* attributi; quæ omnia ex alterantibus, aperientibus, & concoquentibus componi Descriptiones ipsorum testificantur. *Meo corpori num conueniat tale aliquod remedium?* non immeritò dubitaui, iam ante, vt nouisti, triennium, cùm paulò mihi videarer calidius: vtpote qui habitu corporis sicciore & Epate calidiore præditus sum, arthritidéque ex sero (quo, qui tale temperamentum sortiti sunt, abundare se quotidiè obseruasse Auctor est *Piso ibidem p. 349. & rursum p. 389.*) & sanguine biliosis corripior: quod satis costigauit, non solùm repentina inuasio, & febris continuæ imputris, (quam cum *Pisone p. 357.* Ephemeram plurium dierum non iniustè appellauero, Quas enim rationes pro illa assertione fulcienda adducit, eæ omnes apud me etiam locum habent,) per quinque aut sex dies me infestans; verum etiam grauis in loco affecto dolor, & plenaria, nec valdè lenta, tumoris Erysipelatodis discussio; de qua, vt mihi grațuler, causam habeo. Neque enim si talis esse pertexerit, tantoperè vel nodi tophacei, vel articulorum Contractura mihi metuenda sunt. Posset nihilominus tàm aliorum specificorum, quàm Epar respicientium, additione medicamentum illud temperatius, meoque corpori conuenientius reddi.

Arthritici quomodo tractandi.

Qualiter constitutus sit Auctor?

Pilulæ Sennerti quomodo Auctoris Corpori magis idonea reddendæ?

Inter specifica *Hyperici semen & Ossa combusta* numero. *Hyperici semen* Ischiadicis saluberrimum existere, post *Dioscoridem l. 3. c. 156. Galenus l. 8. simplic. & Ægineta lib. 7.* scripserunt. E Recentioribus *Kolrenterus dicto libro c. 22. p. 308.* refert, se huius solius seminis per aliquot dies continuato vsu. Vxorem boni nominis Ciuis quinquaginta annorum in Monte Sanctæ Annæ ab Ischiade liberasse, post tamen conuenientes Purgationes, & Localia, quæ antea obambulare non poterat. Quantis laudibus suam ex Hyperico Antidotum exornauerit *Aetius*, superius à me dictum fuit. Ossa suarum Ceruorum, Boum, & præcipuè Hominum, combusta facultatem validè siccantem, & digerentem habere, ita vt etiam sola assiduè, & opportunè exhibita inueteratum morbum curent, præter Auctores *à Schnebergero pag. 97. & seqq.* adductos tradit *Kolrenterus pag. 51.* Puluerem humores superfluos absorbentem, è Cornibus Ceruinis, & ossibus crurum bouinorum cum aliis compositum, describit *Crato Consil. 9. 15. 228.* Idem *Crato ad Thom. Iordanum Ep. 150* de iis hæc scribit. *Profectò quantum ego longâ obseruatione, & vsu didici, nihil sudoriferis medicamentis, & continuo limaturæ C.C. in potu infuso vsu conuenientius.* Vtinam hoc, medicamentum vestri non negligerent? Habet de ossibus quædam *Montanus* quoque *in Anascene Morborum tom. 4. c. 56.* Ego ratione Capitis præferrem Cranium humanum præparatum: id quod etiam Pilulis suis indidit *Platerus loco nominato*.

Specifica quæ?

1. Hyperici semen. Obseruatio.

2. Ossa cōbusta.

Cranium humanum vtilius.

Epar respicientia totidem constituo; *Radices videlicet Cichory & Santalum rubrum.*

Hepatica quæ?

Nam etsi ante triennium scripserim, pulueris *Rad. Cichory* admistione pulueres illos Antipodagricos mihi nihilo conducibiliores reddi; nunc tamen mutaui sententiam, cùm animaduerterim Puluerem longè salubriùs, quàm decoctum vsurpari. Quid? quòd reliquorum additione noxa, si quæ à Cichorio metuenda fortè fuerit, facilè corrigatur, præsertim cùm tantillum duntaxat sit, quod vnam dosin ingreditur. *Santalum rubrum* præter id, quod Epar calidius contemperat, defluxiones quoque pituitarum prohibere, ex Mauritanorum sententia tradit *Matthiolus comm. super Dioscoridem, l. 1. c. 19.*

1. Radix Cichory.

2. Santalum rubrum.

Cæterùm cùm ingredientia pleraque sint diuretica, ne vis ista per Therebinthinam nimis intenderetur, adeóque humores ad vias vrinarias plus iusto deturbarentur, & nouum idcircò aliquod malum in Renibus inde gigneretur, Therebinthinam vel planè omitti, & cum solo iuæ succo massa formari, (quod fecisse *Platerum*, quanquam in Pilulis purgantibus, video, *in Obseruationibus p. 465. & 463.*) inprimis cùm apud me pituita hactenus non abundauerit; (vel paullum saltem de ea capi posset, vt massa redderetur tenacior, & formandis pilulis aptior.

Vis diuretica quomodo infringenda?

Formulam ergo talem concinnarem iuxta quam Massa pro me efformaretur. ℞. *Pulueris Herb. chamæpithyos, chamædryos vera a. ʒ. ij. Centaurij minor: radic. aristoloch. rot. rhapontici veri, gentianæ, sem. Hyperici, Cranij humani præparati a. ʒ. ß. i. cichory, santali rubr. a. ʒ. incorporentur cum s. q. succ. chamæpithyos.*

Formula Pilularum Auctoris Corpori idonea.

Digitized by Google

thyos, addendo non nihil Therebinthinæ Cypriæ pro meliore vnione F. è quolibet 3. pillula No. XXX. Quanquam verò Massa ista adhuc dum ingredientium ratione satis sit calida, & proptereà meo corpori nondum ex æquo videri possit esse apta, ne Epar per eam magis accendatur, *Rotulæ diarrhod. santalon* abiuctâ crebrius assumi, foris *Emplastrum santalinum* regioni ipsius imponi poterunt: attamen si vel hîc etiam ad actionem à tota substantia magis quàm qualitatibus manifestis prodeuntem respiciamus, fortassis multò confidentius vires ipsius experiri liceret; cumprimis si externi aeris conditio suffragetur, qualis potissimùm vere & autumno reperitur, quo tempore etiam alias arthritides sequentiùs aliis, mihi verò circa Iunium vt plurimùm ingruere solent. In vsu autem istius remedij, *Antiquorum Medicorum Præceptum* attendere decet; quod est, *vt per debitum tempus* (prout videlicet Affectus magis minúsve fuerit inueteratus) *continuatio instituatur.* Quæ si susque deque habeatur, parùm equidem emolumenti spectandum erit.

Quomodo caliditas Pilularum adhuc magis corrigi possit

Quo tempore Arthritis alios, quo auctore affligat.

Quid in vsu pilularum obseruandum?

Quamobrem rectè *Capiuaccius Practic. l. 5. parte priore,* monuit; quòd quia *Diacoralium medicamentum* omnibus aliis facilè anteponendum, hodiè in vsu esse desiit, mirum non sit, Arthritidem curari non posse, quoniam antiquorum Præcepta non obseruantur. Posset tamen aliquis aliam adhuc causam ex *Henrici Nolly Physica Hermetic. l. 9. c. 5. p. 397.* in medium afferre. Quia enim varietas digestionis, telluris, & nutrimenti alter vnam & eandem Plantam afficiunt, mutationémque virtutum ei conciliant, remediis compositis, quæ sparsim apud Medicos in ipsorum libris leguntur, non semper tutò credendum esse statuit. Et *rursus ibidem c. 4. p. 2. Vt complexiones,* inquit, *hominum pro varietate regionum, quas inhabitant, variant: ita virtutes quoque Herbarum eiusdem speciei pro diuersitate soli, Constellationum, dispositionis aeris, & temperamenti diuersæ sunt.* Non ergò sequitur, *Galenus* hac herba curauit Elephantiasin: E. & hodie suo tempore, hodierni Medici eadem herba Elephantiasin curare possunt in his regionibus. Aliorum igitur medicamentorum experimentis non protinus fidendum, sed ea iuxta Regulas *à se ibidem c. 6. comm. super Axioma 4.* positas, & è præmissis exstructas, examinanda prius esse hortatur.

Diacorallii.

Cur veterū remedia vbique locorum non semper æqualiter efficacia?

Sanè ratio ista non est quidem flocci facienda: Veterum tamen ac Recentiorum inuenta non prorsus statim demolitur. Sit enim multa & magna tàm hominum, quàm plantarum respectu Regionum discrepantia; accidentalis tamen ea duntaxat est & secundum id, quod magis & minus dicitur. Si ergo vel veteribus vel Recentioribus, huius vel illius plantæ, in hac, vel illa Regione, contra hunc, vel illum morbum, efficacia fuit explorata, modò nec in planta ipsa, nec morbi cognitione error interueniat, quin idem effectus, alibi etiam subsequatur, dubitare non licet; cùm huic rei publica subscribat Experientia. Interim conditiones Therapeuticas decenter obseruare, *& quid, cui, quomodo & quando* fieri deceat, diligenter attendere æquum est. Ad hæc sis licet, quòd morbi iidem quoad speciem, ratione locorum specificationem quandam peculiarem sortiantur; remedia tamen contra eosdem inseruientia, in iisdem locis crescentia, suam itidem certam determinationem indidem adipiscuntur, ob quam, iisdem morbis expugnandis non minus per se cudunt idonea, quam peregrinis & exoticis commiata, vtpote quorum virtutes adaugent, & corporibus aliarum Regionum familiaria reddunt. Præceperunt autem antiqui, vt ipsorum Antidoti per integrum annum continuarentur, si cupitum successum ægri consequi vellent *Alexander Trallianus* suum Diacorallium quotidiè per centum dies exhiberi, posteà per triginta intermitti, hinc rursus per alios centum dies propinari, hisque elapsis per alios item triginta seponi; tertiò diebus alternis per 160. dies offerri; quartò denique tertio quoque die per 190. dies capi voluit; donec 365. Doses absumptæ fuerint. Exhibuit autem idipsum per 500. primò dies inquit, *Capiuaccius,* ob diuturnam Indicantis perseuerantiam: Diebus 30. intermisit propter virtutem; posteà virtute roborata ad vsum eiusdem rediit: denique Indicantis, virtutisque ratione alternis diebus concessit. *VVeckerus loco suprà citato* testatur, quòd de Puluere illic à se descripto, ℥. i. cum Aqua mulsa per dies 40. continuos primùm, deinde ʒ ß. per annum integrum data, Arthritidem perfectè curet, suîipsius experientia. Quem & qualem modum vtendi puluerem Antipodagricum præscribat *Crato, consilio 226.* videbis. Eundem in *Prognosticum* suum *Astrologicum super annum 1619.* transtulit *VVedlerus.* Mihi tamen is aliquantò videtur parcior, quàm vt ab Arthritide sufficienter præseruare queat. Ad hunc enim vnicum scopū collimant vniuersæ per eiusmodi remedia medicationes. Nec sanè immeritò. Cùm enim tàm molestus (sunt verba *Stegby p. 504.*) tamque difficilis curatu sit hic affectus, & sæpè stipatus aliis non minus molestis, ingeneret etiam curatu difficiles luxationes; satius vtique est, eum excludere, quam admissum expellere. Quippe, *Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes.*

Cēsura super præcedente Nolly opinione.

Conditiones Therapeuticæ

Antiquorum Præceptum circa vsum medicamentorum Antipodagricorū. Qualiter Trallianus suum Diacorallium exhibuerit

Qualiter Puluerem suum VVeckerus?

Qualiter Crato? Indictū super isto modo.

Ipse igitur pro præcauendis Podagræ insultibus, quomodò me circa vsum præscripti remedij gerere debeam? nunc dispiciendum. Id autem tempus vniuersæ durationis, crebritas Paroxysmorum, & articulorum hactenus affectorum constitutio, satis superque monstrabunt. Cùm enim à quadriennio primùm hoc malo affligi cœperim, & huc-vsque nec adeò frequenter eo correptus, nec vltrà 14. D. dom ab ipso detentus sim, tumórque omnis perfectè resoluatur, si singulo trimestri per dies 39. quotidie ʒ. ß. de illo vsurpauero & Purgans cum vsu ipsius præmisero, tùm rursum postposuero, Præseruationis munere me legitimè perfunctum esse censebo. Quòd si Podagra nihilominus recurrat, dies pluscul adiiciendi erunt. Non autem ad præcauendam duntaxat arthritidem, sed & Catarrhos minuendos, omnesque in vniuersum morbos, ab obstructione viscerum & crudis humoribus oriundos, quales præcipuè sunt Febres tertianæ spuriæ, & quartanæ, Melancholia Hypochondriaca, Cachexia, & similes, tollendos magno cum fructu adhibetur. *Diætam* interim susque deque habere nolim. Etsi enim à nimis seuera abhorream; licentiosiorem tamen itidem non approbo. Vide *Consilium Martini Crusij pro Henningo Rennemanno,* quod subnexuit Theatri sui Morborum Hermetico-Hippocratici Parti priori. *Vinum,* cuius vnius abstinentia plurimos in solidum fuisse liberatos multi graues viri, & inter hos *Solenander, Stegbius, & Piso* testantur, ob causas alias scriptas minimè abiurare ausim. Delectum in eo, quantum licet, obseruo. Nuperum paroxysmum vix incurrissem, nisi potentius Vinum, quod in gratiam *D. Eckinat,* vinorum potus assueti, afferri curabam, bibissem: quanquam satis etiam parcè id biberim, vtpote cùm à nostrûm quatuor ternæ nostrates mensuræ totæ non exhaustæ fuerint, si speciebus suprà dictis, præsertim *chamædrys, chamæpithys, Centaurio minore, hyperico, cichorio, Santalis, herba Paralyseos, betonica Absinthio Pontico,* medicatum biberem, salubrius multò futurum esset.

Quem vtendi modum suarum Pilularum Auctor obseruaturus sit

Ad quos Morbos alios eodem vtiles sint?

Qualiter Auctor circa Diætam se gesturus?

Abstinentia à Vino quam salutaris.

Vinum medicatum.

Gallinarum carnem à proprietate Arthritidem inducere, *ex Apuleio* monet *Guaineri* de *ægritud. Iunctur. c. 2.* Locus ergo nostratium non erit planè vanus; quando eum, qui ex Arthritide decumbit Gallinis lautius pastum esse aiunt. Sanè ipsos maximè Gallinaceos Articularibus morbis corripi, multoties domi meæ obseruaui, id quod ob crebriorem Venerem imprimis fieri crediderim, nisi fortè Aranearum vsus aliquid eò simul conferre valeat. *Crato consil. 224* Podagricis à Gallinarum & Caponum carnibus sibi cauendum esse monet, quod multi sint nutrimenti, & copiosum sanguinem generet: quo nomine languidis & consumptis alias commendamus. Acetosa & Euaporantia, qualia allium, Cæpæ, sinapi, &c. tanquam certam perniciem, fugienda, Baroni cuidam Polono seuerè inculcat *Crato consil. 216.*

Gallinarum Caro Arthriticis noxia.

Galli cur Arthritidi obnoxij?

De euaporantibus, cùm flatulenta sint, dubium mihi est nullum. Causa liquet è superioribus. Acetum tametsi solum, & nimia dosi, frequenterque assumptum neruis obsit, tamen si ad gratiam tantùm Cibis admisceatur, mihi id non tantùm non obfuturum, sed profuturum etiam spero, cùm refrenandæ bili sit aptissimum, quæ in me luxuriat.

Acetum quatenus Arthriticis concedendū?

Quia igitur *Crato* Baroni illi Acetosis tàm seriò interdixit, non parùm hercle miratus sum, quod *consilio 234 & Epist. 177.* Mel suum acidum, aut Olei vitrioli benè correcti guttulas aliquot in iusculo dissolutas tantoperè commendauerit. *D. Tobias Fischerus p. m.* spiritus oleique vitrioli vsum etiam improbauit apud Arthriticos, ob causam paulò ante dictam, quemadmodum ex ipsius genero, *D. Ioh. Fuchsio Physico pro tempore Scarosauensi,* olim intellexi. Sed si limitationes, quas de Aceto proposui, obseruentur, obesse item haud poterunt. Cucurbitularum singulo trimestri, Venæsectionis vsū singulo anno semel nunc adhibeo. Hæc enim ad sanguinis cùm plenitudinem, tū feruorē auertēdum, & corpus alioquin torpens, omniumq; medicamentorum capax reddendū, nullum dari præsentius ac magis idoneum remediū affirmat *Piso p. 369.* vtpotè, de qua sæpe audiuerit, quòd magni ex Arthriticorum familia viri fluxionibus Arthriticis si non prorsus tollendis, aut retardandis, cohibendisque, nihil longo vsu ipsâ reperirent vtilius, ac propterea vsum eius nec in affecta ætate reformidauerint.

An non Crato sibi contrarius circa vsum acidorum?

Spiritus & Oleum vitrioli quatenus Arthriticis concedendū?

Venæsectionis vtilitas.

De purgantibus monet *Crato consil 216.* vt in Præseruatione vitentur validiora; cùm sæpè obseruatum sit, quod ab incautiore ipsorum vsu, nimium commotis humoribus paroxysmus inductus fuerit. *Carolus Piso p. 370. & 359.* aliis omnibus Rhabarbarum præfert, siue in tabellas, siue puluerem, siue pilulas redigatur; siquidem admodùm diureticum sit, & potens in luendo, & repurgando sero bilioso, ventriculóque roborando. Idipsum quàm meo corpori aptissimum sit futurum, nullus dubito, qui eo aliàs in morbo illo meo diuturno quàm saluberrimè vsus sum; modò nausea, quam mihi odor ipsius nunc mouere solet, præcauere possim. Memini, me aliquando audiuisse, quòd *Sigismundus VVeysselius, Pater,* immunitatem ab arthritide sibi pollicitus fuerit, si Rhabarbarum assumere valuisset, à quo ipse itidem more aliorum impensè abhorruit. Præterita hyeme, dum apud nos esset, *D. Matthias Vrehmann,* & inter alia de corrigendo Rhabarbari nauseabundo tùm odore, tùm sapore; sermones inuicem communicatenus,

Validiora Purgantia pro Præseruatione incommoda.

Rhabarbari laus,

Rhabarbari nauseabundus odor & sapor quomodo corrigēdus

Digitized by Google

Nimiâ trituratione perit vis Rhabarbari.

monueremus, ipſe talem modum ſibi in vſu eſſe dixit. Nimirum Rhabarbarum tenuiſſimè, quoad fieri poteſt, inciſum (multa enim trituratione vim ipſius purgantem minui, ipſemet in *Inſtitutionib. p. 1148. Col. 2. poſt Pernumeram in Practicâ Generali p. 89. & 137.* commonefeciſti) ſyrupi roſati ſolutiui, ſ. q. madefacere, & dein madefactum cum conſervâ Roſarum in Bolum redigere iubet.

Præparatio iſta vix gratius reddet Rhabarbarum pro meo Palato, cùm vti olim ſcripſi, ad Roſarum Conſeruam facilè nauſeem. Tu ſi meliorem aliquem modum noviſti, vt eum mecum communices, oro. *Pilulæ tartareæ* an eas laudes mereantur? quas ipſis adſcribit *Quercetanus*, ex te ſcire peruelim. *Marocoſtinas Minderers* quidam noſtratium parari curarunt quidem; verùm cùm minorem, quam Extracti Catholici nobis familiaris effectus deprehenderent; vſurpare eas deſierunt. Ego illis nunquam vſus ſui. Tibi vt placeant, proximè paucis notifica. Pro me aliquantò calidiores apparent.

Iudicium de Pilulis Marocoſtinis Minderers.

Pilula ex Sarſa Parillâ Andreæ Laurentij.

Andreas Laurentius de ſtrumarum Curatione l. 2. c. 10. pilulas deſcribit ex Sarſâ parillâ quibus ſe in omnibus pituitoſis affectibus, & qui è crudis, craſſiſque humoribus fiunt, ſiue ij in ventriculo, Inteſtinis, & Meſenterio ſtabulentur, ſiuè in cerebro localem habeant generationem, feliciſſimè vſum eſſe dicit. Ex Arthriticis pituitoſis ſalutariter dari procul dubiò poſſent; mihi vix item. Scriptum hoc ſi non poſſides, Deſcriptionem proximè communicabo. Vtiliores iudicarem pilulas Cholagogas de Centaurio *Quercetani*, aut eiuſdem panchymagogas.

At cum verò cùm prædictæ Pilulæ omnes Aloën pro baſi recipiant, atque idcircò bonus potiſſimùm cauſâ tantopere commendabiles euadant, ſi eâ ſola dextrè præparata vtar, omnium aliorum Purgantium loco eſſe poterit. Confirmat me in hâc ſententiâ *Mindererus*, qui *in Aloedario c. 10.* ſcribit, quod Aloë defluxiones ad articulos ruituras adeò ſubtrahat, vt præclariſſimi Medici, inter quos *Thomam Mermannum, Ducis Bauariæ quondam Medicum*, numerauit, iis qui ſibi continuum Aloës vſum familiarem fecerint, polliceri auſi fuerint, eos ab omni Podagra & Arthritide ſecuros futuros vt quibus à quotidianis ingeſtorum cruditatibus ac recrementis, imminutis morbis aut grauaminis cauſa, quotidiè in ventris ſentinā deriuaretur, articulis nullatenus obfutura, quæ alioquin à nobilioribus Viſceribus ad ignobiliora membra demandari conſueuiſſet, vel eò procumbere ſoleret. Etſi verò quiſpiam obiicere poſſit, cùm Aloë ſecundùm *Galenum l. 8. de compoſitione medicamentorum ſec. loc. c. 2.* infeſtiſſima ſit iis, qui citrà vitiatos humores, ex intemperie calidâ & ſiccâ, affliguntur, & Hepati noceat iuxtà *Fernelium l. 5. meth med. c. 9.* vt cuius tenues venas aperiat, & acrimoniâ vellicet, ideòque eos, qui hoc negare præſumant, experientiæ ſcuticâ dignos æſtimet *Scaliger exerc. 160. ſect. 3.* quin & *Cardanus lib. 1. de tuenda ſanitate c. 45.* eam ventriculo, ob amaritudinem, nocentiſſimam damnet, ac *Galenum* acerbiſſimè perſtringat, quaſi ſuo erroneo Conſilio infinitos homines, qui hoc auxilio ad ſenectutem ſe peruenturos ſperauerant antè maturam ætatem interfecerit: Etſi, inquam, quis obiicere poſſit, eam mihi minus fore idoneam, qui cùm corporis habitu & Epate ſim calidiore iuxta, & ſicciore, tum ventriculo languidiore, tamen bene habet. Vindicauit enim præ aliis pleraſque iſtas, vt & alias in Aloen ſpargi ſolitas calumnias, egregiè *Mindererus dicto prius loco.*

Aloe Arthriticis vtiliſſima.

Aloe quibus noxia.

Cardanus inuehitur in Galenū propter vſum Aloes.

An Autori proficua futurat

Quas Conditiones Author circa vſum Aloes requirat

Ad me quantum attinet, recenſita ab Aloë metuenda nocumenta facilè declinauero, ſi ea legitimè correctâ, & dextrè præparatâ, Doſi iuſta, interuallo competente & antè cœnam præcipuè, vſus fuero. *Legitimè correctam, & in iuſta Doſi* dedideto. Ita enim nec corporis habitui, nec Epati calidiori oberit; quippe quæ, niſi ampliori pondere exhibeatur, vſque ad loca iuxta Epar non conſcendet, nec totius corporis purgatoria exiſtit, ſed ea ſaltem, quæ circa aluum ſunt, expurgat, Indice ipſomet *Galeno loco allegato*, Quid? quòd tàm in Ventriculo, quàm primis viis Aloë ſemper aliquid repertura erit, in quod agat, vt proinde Epar ab eius læſione tutum eſſe poſſit. Neque enim adeò ſeueræ Diætæ me adſtringo, ob cauſas aliàs ad te ſcriptas. *Interuallum competens* dum definio, eo ipſo & prædicta incommoda, & marcorem, quem *Galenus ibidem* è Pharmaci ex Aloë conſtanti vſu conſequi dixit, cauto. Cùm enim iſte non niſi è creberrimo Aloë malè correctæ, & nimiâ doſi aſſumptæ vſu induci poſſit, mihi profectò ne tantillùm nocere poterit. Atque has ego arbitror fuiſſe cauſas, ob quas plurimi, vel inſigniter ſaltem læſi, vel ad ipſam internecionem ab Aloë deducti ſunt. *Cardanus* quando eam Ventriculo obeſſe, & nullâ aliâ in parte laudem mereri ſcripſit præterquam quod ad ventriculum parum, vel nihil humoris trahat, itâque ſolâ ratione colocynthide, cucumere aſinino, ſcammoneâ, & ſimilibus melior ſit, *Experientiæ ſcuticâ certè digniſſimus eſt*; cui non ſolùm, ſed & conſtanti claſſicorum Auctorum conſenſui tam enormiter contradicit. Adeò enim ventriculo proficuam experti ſunt, vt affirmare non dubitauerint, eam aliis Purgantibus attemperatam prohibere ne quid damni ab illis perpetratur. Ratio *Cardani* ab amaritudine deſumpta eſt falſiſſima; veluti & illud, quòd

1.

2.

3.

Cur nonnulli ab Aloë tantoperè læſi fuerint

Reſpondetur Cardano.

Aloë ventriculo proficua.

ipſam quoque Gentianam nocentium Catalogo inſerere non eſt veritus. *Crato* maximus omnibus Auctor *Conſil. 3. 55. & 216.* intrepidè contra alios aſſerit: ſenam, ſiquidem guſtu in eâ adſtrictio pariter, atque amaritudo aliqua percipiatur, Ventriculum roborare potius, quam imbecillum reddere. Non dignus eſt Aloë, inquit *Mindererus loco quo ſuprà*, qui Aloën non nouit, vel qui ob amarorem eius citiùs mortis amaritudinem experiri cogitat Securior namq; eſt Aloës amaritudo in ore quàm necis præcipitium non minùs acerbum in ventre. *Nec Amara adſtudet ſanitati, qui amat dulcia.* Videtúrque Natura ſub amaritudine multa protegandæ valetudinis remedia abſcondiſſe, ne collocaſſe; ne quilibet ad ſtultam longæuitatem adſpirans ea lamberet; quo modo & ſpinis, aculeiſque, aut tetro quodam odore, vt à bruris immunes perſiſterent, præcipuas quaſdam plantas armauit. Hucvſque *Mindererus*. Alia longè Colocynthidis, & Cucumeris aſinini, & aliorum fortiorum purgantium eſt ratio. Præterquam enim quod humores vitioſos ad ipſum ventriculum impetuoſius conuehunt, venenatâ etiam qualitate eundem laceſſunt & ſubuertunt. Miror verò, *Cardanum* ſui tàm repentè fuiſſe oblitum, vt *eodem ſtatim Capite* Abſinthium, quod oppidò eſt amarum, ventriculo prodeſſe dixerit. Tanta ſcilicet via eſt veritatis, vt nolentem licet ad ſui confeſſionem deduxerit. Denique quando autè cœnam me Aloën vſurpaturum ſcripſi, noxas adhuc magis præcaui Cum cibo enim permixta magis temperatur, nec vt Epar aliáſve partes ſiniſtrè afficiat, permittitur. Quin & Doſis minuitur. Obſeruatum enim eſt, non Aloën ſolum, ſed & alias pilulas ante cœnam deglutitas dimidiâ Doſi, tantum operari, quantum integra Doſis manè exhibita vix effectura erat.

Sena ventriculum roborat.

Nec Amara ad ſanitatem conducunt.

Cardanus ſibi contrarius.

4.

Purgantia ante Cibum data dimidiâ Doſi quàm efficacius

De dextrâ ipſius præparatione vt nunc agam, Inſtituti ratio exigit. Quæ igitur *lauatione* abſoluitur, omninò eſt ignobiliſſima, & non parùm de viribus detrahit, teſtificante *Galeno ibidem*. Quæ *imbibitione* perficitur, ab aliis aliter inſtituitur. *Heurnius in methodo generali l. 2. c. 22. mihi p. 371.* magnum quoſdam viros hoc modo Aloën parare docet. Cùm enim Syrius æſtiuo inquit, Solſtitio flagrat, pulueri Aloes remiſcent Serùm Lactis, dum pultis characterem trahat, Soli exponunt, dum indureſcat. Iterum in puluerem comminuunt, & ſuccum Endiuiæ affundunt, denuóque ſiccant. Tandem in pollinem vertunt, ac Roſatum Perſicatum ſucco imbuunt & ſæpius eandem hiſtoriam peragunt: vltimò ſiccatam in vſum reponunt. *Hieronymus ab Aquapendente* Aloën ſuam roſatam tàm curioſè à ſe ſemper occultatam, hunc in modum adornauit, quem *Iohannes Iohannius peculiari tractatu de ea Anno 1611. Patauy edito*, publicauit. Aloë ſumitur ſuccotrina, (e. g. lib. 1.) quæ in tenuem pollinem redacta, & per cribrū ſeroſum cribrata, cum tanta ſucci Roſarum incarnatarum, quas Officinæ Zebedenas appellant, portione in Catino vitreato miſcetur, vt miſcela liquida Cremori Ptiſanæ ſimilis ſuboriatur. Inde rariore cribro ſecluſo, pro puluere, Muſcis, & reliquis huiuſmodi arcendis, contecta, & ſingulis diebus frequenter ligno in orbem agitata, æſtiuo Soli tamdiu exponitur, donec vi Solis craſſefacta ad mellis craſſitudinem veniat, ſubinde nouus Roſarum ſuccus additur, iterumque inſolatur, agitatur, quouſque craſſeſcat, vt prius. Quod toties reiteratur, donec Aloë ſexdecim ſucci Roſarum partes receperit: quod duorum, triúmve menſium ſpatio ſuccedit. Et cum poſtremò Medicamentum ſatis craſſefactum fuerit, in exſiccata veſicâ bubula, vel ſuilla concluditur, iterumque Soli exponitur, vſque quo tota Maſſa corporationi Pilularum idonea fuerit oborta. Tu mauis ipſam prius in Extractum cum aquâ Endiuiæ, vel Boraginis & Roſarum, (*aliy* Aq. Acetoſæ *Ego* ſimplex Extractum cum ſero caprino deſtillato parari iuſſi) redigere, & poſteà cum ſucco Roſarum Damaſcenarum, bis tèr ve impræ gnare; vt eſt *in Inſtitutionib. p. 880.* Qua quidem ratione Aloën conſequamur puriſſimam.

Modi præparādi Aloem.

1. Lauatione.

2. Imbibitione, Heurnÿ.

Aquapendentis.

Quātum de ſucco Roſarū addendum?

Sennerti.

Aliorum.

Auctoris.

Quocunque autem ex his modo præparetur, innoxia certè euadet, & magno cum vſurpantium commodo adminiſtrabitur. Illa tamen quam *Aquapendens* in vſu habuit, præ cæteris minus, *tua* magis videtur eſſe purgatoria.

Cenſura ſuper dictū modū.

Aloë ſic præparata, tametſi ſingulis Menſibus ſemel ad minimùm vtar, vix meo iudicio errauero. Sic enim primas vias à recrementis bellè mundauero. Quod ſi verò electiùs magis Corpus à ſero repurgare placuerit, vel oportuerit, Scammonea eum in modum, quem tu *in Inſtitutionibus p. 1145. Col 2. & Tenzelius in Exegeſi Chymiatricâ parte 2. ſect. 3.* propoſuiſtis, adornata & à me ad differentiam vulgaris præcipitata dici ſolita, egregiè ſatisfaciet. Benigniſſimè enim operatur, & languidis etiam ſecurè dari poteſt, ſecùs, quam tu cenſuiſti *in Inſtitutionibus p. 881. Col. 1.* Familiare mihi apud delicatos eſt remedium, ideóque ſolum Diacydonio meo purganti inditum in Morſulos etiam cum corticibus citri conditis, & ſucco eiuſdem redigi curo, atque ita gratiſſimum, ſi quod aliud, remedium effingo.

Aloe quoties Auctor vti velit.

Scammonea præcipitata pro electiuè purgante vſurpanda.

Tutum medicamentum.

Forma Pulueris Cremori Tartari permiſtum, commodè non exhibetur. In calido enim iſtac gummi protinus coagulatur, & fundum petit. De quo ideò mihi monendus videbaris, quòd *in Collectaneis tuis, de vſu & doſi medicamentorum Chymicorum*, Cremori Tartari id permiſcendum, & pulueris forma exhibendum

Forma Pulueris cōmodè non datur.

Digitized by Google

Petrai ſpecificum Antipodagricum.

exhibendum eſſe ſcripſiſti. *Petrus Diſſertationum Harmonicarum 48. theſ. 62.* ſpecifici Antipodagrici, ex ſulphure antimonij, & Mercurio viuo, magno artificio concinnandi, meminit, illudque ceu omnium præſtantiſſimum ac ſummum aduerſus Podagram, recentem & inueteratam, modò nodoſa oe ſit, remedium deprædicauit. Sed beati poſſidentes! Profectò ſatius erat, tales Scriptores ſua ænigmata ſibi retinere; quàm Lectores eorum commemoratione tam inaniter ludificari. Verè dixit Poëta: *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.* In memoriam ſibi etiam reuocare debebant *Tullianum illud*, quòd non nobis nati ſumus ſed partem Patriæ, partem Amicis debeamus. Equidem talium *remediorum tam diroſi occultatores nihil ferè mihi differre videntur ab inſidioſis interfectoribus*, ſiquidem cùm liberari, & ſeruari multos poſſe ſciant, ex timidia tamen, & propij lucelli amore excruciari, & perire ſua illa turpi occultatione, ipſos permittunt. At *Conſcientia mille teſtes!* Caueant igitur ſibi homines eiuſmodi, ne quam altè obdormiuiſſe opinantur, tandem præter exſpectationem expergiſcatur conſcientia, eoſque miſerrimum in modum pungat.

Contra Secretiſtas.

D. Ioachimus Coppenius, Gieſſæ aliquando nunciabat, ſe Argentorati à *D. Ebersbergero* inaudiuiſſe, quòd oleo Antimonij cum ſaccharo Caudi præparato, & per tres quatuórve ſeptimanas ſingulo manè exhibito, aliquot Arthriticos reſtituerit, qui deinceps per ſexennium à Paroxyſmis liberi vixerint. *Pratorianus Pulueris* præparationem me adipiſci poſſe, optarim vnicè. Ex eius enim vſu magnum ad præcauendam Arthritidem emolumentum in me redundaturum, haud ambigo. Scripſi nuper, quæ de eo cum *D. Erbinao* contulerim. Nunc ſcripſiſſe ferè piget. Poſtquam enim Sevvidnicio redijt, tam varium & titubantem ſe exhibuit, vt nec de *Pratorio*, nec ipſius Puluere certi quid ipſi conſtare, ſuſpicer. Nunc enim iuuenem eũ penſeſſus, nũc ambigere orſus, an is ipſe ſit, de quo apud Cantorem illum audiuerit? Nunc aurum maturum, nunc immaturum capiendum retulit. Nunc Mercurium per ſe, nunc alter præcipitandum prætendit. In eo ſaltem conſtans fuit, Mercurium per ſuccum allij eſſe purificandum: quanquam ſemel mortificandum per hunc eò vſque dixerit, donec acerrimus euaſerit, reuiuificandúmque rurſus cum Calce viua & Tartaro. In altis eundem *D. Erbinaum* valdè ſibi ipſi contradicere non ſemel obſeruaui. In omnibus autem, de quibus ſermo fortè fiebat, præſertim rebus Chymicis, magnam peritiam oſtentabat: quam tamen ego nunc verbalem potius, quàm realem fuiſſe crediderim. Vtvt verò cum Puluere illo comparatum ſit, eos me interea imitari neceſſe erit, qui vbi calx defecerit, lutum ad ferruminandos lateres, adhibent. Pulueris igitur illius, loco dictis anteà Remediis tantiſper (ſi id ita fieri debere, è re mea eſſe iudicaueris) vtar, dum aliquando vel meliora, vel ipſummet Prætorianum puluerem didicero. Quem ſi per te obtinuero, nullo maiore beneficio à te affici potero.

Oleum Antimonij.

Pulvis Pratorianus.

D. Erbinai inconſtantia.

Quid de externis Roborantibus Articulos pro Præſeruatione ſentiendum?

Hæc autem omnia, quæ huc vſque adduxi, ad *Præcautionem Arthritidis* pertinent (in qua alij de roborandis articulis, defluxionem ſuſcipientibus, valdè ſunt ſolliciti: quæ cura me non tangit. Etſi enim frequentibus lotionibus pedum articulos olim aliquantulùm relaxauerim, ideoque defluxionibus iter ac diuerticulum monſtrauerim, & deambulationibus diurnis eoſdem delaſſauerim: tamen quia hactenus, poſtquam defluxionibus articularibus affligi cæpi, à lotionibus illis planè abſtinui, eorum nunc maximam partem velot, & defluxiones nondum ſunt confirmatæ & inueteratæ, tumórque perfectè diſcutitur; artus notabilem aliquam debilitatem contraxiſſe non ſuſpicor, ob quam peculiaribus remediis corroborari poſtulent, ſúmque in ea hæreſi (dummodo hæreſis apellari meretur) *cum Piſone p. 307. & 391.* Articulos iniuria incuſari in his affectibus per transmiſſionem artis, & eos omninò eſſe extrà culpam, nullumque in iis agnoſci vitium, cui mederi oporteat: ſiquidem non ob laxitatem aut cauitatem, humores aliundè depulſos facilè ſuſcipiunt, ſed quoniam ità à Natura ſunt conformati, vt in eos Vaſorum extremitates terminentur. Quando igitur in Vaſis maioribus humores efferueſcunt, & ebulliunt, quod tenuius eſt in minora exundat; tandémque in horum fines, ipſoſque articulos excutitur; quò vbi deuenerit, partes membranoſas lancinat, & dolores excitat. Ex quo patet, Præcautionis momentum omne in eo eſſe poſitum, cùm vt Seri prouentus impediatur, tùm humorum ebullitio arceatur. Quæ quomodo obtineri poſſint, fusè à me dictum eſt. *Crato Epiſtola 151.* hæc habet. Ego in recta victus ratione & abſtinentia, item lotionibus Capitis & ſudoribus totam rationem Præcautionis poſitam exiſtimo. Ea igitur ſi pro voto meo reſponderit, de præſentis Curatione vt multum ſollicitus ſim, opus haud erit. Quòd ſi verò ea mihi non pepercerit, æquo vtique animo ferenda (ſuaſu *Manardi ſuper Meſuen de Oleo Ranarum*, vt qui nullum magis præſentaneum viderit Auxilium, quodque ſit abſque periculo,) terminúſque ſolutionis expectandus erit; qui vtinam nunquam fiat Hippocraticus! Subiungere me *lib. 6. Aphor. 49.* facilè aduertis; cuius verba ſic habent: *Quicunque Podagrici morbi fiunt, ij remittente inflammatione in 40. diebus ſedantur & conquieſcunt.* De *Carolo V. Imperatore*

Cur Articuli defluxiones ſuſcipiant?

Præſeruatio in quibus potiſſimum conſiſtat.

Quid præſente paroxyſmo faciendum.

maxime, refert *Manlius in libello Medico pag. 35.* cùm aliquando, cùm *Elector Ioacchimus* ipſum ad medicamentorum vſum contrà dolores Articulares adhortaretur, reſpondiſſe: Patientiam exiguis clamoribus coniunctam, aduerſos graues dolores optimũ eſſe remedium, *Gedult, und ein vveing ſchreyen.* Nam, ſuprà etiam indicaui, diu admodum Arthritis me non detinet, ſed ferè per quatriduum, aut ſextiduum, ſolummodò grauius affligit, quouſque videlicet febris complicata perdurat: poſtea paulatim remittit, tumórque ſenſim ſubſidet, ac euaneſcit. Hac de cauſa *de Topicis* non valdè ſum ſollicitus; ſed acquieſco in Farina ſiliginea, quam quia tumor eſt Eryſipelatodes, ſolam imponere ſoleo. *Iacobus Elbertus, Paſtor Ieſchkittelianus*, ait ſe edoctum eſſe, quòd ſiligo ad crepaturam ex aqua cocta & impoſita dolores tollat. Alij vinum, in quo ſal commune efferbuit, commendant.

Caroli quinti Dicterium.

Cur Auctor de Topicis minus ſit ſollicitus? Topica.

1.

Nuper ſcobem Raphani marini, *ab Affine Daniele* perſuaſus, imponebam: quæ cùm initiò partem quaſi pungere, mox inſigniter vrere deprehenderetur, vltrà horam ſuper partem à me detenta non fuit. Qua ſublata, pars extuſè fumare viſa fuit. Iurâſſem, dolores inde mitiores redditos. Solenne eſt hoc Epithema ipſius Socrui & affini: qui, ſi quando iis affliguntur, dolores Podagricos ipſo, plantis pedum alligato, demulcere ſolent. Nouum remedium non eſt, ſed *Marcello Empirico* iam notum; vt videre eſt apud *Schnebergerum pag. 112.* Nec ratione caret. Sale enim volatili Ammoniaco Raphanus abundat, cuius vi potenter diſcutere aptus natus eſt. Ad dolores Iſchiadicos commendat *Camerarius Matthiolo Germanico l. 2. c. 32.* Radicularum ſcobe impoſita ante aliquot annos *Empiricus quidam*, cum nihil aliud ipſi ad manus media nocte eſſet (extra vrbem enim in vicina Inſula habitabat) atrociſſimos dolores Colicos in ſeipſo abegit. Quod cùm reſciuiſſet *D. Eneretus*, Oleum ex eius infuſione domi parauit, quod ad tales dolores mitigandos, ceu ſecreto, vſus eſt. *Vidua Carthiana* p. m. cum apud nos Colicis item doloribus miſerè torqueretur, nihil æquè, atque iſta ſcobs, de meo Conſilio emplaſtrum contulit. Succo eiuſdem cum ſale permiſto aliquoties dolores Iſchiaticos depuli: quod experimentum hauſeram è *M. S. Scholtzij Patris*, ſub nomine *D. Caſparis Pachiſchy, olim Antecesſoris mei in Phyſicatu.* Hinc non mirum, quod à quibuſdam aduerſus Capitis dolores tam magnificat. Vtile equidem futurum remedium, niſi tam vehementer, vbi paulo diutius parti immoratum fuerit fœteret. Eadem, quæ in Raphano, effectus ratio.

2.

3.

4.

5.

Obſeruatio de ſcobe Radicula in Colica.

Alia in ſimili affectu.

Alia de ſucco eiuſdem in Iſchiade.

Spiritus Salis cum Aqua Vlmariæ diſtemperatus, & parti cum penna illitus, tantum fumum è parte extrahit; vt non tantùm viſu aſcendere, ſed & conclaue replere obſeruetur. Expertus hoc ſemel atque iterum non quidem in me ipſo, ſed *Nicolao Puſchtekro Caupone*, à multis annis Arthritico.

6.

Hiſce diebus Stannarius quidam, vicinus meus, ex Arthritide decumbens, referebat, ſe ante plures annos grauiſſimos Axillæ dextræ dolores aquâ Betonicæ cum linteis in ea madefactis apprimè calida, *de Conſilio noſtri tum temporis Carnificis Adriani*, impoſitâ confeſtim depuliſſe. Commendatur in hunc finem Betonica à *Matthiolo ſuper Dioſcoridis l. 4. cap. 1.* ex ſententia *Antonij Muſæ, Clariſſimi olim Auguſti Cæſaris Medici*; qui tanti eam æſtimaſſe dicitur, vt de viribus ipſius proprium libellum conſcripſerit. *Bruxelſius Iatronices l. 3. p. 73.* è Barbaris hæc habet: Betonica cocta ad conſummationem tertiæ partis, Aqua potui data, & impoſita, mirificè dolorem tollit. Vide ſis etiam *Schnebergerum p. 18. & ſeq.*

7.

Septuagenarium quendam ſolius Betonicæ tam in cibis, quàm vino, & conſeruis vſu à podagra quâ per multos annos diuexatus fuerat, præter ſpem omninò liberatum fuiſſe, & ad octuageſimum vſque ætatis annum vixiſſe, *Platerus auctor eſt in Obſeruationib. p. 474.*

Obſeruatio de Betonica.

Caulium rubrorum apud ignem calefactorum & locis affectis impoſitorum, ad leniendos dolores præſtantiam certis experimentis confirmat *Foreſtus l. 29. Obſeru. 10.* Collegit de eadem Auctorum teſtimonia *Schnebergerus p. 20. & ſeq.*

8.

Amuletum è Teſtudinibus parandum; cuius etiam è *Marcello Empirico, Vareignanâ, & Gaunerio* meminit *Schnebergerus p. 132. & ſeqq.* mirandarum in tollenda Podagra eſſe virium, *Solenander ſect. 1. conſil. 20. p. 86.* ſuamet confirmat experientia. Vnguento quodam è teſtudinibus compoſito feliciter ſe vſum eſſe ſcribit, *ibid.* ſed formulam non adſcribit. Quid ſi Oleum ex infuſione, vel decoctione earundem fieret? Minore enim cùm moleſtia tum faſtidio poſſet applicari. Nolo autem talibus recenſendis diutius immorari, ne Iliada & noui Epiſtolam conſcribere videar. Præſtat enim de præcauendo potius, quàm leniendo dolore conſilia inire: id quod prius à me expeditum eſt. Tu quæſo, in hoc negotio me pro virili iuua, & de præmiſſo Diſcurſu liberè iudica. Sabinæ puluis in abſumenda Polypi radice nihil præſtitit. Tu ſiquid noviſti, mecum liberaliter communica: inprimis, quid Atlada ſit *Theophraſti Paracelſi*, apud

9.

Polypi remedia.

Foreſtum

Digitized by Google

Forestum, *l.* 13. *observ.* 7. cuius attactu polypus statim in se contractus, & ita curatus est, vt amplius nunquam redierit, didicisti, ne id me celes oro. B. V. & à nobis salue. Absoluebam Breslæ D. Sancto Iacobo nobis sacro Anno 1612.

NOTÆ.

I. Antidoti podagricæ Aetij ex Hyperico dictæ descriptio habetur apud eundem *tetrabili* 3. *serm.* 4. *cap.* 45. & est talis. ℞. *Trixaginis dodrantem*, *centaurea bessem*, *aristolochia rotunda septuncem*, *radicis gentiana sexuncem*, *coma hyperici quincuncem*, *petroselini trientem*, *mei Athamantici quadrantem*, *rha pontici sextantem*, *agarici sextantem*, *mellis despumati* ℔. iij. Hoc modo autem parato. Vnumquodque per se contundito, & cribrato: deinde ponderata simul misceto, ac rursus cribrato, quò accurata permistio fiat. Deinde melli despumato admisceto, ac pastillos formato pondere drachmæ, atque ex eis vnum pro vice exhibeto. Vsus eius est circa tertiam horam diei, vbi venter onus suum pro consuetudine deposuit, pharmacum verò ipsum cum aquæ calidæ sesquicyatho liquefacito. Oportet autem eum, qui bibit, si nihil prohibeat, deambulare, quò ex motu motis pharmacum inferna contingat.

Antidoti podagricæ ex Centaureis descriptio habetur *dict.* *l.* ℞. *Centaurij minoris coma*, *centaurij maioris radices*, *trixaginis Gentiana*, *aristolochia rotunda singulorum aquale pondus puta lib.* 5. *contundito*, *& cribrata*, *&* 3. i. *prabeto per dies* XL. *ex aqua calida*. In sequentibus autem ex ordine anni diebus CCCXXV. drachmæ dimidium eodem modo præbe.

II. M. Z. H. à biennio vti Tibimet ipsi constat, à scabie miserum in modum diuexato, & vbi ad nos, hoc vere, rediisset, planè cachectico & ad hydropem procliui, post alia frustrà ferè administrata, nihil æquè profuit quàm radices cichorij, & passularum minorum decoctum, per plures septimanas continuatum, idque citrà ventriculi vllam inde notam læsionem, quæ apud alios quosdam interdum deprehenditur. Idem contra eundem affectum liberis D. E. V. Institoris, præ aliis eximiè item profuit.

AD IOSEPHVM LAVTENBACHIVM Professorem Giessensem.

Si vales, mi Lautenbacchi, bene est, ego DEI beneficio adhuc rectè valeo. Expectaui huc-vsque, sed frustrà tuas literas. Moræ itaque longioris pertæsus, ipse ad te primus scribere non dubitaui: & de meo quidem statu, vt ad te quid scribam, opus non est. Omnia enim è Bacchmanno vestro rectè cognosces. Tuum potius scire malim; de quo forsan aliquando scribes fusius. Nunc illud ex te quærere libuit: num censeas, Cichorij pro contemperando Epatis calore vsum ipsi ventriculo esse noxium? sunt enim nonnulli, qui hac in re, nescio quas iactent experientias, cùm proprias, tum alienas. Mihi verò quod sciam, simile quid, nec apud Auctores vnquam occurrit, nec ex aliis audire hactenus contigit. Vtor ipso vt frequenter, ita simul feliciter in Febribus intermittentibus præsertim Tertianis. A nullo tamen ægrotantium edoctus, quod nocumenti aliquid ipsorum ventriculo inde illatum fuerit.

Scunertus, dum cum ipso vere præterito essem VVittebergæ, singularem casum mihi recitauit, vbi tentatis frustrà aliis remediis, vnius Cichorij decocto loco potus ordinarij, ad benè multos non solùm dies, sed & septimanas bibito, tam Epatis feruor quàm humorum acrimonia contemperata, atque insuper affectus externus valdè contumax è prædictis oriundus, persanatus fuit, citrà vllam ventriculi noxam subsequentem. Et si sena, quia sicca est; & amaritudinis nonnihil, adstrictionisque participat, ventriculo prodest, de grauissimo Cratonis iudicio, *Consilio* 3. neque vt falsò alij opinati fuerunt, eundem perturbat, & debilitat: equidem non satis liquet, cur cichorium ventriculo inimicum esse possit.

De facultatibus ipsius ita scribit Dioscorides *l.* 2. *c.* 121. secundum Marcellum Vergilium, vel *cap.* 125. secundùm Matthiolum. *Seris siue Intybus*, *duum generum est*: *altera syluestris*, *qua picris*, *& cichorion vocatur*, *altera satiua*, *latioribus foliis constat*, *stomacho*, *quam hortensis vtilior*. *Qua iterum in duas species digeritur*, *vna folio latiore prodit*, *lactucarum simillima*, *altera angustiore est folio*, *&* *gusta amara*. *Vtraque refrigerat & astringit*, *stomacho vtilissima*. *Aluum sistit cocta*, *si cum aceto assumatur*: *Syluestres stomacho meliores*; *quandoquidem astuantem ipsum*, *& quem imbecillitas vexet*, *cibo leniunt*, *&c.* De eodem hoc prodidit Galenus *l.* 8. *de compos. medic. ad loc. cap.* 8. *Cichoria & seris cibarij generis existunt*. *Apud nos namque rurales ambo hac edunt*, *& cruda*, *& cocta*. *Vtitur eis etiam Erasistratus*, *abundè in affectionum circa aluum curâ*.

Facultas horum olerum subfrigida est, *& subamara*, *ac moderatè adstringens*. *& propter has qualitates optima pharmaca calidis temperaturis ipsius Epatis existunt*. *Vltrà hoc quod moderatè refrigerant*, *amplius & robur visceri addunt per adstrictoriam facultatem*: *Insuperque commissuras ascullorum venarum in simâ visceris parte ad eas*, *qua in gibbâ sunt*, *extergent*. *Neque verò frigidas intemperies magnoperè ladunt*, *quemadmodum*, *qua frigidam humiditatem*, *absque adstrictione aut amaritudine possident*, *facere solent*. *Iuuare etiam viscus talium olerum substantia potest*, *etiamsi citra serosorum aut aliorum vitiationem intemperies fiat per se*; *& cum humiditatis cuiusque complexa*. *Ex mixtura cum aceti humiditatem per vrinam educunt*. *Quapropter etiam siccata*, *ipsa quis potioni inspergat*, *eisdem iuuant*; *quin & decoctorum decoctum paratum multum commodi adfert*. *Si verò non calida aliqua intemperies infestet*, *aut si obstructio quadam sit circa viscus*, *magnoperè auxiliantur ex Vino albo tenui potata cum his*, *qua vrinam cient*; *Vtilis autem non solùm succus ipsorum est*, *tum recens*, *tum exsiccatus*, *sed & ipsa olera exsiccata*, *ipsaque ac trita*, *potui inspersa*, *& eorum decoctum in potu acceptum auxiliantur*. Hæc Galenus.

Vberius cichorij vires persequitur Tabernamontanus *in sui Operis Botanici l.* 1. *sect.* 5. 22. summa hæc est: Frigidum cùm sit & siccum secundo gradu cum facultate adstringente, ita tamen refrigerante, ne vel ventriculo, vel Epati frigidioribus nocumento sit: Radices ipsius singulari quâdam vi ventriculum corroborandi pollent, floresque eiusdem ventriculi vim eacitare disertè scripsit Crato *Consil.* 112. *&* 125. proprium esse decocti Cichorij; vt non calefaciat hepar, nec infrigidet ventriculum monuit Montanus *Consilio* 13. Imò Cichoracea omnia conformando ventriculo apprimè esse vtilia, idem annotauit *Consil.* 254. An metuit laxationem ventriculi quæ vel ab amaris prouenire possit? & à paucis vnciis decocti? An non maior ea vsu fieri caepit, quod ille proponebat, & ad libram, vel vltrà libram bibere oportebat, metuenda? Multò enim maior hîc aquæ copia; quæ omni facultate adstringente insuper exhausta, & laxante ex aduerso dotata est.

Sed quid aliorum testimoniis opus est, quando res ipsa loquitur? Namque & illi, qui contrarium sentiunt, veritate coacti fatentur, apertiùs & commodiùs ipsius extractum propinari. Ast num ista confessio proprium ipsis iugulum non obstringat, ipsimet viderint. Ita enim cichorium, non quà cichorium, sed quà decoquitur, damnant: Ipsum quid decoctio vini Cichorio nocumenti imprimere possit, non satis perspicio. An non cum eandem ob causam, omnia decocta damnanda essent?

Si cui aliquando nocuit Cichorium, id accidentarium fuit, & forsan ob peculiarem aliquam *idiosyncrasian* factum.

Qualia cum aliis etiam sæpè numero euenire communis docet experientia: sed de his in præsentiâ satis. Tu sententiam tuam de iis, quamprimum mihi expone. Vale cum tuâ bellissimè, & a nobis salue. Dabam Breslæ die 31. Aug. Anno 1612.

III. Si quis huiusmodi febrem ad ephemeram plurium dierum non solùm quatuor, sed quadraginta velit referre, non repugnabo: Nam cum sanguis incendius fomes sit eius, communis autem Febris, quæ ad Ephemeram omnium consensu reducitur, in sanguine seu subiecto hæreat. Febrem sanè hanc ephemeram dicere nihil vetat: Sed cum quatuor diebus tantùm nequaquam finiatur, verùm quadraginta vt notauit Hippocrates, & quotidiana confirmat experientia, certè ad ephemeram 4. dierum nomen ê referri potest, sed quadraginta, vt non sit vna & simplex continens, sed veluti multiplex, id est, plures sibi succedentes & continuatæ, quod typus profectò insinuare videtur, quandoquidem huiusmodi febres quarto quoque die mouentur, hoc est, exacerbari, & increbrescere sensim de nouo incipiunt, & cùm vnum aut alterum diem steterint, sensim imminui vsque ad quartum, in quo rursus nouum capiunt motum & augmentum: quæ febres sanè sunt admodum frequentes, &c. Carolus Piso *de serosa Colluuie p.* 357. *& seq.*

IV. Crato ad Thomam Iordanum *Epist.* 150. *de Cornibus Ceruinis* hæc scribit. *Profectò quantum ego longa obseruatione*, *& vsu didici*, *nihil sudoriferis medicamentis*, *& cornu cerui limatura &c. in potu infusa non conuenientius*. Vtinam hoc

medicamentum vestri non negligerent! Idem mihi perse-quenti (quod vt diceretur aliquantò pro meo corpore adhuc videri posset calidius) quidam nostratium Medicorum (quinque enim illorum Epistolam istam cum Notis plerisque adiunctis legendam & censendam dedi) suadere malebat. Ego tamen veterum auctoritate innixus, consensu Recentiorum suffultus, viribus ingredientium persuasus, correctione eiusdem, & corpori meo adaptationi, nec non Epatis prospectioni (de qua in *Nota sequenti*) confisus, vsum ipsius instante autumno inchoaro. Extrà eius vsum (quando nimirum pausam aliquam interposuero) Limaturæ decoctum singulis vel alternis diebus, loco alterius iusculi, quo ante egressum è domo à multis annis vti consueui, bibere, aut potui ipsam cum aliis appropriatis immergere possem. Vtrum Tibi placeat proximè edissere.

V. Ne Epar propter ingredientium caliditatem magis accendatur; rotulæ diarrhodonsantalon ab intrà crebriùs assumi, foris emplastrum santalinum regioni ipsius imponi poterunt.

VI. Alexander Medicus senior ad materiam pituitosam proponit medicamentum efficacissimum, quod vocat Diacorallium. ℞. *Coralij non nostri marini* (habet enim vim adstringendi; at hic aperientibus opus est) *sed anagallidis* ℥. ij. hæc insignem habet vim attenuandi, & absumendi humores pituitosos, calidóque innato partium animalis est amica, adde *myrrha* ℥. iv. quæ valdè detergit, & ad remota penetrat, menses validè mouet: *Caryophyllorum* ℥. ß. *Rhapontici* ℥. i. quod mirabiliter detergit, *Folij* ℥. ß. rarò bonum inuenitur, ego bis tantùm vidi, eius loco imponemus *Nardi Indica* ℥. vi. *vol.* ℥. i. *rad. peonia* ℥. i. *Aristoloch. rotund. longa* an. ℥. ii. *spica Nardi* ℥. iv. Fiat Puluis tenuissimus, exhibeatur ad ℈. i. summo manè ante cibum per 6. horas cum tepidæ Voc. v. Medicamentum hoc calefacit, siccat, attenuat, detergit, incidit pituitam, calefacit ligamenta, propter odorata restaurat spiritus.

Quia plus iusto est calidum, exhibetur cum tepida, ne nimirum corpus exurat. Hactenus Capiuaccius *l. 1. practic. parte priore, pag. 703. ed. Venet. apud Sessas, Anno* 1606.

Michael Maierus tamen *de Ciuitate Corporis humani pag.* 132. Corallum marinum hic intelligit. *Corallum*, inquit, *adstrictione suâ vias, per quas fit fluxio, restringit*, &c.

VII. [Circa experimenta aliorum obseruandum, quod habet Henricus Nollius *Physic. Hermetic. l. 9. cap. 1. pag.* 397. Quia enim varietas digestionis, telluris, & nutrimenti aliter atque aliter vnam, atque eandem plantam afficiunt, mutationémque virtutum ei conciliant, remedijs compositis, quæ sparsim apud Medicos in eorum Libris leguntur, non semper tutò credendum esse statuit. Et rursus *eodem cap. 4. pag. 422. Vt complexiones* inquit, *hominum, pro varietate regionum, quas inhabitant, variant; ita virtutes quoque herbarum einsdem speciei, pro diuersitate soli, constellationum, dispositione aëris & temperamenti, diuersa sunt.* Non ergò sequitur, Galenus hâc herbâ curauit Elephantiasin: E. & hodierni Medici eâdem herbâ Elephantiasin curare possunt in his regionibus. Aliorum igitur Medicorum experimentis non prutinus fidendum, sed ea iuxta Regulas à se ibidem *cap. 6. in Comm. super Axioma 4.* positas, & è præmissis exstructas, examinanda prius esse hortatur, &c.

Regulæ Nollij *dict. l. pag.* 451. habentur, quarum *Prima* est; Scias hominem in hunc mundum diuinitus constitutum esse, & ex mundo propter imperfecti corporis complexionem alimentum petere, vt sic suam vitam vsque ad fatalem terminum diuinitùs ipsi destinatum prolonget, & conseruet. Alimentum autem quod ab homine assumitur duo in sese continet, homogeneam naturam, & hetrogeneam: Homogeneam, quæ post conuenientem coctionem & digestionem in identitatem corporis humani insinuatur, & planè eidem assimilatur: Heterogeneam, quæ à Balsamo hominis excernitur, ne sibi intrà corpus matricem seligat, atque ad fontem vitæ œconomiam singularem aduersos naturalis vitæ dispensationem instituat, morbos procreet, & tandem mortem immaturam afferat. Quod si verò forsan accidit, vt excrementa intrà corporis cancellos relinquantur, meatúsque per quos separari & extrudi debebant, obstruantur, innatus Archæus debilitatur, & sine subsidio eiusmodi excrementa (siue sint crassa & corporea, siue spiritualia) expellere nescit. Quod Medici videntes deliberato consilio statuerunt subsidium, quo alienæ istæ superfluitates è corporis angustiis exturbari possint, & debeant, esse similiter ex fructibus terræ, quales sunt plantæ, promendum, & adhibendum. Hinc alia atque alia experimenta sub initium facta generales tandem Regulas pepererunt, quarum ductu posteros docuerunt, quomodo ex vegetabilibus salutaria medicamina, quibus impuritates heterogeneas è corpore extruderent, sibi conficerent, & præpararent. Verùm vel ex incuria Medicorum antiquorum, vel ex detestanda negligentia asseclarum in huiusmodi methodum magna ἀταξία irrepsit, vbi in præscriptione remediorum locus, tempus, constellationes, & ætates vegetabilium planè omissæ, & hominum, quibus experimenta, & medicamenta applicata fuere, conditio, & complexio, sedes, & regio, alimenta, & aëris constitutiones, vt & frequenter ætates neglectæ fuerunt: Quæ omnia cordatiori Medico probè consideranda propono, & suadeo, vt ne ita temerè aliorum Medicorum experimenta sibi propria faciat, aliisque ex indebito ipsorum vsu & applicatione creet periculum, &c.

Secunda est. Scias hominis corpori inesse calorem, quo astrales radij plantarum, postquam vinculis corporeis exempti fuerint, ad operandum animentur. Sine calore enim nullum astrum alicuius corporis ad agendum disponi & promoueri potest.

Tertia est. Noueris in homine esse etiam naturam balsamicam, & salinam, quâ primùm vegetabilium corpora, si cruda assumpta fuerint, aperiantur, vt exinde astrales radij exire, corporíque humano conuenienter vniri possint.

Quarta est. Scias ab hominibus diuersis propter interiorum summam diuersitatem astrales radios, in quibus vires, & potestates vegetabilium consistunt, non æquè recipi, sed in hoc homine fortiter, in alio debiliter, in alio penè nihil operari, vt vel hoc vnicum te mouere debeat, quod ab hac planta certæ speciei morbum è quolibet homine absque omni errore & incertitudine pelli vix credendum sit. Ne tamen ex dictis concludas, me velle omnium Doctorum Medicorum certissima experimenta incertitudinis pallio inducere, atque felicissimam ipsorum curationem suo digno encomio spoliare: Nam si Doctorum Medicorum Institutione vix eo pertinges, vt feliciter ægros curare discas. Hoc velim, vt primùm omnes circumstantias ex dictorum meorum ratione probè examines, & ea, quæ Medici posteriores litteris consignarunt, duobus oculis aspicias, vno, quo intueri possis eorum inuenta; altero, quo ea, quæ aliundè mutuò sumserunt, & in vsum suum traxerunt, cognoscas. Inuenta ipsorum iudicabis & probabis ex dictis Regulis. Ea verò quæ alijs descripserunt, ita inquirito, vt 1. Regionem & locum Medicorum, à quibus primùm ea profecta fuere. 2. Terram, in qua vegetabilia, à primis Inuentoribus vsurpata, nata fuerunt; & 3. consideratis omnibus circumstantiis vires eorum vegetabilium probè pensitet.

Quod si feceris, & secundùm naturæ lumen eâ ratione praxin tuam instruxeris; non tantùm solidâ eruditione animus tuus imbuetur, sed etiam ægri felicissimè sanitati pristinæ tuâ operâ restituentur.

VIII. Puluis VVecheri habetur in eiusdem *syntax. medic. l. 1. par. 2. p. 629.* ℞. *Chamædryos vtriusque, gentianæ, centaurij, rhapontic. aristoloch. rot.* an. ℥. ß. Puluerisata misceantur, & F. Puluis.

IX. Crusius in *supra citato loco* sequentia habet. Diæta carnificina *Naturæ*, *Rationi*, *& Auctoritati* est aduersa.

Naturæ: Natura enim in perpetuo motu, vel cibum digerendo, sanguinem producendo, vel excrementa expellendo per vrinam, poros, sedes, aures, nares. Deficiente verò alimento, Spiritus esuriunt, sitiunt. Nisi defectus suppleatur, exoritur spontanea lassitudo, grauis suctionis sensus, molestus singultus, subsequitur pallor, mæror, perniciosa humorum adustorum colluuies, nec non præmatura humidi radicalis exsiccatio. Quid ergo Medicus aliud tam subtilius efficit diætis, quàm se priuat nomine, & naturam vigore.

Rationi: Hæc enim sic colligit. Si diuersimodè fit coctio, diuersimodè etiam fieri debet alimenti exhibitio. Sed verum prius, ergo & posterius. Antecedens probatur. Quotuplex enim caloris est temperamentum, totuplex est diætandi præceptum. At caloris temperamentum in quolibet indiuiduo est multiplex pro varietate temporis, laboris, ac motus animi; vide Hippocratem *sect. 1. Aphor. 15.* & Galenum *in comm. & sect. eadem, Aphor.* 18. E. & diætandi præceptum.

Connexio est manifesta. Concoctionis enim absolutio est indubitata cibi offerendi indicatio. Quæ si minus obseruetur, stomachus pessimis repletur humoribus, vtpote biliosis & serosis succis, fastidia procreantur, ventriculi robur dissoluitur, appetentia eripitur, & totum corpus atrocibus obnoxium redditur morbis. Vide Galenum *l. 3. de facult. naturalib.*

Auctoritati, eique Authorum, vel antiquorum, vel recentiorum.

1. *Anti*

Digitized by Google

1. *Antiquorum*. Hippocrates ille diuinus, qui primus Medicinam in Artis systema redigere conatus est *sect.* 1. *Aph.* 5. sic scribit: *In tenui victu peccant ægroti, quo fit, vt magis lædantur.* Siquidem quodvis peccatum grauius hîc, quàm in paulo pleniore victu solet esse. Eâdem de causâ sanis etiam valdè tenuis, statáque & exquisita victus ratio parùm tuta. Quare tenuis exactísque victus paulò plenior existit maximâ ex parte periculosior. Cornelius etiam Celsus Medicorum Cicero, qui primum inter Romanorum Medicos, locum meruit, rigidam diætandi carnificinam *l.* 1. *Medicina cap.* 1. electo verborum apparatu dissuadet, inquiens: *Sanus homo, qui & bene valet, suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet, ac neque Medico, neque iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiusque in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentiùs se exercere; siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti: modò vngi, modò idipsum negligere. Nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur, interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se detrahere: modò plus iusto, modò non ampliùs tantùm assumere, bis die potius, quàm semel cibum capere, & semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat, &c.*

2. *Recentium*. Marsilius Ficinus indefessus Platonis sectator, & illustrator, *l.* 2. *de vita produc. cap.* 4. *fol.* 64. *Qui ait, in omni ætate lautissimâ quâdam curiositate viuimus, sæpè nimis tuti viuimus.* Paracelsus etiam ille Theodidactus, Germaniæ, & Medicinæ lumen, à quo falsitatis nebulæ maxima ex parte dissipatæ, & Medicina ad pristinum scilicet Hermetis seculo florentem nitorem redigi cœpta, priorum sententias confirmat, & *Comm.* 5. *in Comm. Aphor. Hippoc. fol.* 105. & 109. rationibus illustrat.

Hoc nobis ait, pro admonitione accipiendum est, ne sanos homines adeò subtili diætâ nutriamus, sed potiùs cibo efficaciori? Nec ita amussim seruari diætam, aut intra numerum dimensum debet, imò varia concedere permittamus, non certa quadam. Quando enim in morbos incidunt, eò meliùs cibos crassiores ferre possunt, & citiùs sanabuntur, quàm subtiles homines. Qualis igitur est cibus, talis etiam fit natura. Quæ si à cibo subtili nutrita fit, in Medicina parùm adiuuat. Si verò à cibo robustiori fit pastu, tum medicinam egregiè sublevat, &c.

X. Pilulæ Tartareæ describuntur *in pharmacop. restitut. Querc. cap.* 15. *pag.* 732. ℞. *Crystallorum, vel Cremor. Tartari* ℥. iij. *polypod. q.* ℥. ij. *passularum Corinthiacar.* ℥. i. ß. *myrobalan. omnium* ana ℥. ß. *Flor. buglossa, borraginis, nymphæa*, Coque in s. q. *aq. fumaria, & scolopendria* ad medietatis consumptionem: de hoc decocto acidulo, & gustui grato optimè depurato & clarificato cape ℔. ii. *succi optimè depurati, pomorum redolentium* ℔. i. quibus adde *folliculorum sena mundatorum* ℥. iij. *turbith. radic. hellebori nigri veri* ana ℥. j. ß. *myrrha el.* ℥. j. *macis, caryophyll. cinnamomi, epithymi*, ℥. ß. macerentur & digerantur omnia ad ignem B. M. per quatriduum, idque in vase vitreo optimè clauso; deinde dum materia adhuc feruet: fiat expressio, vel per setaceum traiectio, cui adde *Aloes*, vt suprà præparatæ ℥. iv. omnia sufficienter coagulentur ad ignem lentum, addendo sub finem, dum ferè refrigerata erit materia *spec. lætific. Galeni, diarrhod. Abbatis, Trochisc. dialacca* an. ʒ. i. *Salis Absinthy, & fraxini* ana ʒ. ij. *Essentia Croci* ℈. ij. *Olei Anisi* aliquot guttulas, redigantur in bonam pilularum consistentiam.

Pilulæ Tartareæ correctionis Sennerti, habentur apud eundem *l.* 3. *prax. Medic. p.* 472.

℞. *Polypod. q.* Vnc. ij. *cortic. tamarisc. rad. cappar. rad. buglossa* ana Vnc. ß. *passularum Corinthiacarum contusarum* Vnc. i. ß. *myrobalanorum Indarum* Vnc. i. *florum Genista seminum. aquilegia, genista.* Misc. an. ʒ. ij. Infundantur in vase vitreo clauso *in s. q. aqua fumaria, & scolopendria*, addita *salis Tartari* ʒ. 1.

Colaturæ ℞. ℔. ij. *succi pomorum odoratorum* ℔. i. In iis in B. M. per quatriduum digerantur vase clauso *Cremor. Tartari* ℥. i. ß. *folior. sena* ℥. ij. *follicul. sena* ℥. i. *Turbith el.* ʒ. vj. *radic. Chalap.* ℥. ß. *Hellebori nigri, myrrha el.* ℥. j. *florum Cordial.* ℥. i. ß. *epithymi* ʒ. vj. p. ij. *macis, cinnamomi, caryophyll.* ana ℥. ß. posteà colentur & exprimantur. Colatura in B. per diem adhuc digeratur, posteà, quod clarum est, effundatur, cui adde *Aloës præparata* ʒ. iij. Misc. & coagulentur igne lento, sub finem, adde *spec. Diarrhod. Abbatis lætificant. Galeni, Trochisc. de lacca, de capparibus*, an. ʒ. i. *salis foliorum sena, Fraxini* an. ʒ. ß. *ol. Anisi* gutt. vj. *Citri* gutt. ij. Misc. F. Massa. Si libet possunt acui, extracto Scammonij.

Pilulæ Tartareæ correctæ nostræ descriptionis parantur vt sequitur.

℞. *Rad. polypod. q.* ℥. ij. *asari, chelidonij* M. ß. *genista, carthami* ana ℥. ß. H. *fumaria, ceterach*, ana M. j. *florum buglossa, borraginis, violarum, genista* ana M. ß. Coque in s. q. aquæ puræ fontanæ. *Decoct. clarificat.* ℔. ij. adde *succi buglossa* ℔. j. In his infunde *foliorum sena elect.* ℥. iij. *turbith. elect. & gummos. radic. hellebori nigri* ana ℥. ß. *macis, caryophyllorum, Cinnamomi, semin. cuscuta* ana ℥. ß. *salis Tartari* ʒ. j. Stent in infusione in vitro probè obturato in B. M. per quatriduum, posteà colentur cum forti expressione. Colaturæ adde *Cremor. Tartari* ℥. iij. *Extract. Aloës* ℥. iv. *Myrrha* vino dissolutæ & percolatæ, *Ammoniac. aceto squillit. solut.* ana ℥. ß. Omnia iterum diebus tribus vel quatuor in B. M. digerantur, & inde inspissentur, & coagulentur ad ignem lentum. Sub finem dum massa ferè refrigerata fuerit, adde *spec. diarrhod. Abbatis, lætificant. Galeni, Trochisc. de Laccâ*, ana ʒ. i. *Salis Absinthij fraxini* ana ʒ. ij. *Essentia Croci* ℈. ij. *Extract. Ligni Aloës* ℈. i. Misc. & s. a. F. Massa.

XI. Extractum Catholicum nobis familiare.

℞. *Colocyntidos*, ℥. vj.
Agarici optim. ℥. iv.
Aloes electa ℥. viij.
Hellebor. nigr. præparat.
Turbith.
Diagrydij an. ℥. iv.
Spec. Diarrhod. Abbatis ℥. iv. C. S. V. F. s. a. Extractum.

XII. Pilulæ ex sarsaparilla habentur *d. l. p.* 275.

℞. *Sarsa parilla* ℔. ß. abluatur bis cum aqua, & extergatur, deinde concidatur minutim in ramenta, & triduum macerentur in *libr.* 4. *aqua Betonica*; postea lento igne ferueat in vase fictili, donec ad libram vnam, liquor omnis redeat. Colerur cum forti expressione, vt succus omnis extrahatur, qui posteà ad ignem lentum coquatur cum infrà scriptis.

℞. *Aloes puluerisata* ℥. i. ß.
Fol. sena mundat. ℥. i.
Ligni Aloes,
Cinnamomi an. ℥. i.
Croci ℈. i.

Puluerisatis omnibus coquantur, donec inspissetur liquor ad mellis consistentiam. Ex ea pasta formentur Pilulæ 4. pro drachma, quarum duo aut tres diluendo deuorentur alternis diebus per mensem integrum; & toto eo tempore vtatur in pastu pro potu ordinario decocto salsæ parillæ.

XIII. Pilulæ Cholagogæ de Centaurio Quercetani habentur *in eiusdem pharmacop. restit. cap.* 15. *pag.* 731. ℞. *succorum optimè depuratorum, Centaury minoris, Rosarum pallidarum, Eupatoria Mes. & rad. Oxylapath.* an. ℥. iv. quibus adde *Aloes* præparatæ vt suprà ℥. vj. digerantur ad ignem B. M. per 12. horas, vt fiat perfecta dissolutio, & mixtio, deinde omnia coagulentur ad mellis consistentiam, cui adde *puluer. Rhabarb.* ℥. i. *Xyloaloes, myrrha*, an. ℥. ij. *Croci, Cinnamomi* an. ℥. ß. *spec. diatrionsantal. trochisc. diarrhod. Abbatis* an. ℥. i. F. Pilularum Massa.

Pilulæ Panchymagogæ habentur *d. l. p.* 730.

℞. *Aloes* præparatæ vt suprà ℔. ß. vel amplius, prout tibi videbitur, hanc inde in vitrum amplissimum, capax (quali plerumque conseruæ solent asseruari) & simul affunde succum violarum, variis coctionibus & separationibus puri ab impuro, per solam digestionem in B. M. mediocriter calido, adeò depuratum & coctum, vt tandem ad syrupi consistentiam reduci possit, citrà mellis sacchariue adhibitionem, de qua præparationis methodo abundè satis dictum est, suprà *in cap. de syrupis*, sic quoque in præparandis cæteris succis procedendum erit. Hic succus ita præparatus cum prædicta Aloë misceatur, & vitrum, in quo continetur materia, radiis solaribus æstiuo tempore, aut simili calori, vt Hippocausti exponatur, & prædictus succus inspissabitur, atque paucis diebus adeò cum Aloe permiscebitur, vt omnia in vnum corpus & in vnam consistentiam reducta esse videantur. *Nota.* Materia singulis diebus rudicula lignea optimè agitetur, vt omnia probè inuicem misceantur, cui mixtioni suo tempore inde *succorum flor. primula Veris, Persica arboris, Rosarum pallidarum, cichory, buglossa, & hyperici*, singulorum ad modum succi *violarum præparat.* ℥. iv.

Et sic intra quatuor vel quinque menses, quod temporis spatium, huius operis perfectio requirit, propter flores, qui diuerso tempore nascentes, simul colligi nequeunt, semilibram Aloës tuæ ad libram vnam & semis auctam inuenies: Omnes enim succi perfectè cum illa incorporati sunt: huius materiæ sesquilibræ, insuper adde *essentia* siue *extracti Sena* ℥. ij. *agarici, rhabarbari* an. ℥. ij. *cinnamomi, pulueris santali dulcis, anisi* an ʒ. ij. *spec. Diatrionsantal.* ℈. iv.

Omnia reducantur ad bonam pilularum consistentiam, quæ

ad ℈.i.ß. exhibitæ in vniuersum omnes purgant humores & ipsum etiam sanguinem : vnde hoc remedium panchymagogum appellandum duxi, *&c. dict. l.*

XIV. Mindererus *dict. l. p. 184. Aloë est Balsamus quidam naturæ cunctos humores, succosque, siquidem naturales adhuc fuerint, conseruans, præternaturales euacuans, medens emendans, vniuersos putrescere, ac corrumpi prohibens, &c.* Non est dignus aloë, qui Aloën non nouit, vel qui ob amarorem eius citiorem mortis amaritudinem experiri cogitat; securior namque est aloës amaritudo in ore, quàm necis præcipitium non minus acerbum in ventre. Nec studet sanitati, qui amat dulcia, videtúrque natura sub amaritudine multa prorogandæ valetudinis remedia abscondisse, ac collocasse, ne quilibet ad stultam longæuitatem adspirans ea lamberet, quomodo & spinis, aculeisque, aut tetro quodam odore, vt & à brutis immunia persisterent, præcipuas quasdam plantas armauit. Prostet hic Rithmus.

Tota ventris valetudo,
Oris sit amaritudo.
Bitter in dem mund
Macht das hertz gesund.

XV. Amuletum è Testudinibus habetur apud Solenandrum *d. l.* Accipiatur testudo mascula (cognoscitur inter cæteras caudæ discrimine, & leni sub inferiore testâ, incisura,) vbi Luna fuerit maximè lumine diminuta, priusquam cum Sole coniungatur, amputentur viuæ crura omnia, ea consuta in sacculos ex pelle hædinâ angustos, alligentur membris patientibus, ita vt dextrum crus testudinis dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro: item anterius crus dextrum, bracchio dextro applicetur, sinistrum sinistro. Quo loco alligari debeat, non expressum fuit à Medico, Monachus super genua suspenderat & in brachiis super cubita. Hoc remedium cum fuit à Medico expositum Fonsecæ, tum temporis non adfui. Posteà cùm Episcopus hæc mihi retulisset, voluit vt ipsos Monachum conuenirem, & omnia diligenter considerata intelligerem si quid aliud desideraretur in remedij suspensione. Conuenio ipse Monachum, colloquor, nihil intelligo præter iam à me scripta: contrectò iuncturas, inuenio detumuisse: & quæ ipse ante aliquot menses suspenderat suprà genu, tumore dissoluto iam deciderant in pedes, & parum aberat, quin exciderent: cùm rogarem quid causæ esset, quare non paulatim stringeret alligata pro ratione tumoris decrescentis, respondit: se expectare, vt omninò tumore resoluto exciderent. Addidit ex his, cùm primùm alligantur, aliquid putrescentis odoris exspirari, sed statim difflari exsiccatis cruribus sanguinolentis, nihil præterea incommodi esse retulit. Is idem Monachus longo itinere per varias ambages, me pedes è cœnobio eduxit, vt ostenderet, quàm se rectè haberet, &c. De differentia testudinis nihil addidit Monachus: tamen si quid inde auxilium sperandum sit, arbitror in podagra frigida applicandas terrestres: in calida aquaticas: nam illud discrimen obseruare soleo ab aliis primùm edoctus, in vnguento quodam, quod ex testudinibus ad arthritidem compono, quo aliàs sum feliciter vsus.

EPISTOLA XLI.

PERIOCHE.

1. Præseruationis ratio ab Arthritide in quo consistit. 2. Topica pro roborandis pedibus. 3. Probatur chamædryos decoctum Solenandri. 4. Nausea quomodo post assumptum purgans auertenda? 5. Anodina in paroxysmo cum maximo successu vsurpanda. 6. Cataplasmata Chirurgi Principis Bregensis pro arthriticis. 7. Eiusdem contra nodos Podagricos emplastrum. 8. Amuletum Solenandri aliaque pro arthriticis remedia. 9. Styli ex plumbo stanno & argento monetario mixti vsus & vires.

D. MICHAELI DORINGIO,

PAVLVS MVNTZERVS, D.

S *Clarissime Vir*, in Epistola tua nihil occurrit, quod vel ipsa Calumnia iure reprehendere possit. Quia tamen iussisti, vt siquid occurreret, notarem, non Doctoris, sed saltem Monitoris vices sustinebo. Tu pro Candore tuo dextrè ista accipies.

Præseruatio ab arthritide in quo consistit.

Primò. Cùm tota præseruationis ratio ab Arthritide consistat in eo, vt & corpus à prauis, inprimis serosis, humoribus liberum præstetur, & membra tum mundantia, tum recipientia roborentur; priori quidem rectè, *Antidotus Aetij ex correctione tua* satisfaciet: At de roborantibus, præsertim externis, nulla facta est mentio. Præter autem capitis lotiones ex Polytrichi decocto, *Solenander f. 4. c. 25. Crato l. 2. conf. 86. & alij* pro pedum roboratione valdè commendant decoctum Ligni Iuniperini scobis, ex Aqua Chalybeata, vsque dum lixiuij ruborem acquirat. Possent addi folia Quercus, &c. *Consul Bregensis D. Geisleri pater*, & pro præseruatione & pro curatione felicissimè vsus est decocto corticis Tiliæ, quo pedes fouit per lintea, & lauit. Alij alia habent.

Topica pro roborandis pedibus. 1.

2. *Probatur Chamædryos Decoctum Solenandri.*

Secundò. Sub Chamædry facis mentionem decocti CAROLO V. à Medicis Genuensibus communicatum. Sed, quæso te, vide descriptionem eiusdem apud *Solenandrum f. 4. Conf. 85.* & iudica, num tibi ex vsu sit? Mihi certè nec ineptum, nec ingratum fore videtur, præsertim cùm ratione tui corporis Aqua extinctionis auri reliquorum caliditatem multum attemperare possit.

Tertiò. Quid si dimidia pulueris pars cum ROB sambuci, aut baccarum Iuniperi, misceatur, & per interualla certa ex hoc medicamento sudores matutini promouerentur? Certè huc alludit *Crato l. 5. cons. 27.* vbi etiam monet, vt singulis 7. vel 14. diebus interponatur huius medicamenti vsui euacuatio ca ℥. i. Rhabarbari cum aqua cinnamomi aspersi, in substitoria assumpti. Nauseam vereris? Qualiscunque à quocunque medicamento, nausea excitetur, Nucleum Iuglandis immediatè post probè mastica, & exemplò euanescet. Experto crede. *Stegbius Medic. Practic. l. 8. c. 16. in Historia Iuglandis.*

Quomodo nauseam post assumptum purgãs auertendã?

Anodina. 1. 2.

Quartò. In paroxysmo mihi siquidem pauca experta: sequentia tamen vidi cum maximo successo, vsurpari. *Herbam hyosciami & verbenæ virid. destilla.* Aqua per lintea applicata dolorem omnem sedat. Idem alij referunt de aqua Boni Henrici.

Illustrissimi Principis Bregensis Chirurgus, magnum honorem apud plurimos consecutus est, suis Cataplasm. quæ quidem diligentissimè occultauit, tandem tamen à me deprehensa fuerunt, sunt autem *seqq.* Verba ipsius refero.

I. ℞. *Pulmor. Rad. picnocom* (Regin. Prati, Voaldhard, geiss-barde, Iohannes Vuadel) *Tragopogi* (Rochshuuertze) M. cum aqua omnium florum, & F. Pulticula calida imponenda, & sæpius renouanda. 3.

II. ℞. *Rad. picnocom.* p. iij. *Rad. vuæ Lups*, p. i. *Baccarum de Vuâ versâ* p. ß. *cum aqua sambuc. & ebuli. F. instar pultis*; parum coquatur, & imponatur. Hæc ex Manuscripto eiusdem. Vbi etiam contra Nodos podagricos seq. addiderat. 4.

Contra Nodos Podagricos.

℞. *Bulhartz.* ℔. 2. *Therebinthin.* ℔. j. *Rad. picnocom.* ℥. j. M. F. *Emplastrum.*

Ad Empiricos delapsus sum: non igitur mihi temperare possum, quin & *Ducis Georgij II. p. m. Pharmacopæi* experimentum addam, quod quidem ex M. S. Medici Principis Bregensis excerpsi. ℞. *Rad. Hirundinariæ.* M. j. *macera in aqua fontana per 24. hor. Cola, & adde* ℥. ij. *(alibi erat* ℥. ß.*) Camphoræ, cum pauco S. V. dissoluta, item parum Croci & Cerussa, M. probe.* Vbi vesperi cubitum iturus es, intinge in hanc aquam pannum cæruleum, & impone loco dolenti, prius aqua frigida loto, & dolore sedato poteris dormire. Hoc tamdiu facere poteris, quamdiu dolores adsunt. 5.

Sed manum de tabula. Vereor enim ne nauseam potius hæc tibi moueant, quàm vsum. Interim hæc mei exercendi potius causa, quàm instruendi te, proponere volui. Malo enim potius ignorantiæ accusari, quàm negligentiæ. Ita omnino statuas, Vir Excellentissime, & *Muntzerum* totum tuum ad officia & cultum tui, esse, tibi persuasissimum habeas.

6. *Amuletum Solenandri.*

P. S. I. Amuletum *Solenandri* experientia comprobatum *(f. 1. conf. 20. p. 86.)* notum est. Simile proponit *Matth. Gradi de Ferrariis in Comment. super Fen. 22. 3. Canonis Auicennæ cap. de sedantibus dolorem.* Dicit enim quosdam iubere viuentem Ranam nomine dolentis accipere, & ligare in pelle ceruina, quando nec Sol, nec Luna, fuerint super terram, & cum forfice duos posteriores pedes abscindere, eósque in pelle ceruina ligatos, dextrum quidem dextro, sinistrum autem sinistro pedi alligare, &c. Fides sit penes Authorem! 7.


2. Ex

Stylus quomodo conficitur.

2. Ex plumbi, stanni, & argenti monetarij a. p. æ. Fiat mixtura. Huius sumatur q. s. pro inferna styli (à signo † ad B) parte constituenda. Fundatur, postea in alio crucibulo q. s. plumbi puri, pro longitudine styli acquirenda, liquescat, purgetur: ambo; ab hoc prior mistura in formam gypseam, ad dicti styli fabricationem ordinatam, bene calefactam, atque fine omni mora alterum quoque plumbum purgatum, donec forma ad summum repleatur, desuper fundatur, refrigeratum eximatur, & summâ industriâ cum ligno duriusculo, pergamenóque, vel corio villoso, vt a. e. leuigetur. In superiore styli parte (A) filum sericum triplicatum alligetur. Accidit enim sæpè, inprimis circa curæ finem, vt spontè ad vesicam, ob sui grauitatem decidat: qui sanè difficulter sine filo appenso posset extrahi. Potest tamen ratione circumstantiarum, & cauitatis laxioris vel angustioris aliter formari.

A

E



B

VIRES.

Sine omni dolorificâ corrosione non solùm tubercula exulcerata (industriâ in his & cautione adhibitâ singulari) carnosa & callosa penitus absumit, & curat; sed & varia alia arcet, & exstirpat molesta incommoda, vt sunt, polypi, carnes in aurium meatibus, aliisque locis extuberantes: prohibet omnem vlcerum inflammationem, exstinguit eorum virulentiam & sanationi idonea reddit, &c. [An non ☿ coagulatus idem præstare posset? cogitandum: Tota enim huius remedij efficacia à metallorum confusorum ☿, dependere videtur, quo alias ista abundant.]

VSVS.

In caruncula, & tuberculo calloso (præmissis vniuersalibus) penis immittatur quotidiè bis, vel semel stylus plumbeus, oleo prius verbasci, deinde ouorum ritè præparato, circa obtusam eius extremitatem inunctus, in fistulam vrinariam sensim, sensimque, donec ad tuberculum vsque perueniatur, (in lecto, supino decubitu, diductis cruribus hæc peragenda:) ad horam vnam; post leniter extrahatur, depurgetur, & vicissim circa vesperam reiteretur, eousque continuando, donec non solùm stylus spontè tuberculum transeat, sed etiam in vrinando, vel ♀ nulla difficultas, aut impedimentum amplius sentiatur. Post aliquot dies manifestò in vrina ægri filamenta, & carunculæ, styli ope, & facultate abrasæ, tanquam futuræ sanitatis indices, cum summo ægri leuamine apparebunt: absumitis autem tuberculis, ne minimum quidem. Solas enim excrescentias & nihil aliud absumit. Itaque etiam præseruationis causâ applicari potest, &c. Anton. Fley in *disputat. publ. Basil.* 20. Octobr. Anno 1615.

Carrichter Herb. *Fol.* 26.

3. Schwartze miurtze gessen vnd in wein gelegt, davvon getruncken, vnd mitt dem safft die nasen außgevvaschen des tages 3. mahl, hat in 3. vvochen einen Polypum durchaus geheilet.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Antequam me ad secundam curam prælectionum accingam; quod cum Deo, quamprimùm faciam, *Clarissime Dn. Affinis, Compater, & Amice plurimùm venerande*, tuo omninò adhuc opus est mihi consilio. Velim ergo tuam mentem mihi explices, quam methodum obseruandam in eo labore putes. Nimirum an vulgata & trita practicorum viæ insistendum sit; an verò noua quærenda, quam tentarunt Perdulcis, Vassæus, Vidius, Trincauellius, etsi posteriores præcipuè suo hanc non semper obseruarunt, sed subinde ad vulgatam illam delapsi sint. Ego quid hac de re cogitauerim, paucis aperiam. Tuum erit ea liberè perpendere, & iudicare, & vbi poteris, meliora monstrare.

Cynosura Medici qualis esse debeat?

Cùm Indicationes à causis in primis, ac morbo petitæ, Medici, quam vbique spectare debet, Cynosura sint; & symptomatibus, nisi causarum naturam induant, nulla debeatur curatio, & passim in practicorum Libris, vbi symptomata præcipuè respiciuntur, sæpe eadem repetantur: videretur mihi commodissimum, si omnes morbi capitis ordine explicarentur. Nimirum intemperies simplices, cum causis, signis, curatione: eodem modo intemperies, cum materia; deinde morbi organici: postea morbi solutæ vnitatis, & tandem morbi compositi. Et cùm partes capitis variæ sint, primò proponendi mihi videntur morbi toti capiti communes, vbi vix alius occurrit, quàm hydrocephalus, deinde morbi cutis capitis, pericranij, cranij, membranarum cerebri, & ipsius cerebri. Quod si fuerit expeditum, laborandum, vt omnia symptomata, & actiones læsæ ad has causas referantur, dolor scilicet capitis, deliria, & similia; & quomodo tollenda sint, è causarum & morborum antè enumeratorum tractatione monstretur. Si quid tamen peculiare & proprium alicubi occurrerit illud specialiter tractandum.

Author quâ methodo in publicis prælectionibus vti intendat.

Capitis partes variæ.

Hinc omnium sensuum organa eodem modo tractanda, & quos morbos pati possint, monstrandum, & symptomata omnia ad ea reducenda. Idem faciendum in morbis thoracicis, & ventris inferioris.

Hoc etiam deliberandum: An omnes omninò morbi, & omnia symptomata tractanda sint; an verò sufficiat saltem præcipua, & quæ sæpius occurrunt, explicare. Exempli gratiâ, an vitia capillorum, cutis cranij, omittenda, & statim morbi cerebri tractandi. Foret enim ista tractatio, si omnia tradi deberent, prolixior, & possent ista suo tempore addi. De eo quoque deliberandum, an obseruationes, quæ passim apud authores occurrunt, suo quæque loco inserenda sint. Etsi enim Schenckius plerasque collegerit, & liber in immensum molem hoc modo excresceret: tamen methodi breuitas eum alibi contrahere posset, & vtile esset talia in conspectu habere. Dubito etiam de hoc, an quæ de symptomatum causis in Institutionibus dixi, hîc repetenda sint. Si enim omisero ea, manca erit tractatio, si repetiuero, idem bis dixero.

Author an omnes morbos capitis eorumque symptomata tractare debeat incertus.

An sint repetenda quæ de symptomatum causis in Institutionibus dixit.

Hæc hac vice, ne Tabellarius iste ad te vacuus abiret, ad te scribere volui. Rediit quidem heri Rhedarius, & tuas mihi tradidit, verum, vt iam responderem, otium non est. Fiet id proximè. Interim cum tuâ benè vale. Festino calamo VVittebergæ 14. Iul. Anno 1622.

EPISTOLA XLII.

PERIOCHE.

1. Cynosura Medici qualis esse debeat? 2. Author quâ methodo in publicis prælectionibus vti intendat? 3. De capite docturus quomodò procedendum. 4. Author an omnes morbi capitis eorumdémque symptomata tractanda sint, incertus. 5. An quæ de symptomatum causis in Institutionibus dixit hîc repetenda sint, dubitat.

EPISTOLA XLIII.

PERIOCHE.

1. Iudicium Doringij de methodo à Sthegio in suis Libris seruata. 2. De methodo Perdulciana. 3. Author quam sibi in practicis lectionibus methodum seruandam proposuit Sennertus, commendat. 4. Quid in Sennerto vltra requirit. 5. Doctrina in Institutionibus proposita sine causa non repetenda. 6. Vt obseruationes practicis lectionibus addat, hortatur. 7. Dissuadet præcipuos saltem morbos ac symptomata tractare, & ad perfectum opus elaborandum nec prolixitatem nec laborem reformidare incitat.

Digitized by Google

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

A vulgaribus practicis eadem in diversis locis sæpè repetuntur. *Indicium Doringij de methodo à Seghio in suis Libris servata.* *De methodo Perrumiana.* *Methodus Sennerti in practicis lectionibus servanda laudabilis.*

S Consilium super methodo in lectionibus practicis servandâ, meum quod expetis, dabem equidem libenter tale quale tu exoptas, modò à tenuitate mea id proficisci posset. Et sanè à vulgaribus Practicis eadem diversis in locis, sæpè repeti conquestus est Seghius in præfatione ad Lectorem *super artem suam Medicam.* Ipse igitur nouam quoque quæsiuit methodum, & iuxta essentiales morborum differentias, in certas classes morbos redegit, ac de cognatis eodem in libro pertractauit, vt in ipsius opere videre poteris. Quæ methodus etsi suam laudem mereatur: tamen cùm eiusdem partis morborum doctrinam in distinctis locis exhibeat, Lectorem distrahit, & quo quæque loco quærenda sint, suspensum nonnihil reddit. De Perrumiana idem pronunciari posse videtur. Tua, quam in proximis litteris delineasti, magis arridet, vtpotè quæ non solùm Lectoribus, vulgatæ methodo, secundùm seriem partium humani corporis institutæ, assuetis, perbellè satisfiet, sed & cuiusque partis morbi, debito loco expositi, vltrò patebunt, ac sine labore reperientur.

Auctor quid vltra requirat? *Doctrina in Institutionibus proposita sine causa non repetenda.*

Hinc symptomata, si quæ causæ, vel morbi rationem induant, subiicienda, eorumque ablatio docenda erit. Causarum istarum doctrinam in Institutionibus propositam, hîc ob rationes aliàs scriptas, repeti nolim: nisi fortassis quædam rectiùs dici posse censueris, quæ posteriores cogitationes monstrauerint.

Obseruationes practicis lectionibus addenda. *Auctor ad perfectũ opus elaborandum Sennerto suadet.*

Obseruationes siue proprias, siue alienas, suis locis vbi haberi poterunt, omninò inseri velim: Maximam enim lucem doctrinæ generali exempla particularia allatura esse, nullus dubito. Vt præcipuos saltem morbos ac symptomata, more quorundam aliorum pertractes, suadere nolim. Si namque perfectum opus meditaris, nec proliniorem, nec laborem reformida, Si id semel plenè elaboraueris, secundâ, tertiâ, vel quartâ curâ supersedere poteris.

Hæc tuo rogatu, quàm breuissimè istâ occasione, tibi vberius diiudicanda proponere volui: quæ, vt æqui, bonique consulas, etiam atque etiam te rogo. Benè cum tuis vale, & à nobis salue. Brestæ, die 8. Aug. Anno 1632.

EPISTOLA XLIV.

PERIOCHE.

1. Sudorifera in febribus malignis & epidemicis mox in principio rectè exhibentur. 2. An in reliquis febribus salutaria, dubitatur. 3. Clysteres in principio febrium malignarum non sufficiunt. 4. An manna aut cassia? 5. An in principio cum incommodo ægri purgantia exhibeantur? 6. Auctori nemo qui de coctione in intermittentibus scripsit, satisfacit. 7. De vsu oxygala. 8. An Phthisici delirent? 9. Phthisicos curandi ratio in quo consistit. 10. De vitriolo Schmidebergensi. 11. De lignis, corticibus & foliis vitriolum participantibus. 12. Prætorius qualis? 13. Puluis Prætorianus an magnum aliquid præstiterit? 14. Hieron. Fabricij ab Aquapendente pro cancris remedium. 15. Auctor Butyri Antimonij vsum ad cancrum non dissuadet. 16. Oleum arsenici pro cancro à Chymicis commendatur. 17. An dentur medicamenta quæ quatenus talia per diuersas vias operentur? 18. Simplicia quâ ratione purgationem per diuersas vias instituant? 19. Natura quomodo humores per varias vias expellat, explicare difficile. 20. Vsus sulphuris aurati antimonij & bezoardici mineralis. 21. Rob sambuci licet sudoriferum, aluum quandoque mouet. 22. Puluis Prætorianus qualis? 23. Cathartica hecticis & phthisicis male exhibentur; secus atrophia & virium debilitate laborantibus. 24. Puluis Prætorianus in quibusdam morbis chronicis Panaceæ locò habetur. 25. Puluis Prætorianus ex sententia Auctoris vnde componitur? 26. Ex metallicis quænam sint præcipua? 27. Mercurialia cur Auctor dissuadet? 28. In pluribus Chymicis laboribus quid euenire solet? 29. Auctoris remedij pro arthriticis vires in quo consistunt. 30. Medicamentum Sennerti pro arthriticis quomodo corpori Doringij sit accommodandum? 31. Confectionem Rhabarbari Auctor quomodo præparat? 32. Pilulis Minderi quia nimis caræ sunt, Auctor rariùs vtitur. 33. Aloes vsus & præparatio. 34. Scammonium correctum languidis non conuenire quomodo intelligendum. 35. Scammonij extractum in puluere cum cremore tartari permistum commodè non exhibetur. 36. Puluis in sculo calido iniectus vnde fuerit præparatus, agnoscitur. 37. Inuidiosi medicamentorum occultatores contra charitatem Christianam peccant. 38. Ad articulorum præseruationem quid de Fonticulo statuendum? 39. Spiritus salis dolores podagricos mulcet. 40. Arlada Theophrasti quid? 41. Pulueri Sabina si non satisfacit, quid addendum. 42. Auctor quid omittere & quid docere in practicis lectionibus intendat? 43. Indicium Doringij de prolixitate laboris suscipiendi requirit. 44. An morbos solutæ vnitatis pertractare conueniat? 45. An de euacuatione capitis tractaturus vniuersalem totius corporis purgandi rationem præmittat? 46. Auctor cur paucos libros emat? 47. De nucibus Brasiliensibus purgantibus.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Sudorifera in febribus malignis & epidemicis mox in principio rectè exhibentur.

S Sudorifera, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, rectè & cum commodo ægri, in febribus malignis & epidemicis, ac contagiosis, exhiberi mox in principio, nullus dubito; cùm hoc modo *miasma* illud, quod humores corrumpit, discutiatur, & maior humorum corruptio præcaueatur, sæpè etiam febris in principio quasi iuguletur. De reliquis verò febribus, & intermittentibus, quæ ex interno humorum apparatu, & obstructionibus, sæpè oriuntur, dubito, & metuo, ne materia, quæ in mesenterio & vicinis locis plerumque hæret, in venas, & alias nobiliores partes, sæpè etiam in articulos pellatur, iisque partibus impingatur, & posteà periculosiorum & diuturniorum morborum causa fit; sicut eâ de re monet *Ger. Gesnerus in Appendice ad tractatum vvom Salz und eisen.*

An in reliquis febribus salutaria dubitatur.

Clysteres in principio febrium malignarum non sufficiunt. *Nec manna aut cassia.* *An in principio cum incommodo ægri purgantia exhibeantur.*

Neque hîc clysterem aliquem sufficere, & ea incommoda illa, quæ dixi, vitari posse puto. Imò vix leniora illa, mannam, cassiam, &c. ad materiam in nostris corporibus è primis viis euacuandam, sufficere videntur, quæ rarò tam tenuis est, vt lenioribus istis amoueri possit. De Angeli Salæ sententiâ dixi in *tractatu meo de febribus, pag. 497.* nec quod addam, iam habeo. Quid verò incommodi ægro imminere putes, si in principio exhibeantur purgantia, libenter ex te audire velim. Neque hîc mihi doctrina vulgata de coctione, & cruditate humorum satisfacit. Quid equidem Coctio humorum in continuis sit, satis clarè a me in doctrina de febribus explicatum puto. Quid verò coctio in intermittentibus sit, neminem, qui mihi satisfecerit, vidi. Si tibi aliquid hac in re succurrit, vel aliquid legisti, de eo me moneas.

Auctori nemo qui de coctione in intermittentibus scripsit, satisfacit. *De vsu oxygala.* *An Phthisici delirent?* *Phthisicos curandi ratio in quo consistit.*

De oxygalæ vsu vt aliquid addam opus esse non puto: Complexus videtur omnia ferè Galenus, in loco à te allegato. Aciditas illa satis vim refrigerantem prodit, modò ventriculus eam ferre possit, cùm flatus plerumque pariat. D. Kheilium verò cum isto statu tamdiu viuere miror & ipse. Phthisicos delirasse ego etiam aliquoties obseruaui. Verùm tot septimanis id durasse non memini. Phthisicos quidem curandi ratio tota in exsiccatione vlceris pulmonis consistit: Sed quomodò id tutò fieri possit, vt aliæ partes non lædantur, hoc opus, hîc labor: præcipuè cùm putredine vasis communicatâ, plerumque febris putrida accedat. Aeri sicco hîc plus tribuo, quàm igneis illis internis præsidiis.

Vitriolum Schmidebergense.

De vitriolo Schmidebergensi, hoc addo, non exiguos sumptus & labores in explorando, an ibi sint aliquæ fodinæ, insumptos esse: Sed nullæ fodinæ ibi repertæ sunt, sed sub foliis illis alni & quercus puta putaarena. Aquæ illæ ferratæ forsan ad istam transmutationem aliquid conferre potuerunt; sed in iis non præcipuam vim fuisse, cùm exigua earum quantitas sit, qui ista diligenter explorarunt, non credunt. Nam diuersitatem quandam in foliis quercus & alni deprehenderunt. Et multa ligna, cortices, & folia, vt quercus, alni, granatorum, &c. vitriolum participare, vel niger color, & tincturæ, quæ inde parantur, docent; vtilemque laborem præstarent, Chymici

Quercus, alni, granatorumque ligna, cortices & folia, vitriolum participant.

Chymici, si in talibus inuestigandis, plus occuparentur. *Potserum* quidem obiter peruolui: ab eo verò nihil spero; neque vlli hac in re fidem habeo, nisi id de quo scribit, expertus sit. De Prætorio hactenus nihil inaudiui. Qui tamen ipsum norunt, planè Empiricum esse dicunt. Narrauit mihi hisce diebus Studiosus quidam, cancrum illum, iterum incrementum sumere. Scripsi ea de re ad D. Rœterum; qui vbi rem omnem explorauerit; proculdubio de ea me certiorem faciet. Vt vt sit, magnum tn aliquid ille puluis præstitisse videtur. Grata verò mihi ea fuerunt, quæ hac occasione de cancri curatione ad me perscripsisti. Ego quod experientiâ ipse probarim (nam à multis iam annis mihi nullus cancer oblatus est) habeo nihil. Hieronymus Fabritius ab Aquapendente duas mulieres isto medicamento se curasse scribit. ℞. *Solatri hortensis, virga aurea, fænich.* à M.ij. coctis in aqua, & contusis adde *farina milij* ℔.i. *ol. rosacei*, ducti in mortario plumbeo. ℥. v. *sapa in decocti prædicto q. s.* F. Emplastrum.

Prætorium qui norunt Empiricum dicunt.

Puluis Prætorianus an magnum aliquid præstiterit?

Hier. Fabricij ab Aquapendente pro cancro remedium.

Sed addis, esto duæ sunt curatæ, mille tamen non sunt curatæ. In collectaneis meis commendatur curâ quædam cancri cuiusdam Antonij Fuchsij, eam descriptam adiunxi. Quia verò mihi hîc in memoriam reuocas *Collectanea tua ad fasciculum remediorum Iusti Mollerij*; quæso, si iis aliquot septimanis carere potes, vsui meo ea concede. Neque enim otium mihi est, vt ipse authores illos euoluam. Rem etiam gratam feceris, si selecta aliqua medicamenta, quibus me carere putas, collegisti, si eorum copiam mihi feceris. Quamprimum bonâ fide ea tibi restituam.

Butyri antimonij vsum ad Cancrum non dissuaderem. Aliàs omnes Chymici, vno ore commendant oleum arsenici, quod ex eo cum nitro calcinato liquescit.

Auctor Butyri Antimonij vsum ad cancrum no dissuadet.

Oleum arsenici pro cancro à Chymicis commendatur.

Quæstionis an dentur medicamenta quæ quatenus talia, per diuersas vias operentur, *de febribus*, p. 332. mentionem feci. Medicamenta, quæ id præstant non eiusdem generis esse puto. Alia enim ex purgantibus, & sudoriferis composita sunt, quale est Heurnij. De quibus non mirum, si post purgationem absolutam etiam sudorem moueant. Alia simplicia, quæ quâ ratione id præstent, inquisitione dignum, de quo meam sententiam breuiter tibi aperiam.

An dentur medicamenta, quæ quatenus talia per diuersas vias operentur?

Medicamenta eiusdem generis non sunt.

Purgantia neque electiuè humores trahendo, neque solùm irritando purgationem instituere, puto; sed peculiarem quandam fermentationem in corpore ab iis excitari, aliam quidem à phlegmagogis, quâ nimirum pituitosi saltem humores mouentur, aliam à cholagogis, quâ biliosi, eoque motu, & effervescentiâ quasi, humorum naturam irritatam expellere humores vitiosos, nunc per aluum, nunc per vomitum.

Quâ ratione autem fiat, vt natura humores, nunc solùm per aluum, nunc solùm per vomitum, nunc per vtramque viam expellat, explicare non ita facile est. Imò purgantia quædam etiam ad sudorem mouendum facere experientia docet. Vbi enim natura, quod crassissimum est, per aluum expulit; reliquum & tenuius per sudorem extrudit. Metallica certè eius generis sunt. *Sulphur auratum Antimonij* nunc sudores, nunc aluum mouet: *Bezoardicum minerale* etiam aluum quandoque citat. E vegetabilibus *rob sambuci*, quod aliàs sudoriferum est, quandoque etiam aluum mouisse deprehensum.

Simplicia qua ratione purgationem per diuersas vias instituant?

Natura quomodo humores per varias vias expellat, explicare difficile.

Vsus Metallicorum.

1. Sulphuris aurati antimonij.

2. Bezoardici mineralis.

Rob. sambuci licet sudoriferum, aluum quandoque mouet.

Talis quoque proculdubio fuit Puluis Prætorianus. Hecticis & phthisicis cathartica malè exhiberi extra dubium esse puto. Atrophiâ tamen, & virium debilitate laborantibus quandoque cum fructu exhiberi posse existimo. Si enim atrophia & virium illa debilitas sit à cacochymia naturam grauante; neque adsit aliqua febris hectica, cacochymiâ illâ sublatâ naturaque onere, quo grauabatur, leuata facilè vires colliget.

Hinc puluerem illum Prætorianum Panaceæ loco haberi posse puto, non quidem in omnibus morbis chronicis (nam talis etiam est hectica, talis etiam phthisis) sed in iis, in quibus visceribus vtcumque adhuc saluis à cacochymia naturam opprimente morbus originem habet. An pulueris illius præparationem aliunde nacturus sim, dubito: Nec enim vbi viuat ille Prætorius, noui, & in secretissimis illius præparationem habere, studio, cum multum pecuniæ inde lucretur. Ex ☉ solo vel ☉ & ☿ esse facilè credo. ☉ ☿ ♁ ex metallicis præcipua esse puto ad contumacem cacochymiam exstirpandam. Auri quandam præparationem, quæ certò Fratris Antonij Angli esse prædicatur, nuper secretò nactus sum. Vbi aliquid eius nactus fuero, eam tentabo. Si alicunde aliquid spiritus Saturni nancisci posses, operæ compendium facere possem. Mercurialia medicamenta, vt in tuo corpore tentes, non suaserim: Noxa enim, quam corpori imprimunt, sæpè maior est, quàm commodum, quod ex iis resultat.

Puluis Prætorianus qualis?

Cathartica hecticis & phthisicis malè exhibentur.

Atrophiâ & virium debilitate laborantibus quandoque cum fructu conceduntur.

Puluis Prætorianus in quibusdam morbis chronicis Panaceæ loco haberi potest.

Puluis Prætorianus ex sententia Auctoris vnde componitur.

Ex metallicis quænam sint præcipua.

Mercurialia cur Auctor dissuadet?

Quod in aurei velleris confectione tibi accidit, multis aliis in Chymicis laboribus euenire solet, vt quæ ex certissimis præscriptis [illegible] periculum facis, non succedant. Atque hæc ad priorem tuam Epistolam. Ad posteriorem etiam breuiter.

In pluribus Chymicis laboribus quid euenire solet.

Quod valetudo tua te valdè angat, facilè credo, & rectè facis, quod de idoneis medicamentis sollicitus es. Non enim viuere, sed valere, vita est. Remedij mei quod rectè examinas, vim in eo consistere puto, vt serosos humores, arthritidis antam præcipuam, cùm per sudores, tum insensibiliter euacuent, & viscera, atque articulos roborent; quam vnicam & verum ab Arthritide præseruandi rationem esse rectè Carolus Piso statuit.

Auctoris remedij pro arthriticis vires in quo consistunt.

Quâ ratione autem istud medicamentum tuo corpori accommodandum sit, tu ipse disquiris. Et ergo in formulam illam à te continuatam facilè consentio. Caliditatem medicamenti, cichorio, & santalis rectè corrigi posse puto. Verùm hepatis illum calorem ætatis progressu sponte etiam remissurum existimo. Cranij humani puluerem additum etiam non incommodum puto, cùm plerique caput roborandi illi vim tribuant; Ab hoc verò, vt rectè Carolus Piso monet, non rarò serum, in articulos descendat. Decoctum salsæ C.C. interiicere potes; neque tamen ab illius solius vsu, tantum commodum spero quantum à pilulis à te continuatis. Intemperiem hepatis calidam aliis etiam modis præcauere potes. Possent etiam pilulæ illæ conspergi *spec. diarrhod. santal.* vel *diarrhod. Abbat.*

Medicamentum Sennerti pro arthriticis quomodo corpori Deringij sit accommodandum?

Vsum remedij huius quod attinet, quia rarior hactenus nec diuturnos huius morbi insultus fuit, ipse etiam 20. vel 30. dies ad continuandum medicamentum sufficere puto. Et vsus facilè te docebit, quid è re tuâ futurum sit.

A Rhabarbaro si aliquem insignem vtilitatem speras, in pilulis, si nullo alio modo, sine nausea id deglutire potes. Confectio tamen eius, seu sacchäro paràm incrustatum non admodum nauseabundum est. Nonnulli à me hoc modo præparato familiariter vtuntur. *Rhabarbarum* tenuiter incisum conspergo *aquâ rosarum*, & sponte exsiccari sino.

Confectionem rhabarbari Auctor quomodo præparet?

Exsiccatum conspergo *aquâ cinamomi*, iterumque exsiccari sino; vel addo *puluerem cinamomi*, atque id rhabarbarum præparatum nomino. Pilulæ Tartareæ quidem satis commodæ videntur, sed leniùs purgant, nisi diagrydio, vel extracto scammonij acuuntur. Pilulas Mindereri etiam pro nostro Pharmacopolio præparari curaui; sed quia nimis caræ sunt, ob operosiorem præparationem, rariùs iis vtor. Idem minori operâ præstari potest. Et aloë rectè præparata forsan omnibus, ad quos expetitur, vsibus satisfacere potest. De illius vsu & præparatione cùm eruditè disseras, ego nihil addo, nisi quæ vltimæ aliquando Institutionum editioni ad *pag.* 234. *cap.* 2. *lib.* 5. addere animus est, quæ hæc sunt: *Et occurrunt huius generis alia; & discrepantes de aloes viribus opiniones apud Manardum, Montanum, L. Fuchsium, Al. Mundellam, & alios superioris sæculi Medicos. Verum ne dubium Lectorem dimittam, & meam etiam sententiam addam; vtrique non omninò malè mihi sensisse, nec ita dissentire, quin conciliari possint, videntur: Nam primò concedendum omninò puto, aloes vsum ad sanitatem conseruandam plurimum facere, cùm inter reliqua eius generis medicamenta, ad excrementa in intestinis hærentia, simulque humores crudos, pituitosos, biliosos que eo loci, vbi plurimorum morborum sæpè materia colligitur, & cumulatur: habentes; detergendos, educendosque (quod sæpius & rectè fieri ad sanitatem conseruandam, multosque morbos præcauendos plurimum facit) tutissimum, efficacissimumque sit remedium; & propterea vim siccandi, & putredini, ac corruptioni resistendi habeat. Atque id eo tutius peragit, quod vis eius tantùm ad simum intestinum, verò ad gibbum pertingit. Secundò verò nec hoc negandum, aloen hepar offendi: Cùm enim igneum quasi quendam calorem obtineat, valdè attenuat, & siccat, sanguinemque feruidiorem, & fluxibiliorem reddit, ac substantiam hepatis, non solùm non roborat, sed fundendo quasi sanguinem, eiusque [illegible] constitutioni aduersando, et obest, venarum orificia aperit: (licet extrà adhibita exsiccando sanguinem sistat) vnde accidit, vt ex aloës vsu venæ ani aperiantur, præcipuè in iis, qui ad hæmorrhoides sunt dispositi, & sanguinem feruidiorem in iis venis continent; quod qui negat experientiæ scutica dignus est, vt Scaligeri verbis vtar. Ideòque si crebriùs, vel nimiâ copiâ assumatur, hepati aliquid damni attrahi potest: Quæ cùm ita sese habeant, ea cautela in Aloes vsu adhibenda, vt nec nimis crebrò, nec nimiâ copiâ vsurpetur, sed ad moderatione, quam humores, & excrementa in primis viis præsentia monstrant, vt scilicet ea nec sæpius, nec eius plus assumatur, quàm primis viis mundandis sufficiat, & paulò ante cœnam sumatur, quo tempore sumta hepati minùs incommodat. Aliàs si vel crebriùs, vel ita copiâ assumatur, vt ad hepar penetret, facilè id offendit, præcipuè in iis, qui naturâ sunt sicciores, & hepar calidius habent.* Hæc ibi. Quod *pag.* 881. scammonium etiam correctum languidis non conuenire scripsi: id de ea, quæ ibi traditur, correctione intelligendum; Nam extractum, de quo *pag.* 1251. mitius est, sed tamen satis fortiter etiam purgat in diacydonio laxatiuo in *Institut.* p. 1251. Si quid porrò in scriptis meis, præcipuè in Institutionibus occurret, quod correctione vel explicatione opus habere putabis, liberè me monebis. Cùm enim in multorum manibus esse, & etiam ab exteris legi videam: nolim quicquam cuiquam fraudi esse. Et malo viuus meos errores corrigere, quam posteris carpendos relinquere. Scammonij extractum in puluere cum cremore tartari permistum commodè non exhiberi, ipse etiam sum expertus. Quâ notâ nuper quendam puluerem deprehendi: Lipsiâ is ad me à Professore quodam mittebatur, qui eum aulico cuidam Medico in viciniâ in vsu esse scribebat, Medicum tamen illum vnde paratus nescire, sed à Pharmacopæo quodam paratum, accipere, & in-

Aloës vsus & præparatio.

Scammonium correctum languidis vt conuenire quomodo intelligendum.

Scammonij extractum in puluere cum cremore tartari permistum commodè non exhibetur.

CCc 4 nostrâ

Google

Puluis infuso calido immissus, vnde fuerit præparatus agnoscitur.

noxiê ℥. xij. pondere vsurpare. Eum puluerem cùm in iusculo calido iniicerem, istâ notâ statim deprehendi, nihil esse, nisi extractum scammonij, cum cremore tartari, & spec. diarrhod. vel similibus aromaticis cum santalo; rubeum enim aliquo modo colorem habebat, mistum.

Inuidiosi medicamentorum occultatores contra charitatem Christianam peccant.

De inuidiosis illis medicamentorum occultatoribus mecum plane sentis: peccant illi contra Christianam charitatem. Interfecit, qui, quem seruare poterat, non seruat. Puluerem Prætorianum ab Erbinæo, vt video, frustrà sperauimus, & carendum nobis eo erit, nisi aliqua bona fortuna, aliundè eum nobis suggesserit. Sed fortassis vterque eius descriptione non caremus, modò, quænam inter plures esset, sciremus. Quid si nihil aliud sit, quam præcipitatus factus cum auro amalgamato, vt est in charcha ad signum NB.

In articulis roborandis frustrà multum operæ impendi, mecum sentias: est enim motus hic naturæ criticus, Et si vitiosi humores adsint, & in corpore retineantur, maiorem proculdubio morbum excitabunt. Sicut ex intempestiuo, & immoderato repellentium vsu, quendam hîc ante annos aliquot, penè in vitæ periculum coniectum noui.

Ad articulorum præseruationem quid de Fonticulo statuendum?

Quid verò tibi de *Fonticulo* videtur ad præseruationem. Dn. D. Balduinus hîc superioribus annis perpetuis ferè catarrhis, & raucedine laborabat, & per interualla, podagrâ. Fonticulo in brachio sinistro excitato iam vltrà annum à raucedine liber est: Sed non planè liber à podagra. Dedi ei proximo primo vere, etiam istas pilulas, paululùm tamen pro eius constitutione mutatas, & per interualla, pilulas aloëticas. Ab eo tempore non nisi semel, & vix per triduum podagrâ laborauit. Cum enim purgans exhibuissem, statim euanuit.

Spiritus salis dolores podagricos mulcet.

Spiritus salis ad dolores podagricos mulcendos extrà, in Imperatore Matthiâ Freyvvaldum vsum esse, nonnulli aiunt. An ita sese res habeat, certò non scio. Sua enim omnia secreta habet: etsi me omnia eius secreta tenere, imò in publico proposuisse, putem. Verùm rectiùs feceris, si de præcauendis potiùs, quam de tollendis doloribus sis sollicitus: optimè verò quoque spero, si ei, quam prolixè descripsisti, vitæ institeris. Si pilulæ illæ, ob calorem tibi suspectæ, maturè si nosam aliquam tibi minari videbuntur, ab vsu earum desistere poteris. Ego verò Deum precor, vt planè pristinæ valetudini restituaris.

Arlada Theophrasti quid? Pulueri Sabino, si non satisfacit, quid addendum.

Arlada Theophrasti est Realgar adustum, vt ex eius *Chirurgia, pag.* 572. cognoscere poteris. S. Sabinæ puluis non satisfacit, posses ☿ sublimati, ℈. ß. in aq. rosar. plantaginis. ℥j. ß. dissoluere, & camphoræ, ʒ. ß. addere. Quia institutum meum de prælectionibus practicis tibi probatur, accingam me, cum Deo, ad id paulò pòst, & intra tres fortè septimanas primum istum laborem abrumpam. Causas in Institutionibus recensitas planè omittere non potero: Recensuisse tamen eas, & in numerato habuisse satis fuerit. Non etiam ipsi tractationi practicæ controuersias immiscebo, sed meam tantùm sententiam proponam: In fine verò cuiusque capitis controuersias, & quæ pro & contra disputari possint, subiiciam.

Auctor quid omittere, quid docere in practicis lectionibus intendat?

Quia etiam suades, vt omnes affectus proponam, ita faciam: verùm tractatio erit prolixior, & vitæ summa breuis spes nos vetat inchoare longas. Velim ad hæc hâc vice, si ad reliqua non potes, respondeas, & de isto præterea tuam mentem mihi candidè aperias, an operæ pretium sit, in ista iudiciorum diuersitate, & hominum ingratitudine, laboriosum eiusmodi quid suscipere.

Iudicium Doringy de prolixitate laboris suscipiendi requiritur.

Nam longè plus labores, quam ordinariæ meæ lectiones requirerent, mihi insumendum esse, & me multum laboris, si vellem, subterfugere posse, ipse facilè animaduertis. De hoc præterea tuam sententiam mihi aperias, an etiam morbos solutæ vnitatis (cum omnes morbos persequi animus sit) in qualibet parte, & quæ circa cuiusque partis vulnera & vlcera notatu digna obseruantur, addenda sit, quâ ratione tota Chirurgia breuiter immisceri possit.

An morbos solutæ vnitatis pertractare conueniat?

Et quia in singulis ferè affectibus vniuersalis euacuationis mentio fit, & caput purgari non potest; nisi corpus priùs sit euacuatum: hoc etiam quæro, an non vniuersalem totius corporis purgandi rationem præmittere, & quia in Institutionibus saltem simplicia habeo, composita addere, & vtiles ac varias omnes humores purgandi formulas proponere debeam. Quod si opus visum fuerit, aliquas etiam suppeditare poteris.

An vniuersalem totius corporis purgandi rationem præmittat?

M. Z. H. iterum rectè valere gaudeo. Potuisset forsan citius, si voluisset; conualescere. *Perlini* scriptorum nihil vidi, qualis igitur Scriptor sit, me certiorem facies. Audicæ Laurentij scriptum de strumis etiam non vidi. Animaduerto te Bibliothecam habere instructissimam, & non paucos Authores mihi non satis notos.

Auctor cur paucos Libros emat?

Ego nam parum Librorum emo. Prohibet id non solùm rei monetariæ ἀταξία, quâ septem ferè partes solarij nobis detrahuntur, & vix octaua relinquitur, neque ægri nostra monetâ antiqui valoris & bonitatis (quam tamen omnes Mercatores, sutores, aliique opifices, imò mercenarij à nobis exigunt) persoluunt; sed nec eos, quos habeo perlegere possum. Plura hâc vice non licet. Hæc boni consule, & vxorem tuam, & Danielem à nobis omnibus saluta.

Nuces Brasilienses purgantes.

Notæ tibi sunt nuces Brasilienses purgantes, alias pineæ purgantes dictæ; quarum duæ ab interiore pelliculâ mundatæ, comestæ leniter purgare dicuntur, cum pellicula verò sumtæ, per vomitum & aluum fortiter purgare. Ego eos nòn vidi: spero tamen me eas breui Hamburgo accepturum. Tu cum tuâ benè vale. VVittebergæ 15. August. 1622.

EPISTOLA XLV.

PERIOCHE.

1. *Sennertus quid metuit excipitque contra responsum Aucteris de vsu sudoriferorum in febribus intermittentibus ex interno humorum apparatu & obstructionibus oriundis.* 2. *Auctor ad Sennerti instantiam respondet.* 3. *Mannam & cassiam non sufficere ad materiam è primis viis euacuandam de quibus intelligendum?* 4. *Differentia potus VVittebergensis & Breslensis.* 5. *VVitteberga degentes quibus morbis vt plurimum sint subiecti?* 6. *Clyster domesticus Breslensis quomodo conficitur.* 7. *Eius vires.* 8. *In sudoriferis decens delectus instituendus.* 9. *Puluis sudorifer Doringij.* 10. *Eiusdem effectus.* 11. *Puluis Seilleri ad quietem conciliandam & vires roborandas.* 12. *Idem de puluere Auctoris experientiâ pluries probatum.* 13. *Potiuncula Doringij pro aluo soluenda.* 14. *Aqua, syrupus & sal Bezoardicus Doringij,* 15. *Syrupus acidus D. Bucretij quomodo præparatur.* 16. *De Angeli Sala sententia circa vitiosos humores quid statuendum?* 17. *Μίασμα & fomes an differant?* 18. *Μίασμα & fomes diuersimodè curantur.* 19. *Auctor quid incommodi ex vsu purgantium in principie exhibitorum ægro immineat, exponit.* 20. *Auctor de humorum in febribus continuis coctione cum Sennerto conuenit.* 21. *Eustachij Rudij de humorum in intermittentibus coctione doctrina approbatur.* 22. *Laudatur Sennertus in intermittentibus præter concoquentia & præparantia alia alterantia vti valde necessaria admittens.* 23. *Iudicium Doringij de dispositione vitiosa in parte in qua fomes mali hæret, quid sit & vnde dependeat?* 24. *Μίασμα recens faciliùs subtrahitur.* 25. *Μιάσματα diu in venis & reliquo corpore contenta quot malorum Auctores esse possint?* 26. *Μιάσματα inueterata quomodo curari credantur?* 27. *Inquinamentum febrile post paroxysmum relictum sudoriferis commodissimè expellendum.* 28. *Aciditas in oxygalacte vim refrigeratiuam prodit.* 29. *Acida quatenus talia an per se vel ex accidenti sint frigida?* 30. *Spiritus vitrioli, salis & sulphuris caustici sint, pyriumque puluerem ἀπόχυτον reddunt.* 31. *An per se an verò per accidens, dubitatur,* 32. *Galeno de aceti qualitatibus feliciter quid contigit?* 33. *Quercetani doctrina de diuersarum partium in aceto segregatione.* 34. *Auctoris argumentum contra Horstium de aceto, an separatione spiritus vini producatur?* 35. *Acetum ex mente Auctoris quomodo producitur?* 36. *Phlegma in vini & aceti destillatione contrario ordine progreditur.* 37. *Post aceti destillationem plus salis acerrimi in fecibus quam vini phlegmate reperitur.* 38. *Vinum quò generosius eò acetum oritur nobilius.* 39. *Acetum quò vetustius eò acrius.* 40. *Acetum radicatum volatilisatione salis fixi acuitur.* 41. *Spiritus aceti contrariam à spiritu vini obtinet naturam.* 42. *Humores melancholici vnde fermentantur* 43. *Humores melancholici quales?* 44. *Acetum an per se, an verò per accidens refrigeret?* 45. *An in curatione vlceris pulmonis apud phthisicos plus aeri sicco quam igneis internis præsidiis sit attribuendum?* 46. *Decoctum ligni sancti pro phthisicis tabandis.* 47. *Decocti radicis Chinæ effectus.* 48. *Conserua rosarum ab Auicenna contra phthysin laudatur.* 49. *Historia de fœmina in periculosam hæmoptysin incidente.*

incidente. 50. *Hæmoptyſis quomodo reſtringitur?* 51. *Remedium pro ſputo facilitando & tuſſi leniendo.* 52. *Decoctum Chinæ ad curandam hæmoptyſin ſalutare.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Sennertus quid metuit excipitque contra reſponſum Auctoris de vſu ſudoriferorum in febribus intermittentibus ex interno humorum apparatu & obſtructionibus oriundis.

SQuod per Rhedarimo ad tuas proximas, *Cl. Dn. Dn. Affinis & Compater honorande*, nihil reſponſi à me accepiſti, ne ægrè feras, nio: verè enim affirmare audeo, tantum otij ſubtrahere mihi non potuiſſe, vt vel ad illa ſaltem quæſita, quæ lectiones tuas practicas concernunt, reſponderem. Ne itaque diutius à me detineare, horis ſuccisiuis, quæ ad tuas reſpondendum videbantur, annotare placuit: Ad ſudoriferorum in febrium intermittentium, ex interno humorum apparatu, & obſtructionibus ſæpè oriundarum, principiò vſum quod attinet, ſcripſi de eo ſatis dilucidè meam ſententiam *in Notâ ad Paſionem*, quam die 19. Aprilis anni præſentis tibi diiudicandum tranſmiſi: Incommoda ex eorum exhibitione metuenda, vt vel declinanda, vel quanti etiam, ſi vel maximè ſubſequantur, æſtimanda ſint, in litteris, quibus diem S. Iohannis profeſtum ſubſignaui, breuiter aperui. Excipis verò tu contrà illa dubitando, & metuis, ne materia, quæ in meſenterio & vicinis locis plerumque hæret, in venas, & alias nobiliores partes ſæpè etiam in articulos pellatur, iiſque partibus impingatur, & poſteà periculoſorum, & diuturnorum morborum cauſa ſit, quale quid etiam monuerit Ieremias Geſnerus *in appendice ad Tractatum Monardi Vom ſchnee und eiſen.*

Auctor ad Sennerti inſtantiam reſpondet.

Mannam & caſſiam non ſufficere ad materiam è primis viis euacuandam de quibus intelligendum.

Differentia potus VVittebergenſis & Breſlenſis.

VVitteberga degentes quibus morbis vtplurimùm ſunt ſubiecti?

Ad hanc inſtantiam à dictis meis litteris patet reſponſio. Nimirum vitæ genus, diætâ prægreſſâ, communis morborum ſtatus, &c. quid factu opus ſit, ſufficienter monſtrabunt. Clyſterem & leniora illa, mannam videlicet & caſſiam, non ſufficere ad materiam in noſtris corporibus è primis viis euacuandam, de veſtris locis, non de noſtris hominibus verificari, lubens concedo. Potus enim veſter aluum perinde atque noſter non lubricitat: Vnde non mirum, cùm, vt veſtri homines fortioribus purgantibus indigeant, tùm chronicis febribus, & inprimis tertianis ſpuriis, vtplurimùm ſubiecti ſint, paucique è veſtra Academia ſine febri in patriam redeant; cuius rei in ſuâ *Medicina Hermeticâ*, *lib.* 9. *cap.* 4. mihi *pag.* 438. etiam meminit Henricus Nollius. De noſtris credas, licet, clyſtere domeſtico, è ſolâ cereuiſiâ noſtrate, Butyro, & melle præparato, quandoque plus educi, quàm à fortiori aliquo cathartico. Neque neceſſe eſt, vt tota illa materia in primis viis ſubſiſtens, tollatur. Sufficit enim aliquam ſaltem ipſius partem initio auferri, vt ſudorifero liberior pateat tranſitus, poteſtque deinceps, quod reſtitit, aliis euacuantibus educi. In ſudoriferis, ſi prætereà decens delectus inſtituatur, & ea quæ temperatiora exiſtunt, ſumantur, ſicque illud etiam vulgare, NE QVID NIMIS in ciendo ſudore attendatur; minor in eorum exhibitione error committetur, illaque à te obiecta nocumenta facillimè euitabuntur. Quin ſi vel maximè conſpicuus ſudor non ſubſequatur; μίασμα tamen, ſiue putridum, ſiue malignum per inſenſibilem tranſpirationem excludetur, hæcque ipſa ſi prohibita ſit, & eius vitio febris acceſſerit, procurabitur, quæ quantæ ſit vtilitatis in febribus ipſemet *lib.* 2. *de febribus*, *cap.* 8. inculcaſti.

Clyſter domeſticus Breſlenſis quomodo conficitur.

Euis vires.

In ſudoriferis decens delectus inſtituendus.

Puluis ſudorificus Doringij.

Eiuſdem effectus.

Eſt mihi in vſu talis puluis, quem primùm ab anno 1616. nonnullis familiis tantùm, nunc vltrà annum, pro communi ſed ditiorum vſu, in Officinis parari ſino. ℞. C.C. *vſti præparat. oculor. cancri præparat. cranij humani præparat.* an. ℈ ij. *ſmaragd. præparat. ſaphiri præparat. hyacinth. præparat. rubin. præparat. vnicornu veri*, an. ℈ j. *fol. auri, argenti*, an. num. iij. M. F. Puluis. Hunc ad repentinos quoſcunque ferè inſultus, ſi Medicum protinus habere nequeant, commendo, exhibendum cum *aqua veronicæ, cardui benedicti*, vel ſimili. Is quantum præſtiterit, & quàm ſæpè febres etiam ſub primam inuaſionem depulerit, illæ ipſæ familiæ teſtificabuntur. In malignis certè maximè proficuum deprehendi: Quo tùm lubentiùs nè alij etiam Medici vtantur, rem tibi non ingratam me facturum putaui, ſi eius deſcriptionem tecum communicarem; quam vt boni conſulas, & eâ cum magno, ſi ita placuerit, ægrotantium commodo vtaris, ex animo precor. Abrahamus Seilerus *in Epiſtolis Scholzianis* 7. 9 & 14. deſcribit puluerem, è ſmaragdi, hyacinthi, margarit. corall. præpar. ſcobis eboris, & boli Armeni partibus æqualibus conficiendum: quo ſe felici tum ſucceſſu, ad quietem conciliandam, & vires roborandas, vſum eſſe profitetur. Idem de puluere meo verum eſſe, experientia pluties comprobauit: Non igitur præter rationem magni à me æſtimatur. Pro rei iſtius certificatione hanc recentiſſimam hiſtoriam adducere placet. Vir quidam in hac vrbe primarius, annos aliquot ſuprà 40. natus, ſtaturâ procerus, habitu corporis εὐσαρκος, temperamento melancholicus, vnâ, atque alterâ ab hac ſeptimana, ob luſtrationem Equitum publicam, Polonorum prorumpentium cautâ inſtitutam, (cui cùm ipſus ob certas cauſas intereſſe non poſſet, dedecori ſibi futurum metuebat) curis tentari, & vt ipſimet, nec non quibuſdam aſtantibus videbatur, doloribus nephriticis (quibus aliàs non rarò obnoxius fuit) affligi cœpit: Die abhinc ſecundo, qui erat D. Matthæo ſacer, cùm pridie, & hoc ipſo die aluum non exonerasſet, paraphreneſi, citrà tamen calorem præternaturalem, & pulſus crebritatem, corripitur, propter quod ad interrogata, tardò quicquam rectè reſpondere, varia, titubante lingua, muſſitare, balbutire, nullam vtplurimùm vocem articulatam, (quantumvis id conaretur) proferre, de admiſſione clyſteris ſolicitatus lamentari, cùm cernebatur, tum audiebatur. Cùm ergo ad clyſteris aſſumptionem nullis precibus perſuaderi poſſet; caſus autem iſte ſubitaneus, omnes adſtantes grauiter mecum percelleret, abdomen vnguento de arthanita inungi iuſſi, vt inde aluus laxaretur. Ab intrà præſcripſi hanc potiunculam. ℞. *Aq. noſtra bezoardica, ſyrup. acidi ſimpl.* an. ℥ j. ß. *puluer. noſtri polychreſti* ℈ j. *ſmaragd. præparat.* gr. v. M.

Potiuncula Doringij pro alvo ſoluenda.

Puluis Seileri ad quietem conciliandam & vires roborandas.

Idem de puluere Auctoris experientiâ pluries probatum.

Præcepi, vt hora octauâ nocturnâ, vna tertia, mediâ nocte, altera, ſextâ denique matutinâ, vltima pars, ipſi porrigeretur: Ægrè enim, & vbi mente integrè conſtat, medicamenta admittere dicebatur. Primâ doſi vſus, non multò poſt ſomno corripitur, qui ad vnam atque alteram horam extenditur. Poſt mediam noctem porrigitur altera. Tertiam capere noluit: Manè aluus ſpontè ſoluitur, & biliosiſſima, ac ſi croco tincta fuiſſent, deiicit. Paraphreneſis tota diſparuit. Ecce! malignas illas euaporationes bilioſas medicamentum iſtud ſuppreſſit, etenim nullus ſudor ſequeretur? Smaragdum ratione capitis peculiariter adhuc nec malè fuiſſe additum, ipſemet iudicabis. Ne autem quicquam deſiderare poſſis, placet cùm meam aquam bezoardicam (quæ mihi cum aliis Medicis in frequenti vſu) tum ſyrupum acidum à D. Bucretio p. m. ſic appellatum, & à ſe, (vti aiebat) inuentum, hoc in loco deſcribere.

Aqua, ſyrupus & ſal bezoardicus Doringij.

Aqua, ſyrupus, & ſal bezoardicus noſter. ℞. *Succorum acetoſæ, borraginis, bugloſſæ, flor. aquilegiæ, tunicæ, roſarum, violarum, cyani, conſolidæ regalis, biſtartæ, calendulæ, galegæ, ſcordij, petaſitidis, cardui benedicti, chelidonij mai. oxylapathi, veronicæ, plantaginis, verbenæ, tormentillæ, pentaphylli, portulacæ, myrrhidis, meliſſophylli, citri, limonum, granatorum, cydoniorum, aurantiorum, fragorum, bacc. rub. idæi* an. ℔ ß. *aceti vini acerrimi* ℔ j. In his infunde per triduum, in vaſe vitreo probè obturato, *flor. nymphææ, papaueris erratic. bugloſſæ, borraginis, violarum, tunicæ, aquilegiæ, calendulæ* an. M. j. *rad. ſcorzoneræ* ℥ iij. *ireos* ℥ j. *ſem. napi, citri, acetoſæ, aurantiorum, cardui bened. aquilegiæ, portulacæ* an. ℥ ß. *cortic. citri ſicc.* ℥ j. ß. *ſcobis CC. non vſti*, ℥ iij. P. ſ. a. in vaſis vitreis per B.M. deſtillatio, ſuſpendendo in alembico nodulum, ex ſyndone chermeſina, cui incluſa ſint ſequentia. ℞. *ſpecierum ſantal. corticum citri ſicc.* an. ℥ ß. *grana chermes*, ʒ iij. *ligni aloes* ʒ i. ß. ſeruetur in vitro, tandem adiiciantur *folia auri finiſſim. argenti finiſſim.* omnium ipſorum an. num. vj.

Non autem diutius vrgeatur deſtillatio, quam dum guttæ imbecillioris ſaporis deprehenſæ fuerint Tunc enim, quod remanſit, coletur, cum forti expreſſione, & cum ſaccharo ſ. q. F. ſ. a. ſyrupus clarificatus, qui ſeruetur in vaſe vitreo. Ex iis, quæ reſidua manent, tam poſt ſuccorum expreſſionem, quàm aquæ deſtillationem, paretur poſt incinerationem ſal bezoardicus.

Syrupus acidus D. Bucretij.

Syrupus acidus D. Bucretij.

℞. *Aceti roſarum, vel garyophyllorum coronariorum, vel baccarum rub. idæi*, quantum placet vel q. ſ. ad acetoſitatem v. g. ℔ j. *ſacchari albi* ℔ ß. Bulliant in cucurbitula vitrea, lento igne, ſuper arenam per horas ferè duas. Factâ deinde reſidentiâ colentur, & ſic ſordes ſacchari ſeparabuntur, quæ ſenſim auferendæ. Stet ita ſeparatum & colatum in ſua cucurbita in digeſtione, ſcilicet in tepido calore fornacis, aut ſocis dies aliquot. Interim ſiquid ſordium reſederit, colaturâ cautè auferatur. Affundantur *ſpiritus vini* ʒ. ij. iij. *plus minus*, ad aceti acrimoniam reprimendam, & ſuauitatem quandam etiam conciliandam. Ponatur rurſus in arenam lento igne ſubiecto. Affunde *ſyrupi acetoſitatis limonum, citri, de corticibus citri*, an. ℥ j. ß. agitentur; & conquaſſentur, leniſſimo igne, vt prius, per horam plus minus: in fine affundendo *olei cinnamomi* gutt. vj. *ſpir. vitrioli* ℈ ij. ac ſeruetur vlui. N. 3. Simplex acetoſus ſine, compoſitus cum *oleo cinnamomi* paretur.

De Angeli Salæ ſententia circa vitioſos humores quid ſtatuendum?

Angeli Salæ ſententiam quod ſpectat, ſi paulò diligentius perpendatur, tota damnanda non eſt, modo dextrè explicetur. Neque enim negat Sala, in primis quoque viis magnam ſæpè humorum ſaburram latitare, eamque benigniore medicamento ſubtrahendam eſſe. Hoc ſaltem negare videtur, vitioſos iſtos humores, primò & principaliter febris ipſius cauſam eſſe.

Qnâ

Digitized by Google

Μίασμα & fomes differunt.

Quâ quidem in re non vsque adeò malè loqui mihi videtur. Distinguendũ autẽ necessariò inter μίασμα, & fomitem. Tolle μίασμα, & συνδρομὴν αἰτίασμα, fomes febrem per se non progignet. Attestatur huic doctrinæ communis praxis. Quoti enim quotidiè nobis offeruntur curandi, qui citra febrem magnam, non in venis à caua tantùm oriundis, sed mesaraicis etiam, & primis viis cumularunt cacochymiam, duritie insuper alterutrius, vel vtriusque hypochondrij simul afficiuntur: Fomitem hîc amplum esse, sed deficere solùm μίασμα febrile, ipse proculdubio, confiteberis.

Cachexia & hydropes febrem diuturnam sequuntur.

Μίασμα & Fomes diuersimodè curantur.

Auctor quid incommodi ex vsu purgantium in principio exhibitorum ægro immineat, exponit.

Post febres diuturnas consequi cachexias, & hydropes, extinctâ iam febri, res est admodùm vulgaris: Vides ergo, mi Sennerte, non præter rationem, me inter μίασμα, & fomitem distinguere, illudque per sudorifera expellendum, hunc per purgantia, & venæsectionem præcidendum, obstructionésque, si quæ in visceribus hæreant, reserandas monere. Quid autem incommodi ex vsu purgantium in principio exhibitorum, ægro immineat? ex me scire cupis. Dicam paucis. Μίασμα, putridum, & febrile, purganti non æquè atque sudorifero, & epithemati, vt sic vocem, magnetico cedit; purgantibúsque præsertim vehementioribus humores nimiùm commouentur, & perturbantur. E quorum vtroque hæc consequuntur nocumenta. Per illud enim relicto μιάσματι febrili, putredo latius serpit, ipsaque deinceps intenditur febris, & prolungatur; Per hoc verò μίασμα, humoribus penitiùs imprimitur, & subtractis tenuioribus (hæc enim ad expulsionem aptiora) crassiora vasis arctius impinguntur, atque obstructiones adaugentur, febrisque nihilo citiùs remittet: quin labefactatis inde visceribus, & nouis subinde coaceruatis humoribus, malum sæpenumero malo aggrauatur. Huius rei testis est ipsa experientia, vtpote, quæ dudum docuit, Quartanas, nimiis & violentioribus purgantibus sæpè exasperari potiùs, quàm iugulari; vt propterea inter Medicorum scandala vulgò per opprobrium relata sit.

Quartana nimiis & violentioribus purgantibus sæpe exasperatur potius quàm iugulantur.

Auctor de humorum in febribus continuis coctione cum Sennerto conuenit.

De humorum in febribus continuis coctione lubens tibi assentior, & aphorismum illum Hippocratis, *Concocta medicari oportet, non cruda*, de iis, vti & morbis cum febribus complicatis potissimum intelligendum esse, rectum itidem statuo: in intermittentibus ipse etiam hæsito; videtúrque Eustachius Rudius, iuxta tuam *de febribus, pag.*220. allegationem, rectè omnia docuisse; quod humores in primis, seu publicis viis consistentes, omni tempore vtiliter medicamento purgante educi possint: cùm enim imputres sæpè sint, nec sanguini exactè permisti, ductum medicamenti purgantis facilè sequuntur: idque eò promtius, quo corpus magis fuerit εὔροον; quod si non sit, vt isle per experientia euadat, studendum. Intereà hoc dissimulare non possum, quod quando *ibidem, pag.*248. in intermittentibus præter concoquentia sic dicta, & præparantia aliis adhuc alterantibus opus esse scripsisti, quæ illam vitiosam dispositionem in parte, (de quâ plura habes *pag.* 456. *& seq.*) in quâ fomes mali hæret, quæque in singulis paroxismis humorem vitiosum in febribus periodicis suppeditat, tollant, & emendent; quod ad ipsarum feliciorem curationem faciat, magnum quid adduxisse videaris: Ita enim reuerà plerumque fit, vt tametsi humor vitiosus purgantibus tollatur, tamen tantundem eius iterum generetur; imò nonnunquam plus: cùm medicamenta purgantis dispositionem illam vitiosam augere possint, vt quantò plus purgetur, tantùm rursus purgandum restet. Dispositio illa quid reuera sit, & vnde dependeat? certò definire posse, hoc opus, hic labor est. Aperiam breuiter, quid mihi nunc hac de re in mentem venerit. Dixi enim paulò ante; si febrile μίασμα quamprimùm subtrahatur, fomitem, quis aut qualis is etiam sit, per se febrim non progeniturum. Ad μιάσματος igitur subtractionem omnis diligentia primariò intendenda: subtrahetur verò id eò facilius, quo cœperit recentius, vires magnas nondum acquisiuerit, humoribus altius immersum non fuerit, eosque impensius inquinauerit, aut etiam viscus aliquod obsederit. Cùm ergo veluti ex antea dictis liquet, μίασμα illud, vel per sudoriferum ab intra exhibitum, vel epithema foris applicatum, præ aliis ferè omnibus optimè eiiciatur, talium certè vsus nullo modo reiiciendus, sed quàm ocyssimè instituendus erit.

Eustachij Rudij de humorum in intermittentibus coctione doctrina approbatur.

Laudatur Sennertus in intermittentibus præter concoquentia & præparantia alia alterantia vti valde necessù in admittens.

Iudicium Doringij de dispositione vitiosa in parte in qua fomes mali hæret, quid sit & vnde dependeat?

Μίασμα recens facilius subtrahitur.

Quod igitur talibus, vbi tardius adhibitæ fuerint, nihil proficitur, μίασμα febrile nimis exaltatum, & iam viscus aliquod occupasse, indicio erit. Μιάσματα talia in venis & reliquo corpore diu contineri, & certis interuallis moueri, ac paroxysmorum auctores esse posse, epilepsiæ, veneni canis rabidi, necnon inquinamentorum post alia venena in corporibus relictorum, quæ & ipsa sæpè statis periodis mouentur, exemplis rectè confirmas *de febribus, pag.*499. Miasmatibus eiusmodi expugnandis principaliter dicata videntur, specifica febrifuga, qualia sunt iuxta Crollium *pag* 227. *Calx testarum, cochlearum aquaticarum*, & rursus *pag.*178. *aqua absinthij, & ruta*, iuxta nonnullos *cranium humanum præparatum*; iuxta Matthiolum super Dioscoridem *lib.* 2. *cap.*73. *stercus à canibus ossa comedentibus*, Cochlearis mensurâ, in accessu ex vino præbitum, inscio patiente: iuxta Gesnerum *in Epistolis pag.*63.74. *&* 97. *succus gentianæ*, iuxta Platerum *in Obseruationibus pag.*269.273. *&* 285. *aqua tabaci, ibid. pag.*269. 282. 288. *&* 291. *aqua gentianæ, centaurij minoris*: iuxta quosdam *succus hypericonis, verbena*, iuxta nonnullos *succus fœniculi, & plantaginis cum aq. rosarum. & pauco vino, vel aceto*; iuxta alios alia. Ea autem omnia sudorem mouendo vires suas exserere vtplurimum deprehenduntur. Verè igitur scripsisti *de febribus, pag.*542. Inquinamentum febrile post paroxysmum relictum, ne reliquos humores iterum inquinet ac corrumpat, discutiendum, & è corpore expellendum esse; quod commodissimè per sudorifera fiat: ideóque vix aliquam febrem integrè & perfectè, ac sine recidiuæ metu, sine sudore curari, ac solui. Quod si sit, equidem quò maturius sudorifera dabuntur, eò citius ægri à febribus liberabuntur. Hinc non nisi in principio rectè ea vsurpari, ipsemet putas, *ibid. pag.*254.

Μιάσματα diu in venis & reliquo corpore contenta quomodo malorum auctores esse possint?

Μιάσματα inueterata quomodo curari creduntur?

Inquinamentum febrile post paroxismum relictũ sudoriferis commodissimè expellendum.

Aciditatem in oxygalacte, (quo quosdam apud phthisicos vti, si valde sitiant, & febricitent, ad caloris extinctionem, refert Forestus *lib.*16. *Obseruat.* 57. *in Scholio*) vim refrigerantem satis prodere scribis: Quo sanè ipso occasionem luculentam mihi subministras, quærendi; omnqnid acida quatenus talia, per se, vel ex accidenti sint frigida? Etsi enim communiter cum ratione effectus, hoc est refrigerationis, tum causæ efficientis (quæ statuitur partim calor extraneus internum calorem interiorem euocans, partim frigus internum calore euocato superans, & prædominans, vt prolixè hac de re agit *Ioh. Brunus, de saporum, & odorum differentiis, cap.*5.) frigida absolutè censeantur: non sunt tamen contemnenda, quæ fortassis in contrarium obiici possint. Non adducam hoc in loco quæ Langius *l.*1. *Epist.*33. ad demonstrandas caloris in aceto actiones, in medium attulit; spiritus vitrioli, sulphuris, nitri, & similes, quod sint caustici, notissimum est: Iidem tamen ardores ita restinguunt, vt & pyrium puluerem ἀφλόγιστον reddant, de Quercetani testimonio *lib. de Priscorum Medicinâ cap.*8. Per se ne an verò per accidens hoc præstent? dubium. Galenus de aceti qualitatibus inuestigandis admodum sollicitus, postquam *lib.*1. *de simplicium medicam. facult. cap.*17. contrarias aliorum sententias proposuisset, & quosdam calorem quidem quendam (nempe qui à putredine inducatur) illi attribuere, quendam verò etiam (videlicet natiuum, ac proprium) detrahere dixisset, non multùm sanè abesse scripsit, quin illorum laudaret sententiam, in eamque promptè accederet, póque hac assertione, atque opinione, pericula omnia subiret, si quam machinam, aut artem inuenire posset, sicut in lacte contrariarum partium separationis, ita hîc quoque.

Aciditas in oxygalacte vim refrigerantem prodit.

Acida quatenus talia, an per se vel ex accidenti sint frigida?

Spiritus vitrioli, nitri & sulphuris, &c. caustici sunt.

Pyrium puluerem ἀφλόγιστον reddunt.

Galeno de aceti qualitatibus sollicito quid contigit?

Profectò si destillandi artem tenuisset, ex isto labyrintho se haud ita difficulter expediuisset. Monstrauit autem hanc diuersarum partium in aceto segregationem Quercetanus *de signaturis rerum internis, in Responsione pro veritate Hermeticæ Medicinæ cap.*20. nec non *in tetrade grauissimorum capitis affectuum cap.*7. docuitque acetum vini, nonnisi post deperditum aut separatum spiritum fieri posse; quomodo ideircò acescat, quod salem solùm armoniacum, volatilem & acrem, nec non vitriolatum retinuerit, quem sibi semper habeat latentem coniunctum, (comprobat hoc euidentissimè cùm spiritus vitrioli, per terram sigillatam coagulatur, tum eiusdem spiritus vitrioli philosophicus, mercurio sublimato, formâ siccâ inuisibiliter vnitus) à quo qualitatem; & vim obtineat longè aliam, quàm frigidam, & siccam, sed modò dirimentem, & resoluentem potius, eaque duriora, & fixioris ac solidioris sunt substantiæ; modò coagulantem, quæ molliora, & magis spiritualis sunt corporis. Quæ etsi aciditatis causam apertius, quam quæ à Brauo è Galeni monumentis congeruntur, ex parte exprimant: curioso tamen inuestigatori, per omnia non satisfaciunt. Recordor enim nunc eorum, quæ mihi Giessæ olim vel ante duodecennium super hac re in mentem venerunt, quæque Horstio tum temporis in publicâ quadam disputatione, opposui. Etenim si separatione spiritus vini acetum producitur: E. vel in ipsa spiritus destillatione, tenuiore, & dulciore ipsius parte egressâ, guttæ subsequentur acetosæ; vel abstracto omni spiritu, ex eo quod residuum erit, fiet acetum. Atqui falsum esse vtrumque consequentis membrum, confirmat ipsamet experientia, vt proinde aliâ probatione non egeam. Horstius quid ad hæc responderit, amplius non memini. Ipse igitur in eam deueniebam opinionem, acetum è vino, vel aliis etiam rebus, oriri per spiritus illius dulcis, & summè volatilis quandam fixionem. Pro huius autem rei assertione documenta afferebam hæc. Primò, quod in vini aceti destillatione contrario ordine progrediatur phlegma. In illius siquidem spiritum sequitur, in huius præcedit. Secundò, quod post aceti destillationem in fecibus plus, quàm vini phlegmate, salis acerrimi reperiatur. Hæc tum temporis.

Quercetani doctrina de diuersarum partium in aceto segregatione.

Auctoris argumentum contra Horstium de aceto, an separatione spiritus vini producatur?

Acetum ex mẽte Auctoris quomodo producitur.

Phlegma in vini & aceti destillatione, contrario ordine progreditur.

Post aceti destillationẽ plus salis acerrimi in fecibus quàm vini phlegmate reperitur.

Pro maiore præsentis opinionis stabilimento succurrunt subsidiariæ rationes aliæ. I. Quod quò vinum generosiùs, eò acetum oriatur nobilius. II. Quod quò acetum vetustius, eò

Vinum quò generosius eò acetum oritur nobilius.

Acetum quò vetustius eò acrius.

rò existat acrius, quoniam, vt è Galeni sententia *l. 1. simpl. medic. cap. de adipe*, item *3. de compos. med.* monet Matthiolus super *Dioscoridis libro 5. c. 19.* vinum, mel, acetum, oleum, adeps, vetustate calidiora fiunt. III. Quod acetum radicatum volatilisatione salis fixi acuatur. IV. Quod spiritus aceti contrariam, ac spiritus vini, naturam obtineat. Hic enim φλογιστὸς, ille ἀφλόγιστος est; instar nitri, aut sulphuris fixi. V. Quod ob frustratam alimentorum ἐξομοίωσιν, humores melancholici in corporibus nostris coacerueatur, qui & ipsi acidi sunt.

Acetum radicatum volatilisatione salis fixi acuitur.

Spiritus aceti contrariam à spiritu vini obtinet naturam.

De ἐξομοιώσεως denegatæ incommodis pulchrè disseris in disputatione *de scorbuto commentario ad th. 5.* Humores autem melancholicos acidos esse, communis fert opinio. Atque hæ meæ sunt de generatione aceti redintegratæ speculationes: quæ num aliquid probabilitatis obtineant, tu per occasionem videris. Ve vt verò acetum proueniat; vtro tamen modo, per sese, aut per accidens, refrigeret? dubium adhucdum existit. Sanè si Galeno credimus *l. 1. de simpl. fac. cap. 19.* per se vtique refrigerat, vtpote cum ipsius opinione quidem omninò frigidum sit, interim tamen quendam etiam calorem obtineat, qui acrimoniæ ratione per accidens spatio temporis mediocriter corpora calefaciat, tametsi id non vbique, sed in quibusdam duntaxat possit efficere: Nam laxis, inquit, ac doloris expertibus tumoribus neque protinus, neque postea caloris sensum aceti vsus commouet, mordicatio tamen in illis quædam percipitur, ob quæ sæpenumero iis qui intemperanter vtuntur, tenuis quidam rubor recurrit. Itaque neque primariò, neque proprio temperamento, excalefacere videri possit, sed acrimoniæ morsu irritare.

Humores melancholici vnde coacerruantur?

Humores melancholici quales?

Acetum an per se an verò per accidens refrigeret.

Galeni opinio.

Quercetani.

Quòd si verò iuxta Quercetani dogmata, sali acido, vim ratione obiectorum, contrariam tribuamus, quæ corpora quidem dissoluat, spiritus autem coaguler; rectius forsassis fecerimus, si acetum, quatenus exhalationes nitro sulphureas, ardores, atque inflammationes progignentes, compescit & figit, per accidens refrigerare dixerimus. Caloris enim opera tam ab ipso alias educitur conspicua, vt sensum ipsum reuerâ negare dicendus is sit, qui hanc negare præsumpserit.

An in curatione vlceris pulmonis apud phthisicos plus aëri sicco quàm igneis internis præsidiis sit attribuendum?

Aeri sicco te in curatione vlceris pulmonis apud Phthisicos plus tribuere, quàm igneis internis præsidiis, affirmas. Quâ quidem in re, si sulphurata, therebinthinata, & his similia intelligis, facilè me assipulatorem habere potes. Aerem tamen cum siccitate calidum, sed moderatum esse oportebit: Vt enim frigidus in vniuersum omnibus, iuxtà *Hipp cratis l. 5. Aphorism. 20. & 22.* ita maximè pectoris vlceribus, ipsique pectori per se est noxius, secundùm *eiusdem libri Aphorismum 24.* moderatè interim calidum esse debere dixi: qualis si per se talis non sit, arte procurandus, temperatisque suffitibus ex *olibano, mastiche, succino*, & huius generis aliis alterandus: plus enim iusto calidior, præterquam quod spiritus resoluit, & sudorem facilè elicit, inspiratione ad eos tractus, illud magis incendit, & febrilem, hecticumque calorem intendit.

Decoctum ligni sancti pro phthisicis curandis.

De Arcæi Phthisicos per decoctum ligni sancti ratione curandi, scripsi anno 1620. Februarij *lib. 25.* Eandem in vsu habuit Erastus, vt videre est inter *Cratonians consil. 38.* & apud *Schenckium, l. 2. obseru. 145.* Commendauit ipsam mirum quoque in modum Ingrassias, *Consil o pro fistula Ducis Terranoua*, & luculentis historiis illustrauit: quas, si ipsius met Ingrassiæ scriptum tibi in promptu non est, apud *Schenckium, d. l. obseru. 144.* reperies. Dicit autem Ingrassias, quod tametsi vsus tempore, corpora non protinus impinguescant; tamen quia ligni præcipua vis sit, vt non prauos modò humores, sed malam etiam intemperiem, omnemque luem, quæ atrophiæ causa existit, corpusque vix nutriri permittit, remoueat, obesiora, & robustiora deinceps euadant. Alphonsus Ferrus igitur, *l. 2. de ligno sancto, c. 15.* non immeritò contendit, quod huic morbo salutare sit, & vniuersis simplicibus alijs præstet.

Decoctum radicis Chinæ effectus.

A radicis Chinæ decocto, vt hoc etiam adiiciam, aliquamdiu potato, mulierem illam, cuius morbum in electâ historia pertractat, obesiorem, & toto corpore firmiorem factam Author est *Hieronymus Perlinus in Institutionibus Medicis, p. 70.* Hic ipse Perlinus est, cuius meminit *in exercitationibus Medicis de Pestis David Verbezius, p. 65.* quod in declamatione aduersus morborum contagionem impiam, ac deplorandam, Italorum timiditatem, & detestandam præseruandi ab imminente Peste, Vrbes, ac Prouincias consuetudinem, satis patheticè descripserit. Eundem decocti Chinæ effectum (de quo antehac nonnihil dubitatum) in fœmina quadam annos aliquot supra 40. natâ, à multis annis valetudinariâ, & variis ob diuersarum partium vitiosam constitutionem, affectibus subinde obnoxiâ, tum verò temporis præter acres ad pectus defluxiones, insigni totius corporis atrophiâ, laborante, ipsus annotaui, postquam per mensem eo vsa fuisset.

Conserua rosarum ab Auicenna contra phthisin laudatur.

Quantis laudibus contra phthisin Conseruam rosarum extollat Auicenna, in ipsius *opere l. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 6.* legere poteris. Cum enim qui obnoxij sunt huic morbo (verba transcribo Foresti è *lib. 16. obseru. 57. Scholio*) calidi sunt hepate, vel ventriculo, (quod vtile non est) vel corde, à quibus fumi acres ad cerebrum eleuantur, qui pituitæ commixti penetrationem addunt, & ad pulmones demittunt, saccharo rosato tabulato, vel conseruâ rosarum antiquâ, noctu sumta, aliud præstantius remedium dabitur nullum. Quod si penes ligni, vel Chinæ decoctum porrigatur, isti sine dubio maiorem securitatem conciliabit, & nimis formidine supercalefactionis assumentes liberabit. Nolo autem in eius celebrationem plura Auctorum testimonia conquirere: hoc solùm, quia coronidis loco (plura enim propter Tabellarij abitum scribere, adeóque ad singula tuarum litterarum capita, residua, nunc temporis respondere non licet) artexam, facere non potui. Nimirum ante mensem curæ meæ sese concredebat fœmina nobilis vidua annos aliquot supra 30. natâ, staturâ procerâ, habitu excarni, quæque non marito tantùm phthisico defuncto, sed aliis item agnatis, & cognatis, phthisicis cùm decumbentibus, tum morientibus conuixit, iuxta adstitit, & ministrauit. Ea tum in periculosam incidit hæmoptysin, quâ per vices maximam sanguinis spumosi reiiciebat copiam. Et cùm hæmoptysin vsu rotularum, syroporum, conditorum, & aquæ magistralis, in ipsius gratiam peculiariter a me descriptæ, restrinxissem, pus per vrinas copiosè expurgari, & tussis minus ipsam molestare cœpit. Aqua absumpta pro sputo facilitando, & tussi, si nimium infestaret, leniendâ, rotulas è Lohoch de pulmone vulpis, nec non species pro decocto quotidiè bis hauriendo, ex herbis betonicæ, veronicæ, saluiæ syluestris, scolopendriæ, sanguisorbæ, botryos, scabiosæ, hederæ terrestris, pulmonariæ vtriusque, radicibus tussilaginis, helenij, consolid. mai. & chinæ in maiore dosi, ordinaui, noctúque conseruam Rosarum antiquam sumi iussi.

Historia de fœmina in periculosam hæmoptysin incidente.

Hæmoptysis quomodo restringitur?

Remedium pro sputo facilitando & tussi lenienda.

Horum vsum cùm per dimidium mensem, ex meo præscripto continuasset, non tantùm spirandi difficultas cum tussi maximam partem remisit, sed etiam à cibo, quem cum voluptate, & decenti appetitu cepit, adeò refecta est, vt nunc multò, quàm ante decubitum habituosior, sit reddita. Suasi, vt imposterum solo Chinæ decocto rotulis de Loboch è pulmone vulpis, & conseruâ rosarum, (quam ipse ante annos octo paratam subministro) vteretur. Spero enim ex his satis rectè ipsam coonalituram.

Decoctum Chinæ ad curandam hæmoptysin salutare.

Ad quæsita tua, Lectiones Practicas reiterandas, concernentia, respondi alias, vt haud videam, de qua re mihi fortè adhuc monendus sis. Ipsemet enim pro singulari tuâ prudentiâ facilè dispicies, quid è tuo honore, & Lectorum vtilitate futurum sit. Ingratitudinem hominum ne verearis. Semper enim quibus placitura tua sint, reperies: qui si pauci quidem, modò boni sint, satis erit.

Tantùm hâc vice. Ad reliqua aliàs. Bene vale, & salue. Fiutcham Brestæ, die 7. Octobr. Anno 1622.

N O T Æ.

1. D. Sennertus ad M. Ioh. Neumeisterum Medicum Naumburgensem in Epist. m. s.

Quia in primis de febre doctrinam ventilare constitui, de ea amplius aliquid addere placet, & de iis tuum, quem diligenter talia perpendisse video, iudicium audire. Habet vulgus astrictum in febribus remedium, quod à vulgari quidem curandi febres ratione in practicorum Libris descripta non parùm dissidet; quatenus tamen iuuat, vt ad methodum reducatur, necesse est. Curat nimirum non rarò vulgus, febres tam intermittentes, quàm continuas & malignas per puluerem cardui benedicti, & alia sudorifera; quod etsi contrà vsitata Medicorum præcepta sit, si tamen iuuat, ratione non caret. Et mihi quidem istâ ratione hæc curatio niti videtur, quod in febribus non aliter sese res habeat, vt in peste. Vt enim in peste à contagio quædam corruptio inuadit humores; quæ si per sudorem discutiatur, putredo amplius non serpit, neque humores reliqui inficiuntur: ita reperire est alia quædam medicamenta, qualia & Platerus exhibet, *syr. de s. papaueris, aq. tabaci*, quæ humores vitiosos non tollunt, sed in iis saltem seu putredinem, seu incendium sistunt. Nonnunquam & nostri homines spiritu vini cum semine carui, vel quibusdam aromatibus sumto febres repellunt, quod proculdubio accidit, quod ventriculus hoc modo roboratur: Si enim ventriculi vitio febris oriatur, ea non curatur, nisi ventriculus pristinum robur adipiscatur.

2. Neumeisterus ad Sennertum, in Epist. m. s. resp.

Quæris de ratione curandi febres per sudorifera, quâ ego frequenter vtor, attamen in intermittentibus magis, quam continuis. Certè nisi sint interdum nonnulla impedientia, hunc modum & rationalem, & optimum arbitror; tum propter adductas à te causas, tum quia in omni febre proximè & immediatè adest insensibilis transpirationis vel diminutio, vel omnimoda interuersio. Demonstratur hoc, variè: & quidem corpus nostrum ψυχρόν vocatur propter hanc transpirationem. Et qui

qui corpora habent facilè transpirabilia, non facilè febribus corripiuntur, & vicissim, & èconträ.

Et in febrium principiis non solùm sudare homines nequeunt, ideòque nec sufficienter transpirare, sed etiam quamprimum sudare incipiunt, sanationis spes aduenit, & horror ille in inuasione intermittentium & continuarum, non de motu bilis testatur, sed de motu salsi sudoris, & materiæ proportionatæ insensibiliter exhalandæ. Exemplum habemus, si post balnea calida frigere incipimus. Et quis motus bilis in febribus à pituita? in febribus à melancholia? Imò omnes penè causæ Recidiuarum testantur de insensili transpiratione rursus prohibita. Et cùm epidemiæ febres grassantur, sæpissimè videmus plurium hominum eandem dispositionem, eadem penè symptomata, corpora iamiam febricitantia habere, quæ tamen quod sudant (etsi euidenter non sudant, cutis tamen humecta apparet, ad πύρεσιν non perueniunt. Atque hoc frequentissimè mihi iam obseruatur.

3. Idem ad eundem.

Scio quendam concionatorem plures rusticos pleuriticos sanasse, in principio statim, exhibito Iuniperi oleo destillato ad guttas octo, aut sedecim, quod sanè ego non imitarer. Et quod Empirici multi sudoriferis & aliis calidissimis febres curant, causam puto, non in ventriculo roborando esse, sed in aperiendis poris & corpore reddendo per sudores transpirabili: etenim nisi sudant post illa medicamenta peius febricitant, id quod & Empiricis quartanam Galeni tempore sanare conantibus accidit. Quapropter ego antequam ad sudorifera accedo, prouideo, ne obstructiones, aut plethora mihi obstent, sentinam humorum malorum inquiro, & quid ibi faciendum dispicio, siue intermittentes sint, siue continuæ; sciscitor an facilè sudare possint: Sed ante omnia maximè in intermittentibus de crisi coniecturam facio. Nam si per alui fluores, aut vomitum, aut hæmorrhagiam narium, aut menses, aut hæmorrhoides, &c. febris finienda videtur, (indicat crisis receptaculum malorum humorum) si sudoribus pellerem, vim facerem naturæ; semper autem post talem euacuationem, sudores moueo: Nam nemo perfectè sanatur etiam per hasce crises, vt obseruatu facilè est, nisi sudores etiam accedant. Frequentissimè autem peccatur à Medicis in hoc, quod ad aliam crisin morbos deducere conantur, quàm natura ipsa intendit: Imò indicationum scopus aut cynosura, aut Rex, ipsa crisis est, quam vulgares practici tamen planè negligunt Empiricorum instar. Hinc factum, vt podagra pro incurabili habeatur, cùm crisis neglecta sit, quod & plurimis morbis aliis contingit. Cum puto me pro crisi satisfecisse naturæ, tum securè, & frugiferè ad sudorifera accedo, obseruato etiam tempore morbi, & diebus criticis, Neque enim etiam in malignis, cum morbus inualuit, quovis tempore sudorifera exhibenda. Hac ratione quartanas in senibus & hyeme, frequenter, & citò sanaui.

4. Idem ad eundem.

Ingens apud practicantes defectus est, quod cùm omnes morbi peculiares crises habeant, nemo illas vel obseruauit, vel annotauit, præterquam quod in febribus videmus à Galeno factum, id quod & ad alios morbos translatum oportuerit. Et hæc crisis ignoratio in arthritide omnem eius naturam nobis obscurauit, sanationem desperandam fecit, cùm per se facilè careret.

5. Idem ad eundem.

In peste nunquam purgationes, nunquam venæsectiones instituo: sed tamen considero symptomata, & inuasiones. Nam si statim adest nausea, & ex terrore morbus conceptus, & statim consulor, tunc bene vomitorium exhibeo, inprimis, semen raphani: inde ventriculum roborare pergo spiritu vitrioli, viribus studeo, si nausea cessat, statim conualescunt, vt sudoriferis via opus: Nam in ventriculo primitùs venenum conceptum est, atque ita nonnullos sex horis persanaui: Pestis enim non statim totum hominem, sed per partes inficit, & cum tempore; idque vel ab extra (per cutim & pulmonem) introrsum (ad cor & ventriculum) vel ab intra (ventriculo) extrorsum (ad cor, caput, & ambitum corporis) id quod per symptomata diiudicare licet. Quod si ergo per terrores in ventriculo primitùs conceptum foret venenum, & statim accederem ad sudorifera, pellerem ex ventriculo venenum ad cor. Si autem per anhelitum ex contagio absque terrore venenum conceptum, virium languor adest, circa ventriculum se bene habent, tunc statim sudorifera exhibeo. Quod si ergo tandem nausea superuenit, & vomitus, tunc desperata res est, peruasit enim venenum totum corpus à pulmonibus & corde ad ventriculum.

6. Sennertus ad Neumeisterum in Epist. m. s. resp.

Sudoriferorum medicamentorum vsus apud Practicos quidem vulgares rarus est, summè tamen necessarius: modò dextrè adhibeantur. Quod vel exemplo Galeni patet, qui quartanarios, theriaca felicissimè curauit, quos Empirici eadem eandem non iugularunt. Perspiratio prohibita, an sola sudoris impediti causa sit, dubito puto sæpius materiæ cruditatem causam esse, quia præsente natura viæ expulsionem tollitur. Et multi febricitantes præsertim quartanarij, multum sudant, nec tamen febre liberantur.

Quod interdum sudoriferis, & aliis calidissimis medicamentis febres curantur, ideo sæpè fieri quidem concedo, quod poros talia aperiant, & corpus perspirabile reddant, interim tamen & alia de causâ hoc fieri posse puto, nimirum, vt nuper scripsi, roborato ventriculo: Is enim sæpè non benè coquendo febri perpetuam materiam suppeditat, coctione posteà rectiùs succedente, febris euanescit; deinde spiritus vini à putredine præseruat; sicut in gangrænis & vlceribus sordidis eius efficacia satis deprehenditur.

7. Idem ad eundem.

Quod sudorifera in febribus multorum voto sæpe non respondent, causam esse puto, quod ea non toties, quoties opus erat repetunt, sed vbi semel, vel bis vsurparunt, desistunt. Hoc modò enim non rarò materia saltem agitatur, non euacuatur: vnde febres, quæ anteà simplices erant, duplices redduntur. *Rulandus pater* sua sudorifera per integram septimanam plerumque continuat: sed cùm illa valdè ingrata sint, pauci ægrotantes persuaderi possunt, vt tam amara medicamenta, tantâ dosi, toties repetant. Galenus quartanas theriacâ se in media hyeme, etiam in senibus, felicissimè curasse gloriatur: quâ eâdem adhibitâ ante coctionem Empirici quartanas duplicarant & triplicarant. Quæritur ergo, quis ille coctionis terminus sit, & quod tempus, quo tutò in quartana theriacam, & similia calida sudorifera adhibere liceat?

8. Neumeisterus ad Sennertum d. l.

Sudorifera quod attinet, etsi febres maximè Tertianæ, varias crises habeant, per aluum, per vrinas, per hæmorrhoidas, per menses, per vomitum, per hæmorrhagiam narium, per sudores: video tamen nullam vnquam febrim absque sudore ad perfectam deuenire crisin.

9. Idem ad eundem.

Quartanæ ἐνδημίως apud nos iam multum grassantur, & iam per ludum, vt ita dicam, iocumque mihi sanantur etiam hoc tempore hyberno. Quid in quovis corpore præter naturam se habeat, dispicio, purgo quidem, sed non semper, & non nisi semel leniter (nam anteà vidi crebris purgationibus quartanas Epidemias exasperari, & prolongari) venam in pede seco (non credis huius venæ [illegible]) spiritu vini aut petroleo, aut simili ventriculum inungo, infra spiritum vitrioli exhibeo, hinc bis præparatis aut prægressis sudorifera exhibeo, salem absinthij, cardui benedicti, nitrum, ipsum cardui benedicti & scordij puluerem, antidotum Saxonicam; & ferè quidquid sub manus venerit: ipsa etiam aqua fontana calida, salita, & cum butyro pinguefacta copiosè exhibita, in paroxysmi fine, etiam conuenit. Hoc verò omnia superat in tertianis & quartanis, Ipsum scilicet acetum, in quo species antidoti Saxonici cùm parantur, sunt coctæ, vltra vnam vicem nunquam exhibui: illud acetum aliàs abiici solet. Incidit in manus meas nuper quidam concionator, qui biennio conflictatus quartanâ modò simplici, modò duplici. Cum ipsum tracto, ex quartanario fit tertianarius, & sanatur ex Tertiana paroxysmo tertio.

20. Idem ad eundem.

Ipsa perspiratio prohibita non est causa sudoris impediti: sed sudor impeditus testatur de perspiratione interuersâ, aut imminutâ. Perspiratio verò interuersa, proxima causa est febris, quod obseruatum mihi hactenus est quàm diligentissimè. Sed & horror, algor, frigus, & quomodocunque appelletur; perspirationis interuersæ signa sunt genuina, proxima.

Quod

Quod verò multi sudant, nec sanantur, causa est, quod non exsudent id, quod conuenit: Et latent causæ plures, quæ plus generant, quàm euacuatur. Et synochorum & intermittentium me iam hoc discrimen deprehendisse puto, quod in intermittentibus materia putrescens subinde generatur, vbicunque generetur, aut hæreat. In synochis simpliciter dictis illa putrescens materia, iam genita est. Et plures sub manum mihi iam veniunt, quibus omnia adsunt, vt nunc febricitant, symptomata, maximè verò Catarrhi; sed quia facilè sudant, non febricitant. Quod verò ipsa perspirationis interuersio proxima sit & propria febris causa, ex eo etiam patet, quia cùm vitam viuamos ψυχικὴν id est, semper transpirare necesse habeamus, si non transpiramus vt decet, non ἀναψύχομεν, si non ἀναψύχομεν, ἐμπυρῦμεν. Si autem putrido inest in corpore, resolutio illa multum facit exhalandum. Si concoctiones non administrantur legitimè, quod non concoquetur, putrescit &c. Ideo in quartanis potissimùm concoctionibus emendandis, & roborandis studeo.

11. *Idem ad eundem.*

Absurdum forsan videtur tibi, sudorifera reperiri non calida. Et talia certè ex salibus sunt plurima, etiã camphora talis est. Sumito vel nitrum, vel camphoram, siue singulariter, siue coniunctim, & experieris Sal vrinæ & Armoniacum vulgare aliquoties sublimatum, earundem sunt virium, & aliud est acredo, vel sapor in lingua, aliud calefactio. Nullus certè sudor bonus absque calore est: Et considerandum hoc loco, quod differat calor ille operationis naturalis à calore excitato per medicamentum, & quid post sudationem caloris remaneat. Tum verò etiam de calefacientibus & refrigerantibus variis: & iis vario modo agentibus déque præpostera graduum numeratione & descriptione agendum foret, sed tempus non fert.

12. *Idem.*

Quod sudorifera multorum voto non respondeant, causa est illa vera, quam affers, nimirum, quod toties non exhibeant, quoties opus est. Nam non solùm excernendum est malum semel, sed & assuefacienda sursum natura est, vt semper, & per se excernat, quod ita excernendum est. Causa etiam alia est, quòd fontem subtrahere nesciunt ii, quod tandem vltimo est per sudorifera excludendum. Nam satius est, quod præter naturam est, non generari, quàm genitum euacuari.

13. *Idem.*

Tempus, quo Theriaca & similia in Quartanâ exhibenda, mihi illud est, quando causæ multiplicantes materiam transpiratione & sudore excludendam, subductæ sunt. Et hoc, quod ego appello subducere, minuere, vel tollere, causas materiam generantes, illud Galenus vocat concoquere. Puto tamen me mente meâ paulò profundiùs Febrium causas indagare: Theriacâ ea odoratis sudoriferis, in intermittentibus, & continuis non malignis, non libenter vtor, quia odorata omnia pinguia, φλεγιστά, calefacientia, &c.

14. *Sennertus ad Neumeisterum.*

In eo tecum consentio vt nuper etiam scripsi, sæpè diu cacochymiam in corpore latere, imò alios morbos, & symptomata excitare posse, antequam febrem accendat. Ergo si Medicus Febre ingruente eam mox in primo ortu extinguere posset, multis periculis ægrum liberaret.

An sola transpiratio intercepta Febris causa sit nondum certus sum: Videntur enim nonnulla suaptè quasi naturâ in corruptionem tendere, & Febrem accendere, etsi transpiratio non prohibeatur. Et certum est, quò diutius humores vitiosi in corpore hærent, eò magis corrumpuntur, Sanguisque, si extra venas elapsus in corpore relinquatur, putrescit. Et malè coctus in ventriculo debili chylus spontè ad corruptionem tendit & sæpè Febres prolongat. Inde sæpè accidit, vt nonnulli vino, quod à Medicis prohibeatur, poto, & ita coctione roboratâ, conualuerint. An sudorifera non calida dentur, adhuc dubito, & in ipsis salibus calorem esse puto. Hoc quidem concedo, calida quædam φλεγιστὰ esse quædam ἀφλόγιστα; atque illa minùs tutò, hæc tutius in Febribus exhiberi. De præparantium vsu, de quibus nuper mentionem feci, in Febribus, adhuc tuam sententiam expecto. Neque enim illa, quæ & humorum, & partium intemperiem emendant, reiicienda videntur.

EPISTOLA XLVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor operarum quas molitur initium se fecisse, publico programmate testatur.* 2. *Lectionum initium Doringio missurum promittit.* 3. *Medicamenta vniuersalia cur per otium colligere conueniat?* 4. *Doringio in lectione & praxi circa eadem occursura annotare, & in commune conferre hortatur.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Si Tabellarius, à quo tuas expecto *Vir Clarissime, Domine Affinis, & Compater honorande*, rediisset, prolixiores à me literas acciperes: vacuum tamen Rhedarium hunc ad vos abire nolui. Feci, vt ex programmate publico intelligas, operarum, quas molior initium. Deus felicem det successum, & vires, vt labores istos, qui non exigui erunt, sustinere possim. Proximè mittam initium istarum Lectionum descriptum. Quia verò omninò vtile, imò necessarium mihi videtur, vt medicamenta illa vniuersalia humores præparantia, euacuantia, vomitoria, sudorifera &c. aliquando præmittam, cùm toties vniuersalis corporis euacuationis mentio facienda sit, per otium illa colligam. Non dubito, quin & penes te aliqua notatu digna sint, vel in lectione Authorum & praxi occursura illa etiam à te notari, & in commune conferri velim. Benè vale VVittebergæ 28. Octobr. Anno 1622.

Auctor operarum quas molitur initium se fecisse publico programmate testatur.

Lectionum initium Doringio se missurum promittit.

Medicamẽta vniuersalia cur per otiũ colligere conueniat?

Doringio in lectione & praxi circa eadem occursura annotare & in commune conferre hortatur.

EPISTOLA XLVII.

PERIOCHE.

1. *Auctor statum mulieris Cancrosæ cognoscere exoptat.* 2. *De Puluere Prætoriano quid vltra resciuerit?* 3. *Augmentum Solare Sennerti.* 4. *Auctor quid in Antonij Fuchsij Cancri cura notatu dignum indicet?* 4. *Salinæ ieiunorum vsus & effectus.* 6. *Salina in naturaliter constitutis vnde principium habet?* 7. *Naturam Salinæ secundum omnia causarum genera explicat Zvvingerus.* 8. *Quid de Ortus eiusdem loco statuit?* 9. *Materiam salinæ per gulam sursum ascendere vnde dignoscitur?* 10. *Doringij de ortu salinæ eiusdémque effectibus speculationes.* 11. *Auctor aliquot quæsita de salina proponit, de iisque iudicium Sennerti exposcit.* 12. *Puluis benedictus Fuchsij contra Cancrum.* 13. *Doringij de Laurembergio iudicium.* 14. *Laurembergius parum ab Hofmanno gratiæ meretur.* 15. *Bucretius, filius, gloriationes Laurembergij cum dementia quadam attemperatas animaduertit.* 16. *Instrumenta Sphygmica Sanctorij.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Quis modò mulieris illius Cancrosæ, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, sit status, vbi eum à D. Reitero resciueris, ex te cognoscere velim. De puluere Prætoriano nuper, cum Lignitio ad nos reuersus esset, hoc rursus ἀσύστατον proferebat D. Erbinæus, Cantorem illum, de quo aliàs, à famulo Prætorij edoctum fuisse, quod Mercurius per allium sit purificandus, à quo aterrimus reddatur, & mortificetur; affusâ autem aquâ reuiuificetur.

Auctor statũ mulieris cancrosæ cognoscere exoptat.

De Puluere Prætoriano quid vltra resciuerit?

Huius reuiuificati partibus septem si ☉ pars vna misceatur, & hæc inuicem per se præcipitentur, puluerem illum decantatum prouenturum, dixit. Credisne verò tu homini tam inconstanti? Persuaderine etiam tibi pateris, Prætorium, qui inter secretissima habet hunc puluerem, famulo eius descriptionem vel communicasse, aut, vt clam eam suffuraretur, permisisse? Credat, qui volet, ego via credo.

Illud facilius crediderim; quod fortassis vterque eius descriptione non careamus, modò, quænam inter plures esset, sciremus. Reuoco mihi in memoriam Augmentum illud Solare, in quo ante decennium laborabas. Ecquid quæso, de illo nunc? Omne me eius curam deposuisti? fortassis

Augmentum solare Sennerti.

non contemnendos effectus editurus esset, ob quos vel Prætoriano pulueri æquari posset: de quo vt diligentius cogites, admonendus mihi videbaris. Spiritum Saturni vnde nanciscar, adeoque, vt hac in re te iuuare queam, nescio.

Auctor quid in Antonij Fuchsij cancri curâ notatu dignum iudicet? Saliua ieiunorum vsus & effectus.

Pro communicatâ Antonij Fuchsij cancri curâ gratias officiosas ago: In eâ verò id præter alia notatu haud indignum est, quod bombax saliuâ humanâ, quo puluere conspersa parti firmius adhæreat, illinienda dicitur. Quod ego non nisi certas ob causas fieri existimo. Quæ enim Galenus *l. 10. de simplic. medic. facultatib.* de saliuæ ieiunorum viribus scripsit, quod Nutrices pueris lichenas eâ percurent, ea bodiéque in vsu sunt: nihilque ferè apud plebem solemnius, quàm vt serpigines ipsâ inungant. Grandines, & pustulas faciei rubeas, nec non tubercula vtiliter eâdem fricari res est valde vsitata: Vlcuscula Gingiuarum, Faucium, & reliquarum oris partium, modò Mercurialia, aut Scorbutica non sint, promptissimè ob vnius saliualis humiditatis præsentiam sanari, dubium, meâ sententia, est nullum. Oculos nati cæci Christus non verbo tantùm, sed sputi linimine terræ commixti illustrauit. Certè vel hoc seculo, inquit *Langius l. 3. Ep. 6. mihi p.* 1086. saliua hominis ieiuni lippitudini oculorum medetur. Sic ciuis in Alexandria cæcus dum Vespasianus supplicis ad genua deuoluti cæcos oculorum orbes saliuali oris excremento aspersisset, visum recuperauit, Auctore *Tacito l. 21. de Vespasiano.*

Rusticos Triticum ore commansum Furunculis imponere, corporibus autem mollibus, aut puerorum, panem pro tritico substituere, hæcque à saliua robur aliquod celerius digerendi & concoquendi acquirere, inde *dict. l.* nec non *3 de Facult. nat. c. 7.* euincit Galenus, quod aquâ macerata non æquè prosint: Omnia sic masticata & suggillata cæteraque ecchymomata, discutere, præsertim vbi panis simul cum pauco Radiculæ fuit cōmansus; quin & tota substantia maximè aduersam esse saliuam bestiis hominem interficientibus, non solùm *Nicandri poeta testimonio*, sed suomet in Scorpio (quod quidam, per incantationem sese præstiturum pollicitus fuerat,) facto experimento ibidem docet Galenus. Hac occasione nonnullos Mercurium crudum saliua hominis ieiuni vulgò extinguendum docuisse suspicor. Eandem, si ex homine sano ieiuno, in hyeme colligatur, & per Alembicum destilletur, turpethum minerale mirificè figere, & omni acrimonia liberare, nec in os serpentis sputatam eidem propter effervescentiam, disruptionem patere, Experientiæ fide communit *Hartmannus in Diatribe de Microcosmi vsu Medico*, id quod è *Marcione Smyrneo* de Scolopendris marini Rubetis, aliisque Ranis, & ex *Ophioneo* de Serpentibus etiam recensuit *Plinius l. 20. natur. histor. c. 4.* quanquam huius auctoritatem parui esse momenti scribat *Theodorus Collado Aduersariorum tom. 1. l. 1. c. 78. in fine.* Quæ causa horum effectuum sit, operæ vtique fecerit, qui explanauerit. Saliuam naturalem (quæ nec qualitate, nec quantitate, materiæ modum excedat) glandulas vtrinque Linguæ assistentes (quæ communiter tonsillæ appellantur) perpetuò eructare, harúmque, vti & Linguæ, ac cæterarum oris partium, fungosam, albámque constitutionem habentium, alimenti, familiare & proprium recrementum esse, contrà *Hippocratis l. de Glandulis* ab omnibus Anatomicis hactenus receptam sententiam profitetur *Mercatus de recto præsidiorum Artis Medicæ vsu l. 1. c. 14.*

Saliua in naturaliter constitutis vnde principium habeat? Naturam saliuæ secundū omnia causarum genera explicat Zwingerus. Quid de Ortu eiusde loco statuit? Materiam saliuæ per gulā sursum ascendere vnde dignoscitur?

In naturaliter constitutis ea tenui primæ concoctionis, quæ in ventriculo fit, excremento, quod pituita dicitur, principium suum ipsam habere alibi sese probaturum recipit *Casp. Hoffmannus libro de Lienis vsu c. 17.* Secundùm omnia causarum genera naturam ipsius explicauit *Theodorus Zwingerus in suo opere Physiologico pag.* 646. De ortus loco sic sentit eam vel à cerebro delabi, vel à glandulis, quæ ad radicem linguæ sunt, attrahi, aut etiam generari; vel gula sursum ascendere, ipsius tracheæ (aërem alterna exspirationis vicissitudine emittentis) vicinia ad vapidam materiam supernè propellendam, incitatâ. Ex quo illud colligitur, quod particulares duntaxat sint omnium aliorum, de ortus loco, sententiæ. Quod autem per gulam quoque sursum ipsius materia ascendat, vomiturientium, splenericorum eorum, quinetiam, qui ex vermibus laborant, aut purgans aliquod medicamentum assumserunt, exemplo confirmari potest. His enim omnibus saliua os perfundi, & iis quidem, quos vermes infestant, noctu reliquis quocunque tempore alio, notorium est. Etsi verò per ista satis declaretur, vndenam saliuæ materia suppeditetur, saliua tamen non nisi in ore esse incipit, non secus atque vrina dum in ipsam vesicam actu transiit, talis verè demùm dici meretur. In ore itaque, & ab oris partibus vltimam elaborationem suscipit. Quæ quamuis ita sine dubio habeant, ex iis tamen nondum ad amussim liquet, qua vi & facultate saliua recensitos anteà effectus edat? Communicabo tecum meas super hac re speculationes: quas, vt ad veritatis lapidem examines, licet. Coctionem, non quæ in ventriculo saltem, sed omnibus in vniuersum Corporis partibus absoluitur, elixationi respondere, extrà dubium esse arbitror. Elixationem verò illam destillationi, quæ per cucurbitam, vt appellant, instituitur, imitari, in confesso, opinor, est. Quamobrem vt in hac è subiecta cucurbita resolutæ rerum destillandarum partes subtiliores vaporum forma in impositum Alembicum feruntur, in eoque in fluidam substantiam coagulantur; ita in elixatione, tam, quæ arte in culinis fit, quam quæ à natura in animalium corporibus perficitur, idem quodammodo spectare fas est: Etenim in arte quidem coquinaria Olla cucurbitam, operculum alembicum? in animantibus verò ventriculus, pulmones, & reliquæ substratæ partes cucurbitam, caput alembicum perbellè repræsentant. Quando igitur ventriculus ciborum concoctioni incumbit, eosque connata sua proprietate resoluit, ac in chylum conuertit, euaporationes multas oriri, atque id, quod volatilius in eis existit, salisque volatilis subdulcis naturam participat, ipsis permisceri, hæcque inuicem, vel in oris cauitate, vel cerebro ipso concrescere, ac humoris specie in faucibus cumulari, à vero non est alienum. Exspirationes fumidas è corde per pulmones emissas simile quid conferre, ipsumque cerebrum cùm è sua, tum à venenoso, arteriosóque genere acceptâ penu, aliquid etiam largiri: nemo facile negauerit. Quæ cùm ita sint atque saliua è commixtione euaporationum saliuarum subdulcium, ex officinis, facultatis naturalis iuxtà, vitalis, & animalis oriundarum, resultet; quæ causa sit suprà enumeratorum effectuum medicinalium abundè patet.

Doringij de ortu saliuæ eiusdémque effectibus speculationes.

Sal dulce aut saccharinum ipsi inesse, & sapor eius arguit, & reliquæ operationes medicæ testificantur, quæ ipsi cum saccharo Saturni, adnexus sal corrosiuum, maximam partem sunt communes. Hæ igitur sunt, vt dixi, super hac re speculationes. Hic verò sequentia ex te quærere placet 1. Cùm Mercurio saliua extinguatur, qui nihilominus fiat, quod saliuationem promoueat. 2. Cur, aut cum vnguentis illitus, aut sublimatus dulcis intrà corpus porrectus, eandem inducat? crudus verò deuoratus, quemadmodum & præcipitatus assumtus, non item. 3. Facultas concitandi saliuam quomodo in Mercurio tolli valeat? Ad hæc quæsita, vt proximè respondeas, oro.

Auctor aliquot quæsita de saliua proponit, de iisque iudicium Sennerti exposcit.

Puluis benedictus Fuchsij contrà Cancrum idem est cum eo, quem describit *Penotus Theatri Chymici volum. 1. p. 750.* & *Philippus Mullerus in mysteriis medicis p. 18*8.

Puluis benedictus Fuchsij contra Cancrum.

De operarum practicarum feliciter facto initio tibi gratulor. Deus & animi, & corporis vires clementer eousque conseruet, vt eas ad optatum finem perducere possis. Magnum certè quid & laude immortali dignū meditaris. Ego si pro opere isto vel ampliando, vel expoliendo, symbolam aliquam contribuere potero, lubens faxo. Pro transmisso programmate publico, & Laurembergij vtriusque opusculis gratias decentes ago. Rarissimè nunc aliquid librorum emo, postquam omnes Taleris imperialibus æstimare cœperunt. Mittam forsan proximè librorum nonnullorum catalogum, quos in meâ Bibliotheca exoptarim: vt cognoscam quot sumptus eorum comparatio requisitura sit. Peruolui saltuatim saltem *Laurembergij Laurum Delphicam*: Admiratus sum hominis sui ipsius amorem. Si vera sunt, quæ de seipso gloriatur, non hominem, sed humanum ferè miraculum quis appellauerit. Vt vt autem sit, parùm herclè gratiæ merebitur *à D. Gaspare Hoffmanno* quod sua opera succenturiata Galenum aliquando ea, quam delineauit, facie proditurum promitrit. Quantum enim hisce diebus à *Daniele Bucretio, Filio*, excitati ingenij Iuuene, quique per triennium quasi *Hoffmanno* familiarissimè conuixit, intelligere potui, non vsque adeò benè tulit has ipsas *Laurembergij* gloriationes; summæ quippe ipsius eruditioni, dementiæ nonnihil attemperatum esse, atque in eo vetus prouerbium de ingeniis excellentibus verificari, animaduertit. Scriptorum ipsius præter *Laurum Delphicam*, & *Procestria Anatomica*, nihil vidi. In his autem sæpè nodum in scirpo quærere videtur: Ast ita fieri oportet, si quis non veritatis, sed contradictionis, & gloriolæ qualiscunque captandæ studio adscribendum accedat.

Doringij de Lauremberg iudicium. Laurembergius ab Hoffmanno parū gratiæ meretur. Bucretius Filius, gloriationes Laurembergij cum dementia quadam attemperatas animaduertit.

Hunc sine *Theodorum Colladonem* sua edidisse *Aduersaria*, nemo non, qui vel obiter saltem ea inspexerit, fatebitur. Profectò recta hæc non est ad gloriam solidam via: Modestiæ limites, qui in scribendo transgreditur, is Scholastici illius dicterij turpiter deme minit.

—— —— didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

De *Instrumentis Sanctorij Sphygmicis* de quibus primo omnium mentionem apud me fecit *D. Titius*, in memoriam verò eadem reuocauit *Laurus Delphica Lecta*, siquid certi tibi constat, vt eius particeps euadam, operam dato. Benè cum tuis vale, ac responsum ad reliqua tuarum litterarum capita imposterum à me expecta. Dabam Brelæ die S. Elisabethæ profesto, Anno 1633.

Instrumenta Sphygmica Sanctorij.

EPISTOLA

EPISTOLA XLVII.

PERIOCHE.

1. *Auctor Doringio Lectionum Practicarum initium mittit, ex quo propoſitum ipſius cognoſcere valet.* 2. *in materia Medica Doringij operam requirit.* 3. *De muliere Cancroſa.* 4. *Puluis Prætorianus in variis morbis ſine ſucceſſu exhibitus.* 5. *D. Schalleri de Prætorio cenſura.* 6. *Auctor cur Augmenti Solaris curam adiicerit?* 7. *Deſcriptio proceſſus cuiuſdam è Mercurio aliquoties ſublimato in Bibliotheca Neandri Ilfeldenſis inuenta, & quantum eidem tribuit Sennertus.* 8. *Cur Mercurius cùm ſalinâ extinguatur, nihilominus ſalinationem moueat?* 9. *Cur crudus & præcipitatus non idem in hoc genere præſtet quod illitus vel dulcis?* 10. *Facultas concitandi ſalinam quomodo in Mercurio tolli valeat?* 11. *Laurembergius & Collado ob abuſum ingenij taxantur.* 12. *Auctoris de inſtrumentis Sanctorij iudicium.*

D. MICHAELI DORINGIO,

PAVLVS MVNTZERVS, D.

Auctor Doringio Lectionum Practicarum initium mittit, vnde ipſius propoſitum cognoſcere poteſt.

SEn! *Clariſſime Dn. Affinis, Compater, & Amice plurimum honorande,* habes hîc *Lectionum practicarum* initium, è quo quid mihi propoſitum ſit, cognoſces. An verò id abſoluturus ſim, in Dei Opt. Max. voluntate & poteſtate ſitum eſt. Properabo quantum potero, & ante ferias natalias perueniam vſque ad *Caput de vulneribus capitis & fracturis cranij*, quo & quæ ſequuntur duobus, *de Inflammatione cerebri, & hydrocephalo*, vt morbis compoſitis, abſolutis; rectà ad actiones læſas accedam. Non verò relegi eas: tuum erit vitia, ſi quæ Scriptor commiſit, corrigere. A te autem maiorem in modum pero, vt iam te ad lectionem huius materiæ conferas, & ſi quid vel omiſſum, vel non ſuo loco poſitum, vel minus dextrè ſcriptum, occurret, vel moneas, & quæ potes, addas. Colligo & ego in dies plura, quæ iſtis inſero: verùm & tibi proculdubio occurrent. In iſta negotiorum multitudine Practicos ita multos perlegere non poſſum.

Auctor in materia Medica Doringij operam requirit.

In primis verò in materia medica tàm ſimplici, quàm compoſita, tuam operam requiro, et ſi quid in meis formulis mutandum cenſes, moneas, & ſi quas bonas habes, adiungas. Quid ſi darem operam, vt formulas illas Magiſtrales, quæ in præcipuis Germaniæ pharmacopolis in vſu ſunt, conquirerem ſuiſque locis insererem, addito loci, & Authoris, ſi de eo conſtat, nomine? *Sileſiacas* facilè tu conqueri poſſes. Ego *Dreſdenſes, Lipſenſes, Norimbergenſes*, me nacturum puto. Quid etiam, cùm proculdubio Practici labores deſtitueant, ſi Iunioris alicuius, ſed docti, & iudicio præditi, operâ hac in re etiam vti poſſes?

De muliere Cancroſa.

De muliere illa cancroſâ mihi nuper hîc in nuptiis Lyſerianis cum *D. Rætero* ſermo fuit. Is illam adhuc benè valere refert.

Puluis Prætorianus in variis morbis ſine ſucceſſu exhibitus. D. Schalleri de Prætorio cenſura.

Addebat verò hoc, Prætorium illum, qui curâ illâ cancri multis innotuit, puluerem eundem in variis morbis exhibuiſſe, ſed nullo fere ſucceſſu. *D. Schallerus* refert Liebtenburgi, cùm ibi Medicum apud viduam Electoralem, ageret, nunc ipſum Prætorium laborantis, vt vocant, partes ſuſtinuiſſe; eſſe hominem indoctum, neque etiam tum arcana multa iactaſſe. Halæ etiam aliquibus eundem puluerem exhibuit, ſed etiam non magno ſucceſſu: particulam, eius inde nactus ſum, huic chartulæ incluſam. De Augmento hactenus omnem curam abieci, cùm indies vim aurificam minui viderem, nec modum corrigendi ſcirem.

Augmenti ſolaris curam cur Auctor abiecerit. Deſcriptio proceſſus cuiuſdam è Mercurio ſublimato. Eiuſdem vtilitas.

Peruenit verò hiſce diebus ad me è *Bibliothecâ Neandri Ilfeldenſis* deſcriptio proceſſus cuiuſdam è Mercurio aliquoties ſublimato, & reuiuificato; & hinc cum ☉ & ☽ in amalgama redacto, & ſolo igne præcipitato, ac fixato; qui cum valdè probabilis mihi, etſi non ad mutationem metallorum, tamen ad Medicinam, cùm præcipitatum Solare exhibeat, vtilis videatur, laborem illum, vbi paulùm otij nactus fuero aggrediar. Si ſimilem aliquem proceſſum habes quæſo, eum quamprimum Nobis communica.

Quæ de ſaliua pluribus ad me ſcripſiſti, grata mihi fuerunt: perpendam ea diligentius, vbi ad morbos, & affectus oris peruenero. Nunc ſaltem ad Quæſtiones à te propoſitas reſpondeo.

Cur Mercurius cum ſalinâ extinguatur, nihilominus ſalinationem moueat?

1. Quî fiat, quod cùm Mercurius ſaliuâ extinguatur, nihilominus ſalinationem moueat, cauſam eſſe hanc puto, quod Mercurius cerebrum, & neruoſas partes afficiendi peculiarem vim habeat; ideóque dum ad caput viam affectat, ſecum excrementitios humores ex toto corpore eò rapit.

Cur crudus & præcipitatus non idem in hoc genere præſtet quod illitus vel dulcis?

2. Cur crudus, vt & præcipitatus, non idem in hoc genere præſtet quod illitus, vel dulcis, ideò fieri puto quod vterque non diu in corpore moratur, ſed crudus pondere ſuo mox per aluum deſcendit, præcipitatus verò naturam irritando, vel vomitu, vel per aluum, ſtatim reiicitur. Si verò diutius in corpore hæreat; ſolùm ſaliuam mouet, quod & præcipitatum quandoque præſtare poſſe exiſtimo.

Facultas cõcitandi ſalinam, quomodo in Mercurio tolli valeat?

3. Inde manifeſtum fieri poſſe puto, quando vis hæc concitandi ſaliuam tolli poſſit: quod fieri poſſe exiſtimo, ſi vel ſtatim è corpore reiiciatur, vel ſi diutius in eo hærere debet, benè figatur. Si Catalogum librorum quos cupetis, tranſmiſeris, pretium vt aſſignetur, lubens curabo. Ego parùm librorum iam emo, neque enim eos quos habeo legere poſſum; & ita ſtipendia noſtra decurtentur, vt eo via familiam commodè alere poſſimus.

Laurembergium & Colladonem ob abuſum ingenij taxat.

Et Laurembergium & Colladonem ingenio abuti, & non rectâ veram gloriam acquirendam viâ incedere, tecum ſentio. Facilius eſt *μωμεῖσθαι*, quàm *μιμεῖσθαι*.

Auctoris de inſtrumentis Sanctorij iudicium.

Narrarunt & mihi aliquot ex meis Auditoribus ex Italia reduces, aliquid *de Inſtrumentis iſtis Sanctorij*, & delineata, ni fallor, alicubi habeo, ſed talia non videntur, vt tantus vir iſtis famam captare debeat. Molitur idem iam *editionem Commentarij in aliquam partem Auicennæ*: Iis pleraque ſua inſtrumenta inſerturum aiunt. Circa Lectiones meas, & hoc moneas. An ſatis ſit eo quo cœpi modo, de vſu medicorum tractare, an verò ſcholaſticum illum vt videtur, *Capiuaccij* modum, ſequi, & ſemper in ſpecie *Quantum, Quando, vbi* agendum, explicare; cùm tamen non ſemper quod de omnibus dicas habeas, & ſæpè generalia repetenda ſint. Feſtinationi huic ignoſce, & cum tua, quam vt & Danielem, omnes ſalutamus, bene vale. VVittebergæ 8. Decembr. Anno 1622.

EPISTOLA XLIX.

PERIOCHE.

1. *Eryſimum eſſe herbam quâ peregrinus ille immanes Cancri dolores ſopiuit, Auctor confidentius credit.* 2. *Ioh. Bapt. Theodoſij duo contra Cancrum remedia præſtantiſſima.* 3. *Vnguentum viride Theodoſij pro Cancro quomodo preparatur?* 4. *Plumbum in diſpoſitionibus cancroſis multum valet.* 5. *De herba Eryſimi.* 6. *Secretum mirabile pro Cancris curandis.* 7. *Succi Verrucariæ vires.* 8. *Verrucaria vnde appellatur.* 9. *Carduo benedicto aduerſus Cancrum & alia vlcera putredinoſa nulla fere Medicina præſtantior.* 10. *De Cancris fluuiatilibus & Cochleis.* 11. *De mucilagine ſem. Cydoniorum.* 12. *Vrticæ folia, illita carcinomata ſanant.* 13. *Vrticæ folia quo tempore colligenda?* 14. *Efficacia foliorum vrticę vnde dependeat?* 15. *Salium acrimoniam non tam per pinguia & ſulphurea tolli quàm ſales quomodo probatur?* 16. *Pillulæ Antipodagricæ Doringij qualem in ipſo ſucceſſum habuerint?* 17. *De Caupone Puſcheckio nobili Arthritico, quemnam ex vſu pillularum Antipodagricarum Doringij fructum perceperit?* 18. *Auctor de generatione Aceti iudicium Sennerti expetat.* 19. *Methodus & ordo Sennerti in practicis lectionibus laudatur.* 20. *Auctor ob ſuſceptum Phyſicatum cur de peſtilentia docere teneatur?* 21. *Peculiarem de Peſtilentia tractatum meditatur.* 22. *Helidæi Paduani de Peſte tractatus publica luce dignus cenſetur.* 23. *Pulueris Prætoriani particula quid primo aſpectu eſſe videatur?* 24. *Michael Neander Chymicus peritiſſimus.* 25. *Secretum Montani Stregenſis loco auri potabilis ab ipſo vſurpari ſolitum quomodo preparatur?* 25. *Iudicium Doringij de eodem.* 26. *Doringius ad quæſtio-*

ne de Mercurio propositas responsis Sennerti lubens acquiescit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SVt hasce etiam, *Cl. Du. Affinis, & compater honorande* à Cancri cura inchoarem, ipsius cùm malitia, tum contumacia persuaserunt. Expedit enim si vsus ac necessitas requirat, vt efficacissima aduersus ipsum remedia, in promptu ac numerato quasi possideantur. Scripsi autem decursa æstate, me suspicari, quod Herbula illa, quę VVetflariæ peregrinus ille immanes Cancri dolores sopiuit, irion, seu Erysimum extiterit. Quod vt confidentius nunc credam, ea præcipuè in causâ sunt quæ hisce diebus; in *Ioh. Bapt. Theodosij Epistola Medicinali* 21. legi. Duo enim tanquam præstantissima proponit, *Vnguentum viride*, & *Erysimi succum*. Vnguenti hæc est Formule, ℞. *cerussa lota, tutia lota* (quid si in *aqua solani*, aut *plantaginis* an. ℥. i. lauaretur) *bolo Armeni orientalis* ʒ. vj. *pulu. flor. rorismarini* ℥. ß. *Lithargyri auree, & argentei*, an. ʒ. x. *pinguedinis anatis* ℥. i. Cum oleo rosato & chamæmelino, & succo plantaginis F. Linimentum in mortario plumbeo: Quantum enim plumbum in dispositionibus cancrosis valeat, scit ille qui expertus est, & nihil ignorat, scribit *Guido de Gauliaco Chirurgia magna tr. 2. doctr. 1. c. 5. & tract. 4. doctr. 1. c. 6.* Post illinitionem autem cum vnguento præscripto factam, herbæ Erysimi succo locus illinendus: aut herbæ folia superponenda sunt. His enim tumoris augmentum præcauebitur, exulceratio prohibebitur, & putredo arcebitur. Alij, inquit *Theodosius*, herbæ folia in aqua & melle decoquunt, & instar Emplastri apponunt, quod est secretum mirabile. Erysimo, cui & H. S. Alberti nomen vulgò tributum est, contra Fistulas facultatem inesse, hocque nomine in vsum vocari, Cæsalpinus *de plantis l. 8. c. 65.* Auctor est. *Succus Verrucaria*, ait *Ioh. à Vigo l. 4. c. 24.* eradicat vnamquamque materiam cancrosam, dummodò non sit inossata & multum antiquata, sine molestia: *Verrucaria* autem appellatur, Iudice *Vigone, ibidem, l. 7. sub proprio titulo*, quia verrucam & vlcus cancrosum ab ea genitum potenter, & cum certitudine sanat; quod signaturam externam monstrasse dicent illi, qui ex ea de occultis rerum virtutibus iudicari solent: Et ego, subdit *Vigo* expertus sum dictam herbam in vlcere cancroso propè palpebram cum labiis obstracosis, & virulentia non parua, tumor ortus processit ab vna verruca exstirpatâ à quodam Cerretano. Et prædictum vlcus perfectissimè sanauimus solummodò applicatione succi huiusmodi herbæ; & administratione vnguenti de totia in Antidotario nostro descripti: Argumentum autem quod vlcus cancrosum fuerit, quod quantum de carnositate superflua, & labiis obstracosis deponebatur ab vnguentis corrosiuis vna die, tantundem in sequenti in vlcere iterum oriebatur. De cura palliatiua consule *Guidonem loco allegato*.

Erysimū esse herbam quâ Peregrinus immanes cācri dolores sopiuit. Auctor confidentius credit.

Ioh. Bapt. Theodosij duo contra Cancrum remedia præstantissima.

Vnguentum viride Theodosij pro Cācro quomodo præparatur.

Plumbum in dispositionibus Cancrosis multum valet.

De Herba Erysimi.

Secretum pro cancro curādo mirabile.

Succi Verrucaria vires. Verrucaria vnde appellatur.

Aduersus cancrum, & alia putredinosa vlcera vix dari præstantiorem Medicinam *Cardno benedicto* peculiaribus obseruationibus communit *Camerarius in Matthiolo Germanico l. 3. c. 14. Cancris fluuiatilibus*, & *Cochleis* ad profligandum hunc affectum peculiarem inesse proprietatem affirmat *Franciscus Peretus Decados Medica l. 10. comm. ad c. 11.* Mihi ista proprietas in eo potissimùm consistere videtur, quod illa humoris atrebilarij cùm feruorem attemperare, tum acrimoniam mitigare apta nata sunt: Qua in re Lac, Semperuiuum, Solanum, Plantago, & his similia, quæ vulgò commendentur, idem præstare valent, *Mucilago sem. Cydoniorum*, cum prædictorum aliqua, vel Rosarum aqua extracta eximiè item sine dubio dolorem demulceret, & humoris acredinem infrigeret: Quàm enim aliàs egregiè conduxerit serpiginibus, semel atque iterum à me obseruatum fuit *Vrtica folia illita* carcinomate sanare, legimus apud *Dioscoridem l. 4. c. 89.* Quæ si debito tempore colligetur, Cancri dolores citissimè, & quasi subitò ab ea mitigari, & stupendum in modum tolli: indebito verò tempore si colligatur, nunquam illud beneficij præstari, docet *Henricus Nollius in Physica Hermetica p. 417.* Quo tempore colligenda sit non subiicit. Quid si id tum fit, quando Sol in cælesti cancro moratur. Huius efficaciam, velut & Erysimi à sale tenui, mordaci, ac volatili, quo ista proculdubio abundant, dependere censeo. Videturque hîc similis ferè esse effectus ratio, qualis in Tartaro vitriolato. Vt enim sal Tartari per se corrosiuus ab instillato spiritu vitrioli, qui & ipse causticus est, vi omni corrosiua exuitur, ita etiam in cancro humoris atrabilarij acrimonia ab Erysimi, & Vrticæ sale mordaci obtunditur, ipseque dolor, qui illinc oriebatur consopitur. Nimirum verissimè scripsisti *libr. de Chymicorum cum Aristotelicis, & Galenicis consensu, & dissensu p. 467.* quod salium acrimonia non tam per pinguia tollatur, & sulphurea quàm sales. Docentur hoc euidentissimè in Erysipelate, Herpetibus, & Vlceribus maximè tibiarum, à corrosiuo sale ortis: quantoperè enim à pinguibus exasperentur, Hospes in Medicina practica sit oportet qui haud nouit.

Cardno benedicto aduersus cancrum & alia Vlcera putredinosa Medicina nulla fere præstantior.

De Cancris fluuiatilibus & cochleis.

Mucilago sem. Cidoniorum.

Vrtica folia illita Carcinomata sanant.

Vrtica folia quo tempore colligenda.

Efficacia foliorum vrtica vnde dependeat?

Salium acrimoniam non tam per pinguia & sulphurea tolli quàm sales quomodo probatur.

Accinxi me hactenus aliquoties vt ad residua tuarum literarum capita responderem, sed interuenerunt assiduè alia quæ mihi calamum è manibus vicissim excusserunt. Imprimis verò vel in mei gratiam ad responsum tuum super consilium meum antipodagricum annotare deinceps nonnulla per otium placet. Vt autem quomodo cum valetudine meâ nunc temporis comparatum sit, nosses; facere non potui, quin per istam occasionem tibi significarem, me mox è præterito Æquinoctio Autumnali pillulis illis meis per 30. dies vsum esse, eo quidem (Laus cùm DEO, qui fortunauit, tùm tibi, qui ansam subministrasti, vt de earum conficiendi ratione cogitarem) successu, vt intrà sat benè longum tempus melius habuerim. Animus iam est, quia solstitium hybernale his diebus decurrit, ad earundem vsum per alios 30. dies redire, nec non singulo imposterum trimestri eundem periclitari; Facturus idem mecum Caupo ille Puschecaius, nobilis, vt ita dicam, inter nostrates Arthriticus: quippe quem à triginta ferè annis Arthritis grauissimè affligit, & sæpenumero per plures menses in lecto detinuit, nodisque ac contracturâ articulos ipsi hinc inde deturpauit. Is ipse cùm antehac vinum ne degustare quidem auderet postquam iisdem pillulis post nuperum Æquinoctium mecum vsus est, vinum innoxiè non degustat tantùm, sed etiam bibit.

Pillula Antipodagrica Doringij quale in ipso successum habuerint.

Earundem vsum singulo trimestri in posterum periclitari intendit.

De Caupone Puschechio; nobili Arthritico, quinam ex vsu pillularum Antipodagricarum Doringij fructum perceperit.

Vbi in aliis vires ipsarum experiundi vberior data fuerit occasio, præterlabi eam vtique non patiar. Optandum herclè, vt tandem opprobrio isti Medicorum competens Medicina ad inueniatur.

Litteras illas prolixas, quas d. 7. Octobr. ad te exaraui, & Tabellario Vestreri ad vos perferendas commisi, ad te nondum peruenisse intelligo; cùm earum capita, ne verbulo quidem vnico tetigeris. Inuenies fortassis ibi etiam, quæ tibi non ingrata futura autumo: velim autem in iis quæ de generatione Aceti in medium attuli, diligentius perpendas, & quod de iis tuum sit iudicium, candidè aperias.

Auctor de generatione Aceti iudicium Sennerti exoptat.

Pro transmisso *Practicarum lectionum* initio gratias officiosas ago. Placet quæ in ipsis obseruare cœpisti, & Methodus, & ordo. Deus, iterum precor, & animi, & corporis vires clementer eo vsque conseruet, vt eas ad optatum finem perducere possis. Ego quando ad earum expolitionem accessurus sim, certi quid compromittere non audeo.

Methodus & ordo Sennerti in practicis lectionibus laudatur.

Postquam enim post multas Senatus instantias & persuasiones Physicatum in me tandem suscepi, doctrinæ *de pestilentia* horas succisiuas quotquot alia permittunt negotia, tribuere cogor. Eius namque seminaria è vicinâ Poloniâ & Vngria ad nos transportata, nuper in aëris inconstanti, ac nebulosâ constitutione aliquot domos ex improuiso occuparunt, quæ non paruum Senatui metum incusserunt. Meditor igitur de eâ *peculiarem tractatum* suo tempore, si DEVS hâc lue nos porrò affligere non desierit, edendum. Habeo penes me de eodem argumento *Helidæi illius Paduani*, quemadmodum dictus fuit, *Tractatum*, à me ex vnius, atque alterius scripti Exemplaris collatione, in eam, quæ nunc possidet, formam redactum: qui meo iudicio publicâ luce, (quam hactenus, quod ego sciam, nondum vidit) haud indignus est. Ei Appendicis loco cùm *meas Epistolas* de simili argumento ad te diuersis temporibus scriptas, tum *Febrium malignarum examen generale* olim à me in Academia Giessenâ publicè per biduum institutum, suis hinc inde additamentis quibusdam locupletandum, certis de causis coniungere decreui, dummodò hoc meum propositum tibi non improbari intellexero.

Auctor ob susceptum Physicatum tur de Pestilentia docere tenetur?

Auctor peculiarem tractatum de pestilentia meditatur.

Helidæus Paduanus de Peste tractatu publica luce dignus censetur.

Portiunculam pulueris Prætoriani, primo aspectu dicere possis nihil propè esse aliud, quàm vel metallorum crocum, vel sulphurem auratum Antimonij. Quicquid sit, magnum certè quid in cancrosâ illâ muliere præstitit, tametsi aliis paruo successu præbitus fuerit. Opportunè autem in memoriam mihi reuocas nomen *Michaelis Neandri*. Habeo enim quasdam inter meas schedas litteras, quas partim ipse ad *Montanum*, & partim alij ad ipsummet missitarunt. Ex iis autem abundantissimè liquet, eum fuisse virum Chymicarum rerum oppidò peritissimum.

Pulueris Prætoriani particula quid primo aspectu esse videatur?

Michael Neander Chymicus peritissimus.

Si igitur manuscriptorum aliquorum ad Chymiam pertinentium è Bibliothecâ ipsius compos fieri possis, vt nulli diligentiæ parcas, suasor, & auctor tibi sum.

Secreti sequentis Montani Stregensis quin te participem faciam,

Montani Stregensis secretum, anri potabilis loco ab ipso vsurpari solitum.

faciam, facere non possum, quod Auri potabilis loco ipsum vsurpasse, ex fide *Iohannis Hanckeri*, quondam apud nos Cauponis, & ob Chymiam tum temporis admodùm celebris, accepi. Nimirum *scobi aut rasuræ, ligni Brasiliensis* (ita enim interpretor Germanicam linguam Fehrenboch) *aqua fontana*, aut *pluuia pura* affusa, per noctem super ea relinquitur, manè eousque calefit, dummodò non ebulliat, & apud ignem per horam vnam ita stare permittitur; postea clementer tinctura effunditur, ac percolatur, lentóque calore Balnei humor superfluus ad iustam consistentiam abstrahitur. Aurum exquisitum in eo reperiri, Montanus professus fuit. Vnus atque alter præteriit mensis, quod Hanckij prænominati fratris I. V. D. filiam Dn. T. S. scribæ Senatus monetarij, vxorem duxi. Is inter alia chymica, quæ Socer p. m. ex hæreditate fraterna nactus fuerat, monstrauit vasculum vitreum, liquore aurei coloris repletum, & titulo auri potabilis insignitum. Degustaui liquorem, & ecce! insipidus planè deprehendebatur. Imbui digitis, vt viderem, numquid more soluti Auri per spiritum Salis, eos infecturus esset; sed decolores permanserunt. Miratus præter duo memorata liquoris copiam, & per tot annos incolumitatem quæsiui, numquid inter schedas, & collectanea Soceri de præparatione aliquid inuenisset? produxit, ecce! eam, quam paulo ante assignaui, quamque ex communicatione D. Laurentij Scholzij filij p. m. dudum acceperam, descriptionem. Res vtilis est, tam operæ, quam pretij. Si earum esset virium, quas titulus spondere videtur, digna me hercle fuerit, quæ quamprimùm elaboraretur: Nolim rem ignotam carpere: Sunt enim quandoque alia, vel ista re viliora, quæ tamen mirandarum sæpe in Medicina sunt facultatum. Meas de salina speculationes, vt probè examines, rogo. In responsis tuis ad quæstiones de Mercurio tibi à me propositas lubenter acquiesco. Catalogus librorum à me expetitorum mittetur forsan proxima occasione. De Seuerini Scharonis obitu nihil inaudiuimus. B. V. & à nobis salue. Dab. Breslæ d. 28. Decembris Anno 1632.

Iudicium Doringij de secreto Montani auri potabilis titulo insignito. Doringius ad Quæstiones de Mercurio propositas responsis Sennerti lubens acquiescit.

EPISTOLA L.

PERIOCHE.

1. *Remedia ad Cancrum cur summè necessaria?* 2. *De Puluere Pratorij.* 3. *Erysimum an Cancri dolores sanet?* 4. *Carduus-benedictus pro curando Cancro, à multis commendatur.* 5. *Pillula Antipodagrica Doringij annon aliis morbis etiam adhiberi possint?* 6. *Auctor quid Doringio in sua de peste tractatione obseruandum monet.* 7. *Camphora an in peste sit commendanda?* 8. *Medicorum periculum tempore pestis.* 9. *De Secreto Auri potabilis Montani* 10. *Tinctura Thurneisseri.* 11. *Aqua communis per multos annos integra seruatur.* 12. *Medicina, quæ tota Physica innititur quantum desit?* 13. *De Atomis.* 14. *Auctor Aristotelis Interpretes cur taxat?* 15. *Democritum rediuiuum non sine posteritatis commodo exhibere pollicetur.* 16. *Doringio ne medicamentorum Chymicorum curam abiiciat, suadet.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S

Litteras illas, quas d. 7. Octobr. ad me exarasti *Clarissime Dn. Affinis Compater honorande* nondum accepi.

Aiunt Tabellarium illum Leobergæ mortuum esse: An ita sese res habeat, nihil dum certi rescisceere potuimus.

Ad nuperas ergo saltem respondeo: Omninò vtile est, habere in promptu medicamenta, quæ cancrum, morbum illum contumacissimum expugnare pos-

sint; modò semper sit curabilis: plerumque enim ita radices eius in penitioribus, & abditis venis latent, vt externis medicamentis parùm proficias, nisi sanguis ille impurus tollatur; id quod non nisi generosa medicamenta, qualis proculdubio puluis ille Prætorij fuit præstant. An peregrinus ille VVetzflariæ Erysimo cantri illos dolores sanauerit, equidem nescio: Hoc iam recordor, aliam plantam mihi nuper. à quodam nominatam fuisse, qualis fuerit non satis iam memini: Reuocabo authorem mihi in memoriam, ni fallor, *Vrticam* nominauit. Carduum benedictum à multis commendari scio: Feci eius anno superiori periculum in fœmina Cancro mammæ laborante, sed pauco successu, cum omnes venæ vicinæ atrabilario illo sanguine scaterent.

De Puluere Pratorij. Erysimum an Cancri dolores sanet? An Vrtica? Carduus benedictus pro curando Cancro à multis commendatur.

Is ergo tollendus, & reliqua cura proculdubio per salia appropriata peragenda.

De valetudine iam integra tibi gratulor: DEVS faxit, vt illa sit firma & constans. Si quod spero, & opto, suum officium istud medicamentum fecerit, vt de viribus eius diligentiùs cogitemus & conferamus, & an non etiam aliis morbis adhiberi possit dispiciamus, operæ pretium erit. Ego nuper puluerum istorum etiam in meis Lectionibus mentionem feci, *cap. 11.* quod est *de intemperie capitus cum humore seroso.*

Pillula Antipodagrica Doringij annon aliis morbis etiam adhiberi possint?

Etsi iam aliis negotiis te occupatum animaduertam: tamen subinde & praxis & Medicorum lectio aliquid suppeditabit, quod adiicere possis, etiam quasi aliud agens. Et velim posthac tale plerumque scribendi argumentum eligas, quod ad rem illam facere possit. Atque vt ansam tibi præbeam, vnam, atque alteram Quæstionem, ex iis, quæ hactenus lectionibus addidi, exceptam transmitto. Et quia proculdubio in ista de peste tractatione, mea etiam, quæ in doctrina *de Febribus, de peste*, habeo, perleges: siquid monendus videbor; id vt facias, oro. Si *Heliday Paduani tractatus tuus de eodem argumento Epistolas ad me scriptas* addere volueris, id non improbo: Si ex meis verò quædam addere voles, vt relegenda prius mittas, oro. Ipse enim Epistolarum, quas ad te scribo, nullum exemplar retineo.

Auctor quid Doringio in sua de Peste tractatione obseruandum monet.

De *peste* hæc saltem moneo. Memini in iis Epistolis etiam *Camphora* mentionem factam, & nisi fallor à te eius vsum improbatum. Hisce diebus verò cùm extrà vrbem apud Nobilem quendam essem, & ille collectanea quædam medica mihi ostenderet, & medicamentorum contra pestem mentio fieret, ille præ omnibus mihi *Camphoram* commendauit, vtpote cuius vim experientiâ cognitam haberet, & in hominibus, & in Brutis; ostendebátque ille mihi quendam puluerem contra pestem Boum commendatissimum, quem cùm in nupera, quæ in vicinia grassata est, peste Boum, vicini omnes frustrà ferè adhibuissent, ille camphora vaccas suas omnes seruauit. Quod te celandum, vt de *Camphora* vsu diligentius cogites, non putaui. *Experientia in his rationib. omnino præferenda est.*

Camphora an in Peste sit commendandas Obseruatio.

De noua functione tibi gratulor, & vt felicissime eam sustineas, ex animo precor.

Nolim verò suo huius initium pestilentia tempora incidere: Expertus enim scio, quid in tali statu Medico, periculi sustinendum sit, & quot periculis ego, etsi nulli obligatus, superioribus annis, cùm pestilentia hic grassaretur, obiectus fuerim: Nemo puto, Medicorum, qui paulo praxin ampliorem habet, satis cauere potest, vt omnem cum infectis conuersationem effugiat.

Medicorum periculum tempore pestis.

Quot Practicos perlecturus sim significabo, vbi *primam Libri Primi partem* absoluero, & in *secunda* ad speciales Capitis affectus deuenero; Hactenus enim in generibus istis per varios vagandum fuit.

De secreto illo Montani quid respondeam, nescio. Aurum in eo inesse vix credo (velim tamen Germanicam vocem iterum scribas, & causam interpretationis reddas: Nuperam enim scriptionem satis assequi non potui.) Sit vt Auri potabilis loco, liquorem illum vsurpauerit Montanus; *Es ist aber nicht alles Golde was da gleisset.*

De secreto Auri potabilis Montani.

Et scio Thurneisserum eiusmodi tincturis è pannis etiam extractis, Principibus quoque viris imposuisse. Durationem, & incolumitatem liquoris non miror, si vas arctè clausum fuerit. Certè enim scio, aquam etiam communem per multos annos integram seruari, modò ipsam aër non attigerit. Nolim tamen & ego rem non satis cognitam carpere.

Tinctura Thurneisseri. Aqua communis per multos annos integra seruatur.

Experientia, quæ in hisce meritò consulenda, rem determinabit. Monendus etiam hoc mihi videris, ne meam cum Martinio controuersiam planè silentio prætereas. Animaduerto iam experientiâ edoctus, quid Medicinæ nostræ, quæ tota Physicæ innititur, desit, & quàm plerisque principiis dubiis innitantur. Ego in hac re vt aliquid tentem, otium non habeo. Miror verò quosdam,

Medicina tota Physica innititur.

quibus hæc prouincia commissa est, rem hanc sam negligenter agere, & quasi nibil dubij in natura sit, in vetamula autem serpena dormise, imò si errorum admoneantur, quasi canes in præsepi latrare. Atomorum tameo & συγκρίσεως & διακρίσεως Democriticæ curam planè deponere onn possum, & omninò pnto diligentissimo rerum naturæ Scrutatori ab Aristotele factam iniuriam, & Interpretes Aristotelia cùm omnia ex qualitatibus primis deducere nos iussi-runt, in densissimum ignorantiæ lutum; nos demersisse, à qoo vix pedes extrahere possumus. Si vnum saltem mensem aliis negotiis subtrahere possem, darem operam, vt Democritum rediuiuum exhiberem, ono fine, vt spero, posteritatis commodo.

De Atomis. *Author Aristotelis Interpretes taxat.* *Democritum rediuiuum exhibere pollicetur.*

Video enim omnibus seculis fuisse quosdam, qui errores multos in philosophando annotarunt. Videntur etiam porrò posteri eâ de re monendi. Optarim & hoc, ne medicamentorum Chymicorum curam plane abiicias. Est apud vos Medicorum numerus satis numerosus, & iuniores proculdubio multi, præcipuè ex disciplinâ Hartmanni, qui nihil nisi Chymica iactant: quid præ Galenicis præstent, facilè obseruare potes, & de eo me monere. Neque enim Chymica in practicâ planè præterire potero.

Doringio ne medicamentorum Chymicorum curam abiiciat suadet.

Sed hæc obiter quasi. Vale & cùm tuâ, vt & Daniele à nobis salue. VVittebergæ 8. Ian. Anno 1623.

EPISTOLA LII.

PERIOCHE.

1. Cura Cancri. 2. Pilulę Antipodagricę Doringij qualem in ipso sortiti sint effectum? 3. Qualem in aliis sperat. 4. Pilularum Doringij varię appellationes. 5. An à peste pręseruent? 9. De Aconito, aristolochia rotunda & gentiana. 7. De vsu Camphorę in Peste. 8. Puluis pro peste boum an additione camphorę magis redditus sit alexipharmacus, an saltem penetrabilior? 9. Electuarium curatiuum pro peste. 10. Aceta Bezoardica Auctori in peste probantur. 11. Pestis bouina & contra eam remedia. 12. Camphora in dolore capitis mirè proficua. 13. Ex camphora pestis amuletum. 14. De dolore capitis ex consensu Epatis & lienis. 15. Secretum Montani ex rasura ligni Brasiliensis. 16. Sebastiani Basso contra Aristotelem libri. 17. Godifredus Chassinus de Natura siue Mundo. 18. Variorum in Aristotelem scripta. 19. Authoris censura de Sennerto Democritum rediuiuum exhibituro. 20. Guntherus Billichius de principiis Chymicorum. 21. Auctoris de Medicis Breslentibus iudicium. 22. Error Chymicis grauissimus in Colicis curandis. 23. Remedium contra colicam. 24. Auctor cur à Chymicis metallicis abhorreat. 25. Exemplum insigne Gangrenę repente exortę ac in sphacelum protinus mutatę.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Cura Cancri.

S Ita quidem est, *Cl. Du. Affinis & Compater honorande*, non externis solummodo, sed internis etiam medicamentis, atrabilarium sanguinem, & succum tam alterantibus, quàm expurgantibus Cancrum expugnandum esse. Interim tameo nec hoc diffiteri ausis, io conuenientibus topicis non parum felicioris sanationis momentum esse collocatum. Pillularum mearum Antipodagricarum vsum decursâ septimanâ secundò absolui. DEVS porrò fortunet successum: Aluus quotidiè officium facit, madoréſque matutini vt plurimùm, & sudores quandoque procedunt. Tempore hoc hyemali quo Catarrhi apud nos pertinacissimi, & frequentissimi fuere, sic satis rectè habui; ac per nares & palatum excrementa cerebralia probè egressi; quod alias minùs feliciter præstiti. Quartanariis easdem pilulas non infructuosè exhibui. Hypochondriacis, Cachecticis, splenetieis, Ictericis, Scorbuticis, omníbusque in vniuersum, qui ex obstructionibus viscerum, & vasorum inferiorum ventris, & labefactatâ coctionis primæ ac secundæ Officinâ, morbisque hinc oriundis laborant, quin maximo vsui futuræ sint, nullus dubito. Vocantur à me diuersis nominibus pro scopi diuersitate: Iam enim *Antipodagricas*, nunc *Antirheumaticas*, mox *de Iuâ nostras*, vitatissime verò *Apertiuas* inscribo. Ad præseruandum à pestilentia non inutiliter adhiberi posse, mecum proculdubio fateberis, si quæ de Trissagine, siue Chamædry, præcipuè penea Chamæpityn ipsarum ingrediente, ex Hetruscorum sententia scribit *Matthiolus, l.3. cap. 96.* diligentius perpenderis. Aconito mederi *Chamæpithyn*, Author est *Dioscorides l. 3. c. 157.* *Aristolochiam rotundam*, & *Gentianam* veneno pestileoti esse aduersam, vulgo etiam notum est.

Pilula Antipodagrica Doringij qualem in ipso sortiti sint effectum. *Qualem in aliis sperat.* *Pilularum Doringij varia appellationes.* *An à peste præseruent?* *Aconitum. Aristolochia rotunda & Gentiana.*

Quod me ad diligentiorem *Camphora* virium contrà pestilentiam considerationem hortaris, pro cogitatias officiosa tibi ago.

Non immeritò autem in pristinâ opinione mihi persistere posse videor, quam Anno 1613. die 17. Octobr. ad te perscripsi, & pluribus argumentis stabiliui; nimirum *camphora* vsum intra corpus paucorum granorum pondere iuuandæ penetrationis causâ rectè concedi, (quo potissimùm fine meæ Essentiæ Cordiali eandem etiam immiscui,) maiorem dosin iure optimo damnaui, præsertim apud eos, qui capiti infimum obtinent: quia imò dubium esse, qua facultate, calefactoriâne, an alexipharmacâ, ea omnia, quæ de ipsa magnificè pollicetur *Mindererus lib. de pestilentia cap. 15.* perficiat? Sanè experientiam rationibus interdum præferendam, hasque illâ iuxta Galeni monitum *lib. Epidem. cap. 5. text. 32.* diiudicandas esse, abundè mihi in *Museo meo p. 145.* dictum est.

De vsu Camphora in Peste.

In Quæstione tamen adhuc dum versari opinor, Numquid puluis ille pro bobus, de quo scribis, additione Camphoræ magis redditus sit Alexipharmacus, an saltem penetrabilior? Celerem enim penetrationem ad restinguendam venenorum malitiam, quæ & ipsa penetrantissima sunt, maximum momentum adferre, ipsemet haud inficiaberis. Subiecti diuersa dispositio, & validior ad suscipiendam veneni actionem resistentia, quid in peste siue hominum, siue iumentorum possit, etiam, me tacente, intelligis. Relegas igitur quæso litteras illas meas, & super hoc themate iudicium tuum, quæ tum temporis facere debebas, proximè expones.

Puluis pro peste boum an additione Camphora magis factus sit Alexipharmacus?

Cùm nuper iussu Senatus remedia quædam essent præscribenda pro vsu communi, *Electuario curatiuo* Camphoræ loco saltem Aromaticum à Chymicis tantoperè commendatum, sed crudum, (ne pretium omnis increscerer) iudidimus; subueriti videlicet Camphoræ noxas illas in litteris illis meis enumeratas. Miscuimus etiam aliquid *Nucis vomicæ*, quam *Wolfius* pater maximi fecit, & *Gesnerus* etiam *in Epistolis* ob vim marcoticam hunc in vsum celebrauit.

Elect. curatiuum pro Peste. *Narcotica.*

De Narcoticorum efficacia in peste quædam, si rectè memini, habet etiam *Hennemannus in suo de ea Tractatu.*

Mihi probantur *Aceta Bezoardica*: quæ, prætetquam quod celeriter penetrant putredini etiam eximiè resistunt, sudorem expelluot, nimiam humorum efferuescentiam compescunt, exhalationésque venenatas figunt, & præcipitant. Hac de causa à nobis tum quoque peculiare Acetum ordinatum fuit. Formulas mittam proxima occasione, iam non licet. Quid hæc remedia effectura sint, cùm pestis, per DEI gratiam, iterum conquieuerit, nondum experiri potuimus: Si recruduerit, (quod tamen DEVS clementer auertat) vt à Chirurgo vrbano diligenter exhibeantur, curabimus.

Aceta Bezoardica Auctori in Peste probantur.

Quia verò bouinæ pestis fecisti mentionem, facere non potui, quin tibi significarem, eam apud nostrates quoque prætetito Autumno satis fuisse familiarem, multósque boues iuxtà & vaccas, contagio è Polonia per boues translato, peremisse. Pro remedio tetro laudabatur splen è demortuo boue excectus, igne in fictili concrematus, puluerisatus, & reliquis ex aqua potui datur: Nonnulli pro experimento haud fallaci præseruatiua deprædicabant Mercurium crudum, & bufonem siccatum, si alterutrum horum peculiari caucæ, in lintre, è quo boues bibere solent, excisæ inclusum, probè occludatur.

Pestis bouina. *Ad eam remedia.*

Qua

Qua in re fidem penes ipsos authores esse, tibi verò ea vt placeant, scire velim.

Camphora in dolore capitis mirè proficua.

Camphoram cùm similitudinis, tum partium tenoitatis tatione in dolore Capitis à causa calida, non solùm externa, sed etiam feroidis exhalationibus mtra corpus ex inferioribus sublatis, otto, æquè, atque in Ophthalmia mirè esse proficuam, libens, lubénsque admitto: parùmque abest, quin cùm Conradino de Febre Vngarila, cap. 6. statuam, Camphoræ potiorem esse vim in extrahendis, partim veneno, partim calore, si fossæ applicetur. Hinc non planè fuerit de nihilo, quod heri è quorundam sententiâ recitari audiui; *Camphora* Amuleti instar collo appensa a pestilentiâ egregiè præseruat.

Ex Camphora P. in Amuletum.

Lectioonum tuarum practicarum continuationem, vt porrò mecum communices, vehementer oro. Etsi enim illarum expolitioni nondum vacare possum; id tamen negotij Institibus quibusdam committam, vt eorum quisque Authores euoluat, & ex iis, quæ annotatione digna iudicauerit, excerpat.

De Dolore capitis ex consensu h patis & lienis.

Quod Cerebro consensu Epatis affecto dolor ac molestia in dextrâ Capitis parte; Lienis in sinistrâ &c. magis percipiatur, ξυῤῥοίας illam, & ξυμπνοίας Hippocratis, quæ κατ' ἶξιν elt, & ob quam dextra dextris, ac sinistra sinistris compatiuntur, pro principali causâ serum agnosco. Ita enim & hepate malè affecto, & Liene sinistrum eius aut pedem potissimum intumescere, vel alter in consensum trahi obseruamus: cum si per vasa, hoc est venas & arterias compassio fieret, non minus hoc, quàm alterum eius lædi deberet. Sic etiam vitio Renum oculos quandoque dolore deprehenditur.

Secretum Montani ex rasura Ligni Brasiliensis.

Germanicam appellationem materiæ *secreti illius Montani*, Auri potabilis loco habiti, te non satis assecutum esse scribis. Rogas igitur, vt ipsam repetam, & causam interpretationis reddam. Nimirum venduntur tinctoribus à Mercatoribus nostris *Rasura Ligni cuiusdam*, quam vulgariter *Fehrenbock* nominant, rasuræ ligni communis Brasiliensis per omnia similis, nisi quod saturatiore & purpuræ magis æmulo colore tingat, ideòque præ communi magis expectatur. Eam ego, cùm aliud non succurreret, Ligni Brasiliensis nomine insignire volui. *Montanus*, & cum eo *Hanckius* Chrysolitum, vt forsan imperitioribus fucum facerent, vocare maluerunt: nisi appellationis eam voluerint causam, quod vti ipsorum solit opinio, Aurum ipsi insit. Vtut autem hoc sit ego sanè rei isti incertæ patronus esse nolo. Quin vt liberè de eâ sentias per me licentissimè tibi licet.

Medicinæ nostræ multa deesse, & non tantùm *Democrito*, sed & aliis antiquioribus Philosophis ab Aristotele sæpenumero iniuriam factam fuisse, monuerunt alij etiam viri literatissimi. Edidit Geneuæ ante biennium *Sebastianus Basso* Medicus philosophiæ naturalis aduersus Aristotelem *lib.* 12. in quibus, prout titulus in Catalogo tum temporis venali spondebat, abstrusa veterum philosophia restauratur, & Aristotelis errores teguntur: qui tamen mihi nondum nec visi nec lecti sunt.

Sebastiani Basso contra Aristotelem libri.

Publicauit etiam *de Naturâ siue Mundo Godefredus Chassinus I. C. lib.* 8. quibus item rectam notionem, veràmque scientiam rerum humanarum & diuinarum hactenus ignotam, simúlque in illis Aristotelem, omninò, malè sensisse, se demonstraturum recepit. In Aristotele quæ *Patricius, Picus, Mocenicus, Telesius, Ramus, Petrus de Lancre, de rerum inconstantia*, citante *Chassino l. 4. cap. 7. in fine*, & alij designauerint, quæque *Campanella* de sensu rerum, sensu non ita triuiali, scripsetis, nosti dudum. Tu si Democritum rediuiuum nobis prodoxeris, apud rigidiores quidem Aristotelicos acriter impinges; rerum tamen naturalium scrutatores non leuiter sine dubio delectabis.

Godifredus Chassinus de Natura siue Mundo. Variorum in Aristotelem scripta.

Auctoris censura de sententia Democriteum rediuiuum exhibitura.

De principiis Chymicorum Bremæ aliquid in publicum emisisse dicitur *Ioh. Guntherus Billichius*: qui cuius notæ Author & scriptor sit, si scriptum ipsius legisti, ex te cognoscere aueo.

Guntherus Billichius de principiis Chymicorũ, Auctoris de Medicis Bressensibus Iudicium.

Est, sanè apud nos Medicorum nomerus satis numerosus, qui tamen è disciplinâ *Hartmanni* prodierit, postquam *D. Grassus*, & *Keilsius* inter viuos esse desierunt, adest nullus. *Pansa* ad nos quoque concessit, fortunam experturus suam: vereor tamen ne breui à nobis vicissim sponte suâ discedat. Qui enim non habet, vt de suis facultatibus aliquandio viuat, ægerrimè hîc morari potest. *Musifortius Olsna* & ipse accessum molitur. Qui Chymica frequentius vsurpat, præter meum Collegam noui neminem. Grauissimè iterum impegit nuperrimè vso *aqua benedicta*, apud duos cum insigni mesaraicarum obstructione Colicos: quorum vni *Nosolo Hungaro* facillimè Iliacam peperisset; alteri Ciui nostrati ac *Dn. Freytagij p. m. Fratri*, eo ipso, quo propi-

Error Collegæ Chymici grauissimus.

Tom. VI.

nauit die, paroxysmos Epilepticos commouit. Liberatus vterque per DEI gratiam meâ operâ: ille quidem Collegâ penitùs dimisso; hic me ipsi adiuncto. Nihil autem vtrique æque profuisse animaduerti, quam vsum iuris Caponis, cui incoqui iusseramus *spec. decott. aperit. maj: cum fol. brassica, veronica, rad. rhapontic. veri, polypody quorni, & sem. brassica, ac carthami conquassat.* Ab hoc enim reseratis viis, & ritè ad eductionem præparatis, purgantia deinceps expeditius suum fecere officium.

Colica quomodo curatur

Freytagius, cùm Arthritidi soleat esse obnoxius; idcirco pillulas meas aperitivas, heri ipsi præscripsimus, quarum vsus hodierno manè fecit initium. Quod vt Deus iubeat esse fortunatum, ex animo precor. A Chymicis metallicis (vt id ista etiam occasione iterum moneam) præsertim purgantibus, hac ætate aliorum periculo admonitus nonnihil abhorreo; tametsi ea prorsus damnare nolim, ne imprudentiæ nomen apud alios incurram.

Auctor cur à Chymicis metallicis abhorreat!

E quidem vegetabilibus tantùm proficio, imò verò plus, quàm alius, qui nonnisi sua metallica promiscuè exhibere, & obtrudere solet. Abundet per me licet quisque suo sensu ac suas meditationes excudat. Ego turam, præ celeri, vt quibusdam placet, medicationem sectari malo: Ita enim famæ, ac conscientiæ meæ tectius consulere mihi videor.

Exemplum insigne Gangrenæ repente exortæ ac in sphacelum protinus mutata.

Gangrænæ intrà 12. fermè horas repentè exortæ, & in sphacelum protinus commutatæ insigne exemplum prætetita septimana vidi. Præcesserat octiduo nimia corporis in curru ex præceleri vectura concussio, & pudendorum in sinistro inguine compressio: Coaluerant insuper fistulæ, quæ per quinquennium ad minimum perinæum occupatent, corpore alias existente vastissimo, ideóque impurissimo, ac scorbutico, solo potu vtplurimùm se replente, & ante biennium ex anasarca, DEI beneficio, à me restituto: Obiit biduò post. Mitto hîc, vti vides, maximam Epistolæ illius nondum ad te perlatæ partem. Residuum mittatur proximè. Nunc enim tota describi non valuit. Benè vale, & à nobis saluè. Dab. Bresslæ d. 1. Februar. Anno 1623.

EPISTOLA LII.

PERIOCHE.

1. *Auctor quid de Pillulis Antipodagricis Doringij iudicat.* 2. *Doringius de Camphora vsu cum Auctore consentit.* 3. *Sebastianus Basso absurda dogmata non pauca fouet.* 4. *Auctoris de Gunthero Billichio iudicium.* 5. *Ad metallica accedere temerarium est, vbi res vegetabilibus confici potest.* 6. *De vsu sudoriferorum in initio febrium.* 7. *Auctor à Septalio sudorum prouocationem in peste in principio pessimam esse disputante, dissentit.* 8. Μίασμα *& fomes an differant?* 9. *Febres intermittentes an ex* μιάσματι *originem habeant?* 10. *An nihil referat sudorem post exhibita sudorifera non sequi?* 11. *De cruditate & coctione humorum in febribus Intermittentibus.* 12. Διάθεσις *quid?* 13. Μίασμα *quomodo se habeat?* 14. Μίασμα *in principio facilè extirpatur.* 15. μιασμάτων *non eadem natura.* 16. *Auctoris opinio de Aceti facultatibus & generatione.* 17. *De modo generationis Aceti.* 18. *Ex Plumbo Spiritus an fiat?* 19. *De Spiritu Vini & Aceti.* 20. *De Puluere polychresto Doringij* 21. *De Ecstasi.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SEtsi, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorando*, rumores isti bellici, de imminente nobis ex inferiore Saxonia milite vario, ita animum turbent, & concutiant, vt, ferè calamum sumere, & serij aliquid meditari pigeat: tamen ne Rhedarius iste noster ad vos sine meis veniat, breuibus ad tuas respondere libet. Principiò nullus dubito, quin pillulæ istæ variis morbis accommodari possint, cùm ex obstructionibus viscerum, & primarum viarum, quas hæ pillulæ tollunt, plurimi morbi ortum habeant. Disponunt præterea ad sudores, in quibus multorum morborum cura consistit. De Camphora experientia potissimùm consulenda est: In hoc tibi facilè assentior, vim alexipharmacam propriè dictam eam non obtinere, penetrationis tamen solum gratia eam adhiberi etiam non dixerim; sed eo etiam fine, quod maximam vim à putredine conseruandi habet, (quam ob causam medicamentis contrà gangrænam feliciter admiscetur,) quæ in re multum in peste situm est. Ex quo, quæ otiuntur commoda, maiora videntur, quam quæ secum fert incommoda.

Author quid de pillulis ab Doringio iudicat.

De Camphoræ vsu in euocandis calidis è capite vaporibus mecum consentis. Velim & de altera quæstionis parte tuam mentem mihi aperias; An nimirum spiritum vini eundem in vsum applicare liceat.

Doringius de camphora vsu cum Auctore consentit.

Rerum nostrarum status antiquus, nec ἀταξίας istius monetariæ emendandæ spes vlla certa affulget: Iterim spe etiam incerta nos sustinemus, & hic, quam diu DEVS volet, hæremus.

Sebastiani Bassonis librum habeo, qui me in mea de atomis sententia confirmat: Idem tamen absurda dogmata non pauca fouet. Si *Godefridi Chassini libros de natura* vidisti, cuius notæ sint, me edoce. *Guntherus Bellichius* non malæ notæ Author videtur: Noui, hominem. *Salæ* discipulus est, & illa dogmata, quæ *Ang. Sala in Aphorismis Chymiatricis* habet, contra *Quercetanum*, *Beguinum*, & alios, defendit. Edidit Bremæ libellum paruum *de principiis Chymicorum*, in quo dictorum Authorum sententias impugnat; suam tamen non adstruit. Idem hoc anno *libellum de Natura & constitutione Spagyrices*, Helmstadij edidit, quem apud Amicum vidi, verùm nondum venalis hic prostat.

Sebastianus Basso absurda dogmata non pauca fouet.
Authoris de Gunthero Bellichio iudicium.
Bellichius de natura & constitutione Spagyrices.

Ego iam diu etiam nullo purgante metallico vsus sum; temerarium enim esse puto ad metallica illa forsan accedere, vbi res vegetabilibus confici potest.

Ad metallica non est accedendum, vbi vegetabilia sufficiunt.

Siquid tamen ad *Indicem illum medicamentorum Chymicorum*, quem superiore anno ad te misi, annotasti, velim id mecum communices.

Priorem tuam Epistolam quod attinet, vt quantum otij est, ad eam respondeam.

De Sudoriferorum vsu in initio febrium adhuc non omni dubitatione mihi res carere videtur. De eo quidem non dubito, in initio continuarum ea rectè exhiberi, cùm μίασμα illud febrile seu discutiant, seu exstinguant.

De vsu sudoriferorum in initio febrium.

Et planè hîc dissentio à *L. Septalio*, qui *Animaduersionum medicarum l. 5. n. 52.* disputat, sudorum prouocationem in peste in principio pessimam esse, & *n. 47.* prolixè defendere conatur, purgandum esse in initio in peste, & Alexipharmacia impurò corpore non vtendum. Facilè etiam tecum consentio, distinguendum esse inter μίασμα, & fomitem, si fomitem, apparatum illum vitiosorum humorum appellare libeat, qui etiam in corpore antè febrem adest, & sæpè febre extincta remanere potest. Et cùm ille tum fomes, tum μίασμα, in continuis ferè sit in venis, feliciter sudorifera exhibentur. De intermittentibus verò res non ita plana est. An nimirum & illæ tale μίασμα habeant, & an in iis etiam inter fomitem & μίασμα sit distinguendum. Quid *in meo de Febribus tractatu* eâ de re cogitarim, legisti proculdubio: verùm sunt talia; quæ pro ἀπόδειξιν nemini obtrudere ausim.

Author à Septalio dissentit.
Μίασμα & fomes an differant?

Itaque antequam obtineamus plus commodi ex sudoriferorum vsu prouenire quàm ex humorum vitiosorum, & fomitis febrilis, in primis viis agitatione, probandum nobis erit, ex tali μιάσματι febres etiam intermittentes originem habere idque sudoriferis discuti posse sine incommodo, ita vt cum sudorifero (etsi pars eorum aliqua euacuata sit) crudi humores è primis viis in venam cauam non rapiantur: Vt transitus sudorifero pateat, facilè præstari potest, quin tamen humores secum rapiat, vix præcaueri potest. Nam quod mitiora sudorifera eligenda scribis, imò non referre putas, etsi non subsequatur sudor, difficultate non caret. Etenim insensibilis transpiratio sufficere non videtur; Et si debilia sunt nimis sudorifera, materiam agitant potius, quàm expellunt. Neque eadem ratio hîc est malignarum, & intermittentium. Puluis enim à te descriptus, etsi sudorem non moueat, malignitatem tamen infringere potest, quæ cùm absit in Intermittentibus, quo fine exhibendus, sit non video. De cruditate & coctione humorum in Febribus intermittentibus, hoc quidem verum esse video, crudam febrem dici, quamdiu plus febrilis materiæ post paroxysmum generatur, quàm in paroxysmo discussum est, Declinationem, & coctionem, cùm sensim illa materia imminuitur. Sed quæ sit illa διάθεσις (& quidem in febribus aliis alia, vt vel vrinæ inprimis turbatæ restantur) qua durante, humores Febris causa generantur, cessante, non generantur, in eo hæreo. Si quid me hîc iuuare potes, rem gratam feceris, In talibus enim si quid posteritatem iuuare volumus, nobis laborandum, quod tamen pauci perpendunt.

An ex μιάσματι febres intermittentes originem habeant?
An nihil referat sudorem post exhibita sudorifera non sequi?
De cruditate & coctione humorum in febribus intermittentibus.
Διάθεσις quid?

Sed vt ad μίασμα redeam, (modò detur in intermittentibus, vt in continuis) scintillæ se instar habet, quæ in materiam dispositam incidit, quæ si maturè discutiatur, vel suffocetur, nihil damni affert, relicto, magnum, & vix exstinguibile incendium excitare potest. Eodem modo μίασμα illud initio facilè exstirpari potest: Relictum verò eandem dispositionem partibus corporis imprimit, vt in veneniis res manifesta est. Et proculdubio in μιάσματι tota periodorum ratio consistit. De μιάσματι expugnandis, quæ annotasti, in Authoribus occurrere memini: Sed & hoc memini; experientiam non semper respondere: quod proculdubio ideò accidit, quod μίασμα non semper eadem natura est. Ita semper in ignorantiæ luto hæremus.

Μίασμα quomodo se habeat?
Μίασμα in principio facilè extirpatur.
Μιασμάτων non eadem natura.

Quam intricata *de Aceti facultatibus & generatione* sit apud Medicos & Philosophos controuersia, probè noui, & possent hac de re plurima scribere, si otium esset.

Breuibus meam mentem exponam, Acetum, quatenus acidum, quia acre, & hanc suam vim à sale vini habere puto; refrigerare verò per accidens quatenus humoribus inflammabilitatem adimit, eosque figit; non aliter ac si puluerem proprium spiritu aceti, vel nitri conspergas, ipsi inflammabilitatem adimis. De modo verò generationis aceti non cum *Quercetano* sentio, (si spiritum enim separes, nullum fit acetum, & ex vino immaturo ob spiritus defectum etiam non fit acetum (sed tecum; eandémque opinionem sæpè meis Auditoribus proposui: & quid hac de re sentirem, non obscurè innui non solùm in thesi à Te ex *disputatione de Scorbuto* allegata, sed & *in tractatu de Febribus p. 572.* Confirmátque hanc opinionem, præter ea, quæ à te allegantur, valdè illud (modò verum sit) quod *Angelus Sala* contrà Quercetanum defendit; ex plumbo nullum fieri spiritum, sed quod inde fieri videtur esse spiritum Vini, qui ex aceto, quo plumbum solutum est, postliminio redit, & quasi reuiuiscit. Nimirùm dum spiritus Vini figitur, fit inde acetum; dum spiritus aceti volatilis redditur, fit inde spiritus Vini. Quæ omnia ex atomis pendent.

De Aceti facultatibus & generatione.
De modo generationis.
Ex plumbo spiritus non fit.

Constat enim Spiritus Vini & spiritus Aceti eiusdem materiæ, & speciei atomis: sed aliis positos, aliaque eorum vnio est in spiritu Vini, alia in spiritu Aceti. Vides non esse de nihilo, quæ nuper de atomis Democriti ad te scripsi; Et sæpè inuito, & aliud cogitanti, necessariò quasi de iis aliquid cogitandum est.

De Spiritu Vini & Aceti.

Mitto iam *partis libri primi primam partem* maximam: absoluam eam paucis lectionibus. Mitto simul διαγραφὴν *partis secundæ*, in qua quid sit mutandum, vel addendum, animaduertes, & me maturè monebis. In puluere tuo polychresto contrà Febres præcipuè ordinato, hoc dubij occurrit, cur omiseris *terram sigillatam, bolam Armenum*, ac inserueris *Cranium humanum præparatum*. Occurrit & aliud symptomatum genus, quod non annotaui; quod in primo somno plerumque accidit, das auffahren im schlafe. Si nosti Authorem, qui eius mentionem faciat, illum mihi indica.

De Puluere polychresto Doringij.

Ecstasin me in tres classes retulisse videbis. Sum enim de eius natura adhuc dubius; neque idem Auctores semper per hoc nomen accipere videntur: quæ tua mens sit mihi indica. Benè vale cùm tuis, quam, vt & Danielem nostrum à nobis omnibus saluta. VVittebergæ 23. Martij Anno 1623.

De Ecstasi.

EPISTOLA LIII.

PERIOCHE.

1. *Auctor modum inuasionis suæ arthritidis narrat.* 2. *Arthritidem quomodo curauerit?* 3. *Camphora qua ratione putredini resistat?* 4. *Alexipharmaca contra putredinem exhibenda.* 5. *Spiritus vini an in dolore capitis à causa calida foris vtiliter instar camphora adhiberi possit?* 6. *Aucteris de Chassini libris iudicium.* 7. *Auctor cur pulueri suo polychresto cranium humanum immiscuerit?* 8. *Sennertus de modo generationis aceti Doringio assentitur.* 9. *De vsu cauteriorum.* 10. *An Lunâ crescente vel decrescente Fonticulum inurere conueniat?* 11. *Hortulani stipitibus surculos inserturi cur Nouilunium eligant?*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

STametsi *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande,* proliatos optarim responsum, festinus tamen Rhedarij discessus, & copiosior hoc tempore praxis, ne id adornarem, impedimento fuerunt. Tangam igitur potius, quàm expediam, nonnulla tuarum litterarum capita. Inuasit me ante mensem iterum mea arthritis; sed mitiùs per Dei gratiam tractauit. Tumor omnis intra paucos dies euanuit: minor in locis affectis ardor, vt & reliquo tempore febris me exercuit. Recidiua octiduo post, cùm ad labores practicos redijssem, accedere quidem videbatur: benignior tamen fuit, quam vt domi me detineret. Quin ope sudorum matutinorum, quos pilluiarum mearum vsus hoc tempore repetitus, meo commodo promouit, intra quatriduum plenè discussa. Nunc cum Deo rectissimè iterum valeo, quam valetudinem Deus iubeat esse constantem. *Camphoram* putredini resistere non negarim. Qua tamen ratione id præstet, ex te quæsierim: nempe num per se, an per accidens? quod posterius mihi videtur probabilius, cùm partium tenuitate, & volatilitate calorem putredinalem secum educat, pari ferè ingenio, atque dum in doloribus capitis aut ophthalmia, calidos vapores euocando vtrique affectui medetur.

Auctor modum inuasionis suæ arthritidis narrat.

Arthritidem quomodo curauerit?

Camphora quâ ratione putredini resistat?

Vt vt autem putredini resistat, cùm in putredine pestis essentia non consistat, alexipharmaca potius, quàm simplici putredini aduersantia, exhibenda sunt. Qualis tum tuâmet confessione *Camphora* non sit, nescio, an satis rectè pro eius vsu tantopere pugnes. Totam non damno, sed liberaliorem solummodò dosin.

Alexipharmaca contra putredinem exhibenda.

Spiritus vini an in dolore capitis à causâ calidâ foris vtiliter adhiberi possit instar *Camphoræ?* scire ex me cupis. Si epithematibus pauca quantitate misceatur, totum improbare nolim; si verò solus adhibeatur, plus nociturum, ob nimiam, quam infert, repletionem existimo, quàm profuturum.

De spiritu vini.

Chassini libri lectione indigni non sunt. Bassonis scripta videre velim, vt & Billichij. Adscribe precium, mittam proximè monetam, vt ea mihi coëmas.

Auctoris de Chassini libris iudicium.

De quæstione, quoad vsum sudoriferorum in principio febrium, propter alias occupationes, quicquam meditari nunc non potui; differam in aliud tempus. Quæris cur *pulueri meo polychresto* non addiderim *lapidem bezoar, terram sigillatam, & bolum Armenum*; immiscuerim verò *cranium humanum?* Respondeo, prius ideò à me factum; cùm vt euitarem nimiam precij magnitudinem, tum ingredientium farraginem, vtpote cùm scopis præsinis reliqua sufficere arbitrarer: Ditioribus quandoque priuatim miscere *Bezoar* soleo. *Cranium* propterea inserui, non tantùm vt affectibus capitis vtilitate cederetur, sed etiam spiritibus microcosmicis magis congener euaderet. Quid, quod nonnullis pro specifico febrifugo habetur. Ad repentinos tamen quoscunque insultus febris duntaxat eo vtor. Qua de causâ etiam *polychresti* nomen apud me meruit.

Auctor cur pulueri suo polychresto cranium humanum immiscuerit?

Quod de modo generationis aceti mihi assentiris, gaudeo. Profectò in multis hæremus, qui antiquorum dogmata promiscuè pro oraculis habemus. Vtinam *Democritum* tuum aliquando videre liceat.

Sennertus de modo generationis aceti Doringio assentitur.

De cauteriorum rectò vsu, vt nunc tibi quæstionem proponam occasio quædam mouet; de quâ, vt prolixè scribam, nihil attinet. Quæro igitur, an *Fonticulum* præmissis præmitendis, causæ siue reuulsionis, siue deriuationis, siue interceptionis, siue euacuationis, &c. Lunâ crescente, vel decrescente, inurere satius sit? Decrescentem Medicos Astrologos eligere, extra dubium est. An verò Medicos Physicos, qui propinquiores causas magis spectamus, idem facere, vel oporteat, vel deceat? dubium. Ex Authoribus, qui hanc quæstionem non dicam pertractarit, sed tetigerit, inuenire potui nullum. Aperiam, quid mihi super hac re in mentem venerit.

An Lunâ crescente vel decrescente Fonticulum inurere conueniat?

Cùm *Fonticulum* ideò excitemus, vt tam humorum motum eò alliciamus, quàm inde euacuemus: præstabit vtique sole tempus in eius apertione seligere, quo humores suapte sponte eò ferri consueuere. Secus enim si fiat, humores ægrè ea assuescent. Atqui hoc fit in Nouilunio. E. &c.

Auctoris opinio.

Confirmare hanc rem potest id, quod vulgo ab Hortulanis fieri obseruamus: Ii enim surculos stipitibus inserturi Nouilunium seligunt: nullam aliam ob causam quàm quia tum temporis è stipite succus alimentarius abundantius influit, ac surculi cum stipite coalitum, germinationemque promtius promouet. Nimirum *Luna* humorum Domina influxum istum, eiusque effectus moderatur. Contrà quæ decrescente Lunâ, aut paucis antè Nouilunium diebus seruntur, vel plantantur, tardius crescere solent. Hanc fortassis rationem esse crediderim, quod multi *Fonticuli* citra notabile emolumentum gestantur. Triennium est, cùm fœminæ cuidam *Fonticulus* parandus erat. Ea communi cum *D. Franco* consilio crescentem Lunam selegimus. Et ecce Fonticulus non tantùm à primo initio, sed & hodiè etiamnum probè fluit. Tibi de isto dogmate quid videatur, proximè significa. Ad reliqua aliàs. Bene cum tuis vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 14. Aprilis, Anno 1623.

Hortulani stipitibus surculos inserturi cur Nouilunium eligant?

EPISTOLA LIV.

PERIOCHE.

1. *Sennertus de tempore excitandi Fonticulos quid sentiat?* 2. *Medici cur decrescentem Lunam elegerint?* 3. *Pratorius cuius nationis?* 4. *Qualis in Medicina?* 5. *De Vellere aureo.* 6. *Auctor partem lectionum de scorbuto editurus quid vltra intrudat?*

D. MICHAELI DORINGIO,

D. DANIEL SENNERTVS.

VT nec istum Tabellarium vacuum ad te abire patiar, cùm plura aliis occupatus, non possum, ad te scribere libuit. Mitto verò, quæ reliqua sunt *in parte prima libri Practica.* Quæ præterea collegi, & addidi privatâ opera suos sex sectiones *Partem secundam*, vt opes eam delineaui, cum Deo, sequenti septimanâ, inchoabo. *Bassonis & Billichij* scriptorum nullum hic exemplar habetur. Nostri enim Bibliopolæ aliquoties iam, ob tumultus istos bellicos, Francofurtenses nundinas neglexerunt. Si vis, inquiram, an Lipsiæ prostent. De tempore *Fonticulos* excitandi quæstionem quod attinet, non puto ita multùm interesse; an crescente, vel decrescente Lunâ id fiat? Aliquoties Lunâ decrescente fonticulos parare curaui, qui benè fluxerunt, & adhuc fluunt.

Sennertus de tempore excitandi Fonticulos quid sentiat?

Causam verò cur decrescentem Lunam elegerint Medici, hanc esse puto, quod affluxum nimium humorum, & hinc pendentem inflammationem, vitare voluerunt. Et licèt decrescente Lunâ paretur Fonticulus: tamen antequam eschara decidat, & satis profundus fiat, Luna iterum lumine augeri, humoresque mobiliores fieri possunt.

Medici cur decrescentem Lunam elegerint?

Fuit nuper hic aliquandiu *Pratorius* ille, ob curatum cancrum famosus. Est is *Silesius*, ex Ducatu Teschiniensi, in re, vt audio, satis laura.

Pratorius cuius nationis.

Medicinam quod attinet, audire quidem vult Doctor, an sit ordine Homo, vt audio cætera est modestus, & bonus, sed in Medicinâ Empiricus. Habet enim aliquot pulueres minerales, vomitorios, purgatorios, maximam verò partem sudoriferos; His nec causâ morbi cognitâ, & neglectis omnibus indicationibus, omnium morborum curationem aggreditur. Medicamenta quidem monstrat, sed qualia sint nemini aperit. Non dubito, quin nobis pleraque sint nota. Hoc certum est, inter ea esse ☿ vitæ (quod ipse negare non audet, etsi aliomodo præparatum dicat) & ♁ fixum. Iactat sua medicamenta parata sine omni corrosiuo. Sed vel *Nitrum* (quod olent plerumque medicamenta, vt ab amico, qui ea vidit, audiui) ipsi non habetur corrosiuum, & id credo vel fallit

Qualis in Medicina?

Cum

Cùm ergo tales Empirici vno interdum medicamento generosiore metallico, sine omni indicatione vsurpato tantam famam sibi concilient: cur non & Dogmaticus his sit instructus? & cur nos non etiam de iis cogitemus?

De vellere aureo.

Quid verò iam agitur de *Vellere aureo*. Multa quidem mouere iam vellem, sed otium non est. Duo tantum quæro.

1. An eadem (ita apud Practicos habetur) sit variolas, & morbillos curandi ratio, cùm tamen humorum corruptio sit longè diuersissima? 2. Cùm Natura rarissimè per aluum euacuationem instituat, frequentissimè per sudores: cur Medici contra frequenter per aluum purgent, rarò per sudores.

Auctor partem lectionum de scorbuto editurus, quid vltrà intendat?

Tandem nec hoc te celare debeo, me certis de causis partem illam Lectionum *de scorbuto* edere velle, cui subiungere, & succenturiare operæ pretium esse duco, *Eugalenum*, *Salomonem Albertum*, *Ronssæum*, *VVierum*. Expecto de his tuum iudicium. Et si meam sententiam probas, velim, si quæ huius generis habes, vel tua, vel aliorum, ea mecum communices. Suum cuique tribuam. Plura iam non licet. Bene vale cum tua & omnibus nostris. VVittebergæ 14. Maij, Anno 1623.

EPISTOLA LV.

PERIOCHE.

1. De tempore excitandi Fonticulum quidnam censet Doringius? 2. De remediis Prætorianis. 3. Auctor cur à purgantium metallicorum exhibitione abhorreat? 4. Aurum potabile Voysselij. 5. De Vellere Aureo. 6. An eadem sit variolas & morbillos curandi ratio? 7. Medici cur frequentius per aluum, rarius per sudores euacuent? 8. Erastus quid de sudoriferis in pestilentia sentiant? 9. De sudoriferis in febribus intermittentibus. 10. Ἀδήλως corpori febris impressam Intellectus noster ob imbecillitatem & imperfectionem exactè penetrare non potest. 11. Auctoris circa scorbutum obseruationum præter Eugaleniana multa & singularia exempla. 12. Aqua antiscorbutica Doringij. 13. Eiusdem de VVieri de morbis varioribus libello Germanico iudicium.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

SPro transmisso *primæ partis libri primi Practicæ* residuo, *Cl. Vir, affinis, & compater honorande*, gratias officiosas ago. Diligentiam in augendo laudo: Ego, vt ingenuè fatear, nec cogitaui quicquam de hac re hactenus; ita enim labores Practici me huc vsque distinuerunt, & publicæ calamitates, (quarum necdum remedium vllum humanitus videmus) animum meum distraxerunt, vt ad quascumque ferè serias lectiones, ne dicam meditationes, intellectus mihi videatur factus ineptior, & possim ego fortassis loco excusationis non inscitè vsurpare illa, quibus *Ianus Cornarius in præfatione super Hippocratem Latinum* sese purgauit apud Lectores suos, duobus promissis quidem, sed non elaboratis atque absolutis *Diurnalium siue coniecturarum super Hippocratis opera*, libris.

Tam enim ea huc quadrant, vt vix aliquid dici possit concinnius. Locum adscribere non vacat, tu ipsum ipsus legas. Rogabo interim vnum atque alterum è iunioribus, vt si me colligendi munere subleuent; modò sciam, quos tu Authores voluturus sis. Cui enim bono isti eosdem, quos tu, Auctores percurrant?

In *Bassonis* & *Billichij* scripta, vt inquiras, oro. Pretium libenter transmittam.

De tempore excitandi Fonticulum quidnam censet Doringius?

Quo tempore *Fonticulus* excitetur, nimirum siue crescat, siue decrescat Luna, non multùm interesse putes. Mihi tamen ob rationem nuper scriptam & eiusdem illustrationes, tempus crescente Lunâ multò videtur competentius. Nec refert, quod Luna decrescens ex eo appareat vtilior, quod tunc minor sit metus nimij affluxus humorum, atque hinc oriundæ inflammationis. Nisi enim corpus probè fuerit per vniuersalia præparatum, & nimia humorum copia imminuta, tunc profectò non minus, quàm sub Lunæ incrementum de prædictis incommodis instabit periculum.

Et licet aliquot dierum spatium requiratur, priusquam eschara decidat, ipseque fonticulus sufficientem profunditatem acquirat; maius tamen momentum in eo positum esse arbitror, vt tale tempus seligamus, quo pronius humores ad locum affectum assuefiant. Namque & hîc illud locum mereri videtur: *à teneris assuescere multum est*.

De remediis Prætorianis. Auctor cur à purgantium metallicorum exhibitione abhorreat?

Prætoriana remedia nobis esse nota, facilè crediderim. Dogmaticos non dedecere metallicorum competentium vsum facilè largior. Hoc tamen liberè iterum scribo, me ob certas causas à purgantium metallicorum exhibitione iam ab aliquot annis non tantùm abstinuisse, sed & abhorruisse. Nolim equidem more quorundam periculo famam meam exponere. Quæ enim amiciore ipsi naturæ pharmaco tutò præstare & obtinere potui, cur potentiore quidem, sed minus securo, tentassem vel tentarem etiamnum? Quæ plerique metallica sine corrosiuis separare gloriantur, fucum aliis faciendi, & sua extollendi nomine faciunt.

Aurum potabile VVoysselij.

Instabat aliquando VVoysselius, se suum ☉. *potabile* (quale tamen non dari in suâ Chrysologia contendit Angelus Sala) per certos sales vegetabiles conficere. Quis verò & istos ab omni corrosione liberet? Eiusdem indolis *Nitrum* esse arbitror: quâ quomodo id destitui, credere debeam, ac possim, à te doceri velim.

De aureo vellere.

De aureo vellere, altum adhuc silentium. In Colchidem meliore fortunâ proficiscar oportet vt eo potiar. Significauit mihi nuper *Dn. Matthæus Closius*, communis amicus noster, se Collegium Chymicum instituturum: quod si ita sit, quorundam remediorum præparatione meam quoque symbolam libenter contribuam. Mihi enim otium non est nec facilè hoc difficillimo tempore non necessarios sumptus, more nonnullorum profundere malo: cùm praxi tam fœcunda præmia ad Medicos hodie non redeant, atque ante plures annos. De me hoc verissimè profiteri audeo, me nuper supputatione, instar valorem pristinæ ac legitimæ monetæ, facta deprehendisse, quod è praxi Anno 1617. plus lucratus sim, quàm subsequentium ad præsentem vsque vllo. Frugalitatis igitur, & parsimoniæ, si quo alio, hodierno certò tempore, studiosissimos nos esse decet.

An eadem sit variolas & morbillos curandi ratio?

Quæris: an (vt Practici quidam proposuerunt) eadem sit variolas & morbillos curandi ratio? Respondeo: si curationem eatenus accipias, quatenus respicit materiæ ad cutim expulsionem, tunc concedo, eadem esse curandi viam; quæ absoluitur expulsiuis. Nec protinus diuersa humorum corruptio, diuersas curandi leges præscribit. Dummodò enim cordi bezoardicis prospiciatur, & quantum possibile est, variolarum, ac morbillorum eruptio ocyssimè promoueatur, Medicus suo munere vtrobique rectissimè defunctus esse dici poterit. Sin curationem consideres, quatenus materia iam ad cutem propulsa est, distinctam curandi rationem tunc ineundam, nemo non videt.

Maiorem quoque in defendendis oculis & faucibus requiri in variolis prouidentiam, extrà dubium est. Hæc tamen communem principalem indicationem quæ ab humorum indicatione desumitur, & expulsiuorum vsum connotare solet, non curat.

Medici cur frequentius per aluum, rarius per sudores euacuent?

Sciscitaris *secundò*: cur Medici frequentius per aluum, rariùs per sudores euacuent? cùm ex aduerso Natura (quam Medicum imitari decebat) crebrius sudores, insolentiùs verò aluum moueat. Causam eam ego subesse arbitror; quod materiam in primis viis stabulantem vsu sudoriferorum intra venas, & vasa detrudi, & obstructiones in iis procudi nolint. At Natura nil quicquam ista subuerita, per sudores potius, quàm aluum noxiorum expulsionem molitur. Hinc conicere potes, quod sub initium quarumcunque febrium sudorifera citra peccatum exhiberi possint; modo ea non planè negligantur, de quibus anteà semel atque iterum scripsi. *Erastus Epistola* 15. acerrimè contra eos disputat, qui in pestilentiâ ægrum, ab initio statim morbi pannis contectum, calidisque medicamentis haustis ad sudorem cogunt.

Erastus quid de sudoriferis in pestilentia sentiat?

Quo nomine ipsius stationes in totum damnandæ non sunt. Quod si tamen sudorifera circumspectè administrentur, vniuersum improbari nequeunt: vtpotè cùm ipsiusmet *Erasti* confessione *Epistola* 24. aërem impurum, & vitiatos ab eo spiritus, seu vapores, serosas item ac tenuiores sanguinis partes (in quibus putrida qualitas, vt ipse opinatur, solis, aut certè præcipuè adhuc continetur) educendo, ægrum ferè peruerent: quin tametsi crassiores humores iam comprehenderit, atque adeò occupauerit, prodesse tamen etiam tunc possint, si vires constent, tempestiuè, quando, & quibus oportet, exhibita: Similiter *in intermittentibus febribus*, ad μιάσματος febrilis expugnationem, quò maturius, eò vtilius, ipsa adhiberi, nullus propemodum dubito. Causas cognouisti aliàs. Nec diffiteri te à me deprehendi; postquam litteras tuas diligentiùs relegi. Sanè non respondeat quandoque licet cupitus successus, communem tamen fortunam in aliis etiam experimur. Nimirùm appositè huc facit illud *Auctoris libri de flatibus*; Differt corpus à corpore; natura à naturâ, & nutrimentum à nutrimento. Quin μίασμα partibus corporis sui similem quandam διάθεσιν impressisse iam potuit, quæ febrem deinceps perpetuat.

De sudoriferis in febribus intermittentibus.

Δ ἀδήλως

Digitized by Google

Διάθεσιν corporis febrili impreſſa difficilè cognoſcitur.

Διάθεσιν iſta ex eorum vtique eſt numero, quorum exactam cognitionem, intellectus noſter pro ſui imbecillitate, & imperfectione penetrare non poteſt: ita videlicet vitreum lambimus vas, pultem in eo contentam contingere haud quimus.

Partem lectionum de ſcorbuto, vt edas, eique illos Auctores, quos nominaſti, coniungas, non diſſuadeo. Ipſe olim cum *D. Bucretio p. m.* de iteranda *Eugaleni* editione communicabam: quam ipſe itidem probabat. Annotaui multa ſcorbuticorum exempla. Inter ea, hæc præter *Eugal ena* obſeruaui ſingularia. 1. *Icterum* in Monacho ante biennium, cui poſteè ſuccedebat *Aſcites*. 2. *Aſthma* apud D. Henſcherum, & VVentzaianam coniugem p. m. 3. *Fanum*, qui non tantùm vniuerſum caput, ſed & totam frontem occupabat, in filia VVentzkiana, natu maiore, coniuge nunc temporis Dn. Ioh. à Kuſſembaht. 4. *Herpetem brachij ſiniſtri*, apud Dn. Carolum VVoyſſelium; & cruris alterutrius apud viduam Bedautanam in Polſſdorff, collatricis quondam Dn. Samuelis Turingi. 5. *Gangranam in indice digito*, ex leui feſtucæ punctura apud Dn. Michaëlem Furſtium: qui phthiſi tandem obiit. 6. *Hæmorrhagias frequentes narium*, in Ioh. Schepſio, Danielis illius, Medici apud Schvvidnicenſes quondam famoſiſſimi, filio; Dn. Conrado Nimitzio; Dn. Nicolao Seidlitzio, febre maligna ante annum extincto: in primis verò coniuge Nicolai Puſchoczij, Cauponia, fœmina annos 68. natâ; quæ biennio præterito, tantam hæmorrhagiam paſſus eſt, vt exſpiraturam crediſſes, hodie depoſita corporis mole gracileſcit. 7. *Hæmorrhagias è labiis* non conſpicuo oſtio, apud Dn. Ioh. VVentzkium p. m. & huius Affinis Iohannis Schottendorffij coniugem primam fœminam nobiliſſimam, poſt Quartanam tandem vitâ functam. Circà talos ſibi hæc eueniſſe conqueſta eſt his diebus Ioh. Frockels, qui cum pice liquida, & candelis ſebaceis mercaturam exercet, coniux, fœmine ob inordinatam viuendi rationem cachectica, & ad hydropem vicina; niſi cum ante annum, tum ab vno, atque altero menſe natura ipſamet per aluum ſeſe vitioſorum humorum onere liberaſſet, ipſique macilentas cæteras corporis partes, exceptâ facie (quæ etiamnum inflata eſt) habitum induxiſſet. 8. *Palpitationem cordis*, apud Chriſtophorum Zennerum, Textorem totum ſpleneticum, & ſcorbuticum. 9. *Ardorem & dolorem intolerabilem* in plantis pedum cum maculis ſublividis copioſiſſimis in cruribus apud ſeruum quendam nobiliſſimi, & eruditiſſimi Viri Dn. Abrahami Sebottendorffij, Conſiliarij Principis Bregenſis, Fautoris mei ſummi. 10. *Putrida, & putida materiæ effluxum ex vtero* apud vxorem Dn. Danielis Franci Aduocati hîc iurati, Fratris Doſt Gregorij Franci. Febricitantium diuerſimodè, hydropicorum, maculis variformibus conſperſorum, porreſis & crurum vlceribus affectorum, arthriticorum, phthiſicorum, &c. exempla ve enumerem, cùm ea frequentiùs occurrant, opus eſſe haud iudico.

Auctoris circa ſcorbutum obſeruationes ſingulares. 1. Icteri & Aſcitis. 2. Aſthmatis. 3. Fani. 4. Herpetis brachij ſiniſtri. 5. Gangrena. 6. Hæmorrhagiarum frequentium narium. 7. Hæmorrhagiarum è labiis. 8. Palpitationis cordis. 9. Ardoris & doloris intolerabilis. 10. Putrida & putida materia ex vtero effluxus.

Aquâ meâ antiſcorbuticâ quid præſtiterim teſtabuntur ij, qui meâ operâ reſtituti ſunt.

Aqua antiſcorbutica.

Nec minus teſtabuntur quidam ex noſtratibus Medici, qui æquè ſalutarem deprehenderunt. Hæc in præſentiarum raptim tecum communicare volui, vt videres, me nihil tam habere charum, quin tibi velim eſſe commune.

VVeri libellum Germanicum de morbis rarioribus, vt totum ſeorſum edas, ſuadeo. Digniſſimus enim eſt, qui omnibus proſtet, & non tantùm paucis, in quorum Bibliothecâ latet, ſeruiat, ipſe exemplar proprium optarim.

VVierus de morbis rarioribus.

De familiaribus rebus, ſi quid ad me perſcripſeris, haud grauatim accipiam. Ego paucis fidendum eſſe meo malo non ſemel didici. Benè vale, & cum tuis à nobis ſalue. D. Breſlæ, die 7. Iunij, Anno 1623.

Salutem ſuam tibi adſcribi petit, *Nobilis, & Magnificus vir Dn. Chriſtophorus Poley Senator, & Scholarum Præſes meritiſſimus*,

EPISTOLA LVI.

PERIOCHE.

1. Auctor quid præcipuè à Doringio poſtulat. 2. Obſeruationes multæ & pulcherrimæ in Medicina Practicorum negligentia pereunt. 3. Auctor de purgantibus metallicis Doringio aſſentitur. 4. Auctor Collegium Chymicum inſtituturus quantum à Nymmanno differat? 5. Annus Auctori lucroſiſſimus. 6. Metus bellicus. 7. Auctor Rectoratum Academiæ accepturus, de ſcorbuto quæ ſcripſit expedire pollicetur.

D. MICHAELI DORINGIO,

D. DANIEL SENNERTVS,

S. Facilè credo, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande, labores Practicos* ad alias meditationes & lectiones parùm temporis tibi relinquere. Neque id præcipuè è te poſtulo, vt ex aliis Auctoribus multa colligas, ſed hoc meo voto ſatisfeceris, ſi quæ in aduerſaria tua hactenus conieciſti, addas, & interdum, vel à cœna, vel quandocunque otium eſt, mea perleges, & quæ inter legendum, occurrent, annotabis. In primis verò ad materiam medicam, & formulas medicamentorum diligenter attendas, velim. Extrà dubium enim pono, & in lectione Auctorum, & in praxi medicâ, te ita verſatum eſſe, vt vel ex tempore tuam ſententiam de talibus exponere poſſis. Et non parum rei medicæ augmento obſtat, quod è Practicis, otio deſtituti, plerique hodie nihil ſcribunt, atque ita multæ nobiliſſimæ obſeruationes pereunt. Si è iunioribus Medicis, ſed qui iudicio valeant, aliquos noſti, qui hunc laborem ſubire velint, de eo me certiorem facito; proximè Authores, quos non legere debeant, ſignificabo. Hodiè Lipſiam ſcripſi, vt *Baſſonis, & Billichij* ſcripta, ſi ibi proſtant, nanciſci poſſim.

Auctor quid præcipuè à Doringio poſtulat. Practicorum negligentiam taxat.

De *purgantibus metallicis* facilè tibi aſſentior. Cogitabo *de ſudorifero*, & inſenſibiliter vitioſos humores diſcutiente medicamento. *Nitrum corroſiuum* eſſe nullus dubito; neque hactenus adduci potui, vt eius ſpiritum intra corpus exhiberem.

De purgantibus metallicis.

Etſi aliis negotiis ferè obruar: quia tamen ſtudioſi quidam à me petierunt, vt ἐγχειρήσεις Chymicas ipſis monſtrem, ipſis deeſſe non debui, neque Collegam meum *Nymmannum* imitari volui, qui metuit, ne indoctior fiat, ſi aliquid ſuæ ſcientiæ cum aliis communicet. Si ſciuero, quæ medicamenta cupias, facilè inuenero, qui etiam extra hoc Collegium tecum aliquid ſumtuum impendant.

Auctor Collegium Chymicum inſtituturus quantum à Nymmanno differat?

Mihi annus 1616. lucroſiſſimus fuit, quo praxi 1250. flor. acquiſiui. Intereà iſta monetæ deprauatio, & mihi non parùm nocuit. Sed Dei beneficio, omnia iam apud nos ad antiquum valorem monetæ reducuntur: & in *Conuentu Dreſdenſi*, qui ſeptimanâ poſt Pentecoſten habitus eſt, Talero priſtinus valor 24. gr. aſſignatus eſt. Occupantur iam in taxa ad eum valorem conficiendâ, quâ abſolutâ publico mandato priſtinus ille valor reuocabitur & probatio monetæ Francofurti ad Oderam à *Noſtro & Brandeb. Elect.* ad F. Michaëlis iterum, quæ hactenus intermiſſa eſt, inſtituetur.

Annus Auctori lucroſiſſimus.

Cætera quod attinet, viuimus hîc inter metus bellicos, necdum ſcimus, quo *Epiſcopi Halberſtadenſis*, & *Bauaricus exercitus* tendant. Intrà paucos tamen dies id nos reſcituros putamus. Iam enim itineri *Halberſtadenſem* ſe accingere heri nobis certò relatum eſt, ſi verum eſt, quod heri tabellarius Serueſtanus nobis nunciauit, *Comitem Iuniorem à Tury*, Berneburgum veniſſe, non video, quo tendere poſſit, niſi vt viam per pontem Deſſauienſem quærat, & per loca nobis vicina in Luſatiam tendat. Tempus id breui aperiet.

Metus bellicus.

Deferetur ad me ſequenti Autumno, Rectoratus Academiæ. Cùm ergo tum à Lectionibus feriari liceat, vt negotiis aliquid otij ſurripiam, ſi Deus volet, operam dabo, & *de ſcorbuto*, quæ ſcripſi, expediam. Addam & *Foreſti Epiſtolam*. In tuo arbitrio pono, annon iſtas, quas annotaſti, *Obſeruationes*, tuam *Aquam*, & ſi quæ huius generis habes, in peculiarem Epiſtolam conijcere, interea velis, vt & illam in fine reliquis addam. Ordinem enim Authoribus, tempus, quo ſcripſerunt, commodiſſimè dabit. *Nobilem & Magnificum Dn. à Poley*, & omnes noſtros meo nomine ſalutes, Plura iam non licet. Peregrè enim ad ægrum auocor. Benevale VVittebergæ, 17. Iunij, Anno 1623.

Auctor Rectoratum Academiæ accepturus, de ſcorbuto quæ ſcripſit expedire pollicetur.

EPISTOLA LVII.

PERIOCHE.

1. Auctor de Practicorum incuria & negligentia conqueritur. 2. Manuſcriptum Bucretij. 3. Hiſtoria Virginis infirmæ de inſigni virium languore dolentis: 4. Pulueris polychreſti cum lapide Bezoardico vero, vnicornu vero, & ſmaragdo præparato, effectus. 5. Aqua Bezoardia Doringij. 6. Purgantia metallica an vegetabilibus præferenda? 7. Stimmi quomodo præparatur? 8. Rotulæ ex ſtimmi quomodo conficiantur?

Digitized by Google

tur? 9. Antimonium fixum cum phlegmate vitrioli purgans clementissimum. 10. De spiritu nitri. 11. Spiritus sulphuris acidus aqua fontana ad gratam aciditatem remixtus aduersus vermes remedium certissimum. 12. Spiritus sulphuris cum aqua graminis distemperatus pro morsu rabidi canis iuuat. 13. Signa vermium. 14. Mercurius crudus cum Benzoini particula pro vermibus laudatur. 15. Auctoris de Nymmanno iudicium. 16. De purgantibus metallicis benignis. 17. Balsamus Alexiterij. 18. Puluis Birchmanni stomachici ab Auctore correcti. 19. Symptomatum scorbuticorum rarum exemplum. 20. Auctores qui de scorbuto scripserunt referuntur. 21. Puluis stomachicus Doringij cum cremore tartari scorbuticis salutaris. 22. Scorbutus vnde causatur? 23. Indicia scorbuti. 24. Scorbuti alia origo. 25. Aqua destillata Aucteris contra scorbutum ex tumore lienis oriundum quomodo preparatur. 26. Syrupi de cochlearia compositi descriptio. 27. D. Gaspari Peuceri de scorbuto tractatiuncula ab ea quam scripsit Vffenbachius plurimùm differunt.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Faciam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod petis, & vrges: sed quantum, ac quando aliquando potero. Iam enim huic labori vacare non possum. *D. And. VVeicklum & D. [illegible] Muntzerum* præ aliis orabo, vt me hac in re nonnihil iuuare, ac subleuare velint. Et ita reuera est, magno rei medicæ detrimento perire multas vtilissimas obseruationes, quas Practici otio destituti, describere, ac publicare nequeunt. *D. Bucretius* singularia non pauca, se annotasse multoties mihi significauit.

Practicorum incuria.

Periit tamen *Manuscriptum*, & in filij, Medicinæ item studiosi, manus non peruenit, surreptum proculdubio clanculùm à quopiam, qui suppresso *Bucretij* nomine pro suis ea olim fortassis contra fas omne & æquum venditabit. *D. Elias Cunischius* nunc ἐν τοῖς ἁγίοις ante biennium valde querebatur, incendio Oppauiensi suas obseruationes singulares ad prælum adornatas periisse.

Manuscriptum Bucretij.

Quod sequitur, nuperrimè à me obseruatum est. Vocabar ad virginem annos aliquot supra 20. natam. Ea in festo Pentecostes male habere, & de nulla re fere alia, quàm insigni virium languore conqueri cœperat. Medicamentorum vsum auersata distulit auxilium per quatriduum: neglectura diutius, nisi fratres & soror ipsâ vel inuitâ me accersere curassent. Vbi ipsam accessi, offendi in lecto decumbentem, quid, aut vbinam doleret, nil referre valentem, præter summam virium debilitatem. Contrecto bracchia. Ecce plus frigebant ea, quàm calebant. Digiti tam manuum, quam pedum rigebant, & non nisi compressi incuruabantur. Pulsus ita erat obscurus, vt mox morituram quis suspicari potuerit. Vrina crassa, tincta, & confusa erat: Quid agerem? Iudicato adstantibus ob potentem malignitatem periculo, præscribo *puluerem meum polychrestum*, eique admisceo, *de lapide Bezoardico vero, vnicornu vero*, ac *smaragdo præparato*, grana aliquot. Iubeo, vt quantum cultri acie bis capi potest, statim, & post duas horas tantundem, daretur. Extra vrbem ad horas aliquot abire quia me oportebat, sub vesperam domum reuersus ægram denuò visito, & aliâ longè, quam reliqueram, facie morbi inuenio. Iam enim interrogata probè respondere, & vt habeat, exponere potuit. Calebat tum, & madebat; ac toto corpore post medicamenti vsum sudauerat prutinus, pulsus erat optimus. Noctu proruperunt morbilli, qui tamen vix ante paucos dies substiterunt: Quod ipsum symptoma me in opinione de latente malignitate magis confirmabat. Insto igitur Bezoardicis; atque inter alia *Aquam* quoque meam *Bezoardicam* præscribo. Post biduum demùm horrore corripitur, & paroxysmo verè febrili tentatur, qui deinceps tertianarius intermittens euasit.

Historia virginis infirmæ de insigni virium languore conquerentis.

De puluere polychresto.

Aqua Bezoardica.

Sanguinem post vnum atque alterum diem ipsi detrahi curaui: qui erat supernè crustâ pituitosâ variegatâ obductus, sero à latere tenus bilioso circumfusus, infernè autem maximam partem fluidus, partem hinc inde grumosus, nec propter fibrarum defectum cohærens: qualis vtplurimùm scorbuticorum esse solet.

Purgantia metallica an vegetabilibus præferenda?

Purgantia metallica, si clementius operarentur, nec corpori peregrinam aliquam qualitatem imprimerent, (id quod Mercurialia præ cæteris faciunt) vegetabilibus sanè ob doseos exiguitatem, & saporis maiorem gratiam, meritò essent præferenda. Iactant quidem nonnulli talia; sed videre nondum licuit. Tu si quid horum habes, mecum quæso communica. *Stibium* dextrè præparatum & recens natis infantibus tutò & felici cum successu se præbuisse profitetur *Abrahamus Scillerus Epistolâ inter Scholtzianas 7.* Tentauit idem aliquoties meus Collega Mercurio vitæ, & aquâ benedictâ, sed sinistro, vt aliàs scripsi euentu. Miratus igitur non tarò fui; ideoque libenter scire gestij qualiter id *Scillerus* præparauerit. Tandem in *Manuscriptis Laur. Scholtzij Patris*, bonâ fortunâ modum reperi: nihilque aliud, quam ♂ per trinam cum nitri (sed huic pondere semper dimidiato) vstulationem dealbatum, aqua communi edulcoratum probissimè, & affusione aquæ rosaceæ tandem aromatisatum & exsiccatum, esse deprehendi. Post secundam calcinationem etiam aquâ affusâ nitrum abstraxit. Dabit autem ʒ. ad 10. grana, ad summam constituit ex vno atque altero cochleari vini, vel alterius liquoris, sumendam.

Stibium quomodo præparatur?

Exhibuit in epilepsiâ puerorum, in difficili cum metu suffocationis respiratione, & asperitatis casibus. *Rotulas* tales ex eo concionari iussit. ℞. *Antimonij præparat.* ℈. iij. ß. *sacchari* ℥. i. F. Rotulæ paruæ. Dosis, Rotula j. loco purgantis & vomitorij detur: quod mirari possis cùm antimonium fixum sudorem aliàs ordinariè, rarissimè vomitum, aut secessus moueat: de quâ re ante aliquot annos prolixiùs ad te scripsisse me memini. Quæ ergo sit causa residuæ in Scilleriano facultatis purgatoriæ? ego nullam aliam censeo inueniri, aut excogitari posse, quam quod nitri dimidiatum duntaxat pondus pro singula calcinatione adhibetur, cùm aliàs æquales partes plerique sumi velint. Recordor iam *D. Rhelium p. m.* ante biennium retulisse, quod antimonium fixum cum phlegmate vitrioli digestum clementissimum euadat purgans, quo familiariter vsus sit. Nisi me fallit memoria, idem deinceps alicubi legi; sed loci oblitus sum: siquidem nusquam inter mea id notaui; posset huius rei paruo sumptu fieri periculum.

Rotula ex stibio præparata.

Antimonium fixum cum phlegmate vitrioli, purgans clementissimum.

Sudoriferum, & insensibiliter vitiosos humores discutiens medicamentum, si quod excogitaueris commodum, vel antimonio fixo commodius, vt eo me quoque bees, oro. *Spiritum nitri* vt intra corpus exhiberes, hactenus te adduci non potuisse, propter vim, quæ in eo est corrosiuam, scribis. Ab eodem & ego penitus abstinui prius: eoque non nisi bis hoc ipso anno in colicis, cùm alia non prodessent, paucarum guttularum dosi cum aliis permixto, vsus sum. Vt autem verum fatear, spes me de eo prolixas laudes, quas ipsi Chymici certatim tribuunt; concepta turpiter fefellit. At verò si hoc nomine repudianda in vniuersum; reiiciamus oportet etiam vitrioli, sulphuris, salis communis, &c. spiritus, qui omnes corrosiuæ qualitatis neutiquam sunt expertes. *Ioh. Baptista Zapata in Clavi suâ Medicina, c. 15.* aduersus vermes (vt id obiter quasi hoc in loco moneam) pro certissimo prædicat remedio, spiritum sulphuris acidum, aquæ fontanæ ad gratam vsque aciditatem remixtum, ac pro restinguenda siti ad placitum vsque exhibitum.

De spiritu nitri.

Spiritus sulphuris aduersus vermes remedium certissimum.

Dedi eum nuper fœminæ Tertianariæ, *Dn. Nicolai Pasij Filiæ*, quæ nupsit *Dn. Mag. Tilesio, Superintendenti Mislitzensi*, ac ante annum vermes semel atque iterum deiecit: sed nulli inde propulsi sunt. Præscripsi ante octiduum puerulo bimulo Puluerem Oeropolæ a morsu canis rabidi, 10 facie accepto, anno præterito, secundo, si rectè memini, mense demùm defuncti, relicto filiolo, eundem, sed cum aqua graminis distemperatum, ac pauculo Rotularum manus Christi dulcoratum. Vt cessent, nondum constat. A vermibus corpusculum ipsius occupari, præter inquietudines nocturnas, clamores improuisos, iectigationes artuum, Frictiones crebras pinnarum nasi, extremorum maciem, abdominis inflationem, &c. lumbricus longus & teres ex ore pridiè prorepens, sufficientissimè, opinor, demonstrauit. Commendat idem Auctor miris præconiis c. 5. aduersus ista insecta Mercurium crudum, cum Benzoini particula, adiectis aquæ vitæ guttulis nonnullis; vel cum sacchari rubicundissimi paxillo, & aquæ communis aliquot guttis, ne conspiciatur amplius, in mortario vitreo subactum; & tandem conseruæ rosaceæ, vel violaceæ, vnctum. In hoc plus spei, quàm in sulphuris spiritu ponerem.

Contra morsum canis rabidi.

Signa vermium.

Mercurius crudus cum Benzoini particula pro iisdem laudatur.

Collegam tuum insanirene dicam, an inuidiâ saltem laborare, ambigo. Ad quid enim illa publico stipendio Medicinæ Professor conductus? si suæ scientiæ nihil in Auditores suos redundare cupit.

Auctoris de Nymmanno iudicium.

Profectò odi ego pessimè istiusmodi hominum genus, quos sibi soli, non bono publico, se natum esse, inuidiosâ & detestanda suorum occultatione (lucroso quidem sæpè numero, sed turpi, & non imitando exemplo) testatum facit. *Paradoxon* illud *de causis apoplexiæ*, satis coarguit hominem nouitatum ambitiosarum esse studiosum. At ego in Philosophia quidem ingenij lusus causâ aliquatenus talia admitto; in Medicina autem probare nequeo, cùm hæc vna vnius hominis salutem concernat; quæ talibus ingenij lusibus temerè exponenda non est.

Si quam certam ☉ vel ☽ potabilis, tincturæ corallorum, &

De purgantibus metallicis benignis.

Balsamus Alexiterij.

& Antimonij purgantis alicuius metallici benigni, aut aliud remedij nobilis rationem tenes, quo cum ægrorum commodo securè vti possim, in eius præparationem libenter meam symbolam contribuam. Effuxi ante paucos annos *Balsami Alexiterij* formulam, ad Kereriani imitationem. Eam hic mitto, quæ si tuo iudicio vtilis censebitur, poterit hoc tempore secundùm eam Balsamus parari; partem sumtuum pro parte communicata, promtus restituam. Monetæ quidem valor nuper apud nos imminutus est; sed creuerunt rerum pretia, vtinam vtrobique cum monetæ optando decremento, pristina etiam redeat rerum æstimatio, simulque stipendiorum Medicis dignorum æqua persolutio! Fluctus bellici, ne in nostram exundent Silesiam, auertat Opt. Max. ac clementissimus Deus!

Puluis Berckmanni stomachicus ab Auctore correctus.

De Epistola, Scorbuti tractationem ex professo concernente, nihil certi polliceri queo. Habes enim obseruationes illas sufficientes, nuper à me descriptas, habes aquæ meæ antiscorbuticæ & syrupi è colaturâ clarificatâ, post aquæ destillationem residuâ, cum s. q. sacchari conficiendi, veluti & ad illam pertinentia aquæ melissæ compositæ formula: habes pulueris mei, seu (ne primo auctori aliquid detrahere, ac mihi soli omne arrogare velle videar) *Berckmanni stomachici*, sed à me correcti, (& in vsum Scorbuti cum additione salis cochleariæ & ol. de corticibus citri plerumque accommodati) genuinam, si rectè memini, effigiem. Habes præterea in variis meis diuerso tempore ad te exaratis litteris multa sparsim intersita miscellanea; quæ à Studioso aliquo in vnum cumulum comportari, si ita lubeat, queant.

Symptomatũ scorbuticorum rarum exemplum.

Cumulus symptomatum Scorbuticorum, aliàs haud ita frequentium, in vnâ vxore Ioh. illius Fiexels ex eo tempore, quo proximas ad te dedi litteras, obseruaui: Quippe præter maculas pulicares alias, alias latas, alias oblongas, & ecchymomaticas, pustulas in bracchiis & reliquo corpore serpiginosas, brachiorum tensiones conuulsorias, colicam & vomitus ex vitreo phlegmate, paroxysmos etiam nescit ferè ac hystericus; vel mixtos, aut cardialgicos duntaxat tectus, an verè epilepticos appelles, incurrit. Miserandus hercle casus: qualis inter tam numerosos Scorbuticos hactenus mihi adhuc oblatus est nullus. Metuo ne contagio hæc in platea serpat. Tot enim hoc vno mense mihi contigerunt, quot intra biennium via a me tractati.

Auctores qui de Scorbuto scripserunt.

Quæ Platerus *praxeos tractat. 3. pag. 423. 433. & 514.* Screnghius *practica Medicina l. 4. c. 13.* Gottfridus Snullius *in Triados maritima sorore primâ.* Ioh. Heinius *de morbis tartareis, c. 16.* Reusnerus, & Horstius *peculiaribus tractatibus.* Georgius Faber item & Horstius *per mutuas Epistolas, Problematibus practicis istius* annexas, *à p. 368. ad 381. vsque*, Petræus *dissertat. harmonicâ cap. 38.* VVartuius *Nosologia disputat. 18.* David Crusius *Theatri Hermetici Hippocratici parte posteriore, cap. 4.* &c. de Scorbuto doceant, legisti, & cognouisti dudum procul dubio. *Franciscus Ioel* quin eundem pertractarit in suâ practicâ, nullus dubito. Est enim mihi ex ipsius operibus primus saltem & secundus Tomus, residui quanti apud vos veneant, scire peruelim, vt integrum opus comparare possim. Mitto cum istis singularis cuiusdam casus Historiam à *D. Georgio Rhumbaumo p. m. & Caspare Conrado*, ægræ tum temporis Medicis Anno 1615. mense Iulio conscriptam, & ad super eâ dicendum consilium propositam. Aderant inter alios & ego huic consultationi. Statuebant nonnulli subesse nonnihil Venerei. Ego contrà pro Scorbuto contendebam, & reliquorum eandem assensum obtinebam.

Puluis stomachicus Doringij pro scorbuticis.

Ordinabatur *puluis meus stomachicus* cum *cremore tartari*; paulatim conualuit. A morte *D. Rhumbaumij* factus sum ipsius Medicus domesticus e fluxâ admodum est valetudine, ob diuersarum partium morbosas διαθέσεις. Iam enim ex hoc, iam illo membro laborat. An meam metam veram coniigerim? Tute iudica. Nimirum peregrinâ facie sæpenumero decipit: quod multis apud nos Medicis ante plusculos annos accidisse vidi. Duo saltem exempla loco omnium afferre placet.

Scorbutus vnde causatur?

Matthæus Ashelmus tuus olim conuictor, propter inordinatam, & exorbitantem viuendi rationem & compotationis studium, ægrotare, & nescio quibus symptomatibus affligi cœperat. Vtebatur Medici, tui item olim conuictoris, operâ: incidit tandem in extremorum paresin; à qua sic satis, vt deambulare iterum posset, restitutus, redit ad ingenium, & ob crebriores inuitatiunculas, dubiæ intrà biennium caritit valetudinis, Medico nihilominus suo subinde in consilium adhibito. Qui cùm Scorbuticæ malignitatis rationem nullam habuisset, euenit, vt paulatim deterius haberet, donec lecto propter virium summam attritionem totus affigeretur: Aduocabar ad commune consilium. Dignoscebam primo accessu hostem è pulsu inæquali, & vrinâ rubrâ, huic morbo vt plurimùm familiari.

Indicia scorbuti.

Visebantur alia quoque indicia. Absque maculis pulicalibus sublimidis in pectore, brachiis, & cruribus tamen si fuisset. Medicus procul dubio adhuc dum restitisset: ita nimirum plerique ad hoc præcipuè signum & gingiuarum corruptionem attendunt & ea illorum præsentia Scorbutum solummodò metiuntur. Alleuiabatur quidem nonnihil *Antiscorbuticis*: attamen quia malum per alias radices egerat, nec is propter rem domi angustiorem medicamentorum vsui condignè insistere poterat, Naturæ tandem iusta persoluit.

Alia eiusdem origo.

Nobilis Dn. Iohannes à V. ēentzki p. m. ob tumorem lienis, atque hinc oriundum Scorbutum, ac tibiarum exulcerationes à multis annis inconstante vsus valetudine, me consulendi causa huc aliquando venerat. Asseruarat vrinam. Superuenit alius Medicus ipsi familiariter notus, qui cùm vrinam turbatam, atque in ea ceu sanguinolentos ac carneos grumulos fluctuare conspicaretur; de nescio quâ renum corruptione ac putrilagine sententiam tulit. Falsum tamen eum fuisse, fructuosus ea epota aqua destillata, in ipsius gratiam à me peculiariter ordinata, successus commonstrauit. Formula sic habuit.

Aqua destillata Auctoris contra scorbutum ex tumore lienis ortum.

℞. *Herb. cochlearia, beccapunga, nasturtij, aq. fumaria, vel bene, chamapithyos*, an. M. j. *flor. genista, hyperici, borraginis, buglossa*, an. M. ß. *rad. helenij, chelidonij mai.* (de hoc verè affirmare possum, me eius solius succo expresso, cum vino, vel cereuisiâ nostrate distemperato, & ab initiò exhibito, apud pauperiores semel atque iterum lienem tumentem, ac dolorem persanasse,) an. ʒ. vj. *cortic. citri* ℥. ß. *trochisc. de rhabarb.* ʒ. vj. *sem. cuscuta* ℥. j. *anisi, fœniculi*, an. ℥. ß. *galanga*, ʒ. vj. Infundantur per triduum in *aq. fumaria, cuscuta, cardui bened. vini alb. generosi maluatici*, an. ℔. j. ß. F. s. a. in vasis vitreis per B. M. destillatio; suspendendo in alembico nodulum ex *spec. diambra* ʒ. ij. Asseruetur in vitro furto.

Syrupus de cochlearia compositus. Eius descriptio.

Est nobis in vsu *syrupus de cochleariâ compositus* vulgò inscriptus, & ab antecessore quodam meo *D. Caspare Pacrischio* præscriptus. Cuius num ipse Auctor primus fuerit, & inuentor, haud scio. Eius descriptio, talis est. ℞. *Herb. cochlearia, nasturtij aquatici, agrimonia, sij aquatici, asplenij, hemionitidis, saluia, capillorum Veneris, chamedryos, prassij, fumaria, veronica, pentaphylli, fol. ebuli.* an. M. j. *sem. anisi, fœniculi, nasturtij, apij, petroselini, pulpa sem. brusci, asparagi*, an. ʒ. j. *melonum* ʒ. ij. *rad. filicis, œnanthe, asparagi, pimpinella, borraginis, buglossa, polypodij, tussilaginis, liquiritia rasa, taraxaci, cortic. rad. capparorum*, an. ʒ. j. ß. *flor. hepatica, borraginis*, a. M. ß. F. horum omnium s. a. decoctio in s. q. *aqua nasturtij, aq. ad remanentiam* ℥. xl. Stent in decoctione vsque ad infrigidationem. Colentur cum forti expressione. In colaturam immitte *rhabarbari optim.* ℥. j. *agarici trochisc.* ℥. vj. *cinamomi optim.* ʒ. ij. *mastiches* ℈. ij. *epithymi Cretensis, Spica Indica*, ana ℈j. Stent in infusione in loco calido per duas horas, postea ebulliant parùm. Colentur iterùm cum expressione Colaturæ adde *sacchari rubri optim* ℔. iij. Bulliant lenissimo igne ad spissitudinem syrupi. Clarificetur, & aromatizetur cum subscripto nodulo. ℞. *Puluer. rhabarbari* ʒ. iij. *cinamomi* ʒ. j. *garyphyllor. macis*, ana ℈. ij. Plura nunc temporis, vt exarem non vacat. Tu ista interim boni consule.

D. Caspari Peuceri de scorbuto tractatiuncula.

Proximè mittam *D. Caspari Peuceri de Scorbuto*, geminam tractatiunculam, quarum vnam è practica ipsius Soceri nostri p. m. manuscriptâ alteram ex alia eiusdem, in filij (vt aliquando à *D. Abrahamo Slandecio p. item m.* accepi) gratiam in ipsis carceribus elaborata, & cummodùm ante aliquot annos ad me dematata, excerpi curabo. Plurimùm vtraque ab ea, quam *Vffenbacchius* Anno 1614. publicauit, differt. Nescio, an seorsim, præsertim quæ in carcere nata est, (altera enim integra non est) sit edenda? an tuis aliquando inserenda? Mittam insuper *Domini Martini Prætorij*, quondam ad Nicolai apud Magdepurgenses Canonici *Epistolam*, in qua casum quendam recensuit, ac super eo Facultatis Medicæ, in Academiâ Giessena iudicium, ac censuram expetiuit. Coniungam responsum facultatis nomine à me tum temporis Decano concinnatum. Quæ si cæteris annectere placuerit, per me sanè licebit. Bene cum tuis vale, & à nobis saluc. Dabam Breslæ, die 8. & 6. Iulij, Anno 1623.

EPISTOLA LVIII.

PERIOCHE.

1. *Bezoardica maturè exhibita in febre maligna quale commodum apportent? 2. Antimonium Abrahami Seileri eiúsque effectus. 3. Facultas purgantium medicamentorum quomodo fiat? 4. Modus explorandi medicamenta diuersimodè purgantia. 5. Antimonialia & Mercurialia medicamenta variè operantur.*

6. De ſudoriferis. 7. Deſcriptio Balſami Alexiterij Doringij Auctori probatur. 8. Auctoris de Scorbuti tractatione conſilium. 9. Scorbutus cur peregrinâ facie ſæpiſſimè decipiat? 10. Caſus de Studioſo notatu dignus, ob vulnus in pectore, gladio anguſto in dextra thoracis parte circa coſtam tertiam adacto, receptum. 11. Auctor quomodo de viis per aquas è thorace ſanguis & pus per alvum & vrinam euacuatur, ſentiat?

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Facies, *(Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, vt ſcribis, & quia ipſe iſti labori non ſufficis, iunioribus aliquot eam committes. Delectum Authorum tibi ipſi permitto in prima hac parte, in ſecundâ nominabo, quos Authores euoluerim. Proximè etiam ea, quæ abſolui mittam, verſor iam in *cap. 8. de melancholia.*

Bezoardica maturè exhibita in febre maligna, quale commodum apportent?

Hiſtoria virginis febre malignâ laborantis illud etiam docet, ſi bezoardica maturè exhibeantur, illud comodi quoque ſequi, vt ſi febris non planè depellatur, in intermittentem tamen mutetur.

Antimonium Abrahami Seileri, eiuſque effectus.

Antimonij illam Abrahami Seileri præparationem procurabo. Cauſa nulla eſt niſi, vt ſcribis, quod dimidia ſaltem pars nitri adhibetur, vnde non perfectè figitur. Neque dubito, quin etiam ſudorem Antimonium hoc modo præparatum moueat: Neque enim, vt aliàs etiam ſcripſi, eſt nouum, vt vnum medicamentum, vomitum, aluum, & ſudorem moueat. Quod me in mea opinione confirmat, de facultate purgantium medicamentorum, nimirum eam nec tractione fieri, nec ſolâ irritatione, ſed vi peculiari, quâ quodlibet

De facultate purgantium medicamentorum.

purgans conſimilem humorem mouet, & quaſi fermentat, ſimulque naturam qualitate, quâ corpori noſtro eſt aduerſa, ſtimulat; quæ Natura partim ab humore anteà quieſcente, & reliquis miſto, nunc ſegregato, & moto, partim ab ipſo medicamento laceſſita, id quod moleſtum eſt, expellit, & ita proxima purgationis cauſa eſt. De quo proximè diſputationem publicam me inſtituturum Studioſo cuidam promiſi. Si tibi quid hac in re ſuccurrit, me hâc occaſione monere poteris: Cur autem alia vomitum, alia aluum, alia

Modus explorandi medicamenta diuerſimodè purgantia.

tandem etiam ſudorem moueant; ita explorari poſſe puto. Quæ naturæ & ventriculo ſunt valdè aduerſa, & mox ſumta eum laceſſunt, qualia ſunt volatilia maximè, ea vomitum concitant: Quæ verò non ita ſunt naturæ aduerſa, ſed ſumta eam quaſi fallunt, paulò penitiùs in corpus penetrant, ibique humores fermentant, & commouent, quod vbi factum, Natura & humoris vitioſi, & medicamenti ſtimulum ſentiens, per conſuetam euacuationis viam, alvum ſcilicet, humores vitioſos expellit: Si ita medicamentum ſit mitigatum, & fixatum, vt in ambitum corporis etiam penetret, ibique humores mouent, tandem ij, vnà cum ipſo medicamento, vtpote ad alendum alieno expelluntur, & ſudor excitatur.

Antimonialia, & Mercurialia variè operâtur.

Hinc fit, vt Antimonialia & Mercurialia medicamenta, dum ſuam volatilem vim integram obtinent, inſtar venenorum ſtatim vomitum mouent; ſi fiant mitiora per alvum purgant, ſi planè figantur, ſudorem moueant.

Sudorifera.

Sudoriferum Bezoar lapide, & Bezoardicis aliis vulgò notis, vt & Antimonio fixo, & Bezoardico minerali melius non habeo: quin tamen ex auro confici poſſit, non dubito. Quod vt experirer, temporum difficultas, & iſta auri caritas hactenus prohibuit.

Eſt equidem ſpiritus ſulphuris, ſalis, vitrioli, etiam corroſiuus, ſed neſcio qoid aduerſi prætereà participare videtur ſpiritus nitri, quod vel odor arguit.

Deſcriptio Balſami Alexiterij Doringij Auctori probatur.

Balſami Alexiterij deſcriptio equidem placet: ſed dubito an hoc anno à nobis parari poſſit: ita tum alia, tum vitriorum defectus nobis impedimento ſunt: anno enim integro, imò longiori temporis ſpatio, nihil vitrorum è ſylua Hercinia ad nos allatum eſt, ob motus iſtos bellicos. Et quicquid ego in promtu habui, iam omne confractum eſt.

Auctoris de Scorbuti tractatione conſilium.

De Epiſtola Scorbuti tractationem continente, facias quod libet. Ego facilè obſeruationes illas tuas, aquam Scorbuticam, & ſi quæ ſunt huius generis, ex Epiſtolis tuis extraham. Meum tamen conſilium ſi ſequi velles, ſuaſerim, vt ipſe ea in breuem, ſi licet, Epiſtolam coniicias. Sat adhuc temporis ſupereſt, & fortaſſis vnius diei, vel bidui labor erit. Velim & de hoc mihi mentem aperias, quæ apud vos Scorbuti cauſa ſit. Neque enim iſto victu Saxonico, ſale fixo abundante vtuntur. Et cogitandum, quomodo ex mea ſententia, & denegatâ πνδμαπωνς Scorbutus, qui veſtros affligit deduci poſſit.

Scorbutus cur peregrinâ facie ſæpiſſimè decipiat?

Veriſſimum omninò eſt, Scorbutum peregrinâ facie ſæpiſſimè decipere, & ita ambiguos morbos parere, vt vbi mali prima cauſa hæreat vix inuenias. Et id tum maximè accidit, vbi materia Scorbutica ex hypochondriis in alias partes corporis diffunditur, quæ labefactatæ poſtmodùm primarium morbum referunt. Quale quid fœminæ illi, cuius hiſtoriam mihi communicaſti, accidiſſe facilè crediderim, modò non veneni aliquid ſubfuerit; cùm ipſo nuptiarum die, anteà morbum hunc tam diuturnum contraxerit.

Si *Peuceriana illa de Scorbuto*, quæ promittis, vt & *D. Pratorij Epiſtolam*, tranſmiſeris, rem gratam facies. De *Practicâ Peucerianâ*, quid ſentiendum ſit, ampliùs cogitabis.

Caſus de Studioſo notatu dignus ob vulnus in pectore gladio anguſto circa coſtam tertiam acceptum.

Caſum quendam notatu dignum, qui nuper mihi oblatus eſt ad te affero. *Studioſus* quidam vulnus accepit, in pectore, gladio anguſto in dextra thoracis parte circa coſtam tertiam, propè alam antè in pectus adacto, & è regione proximè ſpinam exeunte; vt de læſo pulmone nihil dubitandum fuerit: quod etiam è ſpiritu cum ſono maximo è vulnere exeunte, & maximâ ſanguinis copiâ è vulnere effuſâ colligere licuit. Primo die, de vita ferè deſperabatur; cùm non ſolùm ob ſanguinis profuſionem vires debiles eſſent, ſed & quia de dolore ſummo, & contractione abdominis conquerebatur; quæ proculdubio à conuulſione partium membranoſarum abdominis erat, orta ob conſenſum cum membranis thoracis, & procul dubio cum tendinibus muſculi thoracis quarti læſis. Mirum verò hoc accidit, quod ſanguis ille, qui è vaſis effundebatur, præter eum, qui ſtatim primo die, è vulnere effundebatur, non tam in thoracis cauitate continebatur, quam intra muſculos & cutem, præcipuè circa diaphragma, colligi videbatur, imò collum ita occupabat, vt id manifeſtè, & ad ſenſum intumeſceret. Verùm ſequentibus diebus melius habere cœpit, nihilque pravorum ſymptomatum acceſſit, ita vt poſt finem tertiæ ſeptimanæ domo iterum exire potuerit, vulnere planè conſolidato. Quæ valetudo vtinam ipſi diuturna ſit: Sanguis niſi primâ die, per vulnera nullus ferè effluxit; pus tamen poſt dies octo, in dorſo, per aliquot dies ſatis copioſum, non tamen nimis multùm. Tuſſiit ferè nihil, neque ſanguinem per tuſſim alicuius momenti eiecit; per dies tamen aliquot ſputum album ſatis copioſum, ſed tantùm cum ſcreatu, vnde etiam tumor ille in collo euanuit.

Tumor ille, qui in muſculis erat, ad diaphragma, vbi aliquid ſanguinis collecti, etiam ſub digitis in muſculis fluctuare animaduertebatur: & ſuprà, & circà, & infrà etiam diaphragma in abdomine, cataplaſmatis diſcutientibus adhibitis euanuit. Famulus narrauit, ſemel atque iterum primis morbi diebus aliquid ſanguinis per alvum deiectum fuiſſe. Qui caſus facit, vt iam aliter ſentiam de viis,

Auctor quomodo de viis per quas ſanguis & pus euacuatur, ſentiat?

per quas è thorace ſanguis & pus per alvum & vrinam euacuatur, & iam de viis, per quas pleuritici per tuſſim euacuantur, (de quibus Platerus dubitat) non ita dubitem. Non opus eſt, vt hic ſemper manifeſtæ viæ dentur, ſufficit illa occulta Hippocratis ξύῤῥοια, quâ hic manifeſtè ſanguinem, procul dubio tenuiorem, è thoracis cauitate in muſculos thoracis & abdominis receptum vidi: idem etiam maximam partem inſenſibiliter euacuatus eſt.

Plura iam non licet. Quomodo in viciniâ motus bellici ſeſe habeant, ex Nouellis procul dubio cognoſcitis. Quid iam Tyllianus miles acturus ſit, aut in mandatis habeat, diu latere non poteſt. Poſtquam Epiſcopus Halberſtadienſis cum equitatu in Belgium tendere cœpit, peditatus antè octiduum à Tyllio planè diſſipatus eſt, &c. Benè vale, & tuam, & Danielem noſtrum à nobis ſaluta. VVittebergæ, 31. Auguſt. Anno 1623.

EPISTOLA LIX.

PERIOCHE.

1. Auctoris obſervatio de Bezoardicorum in febribus malignis effectu. 2. Hiſtoria de Abrahamo Seilero Reipub. Breſlenſis Secretario. 3. Deſcriptio ſyrupi refrigerantis, putredinique ac malignitati reſiſtentis. 4. Æſtiua quartana licet magna ex parte breues, cur tamen valde timenda? 5. Renum calculi quomodo euacuentur?

cuentur ? 6. Bolus pro febre typum quartanarium ſeruante quomodo præparatur ? 7. Syrupi pro eadem deſcriptio. 8. De præpoſtera quorundam Medicorum venarum ſublingualium ſectione. 9. Syrupus alterans D. Bucretij. 10. Venaſectio ſub lingua in dolore capitis cum metu phrenitidis ab aliis laudata Auctori improbatur. 11. Auctor venaſectionem ſub lingua familiari vſus exemplo diſſuadet. 12. Alius caſus priori de Abrahamo Seilero haud diſſimilis. 13. Intempeſtiua venaſectio in naſi externo apice culpatur. 14. Gerhardus Columba de felici ſanguinis per narium venarum ſectionem detractionis ſucceſſu, quomodo intelligendus ? 15. Applicatio hirudinum ad penitiores narium partes in febre peſtilentiali probatur. 16. De puluere cuiuſdam herbulæ vulgaris, cuius inſufflatu hæmorrhagia excitari facilè poteſt. 17. De facultate medicamentorum purgante. 18. Rationes Auctoris de vomitoriorum operatione an ſint vniuerſales? 19. Mercurius vitæ cur nullum hydropicis vomitum moueat? 20. Duo de Mercurio vitæ è butyro antimonij per præcipitationem efformato, obſeruationes notatu digniſſima. 21. Medicamenti volatilitatis effectus. 22. Fixata metallica ciendo ſudori vtilia eſſe, admiratione non caret. 23. Scorbuti apud Breſlenſes cauſa 24. Scorbuti genuina indoles an per πνευμάτωσιν denegatam ſufficienter exprimatur ? 26. Sal fixus eſculentus cur cùm à putredine præſeruet, eam nihilominus in ſcorbuto inualeſcere permittat ? 26. Auctor cur inter cætera gentianam aquæ ſuæ antiſcorbuticæ paulò maiori doſi addiderit ? 27. Alius caſus ſcorbuticus. 28. Vnguenti rubei potabilis pro ſcorbuticis deſcriptio. 29. Vrina corruptiſſima quomodo educantur ? 30. Cenſura Doringij de vulnerato in pectore Studioſo eiuſdémque pulmone transfoſſo. 31. Symptoma quo corpus in primo ſomno concutitur vnde fiat ? 32. De cranij in infantium anteriore capitis parte depreſſione. 33. Purgantia vino infuſa, cur longè felicius & minore doſi quàm aliâ aliquâ forma exhibita operentur ? 34. Cauſa defluxionis plantam & verticem pedis Auctoris occupantis. 35. Auctor cur libros Hippiatriam profitentes coemere cogatur ? 36. Pretia plurium librorum quos recenſet, à Sennerto ſcire exoptat.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctoris obſeruatio de Bezoardicorum in febribus malignis effectu.

Hiſtoria de Abrahamo Seilero Reipubl. Breſlenſis Secretario.

SA maturo Bezoardicorum vſu febres malignas, quæ continuæ futuræ erant, in intermittentes, depulsáque malignitate in benignas commutari, non vnâ vice à me obſeruatum eſt. Scribam, quid hiſce diebus Dn. *Abrahamo Seilero*, Reipublicæ huius *Secretario*, obtigerit: Is enim cùm de die ex fœtore nauſeam quandam concepiſſet; circà horam decimam nocturnam diei vltimæ decurſi menſis Auguſti, horrore correptus eſt; quem deinceps excepit calor admodùm vrens, cum capitis eâ parte, quæ inter ſupercilia & extremum naſum prope os interiacet, inſigni dolore. Poſt horam ſecundam matutinam pulueris mei polychreſti, in ipſius gratiam primo omnium Anno 1616. menſe Decembri ordinati, doſin è cereuiſia calida de proprio conſilio ſumpſit; à cuius vſu tam largus ſudor erupit, vt lectiſternia, ac ſi copioſâ aquâ eſſent perfuſa, non madeſcent ſolummodò, ſed tota vda eſſent. Manè accerſitus languere quidem ipſum inſigniter, ſed calorem deferbuiſſe deprehendi. Præſcriptus à me ſyrupus refrigerans ſimul, & malignitati atque putredini reſiſtens, cum ſpeciebus pro decocto ex *herb. veronicæ, ſcordij, ſcabioſæ, fl. calendulæ, rad. ſcorſoneræ, pentaphylli, acetoſæ, plantaginis, & ternæ, ſem. citri, & cardui bened. nec non raſuræ C.C. & eboris, &c.* mihi familiaribus.

Syrupi refrigerantis putredinique ac malignitati reſiſtentis deſcriptio.

Biduo iſtis de die vſus, ſub noctem tertiam aliquid iterum de puluere polychreſto ſumſit: intereà verò à febre liber videbatur, aluo officium bis quotidiè faciente, vrinisque ſic ſatis quoad ſubſtantiam, colorem & ſedimentum laudabilibus exeuntibus. Die tertiâ Septembris horâ à meridie ſecundâ horror ipſum iterum inuaſit, & per quinque horæ quadrantes aſſiduè, calore, & capitis, de quo anteà dixi, dolore,

ad mediam vſque noctem impensè ipſum affligentibus. Typum ergo hæc febris ſeruare incepit quartanarium: quæ vtinam non ſit pro more quartanarum diuturna! Sanè æſtiuas quartanas magnâ ex parte breues dixit Hippocrates *lib. 2. aphoriſm. 25.* attamen cùm nunc in æſtatis fine, qui Autumni principio reſpondet, verſemus, ipſumque hypochondrium ſiniſtrum quoad tactum appareat denſius; valdè vereor ne paulò diutius hæc febris ipſum detentura ſit, præſertim cùm ob errata in victu commiſſa, ipſique propter curialia negotia inuitabilia, multum noxiorum humorum ſine omni dubio cumulauit; quod tamen prohibeat benigniſſimus Deus. Quartâ & quinta Septembr. vrinæ inſigniter craſſæ, & ex nigro ſubeſcentes viſæ ſunt; quales cùm ſpleneticis, tum nephriticis, non vſque adeò inſolentes eſſe ſolent. E renum enim calculo ab aliquot iam annis, & ipſe aliquoties iam grauiter decubuit. Euacuatus à me portiuncula; quæ ℞. *Decoct. ſenæ ſ.* ℥. ʒ. ß. *ſyr. de polypod. ſol.* ℥. ʒ. *electuarij noſtri lenitiu.* ʒ. iij. *puluer. chalapij.* gr. xv. *aq. cinnamomi* ʒ. j. M. deiecit octies ſatis largiter. Non ſubſecuta propter ſomnia turbulenta & miſcellanea planè fuit irrequieta. Sextâ Septembr. vrinæ prædictæ manſerunt per omnia ſimiles, ſabulum detritum q. ſal copioſum cum pituita deponentes. Dimidiâ ante veſperam quinta paroxyſmus rediit maiore cum horrore per ſeſquialteram horam durante, ſed calore non vſque adeò moleſto (quippe quem dormiendo ferè ſuperauerat) ad quatuor horas prorogato. Septimâ ſatis commodè habuit; vrinis interim eandem faciem obtinentibus: octauâ ſumpſit bolum: qui ℞. *Electuar. noctis lenitiu.* ʒ. v. *puln. chalapij* ℈. j. *ſalis fraxini* gr. v. *ſyr. de polypod. ſol. & ſaccbari albiſſimi* a. q. f. purgatus inde nouies copioſè. Vrinæ corruptæ multa adducta, & nigricantia depoſuerunt; Nox præcedens fuit pacatiſſima, ac ſomnus quietiſſimus; Nonâ bellè antè meridiem habuit, vrinæ eiuſdem adhuc conditionis; pro biduo ad doſes quatuor præſcriptus ſyrupus ſ. qui ℞. *Syr. de fumariâ Langij, de ſucco borraginis* an. ℥. j. ß. *oxymell. helleborati Geſneri*, ℥. j. *aq. flor. borraginis* ℥. ß. *ſpiritus vitrioli* ℈. ß. M. Poſt meridiem paulò ante horam quartam, paroxyſmus reuerſus, horrore ad quintam, calore vltrà decimam nocturnam perſeuerante. Nox ſucceſſit propter ſomnia inquietior. Decimâ vrinæ aliquando clariores, ac minùs tinctæ; omnia autem membra languor occupauit. Vndecimâ, cùm noctu optimè dormiuiſſet, ac vires benè conſtarent, purgatus à me iterum, ſimili ferè, quo prius bolo, pari item ſucceſſu vrinæ quales pridiè: Talis hactenus morbi huc vſque fuit ſeries, qualis porrò futura, tempus monſtrabit: ſi ſcire cupiueris, indicabo imposterùm. Scripſi aliquando ad te, præpoſterâ, ac nimis licentiosâ noſtratium quorundam Medicorum, venarum ſublingualium, & eius quæ in apice naſi, intrà duas cartilagines decurrit, ſectione. De eâ, vt huc ipsâ occaſione, aliquid iterum exararem, duo caſus, præterlapſo menſe obiati, me impulerunt. Primus ſic habuit. Georgius Freund Equorum Magiſter, Vir annos aliquot ſupra triginta natus, temperamento bilioſo, ſtaturâ mediocri, habitu corporis muſculoſo die 20. Auguſti, ſtylo nouo, antemeridianis horis, ſub concione leui quodam horrore corripitur, quem deinceps extremorum languor, cibi faſtidium, & inæqualis calor cum ſiti ſequitur; ſequenti manè ad exercitia redit equeſtria, per eáque ſatis largum ſudorem ſibi concitat: Medicamentorum vſum ad vſque diem 24. Auguſti ſuſpendit; quo primùm vrina pro conſuetudine noſtratium ad me miſſâ, conſilium meum implorat. Quam cùm craſſam iuxta & valdè tinctam conſpicarer, ſyrupum alterantem è *ſucco ribium & acido ſimplici D. Bucretij*, (cuius deſcriptionem aliàs communicaui) nec non *aquæ enſeutæ* pro tribus doſibus præſcripſi. Cùm paroxyſmus recreuiſſet, & nox inquietior fuiſſet, vocari me iuſſit, die 25. Auguſti.

Æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues.

Renum calculi quomodo euacuentur.

Bolus pro febre typum quartanariũ ſeruante.

Syrupus pro eadem.

De præpoſtera quorundam Medicorum venarũ ſublingualium ſectione.

Syrupus alterans D. Bucret.

Cùm acceſſiſſem, ſine febri quidem ipſum offendi; aſt de capitis dolore (ob, procul dubio, pridianum paroxyſmum, & noctem prægreſſam moleſtiorem) & neſcio quâ capitis turbatione conquerentem. Circa meridiem recurrit paroxyſmus, ſed cum triplici vomitu, ternisque alui deiectionibus, maximam partem bilioſis, Calor magnus, dolor capitis grauis, virium languor inſignis, adſtantes ita perculſerunt, vt ægrum iam iam moriturum crederent.

Anxiè itaque quæſitus, & ægrotorum viſitatione occupatus, cùm non inuenirer; alium interim Medicum accerſiuerunt. Qui cùm aduenisset, ad capitis ſaltem dolorem, & qualemcunque præſentem paraphreniſin attentus, reliqua verò omnia ſusque déque habens, venæſectionem ſub linguâ quam in dolore capitis cum metu phrenitidis commendauit Hollerius *de morbis internis, cap. 1. in Scholio:* Diocles etiam in ipsâ phrenitide incidi voluit, teſte Hollerio *ibid. cap. 6.*) protinus ſuaſit, hocque conſilio ita cum ipſiuſmet ægri, tum adſtantium animos occupauit, vt ijs tum nihil, quàm venæſectionem illam vrgerent.

Venæſectio ſub lingua in dolore capitis cum metu phrenitidis ab aliis laudata, Auctori improbatur.

Vbi ego ſuperueni, & eum, quem anteà deſignaui, ægrotantis ſtatum conſpexi, conſilium hoc prorſus repudiaui, ac ſymptomata recenſita vltrò diſparitura prædixi, modò paroxyſmus finiretur: Omnia enim per conſenſum ſaltem oborta fuiſſe; quin nihil emolumenti è ſectione ſubſecuturum: ſiquidem in corpore hoc bilioſo, & tertianâ duplici (quæ pluribus hac æſtate fuit familiaris) maior humorum ὀργασμὸς inde facilè concitari, humores non præmiſsâ vniuerſali euacuatione verſus ſuperiora rapi, & quæ minuere animus eſſet, paruo negotio peiora reddi poſſent: ne quid de metu nimiæ alicuius hæmorrhagiæ attexerem, quæ iſtam venæſectionem multoties inſecuta fuit: vtque adſtantes, qui mihi maximoperè aduerſabantur, in meam ſententiam eò citius pertraherem, tali exemplo familiari vſus ſum. Nempe ſi fumum nolint exire fumarium, non supernè duntaxat fumo viam patefaciendam, ſed infernè potiſſimùm circà focum, vel ignem diſpergendum, vel aquâ extinguendum eſſe: parem igitur in modum hic etiam ſymptomata prædicta prius non ceſſatura, quàm vel paroxyſmos ipſemet finitus, vel calor febrilis per refrigerantia extinctus, & feruidæ euaporationes depreſſæ forent. Tandem itaque nolentes, volentes (vtpote quorum omnium periculo, ſi tam obſtinati eſſe perreſiſſent, futurum euentum committebam) à venæſectione deſtiterunt. Reſpondit poſteà ſucceſſus meo prognoſtico, quem vtique ij ſoli venæſectioni, ſi ipſam admiſiſſem, prolixè adſcripſiſſent. Vides ergo, mi *Sennerte*, quàm ſæpe nonnulli contrà methodi leges impingant, cùm tamen vulgò tantùm non pro oraculis habeantur. Monendi herclè hac de re iuniores, ne & ipſi temerè ſimilem errent. Quodnam ſit *Guilhelmi Fabricij de venarum ſublingualium in Anginâ ſectione* iudicium, in *Medicina caſtrenſi tract. de Anginâ, cap.* 5. videre poteris.

A ſectione venæſectionem ſub lingua familiari vſus exemplo diſſuadet.

Alter caſus talis fuit. *Nobilis Dn. Nicolaus Ebenius Senator*, cum die 15. Auguſti ad ſuos reuerſus meum collegam vocaret. Is de malignitate non fruſtraneâ ſuſpicione conceptâ propinat Bezoardicum, ſequenti die erumpunt maculæ ſiue petechiæ. Vires admodùm laborant, caputque dolore tentatur. Collega conſilium cum alio Medico ſibi adiuncto init de venæſectione in naſi externo apice: quâ die 16. Auguſti manè adminiſtratâ, cùm nihilò meliùs haberet, pro ineundo conſilio quinque noſtrûm alij die ſequenti conuocamur. Culparunt quidam intempeſtiuam iſtam venæſectionem non immeritò, non ob alias ſolùm cauſas, ſed vel maximè, quod non præmiſsâ venæ maioris ſectione inſtituta fuerit. Sanè non ſum neſcius eorum, quæ *Gerhardus Columba in præfatione ſuper libros de febre peſtilentiali* ſcripſit, de felici ſanguinis per narium venarum ſectionem (*Columba l.* 2. *c.* 22. cum *Merolli Capra*, cum iiſdem verbis de Hirudinum applicatione interpretatur) detractionis ſucceſſu, inſtitutæ, poſtquàm curæ ſuperuaniſſet *Franciſcus Biſſius Siciliæ Archiater*, communi omnium conſilio in illuſtri adoleſcente *Vincentio Rao* è febre malignâ cum comate, & delirio decumbente, atque ea vſu veſicatoriorum brachiis, ſpatulis, & tibiis applicatorum, nihilum releuato: veriſimile enim eſt, præmiſſam fuiſſe ſub initium maioris venæſectionem; cùm, vti refert *Columba*, tametſi Medici priores omni officio morbum profligare conati ſint, auxiliaque omnis generis ſedulò apparauerint, morbus tamen increſceret, & coma, atque delirium indies vehementiùs infeſtaret. Quid? quod humorum ἀναῤῥοπῇ iam conſopitâ humores in cerebri vaſis detenti deriuatione, & particulari euacuatione eguerunt: Quibus ſcopis venarum narium iſta apertione peropportunè ſatis factum eſt: In Ebeniano autem caſu nihil tale præſtò fuit; non itaque mirum eſt, ſi nihil ſectio iuuerit. Hoc ſenſu intellectum laudo & probo illud, quod *Theodorus Collado aduerſariorum tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 21. ex innominati cuiuſdam ſententiâ affert, qui in febre peſtilenti, ſi partes ſuperiores, vt cerebrum, à praua & copioſa materia occupatæ ſint, laudauit, vt ad intrà ad penitiores narium partes, applicarentur hirudines; quarum ratione ita exoneraretur cerebrum, totumque corpus ita alleuietur, vt plurimos morti proximos, & ferè ſoli prognoſtico derelinquendos, ex hoc vnico remedio ſaluatos eſſe viderit.

Alius caſus priori haud diſſimilis.

Intempeſtiua venæſectio naſi culpatur.

Gerhardus Columba de felici ſanguinis per narium venarum ſectionem detractionis ſucceſſu quomodo intelligendus.

Applicatio hirudinum ad penitiores narium partes in febre peſtilentiali probatur.

Hartmannus in diſputatione quadam herbulæ cuiuſdam vulgaris meminiſſe perhibetur, cuius pulueris in ſufflatu hæmorrhagia facilè excitari queat. Quod ſi ea ſit *millefolium*, de hoc enim naribus impoſito id pollicetur *Hollerius lib.* 1. *de morbis internis c.* 1. *marginali* 16. *De gramine aculeato* refert *Plinius l.* 24. *nat. hiſtor. cap.* 19. & ex hoc *Matthiolus in comm. ſuper l.* 2. *Dioſcoridis, c.* 113. nec non *l.* 4. *c.* 28. aculeos ipſius conuolutos, naribus inſeri, extrahique ſanguinis ciendi gratiâ. Idem repetit *Schvvenckfeldius ſtirpium Sileſiæ, l.* 1. *pag.* 90. præter modò dicta *Platerus prax. tract.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *in fine* recenſet *borraginem rubeam tinctorum*, & *aparinem*.

De puluere cuiuſdâ herbulæ, cuius inſufflatu hæmorrhagia excitatur.

Opinionem tuam de facultate medicamentorum purgante quod attinet, optarim, vt eam diſputatione peculiari, quam promittis, vberiùs explicatam, quamprimùm cognoſcere poſſim.

De facultate medicamentorum purgante.

Intereà, quod mihi conſimilis humoris motionem, ac fermentationem ſecundâ iam vice proponis, neſcio certè an à tractione (quam alij hactenus inculcauerunt) ſi rem penitius intruſpiciamus, diuerſum quid in medium afferas. Nam dum ſpirituoſæ medicamenti partes humorum maſſam aggrediuntur, & commotionem, ſiue, vt tibi loqui allubeſcit, fermentationem in eâ inſtituunt, humores purgandos à reliquis ſeparare, atque adeò trahere non inutilè dicuntur.

Rationes quibus vomitoriorum operationem circumſcribis, vniuerſales non ſunt. Neque enim ſemper ea, quæ ventriculo, & naturæ valdè aduerſa ſunt, vomitum concitant: ſiquidem & ipſa vomitoria in δυσεμέτοις parùm aut nihil quandoque proficiunt: Quin quæ alias vomitum minimè prouocare ſolent, ac etiam nauſeam aſſumuntur, in εὐεμέτοις, & quorum ventriculus multis vitioſis ſuccis repletus eſt, per vomitum ſæpè operari deprehendimus. Ἰδιοσυγκρασίαι hîc etiam plurimùm poſſunt; ita narrabat mihi ante annum *D. Matthæus Erbinæus*, ſeipſum ab aſſumto rhabarbaro tam enormes vomitus incurrere, ac ſi helleborum, vel ☿ bibiſſet.

Rationes auctores de vomitoriis non ſunt vniuerſales.

Memini te aliquando ſcripſiſſe, cùm de remediis antihydropicis per literas conferremus, Mercurium vitæ ſic dictum hydropicis nullum mouere vomitum; id mihi tum temporis creditu videbatur difficile; idem tamen ante duos menſes ipſemet obſeruaui. Dabam præterea *puluer. rad. aſari* ℈. ß. primùm, mox ℈. ij. ß. Vomitus ſubſequebatur nullus. Quam tamen huius rei dixeris eſſe cauſam? Ego aliam inuenire nequeo, quàm ſalis copiam, quo medicamenti vis emetica quaſi figitur. Docere hoc videtur Mercurij vitæ per ſalem communem correctio, quæ tibi haud poteſt eſſe ignota. Cùmque in Mercurij vitæ mentionem inciderim, duo, quæ ex meo Collega audiui, tecum omninò communicanda ſunt. Prius eſt, Mercurium vitæ, non dulcem illum ſublimatione productum, ſed è butyro ♂ per præcipitationem efformatum, ad ℈. ij. vſque, à quatuor granis facto initio, & doſi pedetentim ſubindè auctâ, Gallicis porrectum tandem non purgare quicquam, ſed roborare. Credere hoc ego malo, quàm experiri. Poſterius eſt, eundem Mercurium vitæ affuſione, & abſtractione aquæ benedictæ benigniorem, & minus vomitiuum reddi. Cauſa fortaſſis eadem, quæ in ſulphuris per nitrum, & huius per illud, fixatione, vti & accenſione ſpiritus vini ſuper vitæ Mercurio: ſed hæc obiter. Equidem medicamenti volatilitatem plurimum quid ad ciendum vomitum valere, exemplo Antimonialium & Mercurialium remediorum patere poteſt: tamen ipſorummet humorum inclinationem, & ipſius naturæ conatum non minorem hîc vim obtinere, experientia docet.

Mercurius vitæ hydropicis vomitum non mouet.

Cauſſa.

Duæ de Mercurio vitæ obſeruationes notatu dignæ.

Medicamenti volatilitatis effectus.

Fixa metallica, quod ciendo ſudori ſint vtilia, hoc demum admiratione non caret; cùm quæ talia ſunt, minus penetrabilia eſſe videantur. Illud quomodo excuſare poſſis diligenter videas; quando ſcribis, ſi medicamentum ita ſit mitigatum, & fixatum, vt in ambitum corporis etiam penetret, ibique humores moueat, tandem ij, vnà cum ipſo medicamento, vtpotè ad alendum alieno, expelluntur, & ſudor excitatur. Ergone ipſa ſudorifera ſubſtantia adusque corporis ambitum penetrat, & ſudore expellitur? De aquis forſan Bezoardicis concessero; de ſolidioris autem ſubſtantiæ remediis non item.

De fixatis metallicis.

De *Epiſtolâ Scorbuti truculentiam* continente, nihil adhuc certi promitto. Quæris, quæ apud nos ſit ſcorbuti cauſa? Eadem omninò, quæ apud vos. Quàm enim noſtri homines ab aliquot annis, poſt quam omnium victualium pretia tantoperè creuerunt, ſub monetaria iſtâ ἀταξίᾳ victum Saxonico ſimilem vſurpare coacti ſint, res ipſa apud nos loquitur. Vina quoque impura & tartarea multum huc conferre videntur; præcipuè verò contagium. Iurare enim auſim, hoc non in non paucos nil ſale ſuſpicantes, ſcorbutum eſſe tranſlatum. Cereuiſia noſtra non parùm etiam mihi eſt ſuſpecta. Admodum enim negligenter hodie coquitur, ob lignorum ſummam caritatem: vnde non mirum, quod facilè aceſcat: Noſti alias, quantoperè ea calculorum generationi commodata ſoleat. Vt autem pace tuâ dicam, per παθογνώμονον denegatam ſcorbuti genuinam indolem non videris mihi ſufficienter exprimere. Vt enim generatim dicam; omnes morbi tartarei ſunt propter παθογνώμονον denegatam: omnes tamen morbi tartarei, non ſunt ſcorbutus. Ludit quidem is Prothei cuiuſdam inſtar, variaſque ſubinde mentitur facies: At Pathognomonicis tamen ſignis, de quibus in *Reſponſo meo ad Prætorianas literas*, abundè ſe prodit.

Scorbuti apud Breſlenſes cauſa.

Scorbuti genuina indoles, an per παθογνώμονον denegatam ſufficienter exprimatur.

Specifica itaque illa, & indicibilis humorum corruptio, putredini coniuncta, putredinem eximiè proculdubio manifeſtat ſanguis Scorbuticorum venæſectione eductus: quantum enim & quotumcunque adhuc vidi, supernè cruſtâ purulentâ, variegatâ ſemper obductus fuit, infernè autem vel in paruos ac multiplices grumulos atros concreuit, (apud quos nempe nondum prælaltas radices ſcorbutus egerat,) vel totus, ac ſi è vena viſcidum profluxiſſet, diffluxit, æqualiter concretum, quod meminerim haud vnquam annotaui. Mirari autem quis poſſet, cùm ſal fixus eſculentus à putredine præſeruet, cur hic nihilominus eam tantoperè inualeſcere permittat? An quia is circà prima duntaxat viſcera abundat? an verò quia indicibilis, quam nominaui corruptio ſuperat? è prædictâ ſanguinis conſtitutione ſimul liquet, cur inter cetera gentianam aquæ meæ antiſcorbuticæ paulò maiori doſi addiderim. Præterquàm

De ſale fixo eſculento à putredine præſeruante.

Auctor cur gentianam aquæ ſuæ antiſcorbuticæ addiderit.

enim

enim quod pituitam egregiè incidit, ac concoquit, putredini etiam potenter resistit) πνευματώδες denegarc superueniens vera Scorbuti mater est. Alium casum scorbuticum, vt modò adscribam hæc ipsa, quam molitis, tractatio persuadet. *Iacobus Wolff Lauripens-Vrbanus*, annos 53. natus, statura procera, temperamento nunc melancholico, cum ante sex annos ad secundum matrimonium transiret, & ob nuptias choreas æstuaret, haustum largiorem frigidiusculum ingurgitauit, deductóque thorace, aërem externum refrigerij causâ captauit.

Alius casus scorbuticus.

Inde periculosè statim habere cœpit. Vsus varijs hinc inde consiliis, tam Medicorum, quàm Medicastrorum, quin & Incantatorum, tandem ante duas septimanas meum consilium implorauit. Cùm ipsum prima vice visitarem, Orthopnoicum, & cum multo clangore respirantem, ac iamiam suffocandum inueni. Venæ erant crassissimæ, & rubicundissimæ. Pulsus flatulentus, creber, durus, & inæqualis. Color haud adeo erat vsque adeò conspicuus.

Circa ventriculi orificium de graui querebatur compressione; Brachia circa cubitum & axillas dolebant. Aiebat se aliàs à Gonagra & Podagra paruis interiectis interuallis vehementer laborasse: iam verò ab aliquantò longiore tempore liberum ab his mansisse. Ventris tormina impensè ipsum agitabant. Propè inguina duritics quædam tactu deprehendebatur. Cibi omnimodò tenebatur fastidio. Maculas ecchymomaticas, (nostri vocant Albflecke, ego *Scorbuti sobolem* censeo, supra dextrum genu multas conspicabar & latas. Præter alia necessaria imperaui *Enema*, & præscripsi vnguentum rubrum potabile cum *spermate ceti, Castoreo, oculis Canc. s. & oleo anisi*, potandum è *decocto enerefolij*, Illud per quatriduum repetitum, tantam sepbalorum, & pituitæ, aliorúmque tætidissimorum humorum colluuiem eduxit, vt admirarer. Hoc expectorationem facilitauit, quâ multa purulenta exclusa fuerunt.

Vnguentum rubrum potabile pro scorbuticis descriptio.

Alterationem hinc insignem percipiebat æger. Quippe spiratio reddebatur liberior, tormina remittebant: somnus redibat: vrinæ inclarescebant, & minus coloratæ euadebant. Breuiter, iam in vado sibi constitutus videbatur. At ecce! Vigiliæ recurrunt; expectoratio supprimitur: aluus non nisi sollicitata officium facit: Singultus oboritur: sudor spontaneus maximè circà pectus, & caput prorumpit: vrinæ iterum coloratior, & vinum rubellum exactissimè referunt, quales plurimam partem Scorbuticorum esse certò obseruaui, vires ita præproperè collabuntur, vt vix è lecto surgere posset. Cœna itaque dominica instructus, de rebus suis disposuit. Euentus adhuc dubius: quamuis iam à quatriduo paulò melius habere cœperit; vrinis interim quotidie variantibus, & corruptissimis ope Enematum domesticorum, è *gratiola, centaurij minor. chamæmeli. veronica, & sem. carui cum cereuisia nostrate* parato decocto, adiectis insuper *melle & butyro*, continuò, copiosè eductis.

Vrina corruptissima quomodo educatur.

Casus vulnerati in pectore *Studiosi*, & transfossi pulmonis, tam breui tempore curati, rarissimus vtique est, & notatu dignissimus. Abundè scilicet *ξυῤῥοιαν* illam Hippocratis confirmat: pro qua ego olim cùm Empyici, tùm è rupto Epatis abscessu ad pudenda intra abdominis cauitatem deuoluti puris per aluum expurgationem, litteris illis, quas anno 1650. d. 3. Maij ad te præscripsi, adduxi.

De pulmone transfosso.

Mitto hîc *Peuceriana*, & *Prætoriana de Scorbuto*, cum quibus, quælibet facias per me licet.

Quæsiuisti aliquando, an de illo symptomate, quod in primo somno plerumque accidit, & quo corpus totum concutitur, atque a Germanis *das auffahren im schlaffe* appellatur, apud vllum Auctorem quicquam legerim? Quod legerim quicquam haud recordor. Ad conuulsiones tamen id referri posse atque ab acribus euaporationibus neruorum principium vellicantibus id oriri autumo.

Symptoma quo corpus in primo somno concutitur, vnde fiat?

Meministine etiam in tuis lectionibus Cranij illius depressionis in infantium anteriore capitis parte? quam nostrates per hanc phrasin circumscribunt *das blutteinfallen*. Habetur ea plerumque pro lethali signo, plerumque dico. Senatos enim vidi, quibus valdè ea parte cutis, & huic substrata membrana crassa, & ferè quadrata, inter os frontis, & verticis, quorum partes suppler, depressa fuit. A spirituum autem defectu eam proficisci credibile est: siquidem cerebrum, cuius motu illîc alias tactu conspicuè deprehendi potest, ob hanc causam quasi subsidit, ac propter istam ipsius subsidentiam, ea cutis pars qua Caluaria osse nondum perfectè occlusa est, sponte collabitur.

De Cranij depressione in Infantium anteriore capitis parte.

Exponas præterea tu mihi rationem, quî scilicet fiat, quod purgantia vino infusa, longè felicius & minore dosi, quàm alia aliqua forma exhibita, operentur? an quod magis penetrent? an quia naturæ gratiora existant? aut denique, quod Sal Vini, more Tartari, purgantium vim intendit? Pro transmissa disputatione *de Opio* gratias officiosas ago. Meâ Author, vt habet prouerbium, vbique arauit vitulâ: immemor protsus præcepti illius, quod ingenuum sit, fateri, per quem profeceris. Præsidem autè vnum atque alterum mensem vitam hanc mortalem cum meliore altera commutasse; postquam febris maligna, quæ ipsum inuaserat, inualuisset, his ipsis diebus intellexi.

Purgantia vino infusa cur felicius operentur?

De meâ sue valetudine, siue inualetudine, vt aliquid addam, peruetere mouet, Quinetiduum enim est, cùm defluxio plantam, & verticem ipsius occupauit: quoniam ob alterius equi ex pede ægri tudinem, per duos ferè menses pedes ægrotos visitare coactus fui. In lectum me tamen non coniecit: sed ægros accedere passa est. Nisi ista pedestria deambulatio diuturna articulos delassasset, & humores præcipitasset. quasi nihil mea opinione mali hoc temporis mihi accidisset: quod omne profectò post pilularum illarum mearum vsum diuinæ benedictioni acceptum fero. *Pulsebonius*, de quo alias, eodem cum fructu ipsis mecum vtitur. Istum, quantus & qualiscunque est, paroxysmum, sudores matutini, qui satis pro voto procedunt, discutient, vt euacuatione per aluum haud egeam.

Causa defluxionis plantâ pedis Auctoris occupantis

Cùm igitur equi, vt de ipsorum quoque valetudine deinceps ipsus cogitem, moneant, libri, qui Hippiatriam profitentur, coëmendi necessariò erunt. Tu si ergo bonos hac in Medicina Auctores nosti, in mei gratiam significa & precium inquire. Inprimis autem scire velim, quanti veneat, *Mangen Seuterss Hippiatria*. De *Bassonis & Billichij* Scriptorum pretiis proximè nihil adiecisti. Facias itaque oro primâ occasione. Sequentium etiam pretia expiscare: qualia sunt *Iohannis Baptista Syluatici, de Vnicornu, Lapide Bezoar. &c.* Bergomi Anno 1605. *Caroli Galli Pontremulensis de febre pestilenti* Ferrariæ Anno 1600. *Ioh. Rhenani Antidotarium pestilentiale*, Francof. Anno 1613. *Martini Rulandi Loimagogus*, Lipsiæ Anno 1607. *Ordnung des Raths zu Leipsig wegender Pestelentz. bis.* Eodem Anno. *Andrea Cettchy Christ liche vnd nothwuend ge erinnerung vonder pestilenz*, Franckfurth an der Oder Anno 1608. *Luthers zweyerley Rath vnd gedancken &c. per Balduinum*, VVittenberg Anno 1613. *Bebelis Pestordnung*, Hamburg Anno 1597. *Helandi Von der pest* Francofurti ad Oderam Anno 1598. *Matthias Martini von der pest*, Eislebeo Anno 1598. *Roderici à Fonseca de calculorum remediis*, Romæ Anno 1586. *Ioh. Baptista Carcanis Leonis de vulneribus capitis*, Mediolani Anno 1553. *Marci Antony Montagna, de Herpete, Phagedana, Gangræna, Sphacelo, & Cancro*, Venetiis Anno 1559. *Costas disquisitiones physiologica*, Bononiæ Anno 1559. Hæc omnia in forma prostant quarta. *Opsologiam Sala* cumprimis habere, & nunquid *Helidas Curationes*, ac *Consilia*, Lipsiæ Anno 1607. (quemadmodum Catalogus librorum *à Ioh. VVittichio* editorum docet) edita sint, scire velim. Nosti enim me euporista ipsius emaculasse, & ea in publicum producturum esse compromisisse. Si ergò id ante me fecisset *VVittichius*, frustraneam operam fortassis inpendissem: nisi, quæ ille publicauit ab istis meis diuersa fuerint.

Auctor cur libros Hippiatriam profitentes coemere cogatur?

Auctores qui de peste scripserunt.

Motuum bellicorum vt tandem finis fiat, optamus. Vngarorum irruptionem cum Tartaris, ac Turcis, quam nobis nonnulli sustinendam esse ferunt, auertat DEVS. Sat diu bellatum est. Nunc scilicet demum didicimus, quod *Nulla salus bello*: quidni igitur seriò ingemiscemus.

——— *pacem deposcimus omnes.*

O largire eam quamprimùm vniuersæ Germaniæ, clemens, & benefice DEVS? Benè cum tuis vale, & à nobis salute. Dabam Bresl. d. ta Septembris Anno 1653.

EPISTOLA LX.

PERIOCHE.

1. *Auctor in publicis negociis occupatus breuitatem Epistolæ excusat.* 2. *Quid de Bucretio sentit, exponit.* 3. *Eiusdem de F. M. censura.* 4. *De Scorbuto quid secum concluserit Doringius, certiorem fieri desiderat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Responsum ad priores litteras, quod debeo, *Clarissime Dn. Affinis, Compater & amice plurimum honorande*, iam persoluere non possum, ob publica, quæ me impediunt negotia. Faciam id breui: paruam moram patienter feras. Ad posteriores verò vt iam respondeam; omnino, quem omnes boni ament, dignus est *Bucretius*, atque vtinam aliquid boni ipsi facere potuissem,

Bucretius qualis?

sem, fecisse id libentissimè. Verùm tantùm triduum hîc vixit, Lipsiam ad Mercatores Augustanos festinans. Cæterùm rediit, vt existimo, ad vos F. M. sapientiâ exoticâ non solùm plenus, sed & turgidus, vt amici, cum quibus in itinere, & reditu in patriam versatus est, referunt: si tamen sapientis est, sua tantùm æstimare, alios contemnere, bonis viris, & quidem benè de se meritis, inter quos Bauhinus, obtrectare. Germanos, Italosque omnes Medicos contemnit; solos Gallos prædicat: quod mihi non firmi iudicij, sed animi præconceptis opinionibus fascinati, & affectibus indulgentis videtur esse indicium.

F. M. exotica sapientia turgidus.

Obtrectator. Germanorum & Italorum Medicorum contemptor. Gallorum prædicator.

Si talis est, qualem alij describunt; à vero non alienum puto, quod Amicus quidam ad me scripsit, cum vel in culmine sapientiæ constitutum, vel in dementiæ propinquo esse. Qualis tibi videatur, & quid noui ab eo didiceris, tam longâ peregrinatione dignum, ad me perscribes.

Tandem hac occasione me certiorem facere velis, quid rectum de Scorbuto concluserit. Si tuas obseruationes, & medicamenta in Epistolam conijcere vis (quod suaserim, & factu facile est) fiat id intrà Calend. Ian. proximas si meis à me inseri, sed tua cum mentione vis, id hac occasione significo. B. V. VVitebergæ 20. Octobr. Anno 1623.

De scorbuto quid concluserit secum Doringius Auctor scire exoptat.

EPISTOLA LXI.

PERIOCHE.

1. Auctor de Bucretio Iuniore optima quæque sperat. 2. Galli & præsertim Riolanus Parisiensis cur à D. F. M. tantopere extollantur? 3. Auctor D. F. M. de se suisque quos amat iactantiam, & de alijs quos odit censuram & improbationem, quantum ex ipso cognoscere potuit, longâ serie recenset. 4. Disputatio Inauguralis D. F. M. plaustris nouitatum plena. 5. China & Sarsa in Bubonibus effectus. 6. Signa luis Venereæ. 7. De Thermis Hirschbergensibus. 8. Auctor an de Scorbuto peste iam in vicinia grassante peculiarem Epistolam conscribat, animi ferè pendet. 9. Editio Engalení Brendelij Senioris.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Sperabam equidem: *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, Te ad priores etiam meas, quæ varia argumenta medica continebant, hac ipsâ occasione responsurum; tamen cùm ob publica negotia te impeditum fuisse intelligam, moram, quantulacunque fuerit, patienter feram. De Bucretio Iuniore optima quæque spero. Quæ vt sperem, modestia ipsius singularis, cum rara in tali ætate eruditione, coniuncta, iubet. Mensis est, quando ad nos D. F. M. iterum appulit. Cui cùm de impetratis honoribus Doctoralibus gratularer; eos non à se impetratos, sed sibi quasi inuito obtrusos, regerebat. Quod ipsum protinus, pro quodam arrogantiæ signo habebam.

Auctor de Bucretio Iuniore optima quæque sperat.

Sic verò res habet, quod Gallos alijs longè anteponat; atque ex ijs *Riolanum Parisiensem* ob anatomica adeò extollas, vt manu ipsius nil doctius, nil expeditius sese vidisse affirmet: quippe qui in dissectionibus ità sit exercitatus, vt vel clausis oculis solius tactus beneficio, quæ velit, monstrare valeat. *Bauhinum Riolani* inuentis suum Theatrum refersum nobilitasse, sententias ex eo contexisse, & nescio quid non ipsius vitulâ arasse, asseuerauit. De *Iulio Cæsare Claudino Bononiensi Medico* honorificè sensit. *Sebitium Iuniorem* à dexteritate secandi præ hodiernis Germanis commendauit. A *Siglicio p. m.* hoc se primitus hausisse fassus est, vt veteres potiùs, quam Neotericos sectaretur. *Hauenreuterum p. m.* tam in Aristotele versatum fuisse dixit, vt non solùm memoriæ ipsum fideliter impresserit, sed manus etiam primo quoque conatu textum quemcunque oblatum protinus repererint: eum optimum igitur Aristotelis Interpretem eundem laudauit. Hinc in Philosophia *Aristotelem*, in Medicina vnum *Galenum* (quod Basileæ senior *Stupanus*, Lipsiæ *Sigbertus* etiam fecit) tanquam Duces sequendos, è que istorum principijs omnium rerum rationes sufficienter reddi posse affirmauit. Idem tentasse Patauij *Præfectum*, & quinque libris, *de abditis atque vulgò ignotis rerum causis* per aliquammultas problematum centurias deductis, atque publicè aliquando edendis abundè monstrasse, sibique vt de similibus diligentius cogitaret, ansam subministrasse, subiicit. Cùm nuda elementa & ipsorum qualitates minimè sufficere obijcerem; nescio quos ille infinitos mistionis modos, quas oppositionis, sed non Democriticas rationes, quam materiam quantitatiuam, &c. opponeret. Annorum Climactericorum, dierum criticorum, fluxus ac refluxus maris, &c. causas dari in sublunaribus manifestissimas, frustraque in talibus miseram (ita vocabat) Lunam accusari. Et si hæc humorum vnica sit rectrix, ac domina, mirari se, cur non in periodorum febrilium causis reddendis, ad eandem vulgò confugiant? Non esse, quos alij fingunt, morbos vel occultos, vel nouos: Causam in nobismet ipsis sitam esse, eò quod sensibus non ita patescant, minùsque diligenter in veterum lectione nos exerceamus. Omnia enim illos dudum docuisse; sic vt *Stupanus Senior* aliquando *D. Andreæ Rulando* Quercetani Tetradis vsum ab ipso petenti responderat: Omnia habere Galenum. Istius ergò *Stupani* disputationes medicas eximiè prædicabat. Improbabat contrà *Hofmanni Institutum*, de integro edendo Galeno: Sic enim Galenum intra Iuniorum manus non perueturum, propter sumtuum magnitudinem. Satius igitur esse, si particulatim ederetur, siquidem paruo pretio quæque pars emi, & expeditius à Studiosis legi posset. Tali ratione & plures, & meliores futuros Galenicos. Ex hoc fundamento culpabat *Operum* quoque *Lutheri vniuersalem editionem*, ad hoc, vt suspicabatur, à *Cripto-Caluinianis* (quos *Philippistas* alias dixerunt) singulariter procuratam, vt è plurimorum manibus particularia ipsius scripta excuterentur. Non itaque mirum esse, quod pauci γνήσιοι Lutherani hodie reperiantur. Aliter in Philosophia & medicina, qui doceant, eos Paracelsistas esse. Chymicos igitur & Chymica videtur parui facere. De maris fluxu per otium sese aliquid elaboraturum; non dubitare quin assensum meum obtenturus sit. Hæc hactenus ex ipso cognoscere potui.

Riolanus Parisiensis cur à D. F. M. tantopere extollatur?

Auctor D. F. M. de se suisque iactantiam, & de alijs quos odit censurâ & improbationem, quantum ex ipso cognoscere potuit, prolixius recenset.

An seriò in omnibus rem agat? certo nondum affirmare ausim. Vbi plures me conuenerit, genium ipsius fortè penitiùs cognoscam. Disputationem eius inauguralem nondum vidi. In ea plaustra nouitatum me inuenturum esse, ante aliquot menses prædixit Horstius. Optarim, vt eam tandem adipiscar; quo ipsius sapientiæ nonnihil in me quoque redundet.

Disputatio inauguralis D. F. M. plaustris nouitatum plena.

Si talis euerit est, qualem se hesterna conuersatione declarauit. Vah! quam gratus K. erit, qui & ipse cùm elementaris est Philosophus, ac purus putus Galenicus, tum Chymicorum egregius osor: Cuius dolendùm contradicendi & alios calumniandi cacoëthes, vt magis, magisque prospicietes, sequentem Historiam ad te prescribere placuit. Annus iam est, quando ad dandum consilium super tali casu, quem, vt sequitur, breuiter consignauerat *D. Paulus Muncerus*, ægri tum temporis ordinarius, quatuor nostrûm conueniebamus. Nimirum *nobilis Polonus* annor. 46. constitutionis pituitosæ, ante annum ex catharris (vt sibi videbatur) laborans, incidit in Bubones: qui post vsum *chinæ*, & *sarsæ* per 14. dies continuatum euanuerunt. Sed ante sex septimanas vino meraciore plus iusto vsus (solet enim quotidiè ad quartas 12. ingurgitare) incidit in febrem ardentem, in qua purgatus iter suum institutum continuauit: sed deinde prope genu nodum quendam subitaneum passus est, & totum eius vtrumque insinuit, cum dolore iugente sub vesperam recrudescente: sinistra quoque vola scabie ferinâ defædata est. Vrina tenuis est, rubicunda, atomis plena. Hypochondrium vtrumque dolet. Insomnis planè est, &c. Hæc tum temporis expendenda nobis proponebantur. Cumque de gonorrhea dolorifica prætericâ erudiremur, & tibiarum frictiones æger ægrè toleraret, conclusum est, ipsum lue infectum venereâ, genti aliàs huic vniuersæ, propter vagas libidines & impuros congressus valdè familiari: ita vt vulgò *das Poln: sche fieber* à non paucis nominetur. Cura huic morbo congrua instituta est. Æger moræ pertæsus, dimisso Ordinario alium Medicum accersiuit: à quo per plures septimanas pro merè, vt accepi, Scorbutico tractatus, nihilo sanior in Poloniam dimissus est. Sub finem æstatis huc reuersus, eiusdem sine dubio Medici consilio in thermas Hirschbergenses ablegatur.

China & sarsa in Bubonibus effectus.

Signa luis Venereæ.

Therma Hirschbergenses.

Quibus cùm vsus fuisset, peius inde habuit. Huc igitur ex iisdem rediens, K. consulit. Hic priores, tùm Medicos, tùm Chirurgos antè annum consultos, non coram ægro duntaxat, sed alijs etiam in locis, pro more suo, ignorantiæ accusauit: ipsumque è solo Lienis vitio malè habere dixit.

Interrogatus à *Ioh. Sethio* Chirurgo de nodis in tibijs, eos adhoedum adesse affirmauit. Hæc heri mihi significauit hic ipse Sethius, qui nodum propè genu ruptum ante annum tractabat. In vtriorum partes tu concedere malis, scire ex te velim.

De Scorbuto an peculiaris Epistola mihi conscribenda sit? animi ferè pendeo. Ita enim tales Aristarchos nunc metuo, vt malim à scriptione abstinere, quàm illis me exagitandum propinare

Auctor an de Scorbuto peculiarē Epistolam conscribat, dubitat.

propinare. Si tamen aliquid adornauero, vt circà præfinitum à te tempus, ad te perferatur, operam dabo. Profectò pestis vicinas nobis vrbes omne affligens, vt de ea potius aliquid elaborem, monere videtur. Præuenit te Engaleni editione, vt video, Ignæ *Brendelius Senior*. Quæ ooa circumstent, ob Scytharum ac Turcarum irruptionem metuendam, pericula, Rhedarius sine dubio ipsus exponet. Deus nos suo præsidio cingat! B. V. Breslæ d. 10. Nouemb. Anno 1623.

Editio Engaleni Brendelij Senioris.

EPISTOLA LXII.

PERIOCHE.

1. *Scorbuti indoles an in denegata πνευματώσει consistat? 2. Materia specificam corruptionem recipiens vnde generetur? 3. Morbi Tartarei vnde fiant? 4. Sal quomodo ad putredinem faciat? 5. De sede humoris scorbutici.*

D. MICHAELI DORINGIO, *DANIEL SENNERTVS, D.*

SVnum saltem caput, quin ad illud respondeam, iam præterire non possum, nimirum quod Scorbuti indolem in denegata πνευματώσει consistere negas; cùm omnes tartarei morbi fiant per denegatam πνευμάτωσιν, nec tamen omnes fiut scorbutici. Agnosco equidem hic aliquam difficultatem, & facilè concedo, specificam illam corruptionem ad scorbutum constituendum requiri: materiam tamen, quæ specificam illam corruptionem recipit, ex denegatâ πνευματώσει generari puto. Quod curatio indicat, quæ fit per ea, quæ sale volatili abundant. Morbos verò tartareos omnes ex tali denegatione πνευματώσεως, ex quali Scorbutus, fieri nego. Plerique enim fiunt saltem ex crassis excrementis, non ex toto, sed maxima parte alimenti πνευματώσεως destitutis: Vnde etiam Hypochondriaci in Italiâ familiares, vbi salis esculenti, & ciborum satis iusta est πνευμάτωσις, sed crassa saltem, & adusta ob aërem calidum excrementa in iis cumulantur: qui propterea non medicamentis sale volatili abundantibus curantur, sed potiùs humectantibus. Neque in talibus necessariò serum sale crudo abundans reperitur. In Arthriticis est saltem serosus humor, non necessariò crudus & crassus ille simul colligitur. Quomodo verò sal ad putredinem faciat, causam hanc esse puto, quod sal fiaue alios humores in primis viis detinet, qui detenti tandem hanc specificam corruptionem induunt.

Scorbuti indoles, an in denegata πνευματώσει consistat? Materia specificam corruptionem recipiens vnde generetur? De morbis tartareis.

Sal quomodo ad putredinem faciat? Sedes humoris scorbutici.

Sedem tamen humoris scorbutici non solùm primas vias, sed venas etiam cauas statuo; quod vel venæsectio indicat. Et in Scorbuto à contagio contracto primùm sanguis in vena caua inficitur. Hæc festinans addidi, vt tuum responsum maturè habere possim. B. V. 21. Octobr. Anno 1623.

EPISTOLA LXIII.

PERIOCHE.

1. *Auctor in Scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν non negat. 2. Genuina scorbuti indoles in quo consistat? 3. Materia specificam in scorbuta corruptionem recipiens quid sit? 4. Πνευμάτωσις denegata in omnibus morbis tartareis adest. 5. Remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis valde apportuna. 6. An in Hipochondriacis Italis iusta salis esculenti & ciborum sit πνευμάτωσις. 7. De sale crudo. 8. Cura scorbuti sola salis fixi volatilisatione non completur. 9. Sennertus ad problema Auctoris de sale fixo esculento minus directè respondet. 10. Auctoris de suo problemate opinio. 11. De sede Scorbuti. 12. De sanguinis infectione in scorbuto per contagium contracto. 13. Auctor cur suadeat Sennerto, ne cum editione sui Tractatus de Scorbuto tantopere festinet?*

D. DANIELI SENNERTO, *MICHAEL DORINGIVS, D.*

S. Cùm responsum præcedens iam absoluissem; ecce alteras tuas adhuc mittit Rhedarius, in quibus solùm *de Scorbuto caput* tractasti. Ne igitur sine responso ad easdem Rhedarius ad vos rediret, sequentia subiicere placuit.

Non autem vel satis attentè litteras meas legisse, vel mentem meam probè assecutus, mihi videris. Ea proinde, quæ mihi obiicis, me non tangunt. Non negaui, in scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν: sed hoc saltem pace tuâ, dictum volui, quod per πνευμάτωσιν denegatam non videantis mihi scorbuti genuinam indolem sufficienter exprimere, siquidem omnes morbi tartarei fiant per πνευμάτωσιν denegatam; nec tamen omnes fiut scorbutus. Genuinam igitur Scorbuti indolem in specifica quadam, & indicibili humorum corruptione putredini coniunctâ, ac πνευματώσει denegata superueniente, consistere scripsi. Quod ipsum tum tuæ confitearis, opinionibus hac in parte neutiquam discrepamus: Quid enim quæso aliud est, materiam, quæ specificam illam corruptionem recipit, ex denegatâ πνευματώσει (ego malim dicere per vel propter denegatam πνευμάτωσιν) generari, quàm πνευματώσει denegatæ specificam & indicibilem corruptionem superuenire aut superaddi? Neque illud quicquam contrà me valet? dum omnes morbus tartareos ex tali denegatione πνευματώσεως, ex quali Scorbutus, fieri negas. Non enim hoc ego affirmaui: sed hoc tantummodò, quod omnes morbi tartarei fiant propter πνευμάτωσιν denegatam, siue quod idem est, in omnibus morbis tartareis adsit πνευμάτωσις denegata: verùm cuique morbo tartareo sua propria, & vernacula; quæ in causa etiam est, vt diuersi morbi inde oriantur. Et dicas tu mihi, Si in morbis tartareis vniuersùm non adest πνευμάτωσις denegata: qui fiat? quod vel isti in Scorbutum degenerent, vel hic sub illorum schemate Medicis adeò frequenter imponat. Quid? quod remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis valdè sunt opportuna: Quamobrem, causam aliquam communem subesse necesse est. At quæ illa: amabo te, sit alia, quam πνευμάτωσις denegata? Iostas, cæteros morbos tartareos plerosque è crassis duntaxat excrementis, non ex toto, aut maxima parte alimenti πνευματώσει destituti, originem trahere. Atqui non contingit idem in omni Scorburo. Sit vero in plerisque morbis tartareis, ita vt scribis. Quid tum verò posteà. Num quid enim excrementa illa carebunt πνευματώσει? carebunt vtique. Quod si sic: quæsiuerim, vnde ea sint collecta? An non ex alimentis? Ita omninò: Cautè igitur scripsisti; plerosque morbos tartareos ita oriri. In plurimis enim locum habere præuidisti. De omnibus verum esse, non est, quod dubitem. Excutiam paulisper exempla pro adstruendo contrario, à te prolata. Primò ergo Hypochondriacæ in Italia familiaris exemplum nihil prorsus meæ causæ officit. Quis enim credat, salis esculenti, & ciborum satis iustam illic esse πνευμάτωσιν? Imò vero tantùm hæc abest, vt propter aërem illic calidiorem resolutis præproperè partibus salis esculenti tenuioribus, reliquum, quod feculentius est, magis magisque potius vratur, ac vt Chymico vtar termino, fortiùs figatur. Vero consentanea me scribere, tibi in operationibus Chymicis exercitatissimo non potest esse ignotum. Præterea non solis humectantibus, sed aperientibus iuxtà, incidentibus attenuantibus, carminantibus, & abstergentibus, (quæ ipsa salem quoque possidere volatilem quis abnuat;) tractari in Italiâ Hypochondriacos vel fatearis necesse est, vel eos alterius omninò indolis à Nostratibus esse, concedas. Verum feceris: parum herclè profeceris. Illi enim Italorum scripta, huic communis curandi ratio reclamat. Porrò in talibus non necessariò reperiri serum sale crudo abundans, dum subiicis: quid salis crudi nomine intelligas, non satis intelligo; Si autem salem fixum: eundem sæpè ibidem etiam dari, paulò antè probatum est. Sin crudum & crassum, hoc est, pituitosum humorem, quomodo flatuum Hypochondriacis quàm maximè solemnium, causas redditurus sit, scire velim. Deinde in Arthriticis saltem serosum, non necessariò crudum, & crassum illum humorem simul colligi, de plerisque admitto: In multis enim contrarium docet Experientia, præsertim podagricis & nodosis. Atqui non de crudo & crasso, siue pituitoso humore inuicem hic controuertitur: sed de salso fixato: qualis eum primis serosus est. Quo cùm Arthritici etiam abundantur

Auctor in Scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν non negat.

Genuina Scorbuti indoles in quo consistat.

Materia specificam corruptionem recipiens quid sit.

Πνευμάτωσις in omnibus morbis Tartareis adest.

Remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis opportuna.

An in Hypochondriacis Italis iusta salis esculenti & ciborū sit πνευμάτωσις.

Sal crudus.

Quid de Arthriticis?

tius fruantur; non mirum si sudorifera tam eximiè iuuentur: Volatilisescit enim, vt sic loquar, sal fixus, ac cum sudore vnà euaporat. Vides itaque hinc, *mi Sennerte*, quomodo videlicet, & quatenus ipsi morbi tartarei, exempli loco, in medium à te adducti, πνευμάτων denegatam, etiam pro communi matre agnoscant.

Cura Scorbuti sola salis fixi volatilisatione non completur.

Illud insuper prætereundum minimè mihi est, scilicet sola salis fixi, vt sic appellem, volatilisatione non compleri ipsius met *Scorbuti* Curam. Viscera namque naturalia corroborari, spiritus (qui in eo cumprimum laborant) restaurari, putredo compesci, quod computruit euacuari &c. postulant.

Sennertus ad problema Auctoris de sale fixo esculento minus directè respondet.

Ad problema meum, quod fuit, cùm sal fixus esculentus à putredine præseruet, cur in Scorbuto eam nihilominus tantoperè inualescere permittat? non satis directè videris mihi respondere, quando hanc causam adducis; quod nimirum sal fixus alios humores in primis viis detineat, qui detenti, tandem hanc specificam corruptionem inducant. Non enim de specifica, siue scorbutica corruptione, sed ipsa putredine, quam illi contradistinxi, quæsiui. Deinde non circa primas solummodò vias, sed & venoso genere, idem met sal fixus redundat. Vtrobique igitur quomodo putredinem inualescere permittat? dicendum erat. Ad hæc qua vi sal fixus alios humores in primis viis detineat, explicari oporrebat. Hæc & similia, contra tuum responsum obiici possunt. Aperiam, quæ mihi hoc ipso momento causa in mentem venerit: An verò futura sit vniuersalis tibi adiudicandum permitto.

Auctoris de suo problemate opinio.

Sale esculento carnes à putredine defendi verum est: Alimenta, si diutius immunia relinquantur, tandem tamen putredinem aliquam concipiunt, ob humidi affluentiam, quod salis calor sufficienter regere ac terminare nequit: Intereà verò sal acredine suâ carnes corrodit, ac fibras depascitur, vnde non tantùm gracilescunt, sed & friabiliores multò redduntur. Idem quodammodò in humoribus tam excrementitiis; quàm alimentariis salem istum fixum mordacem in Scorbuticis operari colligo. Quippe humorum fibræ corroduntur, quibus corrosis, perit coacrescendi facultas. Prout igitur fibræ magis, minusue absumptæ sunt, ita etiam de maiore, minoréue sanguinis putredine, atque salis fixi acrimoniâ iudicare fas est. Adstipulari huic sententiæ videntur gingiuarum putrilagines, & aliarum partium vlcera in Scorbuticis depascentia. Hæc mihi nunc temporis ad problema meum incidit responsio.

Scorbuti sedes.

Scorbutus sedem tam primas corporis vias, quàm venam cauam, & à caua oriundas, rectè statui, tecum sentio. Illæ tamen prima, & primaria; hæ secundaria non immeritò dicuntur: Inde enim malum huc deriuatur. Contagium inter Scorbuti causas *Brunerus in tractatu suo altero de Scorbuto*, nuperrimè à Brendelio, cum Eugaleni opere in lucem emisso, etiam retulit. Illud autem doceas velim; quomodo, & cur in Scorbuto per contagium contracto sanguis in vena caua contentus primò omnium inficiatur? quod in conclusione litterarum disertè posuisti. Mihi hoc videtur dubium. Quomodo enim visceribus infimi ventris malum hoc communicetur? Quomodo scorbuti pathognomonicum signum iuxta Eugalenum, nempe singularis illa circa præcordia, & ventriculi regionem anxietas, in omni Scorbuto obseruaretur? Taceo plura alia.

De sanguinis infectione in Scorbuto per contagium contracto.

Ego itaque suspicor seminarium scorbuticum per contagium haustum peculiari quadam vi antipatheticâ ventriculum primò, mox reliqua officinæ facultatis naturalis membra adoriri, vim ipsarum πεπτικὴν, & alimenti πνευματώσεως labefactare, atque ita temporis progressu lentè ac furtim quasi (diu enim semina scorbutica etiam non animaduertentes circumferre posse, res est extrà omne dubium collocata) vires acquirere, donec tandem virus suum apertè proferat, & exseratur. Hæc sunt, quæ eodem, quo superiora, die, sub multam noctem, veluti in buccam venerunt, in chartam conieci. Quæ vt, ceu præcipitantissimè exarata boni consulas, etiam atque etiam oro.

Auctor cur suadeat Sennerto, ne cum editione sui Tractatus de scorbuto tantopere festinet?

Nolim cum editione *tui tractatus* tantoperè festines præsertim cùm *Eugalenus* iam recusus sit. Multa enim fortassis collatio Epistolaris suggeret; quæ priores cogitationes vel abrogare, vel corrigere iusserint. Sic scilicet dies diem docet, & plus vident oculi (modò naturaliter sint dispositi) quàm oculus, vt tritum habet prouerbium. Et passim nunc præter solitum offeruntur Scorbutici, qui penitius in ipsius naturam inquirendi ansam luculentam subministrare possunt. *Mantuanus*, si rectè memini, pulchrè cecinit.

> *Omne quod excellens opus, & sublimè futurum est,*
> *Difficiles ortus habet, incrementaque tarda.*

Fœtus etiam, si immaturi sint, viuaces non sunt: Ita tu etiam in edendo *tuo fætu Scorbutico* non nimiùm matures. Nosti, in quot annos antequam publicentur, labores supprimendos censuerit Horatius. Satiusque est, modò id commodè fieri possit, benè limatum opus in publicas auras proferre, quàm reiteratis toties editionibus subinde innouare: Nescio enim quam, & qualem hoc animi inconstantiam arguere videatur. Quam meam παῤῥησίαν vt amicè accipias, iterum atque iterum te rogatum volo. B. V. & salue. Dab. Breslæ 10. Nouembr. Anno 1623.

EPISTOLA LXIV.

PERIOCHE.

1. *Auctoris ad Doringium responsum festinationem sui Tractatus de Scorbuto dissuadentem.* 2. *An ad Scorbuti naturam præter denegatam πνευμάτων aliquid amplius requiratur?* 3. *Auctor an omnes morbi Tartarei ex denegata πνευματώσει fiant, dubitat.* 4. *Scorbutus quando producitur.* 5. *D.F.M. in opinionibus singularis.* 6. *Scorbutus interdum lui Venereæ similis.* 7. *Sal in Scorbuto cur putredinem inualescere sinat?* 8. *De sede scorbuti primaria & secundaria.* 9. *Quid primò inficiatur vbi per contagium Scorbutus generatur?* 10. *Cur omnia fere medicamenta cum lacte præparentur?* 11. *An in principio febris medicamenta electinè purgantia sint adhibenda.* 12. *De coctione in Intermittentibus eiusque signis.* 13. *De venarum in naribus & lingua apertione.* 14. *De operatione vomitoriorum.* 16. *Mercurius cur in hydropicis vomitum nullum moueat?* 16. *De medicamentis sudoriferis.* 17. *De depressione cranij puerorum eiusque ortu.* 18. *Membrana cauitatem in Syncipite regentis varia appellationes.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctoris ad Doringium responsum festinationē sui tractatus de Scorbuto dissuadētem.

SVt præpostero ordine à fine tuarum litterarum incipiam, *Vir Clarissime & excellentissime, Affinis & Compater plurimum honorande.* Scio equidem, verum esse deliberandum esse diu, quod statuendum est semel, & ex Horatij consilio, scripta, quæ edituri sumus, in nonum annum premenda esse: Verùm scio & illud quod *vitæ summa breuis nos vetat inchoare spes longas.* Et quis spondeat me post annus decem superstitem in hac vita futurum? Neque ignoro, procrastinando factum, vt multorum doctorum Virorum laboribus, magno cum rei litterariæ damno careamus.

Itaque etsi nimis festinare non velim: tamen quod ago, iam mihi agendum puto, & otium, & vacationem à lectionibus publicis, quod tamen exiguum esse animaduerto, quæ mihi officium publicum indulget, *Scorbuto*, & alijs quibusdam meditationibus tribuam. Si portò vitam mihi DEVS concesserit, sua cuique diei cura & labor erit. Si posteà augere, vel meliora ea reddere potero, in lucem ponam, neque quisquam id inconstantiæ loco mihi imputabit, cum δεύτεραι φροντίδες tam non in vitio sint apud viros doctos, vt etiam laudentur, & σοφώτεραι iudicentur. Etsi hoc non perpetuum putem, cùm ætate accrescente vigor ingenij decrescere soleat, & viri etiam magni ex lectione eorum, quæ in ἀκμῇ ætatis & ingenij scripserant, affectum ex lætitiâ & tristitiâ mistum conceperint, & læti quidem fuerunt de felicibus ingenij fœtibus: tristitiâ verò affecti, quod ingenij viribus decrescentibus, ea, quæ viri, & Iuuenes scripserant, non tantùm non meliora reddere, sed etiam via satis intelligere possent. Id quod *de Suessano* refert *I.C. Scaliger*: sed hæc obiter.

De natura Scorbuti.

Ad *scorbuti* naturam præter denegatam πνευμάτων aliquid amplius requiri, eámque in specifica quadam & indicibili humorum corruptione consistere, ipse hactenus concessi. Etsi, vt verum fatear, non parùm ea de re dubitauerim. Dubium autem me reddiderunt medicamenta antiscorbutica, quorum cùm sit magnus numerus, in eo omnia participant, quod sale quodam volatili amariusculo abundant; qui occultam aliquam Qualitatem in iis monstrauerit, nondum inuentus est.

Morbus qui curatur medicamentis manifesta qualitate præditis, non est occultus, seu totius substantiæ. Scorbutus curatur talibus Ergo. Quid enim in sinapi, armoracia, nasturtio, occulti? Neque contagium occultam qualitatem necessariò arguit; cùm scabies, ophthalmiæ, & alij morbi, in quibus nihil occulti, etiam sint contagiosi. Cùm ergo curatio indicet morbum

morbum, non parùm dubito, an non in sola διαπνοὴν denegata (si commodius vocabulum habes, quo rarefactionem, & volatilitatem deficientem exprimam, mecum communica) consistere debeat, & præcipuè salis, quæ hîc primas sibi vendicare videtur.

Et sit, vt peculiaris sit aliqua corruptio, an necessariò ad occultam aliquam qualitatem (qualis in venenis, purgantibus, & morbis formæ appellatus est) confugiendum sit, incertum. In singulis ferè vlceribus & Scabiei differentiis peculiares, & ἀέρες corruptiones sunt, non tamen occultæ Qualitates, & morbi formæ. Quæ velim perpendas, & quomodo ex hoc dubio me planè & integre extricare possim, ostendas.

Author an omnes morbos Tartareos ex denegata διαπνοῇ fieri, dubitat.

Quod postea omnes morbos Tartareos ex denegata διαπνοῇ fieri affirmas, videtur & illud mihi adhuc dubium. Agnosco quidem in omnibus morbis tartareis quiddam excrementitium, salsum, seu vt hoc nomen retineam, tartareum: sed an illud fixum semper sit, ipse videris. Certè in Arthritide sæpissimè illum, qui dolorem excitat, humorem volatilem esse puto. Et licet ille, qui est in hypochondriacis, sit fixus & melancholicus, qui tamen fiat, quod nostri hypochondriacis, & Quartanarij facilè Scorbutici fiant, non verò ij, qui in Italia, mihi explices velim: Ita enim, quæ sit differentia inter Hypochondriacos simpliciter, & Scorbuticos inuenimus, & an humor ille adustus è διαπνοῇ denegata fieri dicendus sit. Proueniunt illi humores adusti maximè in aëre calido: Scorbutus verò potius in frigido.

Scorbutus quando producitur.

Et mihi quidem videtur Scorbutum produci, non cùm humores aduruntur, sed cùm ob copiam salis esculenti, & ciborum crassiorum, nec chylus in ventriculo satis rarefit, nec sanguis, qui in mesaraicis, Liene, & hepate elaboratur, satis volatilescit: Et præcipuè sal in eo non volatilis redditur ad quod salis crudi nomine in proxima mea Epistola intellexi: ea de causa quod nullam coctionem receperit, & nunquam satis rarefactus fuerit: id quod non fit in alijs morbis tartareis, in quibus sal esculentus satis volatilis fit; tartareum verò, quod est in vino, vtpote coctioni ineptum, non separatur, sed relinquitur. Si quid tibi rectiùs occurret, gratum facies, si id mecum communicaueris. Et velim, vt maturè facias, si quid adhuc conferre cupis. Ego vel quod ago, agendum censeo, vel omittendum. Animaduerto enim iam appropinquare annos, de quibus cum Ecclesiaste dicendum erit; *Non mihi placent*: Et fortasse idem paulò post experieris.

D. F. M. in opinionibus singularis.

D. F. M. singularem esse in opinionibus, vt semper fuit, intelligo. Interim tamen nihil nisi veteres instare, infinitos mistionis modos fingere facile est: sed an animo veritatis auido satis facere hoc modo possit, ipse videat. Interim si quidquod nos erudire possit, ab eo cognoueris, vt & id sciam, facies. In disputatione augurali mira dogmata esse audiui. Ipsius tamen videndi nondum copia facta est. Gratus proculdubio erit K. sed an illa amicitia diuturna futura sit, dubito. Miror K. contradicendi studium, quod mihi animi minimè veritatis auidi signum videtur.

Scorbutus interdum lui Venereæ similis.

Scorburum interdum similem esse lui Venereæ etiam *Eugalenus* notauit: sed ita clarè in Historia à te descripta lues venerea mihi descripta videtur, vt via clarius potuisset. Vt de aliis non dicam, non memini aliquem in Scorbuti historia Gonorrhœæ dolorificę mentionem facere.

Si quicquam de *Scorbuto* elaboraueris, meis illud adiungam. Nec est quod Momos & Aristarchos metuas. Fateor, & me sæpè ea cura torsit, & dubium habuis, an quicquam posthac in dubium debeam, edere, cùm qui vitam otio transigunt, parem gratiam reportent: sed vicit contraria sententia. Si maiores nostros Momorum mordacitas à scribendo deterruisset, multis libris hodiè careremus.

Eugalenus D. Brendelij.

Præuenit me in edendo Eugaleno *D. Brendelius*: itaque vt ego eundem edam, necessarium non puto; sed in eam veni sententiam, me commodissimè facturum, si ea ipsa forma mea edidero, & iis *Ronsæi*, *VVieri*, *Salomonis Alberti* &c. adiunxero, atque in citando Eugaleno hac ipsa *Brendelij* editione vsus fuero. Poterit postea vterque liber in vnum volumen compingi, si vterque emtori placuerit.

Sal in Scorbuto cur putredinem invalescere sinat.

Ad problema, qui fiat, quod Sal in Scorbuto putredinem inualescere sinat, cùm tamen esculentus sal à putredine præseruet, quod penè præterieram, aliquid quidem dicere videris, dum fibras ab eo corrodi dicis; sed an planè satis facias huic quæstioni dubito. Sit enim vt fibræ corrodantur: non tamen hîc necessariò putredo sequitur; aliud est corrodi, aliud putrescere. Et vnde ille fœtor in gingiuis? Ego quid meliùs dicam, nondum inuenio. Hoc tamen mihi iam in mentem venit, διαπνοὴν non saltem esculento sali, verùm etiam aliis eius partibus denegari, atque tunc fieri, vt circa primas vias existentes postea corrumpantur, & putrescant. Sed cogitabo de his diligentius. *Scorbuti* sedem esse omnes corporis venas mecum consentis:

Sedes Scorbuti primaria & secundaria.

sed an primæ corporis viæ, primaria, Vena caua verò secundaria sit, hoc in dubio est. Vbi ex victus ratione Scorbutus generatur, res plana est: sed quid dicendum, vbi per contagium generatur, ibi enim dubito, quid primò inficiatur. Saliuam primò contaminari posse non nego: sed an non etiam quis per sudores, vel concubitum in eodem lecto cum contrahere possit? quid tum primò inficeretur? procul dubio sanguis, in vena caua: Interim tamen hoc verum esse posset, quod sanguis corruptus halitibus, & vaporibus suis tum in reliquis corporis partibus, tum præcipuè in hepate, & Liene vim *[illegible]* lædere posset.

Quid primò inficiatur vbi per contagium generatur.

Ita vides, *Clarissime Dn. Compater, & Affinis*, vbi hæreamus. De curatione, prognosticis, signis Diagnosticis, Symptomatibus res plana est ferè: At de naturâ causæ, & Generationis modo hæremus, nec ij, qui hactenus de morbo hoc scripserunt, mentem satiant. Si quid præter ea, quæ hactenus adieci, tibi in mentem venit, illud mecum, communica. Vnum saltem adhuc de *Lacte* in mentem venit, qui fiat, quod nimia ferè medicamenta cum lacte præparent. Et in vomitu lac plus, quam alia medicamenta prodesse Eugalenus scribat; cùm tamen lac aliàs in corporibus cacochymicis parùm prosit, sed facilè corrumpatur.

Vsus lactis.

Excidit mihi, quis finis sit Lectionum quas admisi: Mone ergo vbi desinant, tum reliquas etiam mittam.

Sed vt ad ea etiam, quæ in prioribus tuis literis restant, breuiter aliquid reponam (pluribus enim id facere alia negotia non permittunt) doleo, Amicum nostrum communem, *D. Abrahamum Seilerum* Quartanâ correptum esse: si conualuit, gaudeo.

An in principio febris medicamenta electiuè purgantia sint adhibenda.

Facere verò hîc non possum, quin aliquid de Curatione à te institutâ moneam. Video te statim ab initio semel, atque iterum medicamenta etiam electiuè purgantia adhibuisse: quod an secundùm methodum factum, dubito.

Scis enim quàm religiosè à Medicis plerisque prohibeatur, ne crudâ adhuc materiâ purgantia exhibeantur, ita quidem, vt *A. Massaria* nec syrupum *de Fumaria* compositum, nec syrupum *de Epithymo* in principio Quartanæ admittat. Velim ergo me edoceas, quomodo ista tua medicamenta defendi posse putes; & simul illud iterum explices, quænam sit illa coctio, quæ in intermittentibus expectanda & quæ eius signa. Reprehendit Galenus sui temporis Medicos, quod Theriaca intempestiuè exhibita, in sene simplici Quartanâ triplicem fecerint, quâ eadem post coctionem exhibitâ eandem febrem media hyeme curauit. Optarim, Galenum addidisse, quomodo coctionem illam curauit, & quibus signis deprehenderit.

De coctione in intermittentibus, eiusque signis.

Quæ de venarum in Naribus & sub Lingua apertione scripsisti, & historiis illustrasti, vera sunt, & nunquam istæ particulares euacuationes institui debent, nisi prius vniuersales præmissæ sint. Et miror Medicos multos tam incautos esse, vt si quid auxilij commendari alicubi legant statim id in vsum trahant, nec prius cogitent quo tempore & quomodo ab Authoribus adhibitum sit.

De Venarum in naribus & lingua apertione.

De *Vomitoriorum* operatione nos non dissentire puto. Neque enim nego, humorum indicationem, & Naturæ conatum hîc aliquid posse: Interim tamen vis ventriculum vellicandi, ipsique aduersandi in medicamento primaria vomitus causa esse potest. Quod verò alij facilius, alij difficilius, etiam propinatis vomitoriis, vomant, causa videtur, quòd in aliis ventriculus debilior, in aliis fortior, & quod irritationem illam facilius alius sentit, alius difficilius. Quod in Hydropicis Mercurius nullum moueat vomitū, potest forsâ ad id sal aliquid facere: Adderem ego, & hanc causam, quod ventriculus; & vicinæ ei partes serosis humoribus obrutæ stimulum medicamenti non sentiunt. Et eam ipsam ob causam Hydropicis sine periculo, quod ipse vidi, dari Mercurio puto. Dum enim partes corporis viuentis obruuntur humore aquoso, non ita facilè à medicamento hoc afficiuntur. Ego tamen ad eam dosin, quam Collega tuus propinauit, nunquam adscenderem.

Vomitoriorum operatio.

Causa.

Mercurius cur in hydropicis vomitū nullum moueat.

Quod tibi impossibile videtur, medicamenta sudorifera solidioris substantiæ, in ambitum corporis vsque penetrare, id mihi impossibile non videtur: Puto enim talia in corpore nostro in actum deduci, & ex iis spirituosam quandam substantiam, resolui, quæ in venas totius corporis penetrat: Eodem modo, quo ex paucis gr. ♁ vitri, vel fl. tale quid in totum corpus dispergitur. Sunt eæ actiones, quæ per talia effluuia seu ἀποῤῥοίας fiunt vbiuis obuię, & tamen à paucis Medicis, & Physicis attenduntur: Si tamen rectiùs hîc quid nosti, quomodo Bezoar, Bezoardicum minerale, & similia sudorem cieant, lubenter me erudire patiar.

De medicamentis sudoriferis.

De depressione Cranij puerorum illa, quam Germani *das Blattfallen* nominant, equidem in Lectionibus nihil habeo; in additionibus verò hæc annotaui *ad pneme.* 20. Præter hanc, quæ à causa violenta fit, Cranij depressionem, alterius adhuc mentionem faciunt Authores, quæ à causa interna ortum habet in Infantibus. Aëtius *tetrabib.* 2. *serm.* 4. *c.* 13. *Siriasin* appellat, quod in syncipite cauitas quædam apparet. Σιρὸς enim apud Græcos, dicitur fossa, ac corpus in qua semina feruntur. Fit verò *Aëtius loco allegato* saltem ab inflammatione Cerebri & membranarum accidere dicit tanto & in

De depressione Cranij puerorum.

Eius ortus.

alijs

Digitized by Google

aliis morbis *Os bregmatis* infantibus nuouunquam ſubſidet.

In Germaniâ mulieres appellant *das blatsfallen oder ſchieſſen*. Cùm enim oſſa Syncipitis parte ſuperiore, vbi Coronalis & ſagittalis ſutura coeunt, non dura ſiot, ſed cauitatem quandam efforment, quam membraoa quædam, qoæ omnium poſtrema ſiccceſcit, & oſſa euadit, tegeret, membranam hanc Arabes *Zendech*, nonnulli *fontanellam*, Germani *das blatt* appellant, idque os, ſeu membrum potius, vt diximus, interdiu in infantibus ſubſidet, & à mulieribus pro lethali plerumque ſignu habetur; quod proculdubio accidit, cùm ipſum Cerebrum io morbo aliquo graui in motu deficere iocipit, nec libere dilatatus. Vt Lipſiæ in librus, quorum Catalogum mihi miſiſti, inquireretur, curaui. Nullus ex iis venalis inuentus præter *Reuters Hippiatriam*, quæ 1. fl. 15. gr. emitur.

Membrana cauitatem in ſyncipite tegentis varia appellationes.

Calamitatum nullus adhuc finis. Bellici motus oon ceſſant, ſed quaſi à principio retexuotur. Annona in dies creſcit, & ne ante menſem inopinatum pretium frumenti ſtatuatur, metuo. Et an in iſta aëris conſtitutiooe immunes futuri ſimus à peſte, DEVS nouit, & is noſtri miſereatur. Hæc booi conſule, feſtinationi ignoſce, & cum tua, & reliquis noſtris benè vale. VVittebergæ 7. Decembr. Anno 1623.

EPISTO A LXV.

PERIOCHE.

1. *Auctor literas per ordinarium Tabellarium à Doringio Lipſiam mittendas prima occaſione expectat.* 2. *Cauſam cur editionem tractatus de Scorbuto maturet, allegat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Quod nihil litterarum à te mihi attulit Tabellarius, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, feſtinationem eius cauſam fuiſſe exiſtimo. Quia verò uoo dubito te aliquid ad me exaraſſe: velim prima occaſione illud per ordinarium Tabellarium Lipſiam mittae, vnde ad me facilè perferetur: nam de Aurigæ intrà breue tempus ad vos aduentu nulla ſpes eſt. Poſt Nundinas eoim Lipſeoſes initium Typographus in excudendo tractatu de Scorbuto faciet. Maturo editionem & ob cauſas nuper ſcriptas, & quia promptum iam Typographum habeo.

Cur tractatū de Scorbuto maturet?

Interim bene vale. Vittebergæ prid. Cal. Ian. Anno 1624.

EPISTOLA LXVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur editionem Tractatus de Scorbuto non vſque adeò maturandam cenſuerit?* 2. *De natura Scorbuti, & an in ſola πνευματώσει denegata cumprimis conſiſtat?* 3. *An contagij natura in Scorbuto nobis ſit occulta?* 4. *Scabies, ophthalmia &c. cur proinde vt peſtis, lues Venerea, rabies Canina &c. contagio propagentur?* 5. *An excrementitium ſalſuginoſum omnibus morbis tartareis ſemper ſit fixum?* 6. *Itali cur non æquè in Scorbutum ac Germani proclives?* 7. *Frigidus aër ad Scorbuti generationem in quantum admittitur?* 8. *De productione Scorbuti.* 9. *De ſale eſculento & tartareo in vins.* 10. *Cur Sal in Scorbuto putredinem inualeſcere ſinat, cùm tamen eſculentus ſal à putredine præſeruet?* 11. *De ſede Scorbuti primaria.* 12. *Cur omnia fere medicamenta cum lacte præparentur?* 13. *Lac cur minus apud Scorbuticos quàm alios cacochymicos corrumpatur?* 14. *De diſputatione graduali D. F. M. mira dogmata, mirúmque ſtylum continente.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Ne te in eo, quod moliris, opere, *Clariſſim. Dn. Affinis & Compater honorande*, moraret; cùm propter ferias Natalitias & feſtiuum Tabellarij qui tuas afferebat abitum id expedire non liceret, tu autem reſponſum à me exigeres: Omne hoc quicquid iam videa, & capis, inſtante hoc mercatu trans Lipſiam ad te mittendam cenſui. Ignoſces autem ſi fortè minus tuis obiectis ſatisfecero: Ob dictas enim modò cauſas elaboratiora dare non valui. Initio igitur conſilium meum de non feſtinanda Tractatus *de Scorbuto* editione, eò potiſſimum fuit à me directum, vt ſicubi poſſem, famæ tuæ incrementum magis magiſque pro meo virili, & noſtra affinitate promouerem. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin ſcripta crebriùs relecta, & per collationes priuatas quaſi limata, accuratiora & politiora ſubinde euadant. Et an non vel inconſtantiæ, vel præcipitantiæ, vel ſcribendi pruriginis accuſari poſſit is qui ſua toties publicè corrigere ſolet, tute videris. Quid? quod emptores facilius inueniet opus, beoè ab Auctore, quod elaboratur ſemel, & eadem facie recuditur; quam qood tam crebro innouatur. Non ea mihi mens fuit, vt totidem omninò annos, quot definiuit *Horatius*, hoc tuum ſcriptum ſupprimendum cenſerem: ſed ne ipſius publicationem tantoperè maturares; atque forſan oon ſatis omni ex parte elaboratum extruderes. Si quid, (vt ſumus homines mortalitati, & talibus caſibus omnes expoſiti) humani tibi intereà acciderit, (quod verò diu prohibeat DEVS,) habes iam adultos filios, qui id in lucem emittere, ac rei litterariæ damnum tuo loco compenſare, tibique famam poſthumam compenſare queunt. Noo peribit, crede mihi, quicquid aliquantulum domi concinneris. Sin propoſiti tenax permanſurus es, vt quod libet, facias, per me ſanè licebit: ſiquidem mihi quicquam hîc nec ſeritur, nec metitur.

Auctor cur editionem Tractatus de Scorbuto non vſque adeò maturandā cenſuerit

Scorbuti oaturam, in denegatâ πνευματώσει ſola cumprimis conſiſtere, neque ſpecificam quandam & indicibilem humorum corruptionem concurrere, tali probas argumeoto.

De natura Scorbuti & an in ſola πνευματώσει denegata cum primis conſiſtat.

Morbus qui curatur medicamentis manifeſta qualitate præditis oon eſt occultus, ſcilicet totius ſubſtantiæ. Scorbutus curatur talibus, E. &c. Minorem ex eo probas; quod medicamenta antiſcorbutica nihil occulti poſſideant. Itane verò, *mi Sennerte*? Equidem non ſerò tem hanc agere mihi videris, cùm dubitanter duntaxat talia te profeſſe nunc confitearis, & nuper præter denegatam πνευματώσιν ſpecificam illam, & indicibilem humorum corruptionem requiri conceſſeris. Ergone ſpecificis, & appropriatis nihil occulti ineſſe putas. At credideram egu hactenus, quod, quæ ſic appellantur, propter peculiarem quandam, & aliis non communem proprietatem, id nomen oreeantur.

Vt alia taceam, certè, quæ hydrophobiæ, lui Venereæ, &c. conueniunt, præter qualitates manifeſtas longè aliae hiſce affectibus contrarias, ſenſibuſque, vt illæ, minus patentes, poſſident. Ergone etiam ſal ille volatilis amariuſculus nulla qualitate occulta ſtipatus eſt? Inuenias enim proculdubio alia ſale non minùs gaudentia, aduerſus Scorbutum tamén inefficacia. Scire igitur ex te velim, quæ cauſa ſit, quod comperta hucuſque antiſcorbutica præ aliis huic vſui ſiot idonea? Quin ſcire inſuper velim; cur ſal ille amariuſculus hoc præſtet? Dantur enim alia ſale volatili, ſed dulci, prædita: quæ an huic affectui conueniant? non certum eſt.

Contagium occultam qualitatem neceſſariò non arguere facilè admitto: cùm ad probandum contrarium eo nunquam vſus ſim.

Poſſet tamen fortaſſis quiſpiam & de contagio dubium mouere, annon eius natura nobis adhuc ſit occulta? Vt enim alia prætercam, ij ipſi profectò morbi, vulgo pro merè manifeſtis habiti, quatenus contagioſi, occulti aliquid participare videntur. Explices enim reuera tu mihi, & cauſam, in quâ animus meus veritatis auidus planè acquieſcat, ediſſeras, cur ſcabies, Opthalmia, &c. perinde vt peſtis, lues Venerea, rabies, canina &c. contagio propagentur? Et quid tandem tertium illud ſit, in quo inuicem concuidant? Quod ſi tacere non poteris, occulti

An contagij natura in Scorbuto nobis ſit occulta?

Scabies, Opthalmia, &c. cur contagio propagentur?

occulti quid subesse, vt fatearis, necesse erit. Ita nimirum vbique ignorantiæ luto commaculamur. Hinc igitur vides, peculiarem etiam illam & indicibilem corruptionem quæ in Scorbuto prævalet, necessariò talem aliquam qualitatem, quam exprimere decenter nequimus, indicare, neque πνευμάτωσιν denegatam sale esculenti solum satisfacere. Etsi verò Qualitas ista occulta, talis omninò non sit, qualis vel in venenis, vel purgantibus, aut cæteris morbis, pro tamæ morbis hactenus habitis: peculiaris tamen & ipsa est, adeóque nullo iure, quantum ego quidem intelligo, ex occultarum numero excludenda.

An excrementitium salsuginosum omnibus morbis tartareis sëper sit fixũ.

In omnibus morbis tartareis excrementitium illud salsuginosum non semper esse fixum, Arthritidis exemplo confirmae: vtpote in qua humor ille, qui dolorem excitat, sæpissimè volatilis fit. Sanè mea Arthritis, quæ nihil tophacei per Dei gratiam post se relinquit, tuæ causæ primo intuitu quodammodo patrocinari videtur.

At si rem penitiùs introspiciam, mea opinio non parùm inde stabilitur. Postquam enim pillulis illis meis Antipodagricis vsus sum, non rariùs solummodò sed clementius etiam, (pro qua felicitate Deo sit laus & gloria) ex arthritide hoc anno laboraui: quippe roboratis visceribus non saltem minus salis illius fixi arthritici colligitur, sed etiam id, quod forsan adhucdum redundat, cùm ex earundem vsu volatilisescit, ac per sudores matutinos quotidiè ferè euacuatur, tum in articulis illapsum à calore ipsorum (quem etiam illæ pillulæ vegetiorem reddunt) rarefit, & discutitur. Tametsi igitur & in me de sale fixo nonnihil coacervetur, adeoque Arthritis, si quando me inuadit, ab eodem inducatur, ob causas tamen iam recensitas euaporat. Idem esto de similibus iudicium.

Itali cur non æquè in Scorbutum ac Germani procliues?

Quod nostri Hypochondriaci, & Quartanarij facilè fiunt Scorbutici, Itali autem non item, propterea fieri existimo, quod 1. in alio aere viuunt 2. alio victu vtuntur 3. seminariorum scorbuticorum quicquam non facilè aliunde hauriunt.

Frigidus aër ad scorbuti generationẽ in quantum admittitur?

Frigidum aërem ad Scorbuti generationem facere eatenus admitto, si simul humidus sit, crassus, & nigrosus. Neque enim in reliquis, præterquam maritimis locis septentrionalibus æque Scorbutus primus innotuit, aut hodie etiamnum reperitur, nisi per contagium eò transferatur.

De productione Scorbuti.

An perpetuæ veritatis sit illud, quod scribis, Tute videris nimirum Scorbutum produci, non cùm humores aduruntur, sed cùm ob copiam salis esculenti & ciborum crassorum, nec chylus in ventriculo satis rarefit, nec sanguis qui in mesaraicis, Liene, & epate elaboratur, satis volatilisatur, & præcipuè sal in eo non volatilis redditur: Eccur enim post Febres emergit Scorbutus? aut per Febres non corrigitur Scorbutus? aut qui eodem victu vtuntur, omnes tamen simul non fiunt Scorbutici? quod quidem nouum argumentum peculiaris alicuius & indicibilis corruptionis suppeditare videtur. Adhæc salis fixi è rebus eductioni præsupponendam quandam adustionem, siue, vt Chymico dicam termino, calcinationem, tibi minimè ignotum est. Quidni igitur & in Scorbuto simile quid quandoque contingat? *Salem esculentum* in aliis morbis tartareis sufficienter volatilem reddi, tartareum verò, quod est in vino, vtpote coctioni ineptum, non separari, sed relinqui; an dubio careat? diligenter dispicias.

De Sale esculento & tartareo in vino.

Et dicas mihi, an apud Scabiosos, nephriticos, hypochondriacos, sal esculentus decenter volatilisescat? tartareum verò quòd in vino duntaxat est, superstes maneat? Quasi verò non omnibus esculentis suum insit tartarum, & suus sal fixus.

Problema de sale in scorbuto putredinem inualescere sinente.

Responsione mea ad Problema; quî fiat, quod Sal in Scorbuto putredinem inualescere sinat, cùm tamen esculentus sal à putredine præseruet? non plenè tibi satisfieri facilè credo; Quin & facilè concedo; aliud esse corrodi fibras sanguinis, aliud eundem putrescere. Neque enim hæc pro eodem habui.

Sed corrosionem istam sanguinem & humores, ipsasque adeò partes ad facilius suscipiendam putredinem quasi præparari indicare volui. Quod an à verò penitùs sit alienum, ipse cogites. Fœtor ergo in gingiuis, non aliunde, quàm à putredine proximè proficiscitur. Erosionem tamen quæ ab humorum affluentium acrimonia oritur, ibidem concurrere, res videtur esse planissima.

Tua, quæ est; quod πνευμάτωσις non saltem esculento sali, verùm etiam aliis cibi partibus denegetur, atque hinc fiat, vt circa primas vias subsistentes postea corrumpantur & putrefcant; an difficultatem melius tollat, paulisper ipse tecum perpendas.

Non enim neruum Quæstionis tetigisse videris: siquidem causa reddenda erat, cur sal fixus in Scorbuticis, tàm in primis viis, quàm reliquis vasis iuxta tuum dogma abundans, putredinem tantoperè inualescere permittat. Et quis mihi persuadeat? quod alias in δυσπεψίᾳ Ventriculi iustam alimenta adipiscantur πνευμάτωσιν. Inde tamen vel putredinem protinus consequi, vel malum scorbuticum oboriri nemo animaduertit: Vides igitur vel hinc etiam, quod præter πνευμάτωσιν denegatam, requiratur longè alia siue alimentorum, siue humorum in corpore humano corruptio, si scorbutus suscitari debeat. Adde quod eandem specificam corruptionem mira & polydædala symptomatum varietas ad oculum quasi demonstrare videatur.

De sede Scorbuti primaria.

In definienda Scorbuti sede primaria, quod ego nuper constituebam ventriculum & reliqua officinæ facultatis naturalis membra, hæsitas, an mecum eandem profiteri debeas? Causam dubitandi hanc affers. An non enim, inquis, per sudores vel concubitum etiam in eodem lecto cum quis contrahere possit? Quod si fit: Quid tum primò inficiatur? quæris. Proculdubio sanguinem in vena caua primùm deprauari opinaris. Sanè per dicta contagionis media Scorbutum propagari posse, non negarim. Illud tamen fortassis citra absurditatis alicuius notam iterum dixerim, quod seminarium Scorbuticum vi sua peculiari antipathetica ventriculum primò, mox reliqua officinæ facultatis naturalis membra adoriatur, perinde ac venenum pestilens primariò cor, canis rabidi cerebrum, Luis Venereæ, Epar, Leporis marini pulmones, cantharidum Vesicam &c. inuadit, afficit, & occupat. Vides verò hîc aliud specificæ, & indicibilis, quàm nominaui, humorum corruptionis indicium?

Cur omnia ferè medicamenta cum lacte præparentur?

Quod Auctores omnia ferè medicamenta cum lacte præparare iubent, & in vomitu lac plus, quàm alia medicamenta prodesse sentit Eugalenus; cùm tamen lac aliàs in corporibus cacochymicis parùm prosit, sed facilè corrumpatur: causam hanc esse suspicor, quod per id nimia humorum acrimonia perbellè mulceatur, & abstersio eorundem promoueatur.

Quo duplici nomine quantoperè Scabiosis conducat serum lactis, etiam me non monente nosti. Accedit, quod in eo continetur nitrositas, quâ salem illum fixum volatilisari, atque hac de causa ipsum quoque Nitrum, ac salem Armoniacum in vsum vocari posse, quis dicere valeat.

Quod autem apud Scorbuticos Lac minus, quàm alios Cacochymicos, corrumpitur, salis fixi copiæ adscribendum fortè puto.

Lac cur minus apud Scorbuticos quàm alios Cacochymicos corrumpatur?

Impedit enim eiusdem coagulationem saccharum quoque, quod à Chymicis inter salia etiam commemoratur: Interim serum ipsi lacti prætulerim, ob caseosæ substantiæ absentiam. Sudorifera à plerisque etiam commendantur: Nescio tamen an satis rectè. Cùm enim Scorbutici ob spirituum paucitatem de perpetuis languoribus & virium deiectione conquerantur, vereor, ne illis per sudorifera ampliùs dissipatis languores magis itidem intendantur.

Disputatio gradualis D. F. M. dogmata mira continet.

D. F. M. *Disputationem gradualem*, quemadmodum ipsam nominat, nuper ex domo *Magnifici Dn. Christophori Poley* adeptus sum. Mira continet dogmata, & mirimum, qua voce vtitur *Menanim*, stylum. Non irridetur saltem à multis propterea, sed etiam vituperatur, cùm sermo animi index vulgò censeatur.

Ipse si quod exemplar mihi obtulerit, vt id per me accipias, (nisi forsan aliundè aliquod iam nactus es) atque ita transmarinæ ipsius sapientiæ per tot annos, tam longinquas peregrinationes, tantosque sumptus comparatæ, particeps euadas, faxo.

B. V. & præsentem nouum annum feliciter ingredere. Dab. Breslæ d. 3. Ianuarij Anno 1624.

EPISTOLA LXVII.

PERIOCHE.

1. *De occulta qualitate in Scorbuto.* 2. *Tartari nomen ambiguum, eiusque effectus varius.* 3. *An vitium coctionis humorisque specifica corruptio vocabulo generali μολύνσεως magis quàm denegatæ πνευματώσεως explicetur?* 4. *An in Scorbuticis Lien & hepar plus quàm ventriculus afficiantur?* 5. *Scorbutici spirituum paucitate laborant.*

Digitized by Google

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SAlutem, Annumque nouum felicem. Re in omnem partem pensitatâ, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*; ita tandem mecum statui. Quia tempus, quod posthac materiæ de Scorbuto elaborandæ tribuam, mihi defuturum existimo, hactenus verò qualemcunque etiam diligentiam in materia hac elaboranda adhibui, de specifica verò corruptionis huius natura (quæ omnium venenorum est ratio) cognoscenda planè despero: paulò post cum Deo bono, ad huius tractatus editionem me accingam.

Si quid ex nostris Collationibus in tractatum hunc conferri poterit, illud non omittam. Et si quid porrò monere potes, non omittas.

De occulta qualitate in Scorbuto.

Optarim verò vt aliquid habeam, quod solidè ad illud argumentum, contra occultam qualitatem in scorbuto reponere possim. An ea quæ tu ad eius solutionem affers, satisfaciant, dubito. Equidem quod dentur medicamenta, occulta qualitate agentia, nunquam negaui, sed operosè defendi: verum de hoc quæstio est, *an nasturtium, cochlearia, raphanus rusticanus, sinapi* &c. sint talia, & an alia in iis sit vis, quæ non pendeat à sale volatili. Quod tibi probandum: vt & hoc, quod dentur medicamenta alia, tali sale non minùs gaudentia; ad scorbutum tamen inefficacia.

Tartari nomẽ ambiguum.

Tartari nomen apud Chymicos esse vulgò ambiguum, ipse nosti: ideoque hic pro vocabulo non valdè pugno. Hoc certum est, multos morbos à Tartaro deduci, qui secundùm causam etiam specie differunt. Ideoque *Tartarum* longè aliter se habet in Saxonibus, & Scorbuticis, quàm in Italis, ob aërem, & victum, quod facilè concedo: Et omninò aër frigidus, humidus &, crassus, vliginosos πνευματώδεις multùm aduersari videtur. Quin tamen febres, si in corpus tali materia repletum inciderint, eam adurere, corrumpere, & scorbuticam corruptionem inducere possint, non dubito: Neque enim materia hæc quatenus simpliciter cruda, Scorbuti causa videtur, sed quatenus diu in primis viis hærens corrumpitur.

Effectus varius.

Hoc etiam facilè concedo, neque coctionis illud vitium, neque humoris specificam corruptionem satis explicari posse.

De vocabulo μελάνσεως & πνευματώσεως.

R. *Dodonæus*, & ex eo *Horstius* vtuntur vocabulo illo generali μελάνσεως, quod an plus explicet, quam mea denegata πνευμάτωσις, dubito. Si quod aliud vocabulum habes, quo natura huius humoris corrupti exprimi possit, illud explices.

In Scorbuticis Lien & hepar maximè afficiantur.

Vt venena omnia, etsi totum corpus lædendi vim habeant, principaliter tamen alicui membro aduersantur: ita etiam prauum illum scorbuticum humorem membris inprimis nutritionis aduersari concedo, & hactenus in lectionibus meis ipse defendi. Malo tamen statuere affici hîc hepar, & lienem, quàm ventriculum: Cùm Scorbutici sæpe de ventriculo parùm conquerantur: in omnibus verò αἱμάτωσις vitiata sit. Imò & hoc asserui, in omnibus reliquis corporis partibus carnosis nutritionem vitiari, & facultatem eam lædi.

Scorbutici spirituum paucitate laborant.

De *Lactis* vsu in Scorbuto planè tecum consentio. Sudorifera quod attinet, verum quidem est, spirituum paucitate laborare Scorbuticos: iidem tamen etiam à prauis vaporibus opprimuntur; quibus discussis melius habent. Collega meus D. N. tota hac hyeme Scorbuto decumbit. Idem nisi continuè fere sudet, de summa angustia pectoris, & imminente lipothymia conqueritur; & dum sudat, melius habet. Si quid amplius de Scorbuto meditatus es, potes id mecum communicare.

Scripsi quidem nuper ad *Medicum aulicum Studtgardensem*, vt M. disputationem, si haberet, ad me mitteret. Sed quia nihil responsi ab ipso hactenus accepi, & tibi eius copiam esse intelligo, oro, vel legendam eam mittas. Statim eam restituam.

Rectè! Sermo & vestes animi Iudices sunt. Et quid ex eo in vitam humanam commodi redundabit, si hoc modo res suas comparabit? Somniaui hisce diebus, me ab eo litteras accipere cum tractatu *Martini contra principia Chymica*, quem totum in margine notis oppleuerat. Plura iam ob alia negotia non licet. Hæc boni consule, & cum tua B. V. Vittebergæ 21. Ian. Anno 1624.

EPISTOLA LXVIII.

PERIOCHE.

1. *Argumentum Sennerti de occulta qualitate in scorbuto à Doringio oppugnatur.* 2. *Sali volatili amariusculo occulti aliquid inesse probatur.* 3. *Aromata copiosum salem volatilem habent.* 4. Αἱμάτωσις *in omnibus Scorbuticis an primariò lædatur?* 5. *Signum pathognomonicum Scorbuti.* 6. *Historia Esaiæ Tanneri Scorbutici.* 7. *Decoctum pro Scorbuticis eiúsque effectus.* 8. *An hepar & Lien in Scorbuto vniuersaliter afficiantur?* 9. *Muntzeri de Disputatione inaugulari D. M. iudicium.* 10. *Auctor de eedem.* 11. *Sennertus propter librum de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis penes D. F. M. pro seductare iuuentutis habetur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SQuandoquidem, *Clarissime, Dn. Affinis & Compater honorande*, ita stat sententia, *Tractatum de Scorbuto* quamprimùm edendi; nolo meis dissuasionibus conatum istum amplius retardare. Quin opto, vt is bono publico lucem aspiciat.

Argumenti Sennerti de occulta qualitate in Scorbuto, impugnatur.

Argumentum autem illud contra occultam qualitatem in Scorbuto nuper à te productum, quod tanti æstimas, admodum miror: si enim in Scorbuto adest peculiaris & specifica humorum corruptio, qualis in aliis morbis non reperitur, neque sufficit denegata πνευμάτωσις, iure illius Regulæ Therapeuticæ, quod contraria contrariis curentur, præter rationem non colligo, quod remedia antiscorbutica, quatenus talia, occultâ quadam, & à sale volatili, quatenus is itidem talis, distinctâ virtute operentur. Atqui specificam illam humorum corruptionẽ in Scorbuto necessariò dari, neque sufficere solam denegatam πνευμάτωσιν, pluribus argumentis à me hactenus confirmatum est. Sequitur ergo, quod remedia Antiscorbutica, quatenus talia, occulta quadam, & à sale volatili, quatenus is simpliciter talis, distincta virtute operentur. Viden' igitur meæ probationis vim? viden' etiam tui argumenti inuersionem, ac Minoris in eo falsitatem. Denuò itaque dico, me admodùm mirari, quod argumenti illius imbecillitatem non aduertas, atque agnoscas. Probanda enim tibi affirmanti operosè erit Minor, si pro robore haberi debebit: Mihi interea, vsque dum id feceris, ficulneum videtur.

Sali volatili amariusculo occulti aliquid inesse probatur.

Vt sali volatili amariusculo occulti quid insuper inesse docerem; hanc rationem subieci: quod alia tali sale non minùs gaudentia, ad Scorbutum tamen inefficacia. Rei igitur istiusmodi probationem à me requiris. Dabo: tametsi ferè dubitanter solummodò hæc perscripserim. In vrinâ, sanguinibus, cornu cerui, succino, benzoino, &c. continetur sal volatilis. Quis verò ista, vel eorum salem, aduersus Scorbutum hactenus commendauit vnquam, vel hodie eorundem vires periclitari facilè ausit? cùm cetera suppetant, quæ à plurimis per fidam experientiam millies fuerunt comprobata.

Aromata copiosum salem volatilem habent.

Aromata copiosum habere salem volatilem, non summa duntaxat ipsorum acrimonia, primo statim contactu linguam mordicans, sed & huiusce, temporis progressu, euanescentia satis superque ostendit; cùm interim Aromatum corpus salis fixi nihilo pauperius reddatur. Quis verò nescit frequentiorem, ac nimium horum vsum hypochondriacis esse noxium, siquidem humores inde aduruntur? Quin ipsa Scorbuticis eodem nomine sint nocitura, rem paulo attentius perpendenti, vero forsassis non videbitur vsque adeò contrarium. Interim igitur ex te scire velim causam; cùm secundùm modo dicta sal volatilis, quâ talis, difficultatem omnem non tollat: quare comperta hucusque antiscorbutica præ aliis huic vsui sint idonea? Quam si dare non poteris, ad occultam sine dubio qualitatem vltrò mecum confugies: vt pote, quam, si quid aliud; præmissum certè meum, & ex tui inuersione extructum argumentum, abundè insinuare videtur. Tuum verò illorum per omnia simile est; qui ex eo, quod remedia pestilentiæ aduersantia

aduersantia putredinem restinguant; ipsius quoque pestilentiæ indolem in putredine consistere sibi persuadent; ac proptereà in nescio quos putredinis labyrinthos delabuntur. Idem tibi cum tua παθογνωμονικῶν denegata accidit. Nam etsi deprehendas, coctionis in Scorbuto vitium, & specificam humorum corruptionem satis explicare non posse; manis tamen in tua denegata παθογνωμονικῶν subsistere. An verò satis rectè? Tute videris. Etsi igitur coctionis illud vitium, & specifica humoris corruptio, quid reuera sit, vno simplici termino sufficienter exprimi nequeat? præter παθογνωμονικὸν tamen denegatam, aliquid perniciosius, & abstrusius concurrere, è disputatis hucvsque inter nos non obscurè, vt opinor, liquet.

An αἱμάτωσις in omnibus Scorbuticis an primariò lædatur? Signum pathognomonicum Scorbuti.

De sede primariâ Scorbuti nobis inuicem nondum conuenit: Nam etsi & ego facilè concedam, lædi in omnibus Scorbuticis αἱμάτωσιν; non concessero tamen æquè facilè, lædi eam primariò, sed ventriculi saltem interuentu; siquidem aliàs pathognomonici illius signi Scorbutici, quod est singularis illa circa præcordia sub diaphragmate ad ventriculi regionem, angustia, ratio condigna nulla asserri potest. Nec memini inter tot mihi hactenus oblatos, & curatos Scorbuticos vel vnicum repertum, qui de ventriculi integritate gloriari poterit.

Historia Esaiæ Tanneri Scorbutici.

Submisit se ab octiduo curæ meæ *Dn. Esaias Tannerus*, meus VVittebergæ olim coætaneus, vir annos aliquot suprà 40. natus, naturâ melancholicus, splenericus, & à multis annis hypochondriacus. Is cùm procul-dubio à multo tempore semina scorbutica in sinu occultè souisset, ante duos propè menses notabili virium languore, lassitudine membrorum spontaneâ, appetitus deiectione, corporis extenuatione, somni paucitate, pedum ad talos vsque tumore, ventris, præcipuè hypochondriorum lancinationibus, gingiuarum prur.tu & sanguinolentiæ, &c. cum primis verò decantata, & peculiari illa præcordiorum angustia, correptus est; accessit tussis molestissima. Vocatus è prædictis de Scorbuto indubitatè conclusi; tametsi nec vrina, quæ subcrassa saltem erat, turbida & leuiter tincta cum crasso sedimento; morbo per omnia responderet; nec non nisi leuissima macularum indicia in ipsis quasi cutis poris tum temporis quidem apparerent, nullæ verò maculæ veræ vnquam visæ prius fuisse constanter dicerentur.

Decoctum pro Scorbuticis eiusque effectum.

Præscripsi *species decocti aperitiu. mai. cum herb. ceterah veri, & cuscuta, radicibus rhapontici veri, & sem. carthami*, coquendas è vino Rhenano. Quo decocto cùm per triduum vsus absque ab eo aluus quotidie bis ordinatè mota fuisset, ecce maculæ in cruribus satis latæ, & claræ ac purpureæ eruperunt: quæ me lo concepta, de morbi ipsius essentia, opinione egregiè confirmauerunt. Ordino itaque aquam meam antiscorbuticam. Quam cùm per biduum quater bibisset, atque iterum ad prioris decocti vsum redijsset, maculæ in cruribus hinc inde ac suprà genua etiam, quin & in pectore numerosiores apparuerunt.

Dolores quoque nocturnos in genu dextro passus est. Hæc istius Scorbutici est historia; eum in finem à me adducta, vt veritatem superioris pronunciati comprobarem, nempe inter tot mihi hactenus oblatos, & curatos Scorbuticos, nec vnicum repertum esse, qui de ventriculi integritate glorietur.

An hepar & lien in Scorbuto vniuersaliter afficiantur?

Hepar, & *lienem* in Scorbuto affici vniuersale etiam non est; cùm, vt ex tuo sensu *Brenggerus Respondens in Disputatione de Scorbuto thesi* 3. scripsit, Anatomica cadaueris Scorbuto extincti inspectio, lienem, hunc in finem studiosè inuestigatum, sanum, integrum, & nullâ vel obstructione, vel aliâ dispositione praua corruptum ostenderit. Simile quid refert *Forestus lib. 20. Obseru. 11.* dum in *Assendelphio, Hollandiæ Præside* hepar maximè affectum fuisse docet.

In reliquis corporis partibus, non carnosis duntaxat (quod tu affirmas) sed omnibus in vniuersum nutritionem tandem vitiari, facilè quidem largior: Facultatem tamen earundem primitus lædi non concedo; cùm error externus princeps viciatæ nutritionis causa existat, quatenus nimirum prauum nutrimentum ad partes defertur.

Muncers de disputatione inaugurali D. M. iudicium.

Mitto hîc *Disputationem D. M.* quam retinere poteris. Aliud enim adhuc exemplar ex Auctoris dono possideo. *D. Paulus Muncerus* nuper tale iudicium super eâ scriptum ad me misit.

> *Calumnias, nugas, vanas ineptias,*
> *Sophisticatiunculasque rusticas:*
> *Iactatiunculas risu antiquarias*
> *Latinitatis monstra; hæc si paginis*
> *Expunxeris, benè rasam habebis tabulam*
> *In quâ nihil scriptum, scribi quid vis potest.*

Simile ipsemet M. per iocum de eâ tulit, quando non tantùm coram *Horstio* Nugarum elogio ipsam mactauit; verùm etiam nuperrimè nihil serij in eâ contineri, ideóque ridendam potius, quàm legendam esse apud me semel atque iterum dixit. Profectò & in ipso verificari video vulgatum illud,

—— minuit præsentia famam:

Auctor de eodem.

quicquid etiam ad Amicum quendam de seipso satis thrasonicè professus sit; sui similem non habere totam Europam, scilicet in nugando, & cauillando. Bonus vir malè, meo iudicio, transegit tot annos, peius suscepit tam molestas peregrinationes; pessimè tandem collocauit tam magnos sumptus è praxi medica (quam is tamen detractat, & aspernatur) vix vnquam recuperabiles. Si quæ in nupera inter nos conuersatione habita occurrerunt, omnia scribenda essent, vix ea aliquot quaterniones caperent. Summam omnium Muncerianum luculenter exhibet *de Disputatione graduali* iudicium. Solus nempè sapit, & veri Medici nomen sustinere potest: cæteri fungi sunt. Tu propter *librum de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis* apud ipsum audis seductor Iuuentutis. *D. M. pro Martinus* egregiè contra te suam causam (ipso videlicet Iudice) tutatus est. Theologis nihilo æquior est; vt non solùm ipse coram nuper meis hisce auribus percepi, verùm etiam à *Dn. M. M. H.* hodiè intellexi.

Sennertus penes D. M. pro seductore iuuentutis habetur.

Innotuerunt iam ipsius fatuitates passim; vt proinde minùs, quàm circa primum aduentum, fuimus admiratoribus existat admirabilis. Placeat sibi per me licet, olidâ suâ, & affectatâ Latinitate; exosculetur etiam suas istas vel antiquatas, vel recens comportatas & introductas dogmatum mirorum, absurdorum, & cum seipsis non semel pugnantium fasciculas. Paucos procul dubio adstipulatores merebitur. Et tantum est, quod pro tempore ad tuas reponere visum fuit. Bene vale, & à nobis salue. Dab. Breslæ, die 15. Februarij, Anno 1624.

EPISTOLA LXIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur facultatem medicamentorum antiscorbuticorum Doringij hactenus impugnauerit?* 2. *An omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur?* 3. *Auctor de sede primaria Scorbuti Doringio assentiri nondum potest.* 4. *An ab elementis vis emolliendi & indurandi proueniat?* 5. *Auctoris de D. F. M. censura.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Auctor cur facultatem medicamentorum antiscorbuticorum Doringij hactenus impugnauerit?

SNon vt tibi contradicerem, *Cl. Dn. Affinis, & Compater plurimum honorande*, istam de facultate medicamentorum antiscorbuticorum controuersiam hactenus agitaui, sed potius, vt intelligerem, quâ ratione meam sententiam solidè confirmare possem. Inesse enim *Scorbuto* aliquid occultum, vt & medicamentis antiscorbuticis, ipse hactenus, & publicè defendi, & eandem sententiam tractatui meo inserui. Cum verò argumentum hoc mihi obijceretur, iisdem quidem solutionibus hactenus vsus sum: sed an satisfaciant etiamnum dubito. Sit enim sanè non omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur, & amarusculus saltem id faciat: tamen illa saltem salis volatilis quædam species est, aut potius differentia, neque dum probatum, quod præter hanc manifestam occulta adhuc aliqua qualitas adsit.

An omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur?

Quæ res ipsa, procul dubio, mouit *VVierum in libello Germanico*, vt scriberet, etsi videatur occulta qualitas adesse, tamen illam acrimoniam, vimque attenuandi & abstergendi sufficere. Longè alia ratio est in medicamentis contra pestem, cui medicamenta, quæ qualitates manifestas diuersissimas obtinent, aduersantur, & procul dubio vi occultâ id quod agunt, præstant. Antiscorbutica omnia, sale illo volatili amarusculo abundant. Hoc quidem fateor, specificam suam naturam tales obtinere: Hinc tamen non sequitur, quod aliqua occulta qualitas, qualis quidem in morbis totius substantiæ appellatis, & eorum medicamentis requiritur, iis insit. Verùm, vtut sit, retinebo illam sententiam, inesse aliquid occulti Scorbuto. De *sede primariâ Scorbuti* nondum tibi planè assentiri possum. Sit sanè in plerisque ventriculum affici; per consensum id fieri potest. Habeo tamen nunc sub manibus Scorbuticum, qui satis benè comedit: & angustia illa circa præcordia, non fit ventriculo tantùm affecto, sed diaphragmate, imò, vt existimo, etiam corde & pulmonibus, à vaporibus illis molestatis. Neque ego lienem & hepar primariò semper affici statui, sed materiam Scorbuticam generari, & cumulari in primis viis existimo. An tamen obseruationes illæ satis euincant, lienem saluum fuisse, dubitare quis posset: neque enim impressiones illæ ab occultis qualitatibus factæ, & malignæ διαθέσεις oculis in cadaueribus obuiæ sunt. Nec illud satis planum, an in partibus externis saltem ob prauum nutrimentum nutritio lædatur; an verò etiam ipsis partibus similaribus mala dispositio imprimatur.

Auctor de sede primaria Scorbuti Doringio nondum assentiri potest.

M. suo sensu abundare permitto. Evolui obiter eius disputationem: nam vt cerebrum mihi rumpam, in bariolando eius sensu, operæ pretium esse non duco.

Forsan, si verbis planis, quod candorem decet, suas sententias proposuisset, paucos, credo in admirationem traherent. Quid enim nisi volgata, & omnibus nota dogmata, imo à candidis ingeniis explosa, sub ineptissimorum verborum involucris pro transmarinâ sapientiâ iactitat? Vnum saltem adduco ex *pag.* 125. vbi ex professo contra *Occultarios* pugnat.

An ab elementis vis emolliendi & indurandi proveniat?

Dicit ab elementis provenire vim emolliendi, & indurandi, secondando; lac generandi, tertiando; venenæ pellendi, purgandive, quartando. Meræ principij petitiones, cùm nondum monstraverit, in vllâ elementorum potentiâ has vires inesse. Quidni etiam dixero, ab elementis quintando provenire rationalitatem, & sextando, nescio quid.

Censura Aucloris de D. F. M.

Verùm obstinatum hoc ingenium nunquam, vt auguror, ad meliorem mentem reducetur. 'Aγρυσίαν hanc διανοίας ipsum cum lacte materno suxisse, imò à matre traxisse existimo. Ideóque, quod *pag.* 40. multis bonis viris mecum precator, idem illi opto. Sed quis tandem istarum peregrinationum, tot sumtuum profusorum ipsi propositos finis fuit? Quæ in genus humanum ex ingenio tuo heteroclito, ex tenebrione ac Scotista tali redundabit vtilitas? Iudicet & sentiat ille de me, quicquid libet; mihi integrum sit de eo rursum sentire, quod libet. Inserui breviter meo tractatui, tuas de *Scorbuto Observationes*. & *symptomata* illa, quæ apud alios non occurrunt, & *duplicem aquam antiscorbuticam*. Si quid præterea voles, me moneas. Vel etiam Epistolam, aut quidquid libet, adhuc addere integrum tibi foret. Interim cum tua bene vale, VVittebergæ, Cal. Martij, Anno 1624.

EPISTOLA LXX.

PERIOCHE.

1. *Horstius ad primarij Medici locum vacantem Vlmam vocatus quale stipendium susceperit?* 2. *De statu Academia Giessensis.* 3. *De publico Gymnasio ciuitatis Vlmensis.* 4. *Auctor quos scripsit Tractatus recenset, eósque suo tempore in publicum se missurum pollicetur.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Cùm fortè fortuna quidam ex Pharmacopæi cuiusdam nostri ministris natione Glogouiensis me certiorem faceret, *Vir Clarissime, & Excellentissime, Fautor, & Amice colende*, quod Vratislauiam literas ad suos transmitteret, intermittere non potui, quin hisce te salutarem, atque certiorem facerem, me clementissimâ dimissione præeunte, hoc vocatum ad primarij Medici inter sex Ordinarios, locum vacantem, quem Deo clementer annuente vix ante tres menses feliciter cum familia mea tandem *Vlmam* perveniens, honesto stipendio suscepi, nimirùm eâ conditione, vt præter liberam praxin & habitationem gratuitam annuo salario 400. fl. cum sufficienti frumentorum & lignorum copiâ, fruerer; pro quâ conditione Deo gratias ago, præsertim his temporibus, vbi *Giessa*, quod scribit ad me Professor quidam, Academia semimortua, mox extincta videtur. Studiosis absentibus, salariis deficientibus, lectionibus & disputationibus eam ob caussam penitùs intermissis. Difficultates tum in Giessensi, tum in aliis etiam Academiis, mouerunt Magistratum nostrum, vt Gymnasium publicum aperiret, tantùm in gratiam Beneficiatiorum, in quo publicè in Theologicis, Metaphysicis, Ethicis, Physicis, & Mathematicis exercitia habentur; cúmque quotidie etiam Studiosi Medicinæ adsint, admonitus à *D. Directore & Superintendente D. Dietorico*, breui disputationes aliquot Medicas habebo; quas vnà cum aliis datâ occasione tibi communicabo. *Observationum singularum tractatum* elaboraui vtilem qui suo tempore prælum videbit vnà cum *Fasciculo Epistolarum Medicinalium*. De grassante *Dysenteriâ* consilium Germanicum ad mandatum Magistratus edidi, sed per Postam mittere non potui. Quoad cætera cum meis Filiis duobus & cum Filia viuimus ego & Hedevvigis mea, Dei gratiâ, ex voto; breui quartam prolem expectantes, Hassolucuam scilicet. Tu quid agas, rescribe quæso; tuumque Horstium amare perge. Bene vale cum tota familiâ. Raptim Vlmæ 21. Septembr. Anno 1622.

Horstius ad primarij Medici locum vacantem Vlma vocatus. Eiusdem stipendium. Status Academia Giessensis.

Gymnasium publicum ciuitatis Vlmensis.

Aucloris Observationes singulares. Fascic. Epistolarum medicinalium

De dysenteria consilium.

EPISTOLA LXXI.

PERIOCHE.

1. *Auctor Horstio ad lautam vocationem evecto gratulatur.* 2. *In avaritiam Magnatum invehitur.* 3. *Quæ in publicum emisit scripta, dum Breslæ vixit, recenset.* 4. *Cur Contradini de Morbo Vngarico scriptum nondum in lucem prodierit?* 5. *Cur libri de Medicina & Medicis curam deposuerit?* 6. *De arthritide sua conqueritur, & adversus eam tanquam ordini Medico ignominiosissimam consilium Horstij deposcit.*

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Ecquid ex te audio? *Cl. Dn. Horsti, Fautor, & Amice honorande* Tune *Vlmam-Suevorum* cum familia transiisti, & functionem Medici inter sex Ordinarios primarij, DEO sic disponente, suscepisti? Cælum ego citius ruiturum, quàm *Giessâ* te discessurum credidissem. Captiuum te à Fridericianis, nescio quâ de causâ detentum *D. Georg. Linckius* præterita æstate nunciabat. Quod si ita habuit, de liberatione vtique quoque è tam miserabili, & ruinoso Academiæ Giessenæ statu ereptus, & ad tam lautam vocationem evectus es, sincerè tibi gratulor: Vtinam & noster Senatus laudabilem istam vestri munificentiam, tam erga Medicos suos physicos quàm scholarum Collegas & Beneficiarios, æmularetur! Ita enim & ego dudum vacantem ab obitu *D. Bucretij* physicatum, mihi vltrò oblatum, (quem Antecessores ipsimet ambire à multo tempore soliti sunt) suscepissem, & in stationibus suis commorarentur quidam Scholarum Collegæ, qui nunc discessum meditantur: adeo enim omnium rerum summa & inaudita nos exercet caritas, vt cum valoris monetarum execrando augmento pretium ipsarum quinduplo creuerit. Optamos nos quidem huic enormi ataxiæ præsens aliquod remedium, quando tamen eo potituri simus, nondum liquet.

Auctor Horstio ad lautam vocationem evecto gratulatur.

Avaritia ni Magnatum animos tam profundè occupasset, & effascinasset, forrassis in hunc miserandum, in quo nunc hæremus, statum, non devenissemus. Feramus interim æquo animo, quæ mutare non valemus.

In avaritiam Magnatum invehitur.

Scriptorum tuorum, si quæ mecum communicaueris, rem gratam feceris. Ego ex eo tempore, quo hic vixi, cum variis, iisque diuturnis, ac periculosis morbis detentus tum aliis occupationibus distractus, præter *Commentarios ad Mutoni Collectanea de Mithridatio*, *Acroama Medico-Philosophicum de Opio*, & *Diatriben de Opobalsamo*, nihil in publicum emittere potui; quæ te dudum vidisse puto. In quibus si tibi alicubi monendus videbor, vt liberè me moneas, oro. Namque & ipse cum *Sennerto* viuus meos errores corrigere, quàm posteris exagitandos relinquere malo. *Conradinis de Morbo Vngarico scriptum* diu iam reuidi. Prodiisset in lucem, nisi commentarij ad *Pollinis* de eodem argumento *tractatum* adiiciendi, nondùmque absoluti, editionem remorati fuissent.

Quæ in publicum emisit scripta, dum Breslæ vixit, recenset.

Conradinus de Morbo Vngarico.

Absoluissem ipsas dudum, nisi & praxis medica copiosior, & diuersa per Epistolas cum *Sennerto* colloquendi argumenta, me impediuissent. Epistolarum Medicarum numerosum habeo apparatum, è quo illas, quæ instituto quadrabunt, Collectaneis ad *Tabulas Medicas de Morbo Vngarico*, è *Conradini libello Germanico*, sed nescio, à quo Auctore exceptas, suis in locis inseram: In collectaneis autem illis Medicorum Vratislauiensium cùm præsentium, tum defunctorum, remedia maximè illustria proponam, *Helidæi euporista*, *eiusdem Tractatus de peste*, *febribus*, & *dosi purgantium* cum quibusdam consiliis suo tempore, si Deus vitam & valetudinem largitus fuerit, edentur.

Tertius meus *de Medicinâ & Medicis* liber residuus, in quo de vtilitate & necessitate Medicinæ tractabitur, semi affectus iacet. Curam de eo omnem nunc deposui; dubito quin etiam, an vnquam à me absoluendus sit; cùm meam operam in expolienda, cuius paulò ante mentem ingessimus est methodum, Practica requirat *Sennertus*. Proximè initium

Auctor cur libri de Medicina & Medicis curam deposuerit?

istarum

Digitized by Google

istarum Lectionum descriptum sese ad me missurum his ipsis diebus pollicitus est. Rectè te, atque ex voto cum coniuge & liberis valere gaudeo: Nos etiam isto temporis articulo, quo hæc scribo, satis commodè habemus. Deus porrò nobis gratiâ suâ adsit. A quadriennio arthritis me aliquoties afflixit, vt ab annuo spatio equos dumi maximo sumptu alere coactus sim, atque impostetum alere cogat. Præscripsi ante aliquot menses mihimet ipsi consilium, super eo Sennerti iudicium expetiui Quod cùm is approbaret, feci nuper curæ prophylacticæ initium, quam vt Deus fortunatam esse iubeat, precor! Tu si me aduersus molestissimum pariter & nostro ordini ignominiosissimum affectum consilio iuuare potes, pro nostra necessitudine sedulò iunes. Describi curabo consilium meum, illudque tibi quoque censendum transmittam; si te non ingratam tibi me præstiturum esse intellexero.

De Arthritide conqueritur.

Thorus noster adhucdum sterilescit, pro quo beneficio, vt misero hoc tempore Deo gratias agam, causas sufficientes habeo. Miratus non semel sum, quod tanto temporis interuallo nihil à te litterarum viderim. Meas, quas Giessam, de quæstionibus nonnullis Anatomicis, occasione à litteris Monauianis desumptâ, ante pluscnlos annos ad te misi, num acceperis, scire velim. Bene cum tuis vale, & cum D. Dieterico, Superintendente vestro, Fautore & Amico meo inæstimabili, officiosissimè à nobis salue. Dabam Breslæ, die 19. Nouembr. Anno 1622.

tibi, mihique hac in parte inseruire queam. Simile quid aliquoties etiam annis præcedentibus sensi, sed sine commotione totiùs, singulis ferè tribus mensibus, sed ferè tantùm ad biduum, & triduum, quibus elapsis iterum ambulare, & negotiis meis præesse potui. Iam ab eo tempore, quo hîc viuo per tres anni quadrantes, Dei gratiâ nihil quicquam vlterius percepi, fortè victûs ratione mutatâ plurimùm huic malo resistente, qui penitus hîc à vinis generosis, vt & tartareis abstineo, solis vtens Neccarinis.

Vbi consilium tuum videro, lubens siquid monendum erit adiiciam. Ad litteras tuas, quas occasione Monauij, cùm quæstionibus quibusdam Anatomicis ad me dedisti, nisi fallor, tunc temporis respondi, cum transmissa Disputatione de motu animali ex principiis Mathematicis deducta, in quâ pleraque fundamentaliter à me, & fratre Iacobo ante Spigelium demonstrata fuerunt. Cl. Dn. Sennerti iudicium de eadem disputatione tunc temporis propter Sciolum quendam petij, vt etiam aliorum, quibus intentio fratris non displicuit. Nisi Mathematicâ professione fuisset frater impeditus, plura eius generis elaborasset. In Mathematica & Medica praxi potius, quàm Theoria occupatus est. Erexit anno superiore Landgrauio Philippo quadrantem cælestem, qui vltra 1000. Imperiales constat. Erit hic Princeps olim Ptolemæus alter. Transit hîc F. M. Doctoris titulo ornatus, præcedenti septimanâ, quem satis mirari non potui, quod ab omni conuersatione, tentatus à me in variis quæstionibus, vt aliquid exterarum Sapientiæ ad me etiam perueniret, nescio quâ de causâ abhorruerit: ita omnia quæsita ab eodem accepta fuerunt, vt etiam ex viris doctis vnus & alter, quos in ipsius gratiam conuocaueram, dubitare potuissent, an Studiorum gratiâ per tot annos peregrinatus fuerit. Imò suam disputationem etiam, fortè per multos annos excogitatam & elaboratam, in qua plaustra nouitatum inuenies, nugas vocabat, & abiens à me tanquam chartas abiectitias, in angulum aliquem reponebat. Sed fortè Silesia vestra breui mores hos mutabit.

De motu animali ex principiis Mathematicis.

Landgrauius Philippus alter Ptolemæus.

Auctor de D. F. M.

Feci interim, quod amici est, fidem pro eo interponendo, &c. Buleratium vestrum vitam cum morte commutasse per Epicedia quædam impressa nuper intellexi; putabam te successorem esse salutandum, sed video te potius liberum, quàm obligatum esse velle. Quod vocationem meam attinet. Deo gratias ago, qui totius Reipublicæ, & etiam exterorum vicinorum singularem fauorem quotidiè experior; Deo Opt. Max. conatus, & curationes meas benedicente. De Dominis Collegis etiam non habeo, quod conquerar, cum quibus omnibus amicè viuo, quorum secundus liberam etiam praxin habet, sed stipendium ferè minimum, D. Augustinus Tonnerus dicitur. Tertius D. Mendelius domui Gallicæ præest. Quartus D. Held, Hospitalis est ordinarius. Quintus D. Vviedeman, & sextus D. Stromajer tempore pestis ægrotantibus adesse coguntur. Præter hos ordinarios duo adhuc adsunt D. Villingerus, qui præcipuis ex primoribus mecum præest, & D. Keller senescens, qui vulgò etiam apud monasteria vicina frequenter praxin exercet, sed iam ferè emeritus.

Auctor sua vocatione contentus.

Collegarum nomina recenset.

Cæterùm cùm nuper à Magistratu mihi commissum, vt iudicium meum de curâ luis venereæ, prout hîc in Nosocomio exercetur, eiusdemque modum fortè conuenientiorem, (cùm tantùm cura ligni hîc in vsu) ne tot recidiuæ sint expectandæ, & sumptus duplicandi, aperire vellem, maximoperè à te etiam peto, vt per occasionem primam me certiorem facias, quâ ratione in Nosocomio vestro procedatis, nimirum an curâ ligni, per turbith minerale, vel per suffumigia, vel per inunctiones. Modos procedendi plures colligo, quò eo maiori cum fructu Reipublicæ inseruire possim: non enim sine magnis sumptibus etiam hac in parte Magistratus noster, omnibus egentibus succurrit, vtpote cùm nunquam non tales ægrotantes quamplures habeamus, quibus victu, & medicamentis sufficienter prospicitur. Nullus autem in Nosocomium Gallicum recipitur, nisi primùm lue infectus à Collegio nostro iudicetur. Nullus eximitur, nisi sanus esse deprehendatur. Quod autem vnâ curâ non absoluitur, hoc secundâ, vel tertiâ etiam tentatur. Sed abrumpo tandem, teque Deo Opt. Max. cum coniuge commendo, Raptim Vlmæ 26. Ianu. Anno 1623.

De cura luis Venereæ consilium Doringij exposcit.

EPISTOLA LXXII.

PERIOCHE.

1. *Magistratus Vlmensis laudabilis conatus.* 2. *De captiuitate Auctoris rumor falsus.* 3. *Auctor Doringio arthritico condolet, séque interdum tale quid pati dicit.* 4. *De motu animali ex principiis Mathematicis.* 5. *Landgrauius Philippus alter Ptolemæus.* 6. *Auctor de F. M. Doctore titulo ornato.* 7. *Idem sua vocatione contentus, Collegarum cum quibus omnibus amicè viuit, nomina recenset.* 8. *De lue Venerea an cura ligni, per turbith minerale, vel per suffumigia vel per inunctiones sit procedendum, consilium Doringij exposcit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Responsoriæ tuæ litteræ, *vir Clarissime, & Excellentissime, Amice plurimùm colende*; vix hodie vnà cum epistola *Cl. Sennerti* mihi redditæ sunt, quas animitùs exosculatus sum, postquam te saluum & incolumen esse demonstrarunt. Quoad iterum omnium caritatem nunquam hactenus auditam, quam vel sola malignantium Æruscatorum nequitia introduxit, apud nos etiam querelæ consuetæ; quibus quodammodò Magistratus noster in eo medetur, quod frumento, lignis, butyro, &c. vt ciuibus egentibus (vvelche nicht 1000. gülden versteuren) pretio omninò tolerabili prospiciatur. Modius frumenti purioris, quod *Speltam* vocant, venditur 8. Imperialibus, qui à Magistratu $\frac{5}{8}$ Imperialibus distribuitur; & sic in cæteris. Me quod attinet, Deo Opt. Max. gratias ago, qui cum meis sanitate corporis, & animi fruor, & domum tertio filio 5. Ian. auctam possideo. Facilè periculosis & difficilimis hisce temporibus contentus esse possum: Deus imposterum, vt hactenus, clementer nobis adsit.

Magistratus Vlmensis laudabilis conatus.

De captiuitate mea falsus omninò rumor est; quid enim mihi cum politicis negotiis, quæ mea non facio. Clementer ab *Illustrissimo* dimissus, cum Dei gratia, saluus cum tota familia huc vsque conductus fui. *Commentarium tuum in Monauium*, & ea, quæ de *Opio* & *Opobalsamo* edidisti, grata mihi fuerunt; lectu illa omnia iucunda, & vtilia. Reliqua vtinam breui quoque lucem viderent. Sed obstabunt multa fortè, inprimis Bibliopolarum denegata promptitudo, quæ facit, vt *Obseruationes meæ singulares* hactenus in spongia maneant; & mihi tantùm (paucis exceptis meis auditoribus, quibus per annos aliquot loco publicarum Lectionum communicatæ fuerunt) seruiant. Arthritico affectu per quadriennium te eousque afflictum fuisse aliquoties, vt cum equo potius, quàm pedibus ægros tuos visitare cogaris, intelligo. Vtinam

De captiuitate Auctoris rumor falsus.

Doringio arthritico condolet, séque interdum aliquid tale pati dicit.

EPISTOLA LXXIII.

PERIOCHE.

1. *Auctor felicitati Horstij loco exoptato & sub Magistratu benigno viuentis congratulatur.* 2. *De Angliæ monetariæ emendatione frustrà sperat.* 3. *De Henesio Comite Palatino eiúsque de peste tractatu.* 4. *Præcipitatum Crollianum cum oleo sulphuris pro lue Venerea infelix.*

Vbi ego superueni, & eum, quem anteà designaui, ægrotantis statum conspexi, consilium hoc prorsus repudiaui; ac symptomata recensita vltrò disparitura prædixi, modò paroxysmus finiretur: Omnia enim per consensum salrem oborta fuisse; quin nihil emolumenti è sectione subsecuturum: siquidem in corpore hoc bilioso, & tertianâ duplici (quæ pluribus hac æstate fuit familiaris) maior humorum ὀργασμὸς indè facilè concitari, humores non præmissâ vniuersali euacuatione versus superiora rapi, & quæ minuere animus esses, paruo negotio peiora reddi possens: ne quid de metu nimiæ alicuius hæmorrhagiæ attexerem, quæ istam venæsectionem multoties insecuta fuit: vtque adstantes, qui mihi maximoperè aduersabantur, in meam sententiam eò citius pertraherem, tali exemplo familiari vsus sum. Nempe si fumum nolint transire fumarium, non supernè duntaxat fumo viam patefaciendam, sed infernè potissimùm circà focum, vel ignem dispergendum, vel aquâ exstinguendum esse: parem igitur in modum hîc etiam symptomata prædicta prius non cessatura, quàm vel paroxysmus ipsemet finitus, vel calor febrilis per refrigerantia exstinctus, & feruidæ euaporationes depressæ fuerint. Tandem itaque nolentes, volentes (vt potè quorum nomine periculo, si tam obstinati esse pergerexissent, futurum euentum committebam) à venæsectione destiterunt. Respondit posteà successus meo prognostico, quem vsique ij soli venæsectioni, si ipsam admisissem, prolixè adscripsissent. Vides ergo, *mi Sennerte*, quàm sæpe nonnulli contra methodi leges impingant, cùm tamen vulgò tantùm non pro oraculis habeantur. Monendi herclè hac de re iuniores, ne & ipsi temerè similem errent. Quodnam sit *Guilielmi Fabricij de venarum sublingualium in Anginâ sectione* iudicium, in *Medicinâ castrensi tract. de Anginâ, cap.* 5. videre poteris.

Auctor venæsectionem sub lingua familiari vsus exemplo dissuadet.

Alter casus talis fuit. *Nobilis Dn. Nicolaus Ebenius Senator*, cum die 15. Augusti ad suos reuersus meum collegam vocaret. Is de malignitate non frustraneâ suspicione conceptâ propinat Bezoardicum, sequenti die erumpunt maculæ siue petechiæ. Vires admodùm laborans, caputque dolore tentatur. Collega consilium cum alio Medico sibi adiuncto init de venæsectione in nasi externo apice: quâ die 26. Augusti manè administratâ, cùm nihilò melius haberet, pro dicendo consilio quoque nostrûm alij die sequenti conuocamur. Culpatur quidam intempestiuam istam venæsectionem non immeritò, non ob alias solùm causas, sed vel maximè, quod non præmissâ venæ maioris sectione instituta fuerit. Sanè non sum nescius eorum, quæ *Gerhardus Columba in præfatione super libros de febre pestilentiali* scripsit, de felici sanguinis per narium venarum sectionem (*Columba l. 2. c. 22. cum Morelli Capra*, tum lusimet verbis de Hirudinum applicatione interpretatur) detractionis successu, institutæ, postquàm curæ superuenisset *Franciscus Bissus Siciliæ Archiater*, communi omnium consilio in illustri adolescente *Vincentio Rao* è febre malignâ cum comate, & delirio decumbente, atque ex vsu vesicatoriorum brachijs, spatulis, & tibijs applicatorum, nihilùm releuato: verisimile enim est, præmissam fuisse sub initium maioris venæsectionem; cùm, vti refert *Columba*, tametsi Medici priores omni officio morbum profligare conati sint, auxiliaque omnis generis sedulò apparauerint, morbus tamen incresceret, & coma, atque delirium indies vehementiùs infestaret. Quid? quod humorum ἀναῤῥοπῇ tam consopitâ humores in cerebri vasis detenti deriuatione, & particulari euacuatione eguerunt: Quibus scopis venarum narium ista apertione perappositè satis factum est: In Ebeniano autem casu nihil tale præstitum fuit; non itaque mirum est, si nihil sectio iuuerit. Hoc sensu intellectum laudo & probo illud, quod *Theodorus Collado aduersariorum tom. 2. lib. 1. c. 21.* ex innominati cuiusdam sententiâ affert, qui in febre pestilensi, si partes superiores, vt cerebrum, à praua & copiosa materia occupatæ sint, laudauit, vt ad intrà ad penitiores narium partes, applicarentur hirudines, quarum ratione ita exoneraretur cerebrum, totumque corpus ita alleuiaretur, vt plurimos morti proximos, & ferè soli prognostico derelinquendo, ex hoc vnico remedio saluatos esse viderit.

Alius casus priori haud dissimilis.

Intempestiua venæsectio nasi culpatur.

Gerhardus Columba de felici sanguinis per narium venarum sectionem detractionis successu quomodo intelligendus?

Applicatio hirudinum ad penitiores narium partes in febre pestilentiali probatur.

Hartmannus in disputatione quadam herbulæ cuiusdam vulgaris meminisse perhibetur, cuius pulueris insufflatu hæmorrhagia facilè excitari queat. Quod si ea sit *millefolium*; de hoc enim naribus imposito id pollicetur *Hollerius lib. 1. de morbis internis c. 1. marginali* 16. *De gramine aculeato* refert *Plinius l. 24. nat. histor. cap.* 19. & ex hoc *Matthiolus in comm. super l. 2. Dioscoridis, c.* 123. nec non *l. 4. c.* 28. aculeis ipsius conuolutis, naribus inseri, extrahique sanguinis ciendi gratiâ. Idem repetit *Schvvenckfeldius Stirpium Silesiæ, l. 1. pag.* 90. præter modò dicta *Platerus prax. tract.* 1. *c.* 14. *in fine* recensset *borraginem rubeam tinctorum, & aparinem*.

De puluere cuiusdam herbulæ, cuius insufflatu hæmorrhagia excitatur.

Opinionem tuam de facultate medicamentorum purgante quod attinet, optarim, vt eam disputatione peculiari, quam promiseris, vberiùs explicatam, quamprimùm cognoscere possim.

De facultate medicamentorum purgante.

Intereà, quod mihi consimilis humoris motionem, ac fermentationem secundâ iam vice proponis, nescio certè an à sectione (quam alij hactenus inculcauerunt) si rem penitius introspiciamus, diuersum quid in medium afferas. Nam dum spirituosæ medicamenti partes humorum massam aggrediuntur, & commotionem, siue, vt tibi loqui allubescit, fermentationem in eâ instituunt, humores purgandos à reliquis separare, atque adeò trahere non inutiliè dicuntur.

Rationes quibus vomitoriorum operationem circumscribis, vniuersales non sunt. Neque enim semper ea, quæ ventriculo, & naturæ valdè aduersa sunt, vomitum concitant: siquidem & ipsa vomitoria in δυσημέτοις parùm aut nihil quandoque proficiunt: Quin quæ alias vomitum minimè prouocare solent, ac citrà nauseam assumuntur, in εὐημέτοις, & quorum ventriculus multis vitiosis succis repletus est, per vomitum sæpè operari deprehendimus. Ἰδιοσυγκρασία hîc etiam plurimùm possunt: ita narrabat mihi ante annum *D. Matthias Erbinaeus*, seipsum ab assumto rhabarbaro iam enormes vomitûs incurrere, ac si helleborum, vel ♁ bibisset.

Rationes auctoris de vomitoriis non sunt vniuersales.

Memini te aliquando scripsisse, cùm de remediis anthydropicis per literas conferremus, Mercurium vitæ sic dictum hydropicis nullum mouere vomitum; id mihi tum temporis creditu videbatur difficile: idem tamen ante duos menses ipsemet obseruaui. Dabam præterea *puluer. rad. asari* ℈. ß. primùm, mox ℈. ij. ß. Vomitus subsequebatur nullus. Quam tamen huius rei dixeris esse causam? Ego aliam inuenire nequeo, quam salis copiam, quo medicamenti vis emetica quasi figatur. Docere hoc videtur Mercurij vitæ per salem communem correctio, quæ tibi haud potest esse ignota. Cumque in Mercurij vitæ mentionem inciderim, duo, quæ ex meo Collega audiui, secum omninò communicanda sunt. Prius est, Mercurium vitæ, non dulcem illum sublimatione productum, sed è butyro ♁ per præcipitationem efformatum, ad ℈. ij. vsque, à quatuor granis facto initio, & dosi pedetentim subinde auctâ, Gallicis porrectum tandem non purgare quicquam, sed sudorare. Credere hoc ego malo, quàm experiri. Posterius est, eundem Mercurium vitæ affusione, & abstractione aquæ benedictæ benigniorem, & minus vomitiuum reddi. Causa forsassis eadem, quæ in sulphuris per nitrum, & huius per illud, fixatione, vti & accensione spiritus vini super vitæ Mercurio: sed hæc obiter. Equidem medicamenti volatilitatem plurimum quid ad ciendum vomitum valere, exemplo Antimonialium & Mercurialium remediorum patere potest: tamen ipsorummet humorum inclinationem, & ipsius naturæ conatum non minorem hîc vim obtinere, experientia docet.

Mercurius vitæ hydropicis vomitum non mouet.

Caussa.

Duæ de Mercurio vitæ obseruationes notatu dignæ.

Medicamenti volatilitatis effectus.

Fixata metallica, quod ciendo sudori sint vtilia, hoc demum admiratione non caret; cùm quæ salia sunt, minus penetrabilia esse videantur. Illud quomodo excusare possis diligenter videas; quando scribis, si medicamentum ita sit mitigatum, & fixatum, vt in ambitum corporis etiam penetret, ibique humores moueat, tandem ij, vnà cum ipso medicamento, vtpotè ad alendum alieno, expelluntur, & sudor excitatur. Ergone ipsa sudorifera substantia adusque corporis ambitum penetrat, & sudore expellitur? De aquis forsan Bezoardicis concessero; de solidioris autem substantiæ remediis non item.

De fixatis metallicis.

De *Epistolâ Scorbuti tractationem* continente, nihil adhuc certi promitto. Quæris, quæ apud nos sit scorbuti causa? Eadem omninò, quæ apud vos. Quàm enim nostri homines ab aliquos annis, post quam omnium victualium pretia tantoperè creuerunt, sub monetarum istâ ἀτυχίᾳ victum Saxonico similem vsurpare coacti sint, res ipsa apud nos loquitur. Vina quoque impura & tartarea multum huc conferre videntur; præcipuè verò contagium. Iurare enim ausim, hoc vno in non paucos nil tale suspicantes, scorbutum esse translatum. Cereuisia nostra non parùm etiam mihi est suspecta. Admodum enim negligenter hodiè coquitur, ob lignorum summam caritatem: vnde non mirum, quod facilè acescat: Nosti aliàs, quantoperè ea calculorum generationi commodare soleat. Vt autem pace tuâ dicam, per συνδρομήν denegatam scorbuti genuinam indolem non videris mihi sufficienter exprimere. Vt enim generatim dicam; omnes morbi tartarei hunc propter συνδρομήν denegatam: omnes tamen morbi tartarei, non sunt scorbutus. Ludis quidem is Prothei cuiusdam instar, variasque subinde mentitur facies: At Pathognomonicis tamen signis, de quibus in *Responsis meo ad Prætorianas literas*, abundè se prodit.

Scorbuti apud Bresenses causa.

Scorbuti genuina indoles, an per συνδρομὴν denegatam sufficienter exprimatur.

Specifica itaque illa, & indicibilis humorum corruptio, putredini coniuncta, putredinem eximiè proculdubio manifestat sanguis Scorbuticorum venæsectione eductus: quantum enim & quotumcunque adhuc vidi, supernè crustâ pituitosâ, variegatâ semper obductus fuit, infernè autem vel in paruos ac multiplices grumulos atros concreuit, (apud quos nempe nondum prææltas radices scorbutus egerat,) vel totus, ac si è vena vixdum profluxisset, diffluxit; æqualiter concretum, quod meminerim haud vnquam annotaui. Mirari autem quis posset, cùm sal fixus esculentus à putredine præseruet, cur hîc nihilominus eam tantoperè inualescere permittat? An quia is circà prima duntaxat viscera abundat? an verò quia iudicibilis, quam nominaui corruptio superat? è prædicta sanguinis constitutione simul liquet, cur inter cetera gentianam aquæ meæ antiscorbuticæ paulò maiori dosi addiderim. Præterquàm

De sale fixo esculento à putredine præseruante.

Auctor cur gentianam aquæ suæ antiscorbuticæ addiderit.

enim quod pituitam egregiè incidit, ac concoquit, putredini etiam potenter resistit) τὴν πρωτείαν denegare superueniens vera Scorbuti mater est. Alium casum scorbuticum, vt modò adscribam hæc ipsa, quam moliris, tractatio persuadet. *Iacobus Wolff Lutripens Vrbanus*, annos 53. natus, statura procera, temperamento nunc melancholico, cum ante sex annos ad secundum matrimonium transiret, & ob ductas choreas æstuaret, haustum largiorem frigidusculum ingurgitauit, deductóque cunæte, aërem cæterorum refrigerij causâ captauit.

Alius casus scorbuticus.

Inde paulatim statim habere cæpit. Vsus varijs hinc inde consilijs, tam Medicorum, quàm Medicastrorum, quin & Incantatorum, tandem antè duas septimanas meum consilium implorauit. Cùm ipsum prima vice visitarem, Orthopnoicum, & cum multo clangore respirantem, ac iamiam suffocandum inueni. Vrinæ erant crassissimæ, & rubicundissimæ. Pulsus flatulentus, creber, durus, & inæqualis. Color haud adeò vsque adeò conspicuus.

Circa ventriculi orificium de graui querebatur compressione; Brachia circa cubitum & axillas dolebant. Aiebat se alias à Gonagra, & Podagra paruis interiectis interuallis vehementer laborasse: iam verò ab aliquantò longiore tempore liberum ab his mansisse. Ventris tormina impensè ipsum agitabant. Propè inguina duritiæs quædam tactu deprehendebatur. Cibi nonnihil modò tenebatur fastidio. Maculas ecchymomaticas, (nostri vocant Albflechae; ego *Scorbuti sobolem* censeo) suprà dextrum genu multas conspicabar & latus. Præter alia necessaria imperaui *Enema*, & præscripsi vnguentum rubrum potabile cum *spermate ceti, Castoreo, oculis Cancri, & oleo anisi*, potandum è *decocto enerefeln*. Illud per quatriduum repetitum, tantam scybalorum, & pituitæ, aliorúmque tetrissimorum humorum colluuiem eduxit, vt admirarer. Hinc expectorationem facilitauit, quâ multa purulenta exclusa fuerunt.

Vnguenti rubei potabilis pro scorbuticis descriptio.

Alterationem hinc insignem percipiebat æger. Quippe spiratio reddebatur liberior, tormina remittebant: somnus redibat: vrinæ inclarescebant, & minus coloratæ euadebant. Breuiter, iam in vado sibi constitutus videbatur. At ecce! Vigiliæ recurrunt; expectoratio supprimitur: aluus non nisi sollicitata officium facit: Singultus oboritur: sudor spontaneus maximè circa pectus, & caput prorumpit: vrinæ iterum colorantur, & vinum rubellum exactissimè referunt; quales plurimam partem Scorbuticorum esse certò obseruant, vires ita præproperè collabuntur, vt via è lecto surgere posset. Cœna itaque dominica instructus, de rebus suis disposuit. Euentus adhuc dubius: quamtumuis à quatriduo paulò melius habere cæperit; vrinis interim quotidie variantibus, & corruptissimis ope Enematum domesticorum, è *gratiola, centaury minor. chamameli. veronica*, & *sem. carui cum cereuisia nostrate* parato decocto, adiectis insuper *melle & butyro*, constantissimè, copiosè eductis.

Vrina corruptissima quomodo educatur.

Casus vulnerati in pectore *Studiosi*, & transfossi pulmonis, tàm breui tempore curati, rarissimus vtique est, & notatu dignissimus. Abundè scilicet ξυῤῥοίαν illam Hippocratis confirmat: pro qua ego olim cùm Empyici, tùm è rupto Epatis abscessu ad posteriora totius abdominis cauitatem deuoluti puris per aluum expurgationem, litteris illis, quas anno 1620. d. 3. Maij ad te præscripsi, adduxi.

De pulmone transfosso.

Mitto hic *Poncertiana*, & *Pratoriana de Scorbuto*, cum quibus, quælibet facias per me licet.

Quæsiuisti aliquando, an de illo symptomate, quod in primo somno plerumque accidit, & quo corpus totum concutitur, atque à Germanis *das auffahren im schlaffe* appellatur, apud vllum Auctorem quicquam legerim? Quod legerim quicquam haud recordor. Ad conuulsiones tamen id referri posse atque ab acribus euaporationibus neruorum principium vellicantibus id oriri autumo.

Symptoma quo corpus in primo somno concutitur, vnde fiat?

Meministine etiam in tuis lectionibus Cranij illius depressionis in infantium anteriore capitis parte? quam nostrates per hanc phrasin circumscribunt *das blutteleinfallen*. Habetur ea plerumque pro lethali signo, plerumque dico. Seruatos enim vidi, quibus valdè ea parte cutis, & huic substrata membrana crassa, & ferè quadrata, inter os sinciput, & verticis, quorum partes supplet, depressa fuit. A spirituum autem defectu eam proficisci credibile est: siquidem cerebrum, cuius motu illîc alias tactu conspicuè deprehendi potest, ob hanc causam quasi subsidit, ac propter istam ipsius subsidentiam, ea cutis pars quæ Caluaria osse nondum perfectè occlusa est, sponte collabitur.

De Cranij depressione in Infantium anteriore capitis parte.

Exponas præterea tu mihi rationem, quî scilicet fiat, quod purgantia vino infusa, longè felicius & minore dosi, quàm alia aliqua forma exhibita, operentur? an quod magis penetrent? an quia naturæ gratiora existant? an denique, quod Sal Vini, more Tartari, purgantium vim intendit? Pro transmissa disputatione *de Opio* gratias officiosas ago. Meâ Autho, vt habes prouerbium, vbique arauit vitulâ: immemor prorsus præcepti illius, quod ingenuum sit, fateri, per quem profeceris. Præsidem antè vnum atque alterum mensem vitam hanc mortalem cum meliore altera commutasse, postquam febris maligna, quæ ipsum inuaserat, inualuisset, his ipsis diebus intellexi.

Purgantia vino infusa cur felicius operentur?

De meâ siue valetudine, siue inualetudine, vt aliquid addam, pes dexter mouet. Quinquiduum enim est, cùm defluxio plantam, & verticem ipsius occupauit: quoniam ob absentiam equi ea pede ægritudinem, per duos ferè menses pedes ægrotos visitare coactus fui. In lectum me tamen non coniecit: sed ægros accedere passa est. Nisi ista pedestris deambulatio diuturna articulos delassasset, & humores præcipitasset, quasi nihil mea opinione mali hoc temporis mihi accidisset: quod omne profectò post pilularum illarum mearum vsum diuinæ benedictioni acceptum fero. *Puschoutius*, de quo alias, eodem cum fructu ipsis mecum vtitur. Istum, quantus & qualiscunque est, paroxysmum, sudores matutini, qui satis pro voto procedunt, discutient, vt euacuatione per aluum haud egeam.

Causa defluxionis plantâ pedis Auctoris occupantis

Cùm igitur equi, vt de ipsorum quoque valetudine deinceps ipsus cogitem, maneant, libri, qui Hippiatriam profitentur, coemendi necessariò erunt. Tu si ergo bonus hac in Medicina Auctores nosti, in mei gratiam significa & precium inquire. Inprimis autem scire velim, quanti veneat, *Mangen Senterff Hippiatria*. De *Bassonis & Billichij* Scriptorum pretiis proximè nihil adiecisti. Facias itaque oro primâ occasione, S quorundum etiam pretia expiscare: qualia sunt *Iohannis Baptista Syluatici, de Vnicornu, Lapide Bezoar.* &c. Bergomi Anno 1605. *Caroli Galli Pontremulensis de febre pestilenti* Ferrariæ Anno 1600. *Ioh. Rhenani Antidotarium pestilentiale*, Francof. Anno 1613. *Martini Rulandi Loimagogas*, Lipsiæ Anno 1607. *Ordnung des Raths Zu Leipsig wegen der Pestilentz, bid.* Eodem Anno. *Andrea Celichy Christliche vnd nothwendige erinnerung von der pestilentz*, Franchfurth an der Oder Anno 1608. *Lutheri zweyerley Rath vnd gedencken &c. per Baldumam*, VVittenberg Anno 1613. *Bokelis Pestordnung*, Hamburg Anno 1597. *Helandi Von der pest* Francofurti ad Oderam Anno 1598. *Matthei Martini von der pest*, Eisleben Anno 1598. *Roderici à Fonseca de calculorum remedijs*, Romæ Anno 1586. *Ioh. Baptista Carcanis Leonis de vulneribus capitis*, Mediolani Anno 1553. *Marci Antony Montagna, de Herpete, Phagedæna, Gangrana, Sphacelo, & Cancro*, Venetiis Anno 1559. *Costai disquisitiones physiologica*, Bononiæ Anno 1559. Hæc omnia in forma prostant quarta. *Opiologiam Sala* imprimis habere, & nunquid *Heldas Curationes*, ac *Consilia*, Lipsiæ Anno 1607. (quemadmodum Catalogus librorum à *Ioh. VVittichio* editorum docet) edita sint, scire velim. Nosti enim me eorum ista ipsius emaculasse, & ea in publicum producturum esse compromisisse. Si ergò id ante me fecisset *VVittichius*, frustraneam operam fortassis inpendissem: nisi, quæ ille publicauit ab istis meis diuersa fuerint.

Auctor cur libros Hippiatriam profitentes coemere cogatur?

Auctores qui de peste scripserunt.

Motuum bellicorum vt tandem finis fiat, optamus. Vngarorum irruptionem cum Tartaris, ac Turcis, quam nobis nonnulli sustinendam esse ferunt, auertat DEVS. Sat diu bellatum est. Nunc scilicet demum didicimus, quod *Nulla salus bello*; quidni igitur seriò ingeminemus,

——— *pacem deposcimus omnes.*

O largire eam quamprimùm vniuersæ Germaniæ, clemens, & benefice DEVS! Benè cum tuis vale, & à nobis saluet. Dabam Breslæ d. 12 Septembris Anno 1623.

EPISTOLA LX.

PERIOCHE.

1. *Auctor in publicis negociis occupatus breuitatem Epistola excusat.* 2. *Quid de Bucretio sentit, exponit.* 3. *Eiusdem de F. M. censura.* 4. *De Scorbuto quid secum concluserit Doringius, certiorem fieri desiderat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Responsum ad priores litteras, quod debeo, *Clarissime Dn. Affinis, Compater & amice plurimum honorande*, iam persoluere non possum, ob publica, quæ me impediunt negotia. Faciam id breui: paruam moram patienter feras. Ad posteriores verò vt iam respondeam; omnium, quem omnes boni ament, dignus est *Bucretius*, atque vtinam aliquid boni ipsi facere potuissem,

Bucretius qualis.

F.M. exotica sapientia turgidus.

Obtrectator. Germanorum & Italorum Medicorum contemptor. Gallorum prædicator.

sem, fecisse id libentissimè. Verùm tantùm triduum hîc vixit, Lipsiam ad Mercatbies Augustanos festinans. Cæterùm rediit, vt existimo, ad vos F. M. sapientiâ exoticâ non solùm plenus, sed & turgidus, vs amici, cum quibus in itinere, & reditu in patriam versatus est, referunt: si tamen sapiensin est, sua tantùm æstimare, aliosq; contemnere, bonis viris; & quidem benè dese meritis, inter quos Bauhinus, obtrectare. Germanos, Italosque omnes Medicos contemnit; solos Gallos prædicat: quod mihi non firmi iudicij, sed animi præconceptis opinionibus fascinati, & affectibus indulgentis videtùs esse indicium.

Si talis est, qualem alij describunt; à vero non alienum puto, quod Amicus quidam ad me scripsit, cum vel in culmine sapienciæ constitutum, vel in demenciæ propinquo esse. Qualis sibi videatur, & quid noui ab eo didiceris, tam longâ peregrinatione dignum, ad me perscribes.

De scorbuto quid concluserit secum Doringius Auctor scire exoptat.

Tandem hac occasione me certiorem facere velis, quid tecum de Scorburo concluserit. Si tuas obseruationes, & medicamenta in Epistolam conicere vis (quod suaserim, & factu facile est) fiat id intrà Calend. Ian. proximas si meis à me inseri, sed sua cum mentione vis, id hac occasione significo. B.V. VVitebergæ 20. Octobr. Anno 1623.

EPISTOLA LXI.

PERIOCHE.

1. Auctor de Bucretio Iuniore optima queque sperat. 2. Galli & præsertim Riolanus Parisiensis cur à D. F. M. tantopere extollantur? 3. Auctor D. F. M. de se suisque quos amat iactantiam; & de aliis quos odit censuram & improbationem, quantum ex ipso cognoscere potuit, longâ serie recensset. 4. Disputatio Inauguralis D. F. M. plaustres nouitatum plena. 5. China & Sarsa in Bubonibus effectus. 6. Signa luis Venereæ. 7. De Thermis Hirschbergensibus. 8. Auctor an de Scorbuto peste iam in vicinia grassante peculiarem Epistolam conscribat, animi fere pendet. 9. Editio Engaleni Brendelij Senioris.

D. DANIELI SENNERTO, *MICHAEL DORINGIVS, D.*

Auctor de Bucretio Iuniore optima quæque sperat.

Sperabam equidem: *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*. Te ad priores etiam meas, quæ varia argumenta medica continebant, hac ipsâ occasione responsurum; tamen cùm ob publica negotia te impeditum fuisse intelligam, moram, quantulacunque fuerit, patienter feram. De Bucretio Iuniore optima quæque spero. Quæ vt sperem, modestia ipsius singularis, cum rara in tali ætate eruditione, coniuncta, iubet. Mensis est, quando ad nos D. F. M. iterum appulit. Cui cùm de impetratis honoribus Doctoralibus gratularer; eos non à se impetratos, sed sibi quasi inuito obtrusos, regerebat. Quod ipsum prætiuus, pro quodam arrogantiæ signo habebam.

Riolanus Parisiensis cur à D.F.M. tantopere extollatur?

Auctor D.F.M. de se suisque iactantiam, & de aliis quos odit censurã & improbationem, quãtum ex ipso cognoscere potuit, prolixius recenset.

Sic verò res habet, quod Gallos aliis longè anteponat; atque ex iis *Riolanum Parisiensem* ob anatomica adeò extollat, vt manu ipsius nil doctius, nil expeditius sese vidisse affirmet: quippe qui in dissectionibus tã sit exercitatus, vt vel clausis oculis solius tactus beneficio, quæ velis, monstrare valeat. *Bauhinum Riolani* inuentis suum Theatrum recusum nobilitasse, sententias ex eo corrasisse, & nescio quid non ipsius vitulâ arasse, asseuerauit. De *Iulio Cæsare Claudino Bononiensi Medico* honorificè sensit. *Sebitium Iuniorem* à dexteritate secandi præ hodiernis Germanis commendauit. A *Sigilicio p.m.* hoc se primitus hausisse fassus est, vt veteres potiùs, quàm Neotericos sectaretus. *Hauenreutterum p. m.* tam in Aristotele versatum fuisse dixit, vt non solùm memoriæ ipsum fideliter impresserit, sed manus etiam primo quoque conatu textum quemcunque oblatum protinus reperierit: ceu optimum igitur Aristotelis Interpretem eundem laudauit. Hinc in Philosophia *Aristotelem*, in Medicina vnum *Galenum*, quod Basileæ senior *Stupanus*, Lipsiæ *Siglicius* etiam fecit) tanquam Duces sequendos, èque istorum principiis omnium rerum rationes sufficientes reddi posse affirmauit. Idem tentasse Patauij *Præfotium*, & quinque libris, *de abditis atque vulgò ignotis rerum causis* per aliquammultas problematum centurias deductis, atque publicè aliquando edendis subundè monstrasse, sibique vt de similibus diligentius cogitaret, ansam subministrasse, subiicit. Cùm nuda elementa & ipsorum qualitates minimè sufficere obiicerem; nescio quos ille infinitos mistionis modos, quas oppositionis, sed non Democraticas rationes, quam materiam quãocitaturum, &c. opponeret. Annorum Climactericorum, dierum criticorum, fluxus ac refluxus maris, &c. causas dari in sublunaribus manifestissimas, frustraque in talibus miseram (ita vocabat) Lunam accusari. Et si hæc humorum vnica sit rectrix, ac domina, mirari se, cur non in periodorum febrilium causis reddendis, ad eandem vulgò confugiant? Non esse, quos alij fingunt, morbos vel occultos, vel nouos: Causam in nobismet ipsis sitam esse, eò quod sensibus non ita patescant, minusque diligentes in veterum lectione nos exerceamus. Omnia enim illos dudum docuisse; sic vt *Stupanus Senior* aliquando *D. Andreæ Rulando* Quercetani Tetradis vsum ab ipso petenti responderat: Omnia habere Galenum. Istius ergò *Stupani* disputationes medicas eximiè prædicabat. Improbabat contrà *Hofmanni Institutum*, de integro edendo Galeno: Sic enim Galenum intra Iuniorum manus non peruenturum, propter sumptuum magnitudinem. Satius igitur esse, si particulatim ederetur, siquidem paruo pretio quæque pars emi, & expeditius à Studiosis legi posset. Tali ratione & plures, & meliores futuros Galenicos. Ex hoc fundamento culpabat *Operum* quoque *Lutheri vniuersalem editionem*, ad hoc, vt suspicabatur, à *Crypto-Caluinianis* (quos *Philippistas* aliàs dixerunt) singulariter procuratam, vt è plurimorum manibus particularia ipsius scripta excuterentur. Non itaque mirum esse, quod pauci *genuini* Lutherani hodie reperiantur. Aliter in Philosophia & medicina, qui doceant, eos Paracelsisare. Chymicos igitur & Chymica videtur parui facere. De maris fluxu per otium sese aliquid elaboraturum; non dubitare quin assensum meum obtenturus sit. Hæc hactenus ex ipso cognoscere potui.

Disputatio inauguralis D.F.M. plaustris nouitatum plena.

An seriò in omnibus rem agat? certo nondum affirmare ausim. Vbi pluries me conuenerit, genium ipsius fortè penitiùs cognoscam. Disputationem eius inauguralem nondum vidi. In ea plaustris nouitatum me inuenturum esse, ante aliquot menses præmonuit Horstius. Optarim, vt eam tandem adipiscar; quo ipsius sapientiæ nonnihil in me quoque redundet.

China & Sarsa in Bubonibus effectus.

Si talis reuerà est, qualem se hesterna conuersatione declarauit. Vah? quàm gratus K. erit, qui & ipse cùm elementaris est Philosophus, ac purus putus Galenicus, tum Chymicorum egregius osor: Cuius dolendùm contradicendi & alios calumniandi cacoëthes, vt magis, magisque prospicecres, sequentem Historiam ad te perscribere placuit. Annus iam est, quando ad dandum consilium super tali casu, quem, vt sequitur, breuiter consignauerat *D. Paulus Muncerus*, ægri tum temporis ordinarius, quatuor nostrûm conueniebamus. Nimirum *nobilis Polonus* annor. 46. constitutionis pituitosæ, ante annum ex catharris (vt sibi videbatur) laborans, incidit in Bubones: qui post vsum *chinæ*, & *sarsæ* per 14. dies continuatum euanuerunt. Sed ante sex septimanas vino meraciore plus iusto vsus (solet enim quotidiè ad quartas 12. ingurgitare) incidit in febrem ardentem, in qua purgatus iter suum institutum continuauit: sed deinde propè genu nodum quendam rubicundum passus est, & totum crus vtrumque intumuit, cum dolore ingente sub vesperam recrudescente: sinistra quoque vola scabie ferinâ defædata est. Vrina tenuis est, rubicunda, atomis plena. Hypochondrium vtrumque dolet. Insomnis planè est, &c. Hæc tum temporis expendenda nobis proponebantur. Cumque de gonorrhea dolorifica prætereà erudiremur, & tibiarum frictiones æger ægrè toleraret, conclusum est, ipsum lue infectum venerea, genti aliàs huic vniuersæ, propter vagas libidines & impuros congressus valdè familiari: ita vt vulgò *das Poln: sche fieber* à non paucis nominetur. Cura huic morbo congrua instituta est. Æger moræ pertæsus, dimisso Ordinario alium Medicum accersiuit: à quo per plures septimanas pro merè, vt accepi, Scorbutico tractatus, nihilo sanior in Poloniam dimissus est. Sub finem æstatis huc reuersus, eiusdem sine dubio Medici consilio in thermas Hirschbergenses ablegatur.

Signa luis Venereæ.

Thermæ Hirschbergenses.

Quibus cùm vsus fuisset, peius inde habuit. Huc igitur ex iisdem rediens, K. consulit. Hic priores, cùm Medicos, tùm Chirurgos antè annum consultos, non tantùm ægro duntaxat, sed aliis etiam in locis, pro more suo, ignorantiæ accusauit: ipsumque è solo Lienis vitio malè habere dixit.

Interrogatus à *Ioh. Sorbio* Chirurgo de nodis in tibiis, eos adhucdum adesse affirmauit. Hæc heri mihi significauit hic ipse Sorbius; qui nodum propè genu suptum ante annum tractabat. In vtrorum partes tu concedere malis; scire ex te velim.

Auctor an de Scorbuto peculiarẽ Epistolam conscribat, dubitat.

De Scorburo an peculiaris Epistola mihi conscribenda sit? animi ferè pendeo. Ita enim tales Aristarchos nunc metuo, vt malim à scriptione abstinere, quàm illis me exagitandum propinare

propinare. Si tamen aliquid adornauero, vt circà præfinitum à te tempus, ad te perferatur, operam dabo. Profectò pestis vicinas nobis vrbes nunc affligens, vt de ea potius aliquid elaborem, monere videtur. Præuenit te Eugaleni editione, vt video, Ituæ *Brendelius Senior.* Quæ nos circumstent, ob Scytharum ac Turcarum irruptionem metuendam, pericula, Rhedarius fine dubio ipsius exponet. Deus nos suo præsidio cingat! B. V. Breslæ d. 10. Nouemb. Anno 1624.

Editio Eugaleni Brendely Senioris.

EPISTOLA LXII.

PERIOCHE.

1. Scorbuti indoles an in denegata πνευματώσει consistat? 2. Materia specificam corruptionem recipiens vnde generetur? 3. Morbi Tartarei vnde fiant? 4. Sal quomodo ad putredinem faciat? 5. De sede humoris scorbutici.

D. MICHAELI DORINGIO, *DANIEL SENNERTVS, D.*

SVnum saltem caput, quin ad illud respondeam, iam præterire non possum, nimirum quod Scorbuti indolem in denegata πνευματώσει consistere negas; cùm omnes tartarei morbi fiant per denegatam πνευμάτωσιν, nec tamen omnes sint scorbutici. Agnosco equidem hîc aliquam difficultatem, & facilè concedo, specificam illam corruptionem ad scorbutum constituendum requiri: materiam tamen, quæ specificam illam corruptionem recipit, ex denegatâ πνευματώσει generari puto. Quod curatio indicat, quæ fit per ea, quæ sale volatili abundant. Morbos verò tartareos omnes ex tali denegatione πνευματώσεως, ex quali Scorbutus, fieri nego. Plerique enim fiunt saltem ex crassis excrementis, non ex toto, sed maxima parte alimenti πνευματώσεως destitutis: Vnde etiam Hypochondriaci in Italiâ familiares, vbi salis esculenti, & ciborum satis iusta est πνευμάτωσις, sed crassa saltem, & adusta ob aërem calidum excrementa in iis cumulantur: qui propterea non medicamentis sale volatili abundantibus curantur, sed potius humectantibus. Neque in talibus necessariò serum sale crudo abundans reperitur. In Arthriticis est saltem serosus humor, non necessariò crudus & crassus ille simul colligitur. Quomodo verò sal ad putredinem faciat, causam hanc esse puto, quod sal fixus alios humores in primis viis detinet, qui detenti tandem hanc specificam corruptionem induunt.

Scorbuti indoles, an in denegata πνευματώσει consistat? Materia specificam corruptionem recipiens vnde generetur? De morbis tartareis.

Sal quomodo ad putredinem faciat? Sedes humoris scorbutici.

Sedem tamen humoris scorbutici non solùm primas vias, sed venas etiam cauas statuo; quod vel venæsectio indicat. Et in Scorbuto à contagio contracto primùm sanguis in vena caua inficitur. Hæc festinans addidi, vt tuum responsum maturè habere possim. B. V. 21. Octobr. Anno 1623.

EPISTOLA LXIII.

PERIOCHE.

1. Auctor in Scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν non negat. 2. Genuina scorbuti indoles in quo consistat? 3. Materia specificam in scorbuto corruptionem recipiens quid sit? 4. Πνευμάτωσις denegata in omnibus morbis tartareis adest. 5. Remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis valde opportuna. 6. An in Hipochondriacis Italis iusta salis esculenti & ciborum sit πνευμάτωσις. 7. De sale crudo. 8. Cura scorbuti sola salis fixi volatilisatione non completur. 9. Sennertus ad problema Auctoris de sale fixo esculento minus directè respondet. 10. Auctoris de suo problemate opinio. 11. De sede Scorbuti. 12. De sanguinis infectione in scorbuto per contagium contracto. 13. Auctor cur suadeat Sennerto, ne cum editione sui Tractatus de Scorbuto tantopere festinet?

D. DANIELI SENNERTO, *MICHAEL DORINGIVS, D.*

SCùm responsum præcedens iam absoluissem; ecce alteras tuas adhuc mittit Rhedarius, in quibus solùm *de Scorbuto caput* tractasti. Ne igitur sine responso ad easdem Rhedarius ad vos rediret, sequentia subiicere placuit.

Non autem vel satis attentè litteras meas legisse, vel mentem meam probè assecutus, mihi videris. Ea proinde, quæ mihi obiicis, me non tangunt. Non nego, in scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν: sed hoc saltem pace tuâ, dictum volui, quod per πνευμάτωσιν denegatam non videaris mihi scorbuti genuinam indolem sufficienter exprimere, siquidem omnes morbi tartarei fiant per πνευμάτωσιν denegatam; nec tamen omnes sint scorbutus. Genuinam igitur Scorbuti indolem in specifica quadam, & indicibili humorum corruptione putredini coniunctâ, ac πνευματώσει denegata superueniente, consistere scripsi. Quod ipsum cum tute confitearis, opinionibus hac in parte neutiquam discrepamus: Quid enim quæso aliud est, materiam, quæ specificam illam corruptionem recipit, ex denegatâ πνευματώσει (ego malim dicere per vel propter denegatam πνευμάτωσιν) generari, quàm πνευματώσει denegatæ specificam & indicibilem corruptionem superuenire aut superaddi? Neque illud quicquam contrà me valet? dum omnes morbos tartareos ex tali denegatione πνευματώσεως, ex quali Scorbutus, fieri negas. Non enim hoc ego affirmaui: sed hoc tantummodò, quod omnes morbi tartarei fiant propter πνευμάτωσιν denegatam, siue quod idem est, in omnibus morbis tartareis adsit πνευμάτωσις denegata: verùm cuique morbo tartareo sua propria, & vernacula; quæ in causa etiam est, vt diuersi morbi inde oriantur. Et dicas tu mihi; Si in morbis tartareis vniuersùm non adest πνευματώσις denegata: qui fiat? quod vel isti in Scorbutum degenerent, vel hic sub illorum schemate Medicis adeò frequenter imponat. Quid? quod remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis valdè sunt opportuna: Quamobrem, causam aliquam communem subesse necesse est. At quæ illa: amabo te, sit alia, quam πνευμάτωσις denegata? Iustas, cæteros morbos tartareos plerosque è crassis duntaxat excrementis, non ex toto, aut maxima parte alimenti πνευματώσει destituti, originem trahere. Atqui non contingit idem in omni Scorbuto. Sit vero in plerisque morbis tartareis, ita vt scribis. Quid tum verò postea. Num quid enim excrementa illa carebunt πνευματώσει? carebunt vtique. Quod si sic: quæsiuerim, vnde ea sint collecta? An non ex alimentis? ita omninò: Cautè igitur scripsisti; plerosque morbos tartareos ita oriri. In plurimis enim locum habere præuidisti. De omnibus verum esse, non est, quod dubitem. Excutiam paulisper exempla pro astruendo contrario, à te prolata. Primò ergo Hypochondriacæ in Italia familiaris exemplum nihil prorsus meæ causæ officit. Quis enim credat, salis esculenti, & ciborum satis iustam illic esse πνευμάτωσιν? Imò vero tantùm hæc abest, vt propter aërem illic calidiorem resolutis præproperè partibus salis esculenti tenuioribus, reliquum, quod feculentius est, magis magisque potius vratur, ac vt Chymico vtar termino, fortiùs figatur. Vero consentanea me scribere, tibi in operationibus Chymicis exercitatissimo non potest esse ignotum. Præterea non solis humectantibus, sed aperientibus iuxtà, incidentibus attenuantibus, carminantibus, & abstergentibus, (quæ ipsa salem quoque possidere volatilem quis abnuat;) tractari in Italiâ Hypochondriacos vel fateatis necesse est, vel eos alterius omninò indolis à Nostratibus esse, concedas. Vtrum feceris: parum hercle profeceris. Illi enim Italorum scripta, huic communia curandi ratio reclamat. Porrò in talibus non necessariò reperiri serum sale crudo abundans, dum subiicis: quid salis crudi nomine intelligas, non satis intelligo; Si autem salem fixum: eundem sæpè ibidem etiam dari, paulò antè probatum est. Sin crudum & crassum, hoc est, pituitosum humorem, quomodo flatuum Hypochondriacis quàm maximè solemnium, causas redditurus sis, scire velim. Deinde in Arthriticis saltem serosum, non necessariò crudum, & crassum illum humorem simul colligi, de plerisque admitto: In multis enim contrarium docet Experientia, præsertim topharcis & nodosis. Atqui non de crudo & crasso, siue pituitoso humore inuicem hîc controuertitur: sed de salso fixato: qualis cum primis serosus est. Quo cùm Arthritici etiam abundan-

Auctor in Scorbuto deesse salis esculenti πνευμάτωσιν non negat. Genuina Scorbuti indoles in quo consistat. Materia specificam corruptionem recipiens quid sit.

Πνευμάτωσις in omnibus morbis Tartareis adest.

Remedia antiscorbutica plerisque morbis tartareis opportuna.

An in Hypochondriacis Italis iusta salis esculenti & ciborum sit πνευμάτωσις.

Sal crudus.

Quid de Arthriticis?

tius ſtuantur; non mirum ſi ſudoriferis tam eximiè iuuentur: Volatiliſceſcit enim, vt ſic loquar, ſal fixus, ac cum ſudore vnà euaporat. Vides itaque hinc, *mi Sennerte*, quomodo videlicet, & quatenus ipſi morbi tartarei, exempli loco, in medium à te adducti, *πνευμάτωσιν* denegatam, etiam pro communi matre agnoſcant.

Cura Scorbuti ſola ſalis fixi volatiliſatione non completur.

Illud inſuper prætereundum minimè mihi eſt, ſcilicet ſola ſalis fixi, vt ſic appellem, volatiliſatione non compleri ipſiuſmet *Scorbuti* Curam. Viſcera namque naturalia corroborari, ſpiritus (qui in eo cum primum laborant) reſtaurari, putredo compeſci, quod computruit euacuari &c. poſtulant.

Sennertus ad problema Auctoris de ſale fixo eſculento minus directè reſpondet.

Ad problema meum, quod fuit, cùm ſal fixus eſculentus à putredine præſeruet, cur in Scorbuto eam nihilominus tantoperè inualeſcere permittat? non ſatis directè videris mihi reſpondere, quando hanc cauſam adducis; quod nimirum ſal fixus alios humores in primis viis detineat, qui detenti, tandem hanc ſpecificam corruptionem inducant. Non enim de ſpecifica, ſiue ſcorbutica corruptione, ſed ipſa putredine, quam illi contradiſtinxi, quæſiui. Deinde non circa primas ſolummodò vias, ſed & venoſo genere, idemmet ſal fixus redundat. Vtrobique igitur quomodo putredinem inualeſcere permittat, dicendum erat.

Auctoris de ſuo problemate opinio.

Ad hæc qua vi ſal fixus alios humores in primis viis detineat, explicari oportebat. Hæc & ſimilia, contra tuum reſponſum obiici poſſunt. Aperiam, quæ mihi hoc ipſo momento cauſa in mentem venerit: An verò futura ſit vniuerſalis tibi adiudicandum permitto. Sale eſculento carnes à putredine defendi verum eſt: Alimenta, ſi diutiùs immunia relinquantur, tandem tamen putredinem aliquam concipiunt, ob humidi affluentiam, quod ſalis calor ſufficienter regere ac terminare nequit: Interea verò ſal acredine ſuâ carnes corrodit, ac fibras depaſcitur, vnde non tantùm graciliſcunt, ſed & friabiliores multò redduntur. Idem quodammodò in humoribus tam excrementitiis; quàm alimentariis ſalem iſtum fixum mordacem in Scorbuticis operari colligo. Quippe humorum fibræ corroduntur, quibus corroſis, perit concreſcendi facultas. Prout igitur fibræ magis, minuſue abſumptæ ſunt, ita etiam de maiore, minoréue ſanguinis putredine, atque ſalis fixi acrimoniâ indicare fas eſt. Adſtipulari huic ſententiæ videntur gingiuarum putrilagines, & aliarum partium vlcera in Scorbuticis depaſcentia. Hæc mihi nunc temporis ad problema meum incidit reſponſio.

Scorbuti ſedes.

Scorbuti ſedem tam primas corporis vias, quàm venam cauam, & à caua oriundas, rectè ſtatui, tecum ſentio. Illæ tamen prima, & primaria; hæ ſecundaria non immeritò dicuntur: Inde enim malum huc deriuatur. Contagium inter Scorbuti cauſas *Brunerus in tractatu ſuo altero de Scorbuto*, nuperrimè à Brendelio, cum Eugaleni opere in lucem emiſſo, etiam retulit. Illud autem doceas velim; quomodo, & cur in

De ſanguinis infectione in Scorbuto per contagium contracto.

Scorbuto per contagium contracto ſanguis in vena caua conſtitutus primò omnium inficiatur? quod in concluſione litterarum disertè poſuiſti. Mihi hoc videtur dubium. Quomodo enim viſceribus infimi ventris malum hoc communicetur? Quomodo ſcorbuti pathognomonicum ſignum iuxta Eugalenum, nempe ſingularis illa circa præcordia, & ventriculi regionem anxietas, in omni Scorbuto obſeruaretur? Taceo plura alia. Ego itaque ſuſpicor ſeminarium ſcorbuticum per contagium hauſtum peculiari quadam vi antipatheticâ ventriculum primò, mox reliqua officinæ facultatis naturalis membra adoriri, vim ipſarum *πεπτικὴν*, & alimenti *αἱματοποιητικὴν* abeſactare, atque ita temporis progreſſu lentè ac furtim quaſi diu enim ſemina ſcorbutica etiam non animaduertentes circumferre poſſe, res eſt extra omne dubium collocata) vires acquirere, donec tandem virus ſuum apertè proferat, & exſerat. Hæc ſunt, quæ eodem, quo ſuperiora, die, ſub multam noctem, veluti in buccam venerunt, in chartam conieci. Quæ vt, ceu præcipitantiſſimè exarata boni conſulas, etiam atque etiam oro. Nolim cum editione *tui tractatus* tan-

Auctor cur ſuadeat Sennerto, ne cum editione ſui Tractatus de ſcorbuto tantopere feſtinet?

toperè feſtines præſertim cùm *Eugalenus* iam recuſus ſit. Multa enim fortaſſis collatio Epiſtolaris ſuggeret; quæ priores cogitationes vel abrogare, vel corrigere iuſſerint. Sic ſcilicet dies diem docet, & plus vident oculi (modò naturaliter ſint diſpoſiti) quàm oculus, vt tritum habet prouerbium. Et paſſim nunc præter ſolitum offeruntur Scorbutici, qui penitius in ipſius naturam inquirendi anſam luculentam ſubminiſtrare poſſunt. *Mantuanus*, ſi rectè memini, pulchrè cecinit.

Omne quod excellens opus, & ſublime futurum eſt,
Difficiles ortus habet, incrementaque tarda.

Fœtus etiam, ſi immaturi ſint, viuaces non ſunt: Ita tu etiam in edendo *tuo fœtu Scorbutico* non nimiùm matures. Noſti, in quot annos antequam publicentur, labores ſupprimendos cenſuerit Horatius. Satiuſque eſt, modò id commodè fieri poſſit, benè limatum opus in publicas auras proferre, quàm reiteratis toties editionibus ſubinde innouare: Neſcio enim quam, & qualem hoc animi inconſtantiam arguere videatur. Quam meam *παῤῥησίαν* vt amicè accipias, iterum atque iterum te rogatum volo. B. V. & ſalue. Dab. Breſlæ 10. Nouembr. Anno 1623.

EPISTOLA LXIV.

PERIOCHE.

1. *Auctoris ad Doringium reſponſum feſtinationem ſui Tractatus de Scorbuto diſſuadentem.* 2. *An ad Scorbuti naturam præter denegatam πνευμάτωσιν aliquid amplius requiratur?* 3. *Auctor an omnes morbi Tartarei ex denegata πνευματώσει fiant, dubitat.* 4. *Scorbutus quando producitur.* 5. *D.F.M. in opinionibus ſingularis.* 6. *Scorbutus interdum lui Venereæ ſimilis.* 7. *Sal in Scorbuto cur putredinem inualeſcere ſinat?* 8. *De ſede ſcorbuti primaria & ſecundaria.* 9. *Quid primò inficiatur vbi per contagium Scorbutus generatur?* 10. *Cur omnia ferè medicamenta cum lacte præparentur?* 11. *An in principio febris medicamenta electiuè purgantia ſint adhibenda.* 12. *De coctione in Intermittentibus eiuſque ſignis.* 13. *De venarum in naribus & lingua apertione.* 14. *De operatione vomitoriorum.* 16. *Mercurius cur in hydropicis vomitum nullum moueat?* 16. *De medicamentis ſudoriferis.* 17. *De depreſſione cranij puerorum eiuſque ortu.* 18. *Membranæ cauitatem in Sincipite tegentis varia appellationes.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SVt præpoſtero ordine à fine tuarum litterarum incipiam, *Vir Clariſſime & excellentiſſime, Affinis & Compater plurimum honorande.* Scio equidem, verum eſſe deliberandum eſſe diu, quod ſtatuendum eſt ſemel, & ex Horatij conſilio, ſcripta, quæ edituri ſumus, in nonum annum premenda eſſe: Verùm ſcio & illud quod *vitæ ſumma breuis nos vetat inchoare ſpes longas.* Et quis ſpondeat me poſt annos decem ſuperſtitem in hac vita futurum? Neque ignoro, procraſtinando factum, vt multorum doctorum Virorum laboribus, magno cum rei litterariæ damno careamus.

Auctoris ad Doringium reſponſum feſtinationē ſui tractatus de Scorbuto diſſuadētem.

Itaque etſi nimis feſtinare non velim: tamen quod ago, iam mihi agendum puto, & otium, & vacationem à lectionibus publicis, quod tamen exiguum eſſe animaduerto, quæ mihi officium publicum indulget, *Scorbuto*, & aliis quibuſdam meditationibus tribuam. Si porrò vitam mihi DEVS concesserit, ſua cuique diei cura & labor erit. Si poſtcà augere, vel meliora ea reddere potero, in lucem ponam, neque quiſquam id inconſtantiæ loco mihi imputabit, cum *δεύτεραι φροντίδες* tam non in vitio ſint apud viros doctos, vt etiam laudentur, & *σοφώτεραι* iudicentur. Etſi hoc non perpetuum putem, cùm ætate accreſcente vigor ingenij decreſcere ſoleat, & viri etiam magni ex lectione eorum, quæ in *ἀκμῇ* ætatis & ingenij ſcripſerant, affectum ex lætitiâ & triſtitiâ miſtum conceperint, & lætati quidem fuerunt de felicibus ingenij fœtibus: triſtitiâ verò affecti, quod ingenij viribus decreſcentibus, ea, quæ viri, & Iuuenes ſcripſerant, non tantùm non meliora reddere, ſed etiam vix ſatis intelligere poſſent. Id quod *de Sueſſano* refert *I.C. Scaliger*: ſed hæc obiter.

De natura Scorbuti.

Ad *ſcorbuti* naturam præter denegatam *πνευμάτωσιν* aliquid amplius requiri, eámque in ſpecifica quadam & indicibili humorum corruptione conſiſtere, ipſe hactenus conceſſi. Etſi, vt verum fatear, non parùm ea de re dubitauerim. Dubium autem me reddiderunt medicamenta antiſcorbutica, quorum cùm ſit magnus numerus, ſu eo omnia participant, quod ſale quodam volatili amariuſculo abundant; qui occultam aliquam Qualitatem in iis monſtrauerit, nondum inuentus eſt.

Morbus qui curatur medicamentis manifeſta qualitate præditis, non eſt occultus, ſeu totius ſubſtantiæ Scorbutus curatur talibus Ergo. Quid enim in ſinapi, armoracia, naſturtio, occulti? Neque contagium occultam qualitatem neceſſariò arguit, cùm ſcabies, ophthalmiæ, & alij morbi, in quibus nihil occulti, etiam ſint contagioſi. Cùm ergo curatio indicet

morbum

morbum, non parùm dubito, an non in sola πνευματώσεως denegata (si commodius vocabulum habes, quo rarefactionem, & volatilitatem deficientem exprimam, mecum communica) consistere debeam, & præcipue salis, quæ hic primas sibi vendicare videtur.

Et sit, vt peculiaris sit aliqua corruptio; an necessariò ad occultam aliquam qualitatem (qualis in venenis, purgantibus, & morbis formæ appellatis est) confugiendum sit, incertum In singulis fere vlceribus & Scabici differentiis peculiares, & ἄσημοι corruptiones sunt, non tamen occultæ Qualitates, & morbi formæ. Quæ velim perpendas, & quomodo ea hoc dubio me planè & integre extricare possim, ostendas.

Author an omnes morbi Tartareos ex denegata πνευματώσεως fieri, dubitat.

Quod postea omnes morbos Tartareos ex denegata πνευματώσεως fieri affirmas, videtur & illud mihi adhuc dubium. Agnosco quidem in omnibus morbis tartareis quiddam excrementitium, salsum, seu vt hoc nomen retineam, tartareum: sed an illud fixum semper sit, ipse videris. Certè in Arthritide sæpissimè illum, qui dolorem excitat, humorem volatilem esse puto. Et licet ille, qui est in hypochondriacis, sit fixus & melancholicus, qui tamen fiat, quod nostri hypochondriacis, & Quartanarij facilè Scorbutici fiant, non verò ij, qui in Italia, mihi explices velim: Ita enim, quæ sit differentia inter Hypochondriacos simpliciter, & Scorbuticus inueniemus, & an humor ille adustus è πνευματώσεως denegata fieri dicendus sit. Proueniunt illi humores adusti maximè in aëre calido: Scorbutus verò potius in frigido.

Scorbutus quando producitur.

Et mihi quidem videtur Scorbutum produci, non cùm humores aduruntur, sed cum ob copiam salis esculenti, & ciborum crassorum, nec chylus in ventriculo satis rarefit, nec sanguis, qui in mesaraicis, Liene, & hepate elaboratur, satis volatilis fit: Et præcipuè sal in eo non volatilis redditur id quod salis crudi nomine in proxima mea Epistola intellexi: ea de causa quod nullam coctionem receperit, & nunquam satis rarefactus fuerit: id quod non fit in alijs morbis tartareis, in quibus sal esculentus satis volatilis fit, tartareum verò, quod est in vino, vtpote coctioni ineptum, non separatur, sed relinquitur. Si quid tibi rectiùs occurrer, gratum facies, si id mecum communicaueris. Et velim, vt maturè facias, si quid adhuc conferre cupis. Ego vel quod ago, agendum censeo, vel omittendum. Animaduerto enim iam appropinquare annos, de quibus cum Ecclesiaste dicendum erit; *Non mihi placent*: Et fortasse idem paulò post experteris.

D. F. M. in opinionibus singularis.

D. F. M. singularem esse in opinionibus, vt semper fuit, intelligo. Interim tamen nihil nisi veteres iactare, infinitos mistionis modos fingere facile est: sed an animo veritatis auido satis facere hoc modo possit, ipse videas. Interim si quid quod nos erudire possit, ab eo cognoueris, vt & id sciam, facies. In disputatione augurali mira dogmata esse audiui. Ipsius tamen videndi nondum copia facta est. Gratus proculdubio erit K. sed an illa amicitia diuturna futura sit, dubito. Miror K. contradicendi studium, quod mihi animi minimè veritatis auidi signum videtur.

Scorbutus interdum lui Venereæ similis.

Scorbutum interdum similem esse lui Venereæ etiam *Eugalenus* notauit: sed ita clarè in Historia à te descripta lues venerea mihi descripta videtur, vt via clariùs potuisset. Vt de alijs non dicam, non memini aliquem in Scorbuti historia GonorrhϾ dolorificæ mentionem facere.

Si quicquam de *Scorbuto* elaboraueris, meis illud adiungam. Non est quod Momos & Aristarchos metuas. Fateor, & me sæpè ea cura tetigisse, & dubium habuit, an quicquam posthac in dubium debeam, edere, cùm qui vitam otio transigunt, parem gratiam reportent: sed vicit contraria sententia. Si maiores nostros Momorum mordacitas à scribendo deterruisset, multis libris hodiè careremus.

Eugalenus D. Brendelij.

Præuenit me in edendo Eugaleno *D. Brendelius*: itaque vt ego eundem edam, necessarium non puto: sed in eam veni sententiam, me commodissimè facturum, si ea ipsa forma mea edidero, & iis *Ronsæi*, *VVieri*, *Salomonis Alberti* &c. adiunxero, atque in citando Eugaleno hac ipsa *Brendelij* editione vsus fuero. Poterit postea vterque liber in vnum volumen compingi, si vtrumque emtori placuerit.

Sal in Scorbuto cur putredinem inualescere sinat

Ad problema, qui fiat, quod Sal in Scorbuto putredinem inualescere sinat, tùm tamen esculentus sal à putredine præseruet, quod penè præterieram, aliquid quidem dicere videris, dum fibras ab eo corrodi dicis; sed an planè satis facias huic quæstioni dubito. Sit enim vt fibræ corrodantur: non tamen hîc necessariò putredo sequitur; aliud est corrodi, aliud putrescere. Et vnde ille fætor in gingiuis? Ego quid meliùs dicam, nondum inuenio. Hoc tamen mihi iam in mentem venit, πνευματώσεως non saltem esculento sali, verùm etiam aliis cibi partibus denegari, atque tunc fieri, vt circa primas vias existentes posteà corrumpantur, & putrescant. Sed cogitabo de his diligentius. *Scorbuti* sedem esse omnes corporis venas mecum consentis: sed an primæ corporis viæ, primaria, Vena caua verò secundaria sit, hoc in dubio est. Vbi ex victus ratione Scorbutus generatur, res plana est: sed quid dicendum, vbi per contagium generatur, ibi enim dubito, quid primò inficiatur. Saliuam primò contaminari posse non nego: sed an non etiam quis per sudores, vel concubitum in eodem lecto eum contrahere possit? quid tum primò inficeretur? procul dubio sanguis, in vena caua: Interim tamen hoc verum esse posset, quod sanguis corruptus halitibus, & vaporibus suis tum in reliquis corporis partibus, tum præcipuè in hepate, & Liene vim [illegible] lædere posset.

Sedes Scorbuti primaria & secundaria.

Quid primò inficiatur vbi per contagium generatur?

Ita vides, *Clarissime Dn. Compater, & Affinis*, vbi hæreamus. De curatione, prognosticis, signis Diagnosticis, Symptomatibus res plana est ferè: At de naturâ causæ, & Generationis modo hæremus, nec ij, qui hactenus de morbo hoc scripserunt, mentem satiant. Si quid præter ea, quæ hactenus adieci, tibi in mentem venit, illud mecum, communica. Vnum saltem adhuc de *Lacte* in mentem venit, qui fiat, quod omnia ferè medicamenta cum lacte præparent. Et in vomitu lac plus, quam alia medicamenta prodesse Eugalenus scribat; cùm tamen lac aliàs in corporibus cacochymicis parùm prosit, sed facilè corrumpatur.

Vsus lactis.

Excidit mihi, quis finis sit Lectionum quas admisi: Mone ergo vbi desinant, tum reliquas etiam mittam.

Sed vt ad ea etiam, quæ in prioribus tuis litteris restant, breuiter aliquid reponam (pluribus enim id facere alia negotia non permittunt) doleo, Amicum nostrum communem, *D. Abrahamum Sellerum* Quartanâ correptum esse: si conualuit, gaudeo.

An in principio febris medicamenta electiuè purgantia sint adhibenda?

Facere verò hîc non possum, quin aliquid de Curatione à te institutâ moneam. Video te statim ab initio semel, atque iterum medicamenta etiam electiuè purgantia adhibuisse: quod an secundùm methodum factum, dubito.

Scis enim quàm religiosè à Medicis plerisque prohibeatur, ne crudâ adhuc materiâ purgantia exhibeantur, ita quidem, vt *A. Massaria* nec syrupum *de Fumaria* compositum, nec syrupum *de Epithymo* in principio Quartanæ admittat. Velim ergo me edoceas, quomodo ista tua medicamenta defendi posse putes; & simul illud iterum explices, quænam sit illa coctio, quæ in intermittentibus expectanda & quæ eius signa. Reprehendit Galenus sui temporis Medicos, quod Theriaca intempestiuè exhibita, in sene simplici Quartanâ triplicem fecerint, quâ eadem post coctionem exhibitâ eandem febrem media hyeme curauit. Optarim, Galenum addidisse, quomodo coctionem illam curauit, & quibus signis deprehenderit.

De coctione in intermittentibus, eiusque signis.

Quæ de venarum in Naribus & sub Lingua apertione scripsisti, & historiis illustrasti, vera sunt, & nunquam istæ particulares euacuationes instini debent, nisi prius vniuersales præmissæ sint. Et miror Medicos multos tam incautos esse, vt si quid auxilij commendari alicubi legant statim id in vsum trahant, nec prius cogitent quo tempore & quomodo ab Authoribus adhibitum sit.

De Venarum in naribus & lingua apertione.

De *Vomitoriorum* operatione nos non dissentire puto. Neque enim nego, humorum indicationem, & Naturæ conatum hic aliquid posse: Interim tamen vis ventriculum vellicandi, ipsique aduersandi in medicamento primaria vomitus causa esse potest. Quod verò alij facilius, alij difficilius, etiam propinatis vomitoriis, vomant, causa videtur, quod in aliis ventriculus debilior, in aliis fortior, & quod irritationem illam facilius alius sentit, alius difficilius. Quod in Hydropicis Mercurius nullum mouet vomitū, potest forsá ad id sal aliquid facere: Adderem ego, & hanc causam, quod ventriculus; & vicinæ ei partes serosis humoribus obrutæ stimulum medicamenti non sentiunt. Et eam ipsam ob causam Hydropicis sine periculo, quod ipse vidi, dari Mercurio puto. Dum enim partes corporis viuentis obruuntur humore aquoso, non ita facilè a medicamento hoc afficiuntur. Ego tamen ad eam dosin, quem Collega tuus propinauit, nunquam adscenderem.

Vomitoriorū operatio.

Causa.

Mercurius cur in hydropicis vomitū nullum moueat

Quod tibi impossibile videtur, medicamenta sudorifera solidioris substantiæ, in ambitum corporis vsque penetrare, id mihi impossibile non videtur: Puto enim calia in corpore nostro in actum deduci, & ea iis spirituosam quandam substantiam, resolui, quæ in venas totius corporis penetrat: Eodem modo, quo ex paucis gr. ♁. vitri, vel fl. tale quid in totum corpus dispergitur. Sunt tot actiones, quæ per talia effluuia seu ἀποῤῥοίας fiunt vbiuis obuiæ, & tamen à paucis Medicis, & Physicis attenduntur: Si tamen rectiùs hîc quid nosti, quomodo Bezoar, Bezoardicum minerale, & similia sudorem cieant, lubenter me erudiri patiar.

De medicamentis sudoriferis.

De depressione Cranij puerorum illas, quam Germani *das Blatfallen* nominant, equidem in Lectionibus nihil habeo; in additionibus verò hæc annotaui *ad finem c.* 20. Præter hanc, quæ à causa violenta fit, Cranij depressionem, alterius adhuc mentionem faciunt Authores, quæ à causa interna ortum habet in Infantibus. Aëtius *tetrabib.* 2. *serm.* 4. *c.* 13. *Siriasin* appellat, quod in syncipite cauitas quædam apparet. Σιρὸς enim apud Græcos, dicitur fossa, at corpus; in qua semina seruntur. Etsi verò *Aetius loco allegato* saltem ab inflammatione Cerebri & membranarum accidere dicit tamen & in

De depressione Cranij puerorum.

Eius ortus.

alijs

aliis morbis *Os bregmatis* infantibus nonnunquam ſubſidet.

In Germaniâ mulieres appellant *das blattfallen oder ſchieſſen.* Cùm enim oſſa Syncipitis parte ſuperiore, vbi Coronalis & ſagittalis ſutura coeunt, non dura ſint, ſed cauitatem quandam efforment, quam membrana quædam, quæ omnium poſtrema ſiccescit, & oſſa coadit, regeret, membranam hanc Arabes *Zendech*, nonnulli *fontanellam*. Germani *das blatt* appellant, idque os, ſeu membrum potius, vt diximus, interdiu in infantibus ſubſidet, & à mulieribus pro lethali plerumque ſigno habetur; quod proculdubio accidit, cùm ipſum Cerebrum in morbo aliquo graui in motu deficere incipit, nec libere dilatatur. Vt Lipſiæ io libros, quorum Catalogum mihi miſiſti, inquireretur, curaui: Nullus ex iis venalis inuentus præter *Reuteri Hippiatriam*, quæ 1. fl. 15. gr. emitur.

Membrana cauitatem in syncipite tegentis varia appellationes.

Calamitatum nullus adhuc finis. Bellici motus non ceſſant, ſed quaſi à principio repetuntur. Annona in dies creſcit, & ne ante menſem inopinatum pretium frumenti ſtatuatur, metuo. Et an in iſta aëris conſtitutione immunes futuri ſimus à peſte, DEVS nouit, & is noſtri miſereatur. Hæc boni conſule, feſtinationi ignoſce, & cum tua, & reliquis noſtris benè vale. VVittebergæ 7. Decembr. Anno 1623.

EPISTOLA LXV.

PERIOCHE.

1. *Auctor literas per ordinarium Tabellarium à Doringio Lipſiam mittendas prima occaſione expectat.* 2. *Cauſam cur editionem tractatus de Scorbuto maturet, allegat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SQuod nihil litterarum à te mihi attulit Tabellarius, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, feſtinationem eius cauſam fuiſſe exiſtimo. Quis verò non dubito te aliquid ad me exaraſſe: velim prima occaſione illud per ordinarium Tabellarium Lipſiam mittas, vnde ad me facilè perferetur: nam de Aurigæ intrà breue tempus ad vos aduentu nulla ſpes eſt. Poſt Nundinas enim Lipſenſes initium Typographus in excudendo tractato de Scorbuto faciet. Maturo editionem & ob cauſas nuper ſcriptas, & quia promptum iam Typographum habeo.

Cur tractatũ de Scorbuto maturet?

Interim bene vale. Vittebergæ prid. Cal. Ian. Anno 1624.

EPISTOLA LXVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur editionem Tractatus de Scorbuto non vſque adeò maturandam cenſuerit?* 2. *De natura Scorbuti, & an in ſola πνευματώσει denegata cumprimis conſiſtat?* 3. *An contagij natura in Scorbuto nobis ſit occulta?* 4. *Scabies, ophthalmia &c. cur proinde vt peſtis, lues Venerea, rabies Canina &c. contagio propagentur?* 5. *An excrementitium ſalſuginoſum omnibus morbis tartareis ſemper ſit fixum?* 6. *Itali cur non aquè in Scorbutum ac Germani procliues?* 7. *Frigidus aër ad Scorbuti generationem in quantum admittitur?* 8. *De productione Scorbuti.* 9. *De ſale eſculento & tartaro in vino.* 10. *Cur Sal in Scorbuto putredinem inualeſcere ſinat, cùm tamen eſculentus ſal à putredine preſeruet?* 11. *De ſede Scorbuti primaria.* 12. *Cur omnia fere medicamenta cum lacte preparentur?* 13. *Lac cur minus apud Scorbuticos quàm alios cacochymicos corrumpatur?* 14. *De diſputatione graduali D.F.M. mira dogmata, mirúmque ſtylum continente.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SNe te in eo, quod moliris, opere, *Clariſſime Dn. Affinis & Compater honorande*, morarer; cum propter ferias Natalitias & feſtinum Tabellarij qui tuas afferebat abitum id expedire non liceret, tu autem reſponſum à me exigeres: Omne hoc quicquid iam vides, & capis, inſtante hoc mercatu trans Lipſiam ad te mittendam cenſui. Ignoſces autem ſi fortè minus tuis obiectis ſatisfecero: Ob dictas enim modò cauſas elaboratiora dare non valui. Initio igitur conſilium meum de non feſtinanda Tractatus *de Scorbuto* editione, eò potiſſimum fuit à me directum, vt ſicubi poſſem, famæ tuæ incrementum magis magiſque pro meo virili, & noſtra affinitate promouerem. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin ſcripta crebriùs relecta, & per collationes priuatas quaſi limata, accuratiora & politiora ſubinde euadant. Et an non vel inconſtantiæ, vel præcipitantiæ, vel ſcribendi pruriginis accuſari poſſit is, qui ſua toties publicè corrigere ſolet, rute videris. Quid? quod emptores facilius inuenit opus, benè ab Auctore, quod elaboratur ſemel, & eadem facie recuditur; quam quod tam crebro innouatur. Non ea mihi mens fuit, vt totidem omninò annos, quot definiuit *Horatius*, hoc tuum ſcriptum ſupprimendum cenſerem: ſed ne ipſius publicationem tantoperè maturares; atque forſan non ſatis omni ex parte elaboratum extruderes. Si quid, (vt ſumus homines mortalitati, & talibus caſibus omnes expoſiti) humani tibi intereà acciderit, (quod verò diu prohibeat DEVS,) habes iam adultos filios, qui id in lucem emittere, ac rei litterariæ damnum tuo loco compenſare, tibique famam poſthumam comparare quibunt. Non peribit, crede mihi, quicquid aliquantulum domi concinnaris. Sin propoſiti tenax permanſurus es, vt quod libet, facias, per me ſanè licebit: ſiquidem mihi quicquam hîc nec ſeritur, nec metitur.

Auctor cur editionem Tractatus de Scorbuto non vſque adeò maturandã cenſuerit?

Scorbuti naturam, in denegatâ πνευματώσει ſola cumprimis conſiſtere, neque ſpecificam quandam & indicibilem humorum corruptionem concurrere, tali probas argumento.

De natura Scorbuti & an in ſola πνευματώσει denegata cum primis conſiſtat.

Morbus qui curatur medicamentis manifeſta qualitate præditis non eſt occultus, ſcilicet totius ſubſtantiæ. Scorbutus curatur talibus, E. &c. Minorem ex eo probas; quod medicamenta antiſcorbutica nihil occulti poſſideant. Itane verò, *mi Sennerte*? Equidem non ſerò rem hanc agere mihi videris, cùm dubitanter duntaxat talia te proferre nunc confiteatis, & nuper præter denegatam πνευμάτωσιν ſpecificam illam, & indicibilem humorum corruptionem requiri conceſſeris. Ergone ſpecificis, & appropriatis nihil occulti ineſſe putas. At credideram ego hactenus, quod, quæ ſic appellantur, propter peculiarem quandam, & aliis non communem proprietatem, id nomen mereantur.

Vt alia taceam; certè, quæ hydrophobiæ, lui Venereæ, &c. conueniunt, præter qualitates manifeſtas longè alias hiſce affectibus contrarias, ſenſibuſque, vt illæ, minus patentes, poſſident. Ergone etiam ſal ille volatilis amaruſculus nulla qualitate occulta ſtipatus eſt? Inuenias enim proculdubio alia ſale non minùs gaudentia, aduerſus Scorbutum tamen inefficacia. Scire igitur ex te velim, quæ cauſa ſit, quod comperta hucuſque antiſcorbutica præ aliis huic vſui ſint idonea? Quin ſcire inſuper velim; eccur ſal ille amaruſculus hoc præſtet? Dantur enim alia ſale volatili, ſed dulci, prædita: quæ an huic effectui conueniant? non certum eſt.

Contagium occultam qualitatem neceſſariò non arguere facilè admitto: cùm ad probandum contrarium eo nunquam vſus ſim.

Poſſet tamen fortaſſis quiſpiam & de contagio dubium mouere, annon eius natura nobis adhuc ſit occulta? Vt enim alis prætercam; ij ipſi profectò morbi, vulgo pro merè manifeſtis habiti, quatenus contagioſi, occulti aliquid participare videntur. Explices enim reuerà tu mihi, & cauſam, in quâ animus meus veritatis auidus planè acquieſcat, ediſſeras, cur ſcabies, Ophthalmia, &c. perinde vt peſtis, lues Venerea, rabies, canina &c, contagio propagentur? Et quid tandem tertium illud ſit, in quo inuicem concordant? Quod ſi tacere non poteris, occulte

An contagij natura in Scorbuto nobis ſit occulta?

Scabies, Ophthalmia, &c. cur contagio propagentur?

occulti quid subesse, vt fatearis, necesse erit. Ita nimirum vbique ignorantiæ luto commaculamur. Hinc igitur vides, peculiarem etiam illam & indicibilem corruptionem quæ in Scorbuto præualet, necessariò talem aliquam qualitatem, quam exprimere decenter nequimus, indicare, neque πνευμάτων denegatam salis esculenti solùm satisfacere. Etsi verò Qualitas ista occulta, talis omninò non sit, qualis vel in venenis, vel purgantibus, aut cæteris morbis, pro tamæ morbis hactenus habitis: peculiaris tamen & ipsa est, adeóque nullo iure, quantum ego quidem intelligo, ea occultarum numero excludenda.

An excrementitium salsuginosum omnibus morbis tartareis semper sit fixū.

In omnibus morbis tartareis excrementitium illud salsuginosum non semper esse fixum, Arthritidis exemplo confirmat: vtpote in qua humor ille, qui dolorem excitat, sæpissimè volatilis fit. Sanè mea Arthritis, quæ nihil tophacei per Dei gratiam post se relinquit, tuæ causæ primo intuitu quodammodo patrocinari videtur.

At si rem penitiùs introspiciam, mea opinio non parùm inde stabilitur. Postquam enim pillulis illis meis Antipodagricis vsus sum, non rariùs solummodò sed clementius etiam, (pro qua felicitate Deo sit laus & gloria) ab arthritide hoc anno laboraui: quippe roboratis visceribus non saltem minus salis illius fixi arthritici colligitur; sed etiam id, quod forsan adhucdum redundat, cùm ea earundem vsu volatilisescit, ac per sudores matutinos quotidiè ferè euacuatur, tum in articulis illapsum a calore ipsorum (quem etiam illæ pillulæ vegetiorem reddunt) rarescit, & discutitur. Tametsi igitur & in me de sale fixo nonnihil coacervetur, adeoque Arthritis, si quando me inuadit, ab eodem inducatur, ob caussas tamen iam recensitas euaporat. Idem esto de similibus iudicium.

Itali cur non æquè in Scorbutum ac Germani procliues?

Quod nostri Hypochondriaci, & Quartanarij facilè fiunt Scorbutici, Itali autem non item, propterea fieri existimo, quod 1. in alio aere viuunt 2. alio victu vtuntur 3. seminariorum scorbuticorum quicquam non facilè aliunde hauriunt.

Frigidus aër ad scorbuti generationē in quantum admittatur?

Frigidum aërem ad Scorbuti generationem facere eatenus admitto, si simul humidus sit, crassus, & uliginosus. Neque enim in reliquis, præterquam maritimis locis septentrionalibus æquè Scorbutus primus innotuit, aut hodie etiamnum reperitur, nisi per contagium eò transferatur.

De productione Scorbuti.

An perpetuæ veritatis sit illud, quod scribis, Tute videris: nimirum Scorbutum produci, non cùm humores aduruntur, sed cùm ob copiam salis esculenti & ciborum crassorum, nec chylus in ventriculo satis rarescit, nec sanguis qui in mesaraicis, Liene, & epate elaboratur, satis volatilisatur, & præcipuè sal in eo non volatilis redditur: Ecur enim post Febres emergit Scorbutus? aut per Febres non corrigitur Scorbutus? aut qui eodem victu vtuntur, omnes tamen simul non fiunt Scorbutici? quod quidem nouum argumentum peculiaris alicuius & indicibilis corruptionis suppeditare videtur. Adhæc salis fixi è rebus eductioni præsupponendam quandam adustionem, siue, vt Chymico dicam termino, calcinationem, tibi minimè ignotum est. Quidni igitur & in Scorbuto simile quid quandoque contingat?

De Sale esculento & tartareo in vino.

Salem esculentum in alijs morbis tartareis sufficienter volatilem reddi, tartareum verò, quod est in vino, vtpote coctioni ineptum, non separari, sed relinqui; an dubio careat? diligenter dispicias.

Et dicas mihi, an apud Scabiosos, nephriticos, hypochondriacos, sal esculentus decenter volatilisescat? tartareum verò quòd in vino duntaxat sit, superstes maneat? Quasi verò non omnibus esculentis suum insit tartarum, & suus sal fixus.

Problema de sale in scorbuto putredinem inualescere sinente.

Responsione mea ad Problema; quî fiat, quod Sal in Scorbuto putredinem inualescere sinat, cùm tamen esculentus sal à putredine præseruet? non plenè tibi satisfieri facilè credo; Quin & facilè concedo; aliud esse corrodi fibras sanguinis, aliud eundem putrescere. Neque enim hæc pro eodem habui.

Sed corrosionem istam sanguinem & humores, ipsasque adeò partes ad facilius suscipiendam putredinem quasi præparari indicare volui. Quod an à verò penitùs sit alienum, ipse cogites. Fætor ergo in gingiuis, non aliunde, quàm à putredine proximè proficiscitur. Erosionem tamen quæ ab humorum affluentium acrimonia oritur, ibidem concurrere, res videtur esse planissima.

Tua, quæ est; quod πνευμάτων non saltem esculento sali, verùm etiam alijs cibi partibus denegetur, atque hinc fiat, vt circa primas vias subsistentes postea corrumpantur & putrescant; an difficultatem melius tollat, paulisper ipse tecum perpendas.

Non enim neruum Quæstionis tetigisse videris: siquidem causa reddenda erat, cur sal fixus in Scorbuticis, tàm in primis viis, quàm reliquis vasis iuxta tuum dogma abundans, putredinem tantoperè inualescere permittat, Et quis mihi persuadeat? quod alias in δυσπεψίᾳ Ventriculi iustam alimenta adipiscantur πνευμάτωσιν. Inde tamen vel putredinem protinus consequi, vel malum scorbuticum oboriri nemo animaduertit: Vides igitur vel hinc etiam, quod præter πνευμάτωσιν denegatam, requiratur longè alia siue alimentorum, siue humorum in corpore humano corruptio, si scorbutus suscitari debeat. Adde quod eandem specificam corruptionem mira & polydædala symptomatum varietas ad oculum quasi demonstrare videatur.

De sede Scorbuti primaria.

In definienda Scorbuti sede primaria, quod ego nuper constituebam ventriculum & reliqua officinæ facultatis naturalis membra, hæsitas, an mecum eandem profiteri debeas? Caussam dubitandi hanc affers. An non enim, inquis, per sudores vel concubitum etiam in eodem lecto eum quis contrahere possit? Quod si sic: Quid tum primò inficiatur? quæris. Proculdubio sanguinem in vena caua primùm deprauari opinaris. Sanè per dicta contagionis media Scorbutum propagari posse, non negarim. Illud tamen fortassis citrà absurditatis alicuius notam iterum dixerim; quod seminarium Scorbuticum vi sua peculiari antipathetica ventriculum primò, mox reliqua officinæ facultatis naturalis membra adoriatur, perinde ac venenum pestilens primariò cor, canis rabidi cerebrum, Lues Venereæ, Epar, Leporis marini pulmones, cantharides Vesicam &c. inuadit, afficit, & occupat. Viden' verò hîc aliud specificæ, & indicibilis, quàm nouimus, humorum corruptionis indicium?

Cur omnia ferè medicamenta cum lacte præparentur?

Quod Auctores omnia ferè medicamenta cum lacte præparari iubent, & in vomitu lac plus, quam alia medicamenta prodesse sentit Eugalenus, cùm tamen lac aliàs in corporibus cacochymicis parùm prosit, sed facilè corrumpatur: caussam hanc esse suspicor, quod per id nimia humorum acrimonia perbellè mulceatur, & abstersio eorundem promoueatur.

Quo duplici nomine quantoperè Scabiosis conducat serum lactis, etiam me non monente nosti. Accedit, quod in eo continetur nitrositas, quâ salem illum fixum volatilisari, atque hac de causa ipsum quoque Nitrum, ac salem Armoniacum in vsum vocari posse, quis dicere valeat.

Quod autem apud Scorbuticos Lac minus, quàm alios Cacochymicos, corrumpitur, salis fixi copiæ adscribendum fortè puto.

Lac cur minus apud Scorbuticos quàm alios Cacochymicos corrumpatur?

Impedit enim eiusdem coagulationem saccharum quoque, quod à Chymicis inter salia etiam commemoratur: Interim serum ipsi lacti prætulerim, ob caseosæ substantiæ absentiam. Sudorifera à plerisque etiam commendantur: Nescio tamen an satis rectè. Cùm enim Scorbutici ob spirituum paucitatem de perpetuis languoribus & virium deiectione conquerantur, vereor, ne illis per sudorifera ampliùs dissipatis languores magis itidem intendantur.

Disputatio gradualis D. F. M. dogmata mira continet.

D. F. M. *Disputationem gradualem*, quemadmodum ipsam nominat, nuper ex domo *Magnifici Dn. Christophori Poley* adeptus sum. Mira continet dogmata, & mirimum, qua vossis vtitur *Monauius*, stylum. Non irridetur saltem à multis propterea, sed etiam vituperatur; cùm sermo animi index vulgò censeatur.

Ipse si quod exemplar mihi obtuleris, vt id per me accipias, (nisi forsan aliundè aliquod iam nactus es) atque ita transmarinæ ipsius sapientiæ per tot annos, tam longinquas peregrinationes, tantosque sumptus comparatæ, particeps euadas, faxo.

B. V. & præsentem nouum annum feliciter ingredere. Dab. Breslæ d. 3. Ianuarij Anno 1624.

EPISTOLA LXVII.

PERIOCHE.

1. De occulta qualitate in Scorbuto. 2. Tartari nomen ambiguum, eiusque effectus varius. 3. An vitium coctionis humorisque specifica corruptio vocabulo generali κακοχυμίας magis quàm denegata πνευματώσεως explicetur? 4. An in Scorbuticis Lien & hepar plus quàm ventriculus afficiantur? 5. Scorbutici spirituum paucitate laborant.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Salutem, Annumque nouum felicem. Re in omnem partem penſitatâ, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, ita tandem mecum ſtatui. Quia tempus, quod poſthac materiæ de Scorbuto elaborandæ tribuam, mihi defuturum exiſtimo, hactenus verò qualemcunque etiam diligentiam in materia hac elaboranda adhibui, de ſpecifica verò corruptionis huius natura (quæ omnium venenorum eſt ratio) cognoſcenda planè deſpero: paulò poſt cum Deo bono, ad huius tractatus editionem me accingam.

Si quid ex noſtris Collationibus in tractatum hunc conferri poterit, illud non omittam. Et ſi quid porrò monere potes, non omittas.

De occulta qualitate in Scorbuto.

Optarim verò vt aliquid habeam, quod ſolidè ad illud argumentum, contra occultam qualitatem in ſcorbuto seponere poſſim. An ea quæ tu ad eius ſolutionem affers, ſatisfaciant, dubito. Equidem quod dentur medicamenta, occulta qualitate agentia, nunquam negaui, ſed operosè defendi: verum de hoc quæſtio eſt, *an naſturtium, cochlearia, raphanus ruſticanus, ſinapi &c.* ſint talia, & an alia in iis ſit vis, quæ non pendeat à ſale volatili. Quod tibi probandum: vt & hoc, quod dentur medicamenta alia, tali ſale non minùs gaudentia; ad ſcorbutum tamen inefficacia.

Tartari nomē ambiguum.

Tartari nomen apud Chymicos eſſe vulgò ambiguum, ipſe noſti: ideoque hîc pro vocabulo non valdè pugno. Hoc certum eſt, multos morbos à Tartaro deduci, qui ſecundùm cauſam etiam ſpecie differunt. Ideoque *Tartarum* longè aliter ſe habet in Saxonibus, & Scorbuticis, quàm in Italis, ob aërem, & victum, quod facilè concedo: Et omninò aër frigidus, humidus & craſſus, vliginoſus πνευματώσει multùm aduerſari videtur. Quin tamen febres, ſi in corpus tali materia repletum inciderint, eam adurere, corrumpere, & ſcorbuticam corruptionem inducere poſſint, non dubito: Neque enim materia hæc quatenus ſimpliciter cruda, Scorbuti cauſa videtur, ſed quatenus diu in primis viis hærens corrumpitur.

Effectus varius.

Hoc etiam facilè concedo, neque coctionis illud vitium, neque humoris ſpecificam corruptionem ſatis explicari poſſe. *R. Dodonæus*, & ex eo *Horſtius* vtuntur vocabulo illo generali μελάνσεως, quod an plus explicet, quam mea denegata πνευμάτωσις, dubito. Si quod aliud vocabulum habes, quo natura huius humoris corrupti exprimi poſſit, illud explices.

De vocabulo μελάνσεως & πνευματώσεως.

Vt venena omnia, etſi totum corpus lædendi vim habeant, principaliter tamen alicui membro aduerſantur: ita etiam prauum illum ſcorbuticum humorem membris inprimis nutritionis aduerſari concedo, & hactenus in lectionibus meis ipſe defendi. Malo tamen ſtatuere affici hîc hepar, & lienem, quàm ventriculum: Cùm Scorbutici ſæpe de ventriculo parùm conquerantur, in omnibus verò αἱμάτωσις vitiata ſit. Imò & hoc aſſerui, in omnibus reliquis corporis partibus carnoſis nutritionem vitiari, & facultatem eam lædi.

In Scorbuticis Lien & hepar maximè afficiuntur.

De *Lactis* vſu in Scorbuto planè tecum conſentio. Sudorifera quod attinet, verum quidem eſt, ſpirituum paucitate laborare Scorbuticos: Iidem tamen etiam à prauis vaporibus opprimuntur; quibus diſcuſſis melius habent. Collega meus *D. N.* tota hac hyeme Scorbuto decumbit. Idem niſi continuè ferè ſudet, de ſumma anguſtia pectoris, & imminente lipothymia conqueritur; & dum ſudat, melius habet. Si quid amplius de Scorbuto meditatus es, potes id mecum communicare.

Scorbutici ſpirituum paucitate laborant.

Scripſi quidem nuper ad *Medicum aulicum Studtgardenſem*, vt M. diſputationem, ſi haberet, ad me mitteret. Sed quia nihil reſponſi ab ipſo hactenus accepi, & tibi eius copiam eſſe intelligo, oro, vel legendam eam mittas. Statim eam reſtituam.

Rectè! Sermo & veſtes animi Indices ſunt. Et quid ex eo in vitam humanam commodi redundabit, ſi hoc modo res ſuas comparabit? Somniaui hiſce diebus, me ab eo litteras accipere cum tractatu *Martini contra principia Chymica*, quem totum in margine notis oppleuerat. Plura iam ob alia negotia non licet. Hæc boni conſule, & tum tua B. V. Vitteb ergæ 21. Ian. Anno 1624.

EPISTOLA LXVIII.

PERIOCHE.

1\. *Argumentum Sennerti de occulta qualitate in ſcorbuto à Doringio oppugnatur.* 2. *Sali volatili amariuſculo occulti aliquid ineſſe probatur.* 3. *Aromata copioſum ſalem volatilem habent.* 4. *Αἱμάτωσις in omnibus Scorbuticis an primariò lædatur?* 5. *Signum pathognomonicum Scorbuti.* 6. *Hiſtoria Eſaiæ Tanneri Scorbutici.* 7. *Decoctum pro Scorbuticis eiúſque effectus.* 8. *An hepar & Lien in Scorbuto vniuerſaliter afficiantur?* 9. *Muntzeri de Diſputatione inaugulari D. M. iudicium.* 10. *Auctor de eodem.* 11. *Sennertus propter librum de conſenſu & diſſenſu Chymicorum cum Galenicis penes D. F. M. pro ſeductore iuuentutis habetur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Quandoquidem, *Clariſſime, Dn. Affinis & Compater honorande*, ita ſtat ſententia, *Tractatum de Scorbuto* quamprimùm edendi; nolo meis diſſuaſionibus ennarum iſtum amplius retardare. Quin opto, vt is bono publico lucem aſpiciat.

Argumentū Sennerti de occulta qualitate in Scorbuto, impugnatur.

Argumentum autem illud contra occultam qualitatem in Scorbuto nuper à te productum, quod tanti æſtimas, admodum miror: ſi enim in Scorbuto adeſt peculiaris & ſpecifica humorum corruptio, qualis in aliis morbis non reperitur, neque ſufficit denegata πνευμάτωσις, iure illius Regulæ Therapeuticæ, quod contraria contrariis curentur, præter rationem non colligo, quod remedia antiſcorbutica, quatenus talia, occultâ quadam, & à ſale volatili, quatenus is itidem talis, diſtinctâ virtute operentur. Atqui ſpecificam illam humorum corruptionē in Scorbuto neceſſariò dari, neque ſufficere ſolam denegatam πνευμάτωσιν, pluribus argumentis à me hactenus confirmatum eſt. Sequitur ergo, quod remedia Antiſcorbutica, quatenus talia, occulta quadam, & à ſale volatili, quatenus is ſimpliciter talis, diſtincta virtute operentur. Viden' igitur meæ probationis vim? viden' etiam tui argumenti inuerſionem, ac Minoris in eo falſitatem. Denuò itaque dico, me admodùm mirari, quod argumenti illius imbecillitatem non aduertas, atque agnoſcas. Probanda enim tibi affirmanti operosè erit Minor, ſi pro roboreo haberi debebit: Mihi interea, vſque dum id feceris, ficulneum videtur.

Sali volatili amariuſculo occultū aliquid ineſſe probatur.

Vt ſali volatili amariuſculo occulti quid inſuper ineſſe docerem; hanc rationem ſubieci: quod alia tali ſale non minùs gaudentia, ad Scorbutum tamen inefficacia. Rei igitur illiuſmodi probationem à me requiris. Dabo: tametſi ferè dubitanter ſolummodò hæc perſcripſerim. In vrinâ, ſanguinibus, cornu cerui, ſuccino, benzoino, &c. continetur ſal volatilis. Quis verò iſta, vel eorum ſalem, aduerſus Scorbutum hactenus commendauit vnquam, vel hodie eorundem vires periclitari facilè auſit? cùm certa ſuppetant, quæ à pluſimis per fidam experientiam millies fuerunt comprobata. *Aromata* copioſum habere ſalem volatilem, non ſumma duntaxat ipſorum acrimonia, primo ſtatim contactu linguam mordicans, ſed & huiuſce, temporis progreſſu, euaneſcentia ſatis ſuperque oſtendit; cùm interim Aromatum corpus ſalis fixi nihilo pauperius reddatur. Quis verò neſcit frequentiorem, ac nimium horum vſum hypochondriacis eſſe noxium, ſiquidem humores inde aduruntur? Quin ipſa Scorbuticis eodem nomine ſint nocitura, rem paulo attentius perpendenti, vero fortaſſis non videbitur vſque adeò contrarium. Interim igitur ex te ſcire velim cauſam; cùm ſecundùm modo dicta ſal volatilis, quâ talis, difficultatem omnem non tollat: quare comperta hucuſque antiſcorbutica præ aliis huic vſui ſint idonea? Quam ſi dare non poteris, ad occultam ſine dubio qualitatem vltrò mecum confugies: vtpote, quam, ſi quid aliud, præmiſſum certè meum, & ex tui inuerſione extructum argumentum, abundè inſinuare videtur. Tuum verò illorum per omnia ſimile eſt; qui ex eo, quod remedia peſtilentiæ

Aromata copioſum ſalem volatilem habent.

aduerſantia

aduersantia putredinem restinguant; ipsius quoque pestilentiæ indolem in putredine consistere sibi persuadent; ac proptereà in nescio quos putredinis labyrinthos delabuntur. Idem tibi cum tua ὠδηματώσει denegata accidit. Nam etsi deprehendas, coctionis in Scorbuto vitium, & specificam humorum corruptionem satis explicari non posse; mauis tamen in tua denegata ὠδηματώσει subsistere. An verò satis rectè? Tute videris. Etsi igitur coctionis illud vitium, & specifica humoris corruptio, quid reuera sit, vno simplici termino sufficienter exprimi nequeat; præter ὠδημάτωσιν tamen denegatam, aliquid perniciosius, & abstrusius concurrere, è disputatis hucvsque inter nos non obscurè, vt opinor, liquet.

Αἱμάτωσις, in omnibus Scorbuticis an primariò lædatur? Signum pathognomonicum Scorbuti.

De sede primariâ Scorbuti nobis inuicem nondum conuenit: Nam etsi & ego facilè concedam, lædi in omnibus Scorbuticis αἱμάτωσιν: non concessero tamen æquè facilè, lædi eam primariò, sed ventriculi saltem interuentu; siquidem aliàs pathognomonici illius signi Scorbutici, quod est singularis illa circa præcordia sub diaphragmate ad ventriculi regionem, angustia, ratio condigna nulla afferri potest. Nec memini inter tot mihi hactenus oblatos, & curatos Scorbuticos vel vnicum repertum, qui de ventriculi integritate gloriari poterit.

Historia Esaiæ Tanneri Scorbutici.

Submisit se ab octiduo curæ meæ *Dn. Esaias Tannerus*, meus VVittebergæ olim coætaneus, vir annos aliquot suprà 40. natus, natura melancholicus, spleneticus, & à multis annis hypochondriacus. Is cùm procul-dubio à multo tempore semina scorbutica in sinu occultè fouisset, ante duos propè menses notabili virium languore; lassitudine membrorum spontaneâ, appetitus deiectione, corporis extenuatione, somni paucitate, pedum ad talos vsque tumore, ventris, præcipuè hypochondriorum lancinationibus, gingiuarum pruritu & sanguinolentiæ, &c. cum primis verò decantata, & peculiari illa præcordiorum angustia, correptus est; accessit tussis molestissima. Vocatus è prædictis de Scorbuto indubitatè conclusi; tametsi nec vrina, quæ subcrassa saltem erat, turbida & leuiter tincta cum crasso sedimento; morbo per omnia responderet; nec non nisi leuissima macularum indicia in ipsis quasi cutis poris tum temporis quidem apparerent, nullæ verò maculæ veræ vnquam visæ prius fuisse constanter dicerentur.

Decoctum pro Scorbutico, eiúsque effectus.

Præscripsi *species decocti apertiu. max. cum herb. cochlear. veri, & cuscuta, radicibus rhapontici veri, & sem. carthami*, coquendas è vino Rhenano. Quo decocto cùm per triduum vsus absque ab eo aluus quotidie bis ordinatè mota fuisset, ecce maculæ in cruribus satis latæ, & elatæ ac purpureæ eruperunt: quæ me in concepta, de morbi ipsius essentia, opinione egregiè confirmauerunt. Ordino itaque aquam meam antiscorbuticam. Quam cùm per biduum quater bibisset, atque iterum ad prioris decocti vsum rediisset, maculæ in cruribus hinc inde ac suprà genua etiam, quin & in pectore numerosiores apparuerunt.

Dolores quoque nocturnos in genu dextro passus est. Hæc istius Scorbutici est historia; cum in finem à me adducta, vt veritatem superioris pronunciati comprobarem; nempe inter tot mihi hactenus oblatos, & curatos Scorbuticos, nec vnicum repertum esse, qui de ventriculi integritate glorietur.

An hepar & lien in Scorbuto vniuersaliter afficiantur?

Hepar, & lienem in Scorbuto affici vniuersale etiam non est; cùm, vt ex tuo sensu *Breuggerus Respondens in Disputatione de Scorbuto thesi* 3. scripsit, Anatomica cadaueris Scorbuto extincti inspectio, lienem, hunc in finem studiosè inuestigatum, sanum, integrum, & nullâ vel obstructione, vel aliâ dispositione praua corruptum ostenderit. Simile quid refert *Forestus lib.20. Obseru.11.* dum in *Assendelphio, Hollandiæ Præside*, hepar maximè affectum fuisse docet.

In reliquis corporis partibus, non carnosis duntaxat (quod tu affirmas) sed omnibus in vniuersum nutritionem tandem vitiari, facillè quidem largior: Facultatem tamen earundem primùm lædi non concedo; cùm error externus princeps viciatæ nutritionis causa existat, quatenus nimirum prauum nutrimentum ad partes defertur.

Munceri de disputatione inaugurali D.M. iudicium.

Mitto hìc *Disputationem D.M.* quam retinere poteris. Aliud enim adhuc exemplar ex Auctoris dono possideo. *D. Paulus Muncerus* nuper tale iudicium super eâ scriptum ad me misit.

> *Calumnias, nugas, vanas ineptias,*
> *Sophisticationculasque rusticas:*
> *Indoctissimum risus antiquarios*
> *Latinitatis nauos, hic si paginis*
> *Expunxeris, benè rasam habebis tabulam*
> *In quâ nihil scriptum, scribi quid vis potest.*

Simile ipsemet M. per iocum de eâ tulit, quando non tantùm coram *Horstio* Nugarum elogio ipsam mactauit; verùm etiam nuperrimè nihil fere in eâ contineri, ideóque ridendam potius, quàm legendam esse apud me semel atque iterum dixit. Profectò & in ipsa verificari video vulgatum illud,

——— *minuit præsentia famam*:

Auctor de Eodem.

quicquid etiam ad Amicum quendam de seipso satis thrasonicè professus sit; sui similem non habere totam Europam, scilicet in nugando, & cauillando. Bonus vir malè, meo iudicio, transegit tot annos, peius suscepit tam molestas peregrinationes; pessimè tandem collocauit tam magnos sumptus è praxi medica (quam is tamen detractat, & aspernatur) vix vnquam recuperabiles. Si quæ in nupera inter nos conuersatione habita occurrerunt, omnia scribenda essent, vix ea aliquot quaterniones caperent. Summam omnium Muncerianum luculenter exhibet *de Disputatione graduali* iudicium. Solus nempè sapit, & veri Medici nomen sustinere potest: cæteri fungi sunt. Tu propter *librum de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis* apud ipsum audis seductor Iuuentutis. *Martinus* egregiè contra te suam causam (ipso videlicet Iudice) tutatus est. Theologis nihilo æquior est; vt non solùm ipse coram nuper meis hisce auribus percepi, verùm etiam à *Dn. M. M. H.* hodiè intellexi.

Sennertus perinde ac D.M. pro seductore iuuentutis habetur.

Innotuerunt iam ipsius fatuitates passim; vt proinde minùs, quàm circa primum aduentum, suinet admiratoribus existat admirabilis. Placeat sibi per me licet, olidâ suâ, & affectatâ Latinitate; exosculetur etiam suas istas vel antiquarias, vel recens comportatas & introductas dogmatum mirorum, absurdorum, & cum seipsis non semel pugnantium farciculas. Paucos procul dubio adstipulatores merebitur. Et tantum est, quod pro tempore ad tuas reponere visum fuit. Bene vale, & à nobis salue. Dab. Breslæ, die 15. Februarij, Anno 1614.

EPISTOLA LXIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur facultatem medicamentorum antiscorbuticorum Doringij hactenus impugnauerit?* 2. *An omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur?* 3. *Auctor de sede primaria Scorbuti Doringio assentiri nondum potest.* 4. *An ab elementis vis emolliendi & indurandi proueniat?* 5. *Auctoris de D. F. M. censura.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor cur facultatem medicamentorum antiscorbuticorum Doringij hactenus impugnauerit?

SNon vt tibi contradicerem, *Cl. Dn. Affinis, & Compater plurimum honorande*, istam de facultate medicamentorum antiscorbuticorum controuersiam hactenus agitaui, sed potius, vt intelligerem, quâ ratione meam sententiam solidè confirmare possem. Inesse enim *Scorbuto* aliquid occultum, vt & medicamentis antiscorbuticis, ipse hactenus, & publicè defendi, & eandem sententiam tractatui meo inserui. Cum verò argumentum hoc mihi obijceretur, iisdem quidem solutionibus hactenus vsus sum: sed an satisfaciant etiamnum dubito. Sic enim sanè non omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur, & amariusculus saltem id faciat: tamen illa saltem salis volatilis quædam species est, aut potius differentia; neque dum probatum, quod præter hanc manifestam occulta adhuc aliqua qualitas adsit.

An omnis sal volatilis Scorbuto aduersetur?

Quæ res ipsa, procul dubio, mouit *VVierum in l. bello Germanico*, vt scriberet, etsi videatur occulta qualitas adesse, tamen illam acrimoniam, vimque attenuandi & abstergendi sufficere. Longè alia ratio est in medicamentis contra pestem, cui medicamenta, quæ qualitates manifestas diuersissimas obtinent, aduersantur, & procul dubio vi occultâ id quod agunt, præstant. Antiscorbutica omnia, sale illo volatili amariusculo abundant. Hoc quidem fateor, specificam suam naturam tales obtinere: Hinc tamen non sequitur, quod aliqua occulta qualitas, qualis quidem in morbis totius substantiæ appellatis, & eorum medicamentis requiritur, iis insit. Verùm, vtut sit, retinebo illam sententiam, inesse aliquid occulti Scorbuto. De *sede primariâ Scorbuti* nondum tibi planè assentiri possum. Sit sanè in plerisque ventriculum affici; per consensum id fieri potest. Habeo tamen nunc sub manibus Scorbuticum, qui satis benè comedit: & angustia illa circa præcordia, non fit ventriculo tantùm affecto, sed diaphragmate, imò, vt existimo, etiam corde & pulmonibus; à vaporibus illis molestatis. Neque ego lienem & hepar primariò semper affici statui, sed materiam Scorbuticam generari, & cumulari in primis viis existimo. An tamen obseruationes illæ satis euincant, lienem saluum fuisse, dubitare quis posset: neque enim impressiones illæ ab occultis qualitatibus factæ, & malignæ διαθέσεις oculis in cadaueribus obuiæ sunt. Nec illud satis planum, an in partibus externis saltem ob prauum nutrimentum nutritio lædatur; an verò etiam ipsis partibus similaribus mala dispositio imprimatur.

Auctor de sede primaria Scorbuti Doringio nondum assentiri potest.

M. suo sensu abundare permitto. Euolui obiter eius disputationem: nam vt cerebrum mihi rompam, in hariolando eius sensu, operæ pretium esse non duco.

Forsan, si verbis planis, quod candorem decet, suas sententias propusuisset, paucos, credo in admirationem traherent. Qoid enim nisi vulgara, & omnibut nota dogmata, imo à candidis ingeniis explosa, sub ineptissimorum verborum inuolucris pro transmarinâ sapientiâ iactitat? Vnum saltem adduco ex *pag.* 125. vbi ex professo contra *Occultarios* pugnat. Dicit ab elementis prouenire vim emolliendi, & indurandi, secundando; lac generandi, tertiando; venena pellendi, purgandive, qoartando. Meræ principij petitiones, cùm uondum monstrauerit, in vllâ elementorum potentiâ has vires inesse. Quidni etiam dixero, ab elementis quintando prouenire sationalitatem, & sextando, nescio quid.

An ab elementis vis emolliendi & indurandi pronoueat?

Verùm obstinatum hoc ingenium nunquam, vt auguror, ad meliorem mentem seducetur. Ἀῤῥησίαν hanc διανοίας ipsum cum lacte materno suxisse, imò à matre traxisse existimo. Ideóque, qood *pag.* 40. multis bonis viris mecum precatur, idem illi opto. Sed qoit tandem istarum peregrinationum, tot sumtuum profusorum ipsi propositus finis fuit? Quæ in genus humanum ex ingenio tam heteroclito, ex tenebrione ac Scotista tali sedundabit vtilitas? Indicet & sentiat ille de me, quicquid libet; cùm mihi integrum sit de eo rursum sentire, qood libet. Inserui breuites meo tractatui, tuas de *Scorbuto Obseruationes*, *& symptomata* illa, quæ apud alios non occurrunt, & *duplicem aquam antiscorbuticam*. Si quid præterea vules, me moneas. Vel etiam Epistolam, aut quidquid libet, adhuc addere integrum tibi fuerit. Interim cum tua bene vale, VVittebergæ, Cal. Martij, Anno 1624.

Censura Auctoris de D. F. M.

EPISTOLA LXX.

PERIOCHE.

1. Horstius ad primarij Medici locum vacantem Vlma vocatus quale stipendium susceperit? 2. De statu Academiæ Giessensis. 3. De publico Gymnasio ciuitatis Vlmensis. 4. Auctor quos scripsit Tractatus recenset, eósque suo tempore in publicum se missurum pollicetur.

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

S Cùm fortè fortuna quidam ex Pharmacopæi cuiusdam nostri ministris natione Glogouiensis me certiorem faceret, *Vir Clarissime, & Excellentissime, Fautor, & Amice colende*, quod Vratislauiam litteras ad suos transmitteret, intermittere non potui, quin hisce te salutarem, atque certiorem facerem, me clementissimâ dimissione præeunte, huc vocatum ad primarij Medici inter sex Ordinarios, locum vacantem, quem Deo elementer annuente vix ante tres menses feliciter cum familia mea tandem *Vlmam* perueniens, honesto stipendio suscepi, nimirùm eâ conditione, vt præter liberam praxin & habitationem gratuitam annuo salario 400. fl. cum sufficienti frumentorum & lignorum copiâ, fruerer; pro quâ conditione Deo gratias ago, præsertim his temporibus, vbi *Giessa*, quod scribit ad me Professor quidam, Academia semimortua, mox extincta videtur. Studiosis absentibus, salariis deficientibus, lectionibus & disputationibus tam ob caussam penitùs intermissis. Difficultates tum in Giessensi, tum in aliis etiam Academiis, mouerunt Magistratom nostrum, vt Gymnasium publicum aperiret, tantùm in gratiam Beneficiariorum, in quo publicè in Theologicis, Metaphysicis, Ethicis Physicis, & Mathematicis exercitia habentur; cúmque quotidie etiam Studiosi Medicinæ adsint, admonitus à *D. Directore & Superintendente D. Dieterico*, breui disputationes aliquot Medicas habebo; quas vnà cum aliis datâ occasione tibi communicabo. *Obseruationum singularium tractatum* elaboraui vtilem qui suo tempore prælum videbit vnà cum *Fasciculo Epistolarum Medicinalium*. De grassante *Dysenteriâ* consilium Germanicum ad mandatum Magistratus edidi, sed per Postam mittere non potui. Quoad cætera cum meis Filiis duobus & cum Filia viuimus ego & Hedevvigis mea, Dei gratiâ, ex voto; breui quartam prolem expectantes, Hassoiuuam scilicet. Tu quid agas rescribe quæso; tuumque Horstium amare perge. Bene vale cum tota familiâ. Raptim Vlmæ 21. Septembr. Anno 1622.

Horstius ad primarij Medici locum vacantem Vlma vocatus. Eiusdem stipendium. Status Academiæ Giessensis.

Gymnasium publicum ciuitatis Vlmensis.

Auctoris Obseruationes singulares. Fascic. Epistolarum medicinalium.

De dysenteria consilium.

EPISTOLA LXXI.

PERIOCHE.

1. Auctor Horstio ad lautam vocationem euecto gratulatur. 2. In auaritiam Magnatum inuehitur. 3. Quæ in publicum emisit scripta, dum Bresle vixit, recenset. 4. Cur Contradini de Morbo Vngarico scriptum nondum in lucem prodierit? 5. Cur libri de Medicina & Medicis curam deposuerit? 6. De arthritide sua conqueritur, & aduersus eam tanquam ordini Medico ignominiosissimam consilium Horstij deposcit.

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Ecquid ex te audio? *Cl. Dn. Horsti, Fautor, & Amice honorande* Tune *Vlmam-Sueuorum* cum familia transiisti, & functionem Medici inter sex Ordinarios primarij, DEO sic disponente, suscepisti? Cælum ego citius ruiturum, quàm *Giessâ* te discessurum credidissem. Captiuum te à Fridericianis, nescio quâ de caussâ detentum *D. Georg. Linetius* præterita æstate nunciabat. Quod si ita babuit, de liberatione vtique quoque è tam miserabili, & ruinoso Academiæ Giessenæ statu ereptus, & ad tam lautam vocationem euectus es, sincerè tibi gratulor: Vtinam & noster Senatus laudabilem istam vestri munificentiam, tam erga Medicos suos physicos quàm Scholarum Collegas & Beneficiarios, æmularetur! Ita enim & ego dudum vacantem ab obitu *D. Bueretij* physicatum, mihi vltrò oblatum, (quem Antecessores ipsimet ambire à multo tempore soliti sunt) suscepissem, & in stationibus suis commorarentur quidam Scholarum Collegæ, qui nunc discessum meditantur: adeo enim omnium rerum summa & inaudita nos exercet caritas, vt cum valoris monetarum execrando augmento pretium ipsarum quindecuplo creuerit. Optamus nos quidem huic enormi ataxiæ præsens aliquod remedium, quando tamen eo potituri simus, nondum liquet.

Auctor Horstio ad lautam vocationem euecto gratulatur.

Auaritia ni Magnatum animos tam profundè occupasset, & effascinasset, forrassis in hunc miserandum, in quo nunc hæremus, statum, non deuenissemus. Feramus interim æquo animo, qoæ mutare non valemus.

In auaritiam Magnatum inuehitur.

Scriptorum tuorum, si quæ mecum communicaueris, rem gratam feceris. Ego ex eo tempore, quo hic vixi, cum variis, iisque diuturnis, ac periculosis morbis detentus tum aliis occupationibus distractus, præter *Commentarios ad Mutoni Collectanea de Mithridatio*, *Acroama Medico-Philosophicum de Opio*, *& Diatriben de Opobalsamo*, nihil in publicum emittere potui; quæ te dudum vidisse puto. In qoibus si tibi alicubi monendus videbur, vt liberè me moneas, oro. Namque & ipse cum *Sennerto* viuus meos errores corrigere, quàm posteris exagitandos relinquere malo. *Conradini de Morbo Vngarico scriptum* dio iam seuidi. Prodiisset in lucem, nisi commentarij ad *Pollinis* de eodem argumento *tractatum* adiiciendi, nondúmque absoluti, editionem remorati fuissent.

Quæ in publicum emisit scripta, dum Bresla vixit, recenset.

Conradinus de Morbo Vngarico.

Absoluissem ipsos dudum, nisi & praxis medica copiosior, & diuersa per Epistolas tum *Sennerto* colloquendi argumenta, me impediuissent Epistolarum Medicarum numerosum habeo apparatum, è quo illas, quæ instituto quadrabunt, Collectaneis ad *Tabulas Medicas de Morbo Vngarico*, è *Conradini libello Germanico*, sed nescio, à quo Auctore exceptas, suis in locis inseram: In collectaneis autem illis Medicorum Vratislauiensium cùm præsentium, tum defunctorum, remedia maximè illustria proponam, *Helidæi euporista*, *eiusdem Tractatus de peste*, *febribus*, *& dosi purgantium* cum quibusdam consiliis suo tempore, si Deus vitam & valetudinem largitus fuerit, edentur.

Tertius meus *de Medicinâ & Medicis* liber residuus, in quo de vtilitate & necessitate Medicinæ tractabitur, semi affectus iacet. Curam de eo omnem nunc deposui; dubito quin etiam, an vnquam à me absoluendus sit; cùm meam operam in expolienda, cuius paulò ante nouam ingressus est methodum, Practica requirat *Sennertus*. Proximè initium

Auctor cur libri de Medicina & Medicis curam deposuerit?

istarum

iſtarum Lectionum deſcriptam ſeſe ad me miſſurum his ipſis diebus pollicitus eſt. Rectè te, atque ea voto cum coniuge & liberis valere gaudeo: Nos etiam iſto temporis articulo, quo hæc ſcribo, ſatis commodè habemus. Deus porrò nobis gratiâ ſuâ adſit. A quadriennio arthritis me aliquoties afflixit, vt ab annuo ſpatio equos domi maximo ſumptu alere coactus ſim, atque impoſterum alere cogar. Præſcripſi ante aliquot menſes mihimet ipſi conſilium, ſuper eo Sennerti iudicium expetivi. Quod cùm is approbaret, feci nuper curæ prophylacticæ initium, quam vt Deus fortunatam eſſe iubeat, precor! Tu ſi me aduerſus moleſtiſſimum pariter & noſtro ordini ignominioſiſſimum affectum conſilio iuuare potes, pro noſtra neceſſitudine ſedulò iuues. Deſcribi curabo conſilium meum, illudque tibi quoque cenſendum tranſmittam; ſi rem non ingratam tibi me præſtiturum eſſe intellexero.

De Arthritide conqueritur.

Thorus noſter adhucdum ſterileſcit, pro quo beneficio, vt miſero hoc tempore Deo gratias agam, cauſas ſufficientes habeo. Miratus non ſemel ſum, quod tanto temporis interuallo nihil à te litterarum viderim. Meas, quas Gieſſam, de quæſtionibus nonnullis Anatomicis, occaſione à litteris *Menanianis* deſumptâ, ante plusculos annos ad te miſi, num acceperis, ſcire velim. Bene cum tuis vale, & cum *D. Dieterico, Superintendente veſtro, Fautore & Amico meo inæſtimabili*, officioſiſſimè à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 19. Nouembr. Anno 1622.

EPISTOLA LXXII.

PERIOCHE.

1. *Magiſtratus Vlmenſis laudabilis conatus.* 2. *De captiuitate Aucloris rumor falſus.* 3. *Auctor Doringio arthritico condolet, ſéque interdum tale quid pati dicit.* 4. *De motu animali ex principiis Mathematicis.* 5. *Landgrauius Philippus alter Ptolomæus.* 6. *Auctor de F. M. Doctoris titulo ornato.* 7. *Idem ſua vocatione contentus, Collegarum cum quibus omnibus amicè viuit, nomina recenſet.* 8. *De lue Venerea an cura ligni, per turbith minerale, vel per ſuffumigia vel per inunctiones ſit procedendum, conſilium Doringij expoſcit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Reſponſoriæ tuæ litteræ, *vir Clariſſime, & Excellentiſſime, Amice plurimùm colende*; via hodie vnà cum epiſtola *Cl. Sennerti* mihi redditæ ſunt, quas animitùs exoſculatus ſum, poſtquam te ſaluum & incolumem eſſe demonſtrarunt. Quoad rerum omnium caritatem nunquam hactenus auditam, quam vel ſola malignantium Æruſcatorum nequitia introduxit, apud nos etiam querelæ conſuetæ; quibus quodammodò Magiſtratus noſter in eo medetur, quod ſumento, lignis, butyro, &c. vt ciuibus egenis (welche nicht 2000. gülden verſteuren) pretio omninò tolerabili proſpiciatur. Modius frumenti purioris, quod *Speltam* vocant, venditur 8. Imperialibus, qui à Magiſtratu $\frac{5}{6}$ Imperialibus diſtribuitur; & ſic in cæteris. Meꝰ quod attinet, Deo Opt. Max. gratias ago, qui cum meis ſanitate corporis, & animi ſeruor, & domum tertio filio 5. Ian. auctam poſſideo. Facilè periculoſis & difficilimis hiſce temporibus contentus eſſe poſſum: Deus impoſterum, vt hactenus, clementer nobis adſit.

Magiſtratus Vlmenſis laudabilis conatus.

De captiuitate mea falſus omninò rumor eſt; quid enim mihi cum politicis negotiis, quæ mea non facio. Clementer *ab Illuſtriſſimo* dimiſſus, cum Dei gratia, ſaluus cum tota familia huc vſque conductus ſui. *Commentarium tuum in Menenium*, & ea, quæ de *Opio & Opobalſamo* edidiſti, grata mihi fuerunt; lectu illa omnia iucunda, & vtilia. Reliqua vtinam breui quoque lucem viderent. Sed obſtabunt multa fortè, inprimis Bibliopolarum denegata promptitudo, quæ facit, vt *Obſeruationes meæ ſingulares* hactenus in ſpongia maneant; & mihi tantùm (paucis exceptis meis auditoribus, quibus per annos aliquot loco publicarum Lectionum communicatæ fuerunt) ſerulant. Arthritico affectu per quadriennium te eouſque afflictum fuiſſe aliquoties, vt cum equo potius, quàm pedibus ægros tuos viſitare cogaris, intelligo. Vtinam

De captiuitate Aucloris rumor falſus.

Doringio arthritico condolet, ſéque interdum aliquid tale pati dicit.

tibi, mihique hac in parte inſeruire queam. Simile quid aliquoties etiam annis præcedentibus ſenſi, ſed ſine commotione totius, ſingulis ferè tribus menſibus, ſed ferè tantùm ad biduum, & triduum; quibus elapſis iterum ambulare, & negotiis meis præeſſe potui. Iam ab eo tempore, quo hîc viuo per tres anni quadrantes, Dei gratiâ nihil quicquam vlterius percepi, fortè victûs ratione mutatâ plurimùm huic malo reſiſtente, qui penitus hîc à vinis generoſis, vt & tartareis abſtineo; ſolis vtens Neccarinis.

Vbi conſilium tuum videro, lubens ſiquid monendum erit adiiciam. Ad litteras tuas, quas occaſione *Menanij*, cùm quæſtionibus quibuſdam Anatomicis ad me dediſti, niſi fallor, tunc temporis reſpondi; cum tranſmiſſa *Diſputatione de motu animali* ex principiis Mathematicis deducta, in quâ pleraque fundamentaliter à me; & fratre *Iacobo* ante *Spigelium* demonſtrata fuerunt. *Cl. Dn. Sennerti* iudicium de eadem diſputatione tunc temporis propter Sciolum quendam petij, vt etiam aliorum, quibus intentio fratris non diſplicuit. Niſi Mathematicâ profeſſione fuiſſet frater impeditus, plura eius generis elaboraſſet. In Mathematica & Medica praxi potius, quàm Theoria occupatus eſt. Erexit anno ſuperiore *Landgrauio Philippo* quadrantem cœleſtem, qui vltra 1000. Imperiales conſtat. Erit hic Princeps olim *Ptolomæus* alter. Tranſiit hîc F. M. Doctoris titulo ornatus, præcedenti ſeptimanâ, quem ſatis mirari non potui, quod ab omni conuerſatione, tentatus à me in variis quæſtionibus, vt aliquid exterorum Sapientiæ ad me etiam perueniret, neſcio quâ de cauſâ abhorruerit: ita omnia quæſita ab eodem accepta fuerunt, vt etiam ex viris doctis vnus & alter, quos in ipſius gratiam conuocaueram, dubitare potuiſſent, an Studiorum gratiâ per tot annos peregrinatus fuerit. Imò ſuam diſputationem etiam, fortè per multos annos excogitatam & elaboratam, in qua plauſtra nouitatum inuenies, nugas vocabat, & abiens à me tanquam chartas abiectitias, in angulum aliquem reponebat. Sed forsè Sileſia veſtra breui mores hos mutabit.

De motu animali ex principiis Mathematicis.

Landgrauius Philippus alter Ptolomæus.

Auctor de D. F. M.

Feci interim, quod amici eſt, fidem pro eo interponendo, &c. *Dieterichium* veſtrum vitam cum morte commutaſſe per Epicedia quædam impreſſa nuper intellexi; putabam te ſucceſſorem eſſe ſalutandum, ſed video te potius liberum, quàm obligatum eſſe velle. Quod vocationem meam attinet, Deo gratias ago, qui totius Reipublicæ, & etiam exterorum vicinorum ſingularem fauorem quotidiè experior; Deo Opt. Max. conatus, & curationes meas benedicente. De Dominis Collegis etiam non habeo, quod conquerar, cum quibus omnibus amicè viuo, quorum ſecundus liberam etiam praxin habet, ſed ſtipendium ferè minimum, *D. Auguſtinus Tennerus* dicitur. Tertius D. *Mendelius* domui Gallicæ præeſt. Quartus D. *Held*, Hoſpitalis eſt ordinarius. Quintus *D. Vriedeman*, & ſextus *D. Stromajer* tempore peſtis ægrotantibus adeſſe coguntur. Præter hos ordinarios duo adhuc adſunt *D. Villingerus*, qui præcipuis ex primoribus mecum præeſt, & *D. Keller* ſeneſcens, qui vulgò etiam apud monaſteria vicina frequenter praxin exercet, ſed iam ferè emeritus.

Auctor ſua vocatione contentus, Collegarum nomina recenſet.

Cæterùm cùm nuper à Magiſtratu mihi commiſſum, vt iudicium meum de cura luis venereæ, prout hîc in Noſocomio exercetur, eiuſdemque modum fortè conuenientiorem, (cùm tantùm *cura ligni* hîc in vſu) ne tot recidiuæ ſint expectandæ, & ſumptus duplicandi, aperire vellem, maximoperè à te etiam peto, vt per occaſionem primam me certiorem facias, quâ ratione in Noſocomio veſtro procedatis, nimirum an *curâ ligni*, per turbith minerale, vel per ſuffumigia, vel per inunctiones. Modos procedendi plures colligo, quò eo maiori cum fructu Reipublicæ inſeruire poſſim: non enim ſine magnis ſumptibus etiam hac in parte Magiſtratus noſter, omnibus egentibus ſuccurrit, vtpote cùm nunquam non tales ægrotantes quamplures habeamus, quibus victu, & medicamentis ſufficienter proſpicitur. Nullus autem in Noſocomium Gallicum recipitur, niſi primùm lue infectus à Collegio noſtro iudicetur. Nullus eximitur, niſi ſanus eſſe deprehendatur. Quod autem vnâ curâ non abſoluitur, hoc ſecundâ, vel tertiâ etiam tentatur. Sed abrumpo tandem, teque Deo Opt. Max. cum coniuge commendo. Raptim Vlmæ 26. Ianu. Anno 1623.

De cura luis Venerea conſilium Doringij expoſcit.

EPISTOLA LXXIII.

PERIOCHE.

1. *Auctor felicitati Horſtij loco exoptato & ſub Magiſtratu benigno viuentis congratulatur.* 2. *De d'vκξιαι monetaria emendatione fruſtrà ſperat.* 3. *De Heneſio Comite Palatino eiúſque de peſte tractatu.* 4. *Præcipitatum Crollianum cum oleo ſulphuris pro lue Venerea infectis.*

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctor felicitati Horſtij congratulatur.

SQuod tu, *Clariſſime Horſti*, *Amice honorande*, tua ſorte difficilimo iſto tempore facilè contentus eſſe potes, in eo ex litteratorum ordine nunc paucos habes pares. Quoti enim ſunt, qui non iliada querelarum texant & retexant? Felicem ego te, ac térque quaterque beatum, qui tam exoptato viuis loco, & tam benigno ſeruis Magiſtratui. Mitto hîc conſilij de arthritide ἀπόγραφον. In eo ſiquid monendum, aut ſupplendum cenſueris, vt id liberè facias, etiam, atque etiam te oro.

Ad quæſita illa Anatomica, occaſione à *Monavio* tum temporis adminiſtratâ, tibi à me propoſita, quod aliquid reſponderis non memini: neque etiam inter Amicorum litteras vllum reſponſum, quod a te profectum ſit, reperire potui, cum tamen ſingulorum curioſè aſſeruare ſoleam. Vtut ſit anxiè id non vrgebo.

M. qualem ſe erga me declaraturus ſit, vbi ad nos appulerit, meque accesserit, experiar. Fortaſſis id ſapientiæ, aut prudentiæ ab exteris hauſit, ne vbique ſua ſtatim extrudat. Admonebo ipſum de ſolutione.

De Ἀταξίας monetariæ emendatione nulla ſpes.

Ἀταξίας monetariæ emendationem quando nos obtenturi ſimus, nulla adhuc certa ſpes eſt. Optarim ipſam cum multis aliis, qui mecum annua ſalaria merentur. Tandem enim Phyſicatum poſt multas Senatus inſtantias ſuſcepi, ſalarii acceſſione. 50. Talerorum ſiliginis, & auenæ cuiuſque medemnis 12. & fœni curru adaucto. Ita ſcilicet patriæ nolens volens gratificari coactus ſum; qui libertatem hactenus omnibus ſtipendiis antetuli. Medicus numerus apud nos hodiè ad ſeptendenarium eſt contractus: qui in meo reditu vicenario maior erat. Minor adhuc foret, niſi peregrini plures huc commigraſſent.

Duo autem è nobis publico aliuntur ſaltem ſtipendio: Peſtilentiarius tempore neceſſitatis conducitur. Tibi cum Collegis tuis benè conuenire, gratulor, ſed vide ſis, ne præproperè ſiniſtri quid experiaris. Profectò vbi plures ſunt, ſimultatibus locus facilè patet. Expertus hæc ſcribo. Optarim tibi conſtanter omnium fauorem. Ecquid de *Heniſio* fit Comite Palatino? cuius *de peſte Tractatus* in Germanicum idioma tranſlatus, non ita diu, in lucem prodiit. Migrauitne is inde aliò? nullam enim ipſius mentionem feciſti.

Heniſij de Peſte Tractatus.

Quâ curandi methodo apud nos Chirurgus qui domui Gallicæ præeſt, vtatur, me latet. Neque enim iſta cura Phyſicos tangit. Quantum ex amico quodam anno præterito intellexi, *Præcipitato Crolliano*, *cum oleo ſulphuris per campanam præparato*, vtitur, edoctus procul dubio à *Filio D. Ioh. Kfeilse*, qui decurſo anno phthiſicus obiit; cuius obitum fortaſſis præter alia adauxerant fumi metallici, quos inter labores Chymicos, quibus diligenter vacauit, pleno ſæpè gutture inſpirauit. Plura hoc temporis ſcribere iam non licet. Tu iſta boni conſule, bene vale, ac cum tuis omnibus ac *D. Dieterico* officioſiſſimè à nobis ſalue. Dab. Breſlæ ipſo Paſchatos profeſto, Anno 1623.

Præcipitatum Crollianum cum oleo ſulphuris pro lue Venerea infectis.

EPISTOLA LXXIV.

PERIOCHE.

1. *Remedium Antonij Galli pro Arthriticis.* 2. *Aliud pro iiſdem.* 3. *Aliud Scheurlini Medici Auguſtani.* 4. *Auctoris de Epiſtolis D. Libauij & Schmidzeri iudicium.* 5. *D. Heniſius è Collegio propter adulterium commiſſum remotus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

SRectè tuas mihi traditas eſſe ſcias, *Vir Clariſſime, & Excellentiſſime, Fautor & Amice plurimum colende*, ad quas iam dudum reſpondiſſem, ni variis peregrinationibus ad diuerſas thermas, & acidulas hactenus impeditus fuiſſem. De nouo Archiatri officio tibi ex animo gratulor. Faxit Deus vt eidem diutiſſimè, feliciſſimè præſis. Conſilium de Arthritide perplacet, potiſſimùm ad cauſam antecedentem directum. Sicut & illud Antonij Galli, quod ℞. *Valerianæ*, ℨ. j. *agarici* ℨ. ij. *mei* ℨ. iij. *ſem. petroſelini macedonic.* ℥. ß. *hyperici* ℨ. ß. *gentianæ* ℨ. vj. *ariſtoloch. rotund.* ℨ. vij. *centaurij minor.* ℨ. viij. *chamædryos* ℨ. ix. *oſſium humanor. ex articulis* ℨ. x. *cum oxymell. ſquill.* q. ſ. Doſis ℨ. j. quotidie vſque ad finem anni, de quo quid tibi videatur, per occaſionem ſcire cupio. Cæterùm quoad topica nuper *Generoſiſſimus Baro ab Vlm, Imperij Vice-Cancellarius*, ad quem vocabar hic in arce *Erbach* reſidentem, hoc communicabat, nimirum *lapid. Bezoardici orientalis puluerif.* q. ſ. cum melle roſato & aceto, forma cataplaſmatis adhibitum, ſibi aliquoties, vbi neceſſaria quædam negotia ſibi fuerint expedienda, ſubitò dolores abſtuliſſe, quod ſanè plebeiis minimè præſcribendum: Addebat à Gallo quodam idipſum ante multos annos eidem fuiſſe communicatum; ita vt (ſubminiſtratâ materiâ lapidis à Sereniſſimo Imperatore) aliquoties cum fructu, ſine partis læſione, fuerit vſurpatum. In Republ. Auguſtanâ vixit Medicus olim, *Scheurlinus* cognominatus, à cuius Filio nuper hoc habui, quod partos ipſius podagricos incipientes ab vlteriori inuaſione præſeruarit lotione pedum ſingulis menſibus ex lixiuio forti, cui manipulus ſalis immiſſus ſit; quod lixiuium ſemper ſeponendum, cùm eo præſtantius reddatur, quò diutius vſurpatur. Multa lectu iucunda, & vtilia communicarunt inter ſe per Epiſtolas *D. Libauius & D. Schmidzerus p. m.* quæ cum aliis celeberrimorum Germaniæ Medicorum Epiſtolis Medicis breui lucem videbunt. Communicaui illa *D. D. Hernunga* Medico Heidelſemenſi, quæ bonâ fide ex Bibliotheca relicta *D. Schmidzeri Archiatri Bambergenſis* mihi tradita ſunt. Ἀταξία monetaria iam dudum apud nos, & in toto hoc ſuperiori tractu correcta fuit: miror ergo cur tam diu ſolutionem Dn. D M. protraxerit, &c.

Remedium Antonij Galli pro Arthriticis.

Aliud pro iiſdem.

Aliud Scheurlini Medici Auguſtani.

Epiſtola D. Libauij & Schmidzeri.

Quod de Collegis meis addis, Deo adhuc gratias ago, quod inter nos bene conueniat. *D. Heniſius* è Collegio propter adulterium commiſſum ante meum aduentum remotus eſt. Hiſce bene vale, & me amare perge. Raptim Vlmæ, 6. Septembr. Anno 1623.

Heniſius è Collegio remotus.

EPISTOLA LXXV.

PERIOCHE.

1. *Pillularum Doringij effectus.* 2. *Vina Morauica arthriticis fugienda.* 3. *Auctoris de Antonini Galli pro Scorbuticis remedio indicium.* 4. *Geſneri de eiuſdem remediis cenſura.* 5. *Auctor quid de Topicis cenſet?* 6. *Quid de lotione pedum Scheurlini?* 7. *Quid de cataplaſmate & lapide Bezoar?* 8. *De farina ſiliginea Vratiſlenſibus vſitata.* 9. *Auctor D. F. M. qualem ipſum inuenerit, depingit.*

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SConſilium meum, *Cl. Dn. Horſti*, *Amice Chariſſime*, de Arthritide tibi probari gaudeo. Ita verò ſentio, in præcauenda Arthritide omnem deſiderari & ſpectari Medici induſtriam. Quod Medicinæ punctum ſi contingat, de præſentis curatione, vt anxius ſit, neceſſarium non erit. Meritò igitur magni facienda ſunt talia remedia, è quorum continuato vſo immunitatem cui ſperare licet. Ex eorum numero vtique ſunt pilulæ illæ meæ in conſilio illo non ſolùm deſcriptæ, ſed etiam ſecundùm omnia ingredientia probè à me

examinatæ

examinatæ. Illarum quippe vsui iusta Dei benedictionem vnicè acceptum fero; cùm quod istius anni mense Martio leuius ex Arthritide decubui, tum decurso Septembri eadem in vtroque pede per interualla semel atque iterum prehensus, domo nihilominus & quidem pedes (alter enim equus è sinistro anteriore pede per integrum trimestre ægrotauit, vt nulli vsui mihi esset,) exire potui, ac non nisi vnicâ die domi latere coactus fui. Nimirum coctionem ventriculi ab iis iuuari, obstructiones vasorum liberari, corpus transpirabile reddi, aluum officij admoneri, &c. animaduerto. Iam inde à mense Martio, nihil, præter dictas pillulas, medicaminis sumpsi. Sudores matutini à duobus mensibus fere quotidie pro voto spontè procedunt. Iis plurimùm me alleuiari, ac defluxionum materiam tolli, percipio.

Pillularum Doringij effectus.

Similem planè successum ex earum vsu experitur *Dn. Nicolaus Puschchius Campo*, annos aliquot suprà 50. natus; ab Arthritide verò per aliquot item suprà 20. annos grauissimè excarnificatus; adeò vt cùm antehac multò maximam temporis partem lecto affixus, & doloribus articularibus miserè discruciatus transigere cogeretur; nec vinum degustare auderet, hodiè pari mecum interuallo ab Arthritide immunis viuat, séque quandoque pluscalum vino ad hilaritatem inuitet. Ipse etiam ventriculi causâ vinum moderatè citrà noxam vllam bibo: siue id Vngaricum sit, siue Austriacum, siue Rhenanum. Moraurica, vtpote magis tartarea, studiosè fugio.

Vina Moravica Arthriticis fugienda.

Antonius Galli remedium eadem ferè habet ingredientia, quæ meæ pillulæ. Non dubito, quin vsurpantibus futurum sit proficuum. *Ossa humana* ex articulis probari constituit, vt articulis magis redderetur specificum. Ego tamen *cranium humanum* præfero, quo parti mittenti prospiciatur. A capite enim in articulos serum vtplurimùm defluere, rectissimè mouit *Carolus Piso* in opere suo elegantissimo de morbis à serosa humorum diluuie oriundis. Quid de viis, per quas materia feratur ad articulos sentiat *Fernelius*, etiam me non monente nosti: Ponderum proportionem in *Galli* remedio admiratus sum, eo quod pro ingredientium numero denario drachmâ vnâ vniuscuiusque ingredientis pondus semper adauxerit. Pillulis meis multò est calidius; ideóque corporibus pituitosis, quàm biliosis, longè conuenientius.

Auctoris de Antonini Galli pro Scorbuticis remedio Iudicium.

Gallus de suo remedio quotidie ℈.i. per integrum annum capi vult. Ego de meis pillulis singulo anni quadrante per dies 30. post solstitia, & æquinoctia quotidie ℈. ß. sumo. Ecquid verò tu censes de *Gesneri* super eiusmodi remediis censura? quod habet *l. 3. Epistolarum pag. 97. Ego*, inquit, *medicamenta varianda, tum quia Natura aliàs alia desiderat, tum quia vna assueta, parùm amplius ab ea mouetur, censeo: & periculum videtur, ne tam longo vnius medicamenti tam validi vsu totius corporis habitus nimium exsiccentur.*

Gesneri de eiusdem remedijs censura.

Topica quod attinet, de iis ego non laboro: persto enim in ea cum *Pisone* hæresi (dummodò hæreseos nomine opinio ista digna sit) præter meritum in affectibus ex humorum transmissione natis articulos culpari, qui ob laxitatem & cauitates humores aliunde deiectos promptè admittant: frustrà igitur de articulorum roboratione cura suscipitur. Impediatur seri procursus, tollatur eiusdem abundantia; Arthritis, crede mihi, vel nunquam, vel rarissimè, & mitissimè saltem, recurret. Lotioni ergò pedum, quâ *Scheurlinus* incipientes podagricos ab vlteriori inuasione præseruasse dicitur, parùm tribuere possum: nisi in ea forsan podagra, quæ per congestionem generatur; quæ tamen, meo iudicio, est rarissima, & fortè innata ac hæreditaria. *Cataplasma* è lapide Bezoar, cum melle rosaceo & aceto subacto paratum, nimis sumptuosum est: posset procul dubio C. C. præparatum terra aliqua sigillata, vel bolo, similiue absorbente, eundem effectum, multo minore sumptu quis consequi. Sed enim stultitiam patiuntur opes: mihi farina siliginea sufficit.

Auctor quid de Topicis censet.

Quid de lotione pedum Scheurlini.

Quid de cataplasmate & lapide Bezoar?

Nostratium quidam siliginem è cereuisiâ nostrate, quæ triticea est, (triticum verò anodynum est) ad crepaturam coctam; Alij vinum, in quo sal communis efferbuit, commendant. Quæ duo tametsi domestica sint, & parui pretij, illo tamen pretiosissimo vix sunt, quoad vires, ignobiliora. Sed ita sæpè cum Magnatibus comparatum est, vt viliora contemnant. Tantùm scilicet in Medicum potest ægri vel confidentia, vel diffidentia.

De farina siliginea.

Rediit tandem ad nos D. F. M. ante mensem. Bis me secessit: Disputationem suam inauguralem nondum exhibuit: In laudando *Riolano* prolixus fuit. *Baumannum* in suum theatrum Anatomicum ex hoc multa transtulisse, dixit. Huic cur minus faueat, scire velim. An peregrinum sedem apud nos fixurus sit, nescio. Reditum enim minatur in Gallias propter Chirurgica. Alij *Parisiis* Professionem Medicam suscepturum aiunt: Admodùm, vt sic dicam, ceremonialis est. Nos autem talia hîc non curamus. Quantum è sermonibus inter nos habitis colligere potui, Botanica & Anatomica hactenus excoluit.

Auctor de D. F. M.

De Chymicis nihil adhucdum ex ipso cognoui. Tentatus enim de his nihil quicquam respondit. De *Poterio*, cuius Obseruationum singularium duæ centuriæ in publicum prodierunt, interrogatus, hominem hunc se planè non nouisse ait; cùm tamen *Bononiæ* per aliquot menses sese substitisse fateretur. De *Bartholeto* nihil, quod laudibus illis in frontispicio *Encyclopædiæ ipsius Hermetico dogmaticæ* præmissis, dignum esset, retulit. Quin ex vno *Claudino* multos *Bartholetos* formari potuisse, subiecit. Vti aduerto, Gallos suos tantùm suspicit, eósque cæteris nationibus omnibus antefert.

Idem de eo alius narrasse, heri ad me scripsit meus *Sennertus*. Quasi verò soli Galli sapiant: reliqui autem pro cerebro fungum nacti sint! Num Gallicæ istius Sapientiæ mecum aliquando aliquid communicaturus sit, imposterum sine dubio experiar. Sed tantùm istâ vice, plura aliàs. Tu cum tuis bene vale, & nobis salue. Dabam Breslæ, die 5. Septembr. Anno 1623.

EPISTOLA LXXVI.

PERIOCHE.

1. *Rumor de obitu Sennerti.* 2. *Auctor modum curandi luem Veneream per Mercurium & Antimonium communicaturum se pollicetur.* 3. *Stromeierus Chymicus peritus, Mercurium optimè purificare & ex cinnabari conficere nouit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Litteras tuas 8. Nouembr. datas, anno præcedenti 16. Febr. currentis mihi rectè traditas esse scias, quæ singulari gaudio me affecerunt, quod de leuamine dolorum arthriticorum per vsum medicamenti præseruantis conciliato me certiorem redderent. Faxit Deus Opt. Max. vt sanitas exinde constantior sit imposterum, quo studiis toti Reipublicæ litterariæ vtilissimis, & proximo diutissimè inseruire possis: Sed de *Sennerto* nostro quid audio? Nimirum ad plures eundem abiisse, & cum Deo viuere. Vtinam falsa adhuc fama esset! quid enim Reipubl. litterariæ cum tanto viro periret? Pet orium σὺν Θεῷ post vernales labores modum nostrum curandi luem Veneream per Mercurium & Antimonium communicabo; vbi iam tribus vel quatuor septimanis tantum præstamus, quod hactenus per 3. vel 4. menses alij magnis sumptibus præstiterunt. Præest huic Nosocomio iam ex Collegis meis *D. Stromeierus*, qui peritum agit Chymicum, & Mercurium optimè purificare, & ex cinnabari conficere nouit, vnde ipsius dulcificatum frequenter absque omni grauiore symptomate præscribimus. Hisce bene vale. Raptim Vlmæ 6. April. Anno 1624

Sennertus an obierit?

Curatio luis Venereæ per Mercurium & Antimonium.

Stromeierus Chymicus peritus.

EPISTOLA LXXVII.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur sui Tractatus de Scorbuto editionem differre vlterius nequeat?* 2. *De caritate annonæ conqueritur, Deúmque pro auertendis publicis calamitatibus solicitat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Etsi vellem consilio tuo obsecundare, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, & tractatus mei de Scorbuto editionem differre: tamen alij id non permittunt. Edidit enim nescio quis, me inscio, *Ienæ* meas de *Scorbuto* lectiones hîc publicè habitas. E quibus etsi tractatum

Auctor cur sui tractatus de Scorbuto editionem vlterius differre nequeat?

Digitized by Google

meum deſumſerim, curam tamen ſecundam adhibui, eas dimidiâ ferè parte auxi, & multa transpoſui: Ideoque danda mihi opera, vt antequam ille fœtus immaturior multis innoteſcat, meus edatur, & proximis nundinis Autumnalibus catalogo Francofurtenſi inſeratur. Fiet igitur, cum, Deo finitis hiſce nundinis Lipſienſibus, impreſſionis initium. Siquid ergo monendum vel addendum habes, maturè id facias, & ſi alia occaſio deſit, Lipſiam mittas.

De caritate annonæ conqueritur. Nos hîc valdè annonæ caritas premit. Siligo enim, quod nemo hominum hîc meminit, iam venditur tribus taleris: eamque auget indies ſiccitas illa diuturna; cùm poſt vltimam niuem nulla ferè pluuia ad hunc vſque diem deciderit. Hodiè primùm, Dei beneficio, mediocriter terra pluuiis eſt irrigata, ſed metuo, ne iam & ſiligini & tritico, & auenæ ſiccitas ita nocuerit, vt pluuiis iſta damnum hoc compenſare non poſſit. Verùm Deo nihil impoſſibile: ille publicas calamitates, quæ cuiuſque iam thalamum intrant, à nobis auertat! Bene vale, cum tuâ. VVittebergæ 7. Iun. Anno 1624.

EPISTOLA LXXVIII.

PERIOCHE.

1. Auctor cur nominat. agrorum Scorbuticorum in Sennerti tractatu ſupprimi roget? 2. Matthæi Martini de Scorbuto tractatum operi Sennerti ſubiungi hortatur. 3. De annona caritate ſimilem cum eo texit querelam.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quod hactenus ad te, *Cl. Dn. affinis*, tardiùs reſpondeo; facilè me excuſabit cùm tranſmittendi hoc tempore incommoditas, tùm ad ſcribendum propter laborioſiſſimam praxin otij defectus. Quia igitur Ienenſis quidam inuitum quaſi ad tractatus tui editionem te pertrahit, vt bono cum Deo lucem aſpiciat, opto.

Auctor nomina ægrorum Scorbuticorum cur in Sennerti tractatu ſupprimi rogit? Matthæi Martini de Scorbuto tractatus. Mearum obſervationum ſiquid immiſcebis, vt nomina ægrotum tegantur, rogo: Nonnulli enim adhuc ſuperſtites ſunt, qui ægrè id ferre poſſint: ſiquidem hunc affectum vulgus cum morbo gallico fermè æquiparare, ac periudè reformidare ſolet. Nihil iam prætereà monere licet; etſi nonnulla adhuc monenda, & ad tua reponenda fuiſſent. Quem defectum, vt accipias amicè, oro.

Tractatum Matthæi Martini de Scorbuto videre velim: etſi enim is tuo illi tractatui adiunctus in titulo perhibeatur; exemplaria tamen, quæ adhuc impartita ſunt, eum non exhibuerunt. Si bonus; poſſet fortaſſis tuo operi ſubnecti.

De annona caritate ſimilem cum Sennerto texit querelam. Annonæ caritas nobis vobiſcum communis eſt: Auena duobus, ſiligo quatuor taleris, & quidem bonæ monetæ, coëmitur. Siccitas noſtros agros etiam inſigniter exuſſit, vt nec gramen, nec fruges reſecere potuerint. Magna igitur cura, de porrò alendis equis me premit: Niſi enim iſta caritas remiſerit, quadringenti taleri iis ſuſtentandis non ſuffecerint. Bene feliciterque cum tuis vale, & à nobis ſalue. Dab. Breſlæ, die 28. Iun. Anno 1624.

EPISTOLA LXXIX.

PERIOCHE.

1. Auctor quos ſuo Tractatui de Scorbuto Auctores adiunxit, recenſet. 2. De venæſectione in cacochymia Doringij iudicium expoſcit. 3. De venæſectione in Melancholia & Mania. 4. Temporum difficultates indies augeri queritur.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Diſtuliſſem forſan adhuc, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, editionem mei de Scorbuto tractatus; verùm quia inuitus etiam ad editionem compulſus ſum, adornata illa eſt, ſtatim poſt Nundinas Lipſienſes, & maximam partem iam abſoluta.

Auctor quos ſuo Tractatui de Scorbuto Auctores adiunxit, recenſet. Adiunxi *Ronſſæum, Eckthium, VVierum, Salomonem Albertum*: & quia id ſuades, iam etiam adiungo *Matthæum Martini*: Etſi enim in Ienenſi illo libello titulus etiam *Matthæum Martini* promittat: tamen nuſquam comparet. Nactus verò ſum hiſce diebus exemplar M. S. fortè fortunâ a ſtudioſo quodam, eo vtar. Sed quid ſit de meis Lectionibus practicis? Laborat ne quis veſtrûm in iis, ſeu corrigendis, ſeu augendis? Et ſi.

De venæſectione in cacochymia. vt ad conſuetum ſcribendi officium reuertamur; quid tibi videtur de venæſectione in cacochymiâ. Defendi equidem hactenus venæſectionem a cacochymia, quatenus talis, non indicari: de quo iam dubitare incipio, cùm multi morbi è cacochymia oriundi venæſectione feliciter curentur.

De venæſectione in Melancholia & Mania. Quantùm in Melancholia & Mania venæſectioni tribuat Platerus, noſti: Sæpè enim nullis purgantibus vitioſi humores è venis tolli poſſunt, ſed ſolâ venæſectione repetitâ, dum indies nouus & bonus ſanguis in locum emiſſi regeneratur, & ſubſtituitur. De quo proximè plura.

Auctor temporum difficultates indies augeri queritur. Si quid litterarum, quod me ſpectet, *Strelâ* ad te miſſum fuerit, vel cum hoc tabellario, vel ſi iam diſceſſerit, per ordinarium Lipſienſem, quamprimùm ad me mitte. Temporum difficultas augetur indies, & fruſtrà ſperauimus eam in melius mutatum iri. Creſcente enim iſtâ annonæ caritate, & iſta procul dubio augebitur, & ante meſſem menſibus anni ſequentibus, ſi Deus nobis vitam conceſſerit, nos adhuc validè premet.

Sed feramus iſta adhuc, modò Deus Opt. Max. religionem puram nobis conſeruet. Non opis humanæ eſt, Eccleſiam Chriſti conſeruare. Ipſe ad eam tuendam ſatis potens. Bene vale cum tuâ. VVittebergæ, die 21. Iul. Anno 1624.

EPISTOLA LXXX.

PERIOCHE.

1. De Practicis Lectionibus Sennerti. 2. Auctoris de venæſectione in cacochymia iudicium. 3. Venæſectionis in cacochymia effectus. 4. Venæſectio quando adhibenda? 5. An venæſectio in cacochymia bilioſa aut pituitoſa conueniat? 6. Maniacis cur venæſectio vtilis? 7. An venæſectione repetitâ vitioſi humores tollantur? 8. De annona difficultate, exactionibus & contributionibus querela continua.

D. DANIELI SENNERTO.

MICHAEL DORINGIVS, D.

De practicis lectionibus Sennerti. Vt Tractatus tuus de Scorbuto, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, lucem feliciter aſpiciat, iterum opto. *Lectionum tuarum Practicarum* amplificationem commiſi *D. Paulo Muncero.* Quid agat, vel egerit? reſciſcam, vbi ad me venerit.

Auctoris de venæſectione in cacochymia iudicium. Quæris, quid mihi videatur de venæſectione in cacochymiâ? Nunquid videlicet illa, ab hac, quatenus talis, per ſe indicetur? Ego curâ receptâ hactenus & à Temet in Inſtitutionibus neruosè explicatâ, ac firmis fundamentis ſtabilita opinione (quod nimirum cacochymia quatenus talis, venæſectionem per ſe non indicet) recedam, cauſam impræſentiarum nullam habeo. Tu ſi proximè aliquas attuleris, an pro confirmando contrario ſatis firmæ futuræ ſint? diſpiciam. Multos morbos è caco-

Venæsectionis in cacochymia effectus.

à cacochymia oriundos venæsectione feliciter curari, hoc est, vt ego interpretor, penes alia auxilia medica vtiliter ipsam adhiberi, non diffiteor. Subtrahitur per eam enim vitiosorum humorum nonnihil, adeóque oneris parte natura liberatur, vt deinceps, & quod corrigi est habile, facilius corrigat, & quod ad excretionem aptum, medicamento purgante promtiùs adiuta promtiùs expellat. Hoc autem emolumentum tum demùm a venæsectione exspectandum est, quando vel in externis porissimùm venis cacochymia redundat, vel per omnes æqualiter diffusa est.

Venæsectio quando adhibenda.

Si enim in interioribus, remotioribus, ac maioribus subsistat, sectâ equidem venâ nihil de cacochymia aufores, sed naturam laudabiliore saltem sanguine spoliabis. Quæ res an ex re ægri futura sit? etiam me non monente intelligis. Adhuc, si cacochymia quatenus talis, per se venæsectionem indicat, tunc in omnibus morbis à cacochymia oriundis erit administranda. At secès tu mihi venam in cacochymia biliosa, quantas turbas excitaturus sis, euentu ipso satis superque dinceberis. In cacochymia pituitosa eandem si instituetis, tunc magis magisque ipsam augebis, corpusque in καχεξίαν, atque ex hac in hydropem præcipitabis? Maniacis quod venæsectio ex vsu est, ideò fit, quod feruidus eorum sanguis per eam partim refrigeratur, partim ne in caput tanto impetu vergat, præpeditur.

An venæsectio in cacochymia biliosa aut pituitosa conueniat?

Maniacis cur venæsectio vtilis?

Sola venæsectione repetitâ vitiosos humores, qui purgantibus tolli nequeant, educere velle, rem egò puto periculi plenam esse. Potest enim sanguis per diuretica & sudorifera tutiùs meo iudicio, defecari: Audiam tamen perquàm libenter tuas proximas rationes. Interim tumultuaria ista boni consule.

An venæsectione repetitá vitiosi humores tollantur?

* Strelâ, quod ad te spectat, nihil planè litterarum accepi. Annonæ difficultas, & omnium rerum caritas quotidiè propemodùm crescit: Exactiones, & contributiones multiplicantur. Ipse hoc anno 96. Imperiales numerare coactus sum. Bene vale, & à nobis salue. Dab. Breslæ, die 5. Augusti, Anno 1624.

Annona difficultatis exactionúmque nullus finis.

EPISTOLA LXXXI.

PERIOCHE.

1. *Auctor cur de venæsectione in cacochymia pro tempore non respondeat? 2. De dysenteria grassante. quam ne in pestem degeneret, metuit, 3. De causis & generatione dysenteria iudicium Doringij requirit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Tractatus meus *de Scorbuto*, *Cl. Dn. Affinis*, & *Compater honorande*, iam cum Deo absolutus est: Eius exemplar hisce adiunctum accipies; quod boni consulas, & siquid monendum videbitur, moneas. Quid in practicis Lectionibus meis præstiterit *D. Paulus Muncerus*, me certiorem facias, simulque indices *caput*, & §. in quo m. f. desinit, vt reliqua adiungere, & mittere possim. Velim tamen & tu de tuis aliquid adiicias: Ad quod labore non multo opus erit, cùm in praxi quotidie aliquid notatu dignum occurrat.

De venæsectione in cacochymia, vt iam aliquid respondeam, otium non est, quod omne eripiunt labores Practici, quos pariunt febres epidemiæ, partim intermittensium, partim continuarum tertianarum typum obseruantes, non quidem periculosæ sed frequentes, & quæ in quartanas degenerare incipiunt.

Auctor cur de venæsectione in cacochymia pro tempore non respondeat?

Grassari in vicinis oppidis & pagis iam mense Majo cœpit *Dysenteria*, quæ mense isto etiam nostrum oppidum inuasit: Hîc quidem paucis, & non nisi infantibus aliquot, lethalis fuit, in vicina verò passim multos iugulauit. Metuo ne in pestem degeneret, accedente annonæ caritate, quam messis nihil imminuit, sed & auxit; & de cuius remissione nulla spes est. Quia igitur, vt dictum, dysenteria grassari cœpit, non præter rem me facturum putaui, si affectibus capitis ad vnam, atque alteram septimanam sepositis, doctrinam *de dysenteria* traderem: cum verò in doctrinâ de causis & generatione dysenteriæ, non pauca in vulgari doctrina occurrant, quæ si cum experientia conferantur, dubia videntur, si placet, caput illud descriptum proximè mittam, & de eo tuum iudicium audiam. Interim cum tuâ bene vale, & à nobis salue. VVittebergæ 20. Octobr. Anno 1624.

De dysenteria grassante.

Auctor ne in pestem degeneret, metuit. De causis & generatione dysenteria iudicium Doringij requirit.

EPISTOLA LXXXII.

PERIOCHE.

1. *Auctor de sphalmate typographico in descriptione aquæ suæ antiscorbuticæ posito queritur. 2. De contagio ex dysentericis. 3. Remedium pro eodem. 4. De peste Dantisci suprà fidem grassante. 5. An fluxus hæmorrhoidum externarum dysenteriæ complicetur? 6. De vrina instar aceti vel aliarum rerum fermentantium ebulliente in vidua Senatoris cuiusdam comperta. 7. Auri super marmore læuigati pollinis effectus. 8. Signum pathognomonicum dysenteriæ. 9. Scorbutus an subfuerit quomodo dignoscitur? 10. An pulsus erectio auri pollini sit adscribenda? 11. Rosembergius de auri in Medicina vsu efficaci laudatur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Pro transmisso *Tractatu* tuo *de Scorbuto. Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, gratias officiosas ago. In descriptione aquæ meæ antiscorbuticæ insigne sphalma Typographicum positum est; quod cum innotatis reliquis non annotasti, ac correxisti. Cum enim rad. gentianæ, Vnc. ß. sem. scribi debuerit; drach. ß. sem. duntaxat impressam video. Ita nimirùm fit, si pondera characteribus suis, & non literis exprimantur. Tu operam dabis, vt in residuis exemplaribus error iste tollatur.

Auctor de sphalmate typographico animaduertit.

Lectiones tuæ Practicæ finiuntur apud me tractatione *de Hydrocephalo*. Vltimus §. sic habet. Hoc saltem attendendum, facilius in calefaciendo errorem, quam in siccando committi posse. In iis quid & quantum præstiterit *D. Paulus Muncerus*, nondum constat.

Practica lectiones Sennerti vbi finiantur?

Morbi qui decursa æstate vos & vicinos vestros exercuerunt, nec nobis pepercerunt. Ii autem apud nos non rarò maligni fuerunt; ita vt ipsemet dysentericum puerum diligentius contemplando, & maculas liuidas (quibus brachia, pectus & crura confertissimè conspersa habebat) imprudentius perlustrando, contagij quid hauserim; quod nisi ocyus domum reuersus vsu aquæ meæ Bezoardicæ & pulu. Polychresti dispulissem, facilè non tantùm in lectum ab eo coniici, sed eundem exitum cum ægro & ipsiusmet parente (ambo quippe suspenso per quintiduum remediorum vsu, inter nos esse desierunt) experiri potuissem. Laus itaque sit omnipotenti Deo, qui in dolores Arthriticos, à quibus per sesquiannum immunis fueram, malum istud periculosum commutabat.

Ex dysentericis contagium

Remedium pro eodem.

Pestis aliquot vrbes & oppida nostræ Silesiæ inuasit. *Dantisci* in Brussiâ mirum, & miserabilem in modum grassari, & plurima hominum millia, suprà fidem fermè abripuisse dicitur. Deus hospitem ac hostem istum à manibus nostris porrò clementer abarceat.

De peste Dantisci supra fidem grassante.

Tractatum tuum *de Dysenteriâ* libenter legam, & videbo, quid ab aliis diuersum & peculiare doceas. Tu an fluxum hæmorrhoidum externarum ipsi complicari vnquam obseruaueris? scire velim: Mihi hac æstate singulare exemplum in Nobili Adolescente annos 14. nato occurrit, qui doloribus hæmorrhoidum acerbius, quàm torminibus dysenteriæ fuit excruciatus, adeò quidem, vt de vita ipsius propemodum desperarem: Conualuit nihilominus per Dei gratiam.

An fluxus hæmorrhoidum externarum dysenteria complicentur?

An aliquando vrinam post aliquot horas collectam ebullire quietam, instar aceti, vel aliarum rerum fermentantium, videris? scribas, oro. Nuperrimè enim in vrina viduæ N. E. Senatoris fœminæ quadragenaria maioris, hoc mihi visum est. Sequebatur postea intolerabilis per expirationem & tussim commotus fœtor. Laborabat per septimanas plusculas è febre erratica, initio tertianæ duplicis

De vrina instar aceti ebulliente in vidua Senatoris N. E. comperta.

 plicis

plicis malignæ, tandem quartanæ ſimplicis, duplicis, ac triplicis typum obſeruante, cum catarrho perpetuo ad pectus delabente, cum quo per duos quaſi menſes antè decubitum impensè conflictata erat. Die 17. decubitus deiectionibus cruor cernebatur permixtus: qui ex hæmorrhoidibus profluxerat. Die 21. tantâ copia profluxit, vt alij mecum in ſtuporem coniecti fuerint: excedebat enim meâ opinione libras octo. Poſt hanc excretionem accedente ſub noctem rigore vehementi concutitur; qualem prius non ſenſerat. Biduò poſt vires ita collapſæ ſunt, vt pulſus non tantùm intermiſerit, ſed planè quieuerit bono temporis ſpatio; vrina, quæ antea coctionis nonnulla indicia ſemper oſtendebat, tota confuſa, cum liuido circulo apparuerit, & talis poſtero adhuc die permanſerit: Mens & ſenſus ſtupuerit; expiratio frigida fuerit; expectorata penitus ſubſtiterint; Vlcus quod in crure ſiniſtro circa talum internum à multo tempore habuerat, pelliculâ ex improuiſo obductum ſit, &c. Breuiter: morituram iamiam crediderint omnes. Perſiſtebat in hoc ſtatu per biduum ferè: Tandem ad ſe quidem rediit, nullius tamen rei, quæ cum ipſa geſta fuerat conſcia extitit.

Auri ſuper marmore læuigati pollentis effectus.

Exhilarabantur omnes, & in magnam conualeſcentiæ ſpem erigebantur, conflicto iſto acerrimo feliciter (ſic enim aſtantes indicabant) ſuperato. Dabatur, cùm alia ſapida, & odorata renueret, auri ſuper marmore læuigati pollent; Ab huius aſſumtione, mirum dictu! pulſus breui recurrebat, & inualeſcebat. Acceſſit tamen propter continuas defluxiones pulmonum inflammatio; quam ſatis arguebant febris deinceps præter intermittentem continua, dolor lateris dextri à tuſſi, & genarum purpura, quæ huius affectus pathognomonicum ſignum perhibetur. Hinc ſputa reddebantur purulenta.

Signum pathognomonicum dyſenteriæ.

Superuixit cum iiſdem ſymptomatibus ad dies 12. niſi quod mens quandoque vacillaret, & facultas motiua ſubinde languidior facta eſt: Ob quam cauſam alui excrementa, quæ à morbi ſtatim principio inſigniter ſemper fœtebant, & merè liquida & ſeroſa fere ſemper deprehendebantur, in ipſo lecto ſubſtratis linteaminibus deponere coacta fuit: Demum cùm vrinæ ebullienti fœtor ille, quem dixi intolerabilem, ſeſe iunxiſſet (qui ad finem vſque vitæ non deſinebat) ſexto abhinc die animam placidè exhalauit, tumefacto nihilominus biduo, propter hepatis conſenſum, quod paulò erat durius, antè obitum, crure dextro. Ecquid cenſes, *mi Sennerte*? futurane erat aliqua ſalutis ſpes? Ita Cenſor noſter communis ſine pudore paſſim clamare auſus fuit, impoſſibile eſſe dictitans ipſam ex eo morbo mori poſſe.

Scorbutus an ſubfuerit quomodo dignoſcitur.

Quod *Scorbutus* ſubfuerit, haud dubito: præterquam enim quod excellens virium languor, curæ prægreſſæ, vulcus cruris, excreta, &c. eum non leuiter deſignarunt: nimia profectò hæmorrhagia ab acri, & ſeroſo humore ſuſcitata & exaſperata, eundem liquidò mihi denominaſſe videtur. Ita videlicet, & *Eſaiam* illum *Tannerum*, de quo ſub anni huius principium aliquid etiam ad te perſcribebam, tanta hæmorrhagia per interualla corripiebat, vt cum nullis auxiliis comprimi maturè poſſet, tandem tumefactus Naturæ item iuſta perſoluerit. In iſto præter dictam hæmorrhagiam dolores verè Arthriticos obſeruaui. Hoc verò ſingulare fuit, quod ſanguis linteamina, quibus exceptus fuit, & ancillæ ea lauantis, manus corroſerit. Nari autem ſiniſtræ, è qua ſtillabat, pepercit.

An pulſus erectio auri pollinis ſit adſcribenda? Roſembergius de auri in Medicina vſu.

De *Auri polline* dubitabis procul dubio tu: Num pulſus illa erectio ipſi adſcribenda ſit. Equidem ego aliam cauſam comminiſci nequeo, quàm hanc vnicam; ſiquidem alia cordialia nulla tum forte adhibita.

Lege quæſo *caput* 33. *Roſa Nobilis Iatrica Ioh. Caroli Roſembergij, Medici in imperiali Vormatiâ*: Is enim quæ pro veterum propugnatione, & recentiorum confutatione de auri in Medicinâ efficaci vſu, dici poſſunt, abundanter ac ſufficienter congeſſit. De *Venaſectione* in cacochymia inſtituenda, vt tuas dubitandi rationes, quamprimùm mihi expona rogo. Cùm enim primus hoc pomum Eridos, in medium conieceris, æquum eſt, vt ne dubietatis aliquid reliquum permittas. Bene vale, & à nobis ſalue. Dab. Breſlæ, die 20. Nouemb. Anno 1614.

EPISTOLA LXXXIII.

PERIOCHE.

1. *Auctor caput de cauſis & generatione dyſenteriæ & de vſu chalybis, Doringio ſe miſſurum ſpondet.* 2. *De lite ex vſu inſeſſuum in curanda dyſenteria inter D. Ioh. Coppen & Lic. Bickerum Medicos Brandeburgenſes orta.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Neſcio quî fiat, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod rarius iam colloquendi per litteras, occaſio nobis detur. Redierunt nuper & Auriga, & tabellarius ſine tuis litteris. Neſcio quid Aurigæ alteri P. L. cui proximas meas ad te dedi, acciderit, qui iam ferè quinque ſeptimanis abſit. Nolui ergo hanc ad te ſcribendi occaſionem negligere, & potius vacuas, quàm nullas ad te litteras dare.

Auctor caput de cauſis & generatione dyſenteriæ, &c. Doringio ſe miſſurum ſpondet.

Proximè è Lectionibus meis de *Dyſenteria* (quas reipſa iubente Lectionibus de morbis capitis interſerui) *de cauſis & generatione dyſenteriæ caput, & de vſu chalybis* ad te mittam. In curanda dyſenteria iſta epidemia nuper lis eſt orta inter *D. Ioh. Coppen* & *Lic. Bickerum* vtrumque iam Medicum Brandeburgenſem, de vſu inſeſſuum in curanda dyſenteria? Et iam publicis ſcriptis inter ſe certant. Si copiam eorum habere potero, ea ad te mittam. Interim cum tua bene vale. VVittebergæ, die 21. Nouembr. Anno 1614.

De lite ex vſu inſeſſuum in curanda dyſenteria orta.

EPISTOLA LXXXIV.

PERIOCHE.

1. *Syrupus abſterſiuus à Pantaleone in pillulario poſitus pro dyſentericis.* 2. *Aqua & trochiſci reſtrictiui pro iiſdem.* 3. *Aliud pro iiſdem remedium ſingulare.* 4. *Auctoris de lite Coppenij & Bickeri cenſura.* 5. *Coppenius quid in Chryſopœia agat?* 6. *An opium glandis forma ano rectè indatur, & filo iterum in hunc vſum appenſo extrahatur?* 7. *Opij effectus.* 8. *An deceat Medicum, ægro morbi euentum cognoſcere cupienti mortem palàm prædicere?* 9. *Rarum & heroicum in ſubeunda morte exemplum.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quin meas *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, quas per Petrum veſtrum Rhedarium ad te tranſmiſi rectè acceperis, haud ambigo. Quod rarius ſcribere viſus ſum non ſine cauſa crede mihi accidit. Equidem ſi vnicum otij defectum prætendam, cauſæ ſatis dixero.

Lucubrationes tuas de dyſenteriâ lubenter legam. Non parùm negotij eadem ante paucos menſes nobis faceſſit. Qui maturè conſilium petierunt, nemo ex meis ægris obiit.

Syrupus abſterſiuus pro dyſentericis.

Syrupus abſterſiuus nobis dictus, & à *Pantaleone*, in pillulario primùm, quod ſciam, propoſitus, eximiam opem tulit; familiariſſimus mihi in quovis alui fluxu. Curaui præterea ſingulare extractum, aquam & trochiſcos reſtrictiuos pro vſu parari: quæ penes illum, & alia non infructuosè extiterunt. Inſeſſus ſi debito tempore adhibeantur, & ex anodynis, atque adſtringentibus conuenientibus conſtent; non video, quomodo penitus damnari vel poſſint, vel debeant. Profectò apud infantes non ſine notabili emolumento à me adhibiti fuerunt.

Aqua & trochiſci reſtrictiui pro iiſdem.

Dn. Chriſtophorus Neiſſer annos 56. natus, grauiſſimâ diarrhœâ per quatriduum laborans, cùm alia nulla iuuarent, tandem ſexto morbi die inſeſſu vſus ex *fol. quercus, plantaginis, centinodio, & hyperico*; *pillulis ex tormentilla extract.* gr. xvj. *lapid. hæmat. præparat.* gr. vj. *opij* gr. ij. maximum iuuamentum ſenſit.

Aliud pro iiſdem remedium ſingulare.

Miror *Coppenium* & *Bickerum* Collegas publicis inter ſe ſcriptis de Themate hoc non vſque adeò magni momenti, decertare. Si quid ego iudicare poſſum, qui negatiuam ex iis tuetur, cauſâ apud peritiores facilè cadet. Sed ita ſit, ſi φιλαυτία, & ambitio animis penitiùs inſideat. Odi ego maximoperè iſtiuſmodi altercationes de lana, quod in Prouerbio dicitur, caprina ſuſceptas. Otium quod ad hanc rem neceſſarium eſt, multò vtiliori labori præſtaret impendi. Nec commodi quid in Lectores, nec glorioſa aliqua in Au-

Auctoris de lite Coppenij & Bickeri cenſura.

ctores inde redundat. Quis initium fecerit, scire velim. Verent, ne Coppenius Auctor sit: siquidem quanta contendendi libidine æstuet, ex alijs ipsius chartis abundè constat, quas non solùm olim *Vvittebergæ*, sed ante aliquot etiam annos *Magdeburgi*, diuulgauit. An Poliatri sint; vel Electorales Medici? doceas, oro.

Coppenius quid in Chrysopæia agat

Quid in Chrysopæia agat *Coppenius*? si nosti, mecum communica. Quadriennium enim est, quando quendam suum affinem sciscitatum huc mittebat, numquid alicubi Talcum daretur aureum? Implorabat tum meam operam in indagando natali loco; quem fictitium, aut, vt significantius exprimam, delusorium ipsi nominauerant. *Spiaj* enim Polonis idem sonat, quod Latinis interroga, vel inquire. Inquisitus nusquam comparuit. Re itaque infecta domum emissarius redire coactus fuit. Promittebat *Coppenius*, si ipsum ista in re iuuarem, sese communicatione Secreti transmutatorij tantoperè operam meam remuneraturum esse, vt toto vitæ tempore res familiaris inde emolumentum perceptura sit. Ab eo tempore ne iota vllum adhuc scripsit.

Opium quemodo ano indatur?

An opium glandis forma ano rectè indatur, & postquam æger dormire cœperit, filo in hunc vsum appenso vicissim extrahatur, proximè sententiam tuam mihi exponas. Legerat fortè in suis Collectaneis ex mente *Heidui* præterita æstate

Opij effectus.

D. Thomas Hoffmannus Physicus Nouoferensis; quod id dicto iam modo vsurpatum dejectiones sisteret, & tenesmum sopiret. Facto igitur periculo, cùm alia nihil prodessent, in fœmina & infante euentum probè respondisse, antè duos menses, cùm apud Nobilem quendam ægrotantem conuenissemus, seriò affirmauit.

An deceat Medicum ægro morbi euentum petenti mortem palàm prædicere?

Illud porrò quærere placet: An nimirùm deceat Medicum, ægro morbi euentum palàm cognoscere cupienti, mortem palàm prædicere? Equidem nuperrimè *Ego* & Collega *VVolffelius* hoc factitare cogebantur.

Cum enim *Magnificus noster D. Capitaneus, p. m.* hoc à nobis anxiè efflagitaret; quippe, qui ad iusiurandum Medicum, & conscientiam nostram prouocabat, mortémque se neutiquam expauescere animosè dictitabat, quin se sibimet de hac felicitate, quod ex ærumnosa & calamitosa vita hac, tandem emigrare debeat, vnicè gratulaturum profitebatur, de vita ipsum summoperè periclitari (siquidem Diarrhea vltrà octiduum ab eo, vtpote sexagenario sex annis, & aliquot mensibus maiore, neglectui habita, ita demum exasperata fuit, vt profuso serò biliosò primùm copiosissimo cum pituita viscida, mox bile instar æruginis virescente, inde ex nigro flauescente, tandem fecibus limosis excretis, vires mirum quantum collaberentur, noctes inquietæ redderentur, singultus vrgeret, catarrhus ad pectus descenderet, leuis etiam paraphrenesis quandoque saltem accederet, vrina item supprimeretur, mitescentibus interim doloribus Arthriticis, quibus ab initio in vtroque pede, & indice digito manus sinistræ, lancinabatur) apertè quidem significauimus; remedia tamen propterea, cùm sui, tum suarum ac nostri causâ, studiosè inculcauimus.

Rarum & heroicum in subeunda morte exemplum.

Hoc cognito, quanta lætitiæ signa ediderit, vt se scripturæ, præsertim è *Iobo* dictis consolatus fuerit, quas gratias ob candorem hunc, & ingenuitatem nobis egerit, quàm denique hoc siue officium, siue beneficium etiam tribunali Christi sese illim deprædicaturum esse promiserit, ob temporis penuriam scribere, & recensere singula non licet. Gerebantur hæc triduo ante obitum. An rectè egerimus? dubitabunt quidem proculdubio multi; culpabunt factum plurimi.

At quomodo obtestationes declinassemus? quomodo rationibus ipsius quas adducebat ponderosissimas, politicas iuxtà ac Theologicas, satisfecissemus? Cum igitur ipsum tam Heroico, & impauido videremus animo, nihil dissimulandum, sed quod ægritudinis conditio persuadebat, palàm & sine fuco ipsi significandum duximus.

Rarissimum me herclè exemplum. B. cum tuis interim vale, à nobis salue, & instantem nouum annum feliciter nobiscum ingredere.

Dab Bresla d. 14. Decemb. Anno 1614.

EPISTOLA LXXXV.

PERIOCHE.

1. *De radice Chelidonij.* 2. *Auctor de Chalybis vsu etiamnum hesitat.* 3. *De fluxu dysenterico cum fluxu hæmorrhoidum externarum coniunctio.* 4. *De vrina ebulliente.* 5. *Hæmorrhagia ad Scorbutum dispositis familiares.* 6. *Auctoris de Auro Caroli Rosenbergij iudicium.* 7. *Quid de venæsectione in cacochymia statuit?* 8. *Quid Botallius?* 9. *Quid Platerus?* 10. *Auctor in scriptum. D. F. M. inuehitur.* 11. *Coppenij de Dysenteria error.* 12. *Eiusdem in chrysopæia labores frustranei.* 13. *Iactantia Asstenij Comitis Palatini.* 14. *Opium in Dysentericis in glandibus adhibetur.* 15. *Opiatorum effectus.* 16. *Auctor de Medico ægrotanti mortem palam prædicante cum Doringio consentit.* 17. *Bambinus omnimoda vrinæ suppressione extinctus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SAd binas tuas Epistolas responsum debeo, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, quod iam quidem breuiter exsoluo. Erratum in Aqua tua antiscorbutica agnosco: sed nec in meis somnia præcauere potui. *De radice Chelidonij maioris*, quam commendas, nuper quidam à me quæsiuit, an reuerà Chelidonij maioris radices intelligas, an verò vitium sit Typographicum, & minoris legendum sit. Lectiones vero reliquas etiam mittam, vbi quid *D. Paulus Muncerus* in iis præstiterit, intellexero. Sed & à te aliquid desperaui. Et posses procul dubio è tuis Collectaneis facilè ista ornare. Si DEVS volet, dabo operam, vt intrà anni dimidij spatium, librum primum absoluam. Interea augebo, & exornabo ista, quantum potero. Vbi absolutus fuerit, temporis aliquid reuidendo tribuam, & librum primum publicè edam, vt doctorum virorum iudicium de isto labore cognoscere possim. Si inde aliquid commodi in rem medicam redundare intellexero, pergam strenuè; sin minus, labori parcere potero. Interea temporis tuum additamentum expectabo. *Tractatum* meum *de Dysenteria* iam misissem: sed quia vnicum saltem exemplar habeo, suum D. S. R. qui iam ad vos venit, legendum exhibebit. Si quæ monenda habes, præcipuè de *Chalibis vsu*, vbi ipse adhuc hæreo, vel etiam alia, id amicè facias, oro. Si otium fuerit, ipse eum reuidebo, & forsan reuisum & auctum edam. Quoniam modò forsan in praxi edendâ aliquid compendij facere possem; nec opus esset, ea publicè legere, quæ iam extarent *Fluxus dysenterici* cum hæmorrhoidum externarum fluxu coniuncti exemplum mihi non occurrit. Tu quod obseruasti, notabile est, præsertim ista ætate. Sed vide sis, ne ille tenesmum pro hæmorrhoidum dolore habuerit.

De radice chelidonij.

Auctor de Chalybis vsu hæsitat.

De fluxu dysenterico cum fluxu hæmorrhoidum externarum coniunctio.

Ebullientem vrinam spontè nunquam vidi. Et certè magnam humorum corruptionem adfuisse in Vidua illa, Historia morbi à te descripta testatur. Quam si diligenter considero, non video, quomodo Censor ille tuus tam confidenter salutem promittere potuerit. Quin Scorbutus subfuerit, non dubito. Et quia Hæmorrhagiæ in Historia huius morbi mentionem inijcis; ipse etiam sæpius obseruaui, Hæmorrhagias familiares esse ad Scorbutum dispositis. Et hac hyeme ipse in Quartanariis aliquos ad Scorbutum dispositis, Hæmorrhagias narium, easque satis largas obseruaui; & nuper Studiosus quidam; eâ, satisque largâ, & ad ℔. ii. à Quartana liberatus est.

De vrina ebulliente.

Hæmorrhagia ad Scorbutum dispositis familiares.

Quæ *Carolus Rosembergius de Auro* scribit optarim omnia vera esse: Ita enim & *VVendlers* illa Historia (quam nusquam meis inseruisse vellem) de aurea & argentea Gallina saluari posset. Vt ut sit, de auro ita sentio, non probari sufficienter, Auri nullas in medicina vires esse, eò quod à calore nostro in actum deduci non possit: Actuario enim illa saltem in mistis Qualitate prima agentibus requiritur: At actiones magneticæ, quæ à Recentioribus nominantur, etiam à corporibus integris peruenire possunt. Ita globus ex vitro ♁ integer manens purgat.

Auctoris de Auro Caroli Rosembergij iudicium.

Venæsectionem in Cacochymia quod attinet, ego quidem eam nondum defendo. Poterit tamen pro ea non parùm satis speciosè afferri: Quæ cùm exponi cupias, multa quidem in eam sententiam non affero, quæ apud *Botallum, in libro de curatione per sanguinis missionem* videri possunt. Hoc saltem moneo, teipsum non ignorare, quod natura sæpè vitiosos humores ad externas venas depellere soleat; vnde in febribus frequentes Venæsectione bona Cacochymiæ pars feliciter tollitur. Deinde & istud, quod F. *Platerus tr. 1. practica p. 143.* affert.

Quid de venæsectione in Cacochymia statuit?

Quid Botallius?

Quid Platerus?

afferet, sæpissimè repetita venæsectione Cacochymiam melancholicam in Maniacis & Melancholicis sublatam fuisse. Sed hæc ad primam epistolam sufficiant. Hoc saltem subiungo, me scire cupere, quid noster ille Aristarchus & Antiquarius F. M. agas. Prouolui nuper obiter eius scriptum. In quo, præter verba non Latina (Antiqua enim ista non esse, sed non sani Cerebri figmenta à Criticis doctis iudicatum scio) pleraque vulgaria inuenio, quæ neminem mouerent, nisi sub isto illatino laterent. Vellicat & me sæpè, tum alibi tum p. 80. ni fallor, vbi ea, quæ in *Instit. ed.* 2. *p.* 525. impugnat. Vbi, quid §. *vlt. segm.* 15. intelligat, per verba ista (cui præstaret surreptum nomen bonum quàm impositum malum) non intelligo, Tu si quid sibi velit, capis, me certiorem facias velim. Risi verò, cùm ne quid ignorare videatur, etiam [illegible] in 10 pulsibus *p.* 82. *& seqq.* se scire gloriatur. Sed quid mihi homo ingratus non faciat, qui etiam Cl. *Bauhino*, qui eum instar filij amauit, & vt audio, multis beneficiis affecit, non parcit.

Auctor in scriptum D. F. M. inuehitur.

Alteram Epistolam quod attinet, Syrupum abstersiuum in Dysenteria, à *Pantaleone* in pilulario descriptum, cum is Auctor mihi ad manus non sit, videre cupio vt & tuum extractum, & trochiscos restrictiuos.

Certamen illud inter *D. Coppenium* quale sit, ex adiunctis pagellis cognosces.

Coppenij de dysenteria error.

Ipse etiam tecum sentio *Coppenium* deteriorem opinionem tutari. Et si ipsi assentiendum esset, omnia fomenta & emplastra in fluxibus alui frustrà adhiberentur. Sed quid non facit alterandi libido, & præcipuè inuidia?

De *Crysopæia Coppeny* equidem nihil certi constat, hoc tamen non sine causa suspicor, omnes labores eius frustaneos fuisse. Est hic *D. Asterius, Comes Palatinus*, qui ex omnibus rebus, vegetabilibus, mineralibus & animalibus, Mercurium viuum se elicere posse gloriatur, & triplicis lapidis scientiam tactitat. Antequam huc veniret, litteris Brunsvviga ad me datis, aduentum suum (nam & ante annos ni fallor 10. hic fuit) mihi nunciauit, & nescio quæ secreta mecum communicaturum promisit. Bis postquam mecum fuit, non redit, subolfaciens forsan, manus meas esse oculatas, credere, quod vident. Iam aliquot imperitos Adolescentes sibi associauit, qui iam Lapidem philosophicum somniant.

Coppeny in chrysopæia labores frustranei. Iactantia Asteny Comitis Palatini.

Scio equidem nonnullos in Dysentericis Opium in glandibus adhibere. Ego eius rei periculum non feci, neque etiam ratio id satis suadet: si enim quicquam prosunt opiata in fluxibus alui, id præstant, quatenus somnum conciliant, & facultatem expultricem sopiunt, quod an ano adhibita facere possint, nondum liquet.

Opium in dysentericis in glandibus adhibetur. Opiatorum effectus.

Medicum ægrotanti morbi euentum cognoscere cupienti, mortem palàm prædicere debere, apud me dubium non est.

Sunt enim rationes & politicæ & Theologicæ, ob quas vtile esse puto, ægrotanti morbi euentum cognitum esse. Neque causam habet Medicus, cur ægrotantem, præcipuè cordatum, veræ scire cupientem, fallere debeat. Cætera cum tua bene vale, & à me, & omnibus meis salue. VVittebergæ 16. Ian. Anno 1625.

Auctor de Medico ægrotanti mortem palam prædicente cum Doringio consentit.

P.S. Hoc te celare non debeo, me hisce diebus ab amico certiorem factum fuisse, *D. Casparum Bauhinum* Basileæ 5. Decembr. præteriti anni diem suum obiisse. Omnimodâ vrinæ suppressione ad dies ferè 18. laborauit. Existimarunt Medici, qui eius curam susceperunt, D. *Platerus*, & *D. Chmelerius*, fuisse aliquam in vasis vrinariis erosionem, ab immodico acidularum vsu, contractam, atque per viam apertam, serum, & vrinam in abdominis cauitatem destillasse. Et præter alia eius rei indicium hoc habuerunt, quod duabus antè decubitum septimanis, vrinam cruentam excreuit.

Bauhinus omnimoda vrinæ suppressione extinctus.

Vesica vrinaria omninò fuit vacua, ita vt nihil vrinæ etiam catethere immisso extrahi potuerit. Ita, *omnibus est calcanda semel lethi via*: Et *vita summa breuis, spes nos vetat inchoare longas*. B. V. cum tua, quam omnes saluere iubemus. VVittebergæ 21. Febr. Anno 1625.

EPISTOLA LXXXVI.

PERIOCHE.

1. *Chelidonij maioris radicum effectus.* 2. *Auctor cur de additamentis ad lectiones practicas Sennerti nihil compromittere valeat?* 3. *De Angina, & venarum sublingualium sectionis abusu.* 4. *Hæmorrhoides quomodo à tenesmo dignoscantur?* 5. *Quartana grassantes, ne in Scorbutum terminentur, Auctor timet.* 6. *De actionibus magneticis.* 7. *Botallus de Venæsectione in Cacochymia à Iacobo Pons Medico Lugdunensi refutatus.* 8. *De Aristarcho F. M.* 9. *Syrupus abstersiuus sub nomine D. Casp. Packischij quomodo conficitur?* 10. *Historia Nicolai Tiglari Generalis Franchiæ, dysenterici.* 11. *Decoctio myrobalanorum Pantaleonis.* 12. *Formula Extracti, aqua, & trochiscorum restrictiuorum Auctoris.* 13. *Trochisci restrictiui quomodo conficiantur?* 14. *De certamine Coppenij cum Bichero, & cui magis adstipuletur Auctor?* 15. *Pilula restrictiua pro Dysentericis.* 16. *Bolus pro iisdem, eiusque effectus.* 17. *Auctoris de Bicheri scriptis iudicium, & varia ad eadem quæsita.* 18. *De opiatis Ano adhibitis.* 19. *De obitu D. Caspari Bauhini, & an vrina quâ laborauit suppressio, ab aliqua vasorum vrinariorum erosione processerat?*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Respondeo iam, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, ad proximam tuam Epistolam. *Chelidonij maioris radices* à me in secundæ Aquæ Antiscorbuticæ descriptione intelligi certò credas. Annotaui in meis Aduersariis tria potissimùm exempla ex dolente, & tumido liene, succo chelidonij maioris ex toto expresso, & cum vino, vel cereuisia, & sacchato distemperato, feliciter per DEI gratiam à me curatorum. Duo ex iis fuerunt serui textorij, annos aliquot suprà viginti nati, tertius puellus quadriennis.

Chelidonij maioris radicum effectus.

De additamentis ad Lectiones tuas practicas nihil compromittere valeo: ita enim omne tempus mihi laboribus practicis surripitur, vt nec ea, quæ ipse dudum cœperam, absoluere possim.

Auctor cur de additamentis ad Lectiones Practicas Sennerti nihil compromittere valent?

Semina pestilentiæ furtim gliscentia, & vtinam futura æstate non palam eruptura, officij mei me admonent, & vt de iis extinguendis cogitem, salus publica cogit. Interueniunt febres malignæ petechiales Epidemiæ, cum phrenitide coniunctæ, quæ multos & robustæ constitutionis, & ætatis non adultæ viros, præsertim è tribu cauponaria è medio sustulerunt. Ex me etiam a cœpto opere auocant. Turbat quinimò cùm sinistra de iis concepta à plerisque opinio, tùm temerarius venarum sublingualium sectionis abusus. Equidem quid *Angina* reuera sit? & vbi, ac quando sublingualium venarum sectio locum habeat? scripto aliquo publico monstrandum, & abusus iste coercendus videtur, qui per P. potissimùm infaustis auspiciis, quantum ego quidem scio, introductus, & in hanc vrbem ceu malum quoddam epidemium ante non ita multos annos disseminatus est. Vos, qui in Academiis publicum docendi munus sustinetis, Tyrones à talibus & similibus erroribus proculdubio dehortari æquum est.

De Angina & abusu sectionis venarum sublingualium.

Tractatum de Dysenteria legendum quidem nuper afferebat S. K. sed vt verum fatear, perfectus mihi nondum est. Si quid in eis occurrerit, de quo monendum te arbitratus fuero, lubens faxo.

Nobilem illum Adolescentem, de quo præterito anno scribebam, Hæmorrhoidum dolorem tenerà passum, nec tenesmum pro illo habuisse, quis non crederet? cùm illæ antè sanguinis eruptionem manifestè tumere, & post eius excretionem subsidere iterum, conspectæ meis bis oculis sint. Taceo, quod sincerus sanguis effluxerit.

Hæmorrhoides quomodò à tenesmo dignoscantur?

Quartana hactenus & ægros, & Medicos miserum in modum exercuerunt: Illis Morbi, his curæ pertæsis, sanguinem, quibus is nunc mittitur, habent infernè quidem nigrum & adustum, supernè verò crusta pituitosa crassissima obductum, sero pauco perfusum. Plerisque eo Tertianas nothas, vel simplices, vel duplices degenerant. Vereor, ne in Scorbutum terminentur.

Quartana grassantes ne in Scorbutum terminentur, Auctor timet.

Quæ de *actionibus magneticis*, quas à corporibus integris prouenire posse, & actuatione remediorum, quam saltem in oustis qualitate primâ agentibus reperiri censes, scribis, num seuerius examen sobstentura sint? ipse videris. Etsi enim corporibus quoad pondus & magnitudinem externam visibilem nihil accedat: quin tamen spirituosum quid, quod quantitate corporea metiri sese non patitur, inde promanet, & omnium operationum opifex

De actionibus magneticis.

Digitized by Google

opifex existat: quia abnuere ausit? Hinc medicamenti actuatio non ea duntaxat, appellanda venit, quâ calor noster medicamentum penitus resoluit, ac dissoluit; sed quando interdum pro subiecti dispositione medicamentosum saltem illud, & spirituosum elicit.

Botallus de Venæsectione in cacochymia refutatur.

Quæ pro venæsectione in cacochymia à *Botallo* afferuntur, à *Iacobo Medico* quodam *Lugdunensi peculiari libro*, de *licentiosa V. S. inscripto*, refutata sunt. Quò te allegatum volo. Cur Melancholicis, & Maniacis ex vsu sit, aliàs scripsi.

De Aristarcho F. M.

Aristarchus ille noster F. M. antiquum obtinet. Nempe præ se omnes alios fastidit, & quod ab aliis non sufficienter honoretur, subinde conqueritur. Nuper Lignitio reuersus, quin insanire inciperet, parùm admodum abfuit. Profectò valde vereor, ne tandem malum hoc à matre ipsi hæreditarium aliquando incurrat; præsertim rerum angustia magis accreuerit. Vnde enim viuet? siquidem à precari totus abhorret. Displicet istud institutum Agnatis & Cognatis ipsius non leuiter. Te quod in sua disputatione hinc inde vellicat, ne mirare, multò minus morare. Vellicatur ipsemet, & vellicabitur proculdubio porrò ab aliis. Quis enim fatuitates ipsius probare ausit? præstare, tibi surreptum nomen bonum, quàm impositum malum: Ita ego, quantum ex conuersatione cum ipso habita intellexi, interpretor. Nimirum satius esse, te in Aristotelica philosophia, & Medicina Hippocratica atque Galenica minus esse versatum, quàm Chymicorum placitis imbutum: Illa enim sola atque vnica exosculatur; hæc diris omnibus deuouet.

Syrupus abstersiuus, quomodo conficitur.

Syrupus Abstersiuus, sub nomine D. *Casp. Pathischy* in nostris officinis prostans, sic conficiendus. ℞. *cortic. myrobalanorum chebular.* ℥. ii. ß. (Pantaleon habet ℥. x.) *citrinorum* ℥. i. ß. (Pantaleon, ʒ. v.) *passularum minor.* ℥. iv. (Pantaleon ℥. ii.) F. horum omnium s. a. decoctio in s. q. aquæ puræ ad medias (Pantaleon: F. decoctio in ℥. xxvii. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, coletur cum aliquali expressione) Colaturæ ℞. ℔. iii. ß. *sacchari alb.* ℔. ii. ß. (Pantaleon colaturæ vniuersæ addit *sacchari* ʒ. x. Non enim syrupi, sed decocti consistentiam expetiuit,) Coq. simul lento igne ad spissitudinem syrupi: qui clarificetur albumine oui, & aromatisetur cum *puluer. cinnamomi electissimi* ℥. i. ß. Et F. Syrupus (Plantaleon, Clarificetur aromatisando ʒ. vi. *cynnamomi el.* & est potio satis delectabilis.) Cùm Author iste tibi ad manus non sit, placet in tui gratiam, quæ pro commendanda præscripta myrobalanorum decoctione *fol.* 21. proposuit, ipsiusmet Pantaleonis verbis, pro temporis illius ratione barbariem latinam olentibus, enarrare. Vltra pillulas, inquit, habeo vnum secretum per me in ciuitate Thuronis in persona Magistri Nicolai Tiglart, Generalis Franciæ (scilicet expertum:) qui summè dilectus erat à Rege, quem Physici Regis dicebant non posse curari. Et mouebantur hac ratione: quia passus erat vnam magnam dysenteriam; & vt affirmabant, fuerat magna excoriatio, tam in intestinis gracilibus, quàm in grossis: & consequenter, quod ferè in omnibus partibus intestinorum erant cicatrices, ex quibus adeò debilitata erat virtus retentiua, quod retinere non poterat partes Chyli, quæ egrediebantur è stomacho. Nam stomachus suus apparebat sanus (licet frigidus, & humidus: Et sic durauerat fluxus ille per sex vel septem menses. Ego dicebam illis Dominis Medicis, quod non benè videbam possibilitatem istam: videlicet, quod ita vniuersalis fuisset omnium intestinorum excoriatio, quod deuentum fuisset ad illam vniuersalem intestinorum cicatricem, per quam tantùm fuisset virtus retentiua debilitata. Nam difficile est hoc videre in corpore humano, stante vitâ. Sed dicebam, hoc prouenire à magna humiditate viscosa aliqualiter, quæ humiditatis huius causa erat: Et quod ista humiditas partim descendebat à Capite, nam erat humidi cerebri, partim etiam in stomacho generabatur: Nam stomachus suus frigidus erat, & humidus Et post multa remiserunt mihi curam, & feci inter alia vnam decoctionem, quam appellabam Hippocras de Myrobalanis. Et ad veritatem fuit maior pars curæ. Dabam de mane ℥. iii. vel ℥. iv. in aurora vna die, & alia non. Et educebat tribus vel quatuor vicibus, materiam aquosam satis viscosam. Et tandem cum auxilio DEI cessauit ille fluxus. Verum est, quod etiam fiebant inunctiones, confectiones, diæta &c. sed vt dixi, illa decoctio fuit radix curæ. Hæc è Pantaleone.

Historia Nicolai Tiglart Generalis Franciæ, dysenterici.

Decoctio Myrobalanorum Pantaleonis.

Formula Extracti, aquæ, & trochiscorum restrictorum Authoris.

Extracti, Aquæ, & Trochiscorum meorum restrictorum hæc est formula. ℞. H. *centumnody*, *summitat. rubr. globulorum tiliæ, vuæ quercinæ*, an. ℥. ß. *rad. cornicuellæ, bistortæ, pentaphylli, fragariæ, rhapontici veri. cortic. myrobalan. chebulor. cortic. thuris* an. ʒ. ii. *N. moscat. apij thebaici, santal. rubr. flor. rosar. rubr.* an. ʒ. i. ß. *sem. coriandri, anisi, hyperici* an. ℈. iv *plantaginis, acetosæ, bursæ pastoris, vrticæ mortuæ* an. ʒ. i. *Cupularum glandium, N. cupressi, styracis, calamitæ, cortic. granator.* an. ℈. ii. *aurantiorum, citri, tunicarum, rubr. auellanarum, croci* ℈. i. Incisa minutissimè & conquassata infundantur in aquæ primorum germinum. Quercus decies chalybeatæ & spiritu vitrioli acidulæ factæ, s. q. ita vt emineat tribus transuersis digitis. Stent in loco calido ad saturatam tincturæ extractionem, agitenturque quotidiè. Vbi aqua affusa colorari desierit, coletur per chartam emporeticam duplicem: affundatur recens alia, & relinquatur ad perfectam tincturæ residuæ imbibitionem. Posteà tincturæ omnes misceantur, & abstrahatur humiditas in B. M. ad iustam extracti consistentiam. Aqua extracta seruetur seorsim in vitro pro aqua restrictiua: in pyxide autem terrea extractum.

Trochisci restrictiui quomodo conficiantur?

Trochisci sic conficiantur, ℞. *spody ex ebore præpar. terræ sigillatæ Silesiacæ* an. ʒ. i. *C. C. vsti præparat. boli Orientalis veri, corallor. rubr. præparat.* an. ℥. ß. *lapidis hæmatitid. præparat. croci* ♂ per simplicem reuerberationem præp. an. ʒ. ii. *gummi Arabici, tragac.* an. ʒ. i. Puluerisatis subtilissimè & commistis diligentissimè affundatur tinctura præcedens vniuersa, stent simul in loco calido diebus septem, & agitentur quotidiè. Posteà in B abstrahatur aquositas ad iustam consistentiam. Massa relicta subigatur in mortario marmoreo cum pistillo ligneo eousque dum exquisitè & æqualiter omnia vniantur. Hinc formentur Trochisci, qui lento calore exsiccati seruentur in pyxide terrea. Aquositas reponatur cum priore altera, pro aqua restrictiua.

De certamine Coppenij cum Bickero, & cui magis adstipuletur Author?

Certamen *Coppenio-Bickerianum* super vsu infessuum, in curatione Dysenteriæ exortum, quale tandem sit ex transmissis Bickerianæ defensionis pagellis plenius cognoui. Facilius autem Bickero, quàm Coppenio adstipulor; ita nimirum me confirmante Experientia. Cum enim circa proximè decursum Christi Natalitiorum Festum, DiarrhϾ nostros homines, præsertim adultiores infestarent, ob cælum sine dubio perpetuò ferè pluuiosum, cum cætera parùm iuuarent; Insessus certè ex foliis *quercus, herb. plantaginis, centinody & hyperici* cum floribus parati optimè conduxerunt. Pillulæ istæ (quia ex alio, quàm in quo extractum restrictiuum habetur, medicamenta petebantur pharmacopolio) feliciter etiam adhibitæ a me sunt. ℞. *extr. tormentillæ gr. xvj. lapidis hæmatitæ præpar. gr. vi. opij gr. ii.* F. pillulæ Nō. ix. quarum quatuor hora prima ante cœnam, reliquæ sub somni horam capiantur. Aliis talem Bolum vtiliter exhibui. ℞. *mivæ Cydoniorum aromat.* ʒ. ii. *massæ pillularum de cynoglossa gr. v. magisterij coraller. rub. gr. iv.* M. pro Bolo. Somnum egregiè induxit, & deiectiones minuit. In *Bickeriana* defensione ea, quæ contrà euacuantium vsum, qualia sunt myrobalani, rhabarbarum, & mechoaca, in medium affert, probare nequeo. Nam etsi de validioribus purgantibus facilè concedam, per ea intempestiuè adhibita, maiorem ad partem affectam humorum affluxum concitari, atque ita malum exasperari posse: de iis tamen, quæ cum adstrictione quadam operantur æquè verum non est. Et dicat mihi velim *Bickerus* rationem sufficientem, cur intestinis superioribus affectis, non autem inferioribus, talia exhibere liceat? Annon enim superiora tractis ac commotis à medicamento humoribus multò sunt viciniora, ac proinde ad recipiendam labem proniora? Quæ de præmittenda materiæ ante euacuationem mitificatione affert; nescio an in hoc affectu locum mereantur? quasi malum leui morâ in principio non exacerbari valeat: in primis materia acris non protinus educatur. Quasi verò etiam illis ipsis cum adstrictione vacuantibus lenientia quædam vehiculi loco non admisceri, atque ita vna eademque operâ vtrique scopo satis fieri possit.

Pillula restrictiua pro dysentericis.

Boli pro iisdem.

Boli effectus.

Authoris de Bickeri scriptis iudiciū, & varia ad eadē quæsita.

Scire prætereà velim, tam ex *Dureta*, quàm *Bickero*, quomodo intestina inferiora constitutionem percipere possint, ex Clysteribus, potionibus, medicamentis lenientibus, siue intrò sumtis, siue foris admotis, si materia subinde affluens, & vlcera vellicans, medicamento aliquo euacuante subtracta non fit: Ita videlicet fit, vt præ nimio contradicendi studio in errores ipsimet incauti quandoque ruamus.

De opiatis ano adhibitis.

Si *Opiata* ano adhibita, & somnum conciliare, & facultatem expultricem sopire, confirmet ipse experientia, frustrà vel rationes istius rei quæsieris, vt de effectu dubitaueris; Quantæ enim actiuitatis, vt vulgari (licet barbaro) vtar termino, sit *Opium*, quantusque infernarum istarum partium cùm Cerebro sit consensus, scribere nihil attinet.

De obitu D. Caspari Bauhini.

Tantum est eorum, quæ ad priorem Epistolam respondenda fuerant. *Cl. Dn. D. Caspari Bauhini Promotoris mei honorandi*, obitum, indicabat nuper *D. Caspar Conradus* transmissis ad legendum litteras REMI, Academiæ Altorfianæ Cancellarij. Nimirum *stat sua cuique dies:* sequemur aliquando, & nos: Atque vtinam beatè sequamur, & ita ab impendentibus malis eripiamur.

De vrina in eodem suppressione.

Omnimoda vrinæ suppressio, qua per dies ferè 18. vti scribis, laborauit, an ab aliqua vasorum vrinariorum erosione processerit? si cadauer aperuissent Medici certius cognoscere potuissent. Acidularum immodicus vsus, & vrina cruenta, duabus ante decubitum septimanis excreta, rem hanc necessariò non coniungunt? ante enim quàm vasa vrinaria acidulæ erosissent, ventriculus, & vicinitatis viscera erodenda fuissent: quale quid ab immoderato spiritus vitrioli vsu aliquando euenisse *Roussium*, si rectè memini, alicubi annotauit. Simile quid ante annos non ita multos in cadauere fœminæ cuiusdam obseruatum esse heri mihi referebatur; quippe frequentiore spiritus vitrioli vsu inferior

ventriculum

ventriculi tunica consumpta fuerat. Nec vrinæ cruentatio ad denominandam erosionem sufficit: Eademenim à calculi attritu proficisci potuit.

Fortassis vterque ab impactis calculis ita fuit obstructus, vt nihil planè vrinæ percolari potuerit: quale quid in cadauere *Dn. Danielis Schmidy p.m.* Ciuis tum temporis primarij in hac vrbe anno 1612. mense Augusto visum fuit. Historia hæc tunc adde *D. Gregorium Horstium* plenius à me fuit perscripta. Simile quid sine dubito tandem euenisset nostro, nunc ἐν τοῖς ἁγίοις *Bucretto*, nisi mors præuenisset. Quæ in cadauere ipsius deprehensa sint, peculiaribus litteris ad te scripsi. Sic nimirum multiplex est ad lethum via. B.V. & à nobis salue. Dab. Breslæ d. 15. Martij Anno 1625.

EPISTOLA LXXXVII.

PERIOCHE.

1. *Auctor partem lectionum Muntzero communicandam mittit.* 2. *Quousque processerit, & quanam tractanda restant, exponit?* 3. *De febribus tertianis & variolis.* 4. *De febribus malignis & petechialibus, quas ne in pestem degenerent, timet.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S Cum à praxi medica domum; à qua diem vnum, atque alterum absueram, redirem, *Clarissime Dn. Compater, & Affinis honorande*, Rhedarium iam itineri accinctum offendi; idcoque praxi & aliis occupatus iam ad tuas respondere non potui. Mitto tamen partem mearum lectionum, quas cum D. *Muntzero* communicare poteris, atque apud ipsum instare, vt in iis exornandis strenuè pergat. Mittam & reliqua, vbi descripta fuerint.

Auctor partem lectionum Muntzero communicandam mittit.

Spero intrà septimanas non multas me partem secundam absoluturum, versor iam in *Epilepsiâ*, Restat. *Carus*, *Apoplexia*, & *Catarrhus*. Posteà restat tertia pars *de morbis & symptomatibus sensuum externorum*, quæ libro primo finem imponet. Idque quamprimùm fiat, dabo operam: modò *Labores practici* mihi impedimento non sint. Exercuerunt nos hactenus *Febres tertianæ*, & per aliquot iam menses, *Variolæ*, apud nos quidem paucis, & non nisi infantibus teneris lethales: In vicinis verò multos iugularunt. Iam malignæ & petechiales gliscere incipiunt? quæ vtinam non in pestem degenerent. Quod nuper scripsi, iam repeto, atque oro, vt quia ipse meis vacare non potes, vicaria opera S.K. vtaris, si aliquandiu adhuc apud vos commorabitur.

Quousque processerit & quanam tractanda restant. Febres tertianæ. Variolæ. Febres malignæ & petechiales.

Si quæ etiam in tractatu *de Dysenteria* occurrunt dubia, de iis tuam mentem mihi aperias. Proximè ad litteras tuas priores respondebo: iam id faciendi otium non est. B. V. cum tua. VVittebergæ 9. Aprilis Anno 1625.

EPISTOLA LXXXVIII.

PERIOCHE.

1. *Auctoris de Febribus Tertianis & petechialibus obseruatio.* 2. *Rossania vel Rossalia Ingrassias.* 3. *Tria Rossania exempla ab Auctore obseruata.* 4. *Innasio & cura.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S Lectiones tuas practicas, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, cum D. *Muntzero* quamprimùm communicabo. Habet is præ me otium, quod illis exornandis impendere poterit. S. K. qui aliquandiu adhuc apud nos commorabitur, heri partem vnam meorum *Collectaneorum Practicorum* vtendam dedi; quam si euoluerit, aliis potietur. *Tractatum tuum de Dysenteriâ* nondum percurri: Faciam cum suppetet otium. *Tertianarum*, vti & *petechialium Febrium*, nullus apud nos adhuc finis. Ex istis tamen plures nunc, quàm nuper seruantur. Hoc peculiare obseruatum quandoque est, quod è continuis Tertianæ vtplurimùm simplices Intermittentes factæ sunt: Semina pestilentiæ nonnihil iam quiescunt. DEUS porrò nos tueatur! Affectus, quem *die deitselen* vocant, est vtique morbillorum quædam species, pustulis paulò clarioribus constans. *Philippus Ingrassias* peculiaris adhuc speciei meminit *Tom. 1. de Tumoribus p.n.p. 194.* quam *Rossaniam*, vel *Rossaliam* à suis vocatam scripsit. Sic autem ideirco nuncupatam refert; quoniam maculæ per vniuersum corpus plurimæ ac paruæ, ignitæ ac rubeæ, cum vix effatu digno tumore, instar multorum seorsim distinctorum erysipelatum, dispersæ sunt, vt totum corpus ignitum appareat. Huius tria exempla præteritò vere mihi obseruata sunt: Primum in priuigno (quem præ reliquis vehementius afflixit,) alterum in *Auctoris* germano filio, tertium denique in ipsomet Dn. A.S. Inuadit ad modum morbillorum, terminatur septiduo: Epidermis squamatim tandem ob prægressum feruorem vt in Erysipelate deraditur ac decidit. Curatur vt Morbilli. B. V. & à nobis salue. Dab. Breslæ d. 25. Iunij Anno 1625.

De febribus tertianis & petechialibus. Obseruatio.

Rossania vel Rossalia Philipps Ingrassim.

Tria Rossania exempla ab Auctore obseruata.

Innasio & Cura.

EPISTOLA LXXXIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor statum F.M. præsentem Horstio exponit.* 2. *Modum luem Veneream curandi exposcit.* 3. *De Matthia Keilio in exilium pulso.*

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S Rumpo Silentium, *Cl. Dn. Horsti*, & ad scribendi officium redeo. F. M. an fidem tuam liberauerit? scire velim. Mirus homo est. Excidit nuper gratia quam aliquandiu obtinuerat, in aula Ligoicensi. Vereor, ne aliquando Maniacus reddatur, & dispositionem aliquam à matre hæreditario iure nactus sit, nec, qui sumptus gratis in ipsum porrò profundat, aliquis iam præsto sit, ipsoque praxin Medicam, non tantùm, ceu pestem superciliosè fastidiat, sed & Doctoris titulo insigniri amplius nolent.

Auctor statum F. M. præsentem Horstio exponit.

Verum *Luem Veneream* curandi modum à te promissum hactenus expectaui semper. Fac fidem & tu tuam ista parte liberes.

Modum luem veneream curandi exposcit.

Dn. M. Matthias Keibl per multos annos apud Glacenses Pastoris munere perfunctus, occupato Glacio in exitum pulsus est: Is vt Filium quem ad vos missurus est, tibi pro veteri cum ipso VVittebergæ habita necessitudine commendarem, hisce diebus per litteras me rogauit. Tua igitur opera, vt apud vos hospitium aliquod, siue pædagogiam & Musas propitias inueniat, etiam, atque etiam, oro. Iuua, quæso, hunc exulem. DEUS remunerator largus erit. B. V. & à nobis salue, Dab. Breslæ. 25. Iunij Anno 1625.

Matthias Keil in exilio pulsus.

EPISTOLA XC.

PERIOCHE.

1. *Historia morbi coniugi Auctoris mortem inferentis.* 2. *Cur in febribus malignis humores vitiosi ad Caput ferantur?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Historia morbi coniugi Auctoris mortem afferentis.

SEn Historiam morbi, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, qui vxori meæ charissimæ, iam ἐν ἁγίοις, mortem attulit, ad te perscribo.

Iulij die 8. conquerebatur de lassitudine, & ex me quærebat, An & ego lassus essem. Affirmabam id, & æstui, qui tum ingens erat, imputabam. Sequenti die in vineam egrediebatur. Die Solis verò, cùm baptismo Filiæ *Dn. D. Meisneri* interfuisset, domum reuersa, de frigore aliquo saltem in dorso conquerebatur, quod statim magnus calor excipit, qui ad diem vsque 13. & quamdiu vita superfuit, durauit. Exhibui statim *puluerem bezoardicum*, post cuius vsum etiam sat largiter sudauit.

Sequenti die cœperunt menses fluere, & fluxere etiam largius ac diutius solito: sperabamque fluxum hunc si non morbum sublaturum, certè imminuturum, sed frustrà. Cessantibus enim mensibus calor non cessauit: sed etiam maior factus est, viresque in dies magis debilitatæ sunt. Calor nunquam intermisit circà tempus tamen matutinum nonnunquam remisit aliquantulum. Postquam iam cessantibus mensibus vrinæ inspici possent, reddebantur ex toto morbi decursu reliquo turbidæ, quæ post horam vnam, atque alteram sedimentum album, crassum, copiosum deponebant: ipsa verò vrinæ substantia, exigua caloris indicia exhibebat. Cibi appetitus planè statim ab initio morbi deiectus fuit, & vix toto morbi decursu panis tantum, quantum obulo emi potest, comedit. Satis dormiuit: verùm an is somnus planè ex naturali causa ortus fuerit, dubito. Materiam enim omninò ad Caput ἀναφέρεσθαι. fuisse existimo. Etsi enim nihil absurdi loqueretur, tamen ex aliis indiciis colligi poterat, Cerebrum laborare. Et vt mores vino, secundùm senarium Græcum, misceri solent: ita etiam morbo. Cum verò ipsa moribus esset placidis, & pia: præcipuæ etiam cogitationes eius circa preces, & cantiones sacras occupabantur. Cum autem scirem Medicum sibi & suis ob curas, & animum turbatum non satis rectè mederi posse, adhibui maturè in consilium *Dns. DD. Schallerum & VVeckerum*: Et fecimus, quantum potuimus, verùm omnia in dies in peius vergebant. Et suspicior ipsam huius morbi seminarium, iam longo tempore in corpore fouisse. Ante annum enim tumor in ceruice versus sinistram aurem ipsi erumpebat; qui non procul à carbunculi natura aberat. Sub finem anni proximè elapsi similis in altero latere emergebat. Ipsa verò semper medicamentorum pertæsa fuit, naturæ bonitati confisa: Toto enim quo mecum vixit tempore, non nisi semel, & quidem paucis diebus, è Febricula tertiana malè habuit. Viuit illa proculdubio in cœlo, cœlestibúsque fruitur gaudiis, dum nos adhuc mortalis huius vitæ calamitatibus variis obnoxij sumus: Quas cum Deo patienter feramus, donec Deus Opt. Max. & nos hinc euocauerit, & in cœlestem patriam transtulerit, vbi & ipsam, & amicos nostros piè defunctos in Deo lætabundi aspiciemus.

Optauit illa nostra beata sæpè te & tuam in hac vitâ etiam adhuc adspicere, & coram vobiscum colloqui.

Verùm desiderium eius, cuius in hac vita particeps fieri non potuit, in altera vita explebitur. Interim eodem ego teneor, & sæpè, quo modo voti mei particeps fieri possim, cogito.

Cur in Febribus malignis humores vitiosi ad caput ferantur?

Cæterum audire sententiam tuam cupio, quî fiat, quod in Febribus & simpliciter acutis, & malignis, humores vitiosi tam frequenter ad caput detrudantur? Solet quidem natura eos interdum ad pectus, vnde pleuritis, peripneumonia, deponere: verùm nunquam frequentius; quàm ad caput. Et sunt in ea sententia plures febribus acutis & malignis correptos ob cerebrum affectum & διαθέσει φλεγμονώδει laborans, quàm ob cor (nisi febres sint planè pestilentes) interire. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quid enim nobis boni iam expectandum? cùm omnia gliscant bellis.

Si de adiunctis tuum iudicium mihi exposueris, gratum id erit. Bene vale cum tua. Vittebergæ 6. Augusti.

EPISTOLA XCI.

PERIOCHE.

1. *Auctor quid de morbo & morte vxoris Sennerti censet?* 2. *Cur in febribus simpliciter acutis & malignis humores vitiosi ad caput detrudantur, exponit.* 3. *Tractatus de peste D. Fuchsij; in quo de nonnullis Auctori monendus videtur.* 4. *Concertatio Epistolaris inter Strobelbergerum & Burserum.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Auctor de morte vxoris Sennerti.

SEx historia morbi, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, qui Coniugi desideratissimæ mortem intulit id colligo, Febrem nimirum illam ex malignarum oppidò fuisse genere. Si quid aliud subita certè, & fortè etiam intempestiua mensium eruptio, id satis docere poterat. Ea sine dubio communiorum remediorum vsum aliquandiu retardauit. De vrinæ enarratione, & aliis indiciis nihil adiicio. Quin seminarium istius morbi diu circumtulerit, non negarim. Quæ causa sit quod in febribus, & simpliciter acutis & malignis humores vitiosi tam frequenter ad caput detrudantur? ex me quæris. Quæ præter situm sit vix inuenio aliam: Cum enim sanguine in vasis inferioribus vndiquaque efferuescente & ebulliente multas euaporationes oriri possibile sit, hæque pro leuium natura, sursum tendant, ac caput instar Alembici reliquo corpori insistat: quis non videt? Caput illorum receptioni situs causâ omnino esse expositum. Docere hoc potest capitis dolor, & paraphrenesis, etiam intermittentibus Febribus non vsque adeò quandoque in ipso paroxysmo, infrequens. Huc fortassis specifica humorum Capiti infensorum natura pro altera, nec non capitis debilitas pro tertia causa allegari possent.

Cur in febribus malignis humores vitiosi ad caput detrudantur, exponit.

Plures Febribus iisdem acutis & malignis correptos, ob Cerebrum διαθέσει φλεγμονώδει affectum potius, quàm Cor interire morbus vulgò *Vngaricus* appellatus testari quodammodo potest: Sed de his plura nunc temporis scribere haud vacat. Traditus enim pridie mihi est *Tractatus de Peste* perlegendus à Senatu nostro, quem pro Reipubl. Suidnicensi, in quâ Physici munere fungitur, conscripsit, & huc excudendum misit *D. Ioh. Fuchsius*, Competitor olim meus. In eo nonnulla inueni, de quibus amicè mihi monendus videbatur, ne Aristarchorum calumnias tàm facilè incurreret. Mei de eodem argumento conscripti Tractatus exemplaria duo, an cum meis & *Danielis* nostri litteris adiuncti per *Dn. C. K.* acceperis, exponas, simulque tuum super eo iudicium proximè mihi aperias rogo.

Tractatus de Peste D. Fuchsij.

Pro transmisso Magdeburgensium Medicorum Consilio Antipestifero; Concertatione Epistolari, inter *Strobelbergerum & Burserum* habitâ gratias officiosas ago. Deest *Burseri* primum scriptum, in quod Animaduersiones suas direxit *Strobelbergerus*. Idem etiam videre gestio. Euoluam per otium vtraque, & de iis quid sentiam, deinceps significabo. Iam enim ob dictam causam non licet:

Concertatio Epistolaris inter Strobelbergerum & Burserum.

B. cum tuis vale. Dabam Breslæ die 17. Septembr. Anno 1625.

EPISTOLA XCII.

PERIOCHE.

1. *De Febribus epidemiis contagiosis publicè grassantibus.* 2. *Auctoris de iisdem observatio.* 3. *An in cacochymia vena secanda, & an Practici sæpius venam in cacochymicis quàm plethoricis aperiant?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SNon dubito, quin binas meas Epistulas, priores ab ordinario Lipsensi, alteras à nostro Tabellario Christophoro rectè acceperis, *Clarissime Affinis, & Compater honorande*, quibus & has subiungo; simulque *orationes funebres* mitto, quas etiam me non monente, cum *Daniele* nostro, & aliis Amicis communicabis. Sed viuitne is iam Vratislauiæ? Ad nos enim relatum est, Cameram Cæsaream, Iauraujam translatam ob pestis metum.

Quod periculum quantum sit, me doceas velim. Devs verò Opt. Max. te cum tuis ab eo custodiat. Nos Dei beneficio, ab eo hîc immunes sumus: Grassatur tamen in Misniâ passim, Pomeraniâ, Marchiâ, Saxonia inferiore. Præteritâ septimana vna die 103. Magdeburgi hoc morbo extincti sepulti sunt. Hîc verò Febres epidemiæ ad modum ferè anni 1616. grassantur contagiosæ; sed nulli lethales. Cum Vxor mea moreretur, omnes ferè morbi tum silebant. Post eius obitum grassari cœperunt & hîc & in vicinis locis mirâ typorum varietate, & quæ non facilè ad febres ab Antiquis descriptas referri possint. Pleræque quidem tertianarum continuarum typum referunt, non tamen planè antiquorum descriptioni quadrant. Apud multos singulis diebus infestant, vt nesciam, quo nomine ipsas dignari debeam, nisi tertianarum continuarum duplicium.

De Febribus epidemiis publicè grassantibus.

Apud multos petechiarum similes maculæ erumpunt; sed hi non peius, imò melius valent, quàm alij, vt etiam obambulent & citò conualescant. Obseruaui apud non paucos vomitus enormes, imò Choleram quæ dies duos durauit. Et hi reliquis citiùs conualuerunt. Ego si iunior essem, nec tot negotiis distractus, imprimis typis febrium, cum earum euentu obseruandis, me traderem, vt ita non à priore scilicet antiquorum libris, sed posteriore scilicet inductione, febrium naturam cognoscerem: sed habeat & posteritas, quod laboret.

Obseruatio.

Cùm etiam nuper de quæstione, An in Cacochymia Vena secanda sit, quædam ad te scripserim, hæc addenda censeo.

An in Cacochymia Vena secanda?

Quæso, mecum rationem ineas, An practici sæpiùs venam in Cacochymicis, quàm plethoricis aperiant. Ego puto, è decem, quibus venæ aperiuntur, vix vnum esse plethoricum, reliquos omnes cacochymicos; Et tamen hæc quotidiè fiunt & Medicis suadentibus, neque semper malo cum successu. Caussam huius rei hanc esse puto: Natura pro hominis salute sollicita semper id agit, vt è regia corporis via, quicquid vitiosorum humorum est, vel ad primas vias, vel ad ambitum corporis depellat, & ita viscera nobilia salua conseruet. Hinc viciosis humoribus depulsis oriuntur scabies, & infinita tumorum, ac tuberculorum genera. Antequam verò in ambitum corporis erumpit materia, hæret in venis earum: Vnde venâ aperta sæpè vix quarta pars sanguinis nomen meretur. An non ergo consultius videtur, vena aperta cacochymiam illam è venis in vrtubus, quò à Natura protrusa est, euacuare, quàm purgatione ad interiora corporis iterum trahere, & nisi planè euacuetur, viscera inquinare.

Plura iam non licet: Benè Vale. VVittebergæ prid. Cal. Septemb. Anno 1625.

EPISTOLA XCIII.

PERIOCHE.

1. *Pestem grassantem cur Auctor furtiuam appellat?* 2. *Auctoris de scripto Magdeburgensi iudicium.* 3. *De febribus Intermittentibus.* 4. *Obseruatio de Dysenteria.* 5. *Diarrhœa in dysenteriam transiens.* 6. *Dysenteria in Diarrhœam mutata.* 7. *An per morbum naturalem Dysenteria vel Diarrhœa Melancholia complicari possit?* 8. *Cur homines peste correpti etiam Bubonibus erumpentibus inexpectatò tamen intereant.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

SBinas, & ego, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, hisce præsentibus ad te præmisi litteras: vnas per D. C R. alteras per *Christophorum* Tabellarium. Primas quidem dudum rectè cum duobus Exemplaribus mei Tractatus de peste conscepti, acceperis, haud dubito. In eo si de aliquo me monendum esse videris, vt liberè id facias, per amicitiam nostram te rogatum volo. Ita verò est. Afflixit nos iam inde à Februarij initio furtiua pestis. *Furtiuam* appello propterea, quia paulatim per contagium, enim prima femina è Nosodochio publico primus illi præfectus Chirurgus (quartus enim illi nunc præest, tribus morte inopinâ abreptis) domum suam transtulit, hinc inde sese disseminauit. Restingui maturimè igniculi isti pestiferi potuissent, si Magistratus ad meas admonitiones attendisset, nec quidam Nostrarum omnimodam pestis absentiam, præ mero, sed dolendo contradictionis studio, vel ante paucas adhuc septimanas, Nostratibus, omnibus machinis, persuadere conati fuissent. Quos innuam facilè intelligis; Interim tamen rumor longè superat rei veritatem. Equidem ita fodemus vndique, vt nusquam nostri homines intro mittantur. Numerus toto hoc anno peste exstinctorum via dicitur excedere septingentos. Speramus meliora. Devs saltem subsecuturo anno sua gratia nobis adsit, ne ad exemplum Polonorum & Borussorum, grauius nos affligat, & vel in tertium annum atrocissimè in nos sæuiat. Legi Magdeburgensium scriptum. Id mihi satis videtur ieiunum. Tantamne rem tam persuoctoriè agere? Magnum attexuerunt Chymicorum remediorum catalogum. Quod num tam publicæ vtilitatis, quàm priuatæ ostentationis causa factum ab ipsis sit, haud scio.

Pestem grassantem cur Auctor furtiuam appellat.

Auctoris de scripto Magdeburgensiu iudicium.

Sperassem à nostro Doctore *Vlrico* paulò elaboratiora. *Concertationem Epistolarum Burseri, & Strobelbergeri* legam per otium; nunc enim non vacat. Affligunt nostros homines præter pestem *Febres intermittentes* Tertianæ simplices, sed spuriæ, vomitibus & Cephalalgiis admodùm graues: Primo biduo, vel triduo continuarum typo ludentes; tandem post Bezoardicorum vsum in Intermittentes facessentes; vires insigniter non sine malignitatis suspicione atterentes.

De Febribus intermittentibus.

Diarrhœa, & Dysenteria sparsim gliscunt, funestæ & ipsæ. Nuperrimè mirimum exemplum vidi. Fœmina quædam senatoria annum 29. ætatis ingressa, constitutione melancholica vetularum & Medicastrarum studiosissima, rus ob contagij metum profecta, diarrhœa illic primùm corripitur, ex consilio Amitæ suæ adstringentibus statim vsa, in magnas angustias, & vitæ etiam periculum conijcitur. Vix quinto die Medicus domesticus hinc accersitur, cuius salutaria consilia Amita, pro sua scilicet prudentia flocci pendit. Tandem in Vrbem transuehitur, egoque simul ad commune consilium vocor. Transierat iam Diarrhœa in Dysenteriam, torminibus, ac tenesmo comprimis molestam. Cumque vigiliæ instarent, de procurando etiam somno cogitabamus. Nocte ad diem decubitus vndecimum pertinente, nescio quid de particulis Eparis excreuis, & de pulsu amisso quem tamen in vola manus explorare cœperat, subinde conquesta, ac tota insomnis fuit. Manè sequente adstantibus moriturum sese prædixit: quod vaticinium nos pro falsa imaginatione habuimus. Tertiâ post meridiem hora cùm ipsam visitassemus, & nihil tale suspican

Obseruatio de Dysenteria.

Diarrhœa in Dysenteriam transiens.

suspicantes via domo egressi essemus, ecce derepentè instar furibundæ totum conclaue clamoribus replet, & tota de salute sua, tam temporaria, quàm æterna desperabunda, omnes adstantes mirè turbat, & angit, vetulam, cuius consilio vsa prius erat, indesinenter accusans, quasi ipsam effascinasset. Tentata sunt à nobis Medicis varia; vt ipsam ab ista imaginatione liberaremus; fecerunt & suum officium Theologi; sed incassum omnia.

Dysenteria in diarrheam atrabiliariã mutata.

Ipsa enim quoties exacerbatio ingrauescebat, (ingrauescebat autem vt plurimùm post preces vespertinas) de sua perditione propter consuetudinem cum venefica (istius enim rei ipsam assiduè accusabat) miram, largum querelarum catalogum texebat. Extrà hunc paroxysmum absoni loquebatur nihil; Vetulæ tamen istius nunquam obliuiscebatur, sed vel fascinationis remedium ab ipsa petendum; vel pœnam ob istud facinus ipsi irrogandam, vrgebat: Dysenteria in diarrheam atrabiliariam ac fœtidissimam permutata, & ad vitæ finem vsque perseuerante. Expirauit tandem nono à primo istius desperationis, (ad mentem tamen reuersa, & ad Deum seriò conuersa, vti astantes testabantur) die: quem ceu fatalem terminum vetula ipsi præsinuisse, istamque siue melancholiam, siue insaniam, antehac prædixisse, ex nescio cuius ipsi ægræ familiaris stellæ obscuritate commentitiâ, dicebatur. Ecquid tibi, de hoc casu videtur *mi Sennerte*? Naturaliter ne Tu omnia hîc processisse putas? possitne per morbum naturalem siue Dysenteriæ, siue Diarrheæ Melancholia complicari? Anon vetula ista Medicastra, & haud dubiè venefica, vt apud Magistratum accusanda, ita ab hoc plectenda? Detuli nuper ad Primatem hanc rem officij mei ratione, quo iubeor vt Pseudiatros obseruem. Vtinam Magistratus noster tandem in tales seuerè animaduertat? Disceret vnius, vel alterius exemplo, cæteri, quid vitarent, sibique demandato munere fungerentur, nec in nostram Medicinam tàm proterruè ac maleficiosè irruerent.

An per morbum naturalem Dysenteria vel Diarrhea Melancholia complicari possit?

De Venæsectione in Cacochymia instituenda quod isto anno præter ea, quæ d. 16. Ianuarij misisti, quicquam scripseris, non memini. *Iacobi du Pont* (ad quem Auctorem tum prouocabam) refutationem *Botalli* iam nouum, num legeris ignoro. Vtut sit, ad ea, quæ nunc proposuisti, respondere teneor. Verùm cùm tempus nunc deficiat, & Rhedarij vxor assiduus litteras expectet, nolens volens in aliud tempus responsionem differre cogor.

Cur homines peste correpti etiam Bubonibus erumpentibus, inexpectatò tamen intereant?

Hoc nihilominus quin Corollarij quasi loco annexam, & tuum super eo iudicium exquiram, facere non possum. Nimirum quam causam esse putas? quod homines peste correpti, etiam illi, quibus ab vsu Expulsiuorum, & Carbones, & Bubones magno sæpè numero erumpunt, inexpectato tamen intereunt. Nescio an id propter Chirurgorum fiat negligentiam, qui minùs sedulò fortassis tumores tractant, an aliam aliquam ob causam, ac veneni potissimum malitiam?

Tibi quid de hac re videatur, proximè quæso, paucis explica. B. V. & à nobis salue. Dab. Breslæ d. 26. Septembr. Anno 1625.

EPISTOLA XCIV.

PERIOCHE.

1. *Auctor quid in tractatu Doringij de Peste desideret? 2. De scripto Magdeburgensium. 3. De Febribus epidemiis. 4. An ex diarrhea & dysenteria melancholia fieri possit? 5. An in Indicationibus Scorbuti primus locus sudoriferis sit dandus? 6. An ex terrore quis non ob pestem, sed alia de causa, peste corripi possit? 7. Obseruatio de Iudice Calbensi.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor quid in tractatu Doringij de Peste desideret

SReddita mihi rectè sunt litteræ tuæ *Vir Clarissime, Dn. Affinis & Compater honorande*, à D.C.R. cum exemplaribus duobus tractatus tui de peste; pro quibus gratias habeo. Nihil est, quod in eo tractatu desiderem, nisi quod de amuletis illis ex arsenico & Mercurio dubito: Scis enim quàm fallacia causæ, in tot causarum concursu sit vulgaris.

Neque sequitur, hic peste correptus non est, quia amuletum ex Arsenico, vel Mercurio gestaret: cùm multi reperiuntur, qui nihil tale gestarunt. Quod nuper conquestus es, idem alij in Silesia amici per litteras conquesti sunt, celebrata scilicet auxilia parùm prodesse, et si bubones & carbunculi erumpant. Nimirum morbi huius, vt peculiaris pœnæ diuinæ, curam sibi Deus reseruauit. Forsan tamen etiam tum nimis serò adhibentur auxilia, cùm res iam eò redacta est, & massa sanguinis iam ita infecta, vt venenum amplius insensibiliter, vel per sudorem discuti non possit, sed sanguis correptus iam bubonibus & carbunculis materiam subministret. Neque bubones & carbunculi semper roboris naturæ, sed sæpè copiæ & prauitatis materiæ sunt indicium. Scriptum Magdeburgensium, & mihi minus elaboratum videtur. Sed bonus ille *D. Vlricus* iam ante duos ferè menses in viuis esse desijt. Cum enim vxorem & liberos, Quidlinburgum, vbi antea Physicum egit, deduxisset, Magdeburgum reuersus, peste correptus obijt. Ita omnibus est calcanda lethi via.

De scripto Magdeburgensium.

Febres illæ epidemiæ, quæ ad modum vestrarum nos ferè affligerunt, iam euanuerunt, nisi quod apud nonnullos in Quartanas mutatæ sint: Nonnullos etiam pertinax Capitis dolor vrget. Ex Diarrhea & Dysenteria Melancholiam fieri posse, si materia intempestiuè suppressa ἀναῤῥέοντος fiat, impossibile non duco: Interim tamen Diabolus varias etiam deludendi homines occasiones arripit. *Refutationem Botalli Iacobi du Pont* non vidi; quæso tempus, & locum editionis significa.

De Febribus epidemiis.

An ex diarrhea & dysenteria melancholia fieri possit?

Heri ab amico Medicinæ Doctore è Silesiâ litteras accepi qui nuper cum *Gregorio Martini* ad ægrum curandum vocatus erat. Ibi cùm & mei mentio incideret, & tractatus mei de Scorbuto, *Gregorius Martini* in eo hoc reprehendit, quod in Indicationibus non primus fuerit datus locus sudoriferis, cùm morbus omnis contagiosus & malignus cum putredine coniunctus, primò sudoriferis, & postmodùm alterantibus, purgantibúsque esset oppugnandus. Quid Tibi videtur de hoc axiomate? putasne id simpliciter verum esse? Velim etiam vt de hac Quæstione tuam sententiam mihi explices; An quis ex terrore, non ob pestem, sed alia de causa peste corripi possit? Mortuus est hic heri peregrinus quidam Iudex Calbensis. Is ante 10. septimanas *Calbâ Akam*, pestis metu se contulerat: Cùm verò fama de aduentu militis VVallensteinij *Abe* increbresceret, signum Campanis de turri improuisò datum est; quo vir hic vehementer territus est. Is dum cum familia se huc contulisset, paulò post ægrotare cæpit, & nunc calorem, nunc frigus mixtim sentire. Tertio vel quarto morbi die cubitum iturus, aliquid mithridatij cum aceto sumsit. Ea nocte tumor instar oui columbini, vel etiam maior in sinistro inguine erupit. Die ab eruptione secunda manè tumor totus instar Rosæ rubicundus euasit, quæ rubedo vsque ad crus se extendit. Habuit ille id pro Rosâ. Eo die appetitus valdè deiectus fuit, & ipse circa vesperam inopinatò mortuus est. Quæritur iam an ille peste extinctus sit. Sanctè, dum viueret, affirmauit, se cum nullo peste infecto conuersatum fuisse, sed morbum istum ex terrore illo contraxisse. Antequam Rosa in cruribus efflorescit, sæpe in inguinibus Bubones erumpere vidi, qui postea euanescunt: Sed in hoc istud peculiare, quod tam subitò & inopinatò, sexto, vel septimo morbi die mortuus est. Putasne ergo in viro quinquagenario maiore Rosam intrà repressam mortis tam subitæ causam esse posse. Plura iam non licet, cum peregrè abeundum sit, quæ causa est, cur etiam ad Danielem nostrum iam non scribam: quem interim meo nomine saluta. Bene vale. Vittebergæ 13. Octobr. Anno 1625.

An in Indicationibus Scorbuti primus locus sudoriferis sit dandus?

An ex terrore quis peste corripi possit?

EPISTOLA XCV.

PERIOCHE.

1. *Auctor ad dubium Sennerti de Amuletis respondet. 2. Putamen nucis auellanæ cui Mercurius inclusus, concepto veneno dissilit. 3. Buso siccatus ad extrahendum venenum conducit. 4. De Araneo viuo testa auellanæ incluso Iudicium Sennerti requirit. 5. An ex deleteriis emolumentum sperandum? 6. De modo sine igne calcinandi CC. 7. An certum & specificum contra pestem remedium detur? 8. Theriaca an contra pestem certum remedium? 9. An Diascordium*

cordium Fracastorij? 10. An metallicis remediis vis veneno resistendi desit? 11. De facultate Alexipharmaca. 12. De Aconito omnium venenorum ocyssimo. 13. An sectio venarum cacochymiam minuat? 14. An omnes morbi contagiosi & maligni cum putredine coniuncti, primò sudoriferis, postea alterantibus, purgantibúsque sint oppugnandi? 15. An ex terrore aliquis peste corripiatur? Auctor exponit. 16. Semina pestilentia etiam absque conuersatione infecti communicantur. 17. De Rosa in cruribus efflorescente. 18. Casus mirus de Iohanne Carolo Stephani Iessinij relicto filio. 19. Auctoris de eodem casu quæsita.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Nihil est *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, quod in *Tractatu meo de peste* desideres, nisi quod de amuletis tum Arsenicalibus, tum Mercurialibus dubites; & miror, & mihi gratulor. Miror quidem, quod cum apud Nostrates, & vicinos quosdam Thessalos, variè impegerim, dum publicos nonnullos errores liberè perstrinxi, nec de pestis Naturâ & causis prolixè disserui: tu nihilominus nihil te desiderare profitearis. Nimirum quot capita, tot sensus. Eius si vnum vel alterum exemplar expetis, proximè mittam. Gratulor verò mihi quod de nominatis duntaxat Amuletis dubites. Fallaciam causæ in multarum causarum concursu facilè committi; libenter largior. Interim tamen non concludit tua instantia; quando contra Amuleta sic infers. Multi seruantur, qui nihil tale gestarunt: E. Amuleta nullius vsus sunt. Possum enim similiter & ego colligere. Multi seruantur, qui nullis remediis præseruantibus vtuntur: vel, nonnulli peste correpti citra remediorum vsum conualescunt: E. remedia tam prophylactica, quàm therapeutica sunt superuacanea: Idem contrà totam nostram Medicinam obiici posset. Vides itaque, quàm hæc illatio nihil planè contrà Amuleta obtineat. Cum Giessæ adhuc essem, Quæstiones quasdam miscellaneas, & inter eas hanc quoque *de Amuletorum vsu* pertractam, & numquid ea ex vsu sint consideraui. Perpendi vtrinque & rationes & auctoritates: steti nihilominus ab affirmantium parte, quæ mihi adhucdum valdè probabilior, postquam hoc ipso præsenti tempore pestilentiali verum esse didici, quod in tractatu meo ex *Ayrero* adduxi, scilicet concepto veneno dissilire putamen nucis auellanæ, cui Mercurius sit inclusus: Nam vt alia exempla, quorum aliquam-multa proferre possem, præteream, equidem cùm ante mensem controuersia quædam, inter nostros Chirurgos pestilentiales exorta, à nobis Physicis ex mandato Senatus esset audienda & componenda; quem actum in pomærio, loco perflabili, instituebamus: Ecce! altero die diffracto putamine Mercurius effluxit. Idem accidit 1. *Dn. M. Danieli Hermanno* Diacono, postquam in loco fuisset infecto. 2. *Sorori* eiusdam *Cauponario*, cum visu funere perterritus esset. 3. Meæ *Vxori* & *Ancillæ* itidem disruperunt; sed non constat, An & vbi aliquid contagij hauserint. Vim magneticam aliis quoque Amuletis contra alios morbos non esse omninò denegandam, Tute proculdubio confiteberis. In ipsa peste bufo siccatus, quantoperè ad extrahendum venenum faciat, me etiam non monente nosti. Taceo alia. Lege sis quæ *Strobelbergerus* in suo scripto Germanico *de Amuletis* habet. Inter ea illud mihi non vsque adeò improbatur, quando illos reprehendit, qui amuletis Arsenicalibus nulla Cordialia miscere iubent.

Auctor ad dubium Sennerti de Amuletis respondet.

Putamen nucis auellanæ cum Mercurius inclusus, concepto veneno dissilit.

Bufo siccatus ad extrahendum venenũ conducens.

De Araneo viuo.

De *Araneo viuo* testæ auellanæ inclusu, & Amuleti loco è collo suspendendo, atque à *Strobelbergero* præ cæteris ferè commendato, quid sentias? proximè edisseras. *Ioh. Funckerus* Medicus Schleusingensis, Scripsit nouitius, vt contra hoc, ita etiam reliqua Amuleta ex Arsenico, & Mercurio confecta, in suo *Medicamentorum simplicium aduersus pestem Catalogo* subinde vrget, & repetit illud Galeni; quod nullum emolumentum ex deleteriis vnquam sperari possit. An satis rectè, tute diiudices.

An ex deleteriis emolumentum sperandum?

De modo sine igne calcinandi C.C.

De modo sine igne calcinandi C.C. quid statuas? & simul, vt placeant ea, quo contrà ipsum obiicit in hoc ipso scripto *Strobelbergerus*; proximè item edoceas.

Postis, vt peculiaris pœnæ diuinæ curam sibi Deum reseruasse, dum scribis, eo ipso meo hisce diebus finito Tractatui de certo & specifico pestis remedio, disertè subscribis. Cùm enim & viderem, & audirem, multos de certis remediis pestiferis gloriari, & ea domi suæ parata venum exponere, & quæstum cum iis exercere; facere non potui, quin horas succisiuas in inquirendam super hac re veritatem, collocarem. Ita in explicanda hac controuersia me gessi, vt primò omnium breuissimè remedia Theologica proposuerim: secundo loco de politicis auxiliis disseruerim, tertiò denique Medicorum aduersas opiniones suis vtrimque cùm rationibus, cùm authoritatibus communitas, in medium attulerim.

An certum & specificum cõtra pestem remedium detur?

Hinc aliens decisiones, vtpote *Fallopij*, *Palmarij*, & *Schuoteri*, examinaui. Tandem meam assignaui, cum annexo iudicio de nonnter subinde ex cogitatis remediis, & adiuncta inuectiua in Pseudo-medicos, ac superadditâ censurâ super *Secretistas* (ita appello eos, qui sua propalare nolunt) *Astralistas* (per hos illos innuo, qui Astralia duntaxat remedia crepant) & Lapidis Philosophici gloriosos deceptores &c.

Quindecim quaternionibus nunc completur. Augebitur tamen per otium. Optarim, vt tuâ limâ expoliri posset. Ostendi, cùm mihi valediceret, D. K. pridiè eum primùm absolueram. Vereor, ne crabrones, eo ipso, multos excitaturus sim, Nimis enim liberè plurimos errores alios detego, & detestor.

Sed antiquum est veriuerbium: *Veritas odium parit*. Meque illud quod togatus albis Studiosorum semper inserere solen, solatur;

> *Si rectè facias, ne cures verba malorum,*
> *Arbitrij non est nostri quid quisque loquatur.*

Strobelbergerus in dicto scripto Germanico pro certissimo, & probatissimo remedio Antipestiferum Theriacam cõmendat: quâ in re *Heurnium*, si rectè memini, sequi videtur. Scis quanta circa hanc sit inter Auctores discrepantia: Neque etiam ego citrà discrimen ipsâ vti velim. Tutius herclè est *Fracastorij Diascordium* ex aqua nucum, & oxysaccharo Bezoardico propinatum: cuius plures, vti & puluerum cum sudoriferorum, tum cæterorum, non infelici successu (modò tempestiuè consilij petendi causâ me accesserunt) per Dei gratiam feci periculum. Descriptiones à D. K. habere poteris, si D. R. eas non communicauit.

Theriaca an contra pestem certum remedium?

Diascordium Fracastorij.

Tu an *Strobelbergero* assentiaris? scire velim. De Metallicis remediis, an hodie in eandem opinionem, in quam ante duodecennium, inclines? quod nimirum illis desit vis veneno resistendi; proximè ad me perscribas. Id autem tum temporis, vel ex eo patere existimabas, quod Alexipharmaca è vegetabilibus petita, etiam post sudoris prouocationem, per plures dies, vt ex curatione pestis notum, propinentur, eo saltem fine, vt veneno, si quod supersit, resistant, etsi sudores tum non moueant: id quod cum metallicis non faciamus. Hæc ratio an satis firma sit, diligentiùs dispicias.

An metallicis remediis vis veneno resistendi desit?

Quod si autem & horum vsus vegetabilium instar continuaretur? numquid non æquè proficua futura censebis? Dubito sanè & ego de facultate ipsorum alexipharmaca? nullam tamen firmam rationem comminisci adhuc possum, quâ contrarium adstruam.

De facultate Alexipharmaca.

Si è Venenatis parata obiiciam: Ecce! inferri protinus poterunt instantiæ loco trochisci viperini, oleum Scorpionum, & Araneorum &c. Quin & illud Plinianum ex *lib 27. cap. 2.* huc transferri posset, quando Antiquorum curam, diligentiámque nos non satis venerari posse scribit, eo, quod cum constet omnium venenorum ocyssimum esse *Aconitum*, & tactis quoq; genitalibus fœminini sexus Animalium eodem die ferre mortem: id tamen in salutis humanæ vsus vertere, ac Scorpionum ictibus in vino calido datum aduersari, experiendo didicerint. Nimirum, ea est natura, inquit *Plinius*, vt hominem occidat, nisi inuenerit, quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento solo. Hæc pugna est, cùm venenum in visceribus reperit: exitialia ambo cùm fuerint duo venena in homine commoriantur, vt homo supersit. Hæc *Plinius*.

Plinius de Aconito.

Pestis necdum cessat planè. Serpsit in vicina oppida, ciuitates, & pagos; vt metuam ne anno subsecuturo multò grauius nos affligat Quæ, quia in manus sic labimur Domini, potius, quàm reliquæ Cardinales pœnæ expetenda. Quartanæ & nobis frequentes sunt.

Iacobi du Pont scriptum contra licentiosam Venæsectionem Lugduni Gallorum Anno 1600. apud *Ioh. Pillehotte* in 8. editum est. Misi ante aliquot annos Tibi vtendum. *Sebastianus Slesecouius Medicus Cracouiensis l. 1. praxeos phlebotomiæ c. 6. §. 8.* ita hac de re disserit. Cacochymiam venarum ad vasa sectâ vnâ minuere, tutum est, si copiæ, ac virium ratio habeatur. De Cacochymiâ verò ad vires valdè dubito; num quoque possit absque aliquâ virium iacturâ celebrari phlebotomia: quare nec cuiquam Author esse volo ad incundam. Et rursum §. 9. Omnis Cacochymiæ, quæ in venis condita est, vitiis vna sectio venæ expeditè succurrit, iisque liberat; si illinc, non autem viscerum vitio genita est. Tunc enim præstantior & accommodatior est Purgatio. Tibi vt arrideat ista decisio, proximè significa.

An sectio venarum cacochymiam minuat?

Num omnis morbus contagiosus & malignus cum putredine coniunctus primò sudoriferis & postmodum alterantibus,

An omnes morbi contagiosi primò sudoriferis sint oppugnandi?

bus, purgantibúsque sit oppugnandus? (quo nomine Tractatum tuum *de Scorbuto* reprehendisse audio *Gregorium Martinum*, Antagonistam tuum) ex me quæris. Omnem hoc non admittere, vel lues Venerea docere possit. Videantur etiam, quæ contra Sudoriferorum vsum, vel in ipsa peste adducit in Disputationibus & Epistolis Medicinalibus *Erastus*. Quæ tametsi in peste non satis valida sunt; facilè tamen ad alios morbos accommodari possunt. Profectò hîc locum habere videtur illud *Galeni*; multa scilicet sæpenumero fuit fingere Rationem, quæ eludat deinceps experientia. De quo ipso plusculа à me dicta sunt in Notis *ad Porrofolinum* super Collectanea de *Mithridatio Mutoni*.

An ex terrore aliquis peste corripi possit?

Quæris porrò: An quis ex terrore, non ob pestem, sed alia de causa, peste corripi possit? Aio ego. Causam quæris? Dico, igniculos pestilentiæ conceptæ, & in corpore delitescentes, terrore excitari, & in actum quasi deduci. Hos enim benè multo tempore intra corpora quietos ac sopitos latitare posse, apud me extra omne est dubium. Respondet etiam Experientia. Nam vt de exemplis à me obseruatis (dum nonnulli de gradibus Lapsi, aut alio modo perterriti, paulo post ægrotare cœperunt, & breui inde non sine suspicione pestis mortui sunt) nihil scribam; Historia certè, quam *Follinus* in *Amuleto Antoniano l. 1. problem. 4. sub finem*, & rursum duæ aliæ, quas idem *probl. 5.* recenset, fidem luculentam faciunt. Quo te ablegatum volo. Quis itaque dubitet? Virum illum Calbensem ob pestis metum Anum primùm, mox ob errorem a milite aduentante sibi incussum ad vnæ concedentem, tumore instar oui columbini, etiam maiore, post febrim in sinistro inguine, tertio, vel quarto morbi die oborto, sexto, vel septimo morbi die inopinatò mortuum esse. Nec refert, quod ipse prætendit, cum nullo infecto se conuersatum fuisse, possunt enim aliundè infectis semina pestilentiæ sæpenumero communicari: Nam vt de nostra saltem peste dicam; sub primum ipsius initium, cùm vix viginti, aut paulò plures ædes occupasse, notam exactè, quâ ratione per contagium ex vno loco in alium esset translatum: Nunc postquam latius sese propagauit, nec homines in infectis ædibus sese continent, sed impunè euagantur, miramur quidem si nouas ædes inuadat, vnde eò pestis semina peruenerit: Verùm mirari non debebamus propter licentiosam, & refractariam disciplinam. Monui toties, occludendas esse ædes infectas, vt iam monitionum pigeat, ac tædeat. Illi excusant, qui rectè monita exequi debebant.

Semina pestilentiæ absque conuersatione infectis communicantur.

De Rosa in cruribus efflorescente.

Sanè antequam *Rosa* in cruribus efflorescat, Bubones in inguinibus primum erumpere, eosdémque posteà euanescere, non peregrinis saltem, sed meopte etiam exemplo, dum VVittebergæ in tuismet ædibus *Rosâ* in sinistro crure corriperer, testari possum. An intrò repressa in viro quinquagenario maiore, mortis causa esse potuerit; ego quidem non planè negauerim. Vt doceri prius oportuerat 1. solam *Rosam* extitisse, 2. eandémque initio repressam fuisse. Suspicor itaque potius, mortem seminariorum pestilentium in loco infecto contractorum, & ad vos vsque transportatorum, fuisse sobolem.

Casus mirus.

Audi mirimum casum tibi nec lectum forsan, nec auditum prius vnquam. *Ioh. Carolus Dn. Stephani Iesseny* relictus Filius duodecennis, rari & excarnis habitus, à biennio hinc, postquam vitricus cum familia, meo consilio vti cæpit, febribus ea affecto, & tumido Liene oriundis, nunc Quartanis (iisque modò simplicibus, modò duplicibus) nunc Tertianis, (quæ & ipsæ vel simplices fuere, vel duplices) correptus, rarò ab his immunis fuit. Per mensem quasi ante mortem parciùs edere, at vehementius, noctu præsertim sitire visus est. Vrinæ sanorum, prout ista fere ætas, simillimæ extiterunt. Imperabantur varia ad sitim fallendam excogitata: sed frustrà omnia. Ecce enim cùm biduò ante obitum pro more ipsum visitarem, ipsemet cum matula obuiam mihi procedens, facie iam tum præ hesternâ conspiciebatur mirè collapsâ, oculis concauis, & circulo sublиuido cinctis. Miratus tam subitaneam faciei mutationem, interrogaui ecquid malè haberet? Ille verò nihil præter intolerabilem sitim accusauit. Pulsus naturali paulò erat celerior. Vrina prioribus non absimilis, extrema frigidiuscula potiùs, quam calida. Consternabar non parùm: maligni enim aliquid subesse ratus, (quandoquidem pestis hinc inde grassabatur grauius) Bezoardica ordinaui, iuxtàque internum æstum restinguentia præscripsi; sed incassum omnia. Vna enim sitis totam complebat morbi fabulam, quæ tam erat inextinguibilis, vt poculo vixdum ab ore remoto, protinus clamaret; potum, potum.

Quia itaque præ nimio potu ventriculus distendebatur, vomitus quandoque infestabant. Sed nihil præter assumpta, reddebatur, eaque non alterata. Interrogatus, nunquid ardorem aliquem circà ventriculi regionem præsentiret? fundi locum ostendit: vehementem itaque inflammationem isthic subesse conieci, quam præter locum affectum ardore continuo afflictum, & sitim inexplebilem, Febris mihi antehac nunquam obseruata, *Lipyria* abundè monstrabat. Quid fit? Tertio, à decubitus initio, die circà meridiem animam Creatori suo reddidit, postquam prædictis symptomatibus totus enervatus, ac paraphrenesi quadam correptus, paucis antè obitum horis fuisset. Manu ventriculi regioni admotâ, pulsationis quendam sensum conspicuè deprehendi. Prædixi, si post obitum cadauer aperiretur, singulare quid circa ventriculi fundum nos inuenturos esse. Annuerunt itaque; cùm vt tam repentinæ atque inexspectatæ mortis causam cognoscerent, tum vt suspicione infectionis domum suam liberarent. Res mira! cadauer tam erat emaciatum, vt viuum quasi dicere potuisses sceleton, cute paucissimâ intertextâ carne, obductum. Postquam pectus initio contemplaremur, pulmo sinister apparuit lividus, ad gangrænam iam tendens. Vbi inferior venter dissecaretur, cutisque primum cum musculis ex carnibus amoueretur, sub peritonæo, quà Lien situs est, nondum dissecto, nigri quid subesse conspeximus. En disrupto, Lien subturgidus in conspectum prodiit, ac prope Lienem in ipso ventriculi fundo Gangræna tam grauis, vt ipsamet ventriculi substantia in atrum, ac fœtidissimum succum protinus difflueret.

Omentum ferè absumptum, intestina à flatibus & porro turgida, mesaraicæ turgebant & ipsæ, simulque ea colore liuido Gangrænæ indicabantur vicinæ. Habes; mi *Sennerte* & morbi prægressi, & in demortui Cadauere repertorum Historiam. Vidistin' aut legistin' vnquam similem? Lubet ex cadem nonnullis quærere, 1: An ex siti illa diuturna præcedente tale quid suspicari quis potuerit? 2. Numquid Gangræna ista præcaueri forte valuerit? 3. Quibus remediis id faciendum fuerit? 4. Quæ causa ipsam excitauerit? 5. Quomodo labes tam citò & pulmonibus sursum, & Mesaraicis deorsum communicata sit? 6. An Febris, quam subesse pulsus ferè vnicus coarguit, vera Lipyria fuerit? 7. Quomodo pulsatio admotâ manu deprehendi potuerit? cùm arteriæ venticulo insertæ admodum exiles sint, &c. De his, vt primâ occasione sententiam tuam ad me perscribas, oro. B. V. & à nobis salut. Dan. Breslæ d. 24. Nouembr. Anno 1625.

Auctoris de casu præcedenti quæsita

EPISTOLA XCVI.

PERIOCHE.

1. *Auctoris de Amuletis iudicium.* 2. *Emolumentum ex deleteriis sperari posse quomodo probatur?* 3. *An modus calcinandi CC. cum igne ille qui sine igne fit, sit præferendus?* 4. *Diascordium Fracastorÿ an Theriacæ præferendum?* 5. *Auctor ad quæsita Dorīgÿ de casu mirabili Ioh. Caroli respondet.* 6. *An moschum & ambram fœminis liceat exhibere.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctoris de Amuletis iudicium.

S Debeo proximis tuis adhuc responsum *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, sed vt id iam pleniùs exsoluam, curæ meo sinunt. *Amuleta* quod attinet, quorum in tractatu tuo *de Peste* meministi, ipse video, negatiuè contra remediorum vsum non posse concludi: Contra tamen, quod Amuleta, vel alia prosint, etiam certò asseri non potest; nisi exhibeatur, ab Amuletis effectum illum prouenisse. Cuius rei indicium cùm afferas rupturam testæ auellanæ, id non improbo. De aliis tamen argumentis etiam porrò cogitandum erit. In hoc verò & *Tibi* & *Strobelbergero* assentior, Amuletis istis cardialia admiscenda non esse. Si enim ratione similitudinis venena ad se trahere debent: cur ista vis Alexipharmacis impediatur? Emolumentum ex deleteriis sperari posse, vel Scorpius vulneri à se inflicto impositus docet. Cur modus calcinandi CC cum igne illi qui sine igne fit, præferendus sit, non video: neque enim ab Empyreumate suas vires CC. acquirit, sed ab innata vi, quæ cùm sine igne præparando, minus dissipetur, hunc modum illi præferendum puto.

Emolumentū ex deleteriis spectandum.
De modo C. calcinandi.

Si quid tamen probabilius habes; illud audire cupio. Tractatum tuum de specifico pestis remedio vbi edideris, videre illum gestio. Mitto adhuc vnum exemplar Tractatus mei de Dysenteriâ, quod amico alicui cuilibet, meo nomine offerat.

Diascordium Fracastorij an Theriaca præferēdum.

Diascordium Fracastorij cur Theriacæ præferendum sit, causam non video. Verùm de Theriacæ viribus, vt & de metallicorum remediorum in peste vsu, nihil iam ad te scribere possum, nisi prius in eo conuenerimus, quo fine caro viperina Theriacæ admisceatur. Quid olim ea de re senserim, in *Tractatu meo de peste*, seu *de febribus* exposui. Si alia tua est opinio, eam mihi aperias, vt cogitandi hac de re ansam amplius habeam. Pestis apud nos in suburbio vnam domum occupauit, sed ibi rursum omnia tuta. Nuper & alteram in vrbe. Ex ea parte casum illum, quem de viue Calbensi nuper proposui, euentus explicauit: Reuerà enim peste laborauit, & interea quatuor in ædibus illis peste exstincti sunt. Sic sæpè quærimus τὸ διότι, cum τὸ ὅτι nondum sit certum. Reliquit enim ille domi, cùm VVittebergam fugeret, puerum peste mortuum, quod interea rescinimus; etsi ille strenuè negaret, se cum quoquam peste infecto conuersatum fuisse. Deo gratias ago, qui me à contagio illo defendit. Historia morbi *Ioh. Caroli Iessenij* notatu digna est. Vtinam in Germaniâ hic mos inolesceret, vt cadauera sæpiùs aperirentur. Multa obseruaremus, quæ coniecturâ nulla assequi possumus.

Auctor ad quæsita Doringij de casu mirabili Ioh. Caroli respondet.

1. Sitis illa diuturna præcedens inflammationem quidem arguere potuit, sed reliqua omnia significare non potuit. 2. 3. Gangrænam illam incurabilem fuisse puto: si enim in externis non nisi difficulter curatur; quid de internâ speres? 4. Causam fuisse puto putredinem & corruptionem humorum, qui aliquot iam annis in Liene cumulati fuerunt. 5. Ob ξυμπάθειαν illam, vaporibus putridis Lieni, & mesaraicis facilè malum communicari potuit. 6. Febrem illam Lipyriam fuisse non dubito. 7. Pulsationem arteriarum non in ventriculo fuisse puto; sed in Liene, qui eas fat magnas, & copiosas habet, itaque ipse non rarò in hypochondriacis eam deprehendi etiam citrà febrem.

An moschū & ambram fœminis exhibere liceat?

Cæterùm, quid tibi videtur, an *Moschum* & *Ambram* fœminis exhibere liceat. Exhibet confectionem Alkermes *Louyse Bourgeois in Hebammen Buch*. Et licet fœminæ nonnullæ, horum odorem ferre non possint: tamen alia ratio videtur esse medicamentorum horum intus exhibitorum. Verùm plura iam non licet: Interim benè vale cum tuâ. VVittebergæ 10. Ianu. Anno 1626.

EPISTOLA XCVII.

PERIOCHE.

1. Auctor obseruationes suas Doringio communicandas exoptat. 2. Domum se ex consensu Senatus comparauisse significat. 3. De negotio Monaniano inquirit.

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Si ex voto viuis, *Vir clarissime, & excellentissime, Fautor, & Amice plurimùm colende*, gaudeo: me quod attinet cum familiâ, Deo gratias ago, qui imposterum ex vtraque parte nobis adsit.

Auctor obseruationes suas Doringio communicandas exoptat.

Obseruationes meas lubens communicarem, si daretur occasio perferendi. Si quem habes Augustæ, vel Norimbergæ, cuius operâ ad vos transmitti possent, nomen istius significa. Faxo, vt breui transmittantur, sumptibus meis hîc impressæ sunt, sed non absque meo damno.

Domum se comparauisse significat.

Domum hîc ex consensu Senatus propriam mihi 3000. fl. comparaui, non amplam admodùm, sed in centro ciuitatis vocationi meæ accommodatam, in quâ exornandâ per æstatem hanc laboraui: Faxit Deus vt sumtus in hanc collati, mihi, meisque melius cedant, quàm illi, quos in ædibus conficiendis Giessæ consumpsi. Optimè vale, & quomodo negotium Monanianum se habeat, mihi quamprimùm significa. Dab. raptim Vlmæ 25. Octob. Anno 1625.

De negotio Monaniano inquirit.

EPISTOLA XCVIII.

PERIOCHE.

1. Auctoris de negotio Monaniano iudicium. 2. Eiusdem pro morbo Gallico remedium. 3. Auctor cur vsum Mercurij reformidet? 4. De carmine Stoltziano. 5. De auro potabili varia quæsita. 6. An detur aurum potabile? 7. aurum potabile quid sit? 8. Quodnam sit menstruum appropriatum quo aurum verè potabile reddatur? 9. An aurum potabile Panaceæ rationem iure sustinere possit? 10. De Catholico Philosophorum.

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctor de negotio Monaniano.

Doleo equidem *Cl. Vir, Amice honorande*, negotium illud Monanianum, tantum tibi facessere negotij. Optarim, vt è labyrintho isto te extricare possis; Ego quidem haud video, quo pacto id fieri possit. Lætiora, & vtiliora mallem: sed scribendum, quod res est.

Eiusdem pro morbo Gallico remedium. De vsu Mercurij.

Cæterum vt de Themate aliquo Medico pauca quædam aspergerem, tuarum Epistolarum Medicarum lectio persuasit. Inprimis igitur compendiosum tuum Gallicos curandi modum cognoscere aueo. Ego hactenus *decocto ligni cum china, sarsa pariglia, & ligno sassafras*, adiectis *passulis, sem. frigidis maioribus, rad. cichorij* & similibus, non infelici per Dei gratiam successu vsus sum. Vsum *Mercurij* ex eo tempore, quo dudùm olim tam malè mihimetipsi cedebat, reformidaui semper; acquiesciuique, vt in huius, sic & aliorum morborum curatione, in vegetabilibus vt plurimùm, violentiora metallica non quidem contemnens, sed ceu minùs naturæ familiaria aliis paulò confidentioribus relinquens.

De Carmine Stoltziano.

Carmen *Stoltzianum*, labores Chymicos à D. *Stromajero* cum *Stoltzio* intrà bimestre exantlatos describens, cum voluptate singulari perlegi. Miratus verò non tam *Stoltzij* in iis exprimendis laudandam dexteritatem, quàm in tam exiguo tempore eos absoluendi mirandam, & via credendam celeritatem. Quanquam verò de pilulis quædam mouere possim; iis tamen in præsentiarum sepositis, vnum duntaxat) quod *Stoltzio* quidem postremum, mihi verò primum locum obtinere visum est (è toto grege seligere, & de auro potabili nonnihil ex te quærere placet.

Auctoris de auro potabili quæsita.

Hoc autem vt facerem, *Pansa* noster, vel rectiùs chartha ipsius, decurrâ æstate de auro potabili sine corrosiuo parato, & (vt scribit) non reductiuo, publicata, & inter homines non alio, quàm circulatorio more sparsa, Auctor extitit: cuius præparandi rationem ab errone quodam, è pago propè Lipsiam oriundo, & è Suecia ad nos antè annum quasi appulso, homine temerario, edoctus est; ipse aliàs operationum Chymicarum non admodùm gnarus existens. Sequentia igitur problemata vt proximè mihi expedias, pro amicitiâ nostrâ te rogo. 1. An detur aurum potabile? De hoc enim primùm vt subdubitem Sala in causa est, Chymicus equidem, vti non tam ex Aphorismis Chymiatricis & Chrysologia, quàm aliis ipsius scriptis patet, non contemnendus: Legi, quæ contrà eum scripserunt cum Laurembergius, tum pro Laurembergio Schroderus quidam. At num per omnia Salæ satisfecerint, tute videris. 2. Excipit præcedens quæsitum haud immeritò alterum, quod est: Quid reuera sit aurum potabile? Nempe, an tota auri substantia, siue corpus, potabile reddi queat? an verò sola tinctura, vel sulphur ipsius extractum, auri potabilis nominationem mereatur?

1. An detur aurum potabile?

2. Quid reuerà sit?

Si illud: numquid citrà præuiam calcinationem crudum à menstruo non corrosiuo, (quid hoc nomine indigitem, facilè subolfacis) solui, & in pristinam naturam irreductile fieri valeat? Cum menstruo quin Alembicum transcendere possit, non dubito. Si hoc: calcinationem præmittendam, & in corpus prius id reduci non posse, facilè concessero. 3. Cum aurum per se ac ex se non sit liquidum, adeóque de se sine humidi alterius admistione, liquorem nullum effundere possit, quæritur iterum; quodnam sit menstruum appropriatum, quo id verè potabile reddatur. Hic Rhodus, hic salta.

3. Quodnam sit menstruum appropiatum quo aurum verè potabile reddatur?

Sanè me non latet, quàm varia Auctores commenti sint menstrua; at num omnia vsui Medico æquè idonea? Tute

dispexeris

diſpexeris. Notus eſt per totam proculdubio Europam auro ſuo potulento Anglus ille *Antonius*: eo tamen quod Vlmæ paratum canit *Stolzius*, multò dicitur eſſe melius, ac præſtantius. Quis ergo id cognoſcendi deſiderio non tenea.tur, & Afficiatur. 4. Scis, *mi Horſti*, quàm liberales ſoleant eſſe Chymici in ebuccinandis ſuorum remediorum viribus, ita vt ſalentia adhuc à furno, neque adhucdum in vſum vocata mirè extollant, atque incautioribus imponunt. Non præter meritum ergò rurſum quæſierim: Num Aurum, ſi quod verè datur, potabile Panaceæ rationem iure ſuſtinere poſſit. Nolo quicquam in contrarium obicere; ſed aueo tuam ſententiam audire. Quid enim de remedio vniuerſali ſentiam, è *libello meo de Medicina, & Medicis* Gieſſæ olim publicato dudum cognouiſti. Rectius niſi me omnis fallit opinio, nomen iſtud mereri videtur, *Catholicum illud philoſophorum*, à *Libauio* in *Ciſtâ Medicâ*, tuo inductu, & impulſu, rei medicæ bono per *D. Ioh. Hornungum* publici iuris factâ, deſcriptum *Epiſtol.* 75. Atque hoc ſine dubio vſus fuit Panacearius ille Aſſylitanus ad miraculum vſque feliciter in omni morborum genere, vti ex aliorum famâ ſuſpicatus eſt *Libauius ibidem Epiſtolâ* 24. ſed tantiſper ſolummodo vſus, donec confluxu facto, & puluere conſumpto, fruſtrà pretio & præcibus, promiſſiſque Nobilem illum Venetum, magnæ in Chymicis peritiæ, & exercitationis (cui miniſtrauerit) fatigaret, & ad Cinabaris commentum ſeſe converteret, atque ita mutato medicamento fucum faceret.

4. An aurum potabile Panaceæ rationem iure ſuſtinere poſſit Catholicum Philoſophorum.

In ignis regimine iſthic nonnihil deſidero. Tu, mi amantiſſime *Horſti*, ſi me in hoc paulò planiùs informare potes, vt meæ de te expectationi, pro veteri noſtra amicitia, viriliter ſatisfacias, atque ad præmiſſa quæſita quamprimùm reſpondeas apertè, ac ſine ænigmatibus, etiam, atque etiam oro. Conſtabit tibi mea viciſſim officioſitas. Bene vale, & me porrò ama. Dab. Breſlæ die 3. Nou. Anno 1626.

EPISTOLA XCIX.

PERIOCHE.

1. Auctor de nuptiis peractis Doringium certiorem facit. 2. Filium dyſenteriâ extinctum dolet. 3. Pro voto & munere nuptiali Doringio gratias habet. 4. De Electuario Alexipharmaco & confectione liberantis Auſtriaca pauca monet.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S. Peregi tandem cum Deo bono, *Clariſſime Dn. Affinis & Compater honorande*, Nuptias. Verùm gaudium, quod hiſce ſolennitatibus proprium eſſe ſolet, turbauit inopinatus dolor & luctus ex obitu Filij mei *Chriſtiani* ortus. Serpit hîc peſtis, graſſatur verò & hactenus non paucos trucidauit, præſertim infantes & iuniores, dyſenteria. Corripuit eadem ſuperioribus ſeptimanis filiam meam *Margaritam*, ſed leuiter, vt decumbere opus ferè non habuerit. Vbi ea conualuit inuaſit eadem *M. Danielem*, qui ad tertiam ſeptimanam decubit, & tandem cum Deo conualuit. Vbi is conualeſcere incepit, corripuit eadem grauiſſimè Filium meum *Chriſtianum*, vt vix nullam horæ quadrantem totis nouem diebus in lecto quieſcere potuerit. Vnde viribus deiectis die nono, animam Seruatori ſuo reddidit, ſub ipſis meis nuptiis: Ita nullum gaudium in rebus humanis ſolidum & perpetuum. Tibi verò & pro pio voto, & pro munere nuptiali gratias habeo. Reſpondit etiam tandem, quod hactenus non factum ad litteras meas inuitatorias, & ſatis humaniter *Dominus Seuerinus* *chato*, addiditque do num nuptiale Nummum aureum 24. Ducatorum Vngaricorum. Blauſoſanæ fratrem nondum vidi. Antidotorum noſtrorum deſcriptionem, vt iam mitterem, alia domum vix reuerſo negotia occurrentia impediuerunt. In curatione efficax inueni Electuarium Alexipharmacum, meæ deſcriptionis. In præſeruatione Confectionem liberantis Auſtriacam in Normbergenſi diſpenſatorio Dabo D. K. hoc negotij, vt medicamentorum noſtrorum deſcriptionem ad te mittat. Authoræ vires non ſunt capertus. Bene vale. VVittebergæ die 3. Septemb. Anno 1626.

Auctor de nuptiis peractis Doringium certiorem facit.

Filium dyſenteria extinctum dolet.

Electuarium alexipharmacum Auctoris. Confectio liberantis Auſtriaca.

EPISTOLA C.

PERIOCHE.

1. Electuarij præſeruatiui Auctoris deſcriptio. 2. Diaſcordium eiuſdem quomodo conficitur? 3. Puluis peſtifugus quomodo? 4. Aqua theriacalis quomodo? 5. Auctor in ſuo de peſtis graſſantis indole & cauſa tractatu quomodo procedat? 5. De modo C.C. ſine igne calcinandi iudicium Sennerti ſollicitat. 7. De auro potabili Sennerti. 8. De ſolutione auri per liquorem inſipidum. 9. De Catholico Philoſophorum Libauij Iudicium Sennerti requirit. 10. Quæ in eius deſcriptione deſiderat recenſet.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S. De obitu Filij *Chriſtiani, Cl. Dn. Affinis, & Compater honerande*, ex animo tibi condoleo: de feliciter verò tranſactis nuptiis, vti & recuperatâ per Dei gratiam reliquorum liberorum valetudine, lætor, atque gratulor. Peſtis noſtra, quæ nuper miteſcere viſa eſt, hoc pluuioſo & inconſtanti cælo circà Nouilunium nouas domos inuadere deprehenſa eſt Deus eam porrò a Nobis clementer funditus auertat.

Vt Calumniatoribus nonnullis ſatisfieret; quatuor alia remedia ordinaui: quorum hæ ſunt formulæ. I. Electuarium noſtrum præſeruatiuum. ℞. *Theriaca Germanica, diaſcordij Fracaſtorij* an. ℥. iij. *ſpec. liberant. Ferdinandi, puluer. alexipharmac. Montagnana*, an. ʒ. iij. *cum oxyſacchar. Bezoardic.* q. ſ. F. inſtar opiatæ. Qui popoſcerit, ei pro qualibet ℥. j adde *ol. zedoariæ, cortic. citri* an. gutt. ij. *angelicæ* gutt. j. M diligentiſſimè. II. Diaſcordium noſtrum. ℞. *Diaſcordij Fracaſtorij* ℥. iv. *pulu. rad. ſerpentariæ, anthoræ* (in huius defectu ſumatur tantundem *ſerpent.*) an. ℥. ß. *myrrha el. macis aceto præparat.* an. ʒ. ij. *boli Armeni præparat.* ℥. j. *extr. ſcordij* ʒ. iij. *tormentillæ* ʒ. ij. *verbenæ, cardui benedict.* an. ʒ. j. ß. *ſalis ſcordij* ℈. iv. *cardui benedicti, verbenæ*, an. ℈. ij. *ol. è ſeminib. citri expreſſ.* ʒ. ij. *camphoræ* ℈. iv. *cum ſyrupo de ſucco ſcordij* q. ſ. F. inſtar opiatæ: adde pro qualibet ℥. ß. *Elixir proprietatis* ℈ ß M. in vaſe terreo, ſeruetur que pro communi vſu in vaſe ſimili. III. Puluis peſtifugus noſter. ℞. *Spec. diaſcordij Fracaſtor. ſ. opio, puluer. alexipharmaci Montagnana* an. ℥. j. ß. C. C. *vſti & præparat.* ʒ. vj. *rad. ſerpent., anthoræ* (in defectu eius ſubſtituatur *ſerpent.*) an. ℥ ß. *tormentillæ, imperatoriæ aceto præparat. mali aceto præparat. myrrhæ el. ſem. citri* an. ʒ. ij. *ſalis ſcordij* ʒ. j. ß. *verbenæ* ℥. ß. *camphoræ* ʒ. j. M. IV. Aqua theriacalis noſtra. ℞. *Diaſcordij noſtri*, ℔. j. *theriacæ Andromachi* non admodum rec. *mithridatij Damocratis* an. ℥. iij. *rad. chelidonij maj.* ℥. ij. *ſem. citri, rutæ* an. ℥. j. *flor. calendulæ* M. j. *aq. vnicam deſtillat.* ℔. vj. *aceti Bezoardici* ℔. ij. *ſucci limonum* ℔. j. commiſta in vitreo vaſe ponantur in loco calido, quotidiè aliquoties agitando; dum menſtruum extrahendorum eſſentiam plenè imbiberit. Conſcripſeram breuem tractatum appendicis titulo publicandum; in quo aphoriſticè peſtis noſtræ indolem & cauſam expoſui, Scriptionis prædictæ Appendicis, atque nouorum iſtorum remediorum ordinationis rationes reddidi; Facultates, Doſin & vſum eorundem monſtraui; Ciues prudentiæ admonui; ne vſum remediorum procraſtinarent, temerè periculo ſeſe alioſve exponerent; cuivis Medicum ſe profitenti & ſua arcana iactanti, crederent; ad Antimonialium & Mercurialium purgantium vſum ſe perſuaderi paterentur, in emittendo ſanguine imprudenter ſe gererent; ædes infectas impurgatas relinquerent, & quæ huius generis ſunt alia diligenter admonui. Eum quod domi hactenus detinui nec in publicam lucem produxi, cauſa quædam priuata obſtitit. Interimob defectum exemplarium, priorem rectiùs, vti ſpero, recudi curaui: cuius duo exemplaria mitto, quæ vt boni conſulas oro. Experire, ſi ita lubeſcit, mea iſta noua remedia, vis facti pœnitebit. *Electuarium præſeruatiuum* certè memorabilia edidit ſpecimina.

Electuarij præſeruatiui Auctoris deſcriptio.

Diaſcordium eiuſdem.

Puluis peſtifugus.

Aqua theriacalis.

Tractatus Auctoris de peſtis graſſantis indole & cauſa.

Annus iam præterit, cùm de modo C. C ſine igne calcinandi te interrogarem, ſimulque iudicium tuum ſuper iis, quæ contra talem calcinationem in medium attulit *Strobelbergerus in Germanico ſuo tractatu de peſte*, à te peterem. Reſpondiſti quidem ad poſterius; ſed prius, (neſcio an obliuione, an datâ operâ,) ſicco planè pede prætereiſti. Quare cùm lectio

De modo C. C. sine igne calcinandi iudicium Sennerti sollicitat.

formulam vestrorum remediorum, calcinationis istius memoriam mihi refricuerit; facere non potui, quin, vt eam proxima occasione me edoceres, officiosissimè te rogarem. Sanè notus est mihi vnus atque alter modus: scire tamen velim, quem tu præ cæteris sequaris, quaque dosi calcinatum exhibeas. Vis innata C. C. sine igne quod minus dissipetur, illud fortassis dubium reddere possit, quod vtrobique expetatur calx: qui finis si obtineri debeat, æqualem vtique assumptionem humidi glutinosi, atque oleosi, nec non salis volatilis segregationem præcedere oportebit. De quo tu acutiùs cogitabis.

His diebus, cum *Tractatum tuum de scorbuto* euoluerem, incidi in aquarum sub meo nomine descriptarum formulas. Inueni igitur in posteriore etiam (de prioris enim errato dudum à me monitus es) insigne sphalma, dum rad. helenij, & chelidonij maior. pro sex drachmis, totidem vnciæ positæ sint. Huc ergo, vt corrigas, & de eo alios moneas, oro.

De auro potabili Sennerti.

Ecquid de tuo fit auro potabili? quod te elaboratum esse, aliquando scripsisti: de hoc vt mentionem iniicerem lectio carminis *Stolzzani*, quod *D. Horstius* suis Epistolis Medicis inseruit, nuperrimè ansam præbuit. Scripsi eadem met de re ad ipsummet *Horstium*. Quicquid responderit, si scire desideraueris, vt id scias faxo.

De solutione auri per liquorem insipidum.

Vt placeant etiam illa? quæ de solutione ☉ per liquorem insipidum sibi visum scribit *in animaduersionibus super aphorismos Chymiatrices Sala* N° 5. 6. & 21. De tali remedio, vt hactenus diligentius, quàm longo ante hac tempore cogitarem, *Pansa* noster malitioso suo, & calumnioso scripto de auro potabili, decurso vere edito, & Agyrtarum in morem, inter homines quà publicè, quà priuatim sparso, me extimulauit. Addidit verò calcar *Francisci Antony* libellus Philosophicis obseruationibus refertissimus. Nec minus momenti huc contulit optatus auri in pollinem subtilissimum per læuigationem super marmore reduci pluries à me obseruatus successus: de quo alias etiam nonnihil scripsi. Qui ergo decantatissimæ istius Medicinæ amore non capiatur? Tu si me in eâ acquirendâ iuuare potes, ne quid, quod ab amicitia nostra alienum sit, intermittas, peto.

De Catholico Philosophorum Iudicium Sennerti requirit.

Legistine quæ *Libanius in Cistâ Medica Hornungi epist.* 75. de Catholico Philosophorum ad *D. Sigism. Schaltzerum* scripsit. Ecquid verò de eo tibi videtur? An non possit & nomen, & vires Prætoriani illius pulueris, (de quo ante paucculos annos tu ad me, occasione à tam feliciter curato cancro desumptâ, quædam exarabas) optimo iure sustinere? *Libanius* existimauit, Panaceam illam Anvvaldinam initio nihil fuisse aliud, quam hoc ipsum remedium, vti videre est *ibidem Epistolâ* 34. Hoc quin insignium, & mirandarum in Medicinâ virium, futurum sit, non valde ambigo. De eo tamen quid sentias, scribas velim. Ego in descriptione nonnulla desidero.

Quæ in eius descriptione desiderat, recenset.

1. Quâ proportione antimonium & Mercurius sublimatus miscenda sint? 2. An crudum antimonium vel eiusdem Regulus sumi debeat? 3. Annon additione farinæ & tartari Butyro fætor concilietur. 4. An quod in vestro concreuit cinnabrium, rectè liquori misceatur? 5. An hæc aqua sit Philosophorum permanens nec manus madefaciens? siue quod idem est Mercurius Philosophorum. 6. An præstet natiuum, quodque nullum ignem passum est, Aurum sumere? *Corbetmus* in tractatu, qui inscribitur, *Errantium in rectam & planam viam reductio*, c. 9. diuersum sentire videtur. Idem patet è *Fr. Basilij* scripto, *Offenbahrung der Verborgenen handtgriefse*, vbi de primo labore agit. 7. Quæ Athanoris forma intelligatur? 8. Vt ignis regi debeat, & si quæ præter ista, sunt alia. De istis proximè mentem tuam mihi exponas obsecro. Plura iam non addo; sed te cum tuis optimè valere, atque à nobis officiosissimè salutare iubeo. Dab. Breslæ die 20. Nouembr. Anno 1626.

DANIELIS

Digitized by Google

DANIELIS SENNERTI, EPISTOLARVM MEDICINALIVM CENTVRIA SECVNDA.

EPISTOLA PRIMA.

PERIOCHE.

1. Auctoris desiderium de auro potabili potiundo. 2. De modis variis aurum in formam potulentam redigendi 3. De salis è capite mortuo cum aqua extractione. 4. De Catholico Libaniano, & cur ita appelletur? 5. De coagulatione Mercurii per salem nitri & salem communem. 6. De cementatione cinnabaris cum vitriolo in arena calida. 7. Auctoris de Michaele Potier lapidis Philosophici glorioso Professore, iudicium 8. De proxima metallorum materia. 9. De statu patriæ, facultatúmque metuenda iactura conqueritur.

D. DANIELI SENNERTO, MICHAEL DORINGIVS, D.

Sperabam equidem, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, ad nuperas meas ante annuum istum annum (qui vtinam felix nobis sit) responsum. Quod cùm non acceperim, vt ad eius maturationem te inuitarem, has quasi monitorias ad te trans Lipsiam mittere placuit. Quo loco regionis nostræ res sitæ sint; ex aliis procul dubio cognouisti. Metu mus nimirum omnimodam deuastationem: Si enim miles VValleosteinius in hyberna huc concesserit, (de quo publica fama est) Vngari certò certiùs sequentur. Deus nobis largiatur patientiam, & constantiam! Sed ad nostra. Moui nuper aliquid de ☉ potabili; ad quod me *Pansa* primùm stimulauit: Quanquam verò is Naturæ debitum, isto mense persoluerit, neque suo tam magnifice depræd cato ☉ potabili (quod ab eremita quodam ex Misnia propè Lipsiam oriundo, & è Sueuia, vti prætendit, apte aonum reuuce, edoctus est) mortem auertere potuerit: desiderium tamen eodem potiundi, nondum apud me exspirauit. Sunt quidem varij ☉ in formam potulentam redigendi modi: quin tamen vnus alio melior, & pro vsu medico securior sit, ecquis dubitet? Nolo multos processus recensere. Sanè vnus *Iacus Veremundus Rhumelius* βαλσαμοπηγίας *cap.* 12. tredecim experimenta proposuit: in medicamento tamen, quod præ reliquis commendauit, & post vniuersale *summam medicinam* nuncupauit, scrupulum grandem reliquit. Quid enim sit *die obermelte rothe materia*, vt scribit, cum quâ calx auri, primùm per horam integram super marmore calefacto læuiganda, postea 10 igne circulari ter per horas tres gradatim calcinanda; ego vix diuinare ausim. An rosa fortassis sit rubea è minera auri producta? de quâ experimento 6. Tute cogitabis. Auctor iste non videtur esse vulgaris peritiæ. Scribam ad *D. Horstium* eâ de re, & capiscabor; numquid certi aliquid ipsi innotuerit? Inscripsit enim Auctor iste Senatui Vlmensi dictum tractatolum. Vt verò placet processus *Fr. Basilij, in der offenbahrung der verborgenen handgriffen?* Vel alter eiusdem *in Dyade tripartita Condeesyani, p.* 52. *& seq. Guidonis Magni de Monte* præparationem sine dubio legisti. Aquam è minera Bismuthi destillatam simplicem intrà biduum ex auro, (crudum, vel calcinatum num intelligat, non subijcit) animam extrahere, quæ, si tria cohobatione eousque abstrahatur, formâ olei in fundo permaneat; cum sale autem suo à capite mortuo cum aqua communi parato permistam, & per retortam iterum destillatam, aurum radicaliter soluere, atque aurum in ea non aliter, quàm styriam in aqua calida liquescere, aquam tamen inde non colorari, sed albam permanere, & aurum secum per alembicum transvehere, *Auctor Commentariorum super nouum Lumen Chymicum*, qui se Ἀνδρὸς Ὀρθοῦ Ἥλιος appellat, *in epilogo p.* 60. *&* 61. docet. An intrà corpus satis tutò vsurpari possit? ipse videris. Mira sunt, quæ idem de eadem aqua refert, quæ pro motu & phasibus Lunæ nunc crescat, nunc decrescat; plantas emortuas & arefactas quasi resuscitet; & in vitro aquæ ac sali certæ alicuius plantæ permixta, plantæ speciem exhibeat. De salis è capite mortuo, cum aquâ extractione, vt dubitarem, *Arca aperta arcani artificiosissimi postr. editions, p.* 24 in causa fuit. Sale enim Bismuthum, vti & reliqua mineralia media, destitui illic scribitur: cum quibus consentiunt ea, quæ de eodem in medium affert *Leonh. Dolaus in Cista Medica Hornungi pag.* 447. In *eadem Arcâ p.* 174. mentio fit spiritus vegetabilis non cremabilis in quo si prima metallorum materia (num spiritus mineræ Saturni & sal eiusdem intelligatur de quo *ibidem pag.* 46. 57 60. *&* 77 nec non alibi plura in hunc sensum scripta inuenies, ego haud definire vaico) prius dissoluatur, aurum similiter atque glacies in aquâ calida liquescat. Beati intelligentes! Eidem *Arcæ* subiuncta est admonitio Anonymi cuiusdam, quâ persuadere conatur, extrà processum ad lapidem, Philosophicum dictum, non dari modum perueniendi ad aurum potabile. Quodnam verò de his tuum est iudicium.

De *Catholico Libaniano* quid sentiss? quæso, proximè ad me scribe. Libanianum quod nunc appello, causa non est nulla. Nimirum si Philosophos, vti nominari satagunt, excutias, paucissimos reperias, qui idem, quod *Libanius*, doceant: Duos saltem hactenus legi, qui pro *Libanio* militare videntur. Vnus est innominatus *theoria & practica arboris aurea & argentea*: Alter *Fr. Basilius*, iuxta interpretationem *Condeesyani in Dyade tripartitâ, pag.* 78. His (dummodo mentem ipsius rectè assequor) adstipulari videtur *Drebbelius de naturâ elementorum c.* 10. *&* 11. Tametsi verò non leuia sint, quæ & contra ista mouere queam: placet tamen tuam priua de iis sententiam audire, quàm nimiâ Quæstionum mole te obruere. Dabitur enim de is conferendi imposterum occasio. Duo saltem adhuc ex te cognoscere gestio. Prius est coagulatio Mercurij per sal nitri & commune; cuius tu meministi *Tractatu de dysenteriâ p.* 148. De hâc scribis: Mercurium prædictorum duorum beneficio breui temporis spatio ita figi, vt instar metalli durus, imo ductilis euadat, etsi nihil de substantiâ salis nitri recipiat. Equidem vt pauxillum hac de re dubita

De auro potabili.

De modis variis aurum in formam potulentam redigendi.

De salis è capite mortuo cum aqua extractione.

De Catholico Libaniano.

De coagulatione Mercurij per sal nitri & sal commune.

Digitized by Google

dubitarem, istud me mouit. Nonennium enim ferè est, quando quidam artifex huc veniebat. Is puluisculum quendam album habebat, qui via dimidij grani pondere Mercurij crudi vnciæ integræ admistus, & affuso aceto destillato, adiectisque seminibus bursæ pastoris (ita enim Mercurium præparari volebat, in cineribus per biduum prius digestus, posteà crucibulo sale communi repleto (impressâ tamen digito in sal foueâ cum Mercurio, aceto destillato, & sem. bursæ pastoris infusus, & igne fusorio liquatos, breui temporis spatio Mercurium in finissimam Lunam conuertit, vt vix ℨ. ij. de pondere decessesint. Hæc Luna mirum visu! per Saturnum examinata, ponderosior reddebatur. Is nescio quæ de Aconito Pardalianche fabulabatur: quasi ex eius radice puluisculus iste esset confectus. Ego tamen veram tincturam ad album fuisse credo: quam is alicubi suffuratus fuerat. Loquebamur de varijs sæpe, donec eadem incideremus in coagulationem Mercurij vsitatam per viride æris, vitriolum, sal commune, & acetum destillat. in sartagine ferreâ; ipse dicebat, fucum saltem esse & nil nisi ♀ inde constari, euentus respondit. Ecce enim cum coagulatum duplicatum crucibulo inderet, atque in igne funderet, ♀ inde prodiit. Memini, me in M S. quodam simile quid legisse. Consentit *Vellus aureum Tractat. 2. p. 148* Idem de tuo coagulato fieri possit. Vt vt sit; vt nihilominus eum mecum communices, oro. Legistin' quæ habet *Libauius in defensione Alchymiæ contra Gupertum, p. 295.* de cementatione cinnabaris cum vitriolo in arena calida per octiduum: è cuius ℔. xij. in frustulis concisis, & ℥. viij. Lunæ fusæ immersis excoqui debeant Lunæ ℔. viij. quarum dimidium fuit auri, si recte tractetur, lectaque & præparata ex arte fuerit cinnabaris. Credis verò tu & fidis isti processui?

De cementatione cinnabaris cum vitriolo in arena calida.

Mihi æquè vetus esse videtur, atque alter, pro quo tantoperè contra *Gupertum* pugnauit *Libauius*. Si manum operi ipsemet admouisset, procul dubio falsitatem deprehendisset, & *Gupertum* mitiùs tractasset. Fuit hîc ante aliquot menses *Michael Potier* ille viridarij Philosophici Auctor, & lapidis Philosophici gloriosus Professor. Is nonnullos transmutationem seu fixationem cinnabaris istam docuit: qui se nunc pessimè delusos sentiunt. Audin ipsum quibusdam litteras tuas ostendisse; quibus eum huc proficiscentem ad te inuitaueris. An eum eo collocutus fueris, & vt discursus ipsius placuerit; ac numquid professio eiusdem lumini Naturæ, & Philosophorum consensui verè innitatur? scire per quam velim. Nuperrimè quidam ipsius discipulus Iuris Doctor, me auscultante, Sycophantam ipsum nominabat.

Michael Potier lapidis Philosophici gloriosus Professor.

Posterius, proximam Metallorum materiam concernenti. Eam tu cum peritioribus Chymicis vitriolum esse tradis eodem *de dysenteriâ Tractatu pag.* 149 eò quod in id tamquam proximam naturæ metallicæ, omnia metalla recurrere possint, vt in cupro & ferro fit notissimum. Nolo quicquam in contrarium nunc adferre, sed ablego te inprimis ad Metallurgiæ *Bernhardo Redusino* annexæ *partem 3. p. 508. & seqq.* nec non *Arca aperta* suprà citatæ *Tractatum primum, Der grossen Bauum*, dictum. Ea istorum informatione longè aliter de metallorum materiâ, iudicare disces, Lege, quæso, diligenter. Lectionis, meâ opinione, haud pigebit: Ego vix quicquam verisimilius mihi vidisse; aut legisse videor. Miraberis absque dubio, quî modò in hanc disserendi materiam deuenerim. Causam vnam, atque alteram exposui nuper, nunc subiungo præsentem Patriæ statum, & metuendam facultatum nostrarum iacturam. Si enim tam nobilibus remedijs, & particulari saltem aliquo artificio transmutatorio instructus, per Dei gratiam aliquando sim; vnde victum honestè mereri possem, media, (vbicunque etiam locorum degendum fuerit) me haud destituerent. Hodiè, vix credis; quam tenuiter pro laboribus Medicis, remuneremur. Egent enim ciues ipsimet, & vix extremâ necessitate compulsi, nostrâ operâ vtuntur. Similes querelas non ita quidem Altorffio ad *D. Casp. Conradum* scripsit *D. Casp. Hoffmannus*: Sed de his, atque similibus plura inpræsentiarum scribere non vacat. Tu cum tuis bene vale, nouum hunc annum feliciter ingredere, a nobis amicissimè salue, & quamprimùm responde. Dabam Breslæ die 30. Dec. Anno 1626.

De proximâ Metallorum materia.

De statu patriæ præsenti, facultatumque metuenda iactura conqueritur.

EPISTOLA II.

PERIOCHE.

1. *De arte transmutatoria in Chimicis Auctoris Iudicium.* 2. *De Chymia quatenus Pharmacopœiam spectat.* 3. *Ad Doringij rationes quæ Chymiæ studium iterum persuadent, respondet.* 4. *Aurum potabile an quæ à multis promittuntur efficiat?* 5. *Panacea Anvvaldi.* 6. *Auctor ad varia quæsita Doringij respondet.* 7. *Calcinatio CC. sine igne quomodo perficitur?* 8. *Coagulatio Mercurij quomodo fiat?* 9. *Vitriolum an primum gradum genealogia mineralis obtineat?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SAlutem, Annumque nouum felicem. Quod litteris tuis hactenus non respondi, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, factum culpâ Rhedarij nostri, qui spem nobis fecit itineris ad vos suscipiendi, sed delusit nos. Nunc igitur respondeo, & quidem apperte & candidè, vt amicitiam, quæ inter nos est, decet. Et primò quidem decidenda videtur Quæstio, An Chymia iterum à nobis in manus sumenda sit.

Ego; vt verum fatear, tempore bene longo, parùm aut nihil in Scriptoribus Chymicis legi. Nam artem transmutatoriam quod attinet, in eâ sum sententiâ, ex librorum lectione neminem aliquid profecturum; cum quo plura legimus, eò incertiores fiamus. Ab iis verò artem discere velle, Aurum conficiendi, qui auro ipsi carent, fatuitas est. Inutiliter ergo, & tempus, & sumptus perduntur nisi quis in amicum incidat, qui aliquid iam in re hac præstiterit. Sed vbi illa? Chymiam verò quatenus Pharmacopœiam spectat, quod attinet, tractaui & illam hactenus negligentius, primò quod video, me apud multos laboribus meis, quos hactenus in eam impendi, malam gratiam iniuisse: deinde, quia animaduerto, iuuenes nouitate rei allectos vera Medicinæ fundamenta negligere, intempestiuè verò Chymiam tractandam suscipere; & hinc, vt vno verbo dicam, Empiricos potius, quàm Medicos rationales euadere.

De arte trāsmutatoria Chymicis Auctoris Iudicium.

De Chymia quatenus Pharmacopœiam spectat.

Accessit his, quod è litteris tuis non obscurè colligere potui, te medicamenta Chymica non adeò magnifacere. Nunc si causas à te allegatas, quæ Chymiæ studium iterum persuadere videntur, perpendam, primo ad transmutatorium artificium te allicere præsens patriæ status videtur, qui & facultatum iacturam minatur, & lucrum ex praxi medicâ præcidit. Et memini eandem rationem in te olim Chymiæ amorem excitasse, cùm primùm in patria praxis tibi ex voto non responderet. Verùm ista ratio me parùm mouet: Nam vt de difficultate, aut potius impossibilitate, de qua anteà, iam nihil dicam, animum in ista temporum difficultate non abijciendum puto. Agamus, quod nostrarum est partium & officij; cætera Deo committamus. Vrit me iam idem calceus, & forsan magis, quàm te: Familia enim tua angusta est, facultates sunt lautæ, Ciues vestri, & plures, & opulentiores: Familia mea multò amplior, multùm impendi in funus Vxoris & & Filij, vt & in nuptias. Nunc cum iterum aliquid ex praxi lucrandum esset, Academiam pene dissipauit bellum & pestilentia. Ciues ita opibus exhausti sunt, vt vix habeant, vndè viuant. Interim tamen animum abijciendum non censeo. Forsan meliora sequentur. Et Deus, qui nos hactenus aluit, etiam imposterum nos non deseret, Rationes verò quæ Pharmacopœiam Chymicam colendam esse persuadere possunt, & a te etiam aliquæ allegantur, probabiliores sunt: Videmus enim quàm frustrà sæpè in cacochymiâ pertinaci medicamentis vulgaribus expugnandâ laboremus: Quàm contra in desperatis sæpe morbis Chymici, etsi plerumque Empirici, Medicis rationalibus palmam præripiant, Quid *Anvvaldus*, quid *Antonius Anglus*, quid *Paracelsus*, quid alij præstiterint, publica monumenta testantur.

Ad Doringij rationes Chymiā persuadentes respondet.

Scripsit etiam hisce diebus ad me Medicus quidam Islebiensis, se felicissimè in pestilentia, quæ ibi grassata est sæuissimè, vsum esse Panacæa illâ, quæ in meis *Institutionibus pag.* 1277. describitur. Et certè non est ex Artis nostræ dignitate; quod Empiricis sæpe hîc palmam nobis præripere patimur. Itaque si lubet, hac in re libenter meam operam cum tua coniungam; & dabo operam, an forsan vtile aliquod medicamentum inuenire possimus, quod in morbis pertinacioribus expugnandis aliquid præstare queat. Si quid autem quærendum est, quærendum in Mercurio Antimonij aurato, qui vitiosos humores per aluum, vomitum, sudorem, *διαφόρησιν*, expurgare possunt.

Nota tibi est Historia curatæ leprosæ per aurum potabile & Antimonium, quam lapidi Philosophico suo *P. Palmarius* subiunxit. Nec ignoras quantum præcipitato suo solari *Keplerus* tribuat. Vt, ergo, ad tuas litteras veniam. Aurum potabile primò quod attinet, velim me certiorem facias quid

Aurum potabile an quæ à multis promittuntur efficiat?

Digitized by Google

quid *Horstius* eâ de re ad te scripserit. Ego omnia non credo, quæ interdum à multis promittuntur: Noui enim hominum iactantiam. De *Laurenbergio* hoc mihi credas, & audiui hoc ab iis; qui hinc *Rostochium* profecti eius Commensales fuerunt, parùm subesse veri iis, quæ ille in Chymicis gloriosè pollicetur. *Pansi* scriptum non vidi, si ad manus est, velim id mecum communices: *Franc. Antonium* in Anglia non magnifecit, vt nec *Robertum à Fluctibus* D. quidam Medicinæ ex Anglia redux nuper Hamburgo ad me scripsit. Scripsit etiam ante biennium ad me Regiomonte *D. Georgius Lothus*. Aurum potabile *Fr. Antony* a Mercatoribus ex Anglia allatum ad Quartanam expugnandam frustrà adhibitum fuisse. Interim puto, non esse nullius momenti.

Anvvaldi Panacea.

Si *Anvvaldi Panacea* fuit illud Medicamentum, quod à *Libauio Epist. 75. in Cistâ Medicâ Hornungi* describitur, egregium medicamentum fuit, & nihil aliud quam Beznardicum minerale solare, cuius vires ipse nosti; sed modus soluendi aurum est accuratior, cùm fiat in aqua Mercuriali non in aqua forti, vel spiritu nitri, vt vulgò fieri solet, plus etiam auri sumitur, quàm in vulgari præparatione. Si liber ergò, libenter & præparationem & vsum huius medicamenti tecum expediar.

Ad quæsita Doringij respondet.

Quæsita tua quod attinet. 1. In proportione ☿ & Antimonij Authores variant. Alij enim sumunt Mercurij part. j. Antimonij partem ß. quod mihi probabilius videtur. Liquor enim hic totus Mercurialis est. 2. Regulus si sumatur, fit butyrum purius. Sed parandus est Regulus sine ♂. 3. Farina & Tartaro vt in destillatione addatur, opus esse non puto, cùm butyrum impurius & fœtens reddant. 4. *Libauius* non cionabarim, sed saltem butyrum, quod in rustro concreuit, liquori addit. 5. Si quæ est aqua Philosophorum non madefaciens manus, hæc est. 6. Erratum Typographicum esse puto in Epistolâ *Libauij*, & pro multum ignem, nullum ignem legendum esse puto. Sed vnde sumemus Aurum ignem non expertum? sed ipse dubito, an sit opus aurum tale quærere. 7. 8. Si de reliquis certi simus, facilè forma fornacis inueniri posset, vt calor æqualis, & lentus habeatur. Pestis hîc Dei beneficio, desiit, ita vt nemo iam in vrbe sit, qui eâ laboret. Deus faxit, ne futuro vere recrudescat, quod valdè metuimus, ob operarios in fortificatione vrbis occupatos hinc inde confluentes.

Theriaca Germanica.

In Electuario tuo præseruatiuo recipitur Theriaca Germanica: velim me certiorem facias quænam illa sit. Vocabulum enim hoc ambiguum.

Calcinatio CC. sine igne quomodo perficiatur?

Calcinatio CC. sine igne ita perficitur. CC. crudum in frusta maiora transversim secatur, & inducitur alembico, in cucurbitæ alicui, in qua aliqua aqua, (ex. gr. cardui bened. vel alia, quò enim spirituosior est, eo plus salis volatilis continet, eò aptior est) imponitur: & destillatio tamdiu continuatur, donec CC. in iterum siccetur friabile & fragile fiat, & linguæ instar terræ sigillatæ adhæreat. Videbis magnam inter hoc & vulgari modo vstum differentiam. Mitto hic eius particulam.

Vt ad alteram tuam Epistolam etiam aliquid respondeam, libenter meam sententiam de auro potabili tibi aperirem: verùm quia plerique Authores, quos citas, vel non legi vel non ad manus sunt, differenda est responsio in aliud tempus. Quia verò hac de re te non pauca legisse video, poteris tuam mentem, & quid tibi probabilius videatur aperire. Coagulatio ☿, cuius in *Tractatu de dysenteria* mentionem feci, non alia est quam tibi iam notam esse è litteris tuis animaduerto. Verùm est coagulatio Mercurij & præterea nihil. Processum tamē quia expetis, mitto. ℞. *Mercury, viridis æris, gemeta salis* ✱, *a 8 lott. thue solches Zusammen in einer eiserne pfanne, geuss rein vvasser drauff, und setze es zum feuuer, las Kochen, und rhure es vmb mitt einem hultzeren spattel, das es nicht vberlauft, vnd so es vvieluor laufe, geuss Kalde vvasser darauff, lass es Kochen, biss der* ☿ *auf der spatel liegen bleibet (etvva ein halbe stunde) vvan er also befunden vvirdt, soltu das vvasser mahlich abgiessen, vnd den* ☿ *in vvasser abvvaschen, biss er Kein farbe mehr giebet. Dernach lege ihn auf ein taffel glass, treibe ihn Zusammen, und setze ion in Keller, so vvird er harte vvie glass den andern tag nimb den* ☿ *und thue darzu puluer. tutia Alexandrina, vnd puluer. radic. Curcuma, vnd mache S. S. S. in einem schmeldtz tiegel, vnd vverlutiere ihn, vnd setze ihn in Circkelfevver 2. stunden, darnach lass es beym Goldschmied schemeltzen; darauff Kan man Ketten, vnd vvas man vvill machen lassen, vvil man ihn vveiss haben, so setze ihm silber Zu.* *Libauij* etiam Cæmentario, & *Mich. Potier* Cinnabari fixato proculdubio etiam meri fuci sunt. Istum autem *M. Potier* nunquam vidi, nec litteram ad eum scripsi.

Si ergo quasdam meas litteras ostendit, fictæ fuerunt; vnde etiam colligere potes, verè eum Sycophantam esse. De quæstione etiam an vitriolum sit proxima metallorum materia iam nihil addere possum, quia Authores istos, quos citas, nondum legi. Faciam id alia occasione. Lege interim si ad manus est de atramentis opus *Petri Mariæ Canepary Venetijs Anno* 1619. impressum, cuius *cap.* 1. docetur vitriolum obtinere primum gradum Genealogiæ mineralis, ex qua deinde cætera procedant cùm metalla, tum metallica: in vitriolo enim inesse Mercurium metallicum & sulphur metallicum;

Canepariius de Vitriolo.

& *cap.* 16. modum docet extrahendi argentum viuum è vitriolo.

Absolui cum Deo primum librum praxeos. Edetur is in publicum, vt spero, futurâ æstate; si aliquid in illum conferre potes, vt facias, oro. Plura iam non licet. Interim benè vale. VVittebergæ 8. Ian. Anno 1627.

EPISTOLA III.

PERIOCHE.

1. *Doringij duplex scopus, cur iterum Chymia studium in manus sumendum esse censat.* 2. *Cur metalla purgantia hactenus formidauerit.* 3. *Mejerus de vsu Metallicorum purgantium.* 4. *Poppius de insumentibus magnos sumptus in vno Antimonio.* 5. *De Metallorum transmutatione.* 6. *Ienckvvitzij de Alchymia iudicium.* 7. *Doringius quid de Mercurij coagulatione sentiat.* 8. *An vitriolum proxima Metallorum sit materia.* 9. *CC. quomodo calcinetur.* 10. *Calcinationis differentia.* 11. *De Auro potabili, eiúsque solutione.* 12. *Doctrina Arca aperta, de defectu salis in mediis Mineralibus Doringio suspecta.* 13. *De modo extrahendi tincturam ex Auro.* 14. *De Tartaro Philosophico.* 15. *Vitri Antimonij aurati parandi modus.* 16. *Crystallorum preparatio.* 17. *Magisterium Lunæ delectorium à Sala miris laudibus celebratur.* 18. *Doringij de Catholico Libaniano iudicium.* 19. *Auri varia calcinationes examinantur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S. Gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, quas nuperrimè ad me perscripsisti. Gratiores futuræ alteræ, quibus sententiam tuam de auro potabili te expositurum promisisti. Eas ne diutiùs procrastinare nolis, etiam atque etiam oro. Ita verò est, vti scribis, duplicem videlicet scopum à me intendi, cur hoc tempore studium Chymiæ iterum in manus sumendum esse censeam? principalem quidem vnum; minus verò principalem & secundarium alterum. Ille medicamentorum quorundam nobilium præparatio; hic lucri è transmutatione metallorum expectandi tempore hocce difficillimo, & deprædationum plenissimo concepta spes. Quia verò illum quod attinet, operam tuam cum mea libenter coniuncturum, & operam daturum esse polliceris; an forsan vtile aliquod medicamentum inuenire possimus, quod in morbis pertinacioribus expugnandis aliquid præstare queat? non est vt pluribus ad hanc rem te persuadere annitar. Illa solummodò de me formata suspicio tibi eximenda videtur? quasi medicamenta chymica non vdeò magnifecerim. De omnibus enim æquè si id intelligis; iniuriam luculentam mihi facis: quod testabuntur omnes, quotquot meam medendi rationem nouerunt. Metallica purgantia, vt vno verbo me expediam, hactenus formidaui; idque non sine notabili causa. Quàm malè enim cesserit ipsorum vsus nonnullis, exempla referre nihil attinet. Nec temerè credendum est, quicquid iactabundum hoc hominum genus de suis medicamentis à fumo sæpè adhuc calentibus, nec vnquam rectè exploratis (veluti tu rectissimè alicubi scribis) magnificè, ac satis hyperbolicè promittit: cùm periculum sit in nullo mendacio magis iuxta *Plinium* quodam in loco. Elegantissimè in hunc sensum scripsit *Michael Mejerus Tractatu de septem montibus Planetarum, c. 4. n. 3. p. 86. In tanta*, inquit, *copia medicamentorum certissimorum, quorum tot secula mundi, experimenta & pericula subierunt, opus non est, ad dubia, periculosa, haud cognita transire, relictis cognitis, tutis & exploratis. Medicamenta Amicorum habeantur loco, ex quibus non decet nouos anteferre veteribus nouitatis gratiâ, vti cum equin vsu venit: sed veteres, vt antesignanos, in maximo honore habere, nouos interim familiariter accipere, & vtendo probare. Idem de medicamentis nouis & veteribus iudicium & discrimen statuendum non diffiteor. Constat enim pleraque à Chimicis medicamenta facta, & in cœlum suis laudibus, fortè dignis & meritis, euecta, casu fortuito esse inuenta, nempè ab aliud quærentibus. Vnde miror hos ipsos gloriam adeò de illis interdum, vti non videantur aliquid reperisse, quod pueri*

Duplex scopus Doringij, cur iterum studium Chymiæ in manus sumendum esse censeat?

Cur Metallica purgantia hactenus repudiauerit?

Mejerus de vsu metallicorum purgantium.

in

in ſuis, tanquam veteres Chymici & Medici, inter quos Auicenna & Arnoldus, nihil eiuſmodi ſciuerint, aut fecerint; quos tamen permultos errores erraſſe, & exantlaſſe, non eſt dubium, an equam ad Artis perfectam veritatem peruenerint, ideoque & talia, & tanta, qualia, & quanta moderni iactant remedia iam pridem feciſſe, habuiſſe, & probaſſe; at cum fortuita, & non quaſita fuerint, neglexiſſe, & ſilentio præteriſſe: vtpote imperfecta & dubia. Hucvſque *Meyerus.* Cum his propè conſentiunt, quæ in *Baſilica Antimonij Epiſtolâ Dedicatoria Homerus Poppius*, vti ſe nominat, in eos eloquitur; qui præ inſatiabili Auri ſame tot ſumtus, & tantos ſudores in vno Antimonio inſumunt. *Sæpè*, inquit, *& præconceptis cogitationibus egregiè falſi, plus ſe concrediditſſe Antimonio, eique attribuiſſe, quàm viribus ſuis continet, tandem cum ſumptuum notabili iacturâ diſcunt, dum in lapidis inquiſitione ſua bona dilapidando, lapidem ſiue calculum renum & veſicæ; imò nonnunquam & laqueam acceperunt, quæ certè tales Chymaſtros manere deberet; qui voto ſuo fruſtrati, belluarum impetu in Medicum campum falcem truculentam immittere non erubeſcunt, & corpus humani luſum, diuinis legibus temporali, & æternâ pœnâ puniri ſancitum, adeò flocci pendunt.* Hactenus *Poppius.*

Poppius de magnis ſumptibus in vno Antimonio inſumentibus.

De metallorum transmutatione.

Alterum ſeorſum, metallorum nempe tranſmutationem, quod ſpectat, in eo, (ſed ignoſce, quæſo, libertati meæ) paulò confidentius mihi ſcribere videris; dum neminem ex librorum lectione aliquid profecturum cenſes; cum quò plura legimus, eò incertiores ſimus. Sanè Auctorum obſcuritas, & multivaria, quanquam apparens ſaltem, contrarietas, non parùm difficultatis in adſcendenda hâc arte parit: vt proinde à *Theobaldo de Hoghelande, in ſuo de Alchymia difficultatibus libro* non immeritò ſecundo loco collocata ſit. Vt vt verò magnam difficultatem pariat, impoſſibilitatem tamen (de quâ tu ſuſpicari nonnihil videris) potius non importat. Credis enim tu? nullum planè lapidis philoſophici è tanto ipſorum numero poſſeſſorem quicquam ex Auctorum lectione profeciſſe; ſed tantummodò vel immediatè à Deo per gratioſam, & gratuitam reuelationem; vel mediatè à fido aliquo præceptore artem hanc didiciſſe? tametſi namque non diffitear, omnes Auctores hortari doctrinæ filios, vt Deum pro reuelatione huius artificij ardenter inuocent; quin etiam ſciam, eoſdem docere, quod difficile ſit, vt quis ſuopte ingenio artem ex librorum lectione aſſequatur; tamen non ſunt nulli, qui disertè fateatur, ſe tandem è lectione Auctorum veritatem cognouiſſe. Lege ſi placet, *Comitem Bernhardum, Fr. Baſilium, & Dionyſium Zacharium*, qui vt nunc temporis pro principibus à quamplurimis agnoſcuntur, ita quod per Auctorum ſcripta in certam viam deducti ſint, non diſſimulant. *Michaël* ille *Potier* (de quo nuper etiam) pro fundamento rectè mihi duo ſupponere videtur, vt vt in fixatione Cinnabari ab aliis falſus ſit, ipſeque alios deinceps fefellerit; nempe lumen Naturæ, & Auctorum conſenſum. Sicubi enim lumen Naturæ prælucet, & Auctores inuicem conſentiunt; illic vtique verum ſubeſſe neceſſarium eſt. Sed cur in eius rei probatione inſudo? pro qua tot in publico extant diuerſorum Auctorum ſcripta. Quanquam verò, vt eſt in prouerbio, *Non omnibus datur adire Corinthum*, id eſt, vt id ad præſens inſtitutum accommodem; licet rariſſimi ſint, qui apicem ſummum iſtius nobiliſſimæ artis attingunt, & vniuerſalem illam tam corporum humanorum, quàm imperfectorum metallorum medicinam conſequantur: Attamen,

Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltrà;

ſatiſque eſt, probo aliquo particulari potiri, eòque frui, donec aliquando, & vniuerſali quis compos fieri queat. Etſi verò non ſum neſcius eorum, quæ præter *Treuiſanum, Zachariam, Auctorem Anonymum via particularis, & vniuerſalis* ſubiunctum *Triumpho Antimonij Fr. Baſilij*, atque alios in ſcripto de vitandis deceptoribus Alchymiſticis, monitorio, contra omnis generis particularia anno 1619. *Halæ* in forma octaua edito, in medium attulerit *Martinus Baſſæus*; nec incognitum mihi ſit illud antiquum dicterium, *Omne particulariſmus, eſt ſolœciſmus*: tamen Genio ſuo, & affectibus pluſculum tribuiſſe mihi videtur. Vt enim vera particularia maximè ſint rara, quemadmodum *in aureo vellere Tract. 2. pag. 94. & 144.* legitur: non ſunt tamen omninò nulla. Quendam *Dn. Ienckvvitzium*, quondam Senatorem Vratiſlauienſem, dixiſſe, in quodam manuſcripto legi; omnia in Alchymia eſſe erronea & falſa præter iſta tria: tincturam videlicet vniuerſalem, in ſicco, aut humido, & duo particularia magna, fixatio ſcilicet Lunæ & Mercurij coagulati. Vtrum horum quis adipiſcatur, haud fruſtrà laborem in id impendet. De fixatione Lunæ tu cogites velim. In *aureo* quidem *vellere loco citato* quædam proponitur, & commendatur: periclitari tamen ipſam propter occaſionis defectum, hoc tempore hyemali non licuit. Docuit ſuos diſcipulos *Potier* cementum quoddam gradatorium; quod vtique non eſt de nihilo. Pharmacopæi noſtri, *Dn. Petri Kallembergij*, frater nouit quendam, qui veram callet Cinnabari fixationem. Ad hunc inſtante vere proficiſcetur, exploraturus, an proceſſus particeps fieri poſſit? dummodo voti compos factus fuerit, frater id me haud celabit. Audio, non ita diu quoſdam è montanis Miſnicis *Lipſiam* veniſſe, & ☽

Ienckvvitzij de Alchymia iudicium.

finiſſimam vendidiſſe, quæ ex Mercurio facta fuit. Viuit, vti percepi *Strela* noſtræ quidam *Magnus*; qui Mercurium promptè vel in menſa coagulare nouit: Is numeroſam familiam alere dicitur. Suſpicantur nonnulli, ipſum aliquod particulare habere, quod ſumptus tantos ipſi ſuppeditet. E Morauias enim, ſi rectè memini, exulat.

Balneator noſter *VVolffgangus Hepffer*, qui ante biennium Chirurgi peſtilentialis officio perfunctus fuit, eidem Pharmacopæo noſtro nuper narraſſe dicitur, quod habuerit ſeruum, qui in montanis alicubi Chymicis quibuſdam ſeruiuerat. Is accepto Imperiali neſcio quid miſcuit, & inde poſt liquationem duplicato pondere argentum Aurifabris vendidit. Reſciuit hanc rem primùm è famulis Balneator, cùm ſeruus iſte iam diſceſſiſſet. In *Baſſæi* ſcripto, cuius antea à me facta eſt mentio. §. 29. particulare quoddam adducitur è calce Saturni cum calce Lunæ & oleo Vitrioli ex Marte & Venere, quod is falſitatis, & impoſſibilitatis arguit. Atqui *Fr. Baſilius in Conclusionibus Tract. 2. ſect. 1. c. 2. §. 3.* idem, ſed ſine admiſtione calcis & Lunæ proponit, ac pro primo tyrocinio, qui ☉ & ☽ fecerit, apertè vendicat. Quantum oleo Vitrioli ex ♀ & ♂ parati, tribuerit *Baſilius*, in ſcriptis ipſius paſſim inuenies, præſertim *loco citato, cap. 3. in reuelatione ἐγχειρήσεων abſconditarum, in Rhythmis de ♀, in libr. de rebus Naturalibus & ſupernaturalibus, p. 30. 47. 49. & 51. &c.* Videſis *Gemmam Gemmarum Alchymiſtarum Laurentij Meiſners Iſlebiæ anno 1605.* editam. Particulare illud ex ☽ beneficio eiuſdem olei vitrioli parandum, legiſti proculdubio in *Cocchemij* à me nuper etiam citato *libello*, qui inſcribitur, *Errantium in viam rectam & planam reductio.* Hic ipſe *Cocchemius* teſtatur, ſe iſtius particularis veritatem ſuiſmet oculis vidiſſe; quin pollicetur inſuper *in Epiſtolâ Dedicatoriâ*, ſe aliquando de particularium tincturarum veritate publicè, ac fundamentaliter ſcripturum, illiuſque errorum dicterij, cuius paulò ante etiam memini, *Omnes particulariſmus, eſt ſolœciſmus*, vanitatem & falſitatem reipſâ demonſtraturum. Iſtius *Cocchemij*, vel & *Hermanni Condeſyani* familiaritatem & notitiam, ſi quâ ratione impetrare poſſemus, forſan quod nos bearet, obtinere liceret. De quo, vt tu ſis ſollicitus, & moneo, & rogo. Pro communicata Mercurij coagulatione gratias officioſas ago: perſto verò adhuc in eâ ſuſpicione; coagulatum cum viride æris eſſe amalgama ♀ & ☿. Confirmor in hoc per *aureum vellus*, in quo *Tract. 2. pag. 548.* idem fermè proceſſus ponitur, quodque inde emergit, ♀ lutea appellatur. Cui vſui ea inſeruiat, dicto loco videre poteris.

Deringius quid de Mercurij coagulatione ſentiat?

De vitriolo, numquid id proxima ſit metallorum materia? nec ego quicquam hac vice definire auſim, vtpote cum *Camparij* opus, vel de nomine etiam mihi hactenus fuerit incognitum. Si in veſtris aut Lipſienſibus officinis proſtat, meo ære, vt id, vnà cum *Palmarij lapide philoſophico*, emas, & primâ occaſione, ad me tranſmittas, oro. Remittam pretium quam lubentiſſimè. Inquires etiam in *Vellus aureum*, an plures, quam tres Tractatus editi ſint? Tres enim ego ſaltem poſſideo: quartum verò & quintum in quodam manuſcripto allegatum legi.

An vitriolum proxima metallorum ſit materia?

Reuertor ad Pharmacopœiam: vbi primo loco ſcrupulo illo, ſuper Theriaca Germanica tibi oborto, te libero. Scias igitur, nobis eam, quæ ab *Auguſtano* deſcribitur, in vſu eſſe. Peſtis per Dei gratiam deſiit. Morbus tamen Vngaricus ipſius loco, per militem *VVallenſteinium* in vicinos pagos & oppida introductus paſſim gliſcere, *Schvveidnicij* autem grauiſſimè ſæuire incipit, adeò, vt *Cunitzius*, qui ſe alias in hoc morbo debellando artificem profiteri auſus fuit, ſe cum aliis Medicis ne vnicum ſeruare hactenus potuiſſe, nuperrimè per litteras cuidam ſuo exoſculatori palàm fateri non erubuerit. Placet cum noſtro Bibliopola *Mullero* loqui, atque ex eo cognoſcere; numquid editionem nouam vtiliſſimi libelli, de huius morbi indole, & curatione à *Balthaſare Conradino* olim conſcripti, & à me dudum recogniti, procurare velit? Quod ſi facere recuſauerit, cum veſtratium aliquo hac de re tractare poteris. C. C. alij beneficio aquæ tonitrualis, vel roris Majalis, calcinare dicuntur, Pharmacopæus noſter ſuprà memoratus, ait, *Regiomonti Boruſſorum* quendam Pharmacopæum fruſta CC. linteo obuoluta in arena occluſo vaſe ea ſimplici ſolummodò aqua tantiſper coxiſſe dum voti compos redditus ſit. Idem dixit, fruſta à quibuſdam non tranſuerſim, ſed in oblongum ſecari, medullamque ex iis planè eximi: quæ ratio mihi non improbatur, cùm quod hoc modo calcinatio proculdubio accelerari, tum CC. purius & efficacius fieri videatur. Cortex enim medullâ longè præſtantior. Sed heus? putâſne ſingulâ deſtillatione nouum liquorem ſumi? Cenſêſne etiam liquorem deſtillatum nobilitatis aliquid à CC. acquirere, vel eidem de ſuis viribus nonnihil impertiri?

CC. quomodo calcinetur?

Magnam inter ſic & vulgari modo vſtum eſſe differentiam, facilè largior. Perit enim vſtione, & ſal volatilis, & humor oleagineus in totum. Quâ doſi per ſe ſit exhibendum? nihil addidiſti. Quia verò in eo omnem verſari cardinem huius operationis intelligo: vt talis liquor ſumatur, qui præ aliis & plus ſpirituum & ſalis volatilis poſſideat; age?

Calcinationum differentia.

Digitized by Google

ago? in eam veni sententiam, quod si loco alterius liquoris rectificatissimus vini spiritus sumatur, compendium laborum haud dubiè fieri queat. Quod si odor aut alia qualitas spiritus vini offendat, vel displiceat; sub finem destillatio per alium aliquem liquorem semel atque iterum institui posset. Sic spiritu vini impressæ qualitates sine dubio quasi eluciantur. Quid veri falsi ve, sub ista mea speculatione contineri opineris, proximè, quæso, significa.

De auro potabili, eiusq; solutione.

Progredior nunc ad *Aurum potabile*. De eo quid respondeam, certi adhuc dum nihil habeo. *Herlitius* nondum respondit, quid responsurus sit, scire desidero. Quos modos *Libavius*, quos *Zacharias à puteo in Claue Medica* sect. 11. quosve in suis Lectionibus super *Crollium* proposuerit *Hartmannus* absque dubio nosti. Maxime pars processuum, vel operosa nimis; vel etiam falsa. Et quis temerè in incertorum processuum periclitatione, & laborum, & sumptuum dispendium facere velit? Qui per aquam Minteræ Bismuthi absolvitur, sine tincturæ saltem eliciendæ, sive radicalis ☉ solutionis gratiâ suscipiatur, mihi videretur omnium facillimus, dummodo verus sit, istaque aqua, siquidem Saturninæ indolis est, satis securè intra corpus propinari valeat. De quo tuum iudicium expeto. Doctrina *Arcæ apertæ*, de defectu salis in modiis mineralibus, de quâ nuper memini, ob sequentia de falsitate mihi est suspecta. 1. Quia nisi salem haberent, coagulationem non admitterent; quo argumento *Basilius in Antimonij triumpho pro Antimonio* vtitur. 2. Quod è calce Antimonij vitrum alias confiari nequiret. 3. Quia per deliquium liquor inde parari non posset. Quâ de re videsis *Basilium in triumpho pag. 184. & Poppium in Basilica Antimonij cap. 12.*

Doctrina Arcæ apertæ de defectu salis in modiis mineralibus auctori suspecta.

De modo extrahendi tincturam ex auro.

Modus extrahendi tincturam ex auro, quo *Pansa* vsus fuit, hic est. Aurum Vngaricum optimum, ter per Antimonium purgatum, in tenuissimas lamellas vel folia deducitur, & cum duabus partibus salis communis igne liquati accuratissimè tritum in crucibulo igne moderato per 2. hor. calcinetur, cavendo, ne nimio igne liquescat. E calce aquâ calidâ salsedo perfectè eluitur. Postea calcis istius parti vni admisce exactissimè florum sulphur. partes ij. indicam. Cumque iuste sub patellâ (*Muffel*) igne comburente calcina, refrigeratamque aquâ calidâ iterum lava. Adipisceus calcem impalpabilem. Vtraque hæc calcinatio ter repetenda.

Quò enim pluries instituitur, eò melius auri corpus recluditur. Calcem hanc phialæ impone, & effuso vini spiritu, sale suo auctiore reddito, tincturam tantisper extrahe, dum amplius colorari spiritus nolit. Salis sui nomine num sal tartari, vel è phlegmate, aut fecibus vini adustis extractus intelligatur, non satis liquet. *Fr. Basilius in Dyade ex parte Condensationis pag.* 51. Tartari Philosophici appellationem, salem è cineribus sarmentorum vitium mereri scribit. Eius hoc in loco proposita descriptio veluti admodum laboriose: ita meo iudicio aliis non immeritò præferenda. Iste qui sequitur, processus eadem *Ioh. Libavio* attribuitur, & trecentis Imperialibus redemptus esse perhibetur. ♃. Vitrioli q. v. minutissimè trito tantum aquæ affunde, & ebullire permitte; quo Venus vitriolo permista separetur. Filtra per chartam, & siccum ℥. ij. chartæ adhærebunt pro prima hac vice. Filtratum cucurbitæ infunde, & elembico cæco conclusum B. M. tepido ad 3. ☽ impone. Subsidebunt feces duorum digitorum latitudine. Quod clarum est decanta. Id suave, ac subdulce erit, & de ℔. j. vix ℥. 2. remanebunt. Fac vt in crystallos redactum in Hypocausto ad albedinem calcinetur. Calcinatum per retortam igne leni tantisper destilletur, quoad spiritus nulli apparebunt. Quando verò oleum rubicundum prodire cœperit à destillatione desistendum. A destillato per B. phlegma diligenter separa. & spiritum è retorta vitrea rectifica. Spiritum istum instrumento noto inde, hac tamen observata cautela, ne id nimium impleatur, spiritusque vase recliuato effluat, vas in fornacem competenter colloce, & lenissimo igne destillationem institue, atque tunc spiritus ☿. vitrioli exstillabit. Si quidem verò sulphur & sal graviora sunt; idcircò vbi impingunt ad fundum iterum præcipitentur. Posteà accipe auri tenuissimè laminati partem j. vitrioli ad albedinem calcinati part. iv. commista cæmentent diebus 8. cavendo, ne vitriolum liquetur. Exemptum teratur subtilissimè, & effusione aquæ calidæ vitriolum eluatur. Hinc sub patella per horas aliquot reverberetur, euadet aurum admodum spongiosum. Calci huic phialæ immissæ affunde spiritum ☿ vitriolati, pone in Balneo, & colorabitur instar Croci. Extractionem eo vsque repete, quoad nihil tincturæ supersit. Spiritus iste tinctus in calore lento per aliquot dies detineatur: tandem per retortam leni igne destilletur, & vehet secum auri tincturam. Hoc enim peculiare habet iste vitrioli spiritus, vt omnia metalla volatilia reddat, atque è Gemmis, Margaritis, & Corallis præmissa tamen per vitriolum ad albedinem calcinatum calcinatione, tincturas extrahat, secumque easdem trans alembicum ducat. Spiritus iste auro dulcificetur cum ℥. V. Basilij. verò dosis à gr. vj. ad xij.

Vitri Antimonij aurati parandi ratio.

Ad aurum potabile non incommodè referri posse videtur illa Medicina, quæ è vitro Antimonio aurato, sive, vt *Rhenanus* nominat, in *Theorematibus Chymiatricis n.* 267. Auro transplendente, cum vini spiritu elicienda est. Describit idem remedium *Poppius in Basilicâ Antimonij cap. 4. & 9.* Nec non *Geclenius in libro experimentorum Germanicè anno* 1615. *edito pag.* 222. *& seq.*

Hoc ipsum etiam extra dubium innuit *Poterius in Pharmacopœa Spagyr. pag.* 275. *&* 276. Encomiis eius incitatus persuasi Pharmacopæo nostro, vt id parandum susciperet. Quia verò tum præter *Rhenanum* reliquorum præparationes nondum legeram, iuxta illius præscriptum parari iussi. Differunt quippe cùm in Antimonij & auri pondere, tum in calcis auri præparatione: quam differentiam apud ipsosmet Auctores videas, licet. Spiritus vini affusus calorem per quatriduum super pulvere steterit; nihilum tamen colorari cœpit. Effuso igitur vini spiritu acetum destillatum semel atque iterum abstractum fuit. Nunc transfuso vini spiritu periculum faciemus, an res melius successura sit? Vereor, vel longâ morâ ad extractionem opus esse, vel in vitri præparatione peccatum fuisse; cum verè transparens non appareret. Ni successerit; curabo pulverem in vitrum iterum liquari, & tantisper in igne detineri, quoad color & transparentia voto responderit. Tu de viribus dictis Actores consule; & vt medicamentum istud placeat? ad me perscribe. Illud miror quod cum vitrum antea tam potenter vomitus cieat, hoc verò aurificatum sudores saltem moveat. Quin & hoc maiorem admirationem incutit, qui fiat? quod cum calx Antimonij per se parata sudores proliciat, vt tradit *Poppius cap. 4. & Geclenius lo. c. pag.* 515. Vitrum tamen tantopere ad vomitum stimulet? In tincturæ extractione si operam perdamus, putabis ne substantiâ dandum esse? sed quâ dosi dabitur. De reductione auri è vitro, vide *Poppium & Geclenium locis adlegatis*. Quia tamen *Poppius* per lapillos ex pretiosissimo lacte collectos intelligat, ego vix definire eum. Fortè istà crystallos è tinctura dictâ paratos innuerit.

Crystallorum præparatio ex auro & luna.

Occasione à crystallis istis desumpta, tacere non possum, quemadmodum ad te perscribam, quò Schwidnicensis nostri ex Auro & Lunæ crystallos parare, & in vsum Medicum vocare dicuntur: de quo rursus in *Castiliano de Resolutione* aliquid legistis. Soluunt Lunam in aquafortis, aurum in equa regia & abstractâ humiditate ad remanentiam tertiæ partis, residuum in cellam collocetur, vt F. Crystalli. Hi solvuntur aceto destillato. Evaporare sinuntur rursum ad tertias, & denuo in cellâ concrescere. Hinc aquâ pluviali destillatâ solvuntur, & absumptâ humiditate in pristinam formam rediguntur, vt prius: Solutio autem ista vel tertiâ vice repetitur, vt omnis vis corrosiva segregetur.

Quomodo predicti Crystalli in liquorē abeāt.

Isti Crystalli in liquorem abeunt, si super tabulam vitream in cellâ ponantur. Num omnis facultas corrodendi hâc ratione tolli possit? tu videris. Sanè memini, me sive legisse alicubi, sive audiuisse ab aliquo, spiritus istos ab aquis eiusmodi acutis residuos, non esse formidandos, propterea quod coagulati ad priorem indolem redeant, v. g. nitrosi, nitrum; vitriolati, vitriolum, aluminosi, alumen, &c. sapiunt. Quæ omnia sine metu ac securè dari intra corpus queant. De Magisterio Lunæ dejectorio *Angeli Sala*, nisi me fallit memoria, alias ad te scripsi. Id parandi rationem proponit *Zwelferus in Exegesi Chymiatricâ parte 3. sect. 1. fol.* 91. Quantis laudibus celebretur à *Sala* in *Ternario Bezoardicorum, cap. 21. & in Recensione Spagyrica septem Planetarum terrestrium*, videre est. Nihilominus in *Synopsi Aphorismorum Chymiatricorum, sect. 2. Aphor.* 29. de eodem hunc in modum alios hortari non dubitauit. *Quanquam eius ope multas curationes (cuius rei mihi testis Deus est) felicissime perfeci: quia tamen & tempus longum requiritur, vt corrosiui specifici spiritus benè illi vniantur, idque vsui interno reddatur idoneum; & non semper æquè feliciter hoc obtingat, quin acrimoniam inamabilem sæpè retineat; Et si non benè præparatio successerit, nocendi sit, quàm iuuandi particularitate instructius: vsum eius internum omisi, aliisque nunc Hydragogis gustui gratioribus, tutioribus, nostræque naturæ familiarioribus vtor. Quod vt alij quoque faciant candidè moneo.* Hæc *Sala*. Idem fortassis de Crystallis dictis, & oleo ex ipsis formato quispiam suspicari queat. Magis arridet processus, quem in *Triumpho Antimonij Fr. Basilij* reperies p. 326.

Magisterium Lunæ detectorium à Sala miris laudibus commendatum.

Accedo tandem ad id, quod istius nostræ collationis caput est, Catholicon nempe Libauianum; de quo Comicum illud haud immeritò dici potest: *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.* Equidem quò attentiùs de eo cogito, eò plura semper invenio, de quibus nos inuicem ante praxin convenire æquum est. Nisi fallor, Medicinam istam indigitavit *Poterius in Pharmacopœa Spagyrica, p.* 276. quando vitrum aureum elegantiore, & nobiliore via ex auro cum oleo ♁ parari scribit. Siquidem in eo aurum dissoluitur, atque vtraque fermentata per coctionem in vitrum vertantur splendidissimum. E sequentibus autem dubiis vt nos prius expediamus, quàm ad manualem operationem accedamus, expedit. 1. Quæ cura in electione materialium sit adhibenda? Neque enim dubium est, in materialibus longè maximam reperiri differentiam. Qualis itaque ☿, quale

Michaëlis Doringy de Catholico Libauiano iudicium.

Vitrum aureum nobilius fit ex auro cum oleo Antimonij.

In mineralibus eligendis maxima cura exhibenda.

quale ☿ qualéve ☉ ſit ſumendum? & vnde ea petenda? ante omnia ſcire conuenit. Inprimis verò Mercurius Biſmutho aut plumbo adulteratur. Cogitandum itaque fuerit, an natiuum è mineris haberi poſſit? an verò è natiuo, vel factitio cinnabari per reſuſcitationem eliciti? Natiuum etiam Aurū fruſtrà ſucceſſus expectamus, cùm id rariſſimum ſit viſu, ac difficillimum impetratu? Neque vſque adeò multùm referre videatur, natiumne, vel ignem iam dum expertum capiamus. De qua re poſteà. 2. An neceſſarium ſit, Mercurium ante ſublimationem in aqua forti ex viridi æris & nitri paratâ ſolvere, vt præcipit *Auctor Practicæ Arboris aureæ*, *p. 34*. Huius autem nec *Libauius*, nec alij meminerunt. An conducat Mercurium ſæpius ſublimari. Quidam enim per multiplicatas ſublimationes occultas ipſius quaſdam vires deperdi exiſtimant. Quod tametſi fortè fiat, plures tamen è ♀ & ♂ vires imbibere mihi videtur, niſi forſan idem hic quoque opponere quis velit, quod de infuſo Sennæ dicit *Barthius*, ſcilicet plures vires menſtruum non aſſumere, quàm quantitas ipſius permittit. De quo olim peculiari quapiam Epiſtolâ, vti noſti, egimus. 3. Quantum vitriolo ♀ & ♂ tribuat *Baſilius*, paſſim apud ipſum legas; præſertim in *Rhythmis*, in *Reuelatione* συγκρυπτων *de rebus præternaturalibus, & naturalibus*, *p. 30. 47. 51.* nec non alibi: quæ omnia loca in elegantem ordinem redegit *Rhumelius in Theorematibus Chymiotechnicis*, *p. 73. & ſeq.* Non abs re igitur quærere iterum licet, an non præſtet, pro communi, ex ♀ & Marte paratum vitriolum ſumere? Inprimis cum Medicina iſta non iam corporibus humanis ſanandis, quàm metallis imperfectioribus tranſmutandis, deſtinata eſſe videatur. 5. Sal Gemmæ, an pro communi eligendum cogita. 6. *Auctor Practicæ Arboris* addicit & nitrum. An non verò ſublimatus hac ratione plus ſatis euaderet corroſiuus? 7. Proportio, quam tu ſtatuis, Mercurij ſublimati, & Antimonij, non ſatis videtur congrua. Deſitit enim Antimonium, præter æquale pondus quod plerique ponunt. Rationem vide in *practicâ Arboris aureæ*, *p. 27 & ſeqq.* 8. Liquor exſtillans totus Mercurialis non eſt, vt tu ſentis. Relege Epiſtolam ante aliquot annos hac ipsâ de re pro *Barnerio* ad te ſcriptam. Confer etiam *Baſilium in Triumpho Antimonij* *p. 109.* & *Poterium in Pharmacop. p. 279.* 9. Regulus ſi ſumendus ſit ob rationem Numero 5. poſitam, cum Marte vtique parandus erit. Eâdem de cauſâ procul dubio *Quercetanus* pro tinctura illa Auri, quam ſub ipſius nomine publicauit *Rolfinkius*, *dicto loco*, *p. 66*. Regulum cum Marte parari voluit. 10. De tempore fuſionis Reguli tradit *Poppius in Baſilicâ Antimonij*, *c. 2. p. 28.* quod Experientia docuerit, Luna creſcente, præſertim in Leone conſtituto Auri, atque inſuper ſereno cælo, multò maiorem felicitatem in ſtellæ fuſione vigere, quàm Aliis temporibus. 11. Rectè ſuadet *Auctor practicæ Arboris aureæ*, *p. 57.* materiam commiſtam ante deſtillationem in B. per dies 40. prius eſſe putreſciendam: 12. Cinnabaris in roſtro concreſcens miſcet liquori *Baſilius*, vt eſt apud *Condeeſyanum in Dryade tripartitâ*, *p. 78.* *Auctor Practicæ Arboris aureæ* iubet liquorem Regulo in Cucurbita relicto, ac puluerisato affundere, & per 14. dies iterum putrefacere, *p. 35*. Ego omnia miſcenda, digerenda & deſtillanda arbitror. 3. Quæ ſequuntur in proceſſu *Baſilij*, à noſtro ſunt aliena. Miſſa igitur ipſa faciam neque quicquam inde ad noſtra hæc amplius transferam. Quemadmodum autem iſta quæ huc vſque in medium à me allata ſunt, ad Aquam philoſophicam ſoluentem, ſiue, vt cum *Bernhardo Comite* loquar, Fontanam pertinent, in qua Rex loturus & perfectionem ſummam acquiſiturus, ingredi debet: Ita ea, quæ nunc ſubiungam, ad alteram non minus nobilem compoſitionis partem ſpectant. Hic verò 14. Non contemnendum ſcrupulum mouere deprehenditur *Auctor Practicæ Arboris aureæ*, *p. 32. & ſeqq.* qui eſſentiam vitrioli Veneris, ex Marte per Spiritum Vini extractam, & coagulatam pro altera compoſiti parte loco inicit. Cauſam proculdubio ſubminiſtrauit *Baſilius*, qui vtrique iſti metallo magnam Auri tincturam multiplicandi vim paſſim adſcribit, quin in libro *de rebus naturalibus*, *p. 48.* ſulphur ipſorum ex eadem planè Radice, cum ſulphure Aurum pullulaſſe, & in *Reuelatione* συγκρυπτων *libro 2. initio pag. 21.* Oleum rubicundum ex vtriuſque vitriolo vi ignis extractum viridis ac rubei Leonis ſanguinem, quo Rex cibari debeat, diſertè profitetur. Obſtare tamen videtur *Bernhardus in parabola* & *Zacharius in fine partis 1.* Iſtis conſentiunt *Arca aperta poſtremæ editionis*, *p. 54. & 160.* *VValerius* item in *Commentarius ſuper den kleinen bauren*. *p. 215.* Vide ſis etiam *Bernhardum Redivivum* *p. 353. 357. 466. & ſeqq.* Hic Rhodus, hic ſalta. 15. Crudumne, vel calcinatum Aurum ſumendum ſit? non minor difficultas eſt. Crudum quidem proponit *Libauius*, cui adſtipulatur *Arca aperta*, *p. 38.* *Commentator ſuper Nouum Lumen Chymicum*, *part. 1. p. 57. 58. & 66.* Calcinata tamen expeditius ſoluuntur, quàm cruda: Siquidem ſalis & aluminis naturam participant, veluti è *Gebro* docetur in *Nucleo ſophico*, *p. 39.* 16 Quæ calcinandi ratio ſit adhibenda? haud imperitè quæritur. *Baſilium in Reuelatione* συγκρυπτων, *libro 2. propoſita*, accurata quidem diligentia eſt pleniſſima; verùm admodum laborioſa. Hanc commendat *Poppius in Baſilica Antimonij* *p. 34.* Expeditior ea eſt, ſi aurum per antimonium ter prius purgatum, (ita enim nouis, quaſi ſpiritibus impregnatur, qui anteà perierat liquatione: quamuis verum ſit, igne ſpiritus diſſipari.) Quia ſulphuris Veneris, & Martis additione idem defectus abundè reſarciri videtur; vt nihil dicam de Aqua Mercuriali, per quam ſolui debet, cum Mercurio amalgametur, & additione ſulphuris per ſublimationem Mercurius iterum abſtrahatur. 17. Dubitare etiam quis poſſit, num totum auri corpus capere, an vt ita alterum quoque Luminare compoſitionem ingrediatur. Quid enim detracto ſulphure aliud remanet, quàm Luna fixa? 18. Cùm nuper *Lignicij* eſſem, contuli de eodem hoc remedio cum *D. VVolffgango Gaſtone* Medico Aulico. Aiebat olim Chirurgum aulicum Chymiæ eleganter peritum, ſed iam defunctum, tentaſſe auri ſolutionem per eandem aquam: qua quidem tinctura promptè extracta fuerit, corpus autem ſolui noluerit. Contradicit tamen, vt alios taceam, *Auctor Practicæ Arboris aureæ*, *p. 24. & 25*: vbi per eam metalla radicaliter ſolui ſcribit: 19. *Commentator ſuper Nouum Lumen Chymicum*, *part. 2. p. 165.* poſtquam ſublimationem ſulphuris per nitrum & vitriolū, ideò improbaſſet, quod ſulphuris flores non tantùm majorem corrodendi facultatem inde acquirerent, verùm etiam venenati redderentur: pro exemplo adducit Mercurium ſublimatum, quod eorundem admiſtione corroſiuus, ac venenum exſiſtat. Cùm ergo liquor ille Antimonio-Mercurialis maximoperè cauſticus, & corroſiuus ſit, non præter rationem quærere mihi videor; Numquid vis illa vel in ſolidum pereat; vel diuturna digeſtione ita miteſcat, vt citrà noxam intra corpus humanum medicina poſſit porrigi, profectò dubium hoc non eſt momenti exigui.

Aurum natiuum rariſſimum.

Mercurius per multiplicatas ſublimationes occultas vires amittit.

Medicamēta iſta etiā metallis imperfectioribus transmutandis deſtinata ſunt.

Regulus quomodo parandus.

Fuſionis Reguli tempus & modus.

Aqua philoſophica ſoluens.

Auro Tinctura quibus metallis multiplicetur.

Aurum cum ſulphure pullulauit.

Aurum, an crudum vel calcinatum ſumendum? Calcinatū citius ſoluitur quàm crudū.

Auri ſolutio per aquam Mercurialē.

Sublimatio ſulphuris quando improbanda.

Mercurius ſublimatus quomodo fiat corroſiuus & venenatus.

Neſcio, an illud *Theophraſti*, quod eſt apud *Kiplanum*, editionis Germanicæ *Tract. 4.* huc accommodari poſſit? quòd auri additione, Corroſiuum omnem nocendi vim exuat, & deponat. 20. Proportio ſoluentis ad ſoluendum num adæquata ſit, & ad ſolutionem Corporis ea, quæ è *Libauio* propoſita eſt, ſufficiat? vti & num. 21. ſine humiditatis abſtractione coagulatio expectanda ſit, ſententiam tuam mihi exponas, rogo.

Corroſiuum, auri admixtione omnem nocendi vim deponit.

Talia igitur, & tanta ſunt, *Clariſſime Dn. Aſſinn*, quæ inpræſentiarum ſuper *Catholico Libauiano*, conſideratione digna occurrerunt.

Si plura deinceps inciderint, ea impoſterum recenſebuntur. Tu iſta diligenter, quæſo, pondera, & vt voto noſtro commodè potiri poſſimus, ſtudioſè cogita. Ignoſce autem moræ qualicumque. Neque enim citiùs reſponſum abſoluere licuit. Quin ſpero me moram iſtam præſenti copia ſufficientiſſimè compenſauiſſe. De publicis nihil addo, Eorum enim ſtatum ex aliis proculdubio cognouiſti. Deus tandem nos à mole belli liberet, & diu optatam pacem reſtituat. Scribebam Breſlæ, die 4. Martij Anno 1627.

APPENDIX.

Sennertus in Epiſtola M.S. ad Doringium.

Scripſit hiſce diebus ad me Medicus quidam Iſlebienſis, ſe feliciſſimè in peſtilentia, quæ ibi graſſata eſt ſæuiſſimè, vſum eſſe panacea illa quæ in meis *Inſtitutionib. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 18.* deſcribitur. ℞. *Regulo antimonij ſubtiliſſ. puluerisat.* ℥. i. ſoluatur in Aqua Regia, Vitro aperto. Deinde ſolue ſeorſim in Aqua Regia auri ℥. i. & etiam ſeorſim Mercurij ℔. i. Poſteà ſolutiones has tres coniunge, & noua Aqua Regis affuſa deſtillentur ſepties, & ſemper deſtillatum iterum affundatur ſuper feces, & ſeptima vice abiiciatur, vt inutile. Quod in fundo remanſit, exſiccatum in igne forti in Crucibulo p. 3. horas continuè agitetur ſpata, vt viatur, donec Aqua Regis euanuerit & materia rubeum colorem acceperit. Deinde affundatur ſpiritus vini, & ſtent p. 3. dies. Ruſus exſiccentur. Doſis gr. i. cum Aquæ Theriacalis ℥. vi.

EPISTOLA IV.

PERIOCHE.

1. *Auctor Doringij mentem circa Moſchata & Ambrata medicamenta vtriuſque fœminis infenſa, expoſcit.* 2. *An Gemmæ tantas vires habeant, quantas ipſis vulgus attribuit?*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Cum modò Lichtenburgo redirem, *Cl. Dn. Aſſinn, & Compater honorande*, Rhedarium iſtum iam itineri accinctum inueni.

Itaque iam aliud ſcribere non poſſum, niſi, vt hanc occaſionem tibi notificem, vt ad literas meas, quas Lipſiæ te accepiſſe puto, reſpondere poſſis.

Velim

Auctor Doringÿ indicium circa odores requirit. Gemmæ an tantas vires habeant, quãtas vulgus fingit.

Velim tamen etiam tuam mentem aperias, An moſchus & Ambra, Confectio Alckermes, & ſimilia fœminis olfacta, & ſumta æquè noceant? Deinde an gemmæ tantas vires in Medicina habeant, quantæ ipſis vulgò attribuuntur. De quo videas quæſtiones *Plateri quæſt.* 91. Benè vale & ſalue cum tuâ à me & meis omnibus. VVittebergæ, 16. Martij, Anno 1627.

EPISTOLA V.

PERIOCHE.

1. Patriæ deuaſtationem à milite deplorat. 2. In Chymicis cur nihil tentare auſus ſit rationem reddit. 3. De VVeyſſelio honorifica fit mentio. 4. Quàm parum lucretur, queritur. 5. Quæ ad ipſum pridem ſcripſerat, commendat. 6. Electuarij Alexipharmaci formulam contra peſtem ab Authore requirit. 7. Ambrata & Moſchata medicamenta quomodo fœminis noceant, reſpondet. 8. Expoſtulat de Plateri ſilentio. 9. De Gemmarum, Terræ Lemniæ, Auri, &c. viribus vulgarem ſententiam irridet. 10. Varios Auctores qui de Gemmis, & Lapidibus pretioſis ſcripſere, recenſet.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Rhedarium veſtrum, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ſiue litteris ad me ſpectantibus ad nos dimiſſum vſque putabam, & mirabar, donec tandem altero ab eius aduentu die, litteras tuas tranſmitteret *D. Laurentius Scholtzius.* Sperabam autem ad reliqua reſponſionem, ad quæ te in proximis minus commodè reſpondere poſſe, ob cauſas quaſdam allegatas conquerebaris. Meum quoq; reſponſum die 4. Martij abſolutum, quod ſerius accepiſti (id enim te iam accepiſſe confido) hæc cauſa fuit: Nimirum is, cui id *Lipſiam* proficiſcenti concredebam, *Lignicium* ſaltem vſque progreſſus, propter deprædationes quotidianas a milite *VValleuſteiniano* inſtitutas Breſlam iterum reuerti coactus fuit. Quam autem miſera dilectiſſimæ noſtræ patriæ ſit facies, deplorare potius, quam referre, expedit. Miles enim Danicus totam fermè *Sileſiam* ſuperiorem occupauit: *VValleuſteinio* in exhauriendis noſtris loculis ſtrenuè occupato. Profectò ita nunc crebris exactionibus tantùm non quotidianis, grauamur, vt iis ſufferendis pauci adhuc pares ſimus! Quod ſi huc ſiue vi, ſiue per cuniculos, ſe penetrauerit: actum vtique in ſolidū de nobis erit. Quod Opt. Max. clementer prohibeat Deus! Atque hæc ipſiſſima eſt cauſa, cur iam in Chymicis ipſus nihil tentare auſim. Noſter *VVeyſſelius* in particularibus eſt occupatiſſimus, & magna ipſum, vti à quodam amico intellexi, ſpes alit. Optandum erat, vt voto potiretur: Niſi enim certi quid quod alij explorarunt, comperero, hoc tempore experiendis proceſſibus dubiis ſumptus haud impendam. Nam ex Praxi tantum hodie non lucror, quantum inſumo. Quæ in nuperis tibi perpendenda propoſui, diligenter, quæſo, conſideta: vt enim ob multitudinem, & varietatem ſunt iucunda: ſic ob ſingularitatem iuxtà ac vtilitatem non aſpernanda. Liceat interim vel in medio armorum ſtrepitu, ceu Archimedem ſuis ſe circolis in obſidione *Syracuſarum*; ita nos iſtis ſpeculationibus nos oblectare. Electuarium Alexipharmacum tuæ deſcriptionis, quod in Curatione peſtis te efficax inueniſſe, ſcripſiſti anno ſuperiore, quale ſit, ſcire velim: Neque enim inter formulas manu *D. K.* deſcriptas, vlli tuum nomen præfixum reperi.

Patria miſerandam ſortem deplorat.

Cur in Chymicis nihil tentauerit.

De VVeyſelio honorifica mentio.

Quod parum lucretur, queritur.

Moſchus & Ambra vtrũ fœminis infenſa.

Allium & Cæpa foris admota exulcerant cutem, intrò ſumpta nihil tale operantur.

Ambrata & Moſchata medicamenta num fœminis olfacta, & intrò ſumpta æque noceant? quæris. Memini, te ante annum eandem Quæſtionem *ex libro Obſtetricali Ludouica Bourſier* mihi propoſuiſſe. Ad quæ quod hactenus non reſpondi, per obliuionem factum fuit. Sanè vnam eandemque rem diuerſimodè operari, ſi vel foris admoueatur, vel intrò ſumatur, Allij & Cæparum exemplum, (vt alia interim prætercam) docere poteſt. Cum enim iſta foris applicata cutem exulcerent, intrò ſumpta nihil tale præſtant.

Idem de Ambratis, & Moſchatis quis ſperare poſſit. Ego verò, vt verum fatear, Hyſtericis talia propinare non auſim: Non enim ſemel duntaxat, ſed plures obſeruaui, fœminas paſſionibus Hyſtericis ſubiici ſolitas, vel ſolas margaritas ferre non potuiſſe, quod moſchum redolere putarentur: quale quid ego nihilominus olfactu deprehendere non potui. Quid futurum cenſes? ſi per os ipſam moſchum exhibeas. Alia ratio eſt, quâ foris Emplaſtris permiſtus, Vteri regioni imponitur: id quod nonnullis in vſu eſſe ſcio. At ſtudioſè tamen cauere oportet, ne odor nares prius, quam Emplaſtrum Abdomen contingat. De qua re quid tu ſentias, proximè ſignifica. Quæſtio de Gemmarum viribus Medicinalibus, ipſimet *Platero* olim, dum *Paterniaci* apud *Dn. Guilielmum Fabricium* degerem, à me propoſita fuit. Summa reſponſionis coincidit cum iis, quæ in medium adferantur, in quæſtionis dictæ Exegeſi, *p.* 258. & 259. Oppoſui ipſius reſponſo alias litteras, eaſque *Gieſſa* in anno 1610. Menſe Septembri ad ipſum miſi ad quas nunquam reſpondit. Demiror itaque obſtinatum ipſius in tam *ἀνεπόδεικτα* perſeuerantiam. Vix tamen crebro ipſummet *Felicem* his formalibus præſentem quæſtionem tractaſſet Nam ſi ſtylum penitiùs intuearis, cum reliquo non tam in aliis ſcriptis, quàm hiſmet quæſtionibus obſeruando, minus conſentientem deprehendes. Taceo paradoxa, (ne quid dicam grauius) huius Quæſtionis explicationi inſperſa, qualia ſunt, Quòd terra Lemnia ſiue Bans, Sanna, Armena, &c. venenis reſiſtere, neſcio quàm verè dicantur, Tu contra vide ſcriptum *Camerarij* de Bolo Armeno, annexum ſyllogæ ipſius *Commentariorum de peſte*. 2. Quod ad Antidoti Theriacalis molem augendam addatur chalcitis, multiſque compoſitionibus vitrioli Oleum. 3. Aetites nihil diuerſi a ſaxo polliceat. 4 Fabula ſit Baſiliſcum intuitu enecare. 5. Quod qui Aurum candens in liquore extingount, ſordes potius ablutas, quam efficaciam propinent. Qua in re adſtipulatorem habet *Septalium in Animaduerſionibus Medicis.* 6. Aurum, Gemmæ, & Vniones propter raritatem ſolummodo cara exiſtunt. 7. Empirici primùm talibus vti cœperint, poſtea & reliqui Medici, citra tamen omnem rationem, & experientiam, tantum iis nobilia figmenta ſparguntur. Credas verò tu, tam bardos, ſtupidóſque fuiſſe alios Medicos, vt contra duo iſta publica Medicinæ Criteria, quicquam in contrarium ſtatuere auſi fuerint. Profectò plus hic bonus noſter Præceptor affectibus ſuis indulſiſſe, quàm rei veritati attendiſſe mihi videtur. Conſule *Angelum de peſte l.* 3 *c.* 23. *Anſelmi Boetij Gemmarum & Lapidum Hiſtoriam*, præſertim *l.* 2. *c.* 35. & 154. vbi de Margaritarum & Coralliorum viribus tractat, *Mindererum de peſtilentia c.* 15. *p.* 204. vbi admirabilem pulueris è Smaragdo, Lapide Bezoar, & Hyacintho, præparati efficaciam, in abigenda peſtilentia recenſet, *Salam Tractatu de Chymicorum & Galenicorum erroribus &c.* Nolo plurium Auctorum tibi alias notorum, longiorem Catalogum recenſere. Vtri parti tu aſſentiaris, ediſſere. Si rationes deſideraueris, dabuntur eæ impoſterum: Nunc propter alias occupationes non vacat, B. V. & cum tuis à nobis, & *D. Caſp. Conrado* plurimùm ſalue. Dabam Breſlæ, die 9. Aprilis, Anno 1627.

Cautio pro admotione Emplaſtrorũ quæ moſchũ recipiunt, in mulieribus Hyſtericis.

Plateri ſilentium.

Plateri hallucinationes circa gemmarum &c. vires.

Priſci Medici obiter defenduntur.

Auctores varij qui de gemmis ſcripſere.

EPISTOLA VI.

PERIOCHE.

1. De Horſtij ſilentio amicè conqueritur, & cauſas quærit. 2. Doringij iudicium circa Rhumelij Balſamotechniam. 3. Libellum hunc ab Horſtio efflagitat. 4. Explicationem vltimi experimenti ſcire deſiderat. 5. Affectus Venereos per compendium curandi rationem vt amtius haud inuideat, enixè rogat.

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quid cauſæ ſubeſſe rear? *Cl. Dn. Horſti*, quod ad meas illas, quas anno decurſo ſub principium Nouembris, ad te exaraui, nihil hactenus reſponſi accepi. Intercidiſſéne putem, vel tuum ad eas reſponſum Illud vt haud ſuſpicior, *Dn. Matthæi Chriſtophori Oſmij* diligentia, mihi aliàs in ſimili officio perſpecta;

Silentij cauſas quærit.

specta, persuadet. Quod si itaque sive petiie, sive dilatum est huc usque responsum, ut id repetas, aut tandem expedias, oro. Edidit *Balsamotechniam Ianus* quidam *Veremundus Rhumelius*, eamque Senatui vestro inscripsit. Sub finem tredecim proponit experimenta, uti appellat, Aurum in formam potabilem redigendi: Ea iis autem ultimum præ aliis commendat, ac post Catholicon, pro summa Medicina venditat: Verùm uti solet istiusmodi hominum genus, locutionibus suis ænigmaticis Lectorem in suspenso detinet, eique imponit. Odi equidem ego talem scribendi rationem: Satius enim erat planè tacuisse, quàm gryphis istis Lectores ludificari. Cum igitur haud dubitem, quin libellum istum legeris, ipsumque Auctorem super dubiis consolueris; quæso te, *mi Horsti*, gratificare mihi hanc opellam, ac doce, quid sit experimento ultimo, *die obermelte rothe* materia, quemadmodum scribit, cum qua calx Auri primùm per horam integram super marmore læviganda, & posteà in igne circulari ter per horas tres gradatim calcinanda. Num forsan Rosa est rubea, è minera salis producta? de quo experimento 12. An verò spiritus sive oleum vitrioli veneris rubeum? de quo experimento sexto? Mihi non licet esse tam felicem, ut quid intelligat, assequi valeam. Tu *mi Horsti*, istâ in re me pro virili, iuva. Habebis in similibus vicissim promptum. Gallicos per compendium, curandi rationem diutius etiam haud invideas, precor. Bene cum tuis vale, & me ama. Dabam Breslæ, die 10. Aprilis, Anno 1627.

Doringij iudicium circa Rumelij Balsamotechniam.

Anxius pro experimento ultimo intelligendo.

EPISTOLA VII.

PERIOCHE.

1. *Auctor se quamprimum ad operationes Chymicas accincturum Doringio pollicetur.* 2. *Mercurij puri cognoscendi modus.* 3. *Ad præcipua capita Libanij Catholici respondet.* 4. *Auri potabilis præparatio.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Vix abierat Rhedarius noster, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, cum tuæ mihi Lipsiâ offeruntur litteræ. Ad quarum caput præcipuum iam respondeo, & quidem hac occasione, ut proximis nundinis Lipsensibus tuum responsum accipere possim. Post nundinas enim proximas me ad id opus accingam; præcipuè cum iam studiosum Operationum Chymicarum non imperitum ad manus habeam, qui me in isto labore iuvare poterit.

Ut ergo, ad quæsita tua respondeam, 1. Mercurium ☿ ☉ eligam, qualia optima nancisci potero. Quia tamen apud vos ☿ Ungaricum bonum prostrare puto. Quæso, ij. vel iij. ℔. proximis nundinis, pretio indicato, ad me mittas. Mercurium ♎ quod attinet, vix rectiùs eum parabis, quàm ab Artificibus, qui eum vendunt, parari solet. An sit purus probare poteris, si totus in aqua soluatur. Ego quidem quod & *Libanius Epistola 75.* innuit, Mercurium dulcem sumere volebam, sed mutavi sententiam à *Fr. Basilio* persuasus, *p. 14. in Condessyano*: ubi docet, sine sale nullam fieri solutionem. 2. Solutio in aqua forti omninò necessaria est: imò nec sine solutione parari potest. Et illi ipsi Artifices qui eum vendunt, prius in aqua forti soluunt 3. Ad aquam fortem vitriolum Ungaricum sufficere puto Aliàs tamen vitriolum ♀ parabo, & dimidiæ parti Butyri ☿ saltem essentiam ♀ addam, sive ☉, quod *Arboris aurea practica* docet, *p. 41.* 4. Sæpius Mercurium sublimari non inutile puto, cum semper plus salis ad solutionem auri necessarij acquirat. 5. Sal gemmæ à communi specie differre non puto, sed purius esse: 6. Nitrum *Auctorem practica aurea. Arboris* Addere puto, facilioris solutionis ergo. 7. Sumam & ipse æquale pondus Mercurij ♎ & antimonij 8. Consentio. 9. An Regulus cum ♂ paratus sumendus sit dubito: cum alias ♂ hoc opus non ingrediatur eo. In Regulo parando ☽ crescentem facilè observare potero? Oleum verò in constitutum vix expectabo. 11. Materiam coniunctam ante destillationem in Balneo putrefaciendam esse etiam censeo. 12. Ut oleum toti, quod in Retorta relinquitur, affundatur, consentio. Est tamen hîc contradictio in *F. Basilio Condessyani.* Nam *p. 41.* Cinnabrium ab-

Ad præcipua Libaniani Catholici capita respondet.

Mercurij puri cognoscendi modus.

Sine sale nulla fit solutio.

Mercurij in Aqua forti solutio sublimationi præmittenda.

Sal gemmæ à communi specie an differat.

In Regulo parãdo quid observandũ.

iicere iubet. *p. 78.* eidem affundit oleum: quam concilies velim. 14. Utrumque ut ante dixi, expectat, & uni parti olei, essentiam vitrioli veneris, alteri Aurum addam: Est enim eadem tinctura in auro & venere, & quidem in venere copiosior. Unde etiam Tincturam veneris semper maioris facit *Fr. Basilius*, quàm Auri 15. Ego calcinatum faciliùs solui puto, quàm crudum: Foliatum tamen etiam non difficulter solui existimo. 16. Commodam calcinandi aurum rationem esse puto, si cum Mercurio fiat amalgama, & posteà sulphure addito, & accenso Calx auri paratur. 17. Totum corpus auri sumendum puto. 18. Non dubito totum corpus auri solutum iri. 19. Corporis Solaris additione corrosivum omne aboleri existimo. Et quomodo in præparatione Butyri antimonij vis corrosiva Butyri antimonij, & spiritus nitri abit? 20. Tres partes aquæ ad unam partem corporis sufficere puto. 21. Ehumiditatem non abstrahendam, sed coagulandam existimo.

In venere tinctura copiosior quàm in auro.

Aurum calcinatum faciliùs soluitur quàm crudum.

Aurum potabile quod attinet, puto eius præparationem fieri cum Spiritu Vini sale suo fortificato. Et habetur processus in *Fr. Basilij Condessyani p. 50. & in arbore aurea. p. 46. & seqq.*

Aurum potabile quomodo præparetur.

Et licet spiritum vini fortificandi alij alios modos habeant, & nonnulli salem Tartari, alij salem è sarmentis vitium, alij salem urinæ sumant: res tamen eodem redit. Plura iam non licet. Ad reliqua Epistolæ tuæ capita aliâ occasione respondebo. Bene Vale, Vitebergæ. Ignosce festinæ scriptioni.

EPISTOLA VIII.

PERIOCHE.

1. *Auctori gratulatur, quod Catholici Libaniani præparationem meditetur, & socium peritum ad id opus assumpserit.* 2. *Expensarum partem offert, & medicamenti portionem desiderat.* 3. *Ad cætera Libaniani Catholici membra respondet.* 4. *Mercurij vitæ cum Arsenico adulterati observatio.* 5. *Eiusdem sublimati puritas unde probanda.* 6. *Ad eundem sublimandum an præmittenda in aqua forti solutio.* 7. *Aqua fortis ad Mercurij sublimationem compendiosa compositio.* 8. *Ad Reguli præparationem an certa Syderum positio necessaria.* 9. *Auctor de Auri additione pro Antimonio corrigendo reiicitur.* 10. *Auri potabilis cum spiritu vini sale suo fortificato præparatio, vera non est.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Rectè te, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, meas Lipsiâ accepisse, gaudeo. Serius autem eas quod acceperis causam ex iis, quas tradet Rhedarius Petrus, cognosces. Magno te Catholicon illud adipiscendi teneri desiderio, ad quod me *Libanius*, te verò ego per litteras extimulavimus, è proximis tuis haud obscurè intellexi. Tametsi enim plura alia habueris scriptionis argumenta, unum tamen hoc ex universo numero seligere, & ad id, ceu præcipuum, hac occasione, eum quidem in finem respondere voluisti, quò instantibus nundinis Lipsensibus responsum meum accipere posses, siquidem ad opus illud post easdem nundinas te accincturus sis, vel hac etiam de causa, quod studiosum operationum Chymicarum peritum ad manus habeas, qui te in isto labore iuvare poterit. Gratulor tibi cum de instituto, tum de laborum socio, præterquam ut tibi susceptum post benè cedat opus.

Sennerti Catholicon Libaniarum adipiscendi studium.

Quia verò tam ob causam in proximis meis recensitam, quàm Laboratoris, uti vulgò appellatur, defectum, te hoc tempore sum infelicior, age! me expensarum socium admittas, & medicamenti elaborati portionem aliquam participare permittas, dum ipsemet eiusdem elaborationi incumbere valeam. Respondeo autem nunc ad pleraque saltem membra, de quibus mihi nonnihil admonendus esse videbaris. Et primò quidem

Sennerto gratulatur de suscepta operationibus Chymicis.

Digitized by Google

Mercurius sublimatus quomodo adulterari soleat.

dem ad primum ista addo. Nimirum me suadere, ne Mercurium sublimatum vulgo prostantem emas, sed ipsemet domi pares: quandoquidem additione Arsenici adulterari soleat. Ob quam causam Mercurium vitæ, Nobili cuidam fœminæ in Ducatu Suiduicensi anno præcedente exhibitum, adeò malè cessisse, Medicus quidam Suranicensis non immeritò suspicabatur, suspicione ab effectu desumptà; quoniam cadauer, non solum mitis modis fuerit deformatum, sed vix intra diei naturalis spatium, tantà promptè putredine coinquinatum, vt ex leuissimo quantumuis attractu cutis statim abscederet.

Observatio Mercurij vita adulterati.

Mercurij sublimati puritas vnde probetur.

Mercurij sublimati puritatem hinc probari censes, si totus in aquâ soluatur. Quomodo autem solui ipsum putes, non satis assequor: Hoc sanè scio, quod in aqua decoctus reuiuiscat. Sublimatum dulcem ad opus nostrum esse vtilem, propter rationem à Fr. Basilio adductam facilè concedo. Mitto hic antimonij partem, quale habere potui. Exoptassem purius. Cures tamen in id inquiri Lipsiæ. Pharmacopœus enim noster dixit, se non ita diu optimi antimonij aliquot lapidum pondera illò misisse. Idem breui nouum adipiscetur. Si bonum fuerit mittetur de eo, quantum poposceris. Ad 2. Sine præmissa solutione in aqua forti Mercurium Sublimatum parari non posse, atque illos ipsos artifices, qui eum vendunt, prius in aqua forti soluere, scribis: Ego neutrum admitto. Quoad prius consule Auctores, & Experientiam. Posterius ob hoc mihi videtur dubium; quod Artifices compendia semper quærant, nec superfluos sumptus facilè impendant. Ad 3 Aquæ forti vitriolum Vngaricum sufficere putas. Ego tamen ob loca Basiliana, nuper hoc membro tertio allegata prætulerim ex vnione veneris & ♂ paratum. Quia verò processus Basilianus ad id petuenendi laboriosus, capesse compendiosum, Dantisco haud ita pridem amico cuidam transmissum, mihique ab amico isto communicatum. Immitte vitriolum Vngaricum aheno cupreo, idque affusione suffic. q. aquæ ad ignem dissolue, quamprimum efferuescit, suspende in liquorem fascem laminarum ♂, & sensim corrodentur laminæ. Quod impurius est subsidebit in fundo. Puluis spadiceus laminis adhærescens, pede leporino subindè detergendus. Continua coctionem, quoad vitriolum nihil amplius de laminis absumere deprehendis; post fac inclarescat liquor. Clarus effundatur, & ad tertias decoquatur. Ponatur in locum frigidum, & enascantur Crystalli. Ad 4. sæpenia sublimatione Mercurium semper plus salis ad solutionem auri necessarij acquirere putas. Obstare tamen videtur, quod è Barthis nuper obieci: scilicet vires plures menstruū non absumere, quàm quantitas ipsius permittat. Quin ad illud etiam respondendum erat; num videlicet verum sit, quod quidam volunt; per multiplicatas 🝞 occultas quasdam vires Mercurium amittere. Ad 5. Sal Gemmæ, an communi sit præferendum? quæsiui; non autem, an specie inuicem differant? Quis enim hoc facilè asserere ausit? Ad 6. Neque hîc ad rem respondisse videris. Non enim quæsiui, qua de causa Auctor Practica Arboris aureæ nitrum pro 🝞 Mercurij addiderit? Sed, annon sublimatus per eius additionem plus æquo corrosiuus euasurus sit? Ad 9. Si loca Basiliana proximè cum membro tertio, tum 24. à me in medium adducta accuratiùs perpendam: Regulum antimonij cum Marte paratum, omnino sumendum esse existimo. Quanquam enim Libauius ipsius non meminerit: tamen si meliorem ad conficiendi rationem expetamus, ab opere minimè excludendus videtur. Ad 10. certum syderum positum in Reguli præparatione non necessariò esse obseruandum, facillimè largior, qui Astrologicis istis alias haud ita multum tribuo.

Circa Mercurij sublimationem cautiones.

Vulgaribus Chymicis nō fidendum.

Aqua fortis præparatio.

Ad Reguli præparationē an obseruanda syderum positio.

Et memini, me ante aliquot annos, Regulum parauisse, susque dèque habito syderum positu: Stellam tamen vel secunda fusione statim comparuisse. Ad 12. Contradictionem Basilianam quod attinet, si verba spectes, vt conciliari possit, vix inuenio. Si verò ipsum processum p. 41. apud Dondesyanum, penitiùs intueatis, ab altero, qui est p. 78. diuersum haud reperies. Ecur enim vltimò nouum antimonium sumi, eique oleum antimonio Mercuriale affundi iussisset? nisi vt id Spiritibus sulphuris antimonij impregnaretur? Ad 14. Quod vtroque modo, tam scilicet cum, quam sine auro medicinam istam parare, cupis, laudo: Neque Bernhardum aliósve contradicentes vsque adeò moror. Maior enim apud me est Basilij auctoritas, quàm vt aliorum contradictionibus locum concedam. In particulari, quid possit Oleum sulphur. vitrioli Veneris, & Martis in Conclusionibus Basilij videre est: Cuius rei veritatem, suorummet oculorum testimonio comprobat Cacchemius loco aliàs citato. Scio, quendam in eodem particulari laborare: successum tamen planè nondum rescisscere valeo. Auctor practicæ Arboris aureæ aurum tandem pro fermento addit. Ad 16. De purgatione auri per antimonium, tertiò ante calcinationem instituenda, nihil quidem tu addidisti: Ego tamen & vtilem, & necessariam esse iudico ob rationem nuper indicatam Ad 19. Cum corporis Solaris additione, corrosiuum omne aboleri scripsisses, pro assertionis istius confirma-

Basilius explicatur.

Auri purgatio per Antimonium calcinatione præmittēda.

Antimonij vis corrosiua auri additione non deperit.

tione sequentia subiecisti. Quò, inquis, in præparatione Butyri antimonij, vis corrosiua Butyri antimonij & Spiritus Nitri abit? videris mihi ob festinationem, Butyrum antimonij, pro Bezoardico minerali, primo loco posuisse. Alia tamen hîc videtur, quàm in auri additione, ratio. Quippe ambo sua natura corrosiua existunt; corrodendi tamen facultatem, ob mutuam contrarietatem, & reactionem deponunt, non secùs, quàm in tartaro vitriolato euenire solet, in quo & spiritus vitrioli, & salis tartari vis corrosiua, ob dictam causam perit. Atque hæc sunt, quæ circa nominata membra monendus mihi videbaris. In cæteris bellè inter nos conuenit. Totum tamen processum secundùm cuius præscriptum Medicinam confecturus es, ordine ad me perscribas, velim. De auro potabili cum spiritu vini sale suo fortificato parando, quæ scribis, probè dudum mihi nota fuerunt. Ad hæc non auri potabilis sed dantaxat Tincturæ auri nomen meretur.

Auri potabilis præparatio cum spiritu vini auri tinctura nomen meretur tantùm.

Legisti sine dubio, quæ Antonius Anglus de sua auri solutione profitetur: quod nimirùm ferè totum aurum in liquorem abeat Perpende igitur, quæso ea, quæ nuper de hac materia ad te scripsi, attentiùs, ac responde paulò pleniùs. Benè cum tuis vale, & à nobis plurimùm salue. Dabam Breslæ, die 16. Aprilis, Anno 1627.

Antonius Anglus de Auri solutione.

EPISTOLA IX.

PERIOCHE.

1. Butyrum Antimonij decies rectificatum frustrà tentatum ad cuiusuis Metalli solutionem. 2. Bucretij Opera exoptat. 3. Brandeburgum à Cæsarianis occupatum.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S. Nuper meas, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, te à Lipsiensi Tabellario, rectè accepisse puto. Quibus hoc saltem addo, me in Amicum quendam incidisse hisce diebus, qui hactenus etiam in illa *panacea Libauiana* præparanda occupatus fuit. Monstrauit is mihi Butyrum antimonij seu Oleum antimonij decies rectificatum, sublcundum: sed sanctè mihi affirmauit, ab eo nec aurum, nec aliud vllum metallum solui. Itaque si solutio nulla sit, reliqua frustrà tentatur. Quæ res ipsa facit, vt ad operationem me nondum accingam. Scripsit ad me hisce diebus *D. Bucretius*, se mihi per te opera *Spigelij* à se edita misisse: Vbi ea acceperis, commoda occasione ad me mittas. Cæterùm vt litteras, & fasciculum adiunctum *Dn. Daniel Alberto* tradi cures, oro, qui eum *Caranium* perferri curabit. Cum iam hoc absoluissem redit Rhedarius noster, & tuas mihi tradit. Legi eas quidem; sed, aliis occupatus, iam respondere non possum. Faciam id prima occasione. De Brandeburgo à Cæsariano milite 12. Aprilis occupato, proculdubio inaudiuisti. Tendere iam dicitur *Spandauiam*. Deus tandem nobis pacem largiatur. Benè vale, & salue cum tua. VVittebergæ, 18. Aprilis, Anno 1627.

Butyrū Antimonij decies rectificatum frustra tentatum ad metalli solutionem.

Bucretij opera exoptat.

Brandeburgum à Cæsarianis occupatum.

EPISTOLA X.

PERIOCHE.

1. Exercitationes Pharmaceuticas & Chymicas Obseruationes publicas promittis. 2. Rhumelij Tractatus de Auro potabili certior fieri cupit. 3. Familiæ augmentum significat.

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Litteras tuas ſub finem Anni præcedentis rectè quidem me accepiſſe ſcias, *Vir Clariſſime, & Excellentiſſime, Fautor, & Amice plurimùm colende*, ad quas iam dudum reſpondiſſem, niſi propter dubia quædam per ipſum *Vulcanum* expedienda, mora mihi iniecta fuiſſet; inprimis & eam ob cauſam, quod hactenus in expoliendis, & augendis pharmaceuticis exercitationibus, & Chymiæ Operationibus per exempla declarandis, ſucceſſiuis horis laborauerim. Breui, σὺν Θεῷ, pleniùs mentem meam aperiam, etiam publicè, vnà cum reſiduis obſeruationibus, quas multi deſiderant, modò per Bibliopolarum infortunium idipſum fieri queat, viciſſim toties exoptatâ aureâ pace nobis affulgente. Authorem quem nominas *Rhumelium* de Auro potabili non vidi, nec etiam hîc apud *Dn. Collegas*, multo minùs apud *Dn. Senatores* quicquam de eo expiſcari potui. Quæſo per occaſionem de loco impreſſionis, me certiorem reddas. Hoc verò ſcias, nihil quicquam hîc Ampliſſimo Senatui oblatum fuiſſe. De *D. M.* in litteris tuis breuiſſimus fuiſti: miror, quid tandem nobis expectandum ſit. Familiam meam ſub finem anni præcedentis, filio quarto *Gregorio* V. Dei gratiâ & benedictione auctam fuiſſe ſcias, ita vt iam mihi numero quatuor ſint Filij: quorum quilibet ſorore gaudet vnica. Faxit Deus, vt diutiſſimè ſalui ſimus omnes & incolumes. Alias quoad publica, ſpe in terrâ, atque metum hîc quoque viuimus. Bene Vale cum familia, meque quod facis, amare perge. Raptim Vlmæ, 14. Maj, 1624.

Exercitationes Pharmaceuticas & Chymicas operationes publicas promittit.

Rhumelij Tractatus de Auro potabili certior fieri cupit.

Familiæ augmentum ſignificat.

EPISTOLA XI.

PERIOCHE.

1. *De Metallorum per Butyrum Antimonij ſolutione certa probatio.* 2. *Poterij litterarum participem fieri rogitat.* 3. *Dauid Albertus Bononiæ cum vita periculo captiuus.* 4. *Proceſſus Chymicus de ſale triplici è terra eliciendo.* 5. *Horſtius in Pharmaceuticis Exercitationibus & Chymicis Operationibus augendis & expoliendis occupatiſſimus.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quas tu, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, die 18. Aprilis ſtyli veteris, cum faſce adiuncto ad me miſiſti, ex heri demum per *Flandrinos* noſtros mihi traditæ ſunt. Mirabar profectò, tuum tam diuturnum, & iam in tertium quoque Menſem dilatum, ad prolixas illas meas reſiduum reſponſum. Vide igitur ſis, vt te & debito tuo, & me expectatione longiori liberes. Quæ amicus ille de Butyro ♁ retulit, ab eo videlicet, nec ☉, nec aliud metallum vllum ſolui, num experientiæ reſpondeant? reſcire facilè poteris, ſi id ſemel duntaxat rectificatum, vel ☉ folia vel calcem eiuſdem iniicias. Credaſne & tu? eos omnes mentitos, & non tam per ἐγχείρησιν propriam edoctos, quàm nudâ ſpeculatione deluſos, proceſſum dictum propoſuiſſe? Mihi nunc nec occaſio, nec otium veritatem experiundi datur. Opera *Sepigeliana* nondum ad nos peruenerunt. Scripſit nuper ad me *Bononiâ* optimus *D. Bucretius*, litteráſque adiunctas ad te ſpectantes vnà miſit. Si quid eorum, quæ ſecum communicauit *Poterius*, tibi concrediderit, vt eorum me participem facias, oro. Amicorum enim omnia debent eſſe communia.

Butyri Antimonij metalla ſoluentis certa probatio.

Sed heus! heri cum faſcem Patauinum tranſmittendum traderem *Dn. Dauidi Alberto*, triſte de hoc ipſo audiui nuntium, eum ſcilicet *Bononiæ* cum vitæ periculo captiuum detineri, Religionis proculdubio cauſa. Deus bonum, & verè doctum Virum liberet. Profectò valde me affecit iſtud ipſius infortunium.

Orat Poterij litterarum participem fieri.

Dauid Albertus Bononiæ captiuus.

Faſcem illum reddidit *Dn. Albertus*, hac ſola prætenſa cauſa, quod ad quem mittendus ſit, inſcriptio nulla doceat. Cum ergo obſignatus non eſſet reſcidi: & quia ad *Dn. Rhumbaumium* ſpectare ex litteris adiunctis intellexi, *Dn. Tiletio*, Affini ipſius tradidi: qui rectiùs fortaſſis eò perferri curabit. Oblatus mihi fortè fortuna fuit hiſce diebus *proceſſus* quidam *Chymicus*, ad vniuerſale, è ſale triplici è terra eliciendo elaborandus. Eum tu ab hæredibus *D. Greſſij* ſeriò petiniſſe, & impetraſſe etiam dicebaris. Videtur mihi non vſque adeò abſimilis eſſe diſcurſui in *Nouo Lumine Chymico* propoſito; præſertim per commentarios *Anonymi* illius Germanicos illuſtrato: cuius alijs etiam memini. Vt verò placet? Nudius tertius breuiſſimum reſponſum ab *Horſtio* tandem accepi. Promiſit ſe breui pleniùs mentem ſuam aperiturum eſſe. *Rhumelij Balſamotechniam* ſibi nec viſam, nec Senatui ſuo vnquam oblatam fuiſſe, queritur. Interea hanc cùm ſuſpenſi hactenus, tùm hoc abrupti reſponſi cauſam attulit; quòd in expoliendis & augendis Pharmaceuticis Exercitationibus, & Chymiæ Operationibus per exempla declarandis, ſucceſſiuis horis occupatus fuerit. Bene Vale, & à Nobis ſalue. An eas, quas proximo mercatu Lipſienſi, vnà cum ♁ miſi, acceperis? ſcire velim. Dabam Breſlæ, die 20. Iun. Anno 1627.

Proceſſus Chymicus de ſale triplici è terra eliciendo.

Horſtius in operationibus Chymicis occupatiſſimus.

EPISTOLA XII.

PERIOCHE.

1. *Auctor ſuum Doringio amorem teſtatur, filiúmque commendat.* 2. *Aurum potabile quodnam ſit præferendum, ambigit.* 3. *De Butyro Antimonij experimentum.* 4. *De Metallorum principiis quid ſit ſentiendum.* 5. *De Gemmarum viribus, Doringio ſubſcribit.* 6. *Proceſſus de ſale triplici è terra eliciendo Auctori non probatur.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Deſideraui hactenus ſæpius, *Clariſſime Dn. Affinis & Compater honorande*, Te cum tuis in hac mortali vita adhuc videre. verùm in iſto rerum ſtatu, an voti mei compos ſim futurus, dubito. Vt tamen aliquo modo deſiderio meo ſatisfiat, iſta, & alia præterea de cauſa, mitto ad vos Filium meum M. Danielem. Quæſo, ergo, eum ad menſem, aut quam diu placet, in domum tuam recipe. Ex eo ſtatum rerum noſtrarum rectiùs cognoſces. Cæterùm memini me adhuc reſponſionum ad aliquot litterarum tuarum capita debere. Aurum potabile quod attinet, neſcio, in tot proceſſibus quis præferendus; Et in re pretioſa periclitari hactenus nolui: Nec etiam periculum feci, adhuc in *Catholico Libaniano*. Nam communicauit ille Amicus mihi aliquid de Butyro ♁. conieci in id calcem Auri, verùm eum non ſoluit. Faciam tamen ipſe hac æſtate adhuc eius periculum, & ipſe Butyrum præparabo. Principia metallorum quod attinet, vt quiſque ea de re ſentit, ita loquitur *Bernhardus* redimiuus mihi ad manus non eſt. *Arcam Arcanorum apertam* legi; ipſe *p. 46.* ex aqua ſalſa è cauernis terræ deſtillante, cui vapor ſulphureus è centro terræ adſcendens occurrat, metalla generari ſcribit; quæ principia non multùm à vitriolo diſtare, aut certè in eo contineri videntur. Sed vt vt ſit, modus Lapidis Philoſophici, quem is ponit, cùm *clauibus Fr. Baſilij*, mihi nullo modo conuenire videtur: Nam ille ex minera plumbi, quæ ☽ continet, Mercurium & Tartarum elicere iubet, & ex hiſce coniunctis Lapidem præparare. Aurum verò quod ignem expertum ſit planè reiicit; vtpote in quo vis vegetandi & creſcendi igne periit. *Frater* verò *Baſilius* ſtatim in *prima claui*, Aurum per ♁ fundit. Ego certè conſenſum inter ſcriptores huius rei nondum videre potui. Vt quiſque ſentit, ita Authores alios ad ſuum ſenſum trahere nititur. De Gemmarum viribus tibi aſſentior, patent ex vel in Lapide Lazuli & aliis.

Doringio Amorem ſuũ teſtatur.

Filium commendat.

Aurum potabile quodnam ſit eligendum ambigit.

De Butyro Antimonij experimentum.

Quid ſentiendum de Metallorum principiis.

Lapidis Philoſophici modus reiectus.

Aurum ignem expertũ inutile ad Lapidem Philoſophicum.

Si *Spigelium Dn. Bucretij* accepiſti, iam ad me mittere potes. Si etiam de ipſo *Bucretio* certi aliud cognouiſti, velim id ad me perſcribas. Heri *Patauio* accepi litteras à *Dano* quodam, qui Menſe Martio *Bononiæ* fuit, & in litteris ſuis *Bucretij* mentionem facit: Sed de

Circa Gemmarum vires Doringio ſubſcribit.

captiuitate

Processus de sale triplici è terra eliciēdo Auctori non probatur.

captiuitate nihil meminit. Processus ille de sale triplici è terra eliciendo, inter chartas meas alicobi latet: verum videtur mihi non probabilis; cùm materiam nimis remotam quærat. Bene Vale, cum tua. Vittebergæ, 16. Iul. Anno 1627.

EPISTOLA XII.

PERIOCHE.

1. Catholicum Libauianum nondum perfecisse monet. 2. De curis mirabilibus VVoysselij certior vt fiat, precatur. 3. Ob negotia Authores à Doringio sibi designatos perlegere non posse, cæterosque vbi vacabit conquisiturum, denunciat. 4. Quid de Bezoardico solari Palmari factum sit, scire cupit. 5. Si quod periculum de Moschatis medicamentis, fœminis exhibendis fecerit, me tem Doringij exposcit. 6. Aliquot hac de re experimenta proponit. 7. Lingua nigra in febribus non semper malum signum est. 8. Decrementum febris quomodo ex lingua cognoscatur. 9. Huius rei causas quærit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Salutem, annumque nouum felicem! De Catholico Libauiano, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, nondum omnem curam abieci: sed succedit opera lentè. Hisce diebus butyrum antimonij parauimus. Pergemus etiam in reliquis. Si quid certi de curis mirabilibus *Pragæ* à *VVoysselio* peractis percepisti, velim me id certiorem facias. In *Guidone Magno de Monte*, vt & aliis huius generis Authoribus hactenus parùm legi: Neque enim otium mihi est ab aliis negotiis. Et despero ferè in hac ætate ex eorum lectione me aliquid profecturum. De *Condeesyano* hactenus etiam nihil cognoscere potui. In *Canepario* & *Palmario* conquirendo hactenus diligenter laboraui, & faciam idem post à quoque. Si conquirere non potero, vel mea exemplaria legenda mittam: sed præparatio illius medicamenti stimmiati, in *Palmario* non habetur. De Bezoardico eiusdem Solari quid factum sit, scire cupio. Athanorem *H. Conradi* fieri curabo: Et vt de studiis nostris aliquid addam. Si quid amplius interea de medicamentis cum moscho & ambra confectis fœminis exhibendis cogitasti, vel periculum fecisti, velim sententiam tuam mihi aperias. Video exhiberi Confectionem Alchermes Fœminis ab obstetrice Regis *Galliæ* in suo *Gynæceo*, vt & à *Guilelmo Fabricio*. Exhibetur iisdem Aqua Carbunculi: Et forsan talia ipsis non nocent, modò odorem non percipiunt. Et multæ sunt fœminæ, quæ ambræ, & moschi odorem benè ferre possunt. Deinde longa experientia obseruaui, linguas nigras in febribus rarò malum signum esse, imò *akmên* morbi præterisse, cum linguæ denigrari incipiunt; & rarò aliquem, cum tali lingua mori: cùm contrà plurimi cum linguis rubris, asperis, albis moriantur. Imò decrementum Febris non minus ex lingua cognoscere possumus, quàm ex vrinis. Nam primò tota lingua denigratur; hinc cuspis linguæ versus labia iterum ad colorem naturalem redit, quæ mutatio in dies versus radicem succedit. Radix verò linguæ vltimò ad naturalem statum reuertitur. Velim ergo ad me scribas, an idem obseruaris, & quænam sint huius rei causæ. Vxorem tuam meo nomine officiosè salutes, & ipsi etiam gratias pro beneuolentia Filio meo præstita, agas, qui ad me rediit, cum bono Deo, saluus & incolumis. Bene Vale, Vittebergæ, 10. Anno 1628.

Ob negotia Authores legere non vacat.

Palmarij Bezoardicum Solare.

Experimēta. De moschatis medicamentis mulieribus exhibitis.

Lingua nigra in febribus non semper male ominis.

Febris decrementum quomodo ex lingua dignoscatur.

EPISTOLA XIV.

PERIOCHE.

1. Doringius, qua ratione Catholicum Libauianum elaboraturus sit Auctor, & vt dilucidius Lampadis vsum explicet, orat. 2. Nouum Lampadis genus ad plures septimanas detectum. 3. Præ cæteris tamen Conradi magis placet. 4. Bezoardici solaris incertus est auctor. 5. Quid per Mercurium philosophicum, tum & rubeum & viridem Leonem Guido intelligat; vt proximè aperiat, efflagitat.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Catholicum Libauianum, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quâ viâ elaboraturus sis, scire velim. Paraturus idem ipsemet quoque modo Athanorem miserit. In eo Lampadis vsum non satis assequor: quem vt paulò dilucidius explices, oro. Addas etiam quale Elychnium tu vsurpes. *Conradi* Lampas si non responderet, noui iam aliam, quæ ad plures septimanas flammæ subministrat pabulum. Est & alia Athanoris forma cognita: *Conradi* tamen mihi magis placet. Intereà materialia pro isto remedio præparantur. Bezoarticum solare nondum elaboratum est: Quis eius inuentor fuerit, non constat. De miraculis *VVoysselianis Pragensibus* nunc minor rumor est. De certitudine nihil affirmare ausim. Expecto quotidie *D. Georgij Linckij I.C.* remedium, qui proculdubio rem omnem diligentiùs enarrabit. Vereor, ne idem de iis eueniat, quod de cuiusdam *Emperici Rustici* nouitij in Comitatu *Glacensi* medicationibus, scilicet nouitas magnum semper applausum meretur; Sed omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est. Exitus, cum Deo, acta probabit. Nosti quid de *Panacæa An-VValdina* olim factum sit. Tu è *senterino* omnem rem expiscari posses.

Lampadis Conradi genus ad plures septimanas.

Bezoardici Solaris incertus Auctor.

Quæso te lege *Guidonem*, & quid per Mercurium philosophicum, quin & rubeum & viridem Leonem ipsum intelligere censeas, proximè explices. Concede, item, rogo vtendum, si propriom pro me inuenire haud potes, exemplar tuum *anteparium*. *Palmarij* scriptum, si lectione dignum iudicas, vnà mitte. Remittentur sine damno cum gratia. *Basiliana* per Rhedarium accipies iuxta meum exemplar correcta. Noluì enim Tabellarium iis onerare. Benè cum tuis vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 16. Februar. Anno 1628.

Guidonis Mercurius philosophicus,

EPISTOLA XV.

PERIOCHE.

1. Auctor qua via Catholicum Libauianum paraturus sit monet. 2. Elychnium ad Lampadas commodissimum describit. 3. A Doringio nouum Lampadis genus inuentum poposcit. 4. Bezoardicum Solare promissis non respondit, Nec VVoysselius in praxi.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Catholicum Libauianum, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, nondum rectè cœpi, nisi quòd Butyrum antimonij paraui. Parabo autem ad modum superiore anno litteris, cùm ad quæsita tua, super hac re responderem, delineatum. Mitto iam Athanorem *Conradi*, præter Capellam cupream cùm

 non

non haberem idoneum artificem, qui eam pararet. Facilè *Vratislaviæ* inueneris, qui eam paret. De Elychnio hoc habeto, me nihil commodius inuenisse, quàm filum metallicum, *einen vergüldeten, oder silbernen drath, wie die Seidenstücker brauchen, oben ein wenig auf gebærstelt. Das gefäss. Zumbrandte wein belangend, kan der Herr Schwager und gevattersihme entweder ā dorglase buttien ein glaserne flasche mittenem rhærlein am boden auf der seiten, oder beym tæpfer ein verglassete machen lassen, dass sich das rhærlein fein inden canalem schicke, welche man mitt kuttt oder wachse zusammen fugen muss: Hernach kan man die flasche voll brandtewein giessen, und mit einer blasen fest zubinden, und darnach mit einer nadel etliche læchlein dareinstechen, dass so viel matten* Spir. Vini *zu der* flamma *zufliessen.*

Elychnium ad lampades commodissimum.

Gratam mihi tamen rem faceres, si & aliam Lampadem, quæ ad plures septimanas flammæ pabolum subministrat, mibi patefaceres: Vt & quid de Bezoardico Solari factum sit: sicut & quid *D. Vvorsselius* Pragæ præstiterit. Non nouum est, magnis pollicitationibus effectus non respondere. De *Canepario* & *Palmario* diligenter & apud nostros & apud Lipsienses inquisiui; sed frustrà. Mitto ergo meum exemplar *Canepari*, vbi eum perlegeris, remittere eum poteris. *Palmarium* mittere nolui: Nihil enim notatu dignum, quod intelligi possit, inuenio, nisi se leprosum curasse auro potabili, & antimonio *Snebelemii*, sed modum vtriusque præparandi non addit. Ad quæsita proxima responsum expecto. Vxorem tuam meo nomine officiose saluto. Mitto ipsi postillam *D. Balduini*, quam boni consulet. Bene Vale. Vittebergæ, 22. Febr. Anno 1628.

Bezoardicum Solare promissis non respondit. In Palmario nihil notatu dignum.

EPISTOLA XVI.

PERIOCHE.

1. Pro transmisso Athanoro gratias agit. 2. Vas Lampadum ex qua materia confici debeat. 3. Elychnium metallicum an idoneum sit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Pro transmisso Athanore, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, gratias officiosas ago. Pretium à Filij debito detrahere poteris. Vas pabulo flammæ excipiendo destinatum rectiùs, mea opinione, ex laminis, quibus reliqua constat fornacula, parabitur: Spiritus vini paulò maiores requirit sumptus. Oleum Oliuarum minoris vænit, adhuc minoris oleum sem. Lini, nisi fœtorem fortè auersemur. Nescio autem an tum Elychnium metallicum satis sit futurum idoneum? Æditui Pontifici in suis Lampadibus, vti audio, stipitibus spicæ bombacis pauxillo obuolutis vtuntur pro Elychnio: quorum vnus ad vnam atque alteram septimanam sufficit. *Canoparium* remittam proximè; nunc redeunt *Basiliana*.

Pro trāsmisso Athanore gratias agit. Vas Lampadum ex qua materia confici debeat. Elychnium metallicum an futurum sit idoneum.

Pro communicatione gratias officiosas ago. Ad quæsita tua vt respondeam otium non est. Faciam id alia occasione. Pro postilla *Balduini* Vxor præmissa salute magnas per me agit gratias. Bene Vale. Dabam Bresl æ, die 26. Martij, Anno 1628.

EPISTOLA XVII.

PERIOCHE.

1. Auctor cur Doringio multa non scribat triplex causa. 2. Auctoris filiam multi ad nuptias ambiunt. 3. Cui marito eam daturus sit, ambigit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Mitto iam quos expetis libros, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*. Multa verò vt scribam, iam nec otium est, nec curæ permittunt, eæque variæ, & triplex præcipuè. Primò enim reuersus sum heri primum *Torga*. Nam venerat ante octiduum huc *Elector* noster, & in morbum incidit, voluitq; vt se *Torgam* vsque comitarer. Recuperata valetudine Medici Cubicularij, sed à domo, vt vocant, munus mihi detulit. Quod etiam detractare honestè non licuit. Quæ cura etsi me nonnihil angat, minima tamen est hæc cura. Laborabo, quamdiu viuam: Post mortem dabitur optata quies. Secunda verò cura me magis affligit, filius nimirum D. Tertia cura est ob Filiam. Ambiunt eam iam tres Doctores Medicinæ: Etsi verò vni iam nuncium sit remissum, vtrum tamen ex reliquis duobus eligam, dubito, nec vllum hominem, quem in hoc consulam habeo. Etsi verò te libenter consulerem: quia tamen neutrum nosti, non video, quid consilij mihi suggerere possis.

Auctor Doringio cur multa non scribat triplex causa.

Auctoris filiam multi ad nuptias ambiunt. Cui marito eam daturus sit ambigit.

Res ergò Deo precibus commendanda erit. Salutes Vxorem tuam, & Benè Valete. Vitebergæ, 2. Aprilis, Anno 1628.

EPISTOLA XVIII.

PERIOCHE.

1. Quàm cauti debeant esse Medici in exhibendis medicamentis ambratis, dum fœminis medentur. 2. Quomodo talia medicamenta noceant. 3. Nigredinis linguæ causa. 4. Linguæ inspectio necessaria ad morborum dignotionem. 5. De Variolis & Morbillis in omnem hominum ætatem diris symptomatibus stipatis grassantibus. 6. Auctores qui de illis scripsere ferè omnes manci. 7. Differentia & prognostica. 8. Noua Variolarum species à Doringio detecta. 9. Rossalia, quis morbus. 10. Ingrassiæ iudicium de tali morbo. 11. Arabes an illum cognouerint. 12. Doringij animaduersiones circa discursum Ingrassiæ de Variolis. Morbillis & Rossalia. 13. Symptomata varia hunc morbum comitantia. 14. Quomodo terminentur. 15. De puella & puero Rossalia laborantibus historia & obseruatio. 16. De pulmonum hydropis generatione opiniones variæ. 17. Tum circa curationem. 18. Diureticorum formula. 19. Cur plura non scribat causas affert.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quod proximè non licuit, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, id nunc expedire nitor. Scilicet persto adhuc in ea opinione, cautum & circumspectum se gerere debere Medicum, si fœminis mederi velit, ne moschatis, vel ambratis medicamentis, passiones Hystericas ipsis concitet. Sint enim fœminæ quædam, vt certè sunt plurimæ, quæ talia benè ferant; cuiusmodi cùm *Fabriciana*, tùm *Gallicana* Obstetrix Regia Confectionem Alkermes exhibuit: quin non rarò à me quoque, verùm de tolerantia prius certiore reddito, impunè quibusdam exhibetur: Sunt tamen plurimæ quæ post talia, protinus suffocationem incurrunt. Suspicatus

Cauendum Medicis ab ambratis medicamentis dum fœminis medentur.

Suspiceris tu idem fusan non eventurum, si odorem non percipiant? At libenter scire velim, quomodo vel citra odoris perceptionem, talia intra corpus præbeet? vel deglutita, siue odoris exspiratione intra corpus latitare queant? Equidem tam spirituosa, penetrantia, & halituosa ista sunt, tamque pertinaci odore corporâ imbuunt, vt post multas horas exspirare deprehendantur. Quin imò non aliter talia fœminis quibusdam aduersari puto, quàm alia peculiari quadam antipathia certis quibusdam indiuiduis sunt inimica. Exhibeas enim tu alicui abstemio, v. g. caseum, vel inscium; qualia & quanta damna excitaturus sis, oppidò videbis. Nec nouum est, quosdam viros talium odore non minus, quam fœminas ipsas offendi.

Quomodo Moschus & Ambra fœminis noceant.

Obseruationem tuam de Prognostico ex linguæ nigredine instituendo, quod attinet, vt verum fatear, ad eam hactenus pari, ac tu, diligentiâ, non attendi. Facturus tamen id imposterum. Hoc nihilominus obseruaui, non semper tantùm ab eâ nigredine impendere periculi, quantum quod nonnulli sibi imaginantur. Causam ipsius quod spectat (nisi ab errore aliquo externo proueniat) ea vel humor est ater, vel fuligo, siuè vapor nigricans ea adustione humorum eò sublatus. Vndè mireatur vtrumque docebit *Prothus Casulanus in Opusculo suo de lingua*, quâ maximum est Morborum Acutorum signum. *l.* 2. *c.* 12. & *l.* 4. *c.* 6. Opusculum certè, re ipsâ, vti Author vocat, noui argumenti. In eius quippe *libr. cap.* 1. ex *Hippocrate l.* 6. *Epidem. com.* 5. linguam pro tertio præter pulsum & vrinam, morbos dignoscendi indicio æquè valido proposuit, eiusdemque necessitatem, contra *Santorium*, ipsam negantem, non infeliciter, vt mihi quidem videtur, *ibidem c.* c. propugnauit. Quæ omnia apud ipsummet *Casulanum* legere poteris: Neque enim vt ista operosius transcribam, opus esse iudico; cum Opusculum *Coloniæ* impressum, apud *Matthæum Smitz. Anno* 1656. facili negotio apud vestros Bibliopolas nancisci possis.

Nigredinis linguæ causæ.

Casulanus Opusculum de lingua scripsit.

Linguæ inspectio necessaria ad morborum dignotionem.

De *Variolis*, & *Morbillis*, Morbis, vt decurso Autumno, ac Hyeme, sic & hoc ipso Vere præter solitum, non infantes solùm catteruatim, sed prouectioris quandoque ætatis homines nonnullos affligentibus, nec vnâ tantummodò facie, verum multiformi erumpentibus, atque non paucos, vel interimentibus, vel alios affectus, ceu sobolem quandam post se relinquentibus, vt nonnihil in medium afferam, operæ pretium me facturum esse existimo.

Variolæ & Morbilli præter solitum grassantes.

Vbi initio istud tacere non possum: scil. Auctores, qui de infantilibus hisce morbis hactenus scripserunt, in enumeratione specierum vt plurimum esse mancos, & non nisi solarum dictarum duarum specierum meminisse; cum tamen experientia multò plures suggerat. Infantiles morbos dum appello, ad id, quod frequentiùs euenire solet respicio. Prouectioris enim ætatis homines, iisdem nonnunquam prehendi, cum *Giessæ* olim ante annos octodecim, tum superiore Autumno, atque Hyeme, vti paulò antè innui, obseruaui. Plures autem dari infantilium istorum morborum species, vel muliercullis nostris notum est. Proferam igitur ipsis vsitatas Nomenclaturas: quæ sunt *Blattern, schaffblattern, masern, und Rœtelen*, siue *Rœthelen*. Corruptè enim proloqui videntur: sub nomine *die blatern* Variolas communiter sic dictas intelligunt: quæ, veluti suprà dixi, non vnâ, sed multiformi facie erumpunt. Quippe aliæ minores, aliæ maiores, aliæ mediocres existunt. Aliæ præterea ichorosæ, aliæ saniosæ, vt sic appellem, apparent. Nonnullæ tardè, quædam immaturè prorumpunt. Quædam facilè, quædam difficulter, & cum grauibus symptomatibus, vtpote grandi calore, epilepsiâ, delirio, vomitibus, hæmorrhagiê, &c. expelluntur. Quædam protinus acuminantur, ac circulo cinguntur rubeo; aliæ subsidunt per multos dies, nec in altum colluntur; quæ si circulum habeant sublividum, lethales vtplurimùm sunt; reliquæ quidem minus, periculo tamen non vocant.

Authores qui de Morbillis & Variolis scripsêre omnes manci.

Morbillorum & Variolarum differentia à magnitudine, à materia, à motu, à figura.

Quædam citò, quædam lentè suppurantur. Salubriores sunt mediocres, minores saniosæ, maturæ ac facilè protrusæ, acuminatæ, ac celerem suppurationem suscipientes: quales rarò sui vestigia relinquunt. Reliquæ, vt periculosiores sunt; ita stigmatibus faciem misèrè deturpant, præsertim si vel maturius discerpantur, vel pinguibus illinantur, vel crustulæ subinde detrahantur. *Die schaffs blatern* per Chrystallos capitur *Ioh. Philippus Ingrassias de Tumoribus præter naturam, tom.* 1. *pag.* 194. Quoniam scil. in his quædam per vniuersum corpus dispersæ pustulæ efflorescunt, lupini magnitudine, plus, minusve altæ, ac instar crystalli resplendentes: Quibus deinde apertis aquositas quædam effluit. Hæ omnium minimè periculosæ sunt, & quandoque ea improuiso citrà notabilem calorem, & inualetudinem infantes præhendunt. *Ingrassias* nihil aliud quàm phlyctænas, bullásve ab *Auicennâ l.* 4. *fen.* 3. *tom.* 1. *cap.* 11. & 12. vesicas nuncupatas esse opinatur. *Die Masen* Morbilli sunt, qui grauibus nonnunquam, perindè ac Variolarum nonnullæ, stipantur symptomatibus; cæteroquin nisi error quispiam interueniat, non frequenter lethales. *Die Stetelen*, siue *Rœthelen*, à rubore proculdubio sic denominatæ, nostratibus sunt, pustulæ, aut vt veriùs nuncupem, tubercula pusilla, rubra, nunc magis, minusve copiosa, suis circumscrentiis vtplurimùm singulariter, ab inuicem distincta, acuminata. Morbillorum instar cum calore, ac tussi inuadentia; quandoque etiam hæmorrhagia, vel vomitus præcedunt. Disparent instar Morbillorum, & hac hyeme plerumque alui fluxu iudicatæ sunt: At hæc magis quàm Morbilli, periculo vacant. Nescio, an satis rectè ad *Migliarinum*, quasi, Miliare, seu Miliarinum *Ingrassiæ l. c. p.* 192. referre possim? eò quod milij granis ista tubercula non valdè sint absimilia. Hæc quandoque ceu morbus solitarius inuadunt; quandoque Variolis interspargunter; quandoque etiam his persanatis demùm superueniunt. Præter dictas species alia quædam insolentior, contagiosa tamen & ipsa ante annos aliquot primùm quod *Dominum Abrahamum Seilerum*, mihi obseruata est; Vbi quarto, quintò ve die à primo insulto, corpus vniuersum à capite ad calcem vsque tanto rubore perfundebatur, ac si vniversali erysipelate occuparetur: Terminabatur septimo, nonove die; rubore disparente sensim, atque Epidermide squamatim posteà decidente. Consului tunc super isto affectu varios Auctores: qui tamen eum agnouisset, vel descripsisset, inueni neminem, præter bis iam citatum *Ingrassiam*. Is enim *loco allegato p.* 194. peculiarem quandam morborum speciem, menstruum sanguinis, vti opinetur, occultam infectionem insequentem, introducit; quam *Neapolitani*, volgò *Rossaniam*, siuè *Rossaliam* nuncupent; Siquidem maculæ per vniuersum corpus plurimæ magnæ, ac paruæ ignitæ, ac rubeæ cum vix effatu digno tumore, instar multa (ita habet textus *Ingrassiæ*) seorsim distincta erysipelata, dispersæ sint, vt totum corpus ignitum appareat. Dices, istam descriptionem non quadrare affectui à me nominato: Imò verò quadrat, ejo. Si enim tempora istius affectus, puta, initium, incrementum, statum, & declinationem, diligentiùs perpendas, nullum non est tam simile, quàm meus iste obseruatus affectus *Rossaliæ*. Præterito namque Autumno aliqua multa exempla iterum mihi oblata sunt: quæ effecerunt, vt hactenus cùm diligentiùs paulò de eo cogitarim; tum pro singulari ad te scribendi argumento, eundem nunc selegerim.

Prognostica.

Phlyctæna morbillorum species.

Diagnosis & prognosis.

Migliarinum quid.

Noua Variolarũ species.

Durationis tempus & exitus.

Rossania siue Rossalia quid.

Verùm itaq, est de initio & declinatione, quomodo scribit *Ingrassias*, quod maculæ per vniuersum corpus plurimæ, magnæ, ac paruæ, ignitæ, ac rubeæ, cum vix effatu digno tumore, instar multa (agnosce verba *Ingrassiæ*) seorsim distincta erysipelata, dispersæ sint. Hoc enim liquidò affirmare possum, quod non tantùm in principio, res sic vti modò ex *Ingrassiâ* dictum est, reuerâ se habeat, Verùm etiam in declinatione, cum rubor iterum disparere, ac calor remittere incipit, maculæ, instar Perecchiarum hinc inde sub conspectum veniant. Postquam verò morbus ἀκμὴν suam planè assecutus est, totum corpus, vt loquitur *Ingrassias*, ignitum apparet, vt haud immeritò vniuersali erysipelati id assimilare queas. E tenuiore enim ac feruidiore sanguine perindè oritur iste rubor, atque omnium eliàs erysipelas, Malè *Gentilem* & *Nicolaum* Rossaliam cum Morbillis confudisse, ex eo contendit *dicto l. p.* 195. *Ingrassias*, quod sæpissimè distinctos esse affectus, suismet oculis, non aliorum duntaxat relationi confidens, inspexerit, atque non solùm in cute, sed visceribus etiam oculisque, & auribus, ac demùm toto corpore peculiariter efflorescere viderit. Quid? quod Morbilli racematim quasi venire soleant, quibusdam scilicet partibus per interualla aceruati. Ex Arabibus *Auicennam*, *Haly Abbatem* ceu testes introducit; quorum ille quidem *libro* 4. *fen.* 1. *tract.* 4. *c.* 6. *circa finem* sub nomine *Albamca*, siue, vt in antiquo sit Codice, *Albumera*, Rossaniam obscurè indigitauerit, cum eam aliquid de Variolis & Morbillis esse, & quod salutior sit ambobus dixit: Iste verò *l.* 8. *Theor. ca. c.* 14. & *l.* 4. *practica*, *c.* 1. distinctè desiniuerit sub nomine *Rubeole*; Morbillos interim sub Variolæ nomine comprehendens: Sic autem eam circumscribere ipsam ait. In rubore species est aliqua, quæ vocatur *Rubeola*, quæ ex sanguine fit calido, & subtili, & non multùm malo, & hæc species cum ad statum peruenerit, similis fit milij granis, aut paulò maior, & eius color rubeus, nec aperiuntur pustulæ, sed fluunt, seu resoluuntur.

Gentilis & Nicolaus male Rossaliam cum Morbillis confundunt.

Morbilli, quomodo à Rossalia differant.

Auicenna & Haly Abbas quid de Rossalia scripserint.

Rubeole descriptio.

At enim verò neuter (nisi me mea prorsus fallit opinio) *Rossaliam*, sed *Migliarinum* potius, quod Nostrates *die Rœtelen* vel *Rœttelen* nuncupare solent, innuere videtur. Et *Auicenna* quidem per prognosticum id satis declarat: dum istum affectum Variolis & Morbillis salubriorem, siuè salutariorem (vt ego interpretor) esse dicit. Quàm enim vehemens & periculosus affectus *Rossalia* sit, è sequentibus patebit.

Arabes non Rossaliam cognouerint.

Haly Abbatis verò descriptio *Migliarino* exquisitissimè congruit. Etenim. 1. nascitur hoc ex sanguine calido, subtili, & non multum malo. 2. Vbi ad statum peruenit, simile fit milij granis, aut paulò maius; cum in *Rossaliâ* vtplurimùm nihil præterquam cutis quædam asperitas deprehendatur. 3. Color eius itidem rubeus est. Cumque nihil de vniuersi corporis rubore adiiciat *Haly Abbas*; eò minus *Rossaliam* descripsisse censendus. 4. Nec aperiuntur vnquam, sed resoluuntur ipsius pustulæ, seu, vt magis propriè nominem, tubercula. Placet modum, siue ordinem, quo Variolæ, Morbilli, & Rossalia vnicuique iuxta *Ingrassiam* aduenire solent, adscribere. Nimirùm si vehementiùs febriciteut pueri & infantes, non Medicon

Variolarum, Morbillorum & Rossaliæ varius inuadendi modus.

modò

Digitized by Google

modò, sed ipsas etiam expertas Mulieres *Neapolitanas*, aliquam horum affectuum pertinere: præsertim in æstate, ac multò magis, si ex iis exuperans quædam species in vrbe sit. Nec decipi posteà: sed ita, vt timebant, sæpissimè succedere. Quin imò, quod maioris sit momenti, si puer quidem febriena Variolas antea passus sit; non eas, sed Morbillos expectare. Quod si vtrumque horum præcesserit, iam *Rossaliam* timere: præsenti autem animo permanere, nihil horum formidantes, quando puerulus omnes species iam expertus fuerit: rarissimèque falsas esse: quia scilicet bis aut ter eandem morbi speciem repatiantur. Ipsum verò subiicit *Ingrassias*, maximâ ex parte à nonnullis obseruatum est; quod Variolæ Morbillos præcedant, ac demùm *Rossalia*, siuè *Rubiola* adueniat: Priùs enim inquit, crassiorem sanguinem natura expurgat; deinde verò bilem, sanguini tamen adhuc mistam; & denique puriorem bilem, sanguinemque non adeò impurum eiicit: non secùs ac in cæteris etiam expurgationibus contingit, vt scilicet, quod secundo fertore reiicitur reuiuis, ac minus recrementotum sit. Atque hic est discursus *Ingrassianus*. Quem non ideò solùm transcribere volui, quod opus illud tibi vix ad manus esse subuereat: verùm etiam, quod cùm apud vnum huncce Auctorem cum repererim; tum vt meas cum ipsius obseruationibus, conferendi ansam luculentiorem haberem. Sunt tamen pauxula, in isto discursu, quæ animaduersionem quandam merentur. 1. Quod tres dictos affectus vnicuique obuenire scribit: Multos enim repertas; quibus vel horum nullus, vel vnus solummodò per totam vitam, vel *Migliarinum*, de quo suprà, contingit. Ego solos Morbillos bis passus sum. 2. Quod puerorum, & infantium duntaxat meminit, puellas autem exclusit: nisi forsan vel sub infantium nomine hasce comprehendere, aut potiore sexu denominato, sequiorem tacitè subinnuere voluerit. Illum enim non minus prædictis affectibus esse obnoxium, res ipsa loquitur. 3. Quod Variolas reliquas species maximâ ex parte præcedere ait: sæpissimè enim contrarium vidi, prælertim nuperrimè apud Filium natu maiorem & Filiolam *Dn. M. D. H.* vbi Morbilli primis diebus, mox Variolæ proruperunt. Quid: quod hisce diebus *Dn. B. Materialista*, vti vulgò appellantur viri, atque alteri infantium faciem Morbilli, reliquum verò corpus *Migliarinum*, maiore ex parte simul, ac semel inuaserunt. Quin non rarò multi vnam saltem speciem perpetiuntur, ceu paulò ante dixi: obseruaui etiam præteritâ æstate, puerum nouennem trium tantum hebdomadarum spatio interjecto, bis Variolis laborasse, & posteriore vice tam innumerabili eruptione correptum esse, vt non parùm miratus fuerim; quomodo tanta humorum saburra, post tot prupionata, cùm sub initium expulsiua, tum in declinatione cathartica, vel in corpore adhuc delitescere; vel tam breui interuallo de nouo accumulari potuerit? *Rossalia* tandem, quod vltimum accessum attribuit, in eo ad id, quod vt plurimùm ita euenire solet, proculdubio respexit: Eam enim reliquas species præcessisse in vno atque altero, lethalem verò fuisse gemino exemplo docere possem.

Ingrassia obseruatio de Variolarum, morbillorum & Rossaliæ exortu.

Doringij iudicium de discursu Ingrassia.

De Morbillis & Variolis obseruationes Doringij.

Cæterùm præter ea, quæ suprà de *Rossaliâ* annotaui, sequentia etiam præterito Autumno à me obseruata sunt. Nimirum vigent plerosque. 1. Grauis capitis dolores. 2. Catarrhi ad pectus & fauces delabentes; quorum illi tusses, & pulmonum inflammationes; hi pro materiæ diuersitate metum suffocationis, vel ob humores viscidos in vias respirationis decumbentes, vel tonsillarum, & adjacentium partium inflammationes inuehunt. 3. Calor vrentissimus; adeò, vt sublato lecto faciem adstantium non minus feriat, quàm si ad focum aliquem consisterent. 4. Sitis inexhausta. 5. Summa cutis siccitas & asperitas. 6. Vigiliæ assiduæ. 7. Deliria nunc magis, nunc minus grauia: quæ postrema, (vt hoc obiter quoque interspergam) pullorum columbinorum recenter dissectorum, atque calido cruore madentium impositione, haud infeliciter a me consopita fuerunt. Atque hæc in ipsâ morbi ἀκμῇ maximam partem visuntur. Vndè morbi istius vehementia, & periculum abundè liquet. In augmento nonnullis nares stillant sanguine: Omnibus verò toto morbi decursu appetitus prosternitur; & aluus obturatur: vrina impensè flammea est, crassa, & cruda. Pulsus ad modùm celer, ac durus. Vbi verò ad declinationem tendit, calórque ac rubor corpus paulatim deserere incipiunt; tunc demùm. 1. Maculæ illæ petechiales (quarum suprà memini.) 2. Rubor genarum, pulmonum inflammationis certus index; qui pridem propter vniuersalem totius corporis excandescentiam tàm distinctè animaduerti non poterat, conspiciuntur. Terminatur vt plurimùm translatione materiæ ad articulos extremorum, cum tam dolorifico tumore, ac robore, qualis apud verè Arthriticos esse solet. Hinc cutis reliqua corporis squamatim detrahitur. Mox pedes ad talos, & ad suras vsque tumescunt; venæ crassescunt, & tumescunt: hypochondria tenduntur primùm, & respiratio difficilis redditur, paulò pòst abdomen ipsum in tumorem attollitur. Isti autem non nisi magno labore, & post multas demum septimanas, ceu hydropici incipientes, ad pristinam sanitatem deducuntur.

Rossaliam symptomata comitantia.

Pulli columbini recenter dissecti, delirium sedant.

Genarum rubor pulmonum inflammationis certus index.

Rossalia quomodo terminetur.

Pueri difficulter ex tali morbo emergunt.

Doringij obseruatio.

Quomodo puellæ septenni, & puero nouenni internecioni fuerit, nunc adscribam. Scilicet cùm vterque in vado iam constitutus esse putaretur, præter expectationem, nouo symptomatum turbine abripitur, vitæque naufragium pati cogitur; illa quidem maturius, hic verò paulò seriùs. Cum enim consueta symptomata; vtpote 1. Intensus calor, 2. Rubor vniuersalis, 3. Sitis, 4. Delirium. 5. Catharrhus ad fauces. 6. Appetitus dejectus, &c. remisissent, cuticula squamatim excutiari inciperet, dolores quin etiam extremorum lenirentur: Ecce! Morbi die duodecimo nouus rigor puellam inuadit, quem nouus calor vrentissimus insequitur, tantâ prauorum sy[m]ptomatum syndrome stipatus, vt ante dici naturalis elapsum spatium vitæ cum morte permutario oboriretur. Ergóne, *mi Sennerte*, nemo moritur in morbi declinatione? Errorem aliquem interuenisse non memini. Solabatur quidem me loitto *Aph. or.* 58 *l.* 4. qui, si rigor febre ardente laboranti superueniat, morbi solutionem promittit, turbabat tamen pristinus non tantùm 46. *eiusd.* qui est; *si rigor incidat, febre non intermittente, ægro iam debili, lethale est*. Verùm etiam, & quidem cumprimis 29. qui, *si in febribus sexto die rigores fiant, iudicationem fore difficilem* docet. Respondet enim *duodecimus sexto*, quoad proportionem. Quo ipso tritum Axioma Medicorum verificatur: *In dies pares non incidit morbi motus, qui salutaris sit*. Puerum quod attinet, *Rossalia* quidem tota euanescebat: sed pessimam post se sobolem relinquebat; Quippe pedibus, cruribus, scroto, ventre, ac facie puer intumescebat; cum genarum nonnullo perpetuo quodam rubore.

In morbi declinatione an mors contingat.

Febricula irregularis ipsum fatigabat; tussiebat, sed pauca expectorabat, eáque spumosa saltem & pituitosa: difficulter respirabat. Septiduò ante quàm moreretur, noctu tantâ respirationis difficultate corripiebatur, vt non nisi erectus spiraret. Nullibi præ summâ anxietate consistere poterat; De pondere intra pectus conquerebatur subindè: stertebat moribundorum instar, Facie tota nunc pallescebat, nunc lurida reddebatur, nunc aliter pingebatur. Pulsus intercipiebatur frequentissimè, vt, & respiratio. Breuiter iam iam expiraturum adstantes credebamus omnes. Post exhibita discutientia, resoluentia, expectorantia & spiritus, ac cor reficientia, meliuscule nonnihil habere incipiebat, donec è meridie rupto pulmonum abscessu, & pus, & sanguinem atrum tussi educeret. De abscessu itaque certior factus instiri abstergentibus, putredini resistentibus, & expectorationem promouentibus; interpositis interim roborantibus necessariis sed, quid fit? Septimo à paroxysmo isto suffocatiuo die, anxietas eadem reuertitur, & circa meridiem ægrum perimit. Pareos itaque *Dn. T. S. Curiosus* in hac vrbe Scabinigraphus, cùm morbi tùm obitus caussam cognoscendi cupidus, suopte motu, vt corpus aperiretur, facilè persuasus est: Id quod etiam eodem statim die effectum datum est, præsentibus tam aliis, quàm *D. Franco. & Felse tuo*.

Pulmonis abscessus signa.

Abscessus pulmonum tractandi ratio.

Cum igitur pulmonem inflammatum fuisse, & in abscessum inflammationem dudum transiisse, ex signis, ceu è dictis abundè liquet, minimè fallibilibus didicissem, vt pectus primò omnium aperiretur, suasi.

Abscessus ex inflammatione.

Eo aperto, tota pectoris cauitas, aquâ citrinâ differta, pulmonesque ambo toti liuidi & gangrænosi conspiciebantur, Quin sinister dissectus in interiore suâ substantiâ, magnum itidem abscessum ostentabat, reliquaque ipsius substantia digitis contrectata facilimè diffluebat. Postquam ad abdomen peruentum est, innatabant simili aquæ tota intestina: Omentum propè consumptum videbant, & ad superiora retractum, hepar pro indiuidui ratione portentosæ erat magnitudinis, subpallidum, & iam longo, quâ ventriculum coniungebat, lobo præditum, vt non tantùm totum ventriculum tegeret: sed & in sinistrum vsque hypochondrium exporrigeretur, atque lienem, qui minutulus erat, de sede suâ versus renem sinistrum deprimeret. Vesicula fellea, & ipsa prægrandis erat atque pallescens, Hæc igitur & pueri est Historia.

Historia de aperto cadauere.

Hic autem non immeritò quis quærere possit; quænam viæ sint, per quas materia è pulmonibus, & pectore in articulos deferatur? Pulmones enim ac pectus vt plurimùm in *Rossalia* affici, non symptomata duntaxat suprà commemorata; verùm etiam pueri post obitum aperti Historia vix dum descripta, abundè testatum faciunt. *Spigelius de humani corporis fabrica l.* 6 *c.* 4. locum Hippocraticum ex *Coaca prænotionibus* expositurus, qui est: *Quibus totus pulmo inflammatus fuerit vnà cum corde, vt ad latus allabatur, hi toti resoluuntur, & iacet æger frigidus sinsus expers, moriturque secundâ, aut tertiâ die; si vero etiam sine corde rigorem*, (Cornarius & Spigelius minùs, pro *magis* ponunt, cum Græcus textus habeat πλείονα χρόνον) *magis diu viuunt; quidam etiam seruantur*: nullam aliam ob caussam, quàm consensum arteriarum intercostalium cum spinali medullâ, sese inuicem potuisse profitetur, Num per easdem ad articulos deuehatur in *Rossalia*? Tu cogitabis.

Materia in pulmonibus contenta quâ via ad articulos deferatur.

Spigelius an rectè locum Hippocratis exposuerit.

Porrò pulmonum hydropis descriptio, quam proponit *Hippocrates l.* 2. *de Morbis*, *cap. proprio*, tàm euidenter exemplo pueri modò dicti confirmata fuit, vt inde diuinus *Hippocratis* genius, & accuratissima, vel rarissimorum alias affectuum, diligentissimaque eiusdem obseruatio sufficientissimè demonstraretur. Exempla collegit *Schenckius l.* 2. ab *Obseruatione* 52. ad 57. ex Auctoribus aliqua multa. Vnum etiam habetur in *Epistolarum Medicinalium Horstij sect.* 11. *pag.* 455.

Hydrops pulmonis à multis obseruatus.

ex

Digitized by Google

ex Obseruationibus *Ioh. Bilgeri*, *Physici Campidunensis*. Aliorum ex *Francisco Riebino*, *Reaido Corumbo*, *Georgio Grafeccio*, & *Brunone Seidelio* meminit *David Lipsius* in suo de *Hydropis Tractatu Hermetico-Galenico*, p. 22. & *seq.* Tametsi verò recentes iste Hydrops à Medicis annotetur, & ab vno ferè, quod sciam, *Petro Salio Diuersô l. de affectibus particularibus*, *cap.* 9. præter *Hippocratem l.c.* diligentius pertractetur; facilè tamen adducor, vt cum *Ioh. Aichholtzio* apud *Schenckium d.l. Obseruat.* 53. cum in pluribus sæpè Asthmaticis existere credam: quod proculdubio inspectio frequens, si opportunè liceret, confirmare posset.

Quomodo generetur. Vernely iudicium.

De generatione ipsius haud præter rationem liceat esse sollicitos. *Fernelius Pathologia l.* 5. *c.* 11. serosum istum humorem, vel è cerebro per asperam arteriam, & pulmones tenuitate suâ affatim irruere, aut e reliquo corpore; aut etiam ex Abdominis capacitate (quod sæpè in Hydropicis animaduersum fit) eò cæcis ductibus redundare opinatur. Primam causam *Salius* planè reijcit; ideò fortassis, quod serum hoc nullam concoctionem admittat, nec in pus conuertatur, sicuti in destillationibus ad thoracem decumbentibus fieri solet; quæ de sententiâ *Hippocratis l.* 7. *Aphor.* 55. viginti diebus ad suppurationem perueniant.

Salij opinio.

Salius reijcitur.

Nec satisfacit mihi *Salius*, qui, cùm ob intemperiem præcipuè frigidam, pulmones ad fluxiones recipiendas pronos reddi, ita humores ichorosos in his aggregari scribit, quibus partes naturales frigida intemperie laborant, visceráque obstructa, & scirrhosa habent, & cum primis, si otiosè & in locis humidis, vel frigidis, & sub cælo consimili viuentes, potando diffugeant, cibísque humidioribus largiùs vtantur. Etenim licet id aliquando sic euenire posse non diffitear; In putrido tamen antedicto locum minimè meruit; vtpotè apud quem causæ omninò contrariæ præcesserunt; vt ex ipsâ morbi Historiâ patet. Præterea quod de febris complicatione addidit *Auctor Librorum de Morbis*, mea obseruatio verum esse comprobauit. Etsi verò *Salius* in suo nullam deprehenderit: Ratio tamen, quâ febris absentiam persuadere nixus fuit, admitti non potest.

Omnis humor putredinis capax.

Quasi enim verò humor ichorosus absolutè sit frigidus, ac propterea ad putredinem ineptus. Equidem nullus humor à putredine est immunis, vel nec ipsa bilis, quæ calida est & sicca. Tractaui hactenus per multos menses puellam Asciticam, ab humoribus ichorosis turgidissimam, quæ tertianarias recidiuas non vnas sed plures huc vsque sustinuit. Quin, quod ipsemet

Hydrops pulmonum an semper cum febre.

Salius concedit, ob diuturnam moram in thorace tractam materiam serosam nonnullam acquirere acrimoniam. Quidni ergò putrescere possit & febrem accendere? De qua re *itidem* olim in Disputatione mea *de febribus putridis*, generali, peculiariter egi. Putredinem insuper arguere videtur ebullitio, quam aure ad latera multo tempore admotâ sentiri, docet *Hippocrates*, vel quisquis Auctor fuit *librorum de Morb.* Quantumuis enim ὀζεῖν olere propriè significare, rectiùs tamen per *ebullire Ianum Cornarium* id transtulisse, eandémque translationem *Ioh. Opsopoeum* iteratâ suâ editione approbasse existimo, cùm odores non aure, sed naribus percipiantur. Quod ob rem quasi attingere volui. Præterea non satis assequor,

Salius sibi contradicit.

quomodo à contradictione vindicari possit *Salius*: dum non tantùm paulò antè ratione materiæ, quæ frigida est, & non putrescit, febrim non adesse debere, sed & post, eiusdem rationis, nunquam dari posse contendit, & tamen in intermedio sermone, si ichor acrimoniam nonnullam, propter longiorem moram acquirat, febrem aliquam ex leui quadam accessione ipsum causare, credere sese disertis verbis confitetur. Interim vt ichor iste non necessariò & statim semper putrescit, ita etiam febrim necessariò non introducit, nec febris proprium huius morbi signum est: quod *Salio* quidem liberaliter concedo, num tamen prædicta conciliari inuicem possint, haud adsequor. Non minor difficultas circà curationem oboritur. *Auctor librorum de morbis* scribit, si materia ad aluum erumpat, ægro statim se sanum esse & à morbo liberatum videri. Tale quid ex *Obseruationibus Brunonis Seidelij Lipsius* in medium producit *loco antea allegato p.* 23. Nimirum vidit is in æstate Anni 1555. *Patauij* apud *Gabrielem Fallopium* hydropicum in thorace, seu pulmone, & annotauit factam esse permutationem ad herniam aquosam; simulque per anum effluxisse aquam, & sic euasisse ægrum restitutum, integrum & sanissimum factum.

Hydropis pulmonum difficilis curatio. Lipsij observatio.

An per alui fluxum feliciter possit terminari.

Hæc sanè succedere fortasse crediderim, si non ex toto corpore materia ichorosa ad pectus deferatur; nec pulmones vsque adeò insigniter læsi, aut corrupti sint; nec denique viscera naturalia compatiantur. Secus enim si fit, tunc absque dubio temporis progressu, aluus intercideret, eadémque illa, vel adhuc amplius, patietur æger, ceu rectissimè prædixit *Auctor librorum de morbis*. *Aliquoties etiam intumescunt ventre, scroto ac facie: quod quidam ab inferno aluo esse putant, videntes ventrem magnum, & pedes tumentes; cum tamen hæc sequantur; si sectionis tempus transgrediatur*, subdit idem *Auctor*. Vt autem de vtilitate huius effati dubitem, in causâ est meus antea recensitus casus: in quo cùm hepar vitiosè constitutum, tum omentum propè consumptum visebatur. Quæ duo membra, præsertimque omentum, quomodo serum in abdominis cauitatem eructent, elegantissimè præ aliis nouissimè ostendit *Spigelius in suâ humani corporis fabricâ l.* 5. *c.* 6. *p.* 241. & *seq.* Sectionem verò ipsam quantum concernit, non ob causam duntaxat à *Salio* indicatam (quod videlicet præsentem solummodò materiam exhauriat, futuræ autem regenerationem neutiquam impediat) verùm etiam aliam (nimiam scil. pulmonum corruptionem, vt in meo subiecto vidimus) suspecta est. Et perindè res habet, ac cum paracentesi Asciticorum, quæ vt inutilis: ita periculosa simul est, magnámque administrantibus ignominiam parit, si corruptis visceribus instituatur: Reliqua medendi ratio, quam proponit *Salius*, non displicet, commodior tamen videtur via, si per vrinas serum propellatur: Hinc nempe, *Cæsar Maximilianus II.* plurimum auxilij sensit, qui pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad 20. annos laborauerat; vt liber ista ex oratione *Cratonis* super obitu Cæsaris eiusdem, repetit *Schenckius l.* 2. *Obseru.* 54. in hunc finem commoda futura erat sequens aqua: quâ inter cætera Anno præcedente curaui *Magnifici Dn. Melchioris Tauberi, Cameræ Imperialis*, isthic *Consiliarij*, Filiolam biennem, post periculosissimam diarrhœam, toto corpore tumefactam, & ab omnibus pro desperata habitam.

Sectio hydropi pulmonis an conueniat.

Salij curatio probatur. Quæ sit per diuretica commodior.

Aqua diuretica probata.

℞. *Rad. calam. aromatic. raphani marini*, an. ℥. iij. *rusci* ℥. j. *cortic. & sem. ebuli*, an. ℥. ß. Incisa & commixta cum hepate & pulmone vituli, infund. per horas 24. in aqua *app. cotulæ fœtidæ*, an. ℔. ij. *vini rhenani optimi* ℔ ij. F. s. a. è vasis vitreis destillatio; suspenso nodulo in alembico è *corticibus citri sicc. puluerif.* ℥. ß. Mirùm, quantâ copiâ vrinam quotidiè propulerit. Aliis post *Ressaltam* intumescentibus taliter mutaui. ℞. *Radic. calami aromatic. raphani marini* an. ℥. iij. *rusci* ℥. ij. *Herb. absinthij pontici, cotulæ fœtidæ, agrimoniæ*, an. M. j. ß. *sem. ebuli, sambuci, nucleor. persicor.* an. ℥. ß. *baccarum lauri* ℥. ii. Incisa & commixta cum pulmone, & hepate vituli infund. & destillentur, vt priora. Plura quidem scribere hac vice gestiebam; sed hîc terminum constituere, & quæ restant, in aliud tempus differre iubet podagra mea, quæ me nil tale metuentem nudius quartus inuasit & postero die in lectum coniecit. Litteras autem tuas rectè tradidit *Dn. Volckerus*, vti & libros cupitos Rhedarius Petrus. Liberos quod spectat, de primo tibi gratulor, de altero ex animo condoleo: tertium verò benè cedat opto. Sed finio, ac nos vtrimque Deo commendo. Dabam Bresslæ, In ipsa vigilia Paschat. Anno 1628.

Alia Doringij.

Doringius ex improuiso podagra affligitur.

EPISTOLA XIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor exemplar libri 1. Practicæ Doringio promittit.* 2. *Tractatum de febribus iterum prælo subijci monet.* 3. *Doringij iudicium postulat circa mota de morbo Vngarico dubia.* 4. *Vomitus an huic morbo conueniat.* 5. *Septalius Auctori contrariam defendit sententiam.* 6. *Ex solo sanguine in venis mesaraicis putrescente an febres continuæ possint excitari, cuiusque generis illæ sint febres.* 7. *Schatoni exilium dolet.*

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

Debeo adhuc ad litteras tuas responsum, *Clarissime Dn. Affinis & Compater honorande*, lubens etiam exemplar *libr.* 1. *practica* tibi misissem, si ad vos Rhedarius noster iter fecisset: Verum cum necdum de eo aliquam spem nobis faciat, expediam id proximis Nundinis *Noribergensibus*, per Mercatores vestros *Lipsiam* transeuntes. Nunc vt per postam hæc ad te darem, causa hæc est. Iterum prælo subijcitur iam *Tractatus meus de febribus*, qui etiam nuper *Lugduni in Galliâ* impressus est: Eum cùm in aliquot locis reuidendum censeam, de vno atque altero consilium tecum communicandum duxi. Et primò dubia aliquot de *Morbo Vngarico* mihi mouit *Medicus* quidam *Hamburgensis*, quæ ex eius litteris descripta ad te mitto. Et cum de eodem morbo te quædam meditatum esse sciam, oro, vt super dubiis hisce, tuam sententiam mihi exponas. Quò pertinet illud *Cobert. Decad.* 1. *Obseru.* 5. qui in morbo *Vngarico*, ad vomitum, tanquam sacram anchoram mox confugiendum censet, cùm nulla materiæ illius tàm copiosè in ventriculo stabulantis coctio expectari possit: sed quicquid ingeritur, in humorem ei qui antea in ventriculo hæret, similem

Auctor exemplar lib. 1. practica Doringio promittit.

Tractatū de febribus iterum prælo subijci monet.

Doringij iudicium postulat circa mota de Morbo Vngarico dubia.

Digitized by Google

similem mutetur. Vomitu verò illâ materiâ rejectâ, appetitus & sanitas facilè recuperentur. Deinde nosti, quid vterque hactenus de purgatione & sudoriferis senserimus. Nostræ verò sententiam planè contrariam cùm defendat *L. Septalius animadv. Medic. l. 5. a. 47. & 52.* præcipuè, & inprimis ad experientiam provocet, quæso, quanti eius rationes & experientiam facias, me certiorem facito. Tertiò, an non etiam ex sanguine in venis mesaraicis, sine bile, vel pituitâ, vel melancholiâ, qui humores, intermittentes febres pariunt, putrescente, febris continua excitari possit; cùm causa putredinis, quæ in venâ cavâ datur, etiam in mesaraicis detur; & sanguis in mesaraicis non minus, imò magis, quàm qui in vena cava, putredini obnoxius sit; & qualis generis sint hæ febres. Et cùm iam in *libro de febribus* imprimendo strenuè pergat Typographus, amicè à te peto, vt ad hasce Quæstiones tuam sententiam per Postam *Lipsiensem*, mihi quamprimum aperias. Constabunt mea officia, iterum tibi prompta & parata. *Dn. Schatoni* etiam ob religionem *Praga* exulandum esse, cumque *Sirnam* migraturum audio. Vxorem tuam à me, & meis omnibus saluta. Bene vale. VVittebergæ, die 17. Iunij, Anno 1628.

Septalius Auctori contrarius.

Ex solo sanguine in venis mesaraicis putrescente an febris continua possit excitari.

Schatoni exilium dolet.

EPISTOLA XX.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringij sententiam de prognostico ex lingua instituenda petit. 2. Casulanus quid de hoc argumento scripserit. 3. Auctor Doringium monet quorundam omissorum in Libro de Variolis & Morbillis. 4. In Haly scriptum de Variolis animaduersio. 5. Rossalia an dici queat Erysipelas. 6. Tussis in Rossalia vnde proueniat. 7. Variola etiam in viscerum superficie erumpunt. 8. Materia in pulmonibus contenta quomodo ad articulos detrudatur. 9. Hydrops in Rossalia quomodo generetur. 10. Pulmonum bona temperies quanti momenti sit. 11. Noua Morbillorum species ab Auctore obseruata.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS D.

SVt ad proximas tuas, quod restat, responsum, exsoluam, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quid de prognostico ex lingua instituendo obseruaueris, id vt ad me perscribas, oro. *Prosper Casulanus* equidem noui argumenti scriptum hac de re edidit, sed, vt mihi quidem videtur, pauca sunt in eo, quæ Practicæ inseruire possint, præter allegata *Hippocratis* loca. Quæ diligenter de *Variolis & Morbillis* scripsisti, grata sunt, vnum saltem atque alterum adhuc addo. Primò enim mihi videris omisisse, eam *Variolarum* differentiam, quam nostri *die Steinblattern* appellant, quæ sunt tubercula quædam parua sine multâ sanie, sparsim nec copiosè erumpentia, ... ferè minimè *Variola*, quæ penè citra febrem infantes inuadunt, vt raro decumbant; citissimè etiam sanantur. Deinde non mihi videtur *Haly Abbas* alium affectum quam vulgò notas *Variolas* & *Morbillos* descripsisse: Nam 8. *Theorica, cap.* 14. saltem sub *Variolarum* nomine facit mentionem. *Auicennas lib. ... c. 4.* vbi *Variolam & Rubeolam* nominans, vt procul dubio per *Rubeolam* intelligit *die Ritteln*, vt descriptio satis ostendit.

Auctor Doringij indicium de prognostico ex lingua instituendo scire cupit.

Casulanus hac de re pauca scripsit.

Auctor Doringium monet quorundam omissorum in libro de Variolis & Morbillis.

In Haly scriptum de Variolis animaduersio.

Rossaliam quod attinet, aliquoties eiusmodi affectum hunc obseruaui, sed quo nomine appellarem, dubius fui. Ad Erysipelas retulissem; & nonnulli etiam nostræ quidem *das Rotlauff* appellant, nisi hoc obstitisset, quod non adultis, sed potius infantibus accidit: vulgus ad *Morbillos* refert, dicitque *die Masern lauffen zusammen*. In Historiis tuis, quæ mihi gratæ fuerunt, hoc primò dubij occurrit, an tussis illa & difficultas respirandi à catarrho, an potiùs ab inflammatione pulmonis, quod mihi vero similius videtur, ortum habuerit. Deinde quod de loco sollicitus es, & viis, per quas materia, è pulmonibus, & pectore fluat ad pulmones. Ego verò hac curâ opus esse non puto; sed in eâ sum sententiâ, cùm Variolæ non solùm in externis partibus, sed etiam in omnium viscerum superficie erumpere soleant, idem in *Rossalia* accidere posse.

Rossalia an posse dici erysipelas.

Tussis in Rossalia vnde proueniat.

Variola etiam in viscerum superficie erumpunt.

Et de pulmonibus res extra dubium est, in visceribus tamen etiam efflorescere scribis *Pigrassius*, & in puero hoc omentum corruptum fuit, hepar pallidum, intestina aquæ innatauerunt. Vt credibile sit, è visceribus ventris inferioris malè affectis materiam ad articulos detrudi, & hinc etiam hydropem excitari. Quâ ratione autem aqua illa in pulmone, & thorace, generetur, omninò consideratione dignum. Ego in ea sum sententiâ, cùm hepar & pulmo frequentissimè simul afficiantur, (id quod in asthmate, vt hoc obiter addam, semper fieri puto) potest materia illa ex hepate per venam arteriosam ad pulmones deriuari, vel etiam in ipso pulmone generari. Cùm enim pulmo viscus sit, quod non solùm, pro sui nutritione alimentum coquit, sed etiam sanguinem cordi præparat, si malè habeat, in coctione illâ multa excrementa & etiam serosa generari posse, credibile est. In puero tuo cùm totum etiam abdomen aquâ repletum fuerit, ea procul dubio in pectus inde regurgitauit. Curationem quod attinet, siue alui fluxus, siue paracentesis frustra sunt, si viscera non sunt salua.

Materia in pulmonibus contenta quomodo ad articulos detrudatur.

Hydrops in Rossalia quomodo generetur.

Pulmonum affectu.

Cæterùm occasione *Morbillorum*, in memoriam mihi reuoco alium morbum quem non in infantibus, sed adolescentibus & virginibus etiam sæpè obseruaui, nec tamen, quantum memini ab Authoribus descriptum inueni. Erumpunt passim in corpore, præcipuè tamen in brachiis, tubercula quædam iis simillima, quæ è puncturâ culicum erumpunt, cum magno pruritu prorumpunt: quæ tamen post horam vnam atque alteram evanescunt. Et obseruaui in aëre calido ea disparere, in frigido emergere, quod forsan accidit, quia aër frigidus poros claudit, ne materia insensibiliter transpirare possit. Si à quodam descriptam ista tubercula legisti, me de eo mone, & simul quid de generatione eorum & curatione sentias, scribe. Scire etiam velim, cur radices acori veri seu calami aromatici vulgaris, ognætum diureticis admisceas, & an insignem vim diureticam in iis animaduerteris.

Noua Morbillorum species ab Auctore obseruata.

De radicibus acori vi diuretica dubitat.

Mitto tandem exemplar *libri* 1. *Practica*. Gratum fuerit, si per totum eum perlegeris, & si quâ in parte melior fieri possit, me monueris. Cæterum ad nos perlatum est, magnam vrbis vestræ partem incendio vastatam esse, quod quomodo ita se habeat me certiorem facere poteris. Plura jam non licet. Salutat à nobis tua, & Daniel noster, & omnes valete. VVittebergæ die 20. Iul. Anno 1628.

Promissum exemplar l. 1. practica mittit.

EPISTOLA XXI.

PERIOCHE.

1. Auctor morbum Doringij & matris obitum dolet. 2. Tractatus de consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis editionem nouam pollicetur. 3. Martinij obiectionibus tacito nomine iterum respondere statuit. 4. Quid de Butyro Antimonij obseruârit declarat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS D.

SNec litteris tuas priores, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, nec Dn. K. hactenus vidi. Doleo verò vises iterum febre tertianâ, doloribus Arthriticis, & curis ob subitum matris obitum conflictatas esse. Deus eas tibi restituat! Vt iam responsum tuum ad me quæsita de *morbo Vngarico* maturès, opus non est.

Auctor morbum Doringij, & matris obitum dolet.

Responsa super Vngarico morbo differre monet.

Potes id differre, donec meam mentem in nouâ editione videris; quæ hisce Nundinis *Francofurtensibus* absoluenda fuit, instante Bibliopolâ, cum *Lugdunensis* Typographus in *Gallia* librum cum etiam Typis excripserit. Cùm verò *Tractatus de consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis* nulla exemplaria amplius adsint, adornabitur intra paucos dies etiam secunda editio. In eâ pauca mutabo. De *capite* 11. saltem consilium tuum expeto. Dudum scripto *Martinij* respondi: Sed de tuo, & aliorum consilio id hactenus edere nolui. Nunc ita animum induxi meum, me illud caput saltem declarare velle, & vnâ operâ eius obiectionibus satisfacere, sed ita, ne *Martinius* nominetur: Sine conuitiis quoque, & vllo affectu rem saltem ipsam tractabo. De qua re quid tibi videatur, vt quamprimum mihi aperias, oro. Audio ipsum dudum expectasse meum responsum, vt haberet, in quo altercaretur. *Catholicum Libauianum* ex voto non

Tractatus de consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis editionem nouam pollicetur.

Martinij scriptum tacito nomine iterû respondet.

succedit

Quid de Butyro Antimonij obſeruarit, declarat.

ſucceſſit: parauimos Butyrum Antimonij clarum inſtar aquæ. Extraxit aliquid coloris, ſed aurum non ſoluit. Dubito, quid ampliùs faciam. Quid verò agitur de labore illo, quem Pharmacopæos veſter tentauit? Fila metallica mihi optimè ſatisfecerunt in Athanore. Bene vale, & tuam à nobis ſaluta. Vittebergæ, die 26. Auguſt. Anno 1628.

EPISTOLA XXII.

PERIOCHE.

1. Auctor Tractatum Itali cuiuſdam de luxatione Cartilaginis Xiphoidis deſiderat. 2. Cur multa ſæpe in Libris ſuis mutârit. 3. Tractatum de febribus cur auxerit. 4. Libri 1. Practica, editiones plurima. 5. In Tractatu de febribus ſibi non poteſt ſatisfacere. 6. Obſeruationes quas Doringius ex praxi contra vulgatam doctrinam obſeruârit, communicari ſibi peroptat. 7. Quid de vltima editione Inſtitutionum ſuarum ſentiat Doringius, ſcire vellet.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Tractatum de luxatione cartilaginis xiphoidis deſiderat.

Auctor cur multa ſæpe in libris ſuis mutaverit.

Tractatum de febribus cur auxerit.

Obſeruationes contra vulgatam doctrinam ſibi communicari peroptat.

Doringij iudicium de vltima Inſtitutionum editione poſcit.

Ad literas tuas reſpondebo, *Clariſſime Dn. Affinis, & compater honorande*, cum Rhodano noſtro, qui ſe poſt Nundinas *Lipſienſes* ad vos profecturum polliceturs, interim hæc præmittere volui, quibus oro, vt Tractatum illum Itali cuiuſdam, quem in tuâ Bibliothecâ eſſe ſcio, qui *de luxatione cartilaginis mucronatæ in pectore* ſcripſit, ad me mittas. Nam nec illud prætermittendum videtur; ſimul verò addas, quid ſentias de affectu illo, quem *Germani* noſtri appellant, *das* [illegible]. Cum verò nuper moneris, eſſe plurimos, quibus crebræ iſtæ in libris meis mutationes non placent, inſtituti mei paucis reddenda eſt ratio. In *Inſtitutionibus* meis poſtea nihil mutabitur; Verùm niſi crebriùs editæ fuiſſent, ad hanc formam nunquam perueniſſent, nec in MS. eas ad eam redigere potuiſſem. *Horſtius* quidem nuper quandam *Appendicem* edidit, ſed neſcio quo cum fructu. Practica *Inſtitutiones* pro Tyronibus ſcriptæ ſunt. Non credo iam [illegible] editiones exire.

De febribus Tractatum auxi, tum quia res ipſa poſtulabat, tum quia Bibliopola vrgebat, cùm *Lugdunenſis in Gallia* eundem typis excudiſſet. Poſthac forſan, etiam nihil mutabo. In practicis [illegible], & nouo de [illegible]. Eſt enim *liber primus* breui iterum excudendus, & Bibliopolæ [illegible], cùm à *Lugdunenſi* & *Pariſienſi*, Typographis etiam [illegible]. Tamen ea quæ addenda erunt, [illegible] in vltimam editionem, ſiue & meo [illegible], interim quæ annotanda erunt, colligam. Accipies tum *Tractatum de febribus*, in quo mihi ipſi nondum ſatisfacere poſſum.

Tuum erit, quæ contra vulgatam doctrinam ex praxi obſeruaſti, mecum communicare. Vltimam *Inſtitutionum* editionem ſi legere, & otium, & animus eſt, libenter mittam. Liberè id ſignifica, ac etiam & [illegible] noſtrum ſaluta, omnéſque bene valere. Vittebergæ, die 6. Octobr. Anno 1628.

EPISTOLA XXIII.

PERIOCHE.

1. Reſponſum ad quæſita de morbo Vngarico remiſſum gaudet. 2. Gillero reſcripturum ſe quamprimum promittit ſuper gemino quæſito de lapide veſica. 3. Auctoris mentem circa propoſita dubia poſtulat. 4. Caneparius Aurum potabile impugnat. 5. Doringij indicium de Magiſterio Auri Canepari. 6. Promiſſis effectibus non reſpondet. 7. Aurum per Butyri Antimonij affuſionem, an ſoluatur. 7. Alia Doringij preparatio. 9. Suum in Lampadibus laborem Auctori declarat. 10. Compoſitio ex ſolo Auro & Butyro Antimonij. 11. Particularis alia Auri præparatio

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Recuperatas vires Deo commendat.

Reſponſum ad quæſita de morbo Vngarico remiſſum gaudet.

Gillero reſcripturum ſe quamprimum promittit ſuper gemino quæſito de lapide veſicæ.

Auctoris mentem ea de re poſtulat.

Paulùſper tandem, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, vires amiſſas recolligere incipio. Deus eas magis, magiſque confirmet. *Dn. K.* cur ad vos nondum venerit, miror. Reſciſcam rem omnem à *Dn. Munnero*. Gratum autem mihi eſt, quòd reſponſum ad quæſita *de Morbo Vngarico* differendum, mones. Ineptus enim adhuc ſum ad tales meditationes. Accepi nuper etiam *Ratisbona* litteras, ab amico veteri *Dn. D. Luca Gillero*, qui ſententiam meam ſcire geſtit ſuper hoc quæſito gemino: Numquid lapis veſicæ, ſilicis inſtar durus, & compactus, nec facilè friabilis, per medicamenta ſic diſſolui & comminui poſſit, vt fruſtulatim è veſicâ excernatur? Atque inprimis, ſi quid *inde Paracelſi* hac in re tribuam? Reſponſum ipſi ob cauſam dictam itidem debeo. Tu me interea, ſi forte ad ipſum ſcripſeris, excuſa. Exſoluam me debito quamprimum potero.

De iiſdem quæſitis, quid tu etiam ſentias, ſcire velim. Placet inſtitutum tuum circa expoſitionem *cap. 11. lib. de conſenſu & diſſenſu Chymicorum cum Ariſtotelicis*. Non dignus eſt tenebrio ille, vt per te nomen ipſius in lucem protrahatur. Conferas tamen ſuadeo, quæ *Billichius* adfert in *ſua exercitatione de Natura & conſtitutione Spagyrices reſtituta*, tùm contra metallorum analyſin, ab aliis Chymicis hactenus communiter pro verâ habitam; tum aduerſus principia Chymicorum, ſub finem dictæ exercitationis. Remitto igitur huius cauſâ *Caneparium* prolixâ cum gratiâ, quo ſi nullum apud vos ampliùs illius exercitationis extaret exemplar, ex hoc tuo mentem ipſius cognoſcere poſſis.

Caneparius Aurum potabile impugnat.

Doringij indicium de Magiſterio Auri Canepari.

Magiſterium Auri ſaliforme promiſſis non reſpondet.

Pro me aliud, ſi haberi poſſit, oprarim. Multa adſert contra vulgares Chymicorum opiniones, inprimiſque acerrimè impugnat aurum potabile, quale nullum omninò dari, quod non ſit reductile, *Iſalam* Præceptorem ſuum ſecutus, apertè contendit. Magiſterium ergo auri ſuum, in quouis liquore ſolubile, & toti vnicè commendat, ſed ænigmaticis terminis mirè inuoluit. Tu iudica, numquid proceſſum ſatis rectè aſſequar. Soluo, inquit, ☉ in aqua ſua (ſcil. è ſale armoniaco & nitro parata) præcipito (per o°o tartari) præcipitatum cum reſinâ metallicâ purificatâ (flor. ſulphur. per ſal. & vitriol. ſublimatis) & aceto montano (ſpiritu vel o°o vitrioli) impaſto, & in crucibulo exſicco, vt euadat puluis inſtar boli Armeni. Huic pulueri affundo eſſentiam limpidiſſimam Balſami Catholici (ſpiritum ſalis) quam per arenam rurſus abſtraho, repetendo id vigeſies, & vltra (mirum ſi nihil tandem de auro alembicum tranſcendat) ita corpus auri in indiuiſibiles atomos, & puluerem tantum non impalpabilem redigitur, aptum iam ſolutioni, quam per liquorem acidulum (hic hæreo, num vel menſtruum temperatum, ex ſpiritu aceti & ſalis confectum, vel acetum deſtillatum, vel aquam à ſucco citri, aut limonum confectam, vel aquam aliquam cordialem ſpir. vitrioli acidam redditam, & c. intelligere debeam) inſtituo. Solutionem flaueſcentem, digeſtione triduanâ prægreſſâ, lento igne coagulo. Et ita habeo Magiſterium auri ſaliforme, ex pallido nonnihil flaueſcens, ſolubile in quouis liquore (de quo valdè dubito. Siquidem & *Baſilius* editionis *Condenſyanæ* p. 13. de ſuo idem pollicitus eſt; verùm ſucceſſus non reſpondit,) velut & quoad colorem, quem pulueri tribuit purpureum; cùm potius ſit ex pallido flaueſcens, niſi forſan error aliquis in præparatione commiſſus ſit, neque enim ipſe manum operi admoui.)

Aurum per Butyri Antimonij affuſionem non ſoluatur.

De *Catholico Libaniano* quæ addis, ea non tantum amici illius, cuius ſuperiore anno, menſe Aprili, meminiſti, narrationes: ſed & Chirurgi cuiuſdam in aulâ *Lignicenſi* ob ſingularem in Chymicis peritiam quondam clari, confeſſionem, (quæ ex ore *D. Wolffgangi Gaſtenis*, eiuſdem aulæ Medici, hauſi) comprobare videntur, quod videlicet aurum per Butyri Antimonij affuſionem non ſoluatur; ſed tinctura ſolummodò quæpiam, ex eo eliciatur: quamquam dubitare fortaſſis non iniuriâ liceat, an non ſuapte ſponte liquor iſte tandem coloretur? Quod vt ſuſpicer hic ipſe liquor me mouet, qui cum propter ſucceſſiuas meas ægritudines diutius per ſe in vitro aſſeruaretur; etiam in loco frigido, non leuiter rubere deprehendebatur. Quid futurum cenſes? ſi in caloro

per vnam atque alteram ſeptimanam detineatur: cum plura talia ſint, quæ diuturnâ digeſtione rubicunda fiunt. Pergas autem digerendo, ac videas, quò tandem res euaſura ſit? Ego per menſem eundem laborem in Athanore tracto: ſed hoc diſcriminis intereſt, quod ſulphur Veneris & Martis modo *Baſiliano* (qui habetur *part. 4. Operum MM. SS.*) præparatum æquali cum auro, iuxtà *Baſily* item præſcriptum elaborato; pondere addiderim. Mercurius ſepties diligentiſſimè ſublimatus fuit; liquoris triplum affudi: Mixtura omnem ferè liquorem abſorbebat; deinde poſt paucos dies Rubini inſtar tingebatur: Nunc quotidie liquor creſcit, ſed totus opacus redditur. Aurum in fundo paſtæ aut amalgamatis inſtar ſubſidet, nec per agitationem liquori permiſcetur.

Alia Doringij præparatio.

Poſtquam per 26. dies tractaſſem, supernè nigricantes quædam maculæ ac ſtriæ ſub conſpectum veniebant: quæ procul dubio incipientis putrefactionis indicium exiſtunt: Continuabo laborem hoc caloris vaporoſi (ſuper tripode enim hactenus phiolam collocaui) gradu per aliquot adhuc ſeptimanas, viſurus, quid tandem de materiâ iſtâ futurum ſit. Moleſtia equidem non caret iſtud opus tùm noctu, tùm interdiu: Neque enim æqualis, nunc propter pabuli profundiorem ſitum, nunc ſordes Elychnio adhærentes, nunc aërem humidiorem per ſpiracula infernè attractum, flamma ſemper ardet. Quamobrem intrà vnam, atque alteram horam de obſtaculorum remotione ſollicitum eſſe oportet: quod iam ego, iam vxor exequimur. Alùmen plumoſum maiorem moleſtiam peperit: Vnum enim elychnium ex eo Cannulæ inſertum, vix quatuor, ad ſummum horis ſuffecit. Vtor igitur iam filo goſſypino. Impono autem filum ſpithamæ longitudine: Id per dies tres, quatuórue durat, ſed eleuandum quandoque & emungendum, ſi flamma minor fit, & obſcurior. Pro pabulo, lini oleo vtor. Athanorem in cubili ſeruo; ne fortè noctu ignis extinguatur; atque ita opus interturbetur. Tu quale pabulum flammæ ſubminiſtres, proximè ſcribe, ac ſimul elychnium è filis metallicis contextum vnà mitte. Ego nouam planè fornaculam fieri curaui cum vſtulo, ne dum vel elychnium purgandum, vel fuligo capellæ fundo adhæreſcens detergenda eſt, totam fornaculam tollere cogar. Supernè tenuculâ lamineâ lapide ſpeculari interſtinctâ, vaſculum cooperio, cucurbitæ vitreæ loco.

Suum in lāpadibus labore Auctori declarat.

Pharmacopæus noſter Bezoardicum illud Solare, cuius aliquando memini, nondum tentauit. Tentauit autem eundem nobiſcum laborem ex ſolo auro & Antimonij Butyro: ſed aurum octonâ Mercurij ſuper eo deſtillatione inſtituta in calcem redactum ſumpſit. Hæc calx ad calorem candelæ facilè liquari dicitur: quod ipſum *Paracelſus* docuit *l. 6. Archidoxeos Magicæ* quem videre poteris. Duo iſta iunctem permixta ſtatim vniri, & acerrimo colore tingi Pharmacopæus aſſeuerauit.

Compoſitio ex ſolo Auro & Antimonij Butyro.

Nunc poſtquam vnum atque alterum menſem leni calore tractatum fuit, albeſcit iterum, & limpideſcit, veluti retulit. Ipſe enim opus non vidi: cùm Operario cuidam Chymico elaborandum domi ſuæ concrediderit, Facere autem non poſſum, quin particulare ſequens, occaſione ex dictâ auri præparatione deſumptâ, tecum communicem, quod non ita pridem ab amico quodam accepi. Nimirùm cape aurum optimi & Veneris rubicundiſſ. partes æquales, ſine dubio ℥. ß. Liquentur ſimul in tigillo: cape item de croco Martis, vt ſequitur, præparato ℥. ß. quem in 4. partes diuiſum, ſenſim ſuper metallis liquatis imponas, ac ſimul fluere permitte, dum ʒ. j. intuleris. Tam promptè quippe à metallis ſuſcipitur, & abſorbetur, atque oleum à molli corio. Hoc expedito, operculo probè contecta, fac fluant, per tres horas integras. Poſteà ſimili modo, atque ordine permiſce ſecundam, tertiam, & quartam partem. Hinc ab auro ſuperfluam Venerem ſepara (fortè per Saturnum) ac lucraberis intrà horas 12. ʒ. ij. aurum. Quod ſi de croco Martis plus permiſcueris, omne in aurum optimum conuertes. Crocus Martis ſic paratur. Cape croci ex chalybe vel ferro partem j. & calcis Mercurij (per aquam fortem paratæ) duplum. Fac euaporet Mercurius. Læuigato ſuper porphyrio miſce Mercurij communis tantundem, ac rurſum inde euaporare permitte. Repeta hunc laborem octies, & tam facilè ad ignem fluet iſte crocus, ac ♃ vel Saturni. Experiaris licet hunc proceſſum, & me de ſucceſſu certiorem facias: Habes enim qui iſtos labores iuuent. Inquire etiam de Marcaſita auri & Lunæ, ſi poteris alterutrâ, proceſſum meâ opinione non contemnendum, aliquando communicabo.

Alia Auri præparatio.

Croci Martis præparatio.

Auri & Lunæ Marcaſita.

Communices autem tu Marcaſitam dictam. Benè cum tuis vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 17. Septembr. Anno 1628.

EPISTOLA XXIV.

PERIOCHE.

1. *Lapis in veſica durus & minimè friabilis, vtrum medicamentis diſſolui poſſit.* 2. *Lapis mollior conteri poteſt.* 3. *De metallorum analyſi controuerſia varia.* 4. *Auctoris hac de re iudicium.* 5. *Billichius quid de Chymicis ſcripſerit.* 6. *Quid per liquorem acidulum intelligat.* 7. *Doringij mentem de affectu quodam Germanico, Auctor poſtulat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SQuod vires à proximo morbo collegiſti, *C. D. Affinis, & Compater honorande,* gratum eſt. Deus eas porrò confirmet & conſeruet. De Quæſtione *Dn. D. Lucæ Gillera*: Numquid lapis veſicæ, ſilicis inſtar durus, & compactus, nec facilè friabilis, per medicamenta ſic diſſolui & comminui poſſit, vt fruſtillatim per veſicam exeat, meminiſti procul dubio iam olim nos litteras commutaſſe. Ego ſum in eâ ſententiâ, lapidem ita conſtitutum medicamentis comminui non poſſe. Vel enim vires eorum ad veſicam integræ non perueniunt; vel ſi perueniant, vix fieri poteſt, quin in tranſitu alias partes lædant. Scis, qui nobis tum ſermo fuit, de ſpiritu vitrioli philoſophico per penem immittendo. Sed quis hoc etiam tentauit? Si tamen mollior ſit lapis, non impoſſibile puto, vt medicamentis conteratur. De quo *Guilielmus Laurembergius in Epiſtola de calculo veſicæ.* Controuerſiæ de metallorum analyſi, quæ hactenus inter *P. Laurembergium & Billichium* agitata eſt, & ad conuitia vſque peruenit, vt me immiſcerem vix conſultum puto. Interim ſentio, in eo rectè ſentire *Billichium*, metalla in liquorem ſolui non poſſe, ſine alterius rei additione: in eo verò ab eo diſſentio, quod negat, metalla in Mercurium abire poſſe. Sed forſan alio loco quid eâ de re addam, Neceſſe verò fuerit, vt ipſe prius, metallorum in Mercurium reductionem ſeipſâ exhibeam; poſteà forſan peculiare caput addam. Quæ habet *de principiis Chymicorum* in *libello* eâ de re ſcripto, legi. Perlegam & ea, quæ in *Exercitatione de Conſtitutione Chymiæ* habet: Sed iam ad manus non eſt; ideóque iam etiam iudicare non poſſum, an magiſterium eius rectè aſſecutus ſis. Dubito ipſe, quid ſit liquor acidulus; an acetum deſtillatum, an verò menſtruum temperatum. Puto, non multùm referre vtrum adhibeas. In *Catholico Libauiano*, aliquandiu certis de cauſis nihil peregi; continuabo verò illud. Quid de tuo interim factum ſit, ad me perſcribe. Ego vtor ſaltem igne carbonum, & facilè credo magnam eſſe moleſtiam, ſi Athanor oleo regi debet. Particulare illud ex auro & croco Martis tentabo, ſi prius à te reſciuero, an nihil referat, ſi crocum Martis hoc vel illo modo paratum ſumam, cum plures ſint eum parandi modi. Marcaſitam auri & Lunæ te faciliùs ex Vngariâ habere poſſe puto, quàm hic. Scribam tamen ad amicum quendam. Litteras meas *Lipſiâ* te accepiſſe ſpero: quibus petiui, vt *Italum* legendum mitteres, qui *de luxatione mucronata cartilaginis* ſcripſit, & ſententiam tuam de affectu, quem Germani, *das vvehthun*, nominant, & quibus ſignis apud vos cognoſcatur, & quibus remediis curetur, exponeres. Idque vt hac occaſione facias, iam etiam oro. Benè vale, & tuam à nobis ſaluta Vittebergæ, die 28. Octobr. Anno 1628.

Lapis in veſica durus & minimè friabilis, vtrum medicamentis diſſolui poſſit.

Lapis mollior medicamentis conteri poteſt.

De Metallorum analyſi controuerſia varia.

Auctoris iudicium.

Billichius quid de Chymicis ſcripſerit.

Quid per liquorem acidulum intelligat.

An qualibet croci Martis præparatio inſeruire poſſit.

EPISTO

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

PERIOCHE.

1. Doringius de vesica calculo medicamentis conterendo, Auctori subscribit. 2. Metallorum in Mercurium reductio Sophistica est. 3. Processus quidam Chymicus compendiosus & commendatus. 4. Clauei processus redigendi Mercurium in aurum vel Lunam. 5. Quid de affectu Germanico sentiat, Auctori respondet. 6. Morbi grauissimi curatio per vnguentum rubrum potabile, & oculos Cancri preparatos. 7. De varia libri 1. practicæ Auctoris editione quid iudicet.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Auctori de vesica calculo medicamentis conterendo subscribit.

SAL. Quæstionem de vesicæ calculo conterendo, proximis Nundinis Lipsiensibus, *D. Gillero* satis prolixè respondi. Tecum autem per omnia sentio. Sanè memini, ante complures annos eandem Quæstionem inter nos fuisse agitatam. Reductionem metallorum in ☿ quod attinet, neque ego per omnia *Billichio* assentior.

Metallorum in Mercurium reductionem ridet.

Interim tamen omnes illos processus pro Sophisticis habeo, quibus docetur, per additionem Mercurij siuè vulgaris, siuè sublimati, metalla in Mercurium conuertenda esse. Illic enim metallum in minima diuisum Mercurio communi permiscetur, hic pro Mercurio metalli Mercurius sublimatus resuscitatus saltem substituitur. Quia itaque intelligo, te in id incubiturum esse, & ipse potius metallorum in Mercurium reductionem exhibeas, quàm peculiare aliquod caput de ea conscribas: age! Processum sequentem singulariter commendatum, & præ aliis compendiosiorem tecum communicare placuit.

Doringij processus Chymicus compendiosus & commendatus.

℞ Vitrioli optim. ℔. j. nitri ℔. ß. F. ex his aqua fortis, cui admisce ¼ partem aquæ communis. Huic aquæ particulatim impone Saturni granulata, vel tenuiter laminati, tantum, quantum soluere potis est. Solutio collocetur in cineres, vel arenam, & aqua euaporare permittatur. Calx remanens continua probè edulcoretur, vt moris est. Calcis edulcoratæ ℔. j. adde salis armon. ℔. ß. tartari cum nitro ad albedinem calcinati tantundem. Trituratione inuicem exactissimè commixta indantur phiolæ, & putrefiant in fimo equino humido per dies 4. Si materia forsan nolit, humectetur pauxillo aquæ fortis, vel fimus perfundatur vrina. Post putrefactionem instituatur destillatio, per retortam, sine terream, siue vitream, ex arena, & egredietur Mercurius currens ex ℔. j. 12. 14. vel 15. lotonis. Signum perfectæ putrefactionis est, si materia laminæ cupreæ affricetur, atque eam colore albam tingat. Si ante destillationem parum aceti retortæ indatur, & vasi recipienti aqua frigida infundatur, operatio succedet expeditiùs. Quæso te, experire hunc processum, cum nec sumptuosus sit, nec laboriosus.

Perfectæ putrefactionis signum.

Dn. Samuel Romlus Dantiscì magnam spem in Mercurio Saturni ponit, veluti, ex literis eius, ad quendam Amicum scriptis, cognoui. Pro augmento Solari procul dubio præ communi longè vtilior erit.

Mutatio Mercurij in aurum vel Lunam.

Recordor nunc te aliquando coràm promisisse, quod *Gallorum Claue* processum redigendi ☿ in ☉ vel ☽ tentare velles. Tentasti-ne verò vnquam hactenus? Audio *Lipsiæ* nonnullos similem aliquem laborem non sine fructu tentare. Quid si augmentum illud, quod olim elaborabas, eiusdem originis fuisset? Tu de istâ re cogitabis.

D. *Carbolico Libaniano* nihil aliud scribere possum, quàm illud igne lampadis adhuc à me regi; & quidem calore vaporoso: Continuabo istum caloris gradum vsque dum 120. dies à primâ impositione præterfluxerint: Deinde in cineres per tantum fortè tempus ponam, experturus num siccari velit? Nigrescit superne hinc inde: cætera ruborem retinet, nec aurum solui cœpit. Pharmacopæi labor, vti his diebus narrauit, feliciùs succedit. Iam enim non siccata solùm est materia, sed & ad croceum colorem tendit. Dicitur è *Rudolphi II.* Imperatoris officinâ Chymicâ opus istud prodiisse. Particularis per me operæ tecum communicati periculum facias velim. Crocus ♂ vtrum primùm præparetur, nihil referre puto: dummodo ad faciliùs

Crocus Martis qua arte corrigendus.

ingrediendum per iteratam Mercurij abstractionem debitè corrigatur. Si præter Venerem par pondus ☽ addatur, maius haud dubiè lucrum sperandum foret.

Tu vtrum præstabilius sit? facilè explorare poteris. *Codronchij Tractatum de mucronatæ Cartilaginis prolapsu*, manu *D. Tiry* descriptum, hîc mitto. De affectu illo, quem Germani *das Verhoben* nominant, aliàs etiam si rectè memini, per literas contulimus. Iam verò in eas nec inquirere, nec vel hac vice meam de eo sententiam, cùm tuam ignorem, plenè patefacere possum. Hoc saltem impræsentiarum addo, mihi non probari *Cratonis* opinionem, qui alicubi in *Epistolis Scholtzianis* ad spinæ vertebrarum luxationem eum refert. Neque enim vel simile quid externus in dorso visu deprehenditur; vel gibbus, (quod fieri tamen oportebat, si curatio negligatur) sed febris vt plurimum alterius malignæ indolem repræsentans, non rarò subsequitur.

Doringij iudicium de Cratonis opinione circa affectū Germanicum.

Memini, me siue ex *Lucretio*, siue *Rhumbaumio*, *b. m.* Antecessoribus meis laudatissimis, audiuisse, quondam *Dn. Sebaldum Lauteum*, *p. m.* Pharmacopæum verè commendandum, è febre ardentissima non sine malignitatis suspicione lethaliter decubuisse: cumque Medici oleum & operam suis medicationibus perderent, ipseque *Lauteus*, (si benè memini) vel quis fortè alius, Medicos de grauis ponderis ante morbum sublatione admoneret, adeoque dicti affectus, de quo iam quæstio inter nos est, suspicionem iis incuteret, curandi ratione in ipsum directâ, & Vnguenti rubri potabilis atque oculorum ♋ præparatorum exhibitione (quæ duo præter viride Vnguentum, cuius descriptionem aliàs misi, nostratibus instar Panaceæ sunt aduersus hunc affectum) maximam partem absorptâ, paruo labore, & non multo tempore, præter omnium expectationem conualuit.

Morbi grauissimi curatio per vnguentum rubrum potabile & oculos cancri præparatos.

Rationes tuæ ob toties mutatas editiones valeant quantum possint. Mihi, vt ingenuè dicam quod sentio, non satisfaciunt. Gratulari tibi potius debebam de exterorum diligentia, qui in tuorum Scriptorum impressionem sumptus impendunt. Cùm enim Germani Bibliopolæ exterorum libros recudant, cur inuideamus idem studium in recudendis libris Nostratium exteris? Neque metuendum vt exemplaria illuc in Germaniam importentur: siquidem cum paucò ipsorum fieret lucro. Pro *Opere de febribus* gratias officiosas ago. Si nouam *Institutionum* editionem miseris, cum gratiarum actione eam suscipiam. Benè vale, & salue. Dabam Breslæ, die 14. Nouembr. Anno 1628.

Quid de variatib. practico Auctoris editione sentiat.

EPISTOLA XXVI.

PERIOCHE.

1. Auctor dolore podagrico grauiter affligitur. 2. Doringij circa huius doloris causas, & prognosim, sententiam quærit, aliàs ad reliqua Epistolarum capita responsurus.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SAL. Litteras tuas, Cl. Dn. *Affinis*, & *Compater honorande*, rectè accepi, ex quibus statum miserabilem totius *Silesiæ* intellexi: aliud responsum dare iam non possum, nisi hoc. Deus, vbi humana consilia deficiunt, adesit, & ἀπὸ μηχανῆς auxilium mittet, quod omnes optamus. De me etiam vt aliquid scribam, valeo aliàs, Dei beneficio, satis benè: Verùm manè circa tertiam & quartam, dolor quidam in cruribus me inuadit, qui primò saltem erat ex parte, qua tibia cum pede coniungitur. Nunc etiam suras, sed parte externâ tantùm, occupat, & quod manifestè sentio, à membranarum distensione prouenit, & post duas vel tres horas, sudore in cruribus euanescit, & quod mirum, quamprimùm pedes è lecto effero, citius sedatur, nec tota die recurrit.

Auctor dolore podagrico grauiter afflictus.

Ego quidem arbitror in sinistro hypochondrio esse causam huius mali: Verùm de eo dubito, per quas vias, & cur hoc solùm tempore, & ad hunc locum materia protrudatur. Quæso de eo tuam sententiam mihi aperi, & quid portendat, significa. Ad reliqua epistolarum tuarum capita aliâ occasione respondebo, iam non est otium. Interim benè vale, cum tuâ. VVittebergæ, Cal. Decembr. Anno 1628.

Huius doloris causa vnde quærenda.

EPISTOLA XXVII.

PERIOCHE.

1. Auctoris de Constitutione Artis Chymicæ Liber. 2. De auri augmento fama vana est. 3. Auri solutio quid sit. 4. De affectu Germanico Auctoris iudicium. 5. Medicamenta è mineralibus parata quos effectus præcipuos edant. 6. Antimonium diaphoreticum an sine periculo exhiberi possit. 7. Huiusce rei obseruatio. 8. Plica Polonica Scorbuto affinis. 9. Huius affectus curationem Medici Patauini non attigerunt. 10. Auctoris de affectu hypochondriaco disputatio. 11. Doringij sententiam, tum & aliorum Medicorum, hac de re petit. 12. Elixir proprietatis an hypochondriacis tutò propinari possit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SVt ad proximarum litterarum capita reliqua etiam respondeam, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, faciam ut Saturno in Mercurium recuperando periculum. Video omnes processus eò tendere, vt calx Saturni per acetum distill. & tartari sal viu fieret. Constitueram verò mecum miscellanea quæ iam Chymica addere, & peculiari capite ea *Tractatus de consensu & dissensu* annectere: verùm ne id sine ordine fieret, peculiare caput Appendicis loco, conscripsi, *de Constitutione Artis Chymicæ*, atque instrumenta, operationes, & opera Chimica in certas classes redegi, ita tamen, vt ea, quæ antea *in Institutionibus* explicata sunt, non repeterem; sed locum saltem indicarem. Atque hoc modo habeo occasionem passim, sed tamen suo loco, de Operationibus & Medicamentis Chymicis quædam monendi, atque istâ operâ simul discutiuntur Controuersiæ, quæ sunt inter *Petrum Lauremberglum & Angelum Salam*. Si quid ergò habes, quod rei Medicæ inseruire possit in hoc genere, id mecum communices, oro. Fama illa, de augmento illo, quod non sine fructu *Lipsiæ* tractarut, prorsus vana est. Acceperunt id à nostris Vitteberggensibus, qui non parùm pecuniæ cùm suo damno in hanc rem prodegerunt. Magister illius Artis iam mortuus est, qui multos, etiam Nobiles in viciniâ decepit, & pecuniâ emunxit. Vt verò scias, est illud ipsum augmentum, quod olim à *Lepo-rquo* accepi, & laboraui. De *Libaniano*, quid fiat, significa. Vix credo quod soluetur aurum; Verùm cum nihil aliud sit, quàm Mercurij, & auri coniunctio, an non illa ratio ad præstandi iniri posset? Si Pharmacopæo vestro labor succedat, fac quæso, vt modum habeam.

Auctoris de constitutione Artis Chymicæ Liber.

De auri augmento fama vanà est.

Auri solutio nihil est aliud quam Mercurij & auri coniunctio.

De affectu, quem Germani *das vvehthun* appellant, vt tuam sententiam habeam, meam prius subiungo. Non verò absurdum mihi videtur, causam eius in vertebrarum dorsi, aliquam luxationem referre, non quidem integram, sed subluxationem saltem quandam, ita vt sine vllo vestigio mali, extrà apparente, nerui ab eâ eo loci prodeuntes comprimantur, & membranæ tendantur, & ventriculus in consensum ob communem membranam trahatur: aut certè tensionem ligamentorum vbi os ventriculi annectitur. Nam vt illud credam, faciunt hæc. Primò quod pondere alicuius grauioris eleuationem malum hoc sequitur. 2. Quod luxationis correctione emendatur; quod & *Lattea* præstitit. Nam si grauius malum esset, non citò euanesceret. Nec febris, quæ coniungitur, aliud suadere debet: videmus enim partibus neruosis affectis facilè febres ac certè calorem febrili similem accendi, vt in dentitione infantium, doloribus nephriticis, & aliis videre est.

De affectu Germanico Auctoris iudicium.

Neruosis partibus affectis, facile febris exoritur.

Verùm hac de re etiam tuam sententiam audire cupio. Et quia Medicamentorum Chymicorum supra facta est mentio, hoc certum est medicamenta è mineralibus parata, duos præcipuè effectus edere, vel vomitum, vel aluum scil. mouere, vel insensibiliter vitiosos humores absumere, ac sudores mouere. Priori modo præparata vix satis tuta sunt, & quâ ratione id quod præstant, præstent, rationem reddere facile est.

Medicamenta ex mineralibus parata quos effectus præcipues edant.

Posteriore modo elaborata satis tuta sunt, vt in ♁ diaphoretico, & B zoardico minerali videre est. Quomodo verò vires suas exerant, ex te audire aueo. Et vt de ♁ diaphoretico aliquid addam. Consuluit me ante annum *Dn. D. Ioh. Mullerus Archiater Brandeburgicus*, an id sine periculo vsurpari possit. Non dissuasi. Felicissimè verò eo vsus est in Illustrissima quadam puellâ: Hæc enim cum diù multis vlceribus malignis inprimus circà iuncturas, aliisque etiam corporis partibus, laboraret, & multoties infusis purgantibus, aquisque sudoriferis è ligno sassafras, salsaparilla, vinóque è talibus parato, vltra annum vsurpasset, Chirurgo quoque satis perito officium suum faciente, nihil tamen ex omnibus commodi sensit. Tandem de *Dn. Theodori Deodati, Medici Regis Angliæ* consilio, meque id approbante, ad vsum ♁ diaphoretici prouocatum, quod singulis diebus manè cum aqua scabiosæ ad gr. xij. exhibuit, diebus saltem Canicularibus & feriis illis Medicis exceptis, atque ita feliciter illam restituit. Quid ergo tibi videtur, an & *Comiti meo* illud commodè exhiberi possit. Sperat enim & cupit integram sanitatem, quam à vulgaribus medicamentis ipsi vix perficere possum.

Antimonium diaphoreticũ an sine periculo vsurpari possit.

Huius rei obseruatio.

Aluum quidem iam naturaliter reddit, sed paralysis manuum, & pedum adhuc durat, & metuendum, ne & reliqua symptomata recurrant: Omninò ergo medicamento opus esse, quod vitiosos humores visceribus quidem impactos, & neruoso generi immersos, funditùs tollat. Et scio à nonnullis hoc medicamentum etiam in hypochondriacis affectibus commendari.

Antimonium diaphoreticum in affectibus hypochondriacis commendatur.

Forsan & ad Plicam exstirpandam aliquid facere posset. Et quia etiam huius affectionis mentio fit, quæso, vt Poloniæ vicinior, quæ de eâ comperta habes, mecum communica: Mihi quidem affectio ista Scorbuto valdè agnata videtur, ob symptomata, quæ habet coniuncta. Ediderunt quidem Medici *Patauini* hac de re aliquid: curationem tamen veram, vt mihi videtur, non attigerunt. Miror, verò quod Medici *Poloni* hactenus nihil experientiâ comprobatum ediderunt, vt qui inferiorem *Saxoniam* incolunt, contra Scorbutum. Mitto iam binæ exemplaria *Disputationis de affectione hypochondriacâ*, alterum *Dn. D. Muncero*, vel alij cuilibet, dare poteris; qui suas eâ de re meditationes mecum communicet, Quia verò materia hæc vt difficilis, ita vtilissima est, quæso ei perpendendæ temporis aliquid impende, & sit materia ista aliquandiu litterarum familiarium argumentum. Inprimis verò velim de eo mihi mentem tuam aperias, an Elixir proprietatis tutò in hâc affectione vsurpari possit. Sunt enim qui illud, vt in hoc, ita etiam in aliis affectionibus quasi pro Panacea habent, & ægris suis nomine Elixiris Anthypochondriaci vendunt. Deinde quantùm tartaro, & è tartaro paratis medicamentis tribuas. Tertiò an spir. vitrioli ♂ multum in hâc affectione præstare possit. Reliqua, quæ dubia sunt in ista disputatione ipse animaduertes, *Inspirationes* mittam proximis nundinis. Bene vale, & cum tuâ à me, & meis saluе. Vittebergæ die 20. Decembr. Anno 1623.

Plica Polonica, Scorbuto affinis.

Auctoris de affectu hypochondriaco disputatio.

Elixir proprietatis an in affectione hypochondriaco tutò exhiberi possit.

Tum & à tartaro parata remedia.

Post-scriptum. Quia non satis memini, an in proximis, vel etiam prioribus litteris Aurei dentis pueri *Silesij* facta sit mentio, id hac vice scribendum, vel repetendum putaui, *Dn. D. VVinklerum* ad me scripsisse, tibi è relatione *Doctoris Buretij p. m.* notum esse, quomodo ista fraus detecta sit. Quæso ergo quamprimùm illam Historiam integrè ad me perscribe. Processus cum croco ♂ mihi non successit. Noluit enim Mercurius ei misceri, & quamuis nouies à croco Martis euaporarit: tamen hic non factus est inde fluidus. Ac propterea metuo, ne in ☉ & Venere liquato ingrediatur. Interim moneo & oro, vt istâ per Postam occasione ad me perscribas, quid de efficaciâ Antimonij diaphoretici compertum habeas, & eâdem operâ addas, quid de medicamentis ex Antimonio ☿ & ☉ paratis sentias, & vnde vim suam habeant; præcipuè diaphoretica: etenim de vi vomitoriâ res planior est, & potiùs stimulando, quàm electiuè purgare videntur. De eo tamen dubium, an non humorem vnum potius quàm alium moueant. Non enim æquè feliciter in lue Venereâ Antimonium ac ☿ vsurpatur, & illa ipse per saliuationem præcipuè purgat. Quà vi verò eadem, vbi fixa facta fuerint, id quod agunt præstent, & an alia vis sit Antimonij, alia Mercurij, alia auri, & quæ, de eo tuam mentem hac ipsâ occasione ad me perscribas velim.

Processus cũ croco Martis Auctori ex voto non successit.

Antimonium & Mercurius non æquè in lue Venerea vsurpantur.

EPISTOLA XXVIII.

PERIOCHE.

1. De dente aureo fraus detecta. 2. De affectu Germanico Auctoris sententia. 3. Medicamenta antiscorbutica, an in lacte vel illius sero exhibenda. 4. D. Comiti quanam Therma conueniant.

D. MI

Digitized by Google

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

De dente aureo.

SLecticarium Dn. Comitis, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, meas tibi non tradidisse valdè miror: Erant earum sanè multa capita, quorum iam non omnium memini. Inter ea duo erant, ad quæ hic ipsa occasione respondeas velim. Primum erat, de aureo dente pueri *Silesij*: Audiui enim apud te esse Historiam fraudis illius detectæ, à *D. Buchero p.m.* communicatam: Eam ergò, cùm ea iam indigeam, nunc transmittas velim. Deinde cum velles, vt de affectu, *das vvebthun*, meam sententiam prius tibi aperirem,

Auctoris de affectu Germanico iudicium.

scripsi tum, mihi videri, non quidem esse luxationem, sed sublusationem aut tensionem quandam vertebrarum è regione orificij ventriculi, ob quam membrana, quâ orificium ventriculi spinæ Dorsi connectitur, tendatur. Velim ergo iam tuam sententiam mihi aperias.

Auctor dolore podagrico grauiter vexatus.

In illis litteris, quas, vt dictum, Lecticario tradideram, etiam me scripsisse memini, mihi manè circà horam quartam plerumque dolorem in pedibus molestum esse, qui eo loci, vbi Tibia pedi parti superiore coniungitur, valde vexat; quamprimùm tamen surgo è lecto, cessat, nec tota die redit. De quo quid tibi videtur, vnde ortum habet, & quid portendit? Deinde quænam causa est, cur qui de Scorbuto scripserunt, omnes ferè medicamenta antiscorbutica in lacte vel sero lactis exhibere iubent, cum tamen facilè corrumpatur lac, & obstructiones pariat. Scribit etiam *Eugalenus* vomitum in scorbuticis, sectius lacte, quam adstringentibus sisti.

Medicamenta Antiscorbutica an in lacte vel illius sero exhibenda.

Obseruationes de ♂ Diaphoretico etiam addas. De Thermis, quas valdè appetit *Dn. Comes*, quid et suadere debeam, dubito. Scio enim *D. Strobelbergerum Medicum* in Thermis *Carolinis* Thermas suas potas acidulis *Egranis* longè præferre. Et credibile est, si à mineralibus pendet vis, eam æquè in thermis, quam acidulis esse posse. Ipse maximè cupit *Topliczenses* quibus anteà vsus est, dicitque se paralyticum, in eas venisse, & post tres menses equitare potuisse. Vnguem etiam, quem ex Plica in pede habuit, decidisse. Bene Vale, cum tua, Vitebergæ, Kalend. Mart. Anno 1629.

De electione Thermarum pro D. Comite hypochondriaco.

EPISTOLA XXIX.

PERIOCHE.

1. *Auctorem sollicitat vt Tractatum de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis, publicum faciat.* 2. *Quid circa Catholicum Libauianum egerit.* 3. *Mercurium cum auro varij coniungendi modi.* 4. *De Antimonij diaphoretici viribus in calculo vesicæ.* 5. *Medicamentis Antimoniatis quantum Chymici tribuant.* 6. *Antimonij crudi dotes ex Basilio.* 7. *De Antimonio diaphoretico obseruationes variæ.* 8. *De Sala censura Antimonij, eiusque dotibus.* 9. *De ea experimentum.* 10. *Triplicis experientiæ in Scorbuticis super Antimonij diaphoretici vsu, historiæ.* 11. *In Scorbuto lenibus remedijs vtendum.* 12. *De vene sectione in nasi apice pro sedando delirio.* 13. *De specificis in Scorbuto.* 14. *De Antimonij diaphoretici vsu in fistulis.* 15. *De puluere Cor. achim.* 16. *Historia fraudis detectæ super dente aureo.* 17. *Doringij de effectu quodam Germanico iudicium.* 17. *De Acidulis Thermis pro D. Comite,* 19. *Eadem ad Scorbutum specifica.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SEt Mercurij Saturni elaboratio, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, & particularis illius è Croco Martis operatio, vt successerit, scire velim. Et quando prodibit in lucem *Tractatus de Consensu & Dissensu Chymicorum cum Galenicis*? Petiisti, vt siquid hoc in genere haberem, quo rei Medicæ inseruiri posset, id tecum communicarem.

Sanè sunt non pauca penes me quæ tamen tecum mihi puto esse communia, cum sciam, vndique ferè talia ad te transmitti. Augmentum illud *Lipsiensium* quod attinet, dubito illud ipsum esse, in quo tu alias laborasti. Huius enim initium, si rectè memini, ignorabatur. Hoc verò ad eum ferè modum, quo *Clauei*, perhibetur inchoari. Huius ergò in tu periculum aliquando feceris (id quod te facturum esse pollicebaris) cognoscere aueo.

Quid circa Libauianum Catholicum egerit.

Catholicum Libauianum antiquum obtinuit: Nec enim aurum cum sulphure Martis ac veneris solui, nec menstruum affusum coagulari cupiuit. Statim itaque sub anni huius initium liquorem omnem separaui; reliquum cinerum calore siccatutus, & detinui super fornace domestica hactenus: plenè tamen nondum siccari voloit, licet nihil amplius de Butyro antimonij affuderim. Pharmacopæi labor qui prima vice magnum quid promittere videbatur, & ipse totus vanus euasit: Ita nimirum fallunt processus. Tu mistoram istam nihil nisi Mercurij & auri coniunctionem esse dicis: qua in re *Salam & Bilichium* secutus es. Sed scis, quæ olim è Tyrocinio *Barthij* in contrarium adduxerim. Tametsi igitur multi alij sunt Mercurij cum auro coniungendi modi: Id tamen quod ex horum vnione resoltatum est, huic subiecto quoad vires vix respondebit, dummodo successus succederet. Vt verò placet *Barnouæt Crescentium metallicum* parandi modus? quem in sua *Encylopædia Hermetico-Dogmatica* proponit *capite de Facultate Metallorum germinatrice*. Ego, si hîc persistere liceret, vnam atque alteram fornacem extrui curarem, & non talium solum, sed & aliorum quorundam veritatem explorarem. Inprimis verò *Clauei* Augmentum, non cum vulgari, sed Saturni Mercurio tentarem: dummodò hunc conficiendi compendiosum aliquem ac certum processum nancisci possem. Nosti procul dubio, quanti hunc Artifices æstiment.

Mercurium cum auro varij coniungendi modi.

Clauei Augmentum cum Saturni Mercurio magni æstimatum.

Quod ad antimonium diaphoreticum, recordaris forsan eorum, quæ de ipso ante plures annos ad te scripsi; eum de id elaborandi ratione, cum eiusdem viribus. Memini, me olim à *D. Löscher p.m.* audiuisse, quod aliquando cuidam à calculo vesicæ laboranti id, verùm à nitro non repurgatum, per vnam, atque alteram septimanam, quotidiè octo granorum pondere exhibuerit: Cuius beneficio, non tantum multa mucosa per vrinas excreta fuerint; sed & calculos sectione tandem exemptus, admodum friabilis & mollis apparuerit.

Antimonij diaphoretici vires in calculo vesicæ.

Dubitare tamen haud iniuria possis, an non nitro potius, quam antimonio effectus iste adscribendus sit! Antimonialia medicamenta massæ sanguineæ repurgandæ, & grauissimis morbis depellendis, maximè esse idonea communis est omnium Chymicorum, sententia. Et sanè successum quandoque promissis respondere, res ipsa loquitur. Quo nomine nonnunquam. Empyrici Dogmaticis Misochymicis feliciores esse, & apud vulgus iisdem antepont videmus. Verum sæpènumerò est *Sala* pronunciatum *in Anatomia Antimonij pag. mih.* 93. æquè multos ægros malè curando perditos, & ad mortem adactos pusillanimitate, & tergiuersatione, aut animi incertitudine Medicorum quorundam doctorum, quam fortassis imprudentia, & temeritate arrogantium aliquot Empiricorum pellundaros. Massam autem sanguineam egregiè per ea repurgari *Basilius in Triumpho antimonij mihi p.* 142. *& seq.* Suum exemplo comprobauit. Si quis enim istos saginare velit suadet, vt triduo ante, antimonij crudi ℥.j. cum alimentis vnicuique porrigat. Per hoc enim totum corpus à quibuscunque impuritatibus optimè liberari, grandines etiam, si fortè adsint, tolli, appetitum excitari, & impinguescentiam accelerari profitetur. Quod testimonium tametsi Rusticum sit: magis tamen instituto accommodatum esse censeo, quàm quod alij ab auri repurgatione desumunt. Maior enim animalis, & præsertim suum, si *Galeno* credimus, quàm metallorum cum homine est cognatio, & affinitas. Vt autem ad Diaphoreticum redeam commendatur id (quanquam paulò aliter, vti vulgò solet, concinnatum) à *Basilio ibidem p.* 170. ad interna Apostemata. Idem quid apud meam Matrem p. m. olim externam inflammationem præstiterit, tum temporis, per litteras significaui. Quod si verum est? nouos pilos, post ipsius vsum ge-

Medicamentis antimoniatis quantum Chymici tribuant.

Pusillanimitas & temeritas in Medicis damnata.

Antimonij crudi dotes ex Basilio.

Galenus quid de metallis sentiat.

De Antimonio experimenta varia.

nerati, quemadmodùm de eo pollicetur *Basilius pag. seq.* ad *Plicam* fortassis exstirpandam nonnihil conducere posset. Tu quod de ea *inprima praxeos parte* nihil doquetis, miror. Poteris, si non fecisti, dudum indolem eius, à *Dn. Comite* & ipsius Medico, penitiùs cognoscere. Ego de ea nihil compertum habeo, & vix aliquem, præter *Arcularium* meum, qui ea afficitur, noui. Valdè agnatam esse Scorburo, nescio, an satis firmis documentis probatur sis? Meus certè *Acularius* cætera benè valet, nec de vllo symptomate molesto, quod sciam, conqueritur. Et si tanta sit cognatio, cur carnis viperinæ vsus *Dn. Comiti* tàm malè cessit Cogitabis itaq; hac de re imposterum diligentius. Affine antimonio diaphoretico illud est medicamentum quod *Sala in Anatomia antimony mihi p. 133.* Cerussam antimonij nominat, & ad inueterata vlcera caterna, aliosque morbos cutaneos mirum in modum, propria experientia sic edoctus, commendat, præstantioresque effectus, quàm omnes potiones, è decoctis Ligni Gotiacini, Sarsæparillæ, Chinæ, aut aliorum vulgarium remediorum, in hunc finem vsurpari passim solitorum, paratas, edere profitetur. Anni sunt quidem octo, cum pro fœmina quadam, vlcere cruris laborante consultatio institueretur: proponebatur à *VVorffelio* dicta Cerussa, vtque faciliorem assensum impetraret, remittebamur ad *Sala* testimonium. Annuimus igitur, denique nos reliqui, ipse medicamenti doses aliquot subministrabat. Fecimus periculum: verùm quia magnam inde ventriculi subuersionem ægra patiebatur, post tertiam, quintamve dosin ab vlteriore vsu destitimus. Ab eo tempore istud medicamentum planè auersatus sum. Securius multo exhibetur vulgatum alterum diaphoreticum. Periclitatus sum ipsius successum in tribus potissimum indiuiduis: Quorum duo *Scorbuto*, tertium antiquo capitis dolore cum aneurismate in vertice ad suturam sagittalem, afficiabantur. Ægrotorum vnus fuit *Cameræ Imperialis Consiliarius*, vir 57. annos natus, constitutionis paulò ante hac obæsioris, & à plurimis annis vlcus in rene sinistro, post ingentes Calculi dolores perpessus: vereor, ne ob Medicorum aliorum siuè imprudentiam, siuè ignorantiam, malum aliquantò altiores radices tum egerit. Quippe, cum *Glacio*, vbi vltrà annum substitit, reuersus esset, ingentes Lienis dolores, cum nonnulla intumescentia, patiebatur: Gingiuæ ad dentium radices vsque erosæ erant, & mirum fœtorem emittebant. Vbi semel atque iterum leni remedio purgaretur, & aquâ meâ Antiscorbutica aliquandiu vteretur, atque inunctiones, & Emplastra adhiberet, non tantùm lienis tumor, ac dolor euanuit, sed & gingiuarum putredo cessauit, fœtórque omnis disparuit. Successit posteà scapularum & suræ pedis sinistri dolor vlcerosus vehementissimus, ac si partes istæ excoriatæ essent. Idem dolor, quandoque etiam externas cùm pectoris, tùm abdominis partes, atque nunc hoc, nunc alterum latus; quin imò nonnunquam omnes ferè simul, lancinauit.

Plica Polonica etiam conducit.

Sala Cerussa Antimony, eiusq; dotes.

De ea experimentum.

Antimonij diaphoretici successus varij.

Scorbutica symptomata.

Quamobrem cum cura pro voto succedere nollet (quam tamen solitam tum aëris nebulosam pluuiosam constitutionem plurimùm retardauisse arbitror) Conditum ipsi præscripsi, ex appropriatis, eique fœculam Rad. Ari & antimonium diaphoreticum permiscui.

Quo cum per dies plusculos vsus fuisse, dolor scapularum mitigari sensibiliter cœpit adeò, vt eo ferè in totum abacto, & viribus mediocriter recuperatis iter *Oppauiam* versus in *Silesiam*) vbi *Commissarij Cæsarei* munere iterum fungi debebat (superiorem ingredi posset. Quia verò negotium istud in aliud tempus differebatur, *Nissam* concessit: cumque ibi per mensem vix substitisset, & alterius Medici, (qui meam in curando lenitatem superciliosè culpauerat, & maioribus remediis ægrum tractandum esse imperitè satis iactauerat) operam adhibuisset, inopinato catarrho suffocatiuo extinctus est.

In Scorbuto lenibus remediis vtendū.

Alter, quem dixi, Scorbuticus *Cameræ* eidem *Imperiali* etiam est addictus, & Rationum *Consiliary* (*Raitungs-rath*) officio fungitur. Hic ipse annus aliquot suprà triginta agit; Plethoro-cacochymicus, intemperantissima ante hac victus ratione vsus, vini generosissimi non duntaxat, sed & Absinthitis, nec non adusti, vel noctu, potui deditus, præter varios alios affectus, Catarrhis Suffocatiuis semel atque iterum, ante quadriennium, verè post graues Colicos dolores, extremorum etiam Conuulsionibus aliquoties correptus fuit. Tametsi igitur ad meliorem victus rationem ineundam quàm diligentissimè à me admoneretur; verùm cùm deprauatissimam istam potandi consuetudinē emendare nollet euenit vt viscera, magis, magisque debilitata, heparque mirè accensum, ac lien multis obstructionibus oneratus fuerit. Hinc faciem pustulis instar Elephantiaci turpissimè defœdata, crura latissimis ex rubro liuescentibus maculis picta, subtumidam vniuersi corporis molem, crebrasque ventriculi eructationes ac lancinationes, (quas ingestâ panis buccella & superbibito vini haustu, sese depulisse, huiusque rei causa panis particulam secum semper circumtulisse, testatus est) quin & Hæmorrhoidum fluxum quandoque nactus est. Vt alia mala sicco pede prætercam. Hunc circà Festum *Natalitiorum* mira prehendit ad somnum circà meridiem procliuitas; post ter tertio quoquo die satis grauis inuasit paroxysmus Epilepticus; accessit Febris continua tertiana, & triduanum delirium. Vrinæ erant instar Maluatici coloratæ; pulsus, vti solet apud Scorbuticos debilis, & inæqualis. Præmissis præmittendis pro depellendo delirio venam in apice Nasi tundi curaui. Sanguis vasculo aqua repleto exceptus totus vnà cum aqua instar Gelatinæ concreuit: quale quid *Marcellus Donatus* de Elephantiaci cuiusdam sanguine *in sua Historia Medica mirabili* etiam annotauit. Postquam delirium abactum, & febris depulsa fuit penes Cordialia ♁ Diaphoreticum ad ℈. ß. tartaro vitriolato & fæculæ Aronis permistum, bis quotidiè ex aqua mea Antiscorbutica, aqua endiuiæ, & Oxysacchar. distemperata, vsurpandum præscripsi. Continuauit ipsius vsum per sesquialterum mensem tanto successu, vt nunc commodius, quàm ante hac ferè vnquam viuat. Singulis propemodum matutinis graueolentissimum sudorem emisit, & maiore copia, quàm aliàs solitus erat, vrinam reddidit. Interposuit singulo quatriduo, aut quintiduo solius fol. sennæ è vasculo pruuorum decocti vsum: à quo liberalissimè semper purgatus fuit. Tertius æger nobilis est, Annos natus 45. temperamento bilioso, & militiam ante hac sectatus, ac graues plagas in capite perpessus. Is à quadriennio ferè magnum capitis dolorem, sensit in posticâ Capitis parte, imprimisque cum aluum exonerare vellet, dolor multò acerbior factus fuit. Variorum Medicorum cùm Dogmaticorum, tum Empiricorum consiliis vsus in deteriorem subindè statum deductus est.

Secūda Scorbutici affectus historia.

Probè consulenti Medico obtēperandū.

Alia Scorbuti symptomata.

Scorbuticorum pulsus qualis.

In apice nasi vena secatio pro depellendo delirio.

Donati obseruatio de Elephantiaci cuiusdam sanguine.

Tartarū vitriolatum & fæcula Aronis ad Scorbutum.

Quippe aliis ad hoc, aliis ad aliud medicationem dirigentibus: omnibus tamen medicamenti paulò calidioribus adhibentibus, Indicatione igitur ad biliosorū humorum cùm alterationem, tùm iteratam eductionem directâ, exhibitisq; remediis isti Indicationi competentibus; nec non applicatis ad caput, tam pro corrigēda calida ipsius intemperie moderatè refrigerantibus, quam pro imminuendo Aneurismate adstringentibus, & siccantibus; ad ♁ diaphoretici, cum Cranio humano, smaragdo, & succino præparatis, permixti vsum deuentum est. Institit eidem in tertiam vsque septimanam: cumque singulo ferè triduo, vel quatriduo vomitus ipsum paulò post assumptionem infestaret, à continuatione vlteriore desistere coacti sumus. Interea tamen dolor magis, magisque euanescere obseruatus fuit. Habes ergò hic *Clarissime Dn. Affinis* triplicis illius super ♁ diaphoretici vsu experientiæ historiam: qua me ad te perscripturum esse, hactenus pollicitus sum.

Medicorum dissensiones ægris incommoda.

Accessit dehinc quarta apud *Coniungem Blansusianam*; ex insigni, sinoso, ac fœdissimum pus exstillante abscessu in cluna dextro laborantem, annotata: cui propè ad eum modum, ceu apud *meam matrem p. m.* accidit; sub primum vsum sanies instar lotturæ carnis, aut fluxus menstrui emanauit. Cessarunt ipsi hactenus menses propter ætatem. Experiar idem medicamentum imposterum, in singulari, & fistuloso quodam affectu. Euentum doceberis alium. Legistin' *Marci Cornachini Methodum*, qua omnes humani Corporis affectiones ab humoribus, copia, vel qualitate peccantibus genitæ, tutò, citò, & iucundè, cùm Chimicè, tum Galenicè per puluerē quendam, ex hoc ipso antimonio, diagrido præparato, & cremore tartari confectum curari perhibeotur? Meminit eiusdem *in sua Rosa Iatrica Rósembergius*. Ecquid de eo tibi videtur. Sed ad finem propero, & paucissimis saltem, de vno, atque altero quæsito à te proposito sententiam meam in medium profero, Historia detectæ fraudis super dente aureo pueri *Silesij* breuissimè quantum memoriâ assequi nunc potui; (neque enim literis consignatum *D. Bueretius* parens, Antecessor meus *p. m.* communicauit) sic se habet. Cum puer ille tum temporis *Vratislauiam* deductus fuisset; & omnes nouitatis istius miraculosæ (vti putabatur) cognoscendæ, ac visendæ desiderio tenerentur, factum est, vt in Doctorum Virorum consortium, cui præter alios plures, *Clarissimus ille D. Christophorus Rhumbaumius p. m.* interfuit, vocaretur. Intromissus ab omnibus auidè fuit exceptus. Contemplati sunt dentem: Dens splendore repræsentauit aurum *Rhenanum*. Adfuit simul Aurifaber. Is iussus affrictione Lapidis Lydij dentem examinare: Linea affrictione inductâ, existimabatur reuerà esse aurum *Rhenanum*: Aurifaber igitur veritatem penitus exploraturus, ipsi illiuit, siuè aquam Stygiam, siuè pigmentum aureum; Ecce linea illa continuò absumpta fuit, & disparuit! Quid fit? Concipitur protinus de fraude suspicio. *D. Rhumbaumius* vt callidus erat, & ingeniosus inspectionem repetit, atque supernè dentem non integrum sed foraminulo pertusum conspicatur: Spatula igitur ferrea admota, numquid lamina aliqua Orichalcea solummodò denti esset superinducta? explorat: Rem ita habere certissimè inuenit, & reliquia Spectatoribus ostendit: Lamina enim illa per spatulam commouebatur, nihilque erat illud, quàm mediatas globuli, qualis crumenis à fœminis olim hîc gestari solitis. (*ein halbes messenes knœpflein, so an der wuiber vvetzschken, mit einem rhumlein haben pflegen angehencht zu vverden.*) appendi consueuerant. Detraxisset prorsus à dente laminam dictam *D. Rhumbaumius* ni deceptor restitisset, & sese cum puero subduxisset. Hæc fraudis detectio pessimè habuit pueri istius Circumstantem

Antimonij diaphoretici vsus in sinuosis abscessibus.

Cornachini puluis ad omnes humani corporis affectus.

Historia fraudis detecta super dente aureo.

Lapis Lydius ad aurū probandum.

cumstantem

commectorem, vtpote qui nummos corradendi occasionem, sibi sic ereptam esse videbat: Totus ergò dehinc cum isto suo non dente inuisibilis factus est: Itane igitur omnes alij cæcutiuerunt, vt fraudem deprehendere non potuerint? Facessant itaque nunc omnes illæ de fabuloso isto dente aureo contentiones physiologicæ! Falsi ad vnum omnes turpiter fefellerunt alios, & ludificarunt mundum propemodum vniuersum.

Doringij de affectu Germanico iudicium.

Affectum, quem nostri Germani *das vvehthun* appellant quod spectat, ὁμόψηφος in eo mihi esse videris, quod vera vertebrarum luxatio non sit: id quod rationes meæ antehac adductæ satis docere videntur. Subluxationem, aut tensionem aliquam earundem si nominare velis, non repugnarim: modò non membranam tantùm, qua ventriculi orificium spinæ dorsi annectitur, simul tendi, sed & ligamenta vertebrarum, adde & quandoque Cartilaginem mucronatam vna distorqueri, & quin & capillares venas adeò rarefieri, aut earundem oscula aperiri statuas, vt nonnunquam sanguinem effundant.

Ad quid enim remedia, huic affectui specifica magis respiciunt? quàm vt sanguinem extrà vasa effusum dissoluant, & eius putredinem inhibeant. Quid etiam illud nostratum arguit? quando aiunt, *Er hatt sich biss auf den todt verbrochen.* Nihil certè aliud: Nam tales vel sanguinem euomunt, vel tussi reiiciunt, vel per aluum deponunt. Istud saltem triuiale non parum sæpenumerò miratus fui, quo se veritatem ac certitudinem istius affectus explorare posse, mulierculæ sibi persuasissimum habent: Nimirum capiunt stuppam Cannabinam eique pastam ex melle, & calce viua inuicem subactis constantem illinunt; ac vmbilico tenus instar cinguli Abdomini circumcingunt.

Huius Germanici affectus explorandi ratio.

Si tenaciter adhæreat, affectus præsentiam, sin secus accidat, absentiam einsdem vaticinantur. Causam nec dum assequi valeo. Tu, si potes, ipsam expone. Ad reliqua quæ restant, respondebo alia occasione. In nimiam enim molem præsens Epistola iam dum excreuit. Bene, feliciterque Vale, ac à Nobis salue. Dabam Breslæ, die 23. Martij Anno 1629.

Proscriptum. De *Dn. Comite* hoc saltem adiicio: scilicet me in ista cachexia viscerum, & totius corporis habitus constitutiona nullo modo probare posse calidiorum Thermarum vsum. Acidulas magis suaderem; cùm affectionis Hypochondriacæ, tum Scorbuti ratione. Ablegaui in eas, quæ *Glaciæ* nostro vicinæ sunt, cum egregia vtilitate, & Amplissimum nostrum Senatorem, *Dn. Ioh. Vogtium* Hypochondriacum antè biennium; & *C. K.* ex Academia vestra, ante quadriennium, si rectè memini, reducem, Scorbuticum, vti nosti, qui nullis aliis remediis perfectè curari poterat. Has si tempore & ordine debito *Dn. Comes* biberit, Thermis vicinis *Landeccensibus* posteà fortassis non sine emolumento Articulorum vti poterit. Quæ si placet, præmissa salute mea *Dn. Comiti* proponere poteris.

Acidulæ Thermæ potiusquam calida D. Comiti cur conueniant.

Thermæ acidulæ ad Scorbutum specifica.

EPISTOLA XXX.

PERIOCHE.

1. *Dudithij elogium Sennerto tributum.* 2. *De viribus medicamentorum ex antimonio, mercurio & auro paratorum.* 3. *Quomodo talia remedia operentur.* 4. *De difficultate coniungendi aurum cum butyro antimonij.* 5. *Bezoardici Solaris descriptiones variæ.* 6. *De eiusdem facultatibus & vtendi modo.* 7. *Vnde remedia metallica ex antimonio & Mercurio parata, postquam fixa reddita sunt, vim suam sortiantur.* 8. *De Antimonij vitriati per se parati, & aurati, varijs effectibus.* 9. *De vsu lactis pro sistendo vomitu in Scorbuticis.* 10. *Doringij obseruatio de humorum acrimonia in Scorbuto.* 11. *Eiusdem sententia de dolore podagrico quo laborat Auctor.* 12. *De Thermarum calidarum & acidularum varijs vsibus.* 13. *Antimonium diaphoreticum, Tartarum vitriolatum, Elixir proprietatis, an hypochondriacis conueniant.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Dudithij elogium Sennerto tributum.

S. De *Andreâ Dudithio*, Viro illo superiore seculo litteratissimo iuxtà, hoc circumfert distichon.

Cum non materiam, de qua dubitaret, haberet
Dudithius, terris desiit esse super.

Idem haud immeritò superstites de te quoque olim affirmare poterunt. Ita enim quæstionibus litteras ad me solummodò scriptas, (quin idem in aliis, ad alios hinc inde missis fiat, quis ambigat?) reples, vt ceu, cuneus cuneum, iuxta prouerbium, sic quæstio quæstionem subindè trudat. Doleo equidem, ingenij illum vigorem non cum ætate tantùm, sed & propter crebros decubitus, nunc paulatim exarescere, praxeósque quotidianas molestias, & publicas calamitates animum ab istiusmodi meditationibus auocare, vt minus, quàm velim, petito, & expectationi tuæ satisfacere possim. Faciam nihilominus quantum potero, spe certissimâ fretus, te defectum liberalissimè impleturum esse.

De viribus medicamentorum ex antimonio, Mercurio, & auro praparatorum.

Cardinalis quæstio est; quæ de viribus Medicamentorum ex antimonio Mercurio & auro præparatorum cum primis quando Diaphoretica facta sunt, proposuisti: De vi enim vomitoria rem planiorem esse eaque potius stimulando, quam electiuè purgando operari, putas. Posterius istud, quod attinet, videris tibi priorians contradicere, dum Epistola die 3. Februar. exarata immediate ista subnectis: *De eo tamen dubium; annon humorem vnum potius, quàm alium moueant?* Causam dubicationis geminam adfers: *Non enim* 1. inquis, *aquè feliciter in lue venerea antimonium, ac Mercurius vsurpatur*, & 2. ille ipse, per salinationem præcipuè purgat. Adde 3. quod illud bilem magis, iste pituitosos humores educat. Quod si sic: Quis non hinc optimo iure concludat? Electiuè verius purgando, quàm duntaxat stimulando prædicta operari. Vnde etiam patet; aliam vtique inesse vim antimonij, aliam Mercurij, si fixa redduntur. Nam cum eorum subiectum non destituatur, proinde aliqua accidentia in materia relinqui, quæ prius inerant, credibile est. Si itaque ista inuicem vniantur, non simplices profectò, ceu sortaria, sed mixtas vires edent. Quamobrem eundem effectum ex Mercurij solius cum auro vnione, sperare non licebit: De quo ipso nuperrimè etiam nonnihil monui. Cum igitur Catholicum Libauianum præter Mercurium & aurum etiam antimonium ingrediatur; nobiliores vtique vires, ab eo expectandas, quàm à simplici auro vitæ, aut alio aliquo remedio ex auro & Mercurio confecto, quis non videat? Sed tentanda omninò alia fuerit auri cum Butyro antimonij coniungendi ratio quam quæ hactenus suscepta fuit. Ego enim operam & oleum, & operam nimirum hucvsque perdidi. Num tu circa id nunc aliquid molitus fueris? scire velim.

Quomodo prædicta remedia operentur.

Alia insit vis antimonij, alia Mercurij cum fixa redduntur, secus si vniantur.

Aurum cum Butyro antimonij coniungendi ratio difficilis.

Feci anno præcedente, si rectè recordor, Bezoartici cuiusdam Solaris, ob certissimos effectus singulariter mihi commendati, & communicati, mentionem. Eius descriptionem hac ipsa vice ad te mittere placuit, cùm vt iudicium tuum super eo ex te cognoscerem, tum ad similium communicationem Liberalem te inuitarem. Adscribam totum processum, à me in Latinum sermonem translatum. Diuisus autem est in sex peculiares labores 1. ℞. Mercurij Δ & antimonij omnium subtilissimè puluerisatorum an. ℔. j. Terantur super lapide porphyrio per horam integram diligentissimè: Mox Cucurbitæ vitreæ indita, aptato Recipiente; destillentur ex arena primùm igne lentissimo, hinc subinde fortiori, per horas 10. & exstillabit oleum crassiusculum, cui Mercurij nonnihil permiscebitur: quem separabis; oleum autem asseruabis. Olei istius ℞. ℔. ß. sacchari vulgaris optimè puluerisati ℥. ii. Indito phiolæ cum collo longo, affunde oleum, colloca simul in arenam, seruáque in tanto calore, vt parumper saltem ebulliant. Caue tamen, ne calor nimiùm intendatur, & vitrum rumpatur. Rubescit hinc oleum, quod antea album erat. Oleum istud effunde, in aquæ calefactæ mensuras 5. aut 10 & præcipitabitur puluis albissimus ad fundum; aqua in citreum colorem nonnihil conuersa. Permittantur residere per horas octo; pòst leniter effundatur aqua supernatans, aliaque calida toties reaffundatur; dum omnis salsedo extracta fuerit. Puluis residuus siccetur, vel in Sole, vel in alio loco calido.

Bezoardici Solaris descriptio 1.

Secundò. ℞. Aureos Vngaricos num. ii. ducantur in lamellas, & soluantur in ℥. ii. aquæ regiæ seq. quæ ℞. aquæ fortis bonæ ℔. i. adde Salis torrefacti ℥. iv. abstrahatur aqua à sale ad siccitatem vsque.

Secunda descriptio,

Ab auro soluto per destillationem separetur soluens, sanque

Digitized by Google

quaterna cohobis. Tandem iterum soluatur, affundatúrque ℥. iii. pulueris præcedentis siccati. Stent in digestione per horas 20. Postea leni calore humiditas abducatur. Liquor denuò pulueri affundatur, digerantur inuicem, & destillentur è retorta: deinde in fortissimo igne vrgeantur, vt spiritus aquæ fortis euaporentur. Post hæc Spiritus Vini rectificatissimus aliquoties super materia relicta abstrahatur.

Tertius Labor.

Tertiò, Paretur Sal Rutæ & Ligni Guaiacini, vt moris est.

Quartò ℞. Sal. comm. & salis armon. an. ℔. ß. commistis instituatur sublimatio sæpius & optimè purificabitur sal armon. Hinc sublimetur adhuc semel (non additur an cum nouo sale com. vel per se id fieri debeat?) Illius sal. armo. ℞. ℥. ß. corallor rubror. puluerisat. ℥. ij. probè inuicem mixta ponantur in Alembico ad sublimandum. Eleuabitur sal armon. in altum, relicta in fundo subtili corallorum calce. Hæc calx iteratur super tabula vitrea, & ponatur in cellam, vt soluatur. Quod solui noluerit, ab eo iterum sublimetur sal. arm. eo vsque, dum Corallia tota in liquorem conuersa fuerint.

Quintus.

Quintò ℞. Croci Orientalis ℥. i. ei affunde S. V. optim. ℥. iv. stent simul in loco calido pro tincturæ extractione. Repetatur extractio, quo vsque S. V. non amplius colorabitur, à Tinctura separetur per destillationem menstruum.

Sextus.

Sextò. Nunc ℞. Pulueris primo loco parati ℥. i. Salis Rutæ, Guaiaci an ʒ. ii. Solutionis Corallorum ℥. i. ß. Commissa probè inuicem terendo vniantur in mortario vitreo, per horam integram. Mox adde Oleum sulph. (Ego intelligo Balsamum sulph. An verò spiritum acidum intelligendum putas?) ʒ. ß. succini, cinamomi an. gutt. 9 puluer. Lapid. Bezoardic. orientalis veri gr. v. (dosis ista admodum exigua, fortassis 15. esse debent) Moschi gr. iij. (iste propter fæminas totus omitti posset.) Misceantur diligentissimè, & super cineribus calidis siccentur. Tandem addatur Tinctura croci (quanta scilicet ex ℥. i. fuit extracta: Omnis ergo S. V. segregandus non fuit) stentque simul per triduum in loco calido. Dosis robustiori gr. j. iuniori gr. ½ quæ mihi videtur iusto exilior: Siquidem Bezoardicum simplex, longè maiori dosi exhiberi solet. Commendatur in Apoplexia, Epilepsia, Lethargo: in quibus cum S. V. datur, in tremore articulorum, & paralysi exhibetur in Vino albo, in Arthritide cum S. V. ℥. ß. morbo abacto, pro præseruatione aliquatiesemel sumi potest.

Bezoardici solaris dosis, facultas, & vtendi modus.

Egregium dicitur esse venenorum Alexipharmacum, prophilacticum iuxta, ac Therapeuticum. De quo postremo cumprimis dubitare nolim, censuerimque, verè esse vniuersale Alexipharmacum; cum è triplici materiæ Medicæ familia, minerali videlicet, vegetabili, & Animali, (in hanc enim classem Lapidem Bezoardicum referre mihi posse videor. Quid si puluis vertebrarum serpentinarum, aut Trochisci viperini, certâ proportione adderentur?) constat.

Cur dicatur vniuersale alexipharmacum.

Sed transeundum ad principalem quæstionem, quæ est: Vnde videlicet remedia metallica, ex antimonio & Mercurio elaborata, postquam fixa facta sunt, vim suam sortiantur, vt vel minori dosi exhibita insensibiliter vitiosos humores absumant, vel maiore sudores moueant? Difficilis equidem quæstio; vtpote, quæ aliam in sinu quodam occultatam circumgerit: Quomodo nimirum ea, quæ fixa facta sunt, sudores (de insensibili enim humorum absumptione res minus intricata) ciere possint? cum ista facultas multò volatiliores spiritus postulare videatur quibus totum venosum genus, & massam sanguineam medicamentum permeare, humores fundere, & sudoris formâ per capillarium venarum oscula, ipsosque cutis poros expellere possit.

Vnde Remedia metallica ex antimonio & Mercurio parata, postquam fixa reddita sunt, vim suam sortiantur.

Dicam primo loco, quid de fixitate, vt sic loquar, in mentem venerit. Fixitas ista non absolutum Ens est, sed relatiuum. Nam & ea ipsa diaphoretica, si fortiore igne vrgeantur, aut in fumum abibunt, aut in Vitrum redigentur, quæ vitrificatio vltimus vulgò terminus corruptionis per ignem censetur: Fixa igitur duntaxat appellantur Emeticorum & Catharticorum respectu, quæ maligniores, & irritantiores habent spiritus, atque adeò statim obuia quæque turbant, & superiùs inferiùsque exturbant.

Vitrificatio vltimus terminus corruptionis quæ per ignem fit.

Sed hic alia mox incidis difficultas; quare scilicet Vitrum antimonij per se paratum, vim vomitus ciendi retinuerit, Auratum contra deposuerit? Expedita videtur responsio, si dicas, propterea id fieri, quia nullum aliud figens (vt in Aurato accidit) in Operatione admiscetur. Obiicis. At ignis externus hoc præstat. Regero cum violentus is sit & vitrificatio prius ingruat, quam spirituum purgantium & vomitiuorum ferocia vel plene cohibita, vel iidem in ventum & auram dispersi sint, non mirum, si non tam in substantia exhibitum, quam in infusione maceratum, cum per vomitum, tum secessum operetur. Hinc patet, quid secundo loco propter vim diaphoreticam respondendum sit: Nimirum etsi dicta remedia adeò non olim, quo aurum, non sint fixa, & ab igne inexpugnabilia reddita: tamen cum omnem vim medicam planè non deposuerint? sed per alterum corporum, atque in his stabulantium spirituum figentium artificiosam admistionem in aliam quandam naturam deducta, & translata fuerint, sic, vt ea vis, quæ per vomitum aut secessus emunctoria erumpere solebat, nunc benignior facta in humoribus vel insensibiliter absumendis, vel per sudorem eliminandis occupetur: Nec mirum, in compositis quidem esse, quod non deprehendebatur in simplicibus; intuere enim tartarum vitriolatum, nunquid in eo animaduertis tantam acredinem? quanta fuit in simplicibus ante vnionem separatis. Intuere etiam Magisterium Lunæ deiectorium, vnde quæso proficiscitur, aut nascitur vis Cathartica? simplicia in æternum tale quid non præstabunt. Quin (vt hoc etiam addam) ignis Solaris calcinabit antimonium sine ponderis imminutione, tametsi fumum æquè, ac per ignem Elementarem ab antimonio egredi videas. Taceo lubens talia ferè innumera alia.

Antimonium diaphoreticum, cur solùm per sudores eliminet.

Cur in medicamentis compositis deprehendamus quæ non in simplicibus.

Intereà tamen & hoc subiicio; nempe, fixata illa, pro materiæ in corpore stabulantis dispositione nunc etiam vomitus mouere, nunc aluum sollicitare; nunc aliter operari. De antimonij Diaphoretici diuersis ἐνεργείαις scripsi aliàs. Hoc certè in fistuloso illo affectu cuius nuperimè memini, hisce diebus vsurpari, è primâ ipsius exhibitione non cruentam saniem, sed verum cruorem effluxisse: quæ antea minimè fiebat. Maioris profectò (vt hoc obiter inspergam) quàm vnquam aliàs remedium istud, à multis annis à me neglectum, nunc facio. Et hæ sunt meæ qualescunque super prædicta quæstione cogitationes. Tu omnia exquisitè ponderabis, & tuam sententiam mihi proximè aperies.

Fixata remedia pro materia in corpore stabulantis dispositione varia operantur.

Antimonium diaphoreticum in fistulis tanquam probatum commendat.

Quæsiuisti porrò, quænam causa sit, cur, qui de Scorbuto scripserunt, omnes ferè medicamenta Antiscorbutica in lacte vel sero lactis exhibere iubeant, scribátque *Engalenus*, vomitum in Scorbuticis rectius lacte, quam adstringentibus sisti? cum tamen Lac facilè corrumpatur, & obstructiones pariat. Lac ipsum quod attinet, putarim propterea id vtile esse, quoniam pingui sua substantia humorum acrimoniam insigniter attemperat. Quanta enim acrimonia humores in scorbuticis præditi sint, cum gingiuarum, cum crurum vlcera depascentia satis arguunt. Scripsi aliquando ad te Historiam Obseruationis à me annotatæ, vbi sanguis Scorbuticus per nares exstillans non tantùm linteamina, quibus excipiebatur, ex tela satis aliàs crassa parata, corrosit, sed & lotrici eadem purganti manus exulcerauit. Nec metuenda vel ipsius corruptio, vel obstructionum per id procuratio. Omnia enim ista nocumenta auertent coctura, & conditura per saccharum, aut sal facta: Quin & Antiscorbutica eadem incoqui solita, eademmet sufficienter præcauebunt.

Lac in Scorbuticis cur potius vomitum sistat quam adstringentia.

Doringij obseruatio de humorum acrimonia in Scorbuto.

Lactis corruptio quomodo præcauenda.

Quod autem vomitus eodem melius, quàm per adstringentia sistatur; non dictam antè solummodò causam esse puto, sed etiam, quia ob facultatem abstergentem, humores illos acres extergit, & per aluum deducit; cum adstringentia è contrario, ipsos intra corpus detineant, & tunicis, atque villis ventriculi, fortiùs affigant: Vnde perpetua postmodum oritur vellicatio, & ad vomendum irritatio.

Ipsum denique serum idcircò exhibetur, quia non solùm humores contemperat & abstergit; verùm etiam ob nitrositatem, adeóque salem volatilem, fixum illum salem, apud Scorbuticos iuxta tuammet doctrinam abundantem, aggreditur, resoluit, & volatiliorem reddit. An aliquid ad rem pertinens in medium attulerim? Tute dispicies.

Serum lactis cur Scorbuticis exhibeatur.

Accedo iam ad tuum illum affectum dolorificum, quo te circa horam quartam matutinam plerumque in pedibus eo loci, vbi Tibia pedi parte superiore coniungitur, molestissimè affligi, suras etiam, sed parte externa tantùm, ab eodem occupari, conquereris. A membranarum distensione ipsum prouenire, manifestè te sentire, scribis. Et quis de hoc dubitare ausit? nisi is fortè qui membranas adæquatum tactilium qualitatum sensorium esse pernegauerit.

Super Senerti dolore podagrico, iudicium Doringij.

In sinistro Hypochondrio mali fomitem hærere arbitraris, de quo ego nihil certi determinare possum, cum dicti Hypochondrij constitutionem ignorem. Ergóne splenetícus factus es, & Hypochondriaco malo subiectus? Sanè rari sunt è doctis quos ista Erinnys non affligat. Cumque olim è quartana diutinè decubueris, aliosque graues, ac malignos morbos sustinueris, & senectus magis, magisque nunc ingruat, fieri herclè haud difficulter possit, vt tu isti hosti expositus sis: de quo tamen rectiùs definies. Quod si igitur isthoc loci mali sedes sita sit; vias vtque facilè inuenis, per quas materia ad locum affectum transfertur. Per quas enim defertur ad partes extremas in paralysi post Colicam, per easdem etiam defertur in tuo isto affectu ad Crura. Nimirum venæ ac arteriæ viam præbent. Sed miraris; cur stato, & quidem matutino saltem tempore, inuadat? Causam suspicor esse Coctionis absolutionem, quo tempore natura excrementorum expulsionem molitur. Cum enim crassiora quidem serosa per vrinas, fæculenta autem per aluum suo item tempore haud dubiè expellat: tenuiora cætera ad crura amandat, vbi vel post duas tresve horas, sudore, tuamet confessione, discutiuntur, vel pedibus lecto elatis ob aeris frigidioris appulsum retropelluntur, tuque à dolore sic liberaris, nec tota die ampliùs affligeris.

Docti, ferè omnes splenetici.

Materia per quas vias à Splene ad partes extremas transferatur.

Cur stato tempore & matutino præsertim dolor Authorem inuadat.

Si frictiones protinus, adhiberes, dolorem proculdubio citiùs abigeres. Ad pedes cur potissimum materia transmittatur?

Ad pedes cur potissimè materia transmittatur.

mittatur? quærere noli: Quàm enim totâ die ferè hinc inde curſitando, & gradus ſcandendo, ij defatigentur, egomet ipſe teſtari poſſum: Nolim igitur odioſus quidem eſſe vates: Caue tamen ſis, ne in communem demùm tormentorum locum meecum deiiciaris. Sapienti ſatis: Ac rem acu, quod dicitur, tetigerim? ipſus perpendes.

De Thermis, quas *Dn. Comitem* valdè appetere ſcribis, etiam pauca ſubiungo.

Potū aquarum Carolinarum cur D. Comiti prohibeat.

Perſto autem in ea adhuc ſententia, me calidiorum Thermarum vſum ipſi nullo modo ſuadere poſſe. Cauſam ſcripſi aliàs. Quomodo ergò *Carolinarum* potum probare poſſim.

Nec potum earundem concedam facilè, tum aliàs ob cauſas, tum potiſſimùm ob lapidem canali, & alveo (quâ effluere ſolent) accreſcentem. Quis enim non ſuſpicetur, ſimile quid in anguſtioribus venis intrà corpus concreſcere poſſe? Quippe Spiritus lapidificant, materiam illam tophaceam vaſorum iſtorum parietibus facilè affermiuare queat. Haſmet ipſas *Carolinas* potas Egranis acidulis à *Strobelbergero* longè anteferri, vt propter vulgatum illud facile crediderim;

Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Ita ob ſubiectorum & morborum diuerſitatem, idem nullo vnquam modo admiſerim.

Thermarum & Acidularum varius vſus.

Alia enim mineralia in Thermis, alia in Acidulis reperiri, extra dubium eſſe opinor. Non igitur rectè colligitur: Si a mineralibus pendet vis, eáque tam in Thermis, quam in Acidulis eſſe poteſt: Ergo illæ, harum loco potari poſſunt. Concedi enim argumentum eatenus ſaltem poteſt, quatenus vtræque ex iiſdem mineralibus componuntur. Et quis dubitet? fortiorem impreſſionem pati Thermas, quàm Acidulas. *Toplicenſes* quòd experit, ſibique antehac optimè profuiſſe prætendit, neſcio an nunc ſimiliter profuturæ ſint? alia quàm modò, cauſa fuerit. Sed hæc tu coram opportunius ac veriùs erudiri poteris.

Vt Antimonium diaphoreticum hypochondriacis proſit, portio nitri relinquenda. Elixir proprietatis quibus rationibus hypochondriaco affectui vtile. Tartarum & ex eo parata medicamenta obſtructionibus reſerandis vtiliſſima.

Antimonium diaphoreticum (vt hoc quoque attingam) à nonnullis in Hipochondriacis affectibus etiam commendari ſcribis. Equidem ſi apud id Nitri aliqua portio relinquatur, non planè id repudiarim. Ita enim ad obſtructiones vaſorum reſerandas foret multò aptius. Abſque hoc autem ſi fuerit, vereor ne humoribus tenuioribus abſumtis, craſſiores, & terreſtriores magis per id indurentur, & obſtructiones adaugeantur.

Elixir proprietatis omninò vtile eſſe cenſeo Hypochondriacis: Obſtructiones enim propter aloem & ſpiritum ſulfuris egregiè reſerat: Putredinem humorum non propter iſta ſolum, ſed & crocum ac myrrham, emendat: Flatus præcipuè propter myrrham, & vini ſpiritum carminè diſcutit. Cor & ventriculum tota ſua ſubſtantia roborat. Tartaro, & ex eo paratis medicamentis, quia reſerandis Obſtructionibus ſubſtantiæ quadam ſimilitudine ſunt aptiſſima, & abſtergendis vitioſis humoribus maximè idonea, debitam laudem haud inuideo.

Spiritum vitrioli Martis multùm etiam poſſe, non dubito qui Chalybeatorum remediorum vires dudum perſpectas habeo; Promiſit Pharmacopœus noſter *Dn. Petrus Kallenbergius*, ſe eum præparaturum eſſe.

Atque ita ad omnia tua quæſita (quantum quidem memini) reſpondi. Tu ſi idem faceres, multa enim capita reſtant, quæ ne verbo vnquam tetigiſti, rem vtique gratam, & collatione hâc noſtrâ Litteraria dignam faceres. Legam poſthac, & perlegam *Diſputationem* tuam *de Melancholia Hypochondriaca*: Et ſiquidem materiam iſtam litterarum familiarium inter nos argumentum aliquandiu eſſe cupis, agetur quid in ea controuerſum, & quod vlteriorem diſcuſſionem requirat, oſtendero, mentem meam libere ſuper eo tibi aperiam. Bene cum tuis Vale, & à nobis ſalue: Abſoluebam Breſlæ, die 5. Aprilis, Anno 1629.

EPISTOLA XXXI.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringium de ſucceſſu Saturni Mercurij & de particulari alia croci martis præparatione monet. 2. Martinia reſponſum & in ea contenta. 3. Auctor in ſolutione auri cum butyro antimonij fruſtra laborat. 4. Creſcentia Bartholeti metallica, quid ſint. 5. Plica Polonica an affectus capillorum. 6. Auctor Antimonium diaphoreticum ad huius morbi reliquias abſumendas, probat. 7. Quid de puluere Cornacchini ſentiat. 8. Quid de Antimonij diaphoretici & auri potabilis effectibus. 9. De affectu Germanico reſpondet. 10. Sollicitus de aliqua medicamento inuenienda in pertinaci cacochymia. 11. Carnis viperinæ vſus, an Scorbuticis vtilis.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SNulla Saturni Mercurij, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quam tentaui, præparatio ſucceſſit. Etſi, vt verum fatear, famulus non ſatis diligens fuerit. Vt nec illa è Marte peculiaris operatio: In qua tamen omnis diligentia fuit adhibita. Nullo enim modo efficere potui, vt Crocus inſtar metalli fuerit. *Tractatum de conſenſu & diſſenſu Chymicor.* iam impreſſum ad te mitto. Quæſo caput 11. perlegas, & vide an *Martinio* ſatis fecerim. Scribat ſeu non ſcribat aliquid, mihi perinde eſt. Ego meam mentem ſemel pro ſemper hac de re explicaui. Cum verò quaſdam de nonnullis medicamentis Chymicis admonitiones adiicere vellem, ne id ſine ordine fieret, tractatio ſub manibus, & ferè aliud agendo in hunc *de Inſtitutione Chym.* diſcurſum excreuit. Sunt hic Loci communes quaſi, in quos, quæ cuiuis occurrent referri poterunt. Si quid & tu verè habes, id mecum communicare poteris. Inſerui quædam paradoxa, de quibus tuum expecto iudicium, Augmentum illud, quod non ſolum, *Lipſiæ* ſed & in vicinis aliis locis, a quibuſdam Nobilibus laboratur, illud ipſum eſſe, quod ego olim laboraui, certò ſcio, qui proceſſum à Nobili quodam communicatum vidi. Atque illi ipſi etiam initium ignorant. Et qui ipſis hoc vendidit, ſimilem quidem tentauit, ſed mortuus eſt iam ante ſemeſtre. In butyro antimonij dicto, aurum non ſoluitur. Affundo adhuc indies aliquid, & ſuperfluum poſtea ſeparabo: ſed vix puto, quòd reliquum coagulabitur. Ita periculoſum eſt proceſſus ſequi, de quorum certitudine nondum conſtat.

Croci martis præparatio quomodo Auctori ſucceſſerit.

Martinio Auctoris reſponſum & in eo contenta.

Auri ſolutio-nis cum butyro antimonij labor difficilis.

Creſcentia Bartholeti metallica nihil aliud eſſe videntur, quàm pulueres ſubtiles vel calces metallorum, antimonij aliquid admiſtum habentes. Referunt tamen de *Bartholeto*, qui eum nouerunt, eum hæc pleraque, quæ ſuis ſcriptis inſeruit, à ſtudioſis Germanis accepiſſe, nec omnia expertum eſſe.

Creſcentia Bartholeti metallica quid ſint.

Plicam Polonicam an inter affectus Capillorum ſuo loco, an verò alios affectus recenſere debeam dubito: Neque enim ſolùm pili afficiuntur, ſed primò ægri de grauiſſimis bracchiorum & pedum doloribus conqueruntur, oſſaque franguntur, articuli contorquentur, & contracti euadunt, deliquia animi accidunt, qui non priùs ceſſant, quàm capilli iſti erumpant: & Plica naſcatur. Quâ enatâ poſtea de eâ curandâ parum ſunt ſolliciti, & malunt cum iſta deformitate, quàm cum tot grauibus malis viuere. Iam etiam nigri & deformes Vngues naſcuntur. Habuit tres tales *Dn. Comes*. Duo exciderunt in thermis *Toplicenſibus* albis renatis, vnus adhuc reſtat: Credo & ipſi ♁ diaphoreticum ad reliquias iſtas abſumendas & Plicam ipſam tollendam commodum fore, & dabo operam, vt poſſim eius rei periculum facere per *Dn. Comitem*. Rem ergò gratam faceres, ſi ♁ Vngarici genuini libram vnam atque alteram mitteres.

Plica Polonica an affectus capillorum.

Antimonium diaphoreticū ad Plicæ Polonicæ reliquias abſumendas vtile.

Pro Obſeruationibus de ♁ diaphoretici vſibus, habeo gratias. Habeo iam pauperculæ fœminæ puerum 4. annorum præ manibus, qui in omnibus ferè iuncturis articulorum vlcera diuturna, & fiſtuloſa habet; ei exhibeo hoc antimonium: ſi quid commodi inde ſenſerit, id ad te perſcribam. *Marci Cornacchini* puluis non multùm diſcrepat ab eo, quem *Adrianus Spigelius de Semitertianâ p.* 94. ſub nomine *Comitis de Harvvick* proponit, eumque non incommodum eſſe puto. Nam ſcammonium proculdubio facit, vt potius per aluum, quam per vomitum purget. Verùm Scammonij illa præparatio mihi ſuſpecta eſt, & metuo, ne multùm ei de viribus per ſulfur decedat: commodius addi poſſet Extractum Scammonij: ſed hoc habet incommodi, quod in liquore calido, in Reſinam coaguletur. Quâ ratione autem antimonium diaphoreticum, vt & aurum potabile agant, ſanè obſcurum. Meam mentem, quantùm per feſtinationem licuit breuiter *de conſtitutione Chymia* expoſui. Etiam tuam mentē audire cupio. Pro hiſtoria fabulæ de aureo dente, habeo gratias. Inſeram eam *libro ſecundo de practica*, qui cum Deo, poſt F. Paſchatos typis committetur. De affectu, *das vvehthun*, appellato, maxima ex parte nos conſentire video, niſi quod de mucronatæ cartilaginis diſtorſione dubito. Neque etiam de loco, in quo venæ capillares aperiantur, ſatis conſtat. Tuam mentem, ſi de eo explicueris, gratum erit.

Auctoris iudicium de puluere Cornacchini.

Antimonium diaphoreticū & Aurum potabile qua ratione operentur obſcurum.

De Affectu Germanico quid ſentias

Rectè

Rectè verò mones ex *Angelo Sala*, multos ægros de vita periclitatos esse, non saltem temeritate, sed & timiditate Medicorum. Et monuit hoc antè *Salam* dudum *L. Ioacchinus*, *Capiuaccius* & alij plurimi. Age ergo, *Clarissime*, *Dn. Affinis*, dispiciamus, & conueniamus de aliquo medicamento, quod in pertinaci cacochymiâ tutò adhiberi possit. Neque enim talia ignoramus, modò quomodo in vsum tutò ducenda sint, videamos.

Ad reliqua mearum litterarum Capita; & inter ea de affectione Hypochondriacâ, & Lactis in Scorbuto vso, de Elixire proprietatis in Hypochondriacis, responsum expecto. Hoc pœnè præterieram, scribis: *Stranta est Cognatio Scorbuti, & Plica, cur carnis viperinæ vsus Dn. Comiti tam malè cessit?* Putâsne ergo, Carnis viperinæ vsum Scorbuticis vtilem? Bene Vale, & saluta tuam à nobis. VVittebergæ, 24 Martij, Anno 1629.

Carnis viperinæ vsus, scorbuticis an vtilis.

Post scriptum. Thermæ *Toplicenses* tophum illum, quem *Carolinæ*, secum non ferunt, sunt in vicinia Acidulæ, Egrania, viribus vt ferunt parca. Poterit *Dn. Comes* iam ibi, vel Antiscorbuticis medicamentis, quæ secum tulit, vel Acidulis, vel thermis, pro vt opus fuerit, vti.

EPISTOLA XXXII.

PERIOCHE.

1. *Ab Auctore experimenta varia de Antimonio diaphoretico petit.* 2. *De puluere Cornacchini.* 3. *eiusdem Cornacchini obseruatio de Antimonio crudo.* 4. *Puluis antipodagricus.* 5. *Angeli Salæ medicamenta varia.* 6. *Doringij iudicium de Horstij Obseruationum parte posteriore.* 7. *Remedia metallicâ purgantia an tutò exhiberi possint.* 8. *Doringius suam de Cartilaginis xiphoidis distorsione sententiam confirmat.* 9. *Quid sentiat de scorbuti & Plica Polonica cognatione.* 10. *Quid de sudoriferis & carne viperina in talibus morbis.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Squid quæso factum de valetudine *Dn. Comitis? Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande.* Adhibuistine ipsi antimonium diaphoreticum? Quod si sic, Ecquemnam effectum ab ipsius vsu deprehendisti? Vt etiam succedit cura illius pueri quadriennis? cuius nuper meministi. Meus ille affectus fistulosus est per Dei gratiam deductus est, vt sinus, qui latitudine vnum Nostratis vlnæ quadrantem æquabat, totus carne sit oppletus, & pauxillum saltem adhuc saniei, per residuum ostiolum exsudet, cui vesicula quædam ichore quodam plena (Chirurgus appellat *ein vvundtgalle*) adiacet, cui alumen vstum imponi iussi. Non despero quin plenaria sanatio tandem subsecutura sit. In phthisicis quid possit, deinde experiar. Neque enim & his inutile esse poterit, cùm externorum vlcerum sanationem tam feliciter promoueat. Adhibuimus id in aliis etiam casibus difficilioribus: qui communibus remediis cedere noluerint. *Cornacchini* pulucrem quod attinet, quæ in eo desidero, hæc sunt. 1. Quod per propositam ab ipso antimonij præparationem vis purgatiua antimonij, sinon tota, maiori tamen ex parte pereat, causam è superis disces. 2. Quòd Diagrydio propter sulfuria fumum idem accidere videatur: Nam quomodo per vitrioli spiritum, vis ipsius purgans infringatur, ante plures annos per litteras significaui. Atque fumus sulphuris est vitriolatus; Ergo &c. 3. Quòd Diagrydium quocunque modo præparatum in calido facilè in formam resinosam coëat. 4. Quòd Cremoris tartari dosis nimis sit exigua. Ego igitur sic mutandum censeo. 1. Paretur antimonium ad modum *Sellerianum*: quem olim communicaui. 2. Loco Diagrydij substituatur Chalapium & Turpethum: Ita enim puluerem. *Primò* æquè insipidum, & qui *secundò* in calido non concrescat efficies. Quin *tertiò* id consequeris hauddubiè, vt magis catholicus reddatur. Chalapium enim serosos, & atrabilarios, Turpethum pituitosos, Antimonium denique biliosos, mea opinione, educit. Neque enim moueor vel simplici asseueratione *Cornacchini*, qui in suo *libello p. 64.* atrabilarium succum ab antimonio purgari scribit: vel *Spigelij* obseruatione, (quam habet de *semitertiana, l. 3. c. 8. p. 95*) in proprio corpore aliquando factâ, quâ docet, se assumptione Drach. ii. Mannæ electæ: permixtarum cum granis 28. antimonij crudi, duodecim sedes habuisse vehementes, biliosas iuxtà, ac atrabilarias. *Cornacchino* enim ocularem excretorum inspectionem demando: *Spigelio* verò aut eius Sectatoribus, vim antimonij crudi nigrefacientem solummodò considerandam propono.

Affectus fistulosus per Antimonium diaphoreticum curatus.

Doringij de puluere Cornacchini iudicium.

Puluis Cornacchini vt magis catholicus reddatur.

Spigelij obseruatio de antimonio crudo.

Atque hæc quoque (vt id obiter quasi moneam) erroris publici causa est, dum quidam in Chalybeatorum vsu atrabilaria exturbari opinantur; cum tamen excreta non aliunde, quàm a Chalybe præparato, sic denigrentur. 3. Mixtionis ea sit proportio, vt antimonij & cremoris tartari cuiusque sit pars vna, reliquorum duorum singulorum pars dimidia, v. g. illorum Drach. 1. horum, ᵹ. Drach. ß. 4. Doseos certitudo explorari poterit à ℈. i. ad ℈ ii. Interim tamen pro ætatis, & virium ratione augeri, vel minui.

Chalybeata remedia an atrabilarios humores purgent.

Vt autem ista præparationis, & compositionis ratio tibi placeat, scire velim. Est quidem mihi alius in vsu etiam puluis ille Antipodagricus notus, in *Crollio* etiam descriptus: quem sub nomine *Diacarthami Paracelsi* communiter præscribo, tum spec. Diacarthami cum Chalapio & cremore tartari permixtæ, quorum vtrumque & citra nauseam assumitur, & sufficienter purgat; vt proptereà non necesse sit, nos de aliis pulueribus purgantibus admodum esse sollicitos. Nihilominus cùm puluis ille *VVaruuicensis* tam mirè in *Italia* fuerit celebratus nec tamen ob causas suprà recensitas, satis videtur esse idoneus, ac artificiosè excogitatus, quid oberit, si iuxta modò dictam rationem emendatior præparetur, atque in vsum vocetur. Vidistin' *Angeli Salæ* descriptionem *Germanicam* cùm vtilitatum, tum vtendi modi, quorundam medicamentorum ipsi peculiariter familiarium & domi paratorum? Inter ea habet primo loco *Vomitorium benedictum*, mox *Catharticum Polychrestum*, hinc *pilulas familiares*, & *Catholicum Lenitiuum*. Nullâne tibi cum quoquam ipsi familiaris intercedit consuetudo? vt de talibus aliquid rescire valeamus. Equidem tibi planè assentior, nobis medicamenta, ad pertinacem Cacochymiam expugnandam idonea, & quidem è metallicis præparanda neutiquam esse ignota: tamen cùm periculosum sit ea experiri, malui hactenus ab ipsis abstinere, quàm & vitam aliorum, & meam famam periculo exponere. Tu si quod securum possides, mihi inuidere noli: vides enim me candidè & fideliter, vt amicum decet, tecum agere. Prodiit præcedentibus Nundinis *Horstij* nostri *Obseruationum pars posterior*: in cuius *præfatione ad Lectorem*, sese excusat, ob occultas remediorum metallicorum (quorum hinc inde meminit) præparationes. Profectò quod aliàs etiam semel atque iterum scripsi, id & nunc repeto: satius nimirum esse, tales Scriptores, vel talium omninò non meminisse, vel alia substituere, nec Lectores ita ludificari.

Pulueris Antipodagricus.

Angeli Salæ medicamenta varia.

Doringij iudicium de Horstij Obseruationum parte posteriore.

Quasi verò & ea talia sint, quæ alios penitus lateant! Et quid quæso vtilitatis è præscripta curandi ratione capiet Lector, si remedia ipsi ignota sint. Scribentium certè scopus hic vnus esse debet, vt quod in publicum emittunt, vni legentium vtilitati, non autem proprio commodo, aut ostentationi, destinent. Biennium ferè elapsum est, ex quo nihil litterarum ad me dedit. Si aliquando ad ipsum scripsero, factum hocce indubitatò ipsi exprobrabo. Suscipiat tunc id vt volet, mihi enim perindè fuerit.

Authorum in scribendo quis scopus esse debeat.

De remediis autem metallicis purgantibus, scribas oro, Numquid ea satis tutò præseruationis causa exhibere posse statuas? Mihi valdè probatur *Claudij Deodati in Pantheo Hygiastico l. 3. pag. 65.* 6. obtestatio, vt à talibus, quoad eius fieri possit, abstineamus: Nam etsi debita, & satis conueniens præparatio accedere videatur; vix tamen, inquit, fieri potest, quin perniciosæ quædam, & venenatæ qualitates, quibus dicta metallica abundant, concinnantis & præparantis ingeniosissimi Chymici manum subterfugiat, sicque intra corpus sumta, si non subitò, temporis tamen progressu, suas exserat vires, & clam furtimque vitæ nostræ nectar deprædetur: Paucos enim (subiicit) huc vsque nouimus, qui hisce Catharticis familiariter vtentes, vel ad debitam & iustam senectam peruenerint, vel non cachecticam corporis constitutionem contraxerint.

Remedia metallica purgantia an tutò exhiberi possint.

Circa Affectum, quem *das vvehethun* communiter nuncupant, Nobis maximam partem conuenire, gaudeo. De mucronatæ cartilaginis distorsione (quam interdum vnà concurrere posse scripsi) quod dubitas, causas dubitationis cognoscere velim. Pro mea opinione nihil adfero: sed te ad *Codronchij Tractatum de ipsius prolapsu* aditum remitto. Addidi tunc capillares venas nonnunquam propter distensionem adeò rarefieri, aut earundem oscula aperiri, vt sanguinem effundant. Tu de loco, vbi hoc fit, non satis constare infers. Nominaui tunc hercle locum satis euidenter; dum tales vel sanguinem vomere, vel tussi ejicere, vel per aluum deponere,

Suã de cartilaginis xiphoidis distorsione sententiam confirmat.

Digitized by Google

nere, monui. Addo nunc: quibusdam (quanquam id rarius accidat) per urinas eundem reddere: scilicet venæ his regionibus vicinæ sanguinem emittunt.

An Scorbuti & Plicæ sit quædam cognatio. Carnis viperinæ usus in Scorbuto an utilis.

Scribis simul, magnam esse Scorbuti, & Plicæ cognitionem. Regerebam ego; si tanta sit cognatio, non præter rem quæri posse: Cur carnis viperinæ usus *Dn. Comiti*, (quem ipsi *Itali* Medici antehac ordinaverant) tam malè (veluti ipsemet scribebas) cesserit? Nimirum ego, per hoc argumentum, cognationem istam si non elicere, tamen eludere cupiebam. Multa habet, (fateor) Morbus Gallicus non cum Scorbuto duntaxat, sed & Plicâ, communia symptomata. Quis verò inde inferat, communem esse omnium horum affectuum cùm ortus, tum curæ modum. Habet unusquisque, ut ipse nosti, in hoc genere sua peculiaria; Ubique determinata humorum corruptio: ubique certa requiruntur specifica.

Interea tamen non negaverim, sudorifera omnibus ex æquo posse esse communia, specificis tamen stipata. Hinc & Carnis viperinæ usum Scorbuticis omninò non interdixerim, cùm sanguinea massa per eam optimè perpurgetur: modò subjectum ad ejus assumptionem satis sit aptum.

Plica Polonica morbus à tota substantia.

De Plica, crede mihi, parùm aliàs fui sollicitus. Non credidissem tam truculentum esse affectum: nisi *Saxoniæ* singularem de eâ librum, & *Rodericus à Fonseca Tom. 1. Consultationem primam* legissem. Dolendum utique Polonos Medicos in accuratiorem ipsius investigationem diligentiam majorem non impendere. Tu inter morbos occultos ac totius substantiæ eam tractare poteris. Benè Vale, & salve. Datum Feria 2. Pentecostes, Anno 1629.

Postscriptum. De multis equidem per literas hactenus à me absque jactantia dicto (!) et admonitus, quæ deinceps tuis scriptis inseruisti. Solum Epistolæ meæ prodierint, scriptionis tempus admonitorem prodet. Nihil dico, de plurimis aliis. Una certè opinio, de Aceti generatione, quam ante aliquot annos, ad te præscribebam meum quod scilicet, est inventum. Eam totidem pœnè verbis, *in Tractatu de Scorbuto*, proposuisti: Nec tamen ob id tibi succensui; sed transeant ista.

EPISTOLA XXXIII.

PERIOCHE.

1. Auctor cur nihil ad plures Doringij litteras responderit rationem affert. 2. De D. Comitis Poloni valetudine. 3. De Medicorum Aulicorum statu. 4. Auctoris de Bezoardici Solaris descriptione judicium. 5. De viribus medicamentorum Chymicorum ex antimonio & Mercurio paratorum. 6. De calcinatione antimonij per ignem Solarem. 7. Auctor quid de dolore suo podagrico sentiat. 8. Quid de antimonio diaphoretico in hypochondriacis affectibus; quid de medicamentis chalybeatis, & de spiritu vitrioli martis. 9. De pulvere Cornacchinij. 10. De purgantium è mineralibus usu. 11. De Horstii scriptis.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Cur nihil ad plures Doringij litteras responderit.

Si Quod hactenus nihil litteratum, ad te dedi, neque etiam ad tuas respondi, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, causa est, quod quinque septimanis ferè domo abfui. Causa absentiæ hæc est: venit *Wittebergam* Serenissimus noster Elector. 20. Maij & 4. diebus hîc hæsit. Cum verò periculum morbi *Dn. Schonbergij* Medici Aulici exaggeraretur, & meam præsentiam expeteret, jussus sum à Dn. Electore *Dresdam* me conferre, & curæ interesse. Eò ubi veni, Gangræna sinistri pedis (duo digiti jam amputaci erant) aut potius sideratione jam octo septimanis laborantem eum offendi: Erat ea talis omninò, qualem describit *Guilielmus Fabricius Centur. 3. Observ. 93.*

De sinistri pedis gangræna.

In momento enim humore maligno in sinistrum pedem delapso minimus digitus planè mortificatus est, & reliquos omnes pedis tendines, non verò carnem occupavit. Etsi verò nihil in morbo desperato auxilij afferre potui, tamen ad vitæ finem ibi hærere coactus sum. Dimissus posteà ab Electore *Toplitzium* me in viciniam contuli, ibique *Comitem Polonum* visitavi, & unum diem hæsi: Acidulas ferre non potuit. Thermæ etiam parùm adhuc profuerunt; & nescio, an id, quod melius habet, thermis, vel medicamentis Antiscorbuticis, quæ secum hinc abstulit adscribere debeam. Deus porrò medicamentis benedicat! Ab itinere defatigatus, & æstu nimio lassus domum post quintam septimanam reversus per octiduum non satis benè valui.

De D. Comitis valetudine.

Quiete tamen & abstinentia, DEO sit Laus, hoc quicquid fuit morbi, me jam maximam partem vicisse opinor. Vidi jam præsens statum Medicorum Aulicorum ordinariorum: Is talis est, ut uno verbo dicam, ut suadere tibi non possim, ut de eo suscipiendo cogites. Neque enim valetudo, vel reliqua rerum tuarum conditio, eum ferret.

De Medicorum Aulicorum statu.

Dysenteria apud nos grassari incipit. Ut verò ad litteras tuas priores etiam aliquid respondeam, quantum quidem otium, quod sanè exiguum, domum reversus suppetit, patietur.

Auctoris judicium de Bezoardici Solaris descriptione.

Descriptio illa Bezoardica auri mihi nimis operosa videtur: & aliàs etiam dubito, an tutum sit, tot sales vegetabilium addere, cum sales illi vegetabiles interdum Mercurium resuscitent. Verùm non semper à priore de his judicandum, sed effectus perpendendus. De viribus medicamentorum Chymicorum ex antimonio & Mercurio paratorum, ut aliquid addam, omninò tecum consentio, additione spirituum, vel saltum fixorum antimonium & Mercurium ita figi, ut vim illam vomitoriam & purgatoriã non statim exerat, neque obvia quæque turbet. Idem tamen etiã longa digestione fieri potest. Talia tamen suo modo fixa nihilominus occulto modo vires suas exerunt; & in humores vitiosos agunt, ut & alia metallica & satis fixa. Quæ de calcinatione antimonij per ignem Solarem scribis, non satis assequor. Si radij Solis fumos inde excitant, vix sine ponderis imminutione calcinatio ea fieri potest. Rectè etiam scribis, quod talia fixa, (præcipuè si non sint planè fixata) pro humoris dispositione, & *jam* per alvum, nunc vomitum etiam moveat. Antimonium diaphoreticum tam sæpè vomitum ciet, & alvum, quàm sudores movet. Antimonium habeo unius præparationis quod in omnibus aliis sudorem moveret, in uno tantùm & purgavit per alvum, & vomitum excitavit.

De calcinatione antimonij per ignem Solarem.

Placet etiam ratio, ob quam Scorbuticis hæc exhibetur, atque ipse etiam eam proposui p. 213. neque hactenus meliorem invenire potui.

Auctor quid de dolore suo podagrico sentiat.

Affectum meum dolorificum in pedibus quod attinet, ab Arthritide nihil mihi metuo. Si articulos materia ista occupare voluisset, dudum hoc factum esset: Sensi enim motum istum serosi humoris à multis jam annis; etsi sine gravi incommodo. Nunc etiam rarius istum dolorem sentio: Et omninò ortum habet ex hypochondriis, & cruditatibus, quæ in secunda, & prima coctione colliguntur. Sed hoc miror, quomodo tàm subitò, & mox manè horâ quartâ vel quintâ, humores illi vitiosi ad extremas venas propellantur. Ubi enim dolor ille adest, solent capillares venæ circà internum talum intumescere ut locus quasi sanguine suffusus videatur.

De antimonio diaphoretico in hypochondriacis.

Antimonium Diaphoreticum, quod nonnulli etiam in hypochondriacis affectibus usurpant, annon etiam crassos humores attenuare, & fundere possit. An verò solùm tenuiores humores absumat, dubium.

De Chalybeatis medicamentis, & spiritu vitrioli martis.

Chalybeatorum equidem medicamentorum in hypochondriacis affectibus maximam efficaciam esse non dubito. Sed an Spiritus vitrioli ♂ idem præstat, in eo hæreo: videtur enim non levis substantiæ mutatio, & quia acida alias Melancholicis inimica sunt, atràmque bilem exaltant, an non spiritus vitrioli idem facere possit, perpende.

De puero illo ulceribus circà articulos scatente, per antimonium diaphoreticum sanando, non despero; cùm aliquot jam sanata sint: Modò mater debitam adhibeat diligentiam. Nam, ut è plebe homines facere solent: Sæpè intrà 14. vel plures dies nihil medicamenti à me petit. Hæc ad unam Epistolam brevibus respondere volui: etsi decies ferè inter scribendum calamus abjiciendus fuerit.

Antimonium diaphoreticum pro phthisicis.

Antimonium diaphoreticum etiam in phthisicis adhibeo. Sed maturè id faciendum puto. Siquid experientia suggesserit, mecum communices. Verùm cum antimonij diaphoretici tanta vis sit, puto alia subtiliora ex antimonio medicamenta, quæ non purgant, plus præstitura. De iis ergo cogitabo.

De pulvere Cornacchini.

Cornacchini, pulverem meliorem fieri posse non dubito. Et placet mihi tua correctio. Hoc saltem addo, talia medicamenta simpliciter ad omnes morbos, quod *Cornacchinum* facere audio, non commodè usurpari: sed pro indicationum, & hominum peccantium varietate, varianda esse; Et ipsum medicamẽtum satis forte est, neq; quibusuis competit, cum antimoniũ

Secundum

Digitized by Google

ſecundum Seileri modum præparatum etiam vomitum, moueat & Radix Gialapa fortiter purget, quoq; vomitum conciliet. Angeli Sala deſcriptionem Medicamentorum ipſi familiarium non vidi. Neque etiam vlla mihi cum eo intercedit familiaritas. Meliorem tamen Chymicum, quàm Medicum eſſe audio. Primò planè fuit Empiricus, poſtea tamen lectione Medicorum doctior paulò euaſit: vixit *Oldenburgi*, *Hamburgi*, nunc, vt audio, in *Belgio*, & vſu metallicorum ſæpè impegit. Ideoque à purgantium è mineralibus vſu hactenus ferè abſtinui. Quamuis enim multis ſæpè proſint: tandem tamen aliquis offertur, quem inſigniter lædunt. Memini, Mercurij vitæ vſu hic à quodam Hydropem feliciter curatum fuiſſe. At idem Turga eiuſdem vſo quendam iugulauit. Multò minus præſeruationis gratiâ vſurpanda puto. Habemus enim mitiora è vegetabilibus, quibus idem præſtare valemus. Et talia occultè prauam aliquam *diáθεσιν* imprimunt, quod progreſſu temporis ſeſe exerit, Et præcipuè ſi corpora non multis prauis humoribus ſcateant, in quos agant.

De Angeli Sala medicamentis.

De purgantiü è mineralibus vſu.

Factum D. *Horſtij* in occultandis Chymicis (forſan vulgaribus) non probo. Nemini enim prodeſt, & forſan etiam errandi occaſionem præbet. Quod *Patauini* Medici *Dn. Comiti* viperæ carnem exhibuerunt, experiundi potius gratiâ, quàm certis adducti rationibus fecerunt, & vt audio, ob ſignaturam externam, quam Plica cum viperis habere videtur. Interim plus ipſi nocuiſſe, certum eſt. Benè vale cum tua, Vitebergæ, 30. Iul. Anno 1629.

De Horſtij ſcriptu.

De viperarū carne in Plica Polonica.

EPISTOLA XXXIV.

PERIOCHE.

1. Auctor cur in Scriptis ſuis, Doringij nomen tacuerit. 2. De aceti generatione opinionem, Auctor & Doringius controuertunt, cuiuſque amborum inuentum ſit. 3. Nymmannus an primus de pilorum ortu ſcripſerit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SFactum forſan eſt, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, vt non vbique, vbi me monuiſti, in meis Scriptis, nomen tuum addiderim; ſed fortè nec ſemper opus fuit, nec à te prouenit; memini: video te adhuc plus memoria valere quàm me. Facis ſæpè litterarum tuarum priorum mentionem, earúmque in iis, quarum: niſi mihi eas in mentem reuocares, eas à te antea ſcriptas eſſe, non recordarer. Et in ſpecie de Aceti generatione opinionem quod attinet, ego hactenus eam pro meo inuento habui, tu, vt intelligo, pro tuo. Neque tempus ſcriptionis tum Epiſtolæ & editionis *Tractatus mei de Scorbuto* iſtam controuerſiam dirimere poterit. Sed ſi Auditorum meorum quis eſſet, qui primus eam à me audiuit, & temporis recordaretur, is eam componere poſſet, ſed tranſeant hæc. E communibus principiis diuerſi idem deducere poſſunt. Exemplum eſt in *D. Nymmanno*. Is acriter defendit, ſuas eſſe ſpeculationes, quas habet, *de pilorum ortu*: ſed eandem ſententiam, tam de cauſa materiali, quàm formali, iam olim, antequam forſan *Nymmannus* natus eſt, habuit, & ſub *de Plicá cap.* 40. Benè Vale. VVittebergæ 2. Aug. Anno 1629.

Auctor cur in ſcriptis ſuis Doringij nomen tacuerit.

De Aceti generatione opinio, Auctoris an Doringij inuentum ſit.

Nymmannus non primus de pilorum ortu ſcripſit.

EPISTOLA XXXV.

PERIOCHE.

1. Doringius Auctori recuperatam ſanitatem gratulatur, 2. Auctoris ſententia de Bezoardico ſolari reſpondet. 3. De calcinatione antimonij per ignem Solarem, 4. Antimonium diaphoreticum quibus hypochondriacis exhibendum. 5. In contumaciſſimis capitis doloribus prodeſt. 6. Vterinis affectibus. 7. Phthiſicis. 8. Compendioſa Antimonij diaphoretici compoſitio. 9. De dolore podagrico Auctoris. 10. Doringius primus Auctor opinionis de aceti generatione. 11. Pulueris cuiuſdam contra ſpaſmum deſcriptionem ſibi communicari precatur. 12. De ſpiritu vitrioli martis, vtrum hypochondriacis conueniat.

D. MICHAELI DORINGIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SGeminis tuis litteris per *Dn. Blanfuſium* miſſis, *Clariſſime Dn. Affinis; & Compater honorande*, vno ſatisfaciam reſponſo. Et primò quidem notum negotium quod attinet; nolenti facilè diſuadere potes id, quod cupis. Fata, ſi aliquando opus fuerit, viam inuenient: ſiquidem

Fidentem neſcis deſeruiſſe Deum.

Quiete, & abſtinentia te id omne morbi, quod abſens in itinere contraxeras, maximam partem ſuperaſſe, gaudeo, & gratulor. Nimirum veriſſimum eſt illud *Hippocratis l. 2. Aphor. 48. In omni corporis motu, ſimul ac fatigari quis cœperit, quies ſtatim laſſitudinem leuat.* Nec fallit tritum illud, *Quiete & abſtinentia multi graues morbi curantur.*

Doringius Auctori recuperatam ſanitatem gratulatur.

Diarrhæa, Dyſenteriæ, & Tertianæ nothæ, admodum frequentes apud nos ſunt. Diarrhææ plurimos infantes hactenus peremerunt.

Gliſcunt etiam præter variolas aliæ Febres malignæ. Summam annonæ metuimus caritatem. Tranſmiſſam à me Bezoardici Solaris deſcriptionem nimis videri operoſam ſcribis, id quod oppidò fateor: Dubitare autem te ais, an tutum ſit, tot ſales vegetabilium addere; cum ſales illi vegetabiles interdum Mercurium reſuſcitent. At metu iſto opus haud eſſe inde colligo; quoniam vti aliàs è *Barthio* monui, Butyrum ♁ maximam partem ex ♁ conſtat, olea quoque admiſta promouere videntur, ne ſales tam fortiter in Mercurium, qui tunc adhuc admixtus eſt agere poſſint. Et reſuſcitetur forſan quandoque per ſales vegetabiles Mercurius: ſemper tamen id non fit. Et ſi vel maximè fieret: ecquid noxæ medicamento iſti inde acceſſurum putabis? Communicauit mihi quidam *Operarius Chymicus*, de Bezoardico iſto particulam: ſed hactenus aperire nolui.

Auctoris ſententia de Bezoardico ſolari reſpondet.

Quæ de calcinatione antimonij per ignem Solarem ſcripſi, te non ſatis aſſequi conquereris; quandoquidem ſi radij ſolis fumos inde excitent, vix ſine ponderis imminutione calcinatio ea fieri poſſit. Equidē, vt verum fatear, calcio hæc res mihimet ipſi, cum eam in *Baſilicâ* ♁ *c. 3. Homeri Poppij Thallini*, vt ſe nominat, & neſcio, apud quem Scriptorem alium legerem, ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe viſa eſt. Veram tamen eſſe, & ſuâ experientiâ comprobatam, antehac dixit *D. Sachßarchus*. Tu rei veritatem explorare poteris, ſi ſuppetit ſpeculum incenſorium. Feciſſem dudum periculum, ſi tale adhuc nactus fuiſſet.

De calcinatione antimonij per ignem ſolarem.

De Antimonio diaphoretico, quod nonnulli in hypochondriacis etiam vſurpant, dubitas; An ſolũ tenuiores humores abſumat? An verò craſſos ſimul attenuet, & fundat? Prius ego menſe Aprili affirmare viſus ſum. Iam verò idem ad craſſos etiam vtiliter dari poſſe, ſed per diſtinctionē aſſero: Craſſi enim humores, vel tartarei actu iam ſunt, vel mucilaginoſi ſaltem & pituitoſi. De his igitur conceſſerim, de illis negauerim. Recordaris procul dubio Hiſtoriæ curati à me hoc ipſo Anno Scorbutici, cuius ſanguis v. ſ. eductus, inſtar Gelatinæ in aqua concreuerat. Habeo nunc quoque curandum alium Scorbuticum, cuius ſanguis ſupernè denſiſſima cruſta pituitoſa tegebatur. Ei inter cætera antimonium Diaphoreticum etiam exhibeo.

Antimonium diaphoreticū quando hypochondriacis exhibendum.

In contumaciſſimis Capitis doloribus prodeſſe præter primum illum, de quo aliàs vno atque altero exemplo hactenus edoctus ſum. Contumaciam verò dolorum humoribus craſſis & pituitoſis præcipuè in iſtis indiuiduis me adſcribere debuiſſe, è ſuis ſignis conieci.

In contumaciſſimis capitis doloribus prodeſt.

Habebam præterito vere cum *D. Dobricio* curandam fœminam quandam, vterinis affectibus primò grauiſſimè laborantem & corpore maximè impuro præditam: Eam ſub noctem inprimis circà præcordia, anguſtia quædam prehendere, Cor opprimere, & vniuerſos ferè artus externos quaſi vermiculat o quodam occupare, capite ſimul compatiente, & dolente, deprehendebatur. Tentabantur à nobis varia. Præparabantur humores, euacuabantur iidem, dabantur roborantia partes. Nihil tamen proficiebamus. Tandem de meo conſilio dabamus antimonium Diaphoreticum, à cuius vſu paulatim melius habere incipiebat. Continuabamus per aliquot ſeptimanas: quo tempore in tantum reſtituta fuit, vt quia melius, quàm habeat, at medicamentorum pertæſa eſſet, reliquum naturæ ipſi committere, quàm medicamentorum vſui diutius inſiſtere mallet. Huic ego conualeſcentiæ cauſam potiſſimum adſcribo. Valet quidem nunc, ſed non ſine querelis ſuper membrorum laſſitudine.

Vterinis affectibus.

Phthiſicum deploratum ſe eius vſu inter alia cumprimis ſeruaſſe

Phthiſicis vtile.

fermasse, testabatur idem *D.Dobritius*, qui te vnum, atque alterum mensem, cum pro *Capuc.no* phthisico consilium dare peteremus, egóque dictum Antimonium proponerem.

Audio ipsi non malè cessisse ordinatorum medicamentorum vsum, quibus id miscebamus. Fistulosus ille affectus postquam puer ab vsu dicti Antimonij destitit, in eodem, quem nuper dixi, statu persistit. Exudat adbuc quandoque pauxillum ichoris, puero cæteroquin optimè sano, & colorato; cùm antea pessimè haberet, subtumidum ventrem circumgestaret, hypochondriis duriusculis, appetitu prostrato, & faciei pallore laboraret. In hoc puero nullam manifestam deprehendi subsecutam operationem, præterquam, quod post primam ipsius exhibitionem verus cruor ex vlcere emanauit. Aliam & forsan compendiosiorem, istius ♁ diaphoretici compositionem edoctus sum his diebus, quæ sic habet. Cape ♁ optimi ℔. j. fac fluat in tigillo, fluenti paulatim immitte nitri purissimi, ℔. iij. Fluant mixta probè: sic enim disparebit q. ♁ posteà infundantur aquæ, vt soluantur. Cura vt impuritates subsideant. Quod clarum fuerit: effunde, & ad ignem magnam partem euapocare permitte: Mox ab igne dempto sensim instilla guttam vnam, atque alteram spir. vitrioli, & confestim liquor lactescet. Hinc Antimonium istud titulo lactis Antimonij insigniunt. Instilla toties, donec lactescere amplius nolit, sine probè subsidere. Liquorem supernatantem separa. Puluerem restantem diligenter edulcora. Dosis multò minor, quam vulgaris: pro quo id vsurpari potest, quod post solutionem in fundo subsedit. Aqua ad siccitatem à nitro separari, & suis vsibus, quod restiterit, destinari poterit.

Alia compendiosior antimonij diaphoretici compositio.

Pulueris *Cornacchini* correctionem meam tibi placere lætor. Prudentiam enim in ipsius exhibitione adhibendam concedo. Si quando parabitur, apud febricitantes præcipuè ante omnia vires ipsius experiar. Antimonium modo *Sexlercano* præparatum, vomitum etiam mouere, facilè credo. Chalapium fortiter purgare, scio: adeò, vt semel, atque iterum duntaxat ab eo, quo ipse vsus sum, tempore (vtor autem familiarissimè) ad ℈. ß. id porrexerim, vomitum carissimè ciuit. Cùm primùm id in vsum vocarem, nescio, quâ fortè de causâ, aliis mixtum tantas cardialgias excitabat; vt ab eius vsu per aliquot annos posteà abhorrerem. Hactenus nihil tale obseruaui. Miror igitur, quomodo *Kerstenius*, (qui *Nissæ* iam degit,) non ad ℈. j. saltem, sed & duas id propinare ausus fuerit: vidi, quid ℈. j. quandoque præstiterit. Ego equidem piaculo ducerem.

Ialapium qua dosi exhibendum.

Ab Arthritide nihil tibi metuendum esse, optarim, vt euentus correspondeat. Frequentata enim ista defluxio, & quidem cum capillarium venarum circa talum intumescentiæ coniuncta, vt locus quasi sanguine suffusus videatur, mihi valdè suspecta est: Nec refert, quod actenus immunis fueris. Accommodare enim huc haud ineptè possis illud *Horatianum*,

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Cur tam subitò manè, consueto tempore humores ad locum affectum pellantur? causam scripsi aliàs: Nunc & partis recipientis imbecillitatem, & ad eum locum fluendi consuetudinem, auctarij loco addo.

De dolore podagrico Auctoris.

Acidulas, quod *Dn. Comes* ferre non potuit, hanc potissimum causam fuisse arbitror, quod post earum potum se se mouere non potuit, vt promptiùs penetrarent. Maiorem enim noxam eas inferre, situ corpore hæreant, nec priùs per emunctoria secedant, res plana est. Ablegaui nuper *Glaceum* ad eas potandas, tres hypochondriacos, duos primæ famæ Nobiles, vnum è nostris Senatoribus Primipilarem: qui, vti heri intellexi, maximo cum sanitatis emolumento eas bibunt. Me quod attinet, non sum tam mei, vel amans, vel inuidus, vt ad N. exemplum, quicquam Tibi exprobrare voluerim. Quod tunc moni, ipsius saltem Insaniæ improbandæ causâ feci. Sit ita te tuis Auditoribus eandem sententiam antè, quàm à me ad te perscriberetur, quandoque forsan proposuisse. Pec mea tamen haud dubiè confirmatior in ea redditus est: præsertim cum animaduertam, te & mea pœnè omnia verba, & argumenta retinuisse. Ego certè hoc affirmare ausim, me primarius iortia, iam *Giessa* olim posuisse, & *D. Horstio* in publica quadam disputatione obiecisse, id quod Anno 1628. die 7. Octobr. Tibi me itidem significasse, si litteras meas tum temporis ad te scriptas, relegeris, reperies. A te vel alio quopiam tale quid traditum fuisse, anteà nec legeram, nec audiueram.

D. Comes cur aquarum acidularum potum ferre non potuerit.

Doringius primus Auctor opinionis de aceti generatione.

Meæ Epistolæ quando tandem, & num à me viuo, vel ab alio quoquam post mortem meam publicandæ sint? Deus nouit. Neque enim quorundam similis hodiè sum, vt omnia mea publicam lectionem mereri credam. Sunt fortassis quædam in meis Epistolis, quæ aliquid vtilitatis legentibus adferre queant: Malo tamen eas adhuc aliquandiu premere. Sat citò si eum quantulo tantùm, vel posthumo olim, famæ meæ incrementulo, prodierint.

Doringij modestia.

Legistin', quæ de vi Tincæ magneticâ referuntur apud *Schenckium l.6.Obseru.221. Saxoniam de Plica, c.56.* & *Claudium Deodatum Pan: het Hyginsthei, l.1.p.109.* & rursum *p.395. 6.* Quæso te, scribe proximè, quid de iis sentias? Nolui hactenus quicquam eorum periclitari.

Tincæ vis magnetica.

Audio *Norimbergæ* in Officina *Bederiana* prostare puluerem quendam contra Epilepsiam decantatissimum, Eleusiniorum sacrorum instar studiosissimè occultatum, atque sub nomine *Pulueris Mantuani* celebratum. *Besslerus* post multiplices preces *Laurea* nostro *p.m.* descriptionem communicasse fertur: quæ nulli nostratium nota est. Si tibi innotuit, mecum oro, communices, vt videam, an tanti ic sit, vt tantoperè abscondi mereatur? Sin te latet, operam da, vt *Norimbergâ* ab aliquo amico descriptionem impetrare possis.

Puluis contra epilepsiam celebris.

Ecquid prætereà tibi videtur de secreta sulphuris fixatione, quam proponit idem *Deodatus Operis citati lib.1. c.12. in fine*: Putas ne eum subinnuisse *Paracelsum*? quando *de generatione rerum naturalium, l.1. circa finem* ait, animam metallorum nihil esse aliud nisi quintam essentiam sulphuris, quæ reuerberato sulphuri per spiritum vini extrahatur, coloris rubicundi, transparentis instar rubini, quæque magnum & præstans sit arcanum alba metalla transmutandi & ☿ viuum in ☉ fixissimum coagulandi, sufficiatque sola ad metallorum transmutationem, adeóque digna, quæ ingentis thesauri loco, pro acquirendis diuitiis commodatissima, habeatur.

Anima metallorum secundum Paracelsum, quid?

Deceptor ille *P.* huc rediisse dicitur. Mirarer, si *Princeps Bregensis* sese denuò circumueniri pateretur. Ego quorundam Nostratium more tanti pœnitere non emerem.

Iactat ceu mihi relatum, præter vniuersale, nouam cinnabaris fixationem. Tempus veritatem proculdubio, in apricum proferet.

De spiritu vitrioli ♂ vt meam sententiam tibi aperirem, fermè oblitus eram. Ais, te circa eum hærere, num is in hypochondriacis idem, quod Chalybeata reliqua, præstet? Siquidem non leuis substantiæ videatur mutatio, atque acida alia melancholicis inimica sint, & atram bilem exaltent: Respondeo; idem per omnia, quod Chalybeata reliqua, spiritum istum non præstare. Ratio est, quia Chalybeata cætera aluum mouent; hic verò non: id quod substantiæ mutationi oppidò adscribendum. Quin tamen ob vim aperitiuam hypochondriacis sit vtilis, non dubito. Nec obstat ipsius aciditas: Nimius enim solummodò acidorum vsus melancholicis obest, atramque bilem exaltat, moderatus contrà commodus existit. Scis me scripsisse suprà, quod acidulas proficuè nunc bibant mei hypochondriaci; easdem à Scorbuticis salubriter potari, *D.G.K.* exemplo ante hâc probaui. Tu igitur easdem iisdem cum *Ronsseo, Salomon. Alberto*, & *Matthiae Martinio in Tractatu meo de Scorbuto* non præter meritum commendasti.

Spiritus vitrioli martis vtrum hypochondriacis conueniat.

Nimius acidorum vsus melancholicis noxius.

Salutari te amicè iussit per me *Dn. Dauid Albertus*, & promissi, a Filio tuo dati, admoneri de donandis scriptis tuis pro amplificandâ Bibliothecâ *Bernhardina*. Scipsos ea compingi curaturos præsides pollicitus est idem *Dn. Albertus*. Bene vale, dabam Breslæ, die vltimâ Augusti. Anno 1629.

EPISTOLA XXXVI.

PERIOCHE.

1. Sennertus Rector Academiæ eligitur. 2. De Impostore quodam qui peritum Chymicum mentiebatur. 3. Circa venas lacteas quid obseruarit Auctor.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SQuod proximè, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, nihil litterarum à me accepisti, causa est, quod *Lipsiæ* vltrà spem moratus sum, atque intereà Rhedarius abiit. Intereà & illud euenit, quod Senatus Academicus me absentem Rectorem Academiæ elegit, & renunciauit, præterito *Peichofero*; Quæ res non parùm odij & maleuolentiæ apud illum mihi conciliauit. Atque ita vtrumque collegam parùm æquum habeo; etsi nullo meo merito. Verùm Regia vincendi via est, tolerare, quæ mutare non possis. Celare verò te nec hîc debeo, fuisse nuper mecum *M. P.* philosophum illum, vt se nominat. Veniebat ad me, & quærebat, an scirem, vbi iam *M. P.* degat, se ablegatum esse à Nobili quodam *Iuliacensi*, vt eum inquireret. Respondi; me equidem id nescire; famam tamen esse, fuisse nuper *Vratislauiæ*. Me verò dubitare, an operæ pretium sit, ipsius nomine tantum iter suscipere. Fuisse & ante biennium, ni fallor, *Vratislauiæ*, ibique sparsisse, quod mecum fuerit, cum tamen nunquam ipsum viderim.

Sennertus Rector Academiæ eligitur.

De Impostore quodam qui peritum Chymicum mentiebatur.

Ibi ille mox *P.* defendere cœpit, & in illum inuehi, qui ad me id scripsisset. Esse bonum virum *P.* nec ea, quæ vera non sint, sparsurum. Post aliquos adhuc sermones, cum Musæo exiret, valedicendo dixit, *Dic te vidisse Philosophum*: Reuocaui

ipsum, & quæsiui, an nuo ipse P. esset. Post aliquam tergiuersationem id confessus est, simulque sui itineris causam aperuit. Se omnino adhuc quatuor discipulos conquirere, quibus artificium lapidis philosophici aperiret, simulque libellum monstrauit, in quo scripta erant iuramenta discipulorum, ni fallor, trium: Inter quos erat *D. VVoysselius*, & alius quidam ciuis *Vratislauiensis*, cuius nomen excidit: Simul dedit exemplar Epistolæ typis impressæ, quam hinc inde spargere mihi videtur. Potuissem hominem facilè detinere; verùm cum animaduerterem, eum id aliis promittere, quod ipse nondum habet, eum à me amolitus sum, atque ita Plutum domo ejeci. Mitto tamen Epistolam legendam, quam remittere poteris. Scriberem iam etiam aliquid de iis, quæ *Artem nostram medicam* concernunt, sed obstant negotia plurima. Hoc saltem addo, vidistine, & legisti *Tractatum de lacteis venis Casparis Asellij*. Iam sub manibus morbos mesenterij habeo; vbi omninò vasorum horum facienda erit mentio: Sed integra earum cognitio mihi adhuc deest. Vidi quidem illas, & vidi intestinis inseri, & chylum lactis formâ ex iis ad se erahere; sed vbi coëant, & vbi eorum sit truncus, nondum videre potui, cum in mortuo animali non delitescant. Tu si quid de iis cognitum habes, mecum communica. Bene vale & vxorem tuam, ac *Dn. Danielem* officiosè saluta. VVittebergæ, die 24. Nouembr. qui præcedit natalem meum 58. Anno 1629.

Circa venas lacteas quid obseruarit Auctor.

Postscriptum. Dn. Davidem Albertum meo nomine officiosè salutes, & significes, me promissi à Filio meo facti non esse immemorem, & re ipsâ præstiturum. Deus modò faxit, vt firmæ pacis spes fulgeat, ne mel pro fucis colligatur.

EPISTOLA XXXVII.

PERIOCHE.

1. De Rectoratûs munere Auctorem gratulatur. 2. Quid de Impostore illo Chymico sentiat. 3. Aselli Tractatus de venis lacteis notatu dignus. 4. Mixtura ex aqua theriacali camphorata, spiritu tartari & vitrioli facultates. 5. De Corallorum tinctura.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Sanè non semel, neque parum hactenus miratus sum, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quid causæ fuisse potuerit? quod tanto temporis interuallo nihil litterarum ad me dedisti. Postquam igitur causas intellexi; facilè tibi ignoscere possum. De Rectoratûs munere tibi gratulor: P. prudentior esse debuerat: Videat igitur, ne in aulâ etiam impingat. Profectò decebat ipsum studiosos à Cyclopico isto viuendi genere dehortari, non autem ad id suo exemplo instigare.

De Rectoratûs munere Auctorem gratulatur.

Impostorem illum M. P. tecum fuisse, audio. Accedat denuò, si vir est, Principem Bregensem; aut glorietur de ipsius notitia. Ipse etiam *Princeps VVolskius* Regni Polonici *Mareschallus*, ante aliquot menses, cum ab ipso ad prandium vocatus essem, inter alios sermones eiusdem Impostoris meminit, & in faciem sese ipsi dixisse fassus est, dignum esse, qui in crucem agatur; cùm eius rei informationem aliis promittere ausit, quam ipse nunquam elaborauerit, sed nudâ speculatione imbiberit. Ego, si tuo loco fuissem, hominem pro vti meritus est, condignè tractassem. Nomen suum inter discipulos professum esse *VVoysselium*, facilè credo: Is enim ipse pessimum istum Impostorem litteris suis Principi *Bregensi* ante vnum atque alterum mensem commendare non est veritus. Ciuis ille *Vratislauiensis*, cuius nomen tibi excidisse conquereris, procul dubio fuit *Dn. Ioh. Scherbackelius*, vir sibi soli natus, & in re lautâ constitutus.

Quid de Impostore illo Chymico sentiat.

Casparis Aselly Tractatum de venis lacteis, & vidi, & legi. Res, me herclè, notatu, & consideratu digna. Nobis in talia penitiùs, atque exactiùs inquirendi, perindè ac vobis, tam prompta non datur occasio.

Aselly Tractatus de venis lacteis notatu dignus.

Bartholetum vasa ista *Mantuæ* eleganter demonstrasse, nuperrimè significauit *D. Kinnerus*. Mixturâ illâ triplici, ex aqua Theriacali, camphoratâ, spiritu tartari & vitrioli constante, an vnquam vsus fueris, & quo cum fructu, scire velim. *Finckius in Enchiridio Hermetico-Dogmatico*, pro vniuersali digestiuo, & omnium spirituum restaurarium, commendat; quem sequitur *Deodatus in suo Pantheo Hygiastico*; qui id *Diatrion Hermeticum* inscribit.

Mixtura Theriacalis vsus.

Conradus in secunda parte Medullæ Destillatoriæ contra pestem, febres malignas, pleuresin, epilepsiam, &c. laudat. Quam mirus in ipsius laudibus recensendis sit *Vutzerus* aduersus pestilentiam, apud ipsummet videre poteris. *Tentzelius in Exegesi Chymiatrica*, vbi aquam Theriacalem describit, eiusdem circa finem meminit, & certum secretum contra melancholiam hypochondriacam, non cuiuis reuelandum, suppressâ tamen dosi ingredientium, Lectoribus inculcauit: Tam nobile remedium, in tuâ *de affectione hypochondriacâ Disputatione*, & aliis scriptis, quantum ego quidem scio, tu sicco pede penitùs præteriisti. In affectibus capitis magno, sed sæpè frustraneo, aut saltem diuturno conatu laboramus Practici: Chymiatri sua remedia Lunaria deprædicant, tu *parte 1. Practicæ*, sulphur Lunare describis. Doce, quæso, an eo modo præparatum, & quo cum successu adhibueris? Corallorum tincturam, summè aliàs commendari, me etiam non monente, nosti. At quotusquisque ipsius possessor factus est? adeò, vt *Crollius* cum *Salâ* eam dari pernegauerint. *Finckius in suo Enchiridio* ipsam per mellis spiritum parare iubet. Sed fallit, & fallitur, soluuntur enim corallia, quod æquè præstat, aceto destillato. De commodâ aliquâ auri solutione diu multumque hactenus cum Pharmacopæo *Callenbergio*, cogitaui, quæ tamen nobis satisfaceret, nulla adhuc inuenta est. De his & similibus, veluti, & quæsitis ante hac propositis, sententiam tuam mihi proximâ occasione aperias, velim. Heri tandem perbreues ab *Horstio* nostro accepi litteras, sed rerum Chymicarum vacuas. Excusat se iterum ob dilatam scriptionem, suis laboribus *vulcanous*, pollicetur que, se proximè pluribus per litteras acturum. Vrgebo de iisdem ipsius sententiam. Bene vale, & præsentem Annum vertentem pro voto fini, instantemque nouum feliciter bono cum Deo, ingredere. Dabam Bregæ, die 18. Decembr. Anno 1629.

In affectibus capitis frustra sæpissimè laborant Medici.

Corallorum tinctura paratu difficilis.

EPISTOLA XXXVIII.

PERIOCHE.

1. Cur Doringio non prius scripserit. 2. De Contributionibus nimis conqueritur. 3. De Doringij pilulis antipodagricis honorifica mentio. 4. De aquarum acidularum potu ad podagram.

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

Non obliuione tui, *Clariss. Doringi*, taceo, sed ob *Vulcani* nostri labores, quibus, negotiis aliis impeditus, id quod volui, pro voto non potui expedire, de quo proximè pluribus. Quoad publica, Dei gratiâ, viuimus adhuc pacatè, præterquam quod contributiones ferè fisco sint imposterum impossibiles: in statu Ecclesiastico, & Politico nihil hactenus apud nos tentatum est: Deus imposterùm etiam clementer veritatem Euangelicam defendat! Pilulas tuas antipodagricas cum honorificâ tui nominis mentione, publici iuris feci; quod æquo animo feras, & certò tibi persuadeas, pluribus iisdem, præsertim in constitutione corporis phlegmaticâ leuamen conciliatum fuisse. Ego Deo gratias ago, qui per biennium nihil sensi, nisi leue quid semel atque iterum, vbi mox assumpto dulcificato ℈.i. ß. cum diagrydij sulphurati ℈.ß. purgationem instituo. Plurimùm verò potui acidularum tribuo, quo singulis æstatibus, datâ semper occasione cum Magnatibus in viciniâ (quanquam præcedentibus Mensibus nectar istud *Schvvalbacinum* visitauerim) eum diætâ fruor.

Cur Doringio prius non scripserit.

De contributionibus nimis conqueritur.

De pilulis antipodagricis Doringij honorifica mentio.

Aquarum acidularum potus ad podagram.

Hisce bene vale, cum Familia, & te amantem redamare non desine, simulque de statu vestro publico, tum etiam de lautenâ *Grunbergensi* me certiorem redde. Dabam ocyus, Vlmæ, 4. Non. Nouemb. Anno 1619.

EPISTO

EPISTOLA XXXIX.

PERIOCHE.

1. Quàm ægrè silentium Horstij tulerit. 2. Horstio de recuperata valetudine gratulatur, & quomodo ipse in dolores podagricos inciderit, & ab ipsis se liberauerit, significat. 3. Purgatio per mercurium dulcem in Arthride an conueniat. 4. Diagridij cum sulphure præparatio an admittenda. 5. De aquarum acidularum vtendi modo. 6. Quid de reductione auri in substantiam potabilem, & vera corallorum tinctura sentiat. 7. De Silesiæ statu.

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

De Horstij silentio.

SMagno equidem desiderio, tuas hucvsque, *Cl. Horsti*, expectaui litteras. Et sit sanè; quod cum *Vulcanus*, tum alia negotia, impedimenta multa tibi obiecerint: Tertius tamen, nisi me fallit memoria, nunc agitur annus, quod nec litterulam, nec per alios etiam factam salutatiunculam, à te nactus sum. Excitauitne te *D. Lucas Gillerus*, *Ratisbonæ* viuens? Is enim præterito vere, à me petijt, vt ipsi litterarium accessum à te impetrarem. Iussi igitur, vt ipsus, cum me sibi sit vicinior, audacter ad te scriberet, & scribendi officij admoneret. Pilulas meas, quod publici iuris fecisti, non ægrè fero. Putabam te integrum meum discursum, & exegesin ingredientium adiecturum fuisse. Si dignum iudicas luce publicâ Consiliis aliquam multis ab aliis haud incelebribus Medicis aduersus arthritidem conscriptis, stipatum, posthâc ipse edam.

Horstio de recuperata meliori valetudine gratulatur.

Te hactenus per biennium non nisi leue quid semel atque iterum perpessum fuisse, tibi gratulor. Felicior multò es hâc in parte me met: vtpote qui hoc anno post meracioris Vini inuitatiunculas ternos decubitus sustinere coactus fui; benigniores tamen & ipsos, cum statim sub primum insultum puluere senæ simplici cum Trochisc. de violis siue Scammon. permixto, additis sem. anisi, & fœniculi pro corrigentibus, materiam paululum imminuerem.

Puluis blandè vacuans in Arthritide.

Tu Mercurij dulcificati ℈. i. ß. cum diagrydij sulphurati ℈. ß. purgationem te instituere ais. Sanè scio *Michaelem Majerum* peculiari Tractatu, eundem commendasse; cur tamen nec ipse amplius eo vti, nec aliis facilè vtendum præscribere, velim, causas è *Sennerti de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis libro* disces. Vestigia enim me terrent. Præterquam enim quod exemplum illud Medici innominati me spectat: obseruaui certè similia etiam in aliis, quibus idem medicamentum ab aliis exhibitum fuerat. Sed tu periculum istud te declinaturum arbitraris, quandoquidem diagrydium sulphuratum ipsi permisces. Equidem scio & hoc, hortari nonnullos, vt stimuli loco diagrydium addatur, quò maturius operetur, & è corpore iterum secedat. Sed perpendere te peruelim, an non per istam corrigendi rationem diagrydij multo maxima purgandi vis pereat. Quid enim ista suffumigatio per solphur distat ab affusione spiritus vitrioli, vel sulphur acidi? profectò crede mihi expertò, quod isto modo præparatum vel ad ℥ ß. sine fructu exhibuerim. Vnde factum, vt nunc solâ scammoneâ præcipitatâ, vti ego voco, vtar. Memini ipsius, si rectè memini, in eodem illo discursu meo *de Arthritide*. Acidularum potui plurimùm te tribuere pro eiusdem præparatione addis. Apud biliosæ constitutionis homines, & qui malo hypochondriaco simul laborant, id cum emolumento fieri posse, facile tecum sensero. Sed quid de vtendi modo, ac tempore tibi videtur? Satiusne putas esse semel, & quidem de manè; An verò bis, de mane scilicet, atque ante cœnam quoque eas bibere? Magnus quidam Medicus, isque Cæsareus, præteritâ æstate, magnæ itidem existimationis Viro apud nos viuenti id consilij dederat, vt acidulas in vicino Comitatu *Glacensi* visitaturus, non tantùm semel solummodo, sed & in dupla dosi manè ipsas hauriret: Cui consilio dum paruisset, cum tenui diætâ vteretur, vehementissimè quidem, per aluum ab iis purgatus est: ventriculo tamen non leuis noxa impressa fuit, quæ etiamnum, vix aliquantulum diligenti operâ corrigi potuit. Nonnulli vinum in prandio & cœnâ iis temperare iubent: quæ ratio mihi videtur longè esse pessima; cum acidulæ in ventriculo diu morari non soleant; sed ante tempus iustum, crudiorem chylum secum educant, & intrà venas rapiant, sicque grauiora deinceps mala pariant. Si semel bibendæ sint, sequerer vtique *Deodati* consilium *l. 2. Panthei Hygiastici p. 134.* 6. qui auctor est, vt Medici secum cogitent, an non satius sit? semel duntaxat, in die, horisque matutinis acidos fontes bibere, & trium septimanarum loco sex hebdomadas impendere.

De aquarum acidularum vtedi modo.

Diagrydij cũ sulphure correctio an admittenda.

Vinum an huiusmodi aquis temperandum.

Deodati consilium in aquarum acidularum vsu.

Ad *Vulcanum* tuum redeo, docuitne is tandem veram ☉ in substantiam potabilem reducendi rationem, aut tincturæ corallorum genuinam extractionem? Quæ enim de his vulgò circumferuntur, meræ sunt imposturæ. Si quid tale didicisti, me quoque participem redde. Aurum transparens, quod appellant: parastine vnquam, & vsurpasti? Quantopere enim id extollat *Rhenanus*, *Goclenius*, *Homerus Poppius*, & nouissimè *Kofferus*, non ignotum tibi esse existimo: Priores tres tincturæ extractionem pollicentur. Ego tametsi diuersis menstruis operationem tentarem, nihil obtinere potui. *Silesiæ* nostræ statum quod attinet, est is vtique miserabilis & deplorandus.

Quid sentiat Doringius de reductione auri in substantiam potabilem, & de vera Corallorum tinctura.

Solæ Vrbes in *Bregensi*, *Lignicensi*, *Olsnensi*, & nostro hoc Ducatu à reformatione hactenus immunes fuerunt. Deus largiatur perpetuitatem. Hisce bene vale & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 19. Decembr. Anno 1629.

Silesiæ status deplorandus.

EPISTOLA XL.

PERIOCHE.

1. Auctoris de Michaele Potier iudicium. 2. De Anonymi epistola ad Auctorem pro lapide philosophico. 3. Auctor sibi circa venas lacteas satisfacere non potest. 4. Mixturæ Theriacalis quis Auctor. 5. Sennertus in filiæ nuptiis celebrandis occupatus. 6. Ad eam solemnitatem Doringium vnà cum vxore inuitat. 7. De Lienis vsu quid sentiat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctoris de Michaele Potier iudicium.

SAlutem, annúmque nouum felicem, *Michaelem Potier*, *Clarissime Dn. Affinis*, & *Compater honorande*, talem esse, qualem describis, facilè credo, imò esse suspicatus sum. Ideoque breuibus eum à me amoui. Sed nescio quomodo *Plutus*, iam mihi se vltrò offerat. Misit enim ante duas septimanas quidam Anonymus *Torgâ* ad me prolixam Epistolam per famulum suum Equitem, in qua pluribus materiam lapidis philosophici describebat, sed vt solent; tandemque illud artificium mihi offerebat; sed certis conditionibus; inter quas, cum animaduerterem, (etsi illam non planè expressisset, sed famulo interprete opus haberem) etiam eam esse, vt aliquid sumptuum erogarem, simulque intelligerem ex illa Epistola ipsum Theoriam ad praxim nondum transtulisse, illum à me amoui, nec mihi iam sumptus ad talia molienda & suppetere respondi. Equidem liberius de quibusdam cum eo contulissem; cum probabilius, quàm *Potier*, de ea re mihi scribere videretur: Verùm cum tribus Equis Torgæ viueret, nolui cum meo sumptu allicere. Quia verò *Francofurtum* eum eum tendere intellexi, tui mentionem inieci. Si ergò te compellabit, vide qualis sit, & num ab eo aliquid expiscari possis. Famulus referebat, esse ipsum quendam Nobilem aut Baronem *Carinthiam Gleichen beſen*.

Anonymi epistola ad Auctorem pro lapide philosophico.

Lacteæ venæ me valdè sollicitum habent: etsi enim eas viderim; tamen plura videre non potui, quàm *Asellius* describit, quæ mihi nondum satisfaciunt; cùm de earum insertione, & trunco nondum certus sum. Si vera ista sunt quæ *Asellius* scribit, non pauca de vsu lienis, & morborum è mesenterio oriundorum causis mutanda erunt in *libro* 3. quem proximo vere prælo subiiciam. Roga ergo *Dn. D. K.* vt si ex *Bartholeto* plura didicit, de iis, quam quæ in *Asellio* habentur, ea mecum maturè communicet. Valdè etiam me dubium habet doctrina de causis hydropis, & post longam meditationem in nouam opinionem descendi. Misi eam *D. VVinckleto*, quando otium tibi erit, poteris eam ab eo petere, & perlegere, & de ea tuam mentem mihi aperire.

Auctor sibi circa venas lacteas satisfacere.

Mixturam simplicem non rarò vsurpo, præcipuè in febribus malignis. Eam in vsum in hisce regionibus præcipuè duxit, quidam *Grabeccius*, qui hoc nomen etiam ipsi imposuit, ad differentiam mixturarum aliarum variarum quas habuit, quarum basis omnium est iste: Spiritus tartari compositus. Is con-

Mixturæ Theriacalis quis Auctor.

ſtanter affirmauit *Er hette in der praxi deroſelben ver braucht vnd verkauft uber zehen pfunde.* Fecit autem iam olim eius mentionem *Andernacus.* Vide *Inſtitut. pag.* 1368. *vltim. ed.* Facio & alibi eius mentionem. Tincturam corallorum, qui veram habuit, nullum adhuc vidi: Sed colores illi omnes ſunt à menſtruo. De medicamentis Lunaribus ſcribam proximè. Iam enim propter negotia publica, & adornandas Filiæ nuptias, in quibuſdam ſum occupatus. Intelliges enim ex adjunctis litteris, quod Deus Opt. Max. felix & fauſtum eſſe iubeat, nuptiis Filiæ meæ celebrandis dictum diem eſſe 9. Februar. ſtyli veteris. Si verò quem ex inuitatis maximè expeto, te cum vxore tuâ huic ſolemnitati intereſſe exopto. Da ergò priſtinæ amicitiæ, cognationi, & affinitati, ac *VVitteberga*, quam te amare ſcio, hue, & nos adhuc ſemel inuiſe. Cum vero Tabellarius antè nuptias vix ſit reuerſurus, per Poſtam Lipſenſem, quid expectare debeamus, certiorem fac.

Sennertus in adornandis filia nuptiis occupatiſſimus.

Ad dictam ſolemnitatem Doringium vnà cum vxore inuitat.

Non dubitaui, *Dn. Seuerinum Schatonem*, qui hactenus *Freiberga* vixit, ad nos venturum fuiſſe: verùm mors, quæ è viuis eum antè menſem eripuit, relictis tribus liberis, ſpem hanc turbauit. Saluta tuam omnium noſtrûm nomine, & bene valere. VVittebergæ, die 3. Ianuar. Anno 1630.

P. S. 1. Ex litteris tuis intelligo te mea ſcripta etiam legere, & non dubito, quin multa occurrant, de quibus monendus ſim, quæſo ergo, id non intermitte. 2. Quod ſuprà ſcripſi repeto, & oro vt meas meditationes de hydrope legas, tuamque mentem ſuper iis mihi aperias.

Lienis vſus.

Lacteæ venæ multa mutare iubebant: & præcipuè de lienis vſu doctrina mutanda; iſque iam vſus lienis conſtituendus, vt ex hepate craſſiorem ſanguinis partem attrahat, eamque cum ſanguine arterioſo (plures enim arterias habet, lien, quàm venas) in peculiarem ſanguinis ſpeciem pro viſceribus ventris inferioris nutriendis commodum mutet: de quo aliàs plura. Bene vale.

EPISTOLA XLI.

PERIOCHE.

1. Doringius Auctori ſignificat quid ab Anonymo acceperit circa lapidis philoſophici myſteria. 2. De Auctoris opinione pro hydropis aſcita generatione quid ſentiat. 3. De mixtura Grasbeccij. 4. Doringius quanam in lectione Librorum Sennerti mutanda inuenerit. 5. Chaſmata in cælo viſa quid ſignificent. 6. Fauſtas Auctoris filia nuptias precatur, & munuſcula mittit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctori ſignificat quid ab Anonymo acceperit circa lapidem philoſophicum.

SAnonymus ille, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, qui tibi communicationem Myſterij Philoſophici obtulit, illas ipſas litteras ad te ſcriptas, cum tuomet reſponſo per proprium curſorem ante tres ſeptimanas ad me primùm miſit: Præteritâ ſeptimanâ accepi ab ipſo quartas cum conditionibus, & mediis ſatisfactionis: Promittit ſe vel ipſum huc venturum, vel per famulum concluſiuam meam ſententiam prima ſententiâ exquiſiturum eſſe. Didicit artem ab alio, vti refert, qui alicubi in Romano Imperio latitat, & opus elaborat, idque eò vſque iam perduxit, veluti ſcribit, vt truxque feroxque Saturnus benigno Ioui imperium tradiderit. Multa equidem pollicetur. Petit pro Solario 3000. ducatorum; ſed hâc lege, vt mille in paratâ pecuniâ deponantur, pro alterâ merces apud aliquem Mercatorem, pro tertio monilia à *Gemmaria* emantur, ſoluenda primùm poſt ſecundum, vel tertium annum, ſed tantum ego perſoluere nequeo. Obtulit idem, quemadmodum cognoui, ante hâc etiam Principi *Brixenſi*: qui cum eo, quod tu nuper indicaſti, nomine vocari, cuidam amico meo faſſus eſt. Si huc venerit, videbo, num rectâ viâ procedat? Eſt enim hic quidam *Alexander Lucius*, natione *Sabaudus*, homo ſat diues, qui maximam ætatis partem in hoc ſtudio conſumpſit; & omnes propemodùm regiones, ipſamque etiam *Turciam*, peragrauit. Si quis verus huius poſſeſſor nunc viuit, hic certè talis eſt. In eius notitiam per quendam amicum, cui de iſto negotio aliquid patefeceram, non ita pridem deductus ſum. Hic tam facilem ac benignum ſeſe mihi obtulit, vt ſe me certis quæſitis inſtructurum eſſe promiſerit; quibus numquid

Alexander Lucius lapidis philoſophici verus poſſeſſor.

artem verè calleat, nec ne? deprehendere, atque periculum fraudis declinare poſſim. Optarim, vt ille Magiſter quamprimùm ſe nobis ſiſtat. Minatur enim noſter hic intrà menſem ad ſummum, abitum. Si res eſſet certa, impenderem vtique in eam nonnihil.

De venis lacteis, quæ apud Bartholetum viderit *D. Kimerus*, ipſus proculdubio per litteras ſignificabit.

Opinionem tuam de hydropis aſcitæ generatione, & ſeri congeſtione, in abdomine heri curſoriè legi. Ea, ſi ipſam rectè aſſecutus ſum, in hoc potiſſimum conſiſtit, vt tu non tam à vitio alterutrius viſceris, puta lienis, vel hepatis facultatis alteratricis, ſiuè coctricis, quàm attractricis prouenire ſtatuas, quatenus videlicet id, quod aquoſum eſt, in cibo & potu, non attrahitur, & per competentes vias educitur, ſed in primis viis reſtitat. Cauſam hanc quandoque locum habere non negauerim: Eam ſi quid aliud, certè ſumma illa anxietas, & inquietudo, & hypochondriorum diſtenſio, quæ noctu cumprimis ægrotantes affligere, & tantùm non ſuffocare ſolet; vt proinde, quò ſe vertant, & vbi aliquod lenamen inueniant, vix ſciant. Obſeruata hæc mihi ſunt multoties, vt ideircò nunc pro certo, & ferè indubitato ſigno ſubſecuturi hydropis habeam, niſi ſero tranſituro viæ quantocyus aperiantur, & vrinæ promoueantur. Symptomata autem iſta à ſero potius iſthîc locorum reſtagnante, quàm flatibus oriri, euentus poſtea demonſtrat. Exemplum igitur illud *Tidicæi*, quod de Tympanite è *Schencky libr. 3. Obſeru.* 126. allegas, rectiùs ad Aſcitem, quàm Tympanitem pertinere videtur. Sed tu de iſtis diligentiùs cogitabis.

De hydropis Aſcitæ generatione ab Auctore ſtabilita quid ſentiat.

Futuri hydropis ſigna.

Diatrion Hermeticum, ſiuè mixturam ſimplicem *Grasbeccij* ipſe etiam parari curaui: vocatur à me *ſpiritus Eephraſtico-diaphoreticus* propter effectus. Vſus hactenus eo cum aliis aperientibus mixto non incommodè.

De mixtura Grasbeccij.

Quâ autem doſi tu eum exhibes? *Vntzerus* ad ℨ. j. ß. doſin extendit. Quis verò fuit ille *Grasbeccius*, & vbi vixit? Hyperbolicè mihi locutus eſſe videtur, dum tantam, & tam incredibilem ipſius copiam ſeſe diſtraxiſſe profeſſus eſt. Fides ſit penes Auctorem.

Petis, vt ſi quid in tuorum Scriptorum lectione occurrat, de quo monendus ſis, id non intermittam. Fuere fateor, nonnulla; ea tamen nunc non ſuccurrunt, niſi hoc cumprimis, quod eſt *in tractatu de dyſenteria*; vbi coagulationem Mercurij proponis, eamque ſolorum ſpirituum ope, citrà corporeæ alicuius ſubſtantiæ admixtionem fieri tradis. Nollem te hoc ſtatuiſſe. Rident enim id Chymici, & mirantur, quod hanc rem non olfeceris, ac deprehenderis, quod coagulatus iſte, nihil ſit aliud, quàm amalgama ☿ & ♀ Fac periculum; vbi per ignis vim diſpergetur ☿ reſtabit pura ♀. Si igitur *Tractatus* iſte vel ſeorſim, vel cum *tertiâ praxeos parte*, recudetur, doctrinam hanc, aut muta, aut totam dele. Monebam de eâ Filium *M. Danielem*; an ſignificauerit vnquam tute ſcies. Ignoſce, quæſo, candori meo.

Doringius quid in Sennerti librorum lectione immutandum inuenerit.

Chaſmata illa inſignia, per totam fermè noctem die 4. Februarij hîc noſtris, & à me *Bernſtady* (eram enim tunc ibi propter ægritudinem *Ampliſſimi Viri D. Erneſti Langij, Cæſarei, & Proregis Sileſiæ Conſiliarij*) viſa, an vos etiam obſeruaueritis? ſcite velim: portendunt haud dubiè magnas clades, & mutationes. Deus ſuorum, qui iam ſub cruce grauiter premuntur, ac gemunt, pro ſuâ paternâ clementiâ miſereatur, atque eos ab hoſtium Tyrannide tandem liberet. Intercede tu pro nobis, ô bone IESV, & exora cæleſtem tuum patrem, vt nobis benignus ſit, & propitius.

Chaſmata in cælo viſa quid portendant.

Medicamentorum Lunarium ne proximè obliuiſcaris vehementer oro. Solarium ſiquod habes, nec illud inuide: Nuptias, quas Filiæ iam paras, Deus Opt. Max. ex omni parte iubeat eſſe fauſtas, & felices. Quod ad eas non compareo, facilè me excuſabit, & itineris longinquitas, & viæ prauitas, & officium publicum, (ne quid dicam de aliis negotiis) quod me hoc temporis tam diu hinc abeſſe non patitur.

Fauſtas Sennerti filiæ nuptias precatur.

Semina peſtilentiæ (quod tamen tibi ſoli dictum volo) nonnulla ſeſe hactenus tam extrà, quàm intrà Xenodochium, oſtentârunt. Res hæc in ſecretis adhuc ſeruatur, & quidem prudentiſſimè: ne damni aliquid ciues ob publicationem patiantur. Mittimus intereà Filiæ munuſculi loco, ego nummum aureum, vxor telam lineam Damaſcenam: quæ vt boni conſulas, oramus. Benè in Domino valere, & ſaluere. Dabam Breſlæ, die 13. Februar. Anno 1630.

In peſtis ſuſpicione prudenter ſeſe gerere debent Medici.

EPISTOLA XLII.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringium monet vt cautè cum quodam lapidis philoſophici Operario agat. 2. Graſbeccius quis ſit. 3. De Chaſmatorum apparitione. 4. Pro miſſis muneribus gratias agit.

D. MI

Digitized by Google

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Author Doringium monet ut cautè cum quodam lapidis Philosophici Operario agat.

S Magistrum illum Operis Philosophici. quod attinet, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, velim cum eo cautè agas: summa enim quam petit nimis magna est. Imò ego omnes qui vendere hanc Artem volunt suspectos habeo. Si artem callet, & equos, & famulos alit, posset suo sumptu, sine aliorum ope, id quod se callere putat, effectum dare. Sed cum præsenti colloquium forsan hanc rem definiet. Si quid tamen notatu dignum ab illo Alexandro Sabaudo percepisti, mecum communices, velim.

De venis lacteis hæreo; neque dum omnia de iis facilè definientur, cum in viuo animali sectionem administrari oporteat.

Hydrops & febris quartana scandalum Medicorum.

De hydrope si quid amplius cogitasti, id vt mihi aperias, oro. Res sanè consideratione dignissima est, cum hydrops cum Quartanâ Medicorum scandalum audiat.

Grasbeccius quis sit.

Grasbeccius, Belga fuit, vt iactauit, Nobilis, Medicus, vt existimo, non indoctus, sed singularis, & importunus, & ebrietati deditus: vixit aliquandiu Magdeburgi, posteà circa syluam Hircinam. Mortuum iam existimo; mixturæ huius ipse Author non est, vt in *Institutionibus* monui.

Quia, vt nuper etiam scripsi, scripta mea te interdum legere animaduerto, quæso, in chartam aliquam conicias, quæ mutanda putaueris, & ea ad me mittas.

De Chasmatorum apparitione.

Chasmata illa apud vos obseruata & hîc vidimus, & vt ex publicis illis Nuncijs patet, per totam Europam apparuerunt, & multò terribiliora alibi, quam hic. Portendunt procul dubio aliquid singulare: Quod vt ad pacem *Germaniæ*, & Ecclesiæ Christi incrementum faciat, Deum precamur.

Gliscunt hîc apud vulgus febres malignæ, & petechiales, nondum quidem adeò lethales; vtinam verò non grauioris alicuius morbi sint prænuntij. In vicinâ enim *Interboco* intermilites morbus ille Castrensis, quam ipsam iam pestem esse puto, grassatur.

Pro missis muneribus gratias agit.

Optassem equidem cum vxore tuâ in Nuptiis Filiæ meæ præsentes: verùm vltrà vestram commoditatem nihil postulare ausus sum. Interim proprio voto, & munere, & tuo & vxoris habemus gratias singulares, & omnia fausta vobis sursum precamur. Bene vale. VVittebergæ, die 7. Martij, Anno 1630.

EPISTOLA XLIII.

PERIOCHE.

1. *Author Doringium doloribus arthriticis conflictari dolet.* 2. *Vinum Arthritidi inimicum.* 3. *De lapidis philosophici Magistro.* 4. *Quid de eo sentiat Author.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Doringium Arthritide conflictari dolet.

S Excusauit te Tabellarius, *Clarissime & Doctissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod nihil litterarum ad me attulerit. Sed maluissem vt aliud, quàm hoc excusationis argumentum habuisset: Retulit enim te iterum Arthritide conflictari. Ergonè hactenus nihil ab illis medicamentis auxilij percepisti? Et an non aliquoties pilulis illis, de quibus olim longam Epistolam ad me scripsisti, vsurpasti? planè ergò nihil profuerunt? Ego planè mihi persuaseram, te ex continuatione istius medicamenti aliquid commodi percepturum.

Dolores Arthriticos vinum auget.

Diætam satis bonam etiam te obseruare puto. Sed quia nihil magis ad materiam Arthritidis suppeditãdam facere puto, quàm vinum, bibisne vinum, & quale, ac quantum? Et an non possit sine valetudinis incommodo plane vino abstinere quàm toties cum istis doloribus conflictari? Vix enim alia, meâ quidem sententiâ, est ratio Arthritidem præcauendi, quàm dare operam, ne materia ista tartarea, quæ Arthritidem excitat, generetur:

In qua coctione materia Arthritidis generatur.

Sed in quâ quæso, coctione materiam istam generari putas? in primâne, an in secundâ? prælecturus sum hac æstate, tractatulum de Arthritide, si quid hactenus, de quo non dubito, notatu dignum, de isto morbo obseruasti, id mecum communices, oro.

Bato ille, aut quisquis est, qui lapidem philosophicum pollicetur, hisce Nundinis *Lipsiæ* fuit, & bis suo sumptu peculiarem Tabellarium hac de causa ad me misit: Incluserat suæ primæ Epistolæ schedam, quæ conditiones quasdam continebat, quæ obseruatu non erant impossibiles. Silentium enim præcipuè concernebant: Primariam autẽ conditionem obscurè in prima Epistola annuebat. Responsione verò meâ eò eum adegi, vt clarè illam explicaret: nimirùm se iam summâ aliquâ pecuniæ indigere: Interim non diffitebatur, se opus hoc nunquam absoluisse. Id tamen pollicebatur, necessarium esse, vt si cui artificium verbotenus saltem reuelet, omninò credat, rem ita sese habere, nec de fine diffidat.

Quid de quodam lapidis Philosophici magistro sentiat.

Quæ cùm mihi persuadere non possem, nec spem pretio emere vellem nihil amplius ad me scripsit. Tu si quid ampliùs cum eo tractasti, de eo ad me scribe. Ego sum in ea sententia, vel Impostorem esse, vel ex eorum genere, qui fortem habent phantasiam, & aureos montes sibi pollicentur. Benè vale & tuam vxorem cum Daniele nostro, nostro nomine saluta. VVittebergæ, die 10. Maij, Anno 1630.

EPISTOLA XLIV.

PERIOCHE.

1. *Pilulæ Arthriticæ quem effectum præstiterint in seipso.* 2. *in victu quomodo se gerat.* 3. *Quid iudicet de Sennerti consilio scribendi de Arthritide* 4. *Cum artista lapidis philosophici pactum iniisse monet.* 5. *De vxoris morbo.* 6. *De Suecorum irruptione.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Litteras tuas, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quas per Petrum misisti, rectè accepi. In iis autem duo præcipuè sunt cardinalia capita, quæ responsionem merentur. Primum meam Arthritidem, alterum Magisterij Philosophici Professorem concernit.

Pilulæ Arthriticæ quid ipsi profuerint.

De primo multa moneo, de quibus tamen omnibus, multò aliter, quàm te nunc facere video, si præsens esses, sentires. Pilulis illis, de quibus olim ad te scripsi, singulo trimestri, nisi forsan decubitus impediuit, per 24. dies hactenus vsus sum. Eæ in tantùm profuerunt, vt per Dei gratiam nullum membrum nodus aliquis occuparet, vel contractum sit: sed postquam dolores secesserant, sanorum similimus incedere valeam. Quid & quantum ipsis *Horstius* noster tribuat *Tom. 2.* Ipsius *Obseruationum* leges.

Quam Diætam obseruet.

Diætam obseruo, quantùm possum: Neque tamen nimis in eius obseruantia sum rigidus, hoc enim quantum damnum afferre soleat, aliorum exemplo edoctus scio: vinum bibo, neque enim abstinentiam meus ventriculus suffert. Tale autem bibo, quale offert occasio: In quantitate ita mihi tempero, vt conuiuia maximam partem fugiam, dummodo id honestè fieri semper liceat. De præcautionis ratione antehàc plurimùm ad te scripsi, quæ in litteris illis videre poteris.

Quæ de præseruatione & curatione Arthritidis vulgò circumferuntur omnia friuola.

Plura nunc non addo, nisi hoc vnum, quod scilicet multa de hoc morbo, tam quoad præseruationem, quàm curationem, cùm in Scholis publicè disputentur, tum vulgò circumferantur quæ friuola esse demonstrat experientia. Mihi Æquinoctium vernum valde infensum, esse cœpit: Vt plurimum enim circà id tempus Arthritis me hactenus inuasit. Nuper lusus ille super longo assere, (*yelchen taffel*) defluxiones mihi concitauit. Ad alterum caput, breuiter item respondeo. Iacta est cum Artistâ alea. Is num Impostor sit, vel merus phantasticus, euentus docebit; Optarim tamen te sub primum initium hanc rem prius mihi aperuisse: Miror verò, quod tibi denuò hoc negotium obtulerit, cum tamen se nemini id amplius reuelaturum esse compromiserit.

De vxoris morbo.

Plura scribere, cùm propter alias occupationes, tum vxoris morbum, primo biduo satis periculosum, nunc non vacat: Synochâ enim febri cum malignitate corripiebatur: quam præter alia, & cumprimis dorsi, & reliquorum artuum dolores, inopina virium prostratio, satis commonstrabat, Deus eam, hâc præsertim ætate, mihi seruet! Bene vale, & à nobis cum tuis salue. Dabam Breslæ, die vltimâ Maij, Anno 1630.

Suecorum irruptio.

P. S. 1. Defectum in *prima parte Practicæ tuæ* obseruatum, *cap. 9.* proximè memini, quæso, supple. 2. Nostri multa de *Sueci* in hanc Prouinciam irruptione dicunt, quam Deus auertat: toti enim funditùs perderemur, vtinam Legati Electorales: quæ ad pacem faciant Germaniæ, & Religionis libertatem, ab Imperatore impetrent. 3. Vt placet D. *VVincklers* conatus? Vereor, ne crabrones irritauerit: Si mihi quicquam de hac re dixisset, suasissem, vt per litteras amicè cum ipso priusquam hæc ederet, egisset. Titulus quem *Nymmannus* Catalogo inseri curauit scripti Apologetici satis mihi videtur aculeatus.

EPISTOLA XLV.

PERIOCHE.

1. Auctor cur de Arthritide scribendi consilium ceperit. 2. De hoc affectu theoriam Doringio mittit. 3. Cur rarò curetur. 4. Doringij rationibus circa Artistam lapidis Philosophici respondet. 5. Guilhelmi Fabricij obseruationes de cura Arthritidis per torturam & terrorem. 6. De fœmina cibos bene appetente, & tamen ventriculi variis affectibus vexata. 7. De D. Comite Polono.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Fons Magdeburgensis recens exortus.

S De expeditione bellicâ Sueci, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, nihil certi habemus, nec quid nostri Electoris Legati Viennæ expedierint. Fons, qui miracula pœnè præstare dicitur in ditione Episcopatus *Magdeburgensis* tribus milliaribus à *Magdeburgo* circà Festum Paschatos exortus est: verùm rumores incerti & contrarij de eo sunt. Homines nostri, quorum plures, quàm 50. variis morbis affecti eò iuerunt, vbi, quod intrà paucos dies fiet, redierint, proculdubio certi aliquid rescisçam. *VVincklerus* proculdubio crabrones irritabit. Neque enim *Nymmannus* à bile temperabit sibi. Ipse miror, quomodo ad hoc institutum, & quidem hoc scriptum refutandum deuenerit. Cur autem in nuperis meis Arthritidis mentionem fecerim, causa est, absolui cum Deo, etiam *librum tertium Practicæ decem partibus 1. de affectu p.n. ventriculi, 2. Intestinorum. 3. Mesenterij, Omenti, Pancreatis, 4. Lienis. 5. Affectionis hypochondriacæ, & Scorbuti. 6. Hepatis. 7. Renum & vreterum. 8. Vesicæ. 9. Genitalium in viris. 10. Vmbilici & totius Abdominis.* Antequam vero ad alia accedam, cum videam à Practicis plerisque etiam Arthritidem tradi, aliquid de Arthritide meditari cœpi, quod *Appendicis* loco *libro tertio* adiicerem. Quia vero inter medicamenta proculdubio etiam pulueris illius antipodagrici veteribus iam vsitati, è quo ego pilulas pro *Consule Schmidebergensi*, & te tuas concinnasti, mentio facienda, de pulueris huius efficaciâ certior esse volui. Cum verò in Epistolâ 28. Nouembr. Anno 1628. ad me scriptâ hæc verba inuenirem: *Significo, me pilulis illi meis per 30. dies vsum esse, eo quidem (laus sit cùm Deo qui fortunauit, tum gratia tibi, qui vt de eorum conficiendi ratione agitarem, ansam subministrasti) successu, vt intra sat bene longum tempus melius habuerim.* Quia verò interim aliquoties te hoc morbo conflictatum intellexi, proximas ad te dare volui. Etsi verò optarim, te planè ab hoc morbo immunem esse; tamen & hoc gratum fuit, quod multum ear tibi profuisse scribis: Cum verò addas, me multò aliter de multis statuturum, si præsens essem, quàm nunc faciam, & multa de hoc morbo tam ad præseruationem, quàm ad curationem cum in Scholia publicè disputari, tum vulgò priuatim circumferri, quæ friuola esse experientia demonstret: facere non potui, quin partem mearum Lectionum de hoc affectu theoriam complectentem ad te mitterem, reliqua, si ea cupis, per Ordinarium Lipsensem missurus. Agnosco ipse, post diuersos errores, causam præcipuam, cur hic morbus raro curetur, esse Medicorum, de eius origine discrepantiam, & errores, quibus positis, & vera causa ignoratur.

Arthritis cur rarè curetur.

Curatio rectè institui non potest: Ego an melius rem tetigerim, tu iudicabis, quem experientia rerum magistra in hoc affectu multa docuit proculdubio. Non verò festinatione opus est. Si vel intra duos menses hac de re responsum accepero, satis maturè fiet. Equidem sub prælo est *liber tertius*, & sperauetam, cum proximis Nundinis *Francofurtensibus* eum absolutum iri. Verùm quia typorum nouorum fusor nobis impedimento fuit, vix ante F. Michaëlis absoluetur.

Doringij rationibus circa artistam lapidis philosophici respondet.

Alterum litterarum tuarum caput quod attinet, quia cum Artistâ illo aleam iam iactam esse scribis, opto, vt ea tibi feliciter cadat. Ita enim spero, & ad me commodi aliqu. redundaturum. Quod verò scribis, si ipsum pro Impostore, vel phantastico habeam, te optare, vt sub primum initium hanc rem prius aperuerim, quàm hominem ad te dimiserim: quomodo, quæso, ex vnicâ, quam ille tunc *Torgæ* scripsit, ad me Epistolâ hominem intus & extrà cognoscere potui? Tu etiam (præcipuè, cùm, vt ipse ad me scripsisti, haberes, qui te consilio iuuarent) de ipso rectiùs iudicare potuisti. Postquam verò bis nuper ad me *Lipsiâ* scripsit, & lucrum ac pecuniam scriptionis suæ finem habuit, mihi suspectus factus est. Quomodo enim qui seruos & equos alat, & tot itinera perficiat, non habeat, vt opus hoc, si id calleret, non perficere posset? Vtinam verò fallar! cum verò ad me scripserit, se ita mihi hanc rem persuasurum, vt certò crederem, rem aliter se habere non posse, quæso, me certiorem facias, an id tibi præstiterit. Vxoris tuæ morbum doleo, & opto, vt Deus ipsi pristinam sanitatem largiatur: idque iam factum esse spero. Bene vale cum tuâ, VVittebergæ, die 3. Iun. Anno 1630.

Fabricij obseruationes de arthritidis curatione.

P. S. 1. Refert *Guilhelmus Fabricius Centur.* 1. tria exempla eorum, qui ex torturâ à podagrâ liberati sunt, & *Centur.* 1. *Epistol.* 47. alterius, qui ex terrore sanatus est. Causam ego satis assequi non possum. Cur à paroxysmo sint liberati, causam inuenire non adeò difficile est: sed qui factum, vt planè sint curati, non video.

Historia fœminæ cibos benè appetentis, ventriculo tamen variis affectibus diuexata.

Deinde curo iam annos tres fœminam; cuius morbus hic est: cibum satis benè appetit, sed non nisi selectum fert; & is tamen in cruditatem acidam mutatur: Quod cum fit (fit autem hoc ferè tertio, vel quarto die) de dolore ventris è regione lienis acerbissimo conqueritur, qui non prius leuatur, donec vomat. Vomuit autem hactenus ita acida, vt etiam dentes stupescerent, vt per diem nihil eâ de causâ sibi capere posset. Nunc vomit salsa, & simul amara. Quæritur, quomodo malo huic succurri possit. Addo & hoc, vomit facilius, si sinistrum latus manu arctè premat. Quod indicio est, à liene materiam istam in ventriculum infundi.

2. Comes meus Polonus sic satis benè valet, vt etiam iam integram Epistolam scribere possit. Pedes tamen nondum faciunt officium. Quâ de causâ etiam nuper ad fontem illum nouum & celebrem propè *Magdeburgum* profectus est. Sed nihilò sanior rediit, vt & alij plures, qui è nostris eò abierunt. Addo & alteram mearum meditationum *de Arthritide partem.* 3. Quæso, & hîc tuam mentem mihi aperi: An decoctum ligni guaiaci, salsæparillæ, &c. idem præstet, quod illa antidota antipodagrica, quod ego non puto.

EPISTOLA XLVI.

PERIOCHE.

1. Doringius Auctori Theoriam de Arthritide annotationibus locupletatam remittit. 2. Circa Fabricij obseruationes de cura Arthritidis respondet. 3. De seipso historia. 4. De alio qui veneris vsu dolores Arthriticos leniri profitebatur. 5. Fausta de quodam Medico historia. 6. Accessiones arthriticæ, vnde? 7. Quercetani hac de re iudicium. 8. Chamedryos vires ad podagram. 9. Quid Vesalius de ea scribat. 10. Chamedryos vinum ad Arthritidem expertum. 11. Vtendi modus. 12. Aliis etiam affectibus sanandis vtile. 13. De santalo citrino. 14. Pilula tartarea Doringij ad Arthritidem. 15. Quid de casu fœminæ ab Auctore proposito sentiat. 16. De Artista lapidis Philosophici. 17. De Thermis Hirschbergensibus.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Theoriam de arthritide annotationibus locupletatam Auctori remittit.

S Perlegi, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, partem Lectionum tuarum Theoreticarum de Arthritide, nuper per Tabellarium ad me missam. Eam nunc annotationibus meis, margini, hinc inde adiectis, locupletatam remitto. Feci autem hoc ideo, vt temporis aliquod compendium facerem: Si enim peculiari Epistolâ negotium hoc expedire debuissem, non Epistolam, sed iustum Tractatum conscribere coactus fuissem: Quod vt præstarem, otium non fuit. Tu omnia boni consulas, & ad veritatis bilancem diligenter examines.

Circa Fabricij obseruationes respondet.

In schedâ postscriptum continente, mentionem facis è *Fabricij* Obseruationibus eorum, qui ex torturâ, alterius, qui ex terrore, podagrâ liberati sint: subiungisque, cur à paro

paroxysmo liberati fuerint, causam non ita difficulter inuenti; sed quòd planè curati sint, tantum me non valere, nec satis assequi posse. Terrore ipsemet ante duodecennium, cum incendium noctu in meâ viciniâ oborietur, à paroxysmo liberatus sum.

De seipso historia.

Qui enim de die lecto me mouere non poteram, audito incendio gradus expeditè protinus scandere valebam. Referam, quid paulò antè tum temporis in me ipso etiam vetustissimè aciderit; Nimirum patiebar paroxysmum primum Arthriticum, inuitaramque ad cœnam reliquos (pro more tum inter nos instituto) Medicos. Quid fit? portari cogebar in hypocaustum, & mensæ super sellâ admoueri, suppositis intereà pedi lectisterniis, iisque pede optimo contecto. Editur, bibitur, & hilarior conuersatio instituitur. Ipsemet vnum primò, mox alterum vini exiguum vitrum exhaurio. D. Bucretius p. m. à vino me dehortabatur, metuens fore vt dolores per id mihi exasperem. Ego verò hilariore istâ conuersatione accensus, madere, & pedem nonnihil sub lectisternis mouere incipio. Lætor ob hunc successum, & numquid pedi insistere valeam? periculum facio. Succedit res pro voto. Obambulo igitur non solùm in hypocausto, sed choreas cum omnium præsentium admiratione duco. Liberor itaque hac quidem vice, à paroxysmo: verùm post paucos dies recidiuam incurro. Miraberis & hoc. Noui ante hac virum, sexagenario maiorem, ante annos plusculos defunctum, qui venere dolores Arthriticos sese leniri profitebatur.

Hilaris animus Arthritidi proficuus.

De venere Arthriticos dolores leniente obseruatio.

Et horum euentuum ratio reddi fortè potest: siquidem ad tempus duntaxat paroxysmi per ista abacti sunt: In illis verò *Fabricianis* exemplis malum amplius non recuerisse, meritò admirationem mouet. Nec quis facilè huius rei probabilem causam in medium attulerit: Quod enim peculiaris & noua quasi temperies partibus tam mittentibus, quam recipientibus, per torturam, & terrorem introducta fuerit, quâ seri prouentum deinceps impedierit, dicere facilius, quàm probare quis poterit. Dum *Giessa* essem, pro verissimo comperi, ciuem quendam præ dolorum impatientiâ securi maximum pedis alterutrius digitum sibi ipsi amputasse, & vt ab Arthritide dehinc totus immunis vixerit, meruisse.

Quomodo per torturam & terrorem Arthritis curata fuerit, explicare difficile.

Huic non absimilis est Historia, quam *Libauius* ad *Schwitzerum* scripsit, vt videre est, in *Cistâ Medicâ Hornungi Epistolâ* 73. Patiens erat hospes publicus: Medicus quidam Nobilis Eques, qui pactus 300. florenorum sanationem promisit, & recepto autographo curam aggressus est: Patiens iussus est pedes imponere trunco ligneo; Aderant fortes serui Nobilis, qui sedentem tenerent. Ipse Nobilis malleo ferreo instructus sex clauis affixit pedes ligneo trunco, moxque miserabiliter clamantem ægrotum reliquit, & se in equum coniecit. Interim crebrò expiscatus est, num morbus fuisset reuersus? cognitoque iam elapso triennio non rediisse, ipse repetiit hospitium, & lectus cum hospite cognouit de sanato morbo. Itaque Chirographum produxit, & se Medicum fuisse ostendit, poposcitque sestron. Consensit hospes, licet crudeliter etractatus, Equitem tamdiu pauit cum suis, donec trecenti floreni essent consumpti. Ecquid ex istis Historiis concludendum censes?

Facetia de quodam Medico historia in cura Arthritidis.

Numquid in parte affectâ mineram quandam stabulari existimandum, quâ sublatâ, nouæ accessiones prohibeantur? Numquid etiam ob hanc causam cucurbitulæ, loco dolenti sub principium insultus affixæ, (quas nonnulli miris modis commendant) iuuant, & ne paroxysmus ingrauescat, præcauent? In hanc vtique sententiam propendere videtur *Quercetanus in suo de Arthritide, & calculo consilio*, quod annexum est *libro de priscorum philosophorum vera Medicina materiâ mihi pag.* 255. *Nam*, inquit, *materia illa, quæ in iuncturis continetur, aliquandiu otiosa manet, & non tam promptè dolores semper excitaret nisi noua quadam accideret defluxio, quæ eam commoueret. Haud secus enim ac si calci affusa aquâ, à qua sal calcis dissoluitur, & fit ardens quadam ebullitio. Ita analogiâ quadam & in iunctura fieri existimandum est.* De quo dogmate, tu accuratius cogites, velim. Neque enim te id vspiam attigisse animaduerto. Sic epilepsia quandoque à pede incipit, in quo fomes primus situs est. Febres etiam intermittentes suum focum obtinent. *Rasci & Majeri Tractatus de podagrâ* legistin'? Euolue eosdem: In præseruatione maximum momentum situm esse, & in eâ Medici peritiam comprimis spectari, scripsi ante hac semel atque iterum. Puluerem illum podagricum veteribus vsitatum, ad cuius imitationem, ego pilulas meas effinxi, in hunc finem esse vtilissimum; quis facilè negare ausit? nisi cui de mearum pilularum effectu nihil constat. Quanquam enim me ab insultibus Arthriticis planè immunem non reddiderint; id nihilominus haud dubiè præstiterunt, vt de quo, præ aliis Arthriticis gaudere, & mihi gratulari possim, reipsâ sentiam. Quod quid sit, proximè indicaui. *Elias Cratschmairus* Philiatros in Calendario suo super Annum 28. vbi de Collectione plantarum agit, sub Mens. Majo, in hæc verba podagricos alloquitur. *Vos podagrici, si abiectissima huius herbulæ* (Chamædryn autem intelligit) *vires vobis essent exploratæ, non ex libris duntaxat, sed ipsâ experientiâ, & effectu, non cogeremini longos, diuturnosque insultus sustinere podagricos: id quod non semel re ipsâ verum esse comperi.* Vtendi tamen modum suis de causis subticuit: Adscribam, quæ de eodem simplici in suâ *de radice china, ad Ioachimum Roeland. Epistolâ circa finem*, in medium affert *Vesalius*. *Non improbari mihi potest*, inquit, *suo tempore adhibitum medicamen, instar Numinis cuiusdam à Genuensium Primatibus commendatum, & quod non sine maximis pollicitis ad perpetuum morbi Articularis exilium ante menses aliquot D. Marsilio Colla, Cæsarianæ equis Præfecto, & meliori valetudine, ob multas, quibus præditus est, animi dotes, digno missum fuit: Ac nunc item Cæsari quoque est oblatum, vt illum post hâc (modò medicamen istud in vsum posuerit) articulari morbo non apprehendendum, certissimè prædicetur. Continet autem vniuersa descriptio, me hercle, satis Empiricè aliud nihil, quàm initio purgationem instituendam; dein Chamædryos; seu humilis quercus, adhuc virescentis, si ad manum sit; (cum ego resiccatam interim, vt in aliis herbis siccandi facultate donatis præferendam duxerim) folia conscindenda, vinoque illo dein incoquenda, & eius decoctionis manè cyathum vnum offerendum, tribus antè prandium horis: licet intereà tanto magis à medicamento sperandum esse addatur, quantò eius potus prandium diutius antecesserit. In victus ratione ab acidis salsisque interdicitur; & vini albi potus ad 60. dies præscribitur: hoc adiecto, destillatitium humilis quercus liquorem; seu aquam vino illi in viribus (quod mihi ridiculum videtur) conferri: ac proinde quibus decoctum minus placeret, aquam porrigendam. Aliud in vniuersum nihil habet has transmissa schedula, præter insignem, & turgentem titulum, & hominum magnam sibi subscriptorum Catalogum, qui illius vsu annis aliquot ab articulari morbo immunes vixêre, & qui cum transmitteretur, eius vsum aggrediebantur: in quorum classe Cardinalis Doria Antesignanus occurrebat.* Huc vsque verba *Vesalii*. Quæ eo lubentius huc transscripsi, quandoquidem in meâ illa prolixâ *Epistolâ Anno* 1622. ad te mei ipsius causâ exaratâ, & examen mearum pilularum continente, *Vesalii* ex allegatione *Camerarii* memini. Qualiter hoc medicamentum parari voluerit, & quas ipsi vires insignis ille sui temporis Medicus *Solenander* attribuerit, in dictâ meâ *Epistolâ* leges. Eam, vt tum consiliis quorundam celebrium Medicorum (quorum antehàc coram ipso nonnullam mentionem feceram) mihi diutius retinere nollem, sed in publici boni gratiam prælo subiicerem, per litteras hoc ipso anno ad me datas, & ad quas ipsi responsum adhuc debeo, *Horstius* noster seriò adhortatus est. De quo instituto, quid tibi videatur, proximè, quæso, edissere. His diebus commodum ab amico quodam (qui id singularis secreti, ac muneris loco, ab exule Pragensi Gemmario in Thermis *Hirschbergensibus* nuperrimè acceperat) eiusdem remedii sequens mihi communicata est formula. Sub certâ attestatione, id plurimis maximè proficuum fuisse. Formula autem sic habet. Capiantur herbæ chamædryos manipuli duo, & indantur ollæ nouæ deuitreatæ, sex, octoue quartarum (quarta nostras ℔. ij. continet. Dosis itaque plus iusto videtur maior) capacis, æstiuo quidem tempore affundantur æquales partes aquæ puteæ fontanæ, & vini; sub principium Septembris verò, aut in ipsâ hyeme, vini albi Rhenensis, aut alterius optimi, nec adulterati q. s. Tegatur olla operculo terreo, commissuræque occludantur luto figulino optimo. Vbi lutum probè siccatum fuerit, ollâ ad ignem collocatâ decoctio tantisper continuetur, dum olla externè sudare quasi deprehendatur. Tunc igitur à decoctione desistendum, & olla in locum frigidum reponenda. Vbi refrixerint, decoctum per linteum mundum percolandum, & vaseo terreo deuitreato (quid si vitrum sumeretur? Hoc enim propter salem herbæ eiusdem & Magisterium perlarum, vti patebit, addendum, longè videretur competentius) infusum in loco frigido asseruandum; cum in loco calido pereat. Herba post decoctionem residua, in fluentem proiicienda, ipsique decocto tam salis chamædryna, quàm Magisterii perlarum (cuiusque intellige) drachmæ sex, (verùm hæc dosis videtur nimia; sufficerent meâ opinione vnius cuiusque ℥. ij.) permiscendæ. Æmulatur hic potus ratione saporis vinum ferè absynthites. Ego si sapor non satis esset gratus, saccharo cando ipsum nonnihil dulcoratem. Vtendi ratio hæc esto. Præmittatur leue purgans, posteà per sex hebdomadas singulo manè horis tribus antè prandium exhauriatur de hoc decocto vitrum, tres, quatuorve vncias capiens. Non opus est, si nolit, vt ab eius vsu ægrotans sudet. Intereà temporis abstineat à cibis insalubribus, humectantibus, & catarrhum promouentibus; vitet iram, & veneris vsum prorsus intermittat. Sic enim iuuante Deo, mirum sanitatis incrementum sentiet. Repetatur hoc remedium annuatim circà idipsum tempus, quod id æger primitùs vsurpare cœpit. Hic potus hydropi sanando (dummodò non nimium inualuerit) superfluis humoribus absumendis, appetitui excitando, & sanitati conseruandæ, summè vtilis esse perhibetur. Ecquid mihi das consilii? periclitandúmne censes hunc potum? Cum enim

Cucurbitula parti dolenti affixa insultus podagricos minuunt.

Insultus Arthritici vnde, ex Quercetano.

In morborum præseruatione Medici peritia spectatur.

Chamædryos vires ad podagram.

Quid de ea scribat Vesalius.

Vinum Chamædryos expertum in Arthritide.

Vtendi ratio.

Aliis etiam morbis vtile.

ab octennio hactenus pilulis vsus sim, non præter rem forsan facere videbor. Si mutationem aliquam instituerem: ne Natura vni medicamento assueta, vires ipsius porrò eludat. Accederem autem ad vsum instante Autumno, & ex æquis partibus vini Rhenensis & aquæ pararem, adjectis, rasurâ eboris, santalu citrinu, & pauxillo rad. garyophyllatæ.

De santalo citrino.

De eboris vtilitate consule *Zacutum Lusitanum, de Medicorum Principum Historiâ, lib. 1. in paraphrasi Historia 24.* Santalum citrinum, vtpote odoratius cæteris, addendum iudico, non iis solùm de causis, quas in memoratâ Epistola olim pro santalo rubro adduxi; sed cum primis, quod iuxta testimonium *Roderici à Fonseca Consultationum Medicarum, tom. 1. Consult. 58.* mirabiliter pulmonis erosionem, ne fiat, præcaueat, & si facta sit, quantum fieri potest corrigat. Arthriticos enim ad phthisin propter defluxionum crebritatem esse dispositos, & ratio dictitat, & experientia non rarò confirmat: garyophyllatæ radices cur miscere velim? ipsemet facilè dignosces. Quantis enim viribus aduersus catarrhos polleat, vsu ipso haud dubiè dudum edoctus fuisti.

Arthritici ad phthisin dispositi sunt.

Garyophyllata vires.

Nolo igitur in eius laudibus recensendis esse prolixior. Cæterùm cum potus vsurpationi euacuans prætermittendum sit, egóque nunc ad assumptionem pulueris Ectoprotici è Senâ, turbith, troch. de violis sine scamonio, & sem. anisi, & fœniculi constantis (qui hactenus maximè mihi fuit salutaris) nauseare incipiam, de alia aliaque formula cogitandum erit. *Sebitzius de Acidulis, sect. 2. differtat. 3. mihi p. 468.* Pilulas quasdam suas antipodagricas dictas, ceu præstantissimas commendat, & pro purgatione ℈.i. sufficere scribit: Exhibui vni atque alteri: sed parùm promouerunt in tantulâ dosi. Descriptionem, pauxillum saltem à *Sebitziana* discrepantem, ante *Sebitzij* dicti Operis publicationem mihi communicauerat quidam Ciuis noster; cui ex *Norimbergâ* magni secreti loco missa erat, cum hoc elogio, quod Venetus Medicus ipsius Auctor extiterit. Ego vel extracto Paracelsi Catholico, nobis familiari, vel pilulis tartareis meæ correctionis, pro communi item vsu publicè prostantibus; vel vtrisque hac proportione simul mixtis, (vt nempe harum ℈.j. illius ℈.ß. capiatur) vtar: quam mixturam ægrotantibus admodum salutarem in aliis, & præsertim tartareis affectionibus, expertus sum. Descriptio ne te lateat sic habet.

Palat: Ectoproticus.

Extractum catholicum Paracelsi ad arthritidem.

Pilula tartarea Doringij.

℞. *Rad. polypod. quer.* ℥.ij. *asari, chelidonij maior. sem. genistæ, carthami*, an. ℥. ß. *Herb. fumariæ. ceterach veri* an. M. j. *flor. buglossæ. borraginis, violarum, genistæ* an. M. ß. Decoq. in s. q. aq. puræ fontanæ. Decocti clarificati ℞. ℔. ij. adde *succi buglossæ depurati* ℔. j. In his infunde *folia sena electa* ℥. iij. *turpethi el. & gummosi rad. hellebori nigri, styraci præparat.* an. ℥. i. ß. *macis, garyophyllor. cinnamomi, epithymi, sem. cuscuta* an. ℥. ß. *salis tartari* ℨ. i. Stent in infusione in vitro probè obturato in M. B. per quatriduum. Posteà colentur, cum forti expressione, colaturæ adde *cremor. tartari* ℥. iij. *extr. aloës* ℥. iv. *myrrha in vino ad ignem dissoluta & percolata, ammoniaci aceto scyllitico solut.* an. ℥. ß. Omnia iterum diebus tribus vel 4. in B. M. digerantur, & hinc inspissentur, & coagulentur, ad ignem lentum. Sub finem, dum materia ferè refrigerata erit, adde *spec. diarrhod. abbat. lætificantis Galeni, trochisc. de lacca* an. ℨ. i. *salis absinthij, fraxini* an. ℨ. ij. *essentia croci* ℈. ij. *extr. ligni aloes* ℈. i. Misc. & fiat massa pilularis.

De casu fœminæ ab Auctore proposito.

Sed finire cogor, instat enim atque abitum minatur Tabellarius: ob hanc igitur causam de casu ad me perscripto, fœminam per interualla, acida antehàc, nunc salsa, & amara simul euomentem, spectante, iudicium meum plenius tibi aperire nequeo. An vomitorio aliquo, eoque vitriolato, minera eradicari possit? definire nolim. Quid si sæpiùs pro abstersione mel rosatum colatum, (dummodò id propter vterum non suspectum) spiritu vitrioli ♀ acidulum factum propinares è decocto hordei simplici; infernè verò per clysteres materiam reuelleres, & subduceres? Elixir proprietatis dehinc profuturum ipsi non dubitarim. Atque hæc de isto casu raptim. Artista ille noster, in vicino Episcopatu *Nissensi* conduxit fodinas metallicas, & Officinam Monetariam. Hic nondum sedit. Artificium illud alibi ternis in locis elaboratur. Ego quiesco, visurus & cogniturus prius, vt illic successurum sit? Defectum ad *primum Librum Practica* pertinentem rectè accepi: pro quo gratias officiosas ago. Ecquid vos de conuentu auditis Ratisbonensi, vel de Sueci expeditionibus? His diebus narrabatur, Cæsareanos prouocasse *Stetinum Pomeraniæ*. Deus tandem pacem *Germaniæ* largiatur, & nobis verbi sui puritatem porrò clementer indulgeat! Benè cum tuis vale, & amicè à nobis salut. Dabam Breslæ, die 19. Iulij, Anno 1630.

De Artista lapidis philosophici.

P.S. De fonte illo miraculoso, sub Episcopatu *Magdeburgensi*, scaturiente (de quo proximè aliquid addebas) quid fiat? scire velim. Nostræ thermæ *Hirschbergenses* hâc æstate paucis profuerunt, plurimos in grauiores morbos præcipitarunt, nonnullis exitio fuerunt. Aiunt, tale quid, singulo fieri nouennio; quo vena insalubris prorumpat, & reliquas aquas inficiat.

De thermis Hirschbergensibus.

EPISTOLA XLVII.

PERIOCHE.

1. *Auctoris consilium de laboribus perficiendis.* 2. *De morbis mulierum à variis Auctoribus propositis quid sentiat.* 3. *Virum de morbis externis & venenis scripturus sit, ambigit.* 4. *Aphorismorum Hippocratis expositionem pro publicis lectionibus eligit.* 5. *Doringij rationibus de Arthritidis generatione respondet.* 6. *In Arthriticis cur tantus sit dolor, rarò verò conuulsiones,* 7. *An omnis tumor œdematosus prope articulos, Arthritidem constituat.* 8. *Vinum in Arthritide cautè concedendum.* 9. *An in parte affectâ minera quadam Arthritidis stabuletur.* 10. *Pro hac sententia rationes adducuntur.* 11. *Subiectum Arthritidis ex Paracelso.* 12. *Ex Seuerino.* 13. *Auctoris sententia.* 14. *Quid de Chamedryos decocto pro Arthritide credat.* 15. *De lapidis philosophici Magistro.* 16. *De fonte Magdeburgensi.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Litteras meas, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, per ordinarium Tabellarium, & cum eo particulas mearum de Arthritide Lectionum, te interim accepisse rectè confido. Tuas per Christophorum nostrum Tabellarium rectè accepi. Ad quas, antequam respondeam, aliud mihi serium negotium præmittendum putaui. Cum in ista ætate vires corporis me deficere incipiant, in primis acies oculorum, de laboribus porrò perficiendis, mihi dispiciendum videtur, & cogitandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Absolui, Dei beneficio, iam etiam *tertium Practica Librum*, & memini me adhuc tres promisisse: verùm an vitam mihi Deus ad eos absoluendos daturus sit, ipse nouit. Dubito præterea, an operæ pretium sit, in iis absoluendis laborare. Equidem vt per otium *de Morbis mulierum Tractatum* absoluam, dabo operam. Video enim eam doctrinam valdè confusè & sine methodo, ab Auctoribus proponi. Publicè tamen, vt eam perlegam, ita commodum non videtur. *De morbis* verò *externis*, putà *vulneribus, vlceribus, tumoribus*, item *venenis*, plurimi, & absoluti plurimorum extant *Tractatus*, vt dubitem, an in ea re aliquid operæ ponere debeam. Præterea multi boni Libri, præcipuè recentiorum supersunt, è quibus scriptis meis hactenus editis aliquod accedere posset incrementum & ornamentum, quos hactenus legere non potui, nec posthàc potero, si publicarum Lectionum materiam nouam suscepero. Totum enim tempus post praxin, reliquum ei tribuendum erit. Re ergò hinc inde pensitatâ putaui commodissimum fore, si tempus, quod à praxi reliquum est, tribuam *Paralipomenis* colligendis, & variæ Lectioni; Lectionum verò publicarum talem materiam eligam, quæ tempus multum non requirat. Et cum iam à multis annis, & post nostrum Socerum *p. m. D. Schatonem* hactenus Aphorismi Hippocratis non sint explicati, compendium operæ facere possem, si cum eius Lectionibus vnum saltem, atque alterum è nouissimis Interpretibus coniungerem.

De laboribus perficiendis Auctoris consilium.

De Morbis mulierum doctrina, confusè ab Auctoribus proposita.

An de morbis externis & de venenis scripturus sit, ambigit.

Tempus ad varia studia metitur.

Aphorismorum Hippocratis expositionem pro publicis Lectionibus eligit.

A te ergò peto, vt *Comment. in Aphorism. Hippocratis Dn. D. Schatonis* mihi copiam facias, eosque cum Mercatoribus vestris *Francofurtum ad Manum* euntibus *Lipsiam* ad *Dn. Ioh. Rupertum Sultzbergerum Med. D. & Professorem, vel D. Georgium Fridericum Laurentium* mittas, simulque de toto hoc negotio tuam sententiam mihi aperias.

Antequam verò ad ipsas litteras respondeam, me priùs è Notis, quæ mihi gratissimæ fuerunt, expediam. Gaudeo verò te in plerisque mecum consentire. Nolim enim datâ operâ aliquid in publicum edere, quod alicui fraudi esse possit; qualia proculdubio in hac ipsa materia in multorum scriptis extant, non pauca. Quis tamen in quibusdam dissides, de iis pauca dicam. Forsan facilè conueniemus: Etsi verò quæ mea mens sit, & de loco generationis materiæ arthriticæ, & partibus, à quibus fluit, è *Quæstione quarta* iterum proculdubio cognouisti. Tamen quia iam etiam, eius mentionem inicis, meam sententiam tibi planiùs declarandam

Digitized by Google

Caput fluxionis principium in arthritide ex Fernelio.
Symptomata varia id probantia.

dam porò: Cum in ista *Quaestione* Cardo totius huius negotij versetur, & ab eo curandi ratio dependeat. Tu verò scribis, te concludere, cum *Fernelio* fluxionis principium caput esse statuendum; idque probas eo quod in principio sensibiliter animaduerteris materiam supernè è capite inter carnem & cutem descendere, & capitis grauitatem, somnolentiam, & sternutationes crebriores, atque artuum externorum dolorosam quandam grauitatem, scapularum quin etiam & coxendicis dolorem adesse.

Doringij rationes refelluntur.

Verùm vt ex allegata iam Quaestione cognovisti, haec mihi non satisfacere videntur. Etenim omnia ista symptomata, quando natura humores è vasis protrudere conatur, & praecipue in febrium initiis, accidere solent, vt tibi notissimum: Vbi tamen fluxionis principium immeritò caput statueretur: Soles enim natura, vbi publicas vias à vitiosis homoribus liberare cupit, & conatus, subtilius quod est, per capillares venas hinc inde, & in multis etiam per iugulares venas ad caput, & hinc per Capillares ad capitis partes externas depellere, vnde postea ad partes inferiores defluere solent: Et hinc capitis dolor, & grauitas, Artuum lassitudo & symptomata similia oriuntur; donec tandem vel putredo in venis accendatur, vel humores ad certam partem depellantur. Itaque etiamsi quaedam symptomata circa caput appareant, sub prima Arthritidis inuasione: tamen ea non indicant, materiam è cerebro, aut capite, immediatè fluere: sed licet è ramis venarum iugularium eò fluere possint, è vena caua tamen primariò proueniunt. Ideóque etiam haec symptomata non omnibus accidunt, sed quibusdam saltem, cum tamen omnibus accidere deberent, si è capite proximè prouenirent. Neque etiam illa materia, quae per dorsum mouetur, doloris in pede, vel genu causa est: sed illa, quae è venis proximis effunditur.

Arthriticorum symptomata, vnde.

In Arthriticis cur tantus sit dolor, rarò verò conuulsio.

Secundò obscura est quaestio, qui fiat, quod in Arthriticis tantus sit dolor, rarò verò conuulsio. Ego autem causam probabilem non video, nisi quia potius membranae, quàm organa motui dicata afficiuntur, vt idem in dentibus, & aliis partibus fieri solet. Tu hoc obiicis, cum omnes partes in Articulo concurrentes, in tumorem vt plurimùm eleventur, fieri non posse, vt nerui illi motui dicati immunes esse possint: verùm respondeo, musculos, qui partem mouent, non in ipso articulo esse, sed longè plerumque ab articulo dissitos; & ita saltem partes membranosas, & carnosas circa articulum affici: Probabiliorem causam, si nosti, quaeso eam mihi aperi. Tertiò de tumore illo oedematoso, qui nonnullis circa articulos ferè continuus est, nos non multùm discrepare puto. Ipse enim proculdubio nosti, non omnes oedematosos, quales saepè circa genua & talos accidunt, tumores circa articulos Arthritidem constituere: sed dolorem adesse necesse est, eumque arthritidi peculiarem. Cur ergo non etiam in Arthriticis tales tumores tempore interualli generari possint, ob partis imbecillitatem, qui tamen ad Arthritidis essentiam non pertineant?

Tumor oedematosus prope articulos an Arthritidem constituat.

Quartò de Vini vsu nolo tibi repugnare; cum meminerim te iam olim scripsisse, durum tibi videri, à Vino planè abstinere, verùm si id per tempus aliquod tentares, forsan commodi aliquid: inde perciperes. Vt tamen mentem meam rectè intelligas, ea est: Vinum, plus tartareae materiae habere, quam reliqua vegetabilia, ideóque nisi illud tartareum accuratè in prima & secunda coctione separatur, sanguini postea permistum Arthritidem parit: Non autem separatur, cùm intemperies aliqua vel debilitas est in visceribus, quam in omnibus Arthriticis reperiri puto.

Vinum in Arthritide cautè concedendum.

Si viscera sint robusta, qualia sunt in multis helluonibus, excrementitium omne separatur. Hinc etiam pro diuersitate constitutionum corporum alia vina aliis plus, vel minus nocent: Interim non licet concludere, helluones multi innoxiè bibunt vinum. Ergo Arthriticis idem licet.

Sed vt ad litteras tuas iam veniam, & primò quaestionem illam quod attinet: Anne, cum multi terrore, laetitia, dolore non solùm à paroxysmo Arthritidis, sed & ab ipsa Arthritide liberati sint, inde rectè colligatur in ipsa parte affecta stabulari mineram quandam, quâ sublatâ nouae accessiones prohibeantur, ducis me quò volebam. Inuenies enim in seqq. quae misi, & mitto iam eorum vestigia. Quia verò ipse de ea re dubitavi, nolui, id clarè proponere. Iam verò id facere libet, & ea de re tuam mentem & sententiam audire.

An in ipsa parte affecta quadam Arthritidis minera stabuletur.

Partes corporis nostri quaelibet, vt sibi conuenienti sanguine nutriuntur, ita etiam vitiosi humores, qui ad eas quandam analogiam habent, alij ad alias partes non solùm tempore morbi ruunt; sed & in corporibus neutris cum sanguine ad partes certas feruntur: Vnde vitiosa fit earum nutritio. (Haec ita fieri vel Lapis Osteocolla docet de quo *Guil. Fabritius Cent. 3. Obseru. 90. 91.* Vt & Capillorum & Plicae, & Vngularum in homine generatio.) Si ergò humores tartarei sint in corpore, eos instar Osteocollae cum sanguine ad ossa & partes ossibus vicinas in articulos ferri, indèque vitiosam quandam nutritionem fieri, & excrementorum etiam quoddam in parte cumulari, (vide *Galenum 5. Aphor. 39*) verisimile est. Qui humor si postea affluente simili ebulliat, paroxysmus excitatur: Si verò idem humor per torturam, vel dolorem vehementem planè dissipetur, aegrum ab Arthritide liberari credibile est.

Inclinat eò *Paracelsus* (etsi rem non assequitur) qui subiectum Arthritidis dicit esse Synouiam, & podagram statuit esse sulphur in Synouia accensum & ebulliens.

Quodnam Arthritidis subiectum ex Paracelso.

P. Seuerinus etiam radices podagricorum affectuum ad ipsas matrices, id est, Articulos & Synouiam peruenire, ibique effervescere scribit; nonnunquam & in Synouia prima radicum rudimenta implantari.

Quodnam secundùm Seuerinum.

Clariùs verò haec explicat *Quercetanus* in loco à te allegato *in Consilio de Arthritide*: Atque haec, vt in posterioribus Lectionibus addidi, videtur esse potius Articulorum debilitas, quàm intemperies solùm vel laxitas. Quam sententiam an in publicum proferre ausim, proximè scribe.

Doringij opinio.

Et vt hoc addam, non in toto esse excrementum illud tartareum, quod in paroxysmo ebullit, contineri puto, sed maximè in Epiphysibus ossium, quae reliquis ossibus porosiora sunt, & ideò, vt habet *Andreas Laurentius*, ex nonnullorum, imò *Hippocratis* sententia, constructae sunt, vt sint tanquam ventres ossium, in quibus coquatur ossium alimentum, quod sensim in eorum cauernas percoletur. Porosiores certè, vt dixi, sunt reliquis ossibus. Et si quid tale in iis colligatur, facilè postea cum efferuescit, partibus vicinis communicari potest cum ligamenta ex iis oriantur. Si vllo modo praecaueri potest Arthritis, ego plurimùm spei pono in Antidotis ab Antiquis propositis. Medicamenta autem simplicia, è quibus componuntur, praecipua sunt Chamaepitys, & Chamaedrys.

Epiphysium vsus.

Chamedrys, & Chamaepitys Arthritidis specifica.

Si epistolam illam tuam de tuis Pilulis cum consiliis quorundam celebrium Medicorum typis committere vis, bono publico proculdubio inseruies. Potus illius ex Chamaedry vt periculum facias non dissuadeo. Faciam & ego hic in quodam Arthritico: sed ego malim in Vitro, in Balneo coquere, quàm in olla noua non vitreata; nisi forsan ex luto illo figulino aliquid commodi accederet.

Certè Chamaedrys in omnibus affectibus hypochondriacis vtilissima. Dubito verò an primâ vice alia miscere debeas. Mallem ego solius huius plantae vires experiri: Neque video, quid incommodi sola afferre possit. Purgans lene tibi commodum facilè inuenies. Ego Aloen rosatam cum pilulis tartareis, & momento Rhabarbari sumerem. Quod alios prius in Artificio illo Chymico periculum facere sinis, rectè facis: Sed communicauitne ille tibi modum, & videtur probabilis? Mihi res suspecta videtur, quod rem occultandam pluribus communicat. De Succo apud nos, multi rumores, quid verò subsit, dies docebit.

Chamedrys, affectibus hypochondriacis vtilissima.

Lene purgans.

De Artista Magisterij philosophici.

De fonte illo salubri in Episcopatu *Magdeburgensi* non dubito, multa etiā apud vos spargi, cum hic idem acciderit. Totis nauibus nostri eò versi sunt: sed nullum vidi, vel audiui inde melius habuisse. Quibus nocuerit, noui: Etiam *Comes* noster ibi fuit, sed qualis abiit talis rediit, modò non peior. Non nouum esse aiunt, tales fontes ibi erumpere. Appellant *Erdefalle*. Velim etiam, vt mihi Contradictionem in *Platero* concilies, de narcoticis extrà adhibendis *l. 1. p. 185.* vbi narcotica prodesse negat, & *l. 2. p. 722.* vbi ea commendat. Verùm excrescit Epistolâ: Quapropter etiam nolui reliquâ Lectionum parte Tabellarium istum onerare. Accipies eam per nostrum Tabellarium. Bene vale & à nobis salue. VVittebergae, 26. Iulij, Anno 1630.

De Fonte Magdeburgensi.

Plateri contradictio de narcoticis.

EPISTOLA XLVIII.

PERIOCHE.

1. Auctores Antiquiores & Recentiores qui de Arthritide scripserint recenset. 2. Obiectionibus Auctoris de fluxionis principio in Arthritide, respondet. 3. Fernelij opinio stabilitur. 4. Humorum ἀναφορία in Arthriticis per quas vias fiat. 5. Auctoris responsio de ingenti dolore Arthritico citra conuulsionem, limitatur. 6. De vino Arthriticis concedendo. 7. Doringij iudicium de minera Arthritidis in parte affecta. 8. Auctori consulit vt de Arthritide Tractatus editionem aliquamdiu differat. 9. Chamedryas vini potum ad Arthritidem probat, vsumque in seipso experiri vult.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S. Remitto, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, & alteram *Tractatus tui de Arthritide partem*, marginalibus admonitiunculis, more nuper itidem obseruato, vbi opus videbatur, auctam. Monitorem amicum, non Censorem rigidum, agere volui,

Digitized by Google

volui. Sicubi liberiùs quid scripsi, amori & candori nostro id condonabis. Quia verò otium nunc non fuit, vt plures Auctores super hoc affectu consulerem, temetipsum ad subscriptos remittere placuit; cùm eos à te nuspiam allegatos deprehenderim. Hi autem & quidem è paulò antiquioribus sunt *Arnoldus de Villâ-nouâ, Valescus, Gordonius, Sauanorola, Mintagnana*, & cumprimis *Iohannes Angl sus* Auctor certè magnifaciendus: E recentioribus verò *Rondeletius, Nic. Piso, Iacchinus, Altimarus in praxi & Tractatu de Vinaceorum facultatibus & vsu, Costaus in comment. super Auicennam de doloribus iuncturarum, Capiuaccius, Leonius Cæsalpinus in speculo Artis Medica, Campolongus, & Minadous* Tractatibus peculiaribus, *Steghius, Ioel, Baudrontius, Fonseca, & Lalius à Fonte in suis Consultationibus*. Adde, si placet, *Pansam*, antehàc præ aliis affectùs istius cognitionem & curandi scientiam sibi arrogantem, & titulo *Medici Antipodagrici* vulgò (mirum quantum!) superbientem. Inuenies enim in istis haud dubiè, quibus tuus de hoc argumento *Tractatus* multò illustrior reddi poterit: Cùm autem hæc scribere cœpissem, commodùm accepi, per ordinarium Cursorem tertiam tuam Epistolam: In quâ significas tibi notas meas ad Lectiones tuas fuisse gratissimas: Regeris tamen nonnulla, ad notas nonnullas, & primò quidem ad eam, in quâ pro sententiâ *Fernelianâ*, fluxionis principium concernente, nonnulla in medium adduxi: Obiicis igitur, omnia illa à me recensita symptomata, in febrium etiam initiis accidere, nec tamen caput ibi fluxionis principium rectè statui: Quasi verò idem effectus sæpe à diuersis causis fieri non possit: Nec meam sententiam integrè assecutus mihi videris; Neque enim hoc vel nuper volui, vel etiamnum volo, scilicet omnem Arthritidis materiam à capite stillare; sed primum quasi ratione doloris solummodò ipsius principium inde dependere: postea verò dolore iam in articulo oborto, huius vi è reliquo corpore per vasa maiorem humorum copiam attrahi (si quidem tum demùm vasa turgere incipiunt,) & dolorem eò vsque intendi ac perseuerare, dum affluxus omnis cessarit, adeóque continuitas partium solui desierit. Videris autem tu prius meæ istius opinionis membrum (quoad posterius enim inuicem nobis conuenit) vel illo apertè comprobare; quod nimirùm Natura publicas vias à vitiosis humoribus liberatura, quod subtilius est, per capillares venas hinc inde, & in multis etiam per iugulares venas ad caput, & hinc per capillares ad capitis partes externas depellat, vnde dicta symptomata fiant. E quo ipso discursu satis, meâ opinione patefit; caput primæ defluxionis, propinquius quàm vasa esse principium. Quod illud quoque confirmat, quod non rarò defluxo intermedias partes, per quandam successionem occupet, priusquam in interioribus terminetur, imò si materia sit paucior, in intermediis subsistat, ac per resolutionem ibi sensim discutiatur. Quid? quod febris non statim accedat, sed post secundum, tertiumve diem demùm oriatur. Ad hæc quis ignorat? dari febres cum catarrho. Quis verò catarrhum sine capite, vt principio proximè mittente, fieri dixerit?

Auctores antiquiores qui de Arthritide scripserunt.

Recentiores.

Pansa superba jactatio.

Auctoris obiectionibus respondet.

Doloris intensio & cessatio in Arthriticis, vnde.

Caput primæ defluxionis principium in Arthritide.

Et ἀναῤῥοήν istam apud Arthriticos per internas etiam iugulares fieri, cum sternutationes frequentes, tùm catarrhi ad fauces delabentes proculdubio arguunt, quibus præsentibus minor fit ad inferiores articulos materiæ depulsio: cuius rei exemplum hoc ipso tempore præ manibus habeo, egóque in me ipso semel atque iterum obseruaui. Iustas, allegata à me symptomata omnibus non accidere. At quomodo hoc affirmare ausis? cum mihi persuadeam, vix vnquam ad aliquem Arthriticum te sub primum insultum (in quo ista symptomata sentiuntur) esse vocatum: siquidem cum communem aliquem catarrhum duntaxat oboriturum sibi imaginantur, de vocando Medico parùm sunt solliciti. Quod si verò in quibusdam ista accidisse meministi; de similibus idem profectò te iudicare decebat. Opponis & hoc? illam materiam, quæ per dorsum mouetur, doloris in pede, vel genu causam non esse, sed illam, quæ è venis proximis effunditur: Ignosce, quæso, si te principium petere dixero: Aliter enim rem sese habere tam ex integro meæ opinionis systemate, quàm iis, quæ hactenus in medium à me prolata sunt, (si rem accuratius pensitaueris) haud dubiè cognosces. Ad reliqua, quibus sententiam *Fernelianam* in Lectionibus tuis conuelli putas, singulis notis me respondisse, deprehendes. Nolo itaque hîc actum agere.

Humorum ἀναῤῥοήν in Arthriticis per quas vias fiat.

Cur non eadem symptomata in omnibus Arthriticis obseruentur.

Circa alteram Quæstionem, obscuram à te dictam, quî nempè fiat, quod in Arthriticis tantus sit dolor, rarò verò conuulsio? facilè tibi assentiri possum, dummodò responsio tua nonnihil limitetur: limitatio autem in eo consistit; quod videtur non neruus musculo (cuius tu partem mouentis longiorem ab articulo distantiam simpliciter prætendis; cum potius neruum, ceu principale organon nominare debueris,) insertus, adeóque pro motu animali spiritus ipsi musculo deuehens, sed neruus solummodò partibus sentientibus membranosis implantatus afficiatur.

Auctoris responsio limitatur.

De tumoribus œdematosis circa articulos extra paroxysmum ob partis imbecillitatem propter materiæ congestionem genitis, non illibenter concedo, tales ad Arthritidis essentiam non pertinere, si dolor absit. Videris verò non satis plenè meam mentem ibi intellexisse: Nam si rectè memini, notam marginalem addideram illi Quæstioni; Vtrum per congestionem paulatinam, Arthritis gigni queat. Quod ego sine dubio inficiatus sum, verborum tamen formalium non ampliùs recordor; cùm notarum nullum apographum retinuerim: tu proximè verba mea repete, & exponam tibi super tota ista re dilucidiùs animi mei sensa.

De tumoribus œdematosis in Arthritide, obiectioni respondet.

Ad tempus aliquod vt à vino abstineam suades: At non fert, crede mihi, meus ventriculus, ad vsum ipsius quotidianum à multis annis iam assuefactus. Quæ verò tu de pluralitate materiæ tartareæ in medium affers, quâ vinum cætera vegetabilia excellere scribis, næ correctione quadam egere mihi videntur. Quod enim reliqua vegetabilia in eodem, quo vinum, solo nata, minùs eâdem abundent, quo, quæso, argumento refutabili comprobabis? Sanè talia vina è talibus locis aliò, vbi scilicet solum minùs est tartareum, illata plus tartari continere, quam vegetabilia, in hoc solo nata, non repugnarim. In hoc verò circa vini vsum totius controuersiæ cardo verti videtur; quî scilicet fiat, vt non helluones tantùm, sed & alij temperantiores, talibus vinis innoxiè vtantur: Arthritici verò protinùs lædantur? Respondes, & nisi me animus fallit rectissimè, causam non in vino, quâ vinum, sed in visceribus esse quærendam. Si enim viscera concoctioni alimentorum dicata robusta sint, excrementitium omne debitè separatur; sin imbecilla, quicquid eius in primâ, secundâque coctione relinquitur, sanguini permiscetur, &, dehinc Arthritidem parit. Quod posterius apud omnes Arthriticos fieri censes. Hoc ipsum nimirum est, quod ego olim in Epistola ante nouennium, Anno scilicet 1621. die 9. Augusti, ad te exaratâ, accusandum esse cumprimis suspicabar: vitiosa itaque retentrix est cutbymematica ista collectio, nec me Auctore nata, dum scribis: non licet concludere; *Helluones multi innoxiè vinum bibunt. Ergo & Arthriticis idem licet.* Causa è paulò antedictis liquet.

Doringius cur vini abstinentiam ferre non possit.

Quomodo fiat vt helluones & temperantiores tartareo vino innoxie vtantur, Arthritici non item.

Viscerum concoctioni dicatorum robur quantum ad morborum præseruationem valeat, & contra.

Atque hæc pro notis illis meis reposuisse sufficiat. Quæ si tibi non sufficerint, proximè aperias, rogo. Rogo verò & hoc, vt si quid, quod contra nouiter transmissas obiicias, inueneris, cùm ipsa mearum notarum, tum tuarum Lectionum formalia inuicem opponas, ob causam suprà adductam.

Cæterùm Quæstionem, de mineta quâdam in parte affectâ stabulante, quod attinet, de qua mearum litterarum dudum in proxima tua Epistula non vallè improbabilia proposuisti: digna vtique ea est, in quam plus operæ, & cogitationum impendatur: Si enim ita sit, fortassis per topica, extrà paroxysmum adhibita, multùm præstari possit: Ego paucula saltem, hac vice in contrarium afferam. Principio igitur illud omninò dubium apparet, quod ceu certissimum præsupponere videris; quod scilicet humor excrementitius in articulo instar mineræ cuiusdam ob vitiosam nutritionem collectus, affluente simili humore ebulliat, & paroxysmum excitet: Credebam enim ego hactenus inter similia non fieri pugnam; sed contraria saltem, quod ad oculum doces aqua calci viuæ affusa, & spiritus vitrioli, sali tartari instillatus: ne quid dicam de aliis: Deinde obstat huic doctrinæ id; quod antea de vitio partium concoctricium prolatum est. Accedit antiquorum ab Arthritide per suas Antidotos præseruandi ratio, quâ proculdubio, non tam ista minera in partibus affectis latitans, quàm humores vitiosi in reliquo corpore hinc inde abundantes absumuntur, partiumque coctionem alimentorum promouentium, & excrementitium illud ab alimentario non rectè sequestrantium, dyscrasiæ emendantur. De hac sententia vt publicè aliquid scribas dissuadere nolim.

Doringij iudicium de minera Arthritidis in parte affecta.

Inter similia an fiat pugna.

Antiquorum antidoti pro Arthritide.

Problematicè enim veriùs, quàm dogmaticè eam tractare poteris. Intereà tamen hoc suaserim, vt totius *de Arthritide Tractatus* editionem aliquandiu adhuc differas, omnia prius exquisitiùs perpendas, & non recensitos tantùm à me suprà Authores, sed & alios, si qui fortè occurrent, perlegas: Neque enim toties iteratas & mutatas editiones cordatiores probare solent.

Vt de Arthritide tractatus editionem Auctor differat, monet.

Me quod spectat, sequar tuum consilium, & folius chamædryos herbæ ex æqualibus partibus vini, & aquæ decoctæ vires experiar: addito tamen eiusdem sale. An in vitro, vel ollâ nouâ non vitreatâ decocturus sim, adhuc anceps sum. Tuus Arthriticus quem fructum ex eius vsu perceperit? dehinc vt me certiorem reddas, obliuisci noli. Ad reliqua tuarum litterarum capita respondebo occasione aliâ. Iam enim non vacat. Bene vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 15. Augusti, Anno 1630.

Auctoris consilium de vino chamædryos in Arthritide sequitur.

EPISTOLA XLIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor Doringium in suam sententiam conatur allicere.* 2. *Rationes & Auctores pro confirmanda opinione adducit.* 3. *Canonici Magdeburgensis historia*

qui

Digitized by Google

qui è dolore femoris grauissimo in peripneumoniam incidit. 4. Multiplices alia instantia pro eleuandis Doringij rationibus.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S. Rectè accepi litteras tuas, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, cum Notis in *Tractatum meum de Arthritide* pro quibus & nunc habeo gratias. Non dum eas perlegere potui. Ergo iam saltem ad litteras tuas respondeo. Quos adhuc legendos Auctores nominas, (etsi aliquos iam legerim, quos tamen, cum nihil noui in iis inuenerim, non allegaui) legam, modò otium erit eos legendi. Si enim nouam materiam Lectionum in manus sumere debeo, totum, quod à praxi reliquum est temporis, ei meditationi tribuendum erit, & vix aliorum Authorum lectioni vacare potero. Quâ in re, vt aliquid compendij facere possim, meam mentem nuper tibi aperui, & adhuc a te peto, vt nisi per Mercatores vestros *Lipsiam Dn. D. Schatonis commentarios in Aphorismos Hippocratis* misisti, hâc occasione, aut certè ad Nundinas *Lipsienses* mittas.

Auctor Doringium in suam sententiam conatur allicere.

Gratissimum verò esset, si in Quæstione illa, in qua totius negotij cardo vertitur, de principio fluxionis, te assentientem haberem. Cogites quæso, iterum de re diligenter: Spero te tandem assensurum; sin minus, de talibus dissentire, incolumi licuit semper amicitiâ. Dissentimus verò de præcipuo negotio. Etsi enim in eo conuenimus, dolore maiorem humorum copiam attrahi: tamen illi non sunt præcipui, qui Arthritidis naturam constituunt, sed illi, quos natura sponte ad articulos depellit: De his ergò Quæstio est, An è venis in partes circa Articulos detinentibus effundantur, an verò è capite transmittantur? Omnia autem ista symptomata, quæ circa caput tibi apparent non in omnibus accidere, certissimum puto. Neque opus est, vt meæ experientiæ fidem habeas, obseruarunt idem Practici experientissimi plurimi, quibus hic fidem habeo, è quibus iam saltem *Æmilium Campolongam*, & *Adr. Spigelium* nomino: Deinde sit sanè vel in omnibus, vel in pluribus aliqua symptomata circa caput apparere, non tamen sequitur, quod origo fluxionis sit in capite; cùm hæc vt nuper scripsi, eadem in febribus accidant. Disparitatem quidem esse dicis: sed disparitatis rationem non affers. Neque ego disparitatis rationem vllam video. Quotiescunque enim præcipue cum febre, natura humores mouet, & ad certam partem protrudere conatur, prius in capite, & artubus plerumque symptomata prius apparent; cum natura quoquouersus, humores vitiosos e venis protrudere conatur, donec eos in certum locum deponat.

Quæstionis status.

Auctores & rationes pro confirmanda opinione sua de principio fluxionis in arthritide

Canonici Magdeburgensis historia qui è dolore femoris grauissimo in peripneumoniam incidit.

Curaui ante annum Canonicum quendam *Magdeburgensem* dolore grauissimo in musculis femoris laborantem: Is ante menses tres circa mediam noctem dolore vehementissimo circa vtrumque genu corripiebatur, vt cum post mediam noctem ad eum vocarer, nullo loco præ dolore acerbissimo acquiescere posset: Sed dolor ille vltra horas 5. non durauit. Hinc exiguâ tussiculâ corripi cœpit, quàm peripneumonia grauissima secuta est, quæ ad diem 14. durauit. Cùm ergò materia arthritidis causa in coctione secundâ colligatur, quod te diffiteri non existimo, & hinc ad venas protrudatur, quid, quæso, opus est istis ambagibus, vt si natura eum ad pollicem pedis protrudere velit, primùm ad caput mittat, hinc è venis in capite capillaribus, eiiciat, & subter cutem ad articulum aliquem deponat; cum rectè è venis in pedes deductis id fieri possit? Dolores quosdam a serosa materia è capite sub cute in membra inferiora defluente excitari scio. suntque ij mihi notissimi, vt quos ab annis 20. iam sæpè passus sum: sed sunt illi alterius generis, quàm arthritis; neque circa articulos consistunt, sed potius in membranis musculorum. Et quæso reddas causas, cur si, quod concedis, humor serosus à dolore attractus, ex venis, & arteriis, dolorem arthriticum augere potest, idem etiam primò è venis & arteriis eò effusus dolorem arthriticum excitare non possit. Consideres etiam velim erysipelatis seu rosæ generationem, & perpendas, an non fluxionis principium sit è venis: simul tamen eadem ferè circa caput, & in aliis partibus, symptomata acciduot, quæ tibi, & aliis quibusdam imminente arthritide accidunt. Vinum plus, quàm alias plantas tartaro abundare, ipsa experientia testatur.

Dolores à serosa materia à capite in membra inferiora defluente excitati, alterius sunt generis quàm arthritis.

Humor qui dolorem augere potest, eundem primò excitare valet.

Vinum cæteris vegetabilibus plus tartari continet.

Etsi verò aliæ etiam plantæ in eodem solo crescant, minus tamen ejus attrahunt, quia vt *Hippocrates* ait, alia planta salsum, alia amarum, alia aliud, quælibet sibi conueniens attrahunt.

De pugna inter similia.

De minerâ in arthriticis in parte affectâ restitante, quæ scripsi, ὡς ἐνδοξον saltem proposui. Quia tamen tibi placet, vt eam publice proponam, si non dogmaticè, tamen problematicè, breuiter, ad ea, quæ obiicis, respondeo. Actio quidem est inter contraria, verum eiusdem generis; & spiritus vitrioli ac sal tartari vtrumque salinæ naturæ est: ita non puto absurdum esse, si humor aliquis salsus, subtilis, crassiori in osse latitanti affluat, ebullitionem fieri posse; & habemus huius rei exempla in margaritis, coralliis, oculis ♋: si iis acetum destillatum affundatur. Antidotos antiquorum quod attinet; commendant illas non saltem ad præseruationem arthritidis, sed etiam ad tophorum, & nodorum consumptionem. Mitto iam iterum aliquam Tractatus huius partem: Addas & nunc tuas Notas, & si quæ habes, vtilia medicamenta. Saluta à nobis tuam, & bene vale. Vvittebergæ, die 22. Augusti, Anno 1630.

De Antidotis Antiquorum quid sentiat.

EPISTOLA L.

PERIOCHE.

1. *Doringius in eadem opinione persistit de fluxionis principio in Arthritide.* 2. *Experientia propria mentem suam confirmat.* 3. *Canonici Magdeburgensis historia respondet.* 4. *De Natura agendi ratione.* 5. *Auctoris sententia de vino plus tartari cæteris vegetabilibus continente, etiamsi in eodem solo nascantur, refellitur.* 6. *Aliis dubiis sigillatim respondet.* 7. *Schatonis commentarios super Aphorismos Hippocratis Auctori cur non mittat.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S. Cur à te dissentiam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorand*, circa Quæstionem de principio fluxionis in arthritide, causas nuper adduxi, aliquammultas, ad quarum singulas à te responsum non est. Sequar autem nunc tuarum litterarum ductum, & quædam (sed quantum occupationes aliæ permiserint) reponam. Principio igitur cardinalem tuam rationem repetis, & recensitâ à me symptomata, circa caput mihi apparere solita, omnibus non accidere, ceu certissimum *Campolongi*, & *Spigelij* testimoniis comprobas. Quibus duobus *Medicinæ Atlantibus* si vnum dumtaxat, & quidem magnum illum *Fernelium* opposuero, munere meo me sufficienter perfunctum esse crediderim. Sic enim illorum auctoritates facilè depulero: Me, quod attinet, ipsum, eiusdem per hoc tredecennium, ex quo malo articulari affligi cœpi, talia symptomata semper deprehendi. Quibus ergò potius fidem habeas? Scribentibusne illis, & qui fortassis primum arthritidis insultum, rarissimè viderunt, ipsi, vel mihi in meomet corpore toties ista experto? Videsis igitur, ne quis te opinioni præoccupatæ plusculum largiri dicat. Porrò vrges denuò instantiam tuam à febribus petitam, in quibus eadem illa symptomata oriantur, & tamen fluxionis principium non sit in capite: Disparitatem esse in exemplis, scripsi in Notis; disparitatis autem rationem me non attulisse, nec te vllam videre, obiicis. Imò verò rationem in Epistola dedi, quando vnum, eundemque effectum sæpè à diuersis causis oriri posse monui: Quod exemplis rem istam non illustraui, ideò factum est, quod non ad Tyronem, sed te Philosophum, & Medicum veteranum scripserim.

Fernelij Auctoritas quanta sit apud Doringium.

In eadem opinione de fluxionis principio in arthritide persistit.

Experientiâ propriâ mentem suam confirmat.

Exemplo tamen sit generatio æquiuoca, *dormpistant*, & morbi per essentiam, & consensum: Deinde scripsi nuper, per tuum discursum sententiam meam magis probari, quam conuelli, de quo proximas meas litteras consulere poteris: Nunc istud paulò diligentiùs, perpendas rogo, An non in febribus etiam recensita aliàs symptomata, intermedio capite veriùs, quàm materia è venis proximè reiectâ, fiant? dum fiunt: siquidem omnibus febribus communis non sunt. Ego oppono talem syllogismum: Vbicunque adsunt symptomata parti alicui propria, ibi etiam causas symptomatum illorum in parte dictâ adesse necesse est. Nec refert, an per essentiam, vel consensum fiant? dummodò fiant. Atqui in febribus quibusdam symptomata capiti propria adsunt. Ergo & eorundem causæ adsunt: Maior vera est ob mutuam relationem causæ ad effectum: Minor per tuammet confessionem liquet: Quod si igitur res sic se habet: ecquid prohibuerit? quo minùs idem de arthriticis etiam dici queat. Canonicum *Magdeburgensem* quod attinet, qui post dolores circa vtrumque genu, vltrà quinque horas non durantes in peripneumoniam incidit; dubitare forsan quis non immeritò possit, an verè arthritici fuerint? potuisset enim simile quid esse, quale ego olim *Giessa* in

Ratio à febribus desumpta, confirmatur.

Canonici Magdeburgensis historia respondet.

in Iurisconsulto celeberrimo *D. Gothofredo Antonio* obseruaui; cum enim is ex Arthritide decumberet, & dolor vehementissimus, instar pleuritici, dextrum pectoris latus occuparet, sectâ in opposito brachio venâ, dolor in oppositum latus retrahebatut. Quid verò hoc ad Arthritidem ipsam, & quidem primum ipsius insultum? de quo hoc in loco præcipuè conuertimus.

Arthritidis in pleuritidem mutatio.

Illud tibi insuper mirum videtur, cum materia Arthritidis causa, in coctione secundâ colligatur, & hinc ad venas protrudatur, quod natura, si eam ad pedis pollicem protrudere velit, tantis ambagibus vtatur, & primùm ad caput mittat, hinc verò è venis capillaribus eiiciat, & sub cute, ad pedis pollicem demum deponat? cùm rectâ è venis in pedes deductis id fieri possit.

Arthritidis materia in qua coctione colligatur.

Sanè si natura iuxta conceptus nostros operaretur, vtique id ita fieri decebat: sed comperimus, eam vtplurimùm longè alios, & sæpenumerò cæcus ductus quærere, & per eos materiam aliquam ex vno in alium locum transferre; quod nobis factu videbatur impossibile. Cumque ministri simus naturæ, secundùm *Hippocratem*, non autem Magistri: æquum certè est, vt conceptus nostros ipsius operationibus conformemus, non verò huius operationes ad conceptus nostros adstringamus: ipse quando hæc scribo, iterum dogmatis *Ferneliani* veritatem in me sentio. Vtinam defluxio ad ἀκμὴν non perueniat? Quod haud dubiè eueniret, nisi multò maxima materiæ pars, partim per nares emungeretur, partim è faucibus screatu reiiceretur; quin & nonnulla in pulmones illapsa tussi educeretur. Doloris enim mediocria initia totum externum sinistri pedis iam occupare cœperunt.

Natura per vias nobis ignotas operatur.

Præterea cùm disertè scribat, dolores à serosa materia è capite sub cute in membra inferiora, & musculorum membranas defluente excitatos, tibi esse notissimos, vt quos ab annis 20. sæpè passus sis: quid obstet, quæso, quò minus ad ipsos articulos per easdem vias materia similis fluere possit? Huius rei rationem si mihi reddideris; reddam & ego causas (quas tamen paulò antè iam tetigi,) cur humor serosus à dolore attractus ex venis & arteriis dolorem Arthriticum augere possit; Idem verò primò è venis & arteriis eò effusus dolorem Arthriticum excitare nequeat?

Alia in Auctorem vrgentes instantia.

Erysipelatis exemplum tuam causam nihilò reddit probabiliorem: Nam si symptomata in primo insultu apparentia, & ipsi cum Arthritide communia, intermedio capite oriri dixero; ecquo irrefutabili argumento erroris me conuinces? Transfer huc superiorem syllogysmum. Sed sat multa de quæstione propositâ dixi. Qua in re si tuum assensum merebor, benè est: sin minus, dissentiamus sanè saluâ amicitiâ; præsertim cum ea, quæ in contrarium attulisti, non videam tanti esse ponderis, vt me à mea sententia, in meipso (ne quid dicam de aliis) fidâ experientiâ à me toties obseruatâ, & comprobatâ, dimoueant: nec tua plus commodi siuè ad præseruationem, siuè curationem adferat.

Erysipelatis exemplum, pro Arthritide nihil probat.

Vinum plus, quàm alias plantas etiam in eodem solo natas, tartaro abundare ipsam experientiam testari asseueras, Quod equidem magni αἰτίματ& loco habeo: Si enim aër, & aqua quibusdam in locis à tali inquinamento non est immunis; id quod exemplo coniugis *Knoblochiana* in Nota quadam me comprobasse memini; vtpote quæ, fines *Morauia* vix transgressa, articulari modo protinus prehendi solita est) ecquid de reliquis plantis spectabimus? Deinde lippis & tonsoribus notum est, tam pecora, quàm homines, si communi aëre & victu fruantur, communiter ab iis affici: Nam si talia salubria existant, rectè & ipsa valent: sin insalubria sint, morbos iisdem communes, & quandoque pestes paritiuot. Quæ causa igitur sit: quod plantæ in communi solo natæ, nihil tale pariantur.

Doringij, iudicium de sententia asserente vinū plus tartari cæteris vegetabilibus cōtinere, etiamsi in eodem solo nascantur.

Adhæc vinorum, & plantarum ratione soli natalis insignem esse differentiam, & alia alibi lætius, tristiusve prouenire, ecquis ignorat: aut quis inficiari ausit? nisi qui sensibus ipsis bellum indicere velit. Præterea dari alicubi purissima vina, & tartarei excrementi nihil, vel pauxillum saltem continentia, extra controuersiam itidem positum esse puto: qualia fortassis sunt *Italica* nonnulla, *Rhetica*, & quæ è valle *Teluá*, &c. aduehi solent: verùm clypei *Ajacis* instar obtendis *Hippocratis* auctoritatem: qui alicubi doceat, alias plantas salsum, alias amarum, alias aliud, quælibet tamen sibi conueniens è terra attrahere:

Vini & plantarum differentia ratione soli natalis, magna est.

Non omnia vina tartarea sunt.

At nosti etiam me non monente, quanti roboris sint argumenta ab auctoribus exstructa, nisi ea firmis rationibus insuper muniantur. Quid? quod liber iste, ex quo dictus locus transcriptus est, alio Auctore, (sic scilicet statuentibus quibusdam non infimæ notæ Scriptoribus) confectus sit; nisi me omnia fallit memoria. Et vt maximè *Hippocratis* Librum esse concedam: vsurpare tamen hoc in loco haud iniuriâ poteris Aristotelicum illud; *Amicus Socrates, amicus Plato: magis amica veritas*; Vt vt alias ipsius auctoritas magna mihi sit: tanta tamen esse non potest, vt sanori rationi ipsam anteponam: Humani quippe, vt alibi, sic & hîc passus esse videtur; nisi commodâ aliquâ interpretatione iuuetur, quæ haud dubiè est, quod tametsi vniformem succum è terra omnes sugant, vnaquæque tamen eundem in suum, & sibi speciei ratione conuenientem conuertat.

Argumenta ab Auctoritate desumpta nisi rationibus muniantur, parui roboris sunt.

Quicquid verò istorum omnium sit, & licet vltrò omnia tua tibi largiar: per ea tamen id, quod cupis, nondum obtines: Nam vt nuper scripsi, ita idem & hîc repeto. Nempè in hoc circa vini vsum totius nostræ controuersiæ & dissensûs cardinem verti: qui scilicet fiat, vt non heluones tantùm, sed & alij temperantiores, vinis, quantumvis tartareis, innoxiè vtantur: imò verò & ipsi (priusquam scilicet è podagrâ laborare cœperunt) Arthritici antehac innoxiè, etiam excessiuè potatis vsi sint: Arthritici verò facti ab iisdem lædantur? Hîc Rhodus, hîc salta. Ego quid de hoc ipso sentiam, scripsi nuper. Tuum est definire, num errauerim, vel veritatem professus fuerim? Certè nihil in hoc toto negotio, quorundam more, theseos solummodò tuendæ, sed vnius veritatis eruendæ causâ, in medium affero. Quam si à te mihi monstrari deprehendero, lubens hercle tibi me assentientem præbebo. Ignosce igitur, si assensum adhoc dum denego.

De vini vsu in Arthritide.

Paradoxum illud, de minerâ in parte affectâ Arthriticorum more resistante, vt palliatus sis, tute videris. Spero tamen, te id ad me priùs missurum, quàm publici iuris facturum esse, Interea tamen, si quid aliud, istud certè, quod de vini vsu modò dictum, & à me nuper tibi etiam obiectum fuit, doctrinæ isti repugnare videtur: ad quod tu nihil omninò respondisti. Responsionem verò tuam de natura contrariorum quod attinet, nescio, an ea scopum meæ obiectionis feriat? Scripseras enim tu, quod humor tartareus in parte collectus, affluente postea simili humore, ebulliat, & paroxysmus exciretur. Contra hanc tuam assertionem sic inferebam; me scilicet hactenus credidisse, inter similia non fieri pugnam, sed contraria saltem: & probabam hoc exemplo aquæ calci viuæ affusæ, & spiritus vitrioli sali tartari instillati. Respondes ergò, actionem quidem esse inter contraria, sed eiusdem generis. At de hoc non est propriè Quæstio: Non enim de genericâ quâdam similitudine, sed specificâ, tum temporis te locutum esse, tua met verba, & totus discursus abundè restantur.

De pugna inter similia.

Quoad Antidotos Antiquorum, concedam sanè, eos & ad Nodorum ac Tophorum resolutionem ipsas adhibuisse: alter tamen scopus quem ego nuper indicaui, proculdubio fuit primarius: Nec dubitatione caret, numquid per internas istas Antidotos Tophi, ac nodi consumi queant? Interim eorundem generationem, & augmentationem per ipsas impediri posse, facilè crediderim, persuasus mearum pilularum in meipso præstito effectu.

De Antiquorum Antidotis pro Arthritide Doringij sententia.

Tractatus tui, nunc transmissam partem perlegam per otium. Si quid admonitione dignum offendero, vt de eo moneatis, faxo.

Soceri nostri *D. Schatonis p. m. Commentarios super Aphorismos Hippocratis* cur non miserim, causam veram hanc cape. Misi olim, vt nosti, eiusdem *Commentarium super Galeni Librum de Ossibus*. Is autem quomodo & tibi, & mihi, ac per consequens communis Soceri memoriæ perierit, tibi est notissimum: subuerirus itaque, ne & hi per infortunium aliquod perierint, eos mecum detinui: Quod si ipsos publici iuris facere volueris, (quod te facturum esse aliquando significabas) certis legibus libenter mittam.

Schatonis commentarij varij.

Quin mittam etiam *Bassiani Landi, super primam sectionem scriptos Commentarios*; quos antehac editos non memini, *Dn. Comes* apud nos commoratur. Mansurus hîc per trimestre, vt valeat ex ipsiusmet literis sine dubio cognosces: imaginatur sibi, nescio quid particulare; ne dicam vniuersale: Fecitne horum coram te etiam mentionem? Vbi plus otij nactus nec à mea podagra in lectum coniectus fuero, solus cum ipso de talibus propediem conferam. Conquestus est de Studiosorum dissolutissimâ vitâ, & disciplinâ laxissimâ. Quid veri, falsive accusationibus istis subsit, scire velim. De te nihil, nisi quod honorificentissimum sit, loquitur. Mitto hîc exemplar *Appendicis meæ ad Tractatum de peste, anno* 1625. editum pertinentis. Quod vt per otium perleges, & iudicium tuum de eo mihi aperias, rogo. Dabam Bresiæ, die 16 Septembr. Anno 1630.

EPISTOLA LI.

PERIOCHE.

1. *Auctor Doringio de vini tartaro respondet.* 2. *Pisonis sententiam defendit.* 3. *Essentia Arthritidis an sit per paroxysmos inuadere.* 4. *Syrupus de pomis an ob humectationem, vel ob penetrandi facultatem melancholicis conueniat* .5. *De horripilatione.*

D. MICHAELI DORINGIO, *DANIEL SENNERTVS, D.*

SVt paucis, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod nuper promisi, ad Notas tuas, vbi opus videtur, respondeam: Cum scripsi tartarum quasi spirituosum fieri posse, patere ex spiritus vini tartarisati destillatione: Opponis, Sal vini volatile à sale tartari

Digitized by Google

Volatile figitur a fixo, & fixum fit volatile à volatili.

tartari fixo, potius figi. Et accidit hoc in magisterio tartari dicto: Sed vtrumque verum est, volatile figitur a fixo, & fixum fit volatile a volatili, per certâ mistionis proportione. 2. Salem terræ volatilem, qui in vna terra magis abundet, quam alia, potius accusandum putas, quàm tartari subtilisationem. Res eodem redit. Quod tu salem terræ appellas, ego tartarum dico: sed an in terra volatilis sit sal, an verò in vino, & homine volatilis fiat, dubium. 3. Quod putas me iniuriam fecisse *Carolo Pisoni*, & nonnunquam meas opiniones præcipitare, nec satis exactè perpendere, peruolue quæso, totum *Pisonem*, non in vno loco, sed pluribus inuenies, eum statuere, serum puram putam aquam esse, si quid verò aliud, vt bilem, secum vehat, id ex accidenti fieri, dum illud è vasis abstergit: Si tamen contraria loca in eo inuenies, mihi ea suggere. 4. Negas de essentiâ Arthritidis esse, per paroxysmos inuadere. Contrà in definitione hoc ponendum putat *Adr. Spigelius*, cui assentior. Etsi enim is, qui primum paroxysmum podagræ patitur, nondum podagram per interualla passus: tamen podagræ illius ea ratio est, vt per interuallum sit reditura; sicut & qui primum paroxysmum tertianæ sentit, rectè tertianâ laborare dicitur, etsi nondum per interualla febrem passus sit. Neque enim facilè aliquem inuenies, qui semel tantum veram podagram senserit. 5. De pomis poteris cogitare, an saltem ob humectationem syrupus de pomis melancholicis exhibeatur? An verò non aliquam insignem vim penetrandi habeat, quæ certè apparet, quod maculæ linteis ab iis inductæ, difficulter eluuntur; quo argumento penetrandi vim corticibus viridibus nucum tribuit *Galenus in suo diamucum*. 6. Antea iam scripsi, horripilationem non fieri è capite destillantis, sed potius materiæ tenuis è venis effusæ signum esse. 6. In Germanico dicterio, *vnd leiden was sie sollen*, substituisti, pro *sollen*, *kænnen*, dubito, verum sit rectius: oportet enim eos pati: quicquid morbus secum fert.

Carol. Piso defenditur

An essentia Arthritidis sit per paroxysmos inuadere.

Syrupus de pomis quomodo melancholicis conueniat.

Horripilatio in Arthritide quid significet.

Publica quod attinet, turbæ in vicino Episcopatu *Magdeburgensi* adhuc vigent. Deus euentum felicem esse iubeat! Bene vale. VVittebergæ, die 7. Septembr. Anno 1630.

EPISTOLA LII.

PERIOCHE.

1. Auctor librum tertium practicæ absolutum Doringio scribit. 2. De morbis externis & venenis, vtrum scripturus sit, ambigit. 3. In publicis lectionibus & praxi occupatissimus. 4. Doringij mentem circa Aphorismorum Hippocratis expositionem quam pro publicis lectionibus elegerat, rogat. 5. De D. Comitis morbo quid sentiat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Redditæ mihi sunt litteræ, *Cl. Dn. Affinis & Compater, honorande*, à Christophoro nostro, ad quas proximè respondebo. Verùm quia nec *Dn. D. Schatonis Commentarios in Aphorismos Hippocratis* mittis, nec litterarum mearum, quas per Postam *Lipsensem*, antequam Christophorus ad vos veniret respondes, dubito, an eæ tibi redditæ sint, & propterea has litteras ad te dare volui, vt rei veritatem sciam, & si forsan illæ intercidesint, meam mentem tibi rursum exponerem. Absolui, cum Deo, librum tertium Practicæ, qui in typographiâ cum fine huius anni absoluetur: Scis verò quid in præfatione libri primi practicæ promiserim: Quid præstiturus sim in Dei est manibus. Vt priuatâ operâ morbos mulierum absoluam, laborabo. An verò operæ pretium sit, vt de morbis externis & venenis aliquid tractandum suscipiam, dubito; cum plurimorum Auctorum plurimi & absoluti Tractatus eâ de re extent.

Auctor librũ tertium Practicæ absolutum Doringio significat.

Vtrum de morbus externis & de venenis scribat, ambigit.

In eam ergo veni sententiam, me commodiùs facturum, si, iis sepositis, recentiores, & antiquos quosdam, quos hactenus legere non licuit, in manus sumam, & παραλειπόμενα quædam (ne iteratis *Practicæ* editionibus alicui molestus sim) colligam. Verùm cum nec isti rei vacare possim, nisi à Lectionibus publicis aliqua vacatio mihi sit, cum Lectiones publicæ, & praxis totum diem absumant; cogitaui de tali rei compendio, *Aphorismi Hippocratis* iam à 30. annis bis nun sunt prælecti; Si ergo *Dn. D. Schatonis commentarij* (quibus simili modo te in Academiâ *Giessenâ* vsum fuisse ipse mihi narrasti) mihi ad manus essent, & recentiorem aliquem coniungerem, facilè Lectionum materiam habere possem.

Auctoris consilium pro scriptionibus & publicis lectionibus.

Hæc illarum literarum summa fuit: Quæso ergò super hoc negotio tuam mentem mihi maturè aperi: Lectiones illas, quas habiturus sum in *Aphorismos* vnquam in publicum edam: An verò *Dn. D. Schatonis commentarij* edi debeant, tu recogitabis? vt hoc *Germaniæ* statu possint, dubito. Meministi etiam proculdubio, me non solùm è communi lege, sed & ex promisso 1690. in *Dedicatione Quæstionum Medicarum* factâ, Patriæ aliquid adhuc debere, id iam exsoluam, *libro isto tertio Practicæ*; qui mihi maximè laboriosus fuit. Hoc ergo propositum num tibi placeat, scire ex te desidero. *D. Nymmannus* scriptum suum contrà *D. VVinkelerum*, vt audio, satis acerbum absoluit: Aliquem tamen qui in id typis imprimendum, sumptus facias, nondum inuenit.

Doringij mentem super tali negotio rogat.

Liber tertius practicæ Auctori fuit laboriosus.

Dn. Comiti, vt ex eius litteris intellexi, non ita multum Thermæ *Hirschbergenses*, profuerunt. Diligenti ergo continuatione medicamentorum antiscorbuticorum, & topicis idoneis opus erit, quæ à te exspectat, & proculdubio nancisceтur. Duo ego metuo, quæ tamen ipsi nolim aperias; ne vel aliquando in hydropem incidat, vel colicæ Scorbuticæ recidiuam patiatur. Quod si factum fuerit, & materia iterum ad articulos detrusa, immedicabilis paralysis excitabitur. Bene vale, VVittebergæ, die 4 Octobr. Anno 1630.

De D. Comitis morbo quid sentiat

EPISTOLA LIII.

PERIOCHE.

1. Heurnij pronunciatum de variorum Pragmaticorum lectione. 2. De mentis humanæ imbecillitate circa Arthritidis generationem. 3. Auctor ad Doringij syllogismum pro stabiliendo fluxionis principio in Arthriticis, respondet. 4. Suam de vite opinionem plus tartari cæteris vegetabilibus etiam in eodem sole natis continente, tuetur. 5. De vini vsu in Arthriticis. 6. De Hala variis obsidionibus, aliisque turbis bellicis.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Legi, *Clariss. Dn. Affinis & compater honorande*, de tuo monitu adhuc aliquos practicos, quantum ad causam Arthritidis: sed verum esse comperi, quod *Ioh. Heurnius in modo stud. Medic. c. 9.* scribit: *Qui vnum Pragmaticum perlustrauerit, mille, imò omnes perlustrauit. Ita omnes eadem de iisdem dicunt, & pauci noui aliquid mouent*: Peruoluam tamen etiam præcipuos in reliquis capitibus.

Heurnij pronunciatum de variorum Auctorum lectione.

Controuersiam verè illam de generatione Arthritidis quod attinet, reuocat illa mihi in memoriam, imbecillitatem ingenij humani, & verum esse, quod *Aristoteles* scripsit, aciem mentis nostræ ad veritatem cæcutire, sicut noctuæ oculos ad Solem meridianum: Et si istud nobis in hac, vt mihi videtur, facili controuersiâ accidit, vt mea sententia mihi tua tibi placeat, tuæ rationes tibi firmæ, mihi meæ videantur: Non mirum aliis etiam doctis viris in controuersiis grauioribus idem accidere.

Mens humana ad veritatem cæcutit.

Verùm ne pertinax videar, aut mihi mea nimis placere videantur, scripsi de istâ re ad vnum, atque alterum Medicum: si ipsi meam sententiam tecum improbabunt, eam mutabo; sin minùs, retinebo. Ideóque de eâ controuersiâ nihil addo, nisi aliquid ad syllogismum tuum, quem apponis: Totum enim eum concedo: Sed quid ille ad Arthritidem, in quâ non solùm *Adriani Spigelij*, & *Campolongi*; sed & *Rondeletij*, & aliorum plurimorum testimonio, imò experientiâ teste, non semper illa symptomata circa caput, quæ tibi accidunt, apparent! vt & ad erysipelas! Et non memini me legere horripilationes illas, seu inæqualitatem, vt *Rondeletius*, & alij appellant, quæ in febribus & erysipelate accidit, à capite proximè prouenire. Sed sat de hâc Quæstione. Hoc saltem addo, scribis meam opinionem non plus commodi, siue ad præseruationem siuè ad curationem afferre; omninò verò multùm. Tu ipse certè pilulis suis

Ad Doringij syllogismum pro fluxionis principio in Arthritide stabiliendo respondet.

Digitized by Google

non ad capot, sed venas curam direxisti: Et si à capite fluat materia, cur non vesicatoria, setacea, &c. adhibeatur. Terram, vt & aquam aliam aliis esse salubriorem, non nego, & rursum etiam terram, & aquam alibi plus, alibi minùs materiæ, vnde Arthritis generatur, continere non nego. Interim non video, quâ ratione negare possis, vitem plus tartari & salis terræ, vti appellas, attrahere, quàm cucurbitam, aut cucumeres, & quo fundamento Authoritatem *Hippocratis*, docentis, plantas alias salsum, alias amarum, alias aliud attrahere, reiicias: cum ipsa experientia id testetur ac resolutum: plus enim tartari suppeditat vinum quàm aliæ plantæ, & in iis locis proueniunt & crescunt vites, in quibus nullæ aliæ plantæ alimentum inueniunt, solo ferè sale terræ contentæ.

Suam de vite opinionem plus tartari cæteris vegetabilibus etiã in eodem solo natis, continente, tuetur.

De vini vsu in Arthriticis.

Illud verò quod valdè vrges, pro vini vsu in Arthriticis, quod scilicet multi potatores non fiunt Arthritici, & multi etiam diu vinum bibunt, antequam fiunt podagrici, me parùm mouet, Potest nimirum aliquis tam valida habere viscera, vt etiam cibum & potum non satis commodum sinè noxâ perferre possit. Ergo ne idem cibus & potus aliis, qui eo robore non valent, permittendus. Multi dies & noctes sine insigni incommodo potant: Ergonè potationes tales à Medicis probandæ? multi cibi infantibus & adolescentibus permittuntur, quos posteà senes ferre non possunt.

D. Comes quid in auri conficiendi labore profecerit.

Reliqua *Tractatus mei* capita, & responsionem ad binas, ni fallor, Epistolas, hac occasione expecto. *Comitem* nostrum quod attinet, hoc quidem ab eo audiui se apud *Bogunum* auri conficiendi gratiâ magnam pecuniæ vim perdidisse, sed quod aliquid perfecerit, nũquam ab eo audiui. In viciniâ nostrâ turbæ bellicæ adhuc durant. *Hala* ter vel quater nunc à *Cæsarianis*, nunc ab *Episcopalibus* capta est. *Pontificij*, vt video, in proposito suo constantes, & animosi sunt, & *Suecum* contemnunt; Verùm à minimis etiam timendum, & alea belli anceps est: Nos adhuc pace fruimur, quàmdiu in Dei manu est. Benè vale cum tuâ, quam saluta. VVittebergæ Cal. Nouembr. Anno 1630.

Hala multoties capta.

EPISTOLA LIV.

PERIOCHE.

1. *Doringius doloris podagrici incrementum omni adhibitâ diligentia prohibere haud potuisse Auctori significat.* 2. *Quibus remediis vsus fuerit.* 3. *Ophthalmia corripitur.* 4. *Quomodo circa vini vsum se gerere constituerit.* 5. *Vinum album podagricis, extra fluxionis tempus, vtile.* 6. *De hydromelite, vtrum sibi conueniat.* 7. *Auctori de vini tartaro Arthritidis parente respondet.* 8. *Carol. Piso vtrum dixerit serum aquam puram esse.* 9. *Spigelius de essentia Arthritidis reijcitur.* 10. *De facultatibus syrupi de pomis.* 11. *Arthritis an morbus contagiosus.* 12. *De calcis viuæ spiritu.* 13. *Antidotus ad Arthritidem commendatissima.* 14. *De instituto Sennerti de non contemnendis laboribus practicis, & Doringij & aliorum Medicorum iudicium.* 15. *Sennertum hortatur Doringius ad Tractatum de morbis mulierum, tum de morbis externis & venenis conscribendum.* 16. *De spiritu Cochleariæ & Beccabunga ad Scorbutum.* 17. *De floribus Mercurij.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Doloris podagrici incrementum prohibere haud potuisse significat.

S Quin podagra, cuius mediocria initia, circà talum externum sinistri pedis me sentire significabam, quando proximas litteras ad te perscribebam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ad ἀκμὴν perueniret, declinare non potuit; quamtum vis cum Natura per várias vias, vti tunc inuai, ab excrementitiis humoribus, ipsemet sese repurgaret, tum ego eo ipso die, puluere, qui cõstabat è *spec. Caryocostin. puluer. diatartari Paras.* & *cremoris tartari* singulorum ℈.j.

Quibus remediis vsus fuerit ad doloris præcautionem.

vterer, indeque octies largissimè serosas superfluitates deponerem. Cumque dolor omnino nihil intenderetur, sequenti die idem medicamentum, sed in formam pilularem cum *syr. rosar. soluti.* redactum, denuò sumsi; verùm minori cum effectu: siquidem sexies duntaxat, & quidem parciùs aluum mouit. Quia verò destuxio alterum quoque pedem circà eandem articulationem inuadebat, interpositis duobus diebus iisdem pilulis secundò vsus sum, quæ tamen vix quaternas sedes procurabant: Hinc à purgantium vsu planè abstinui, & non nisi emulsione refrigerante, cum calor febrilis me tantoperè affligeret, potaui: pedibus farinâ siligeneâ, pro more hactenus mihi vsitam, saltem appositâ.

Topica remedia.

Dolores fuêre quidem sic satis tolerabiles, nec occupauêre tam streuuè, atque antehac, maiores pedum digitos: pedibus tamen me insistere non permiserunt per tres quasi septimanas: Genubus interea saluis permanentibus. Moræ itaque pertæsus, & nescio, quâ tendinum & ligamentorum siccitate animaduersâ, ceratum tertiâ septimanâ mihi ordino, è pinguedine humanâ, & caninâ, oleo ceræ, & hyperici, puluere lumbricorum terrestrium præpar. & herbar. Chamæpith. cum s. q. Ceræ nouæ parandum. A cuius applicatione vtrumque pedem paulò meliùs mouere, ac cum quartâ septimanâ in prandio ac cænâ exiguum vitrum vini Rhenani biberem; pedibus iterum paulisper insistere incipio, donec peractâ quartâ septimanâ (sic scil. efflagitantibus ægris nonnullis) in publicum, vicissim, (quanquam ægerrimè) prodeo. Pedes cum spongiâ vini decoctionis flor. sambuci, & lauendulæ imbutâ singulo manè ac vesperi lauari curani. Tertia iam, dum hæc scribo, præteriit septimana, & tamen in viâ publicâ, sine claudicatione difficulter incedo: Reliquiæ vix planè discutientur, intra vnam atque alteram hebdomadam.

Ceratum à cuius applicatione meliùs se habuit.

Pedum lotiones.

Cogito igitur de instituendâ quandoque pedum lotione, è decocto fol. betonicæ Chamæpityos, rasarum tubr. adiecto sale communi. Ne verò calamitatibus meis quicquam deesset, ecce alterâ ab egressu in publicum septimanâ, Ophthalmiâ corripior, per contagium proculdubio contractâ, dum duobus infantibus ex simili malo laborantibus, oculos attentiùs inspicio, quæ me etiam biduo domi detinuit. Vnius meminisse non debeo; nempe in hoc meo decubitu (quæ in aliis fuerunt rarissimæ, & semper exacerbationem portenderunt,) me titigines passum esse creberrimas, nunc Chamædryos decocto ex vini Rhenani, & aquæ eiusdem herbæ partibus æqualibus in B. M. parato, & s. q. sacchari candi dulcorato, vtor, vtinam cum sperato successu.

Ophthalmia corripitur.

Circa vini vsũ quomodo se gerere constituerit.

Circà vini vsum ita me imposterum gerere constitui. Cum enim in totum ab eo ob ventriculi imbecillitatem, & diuturnam bibendi consuetudinem abstinere mihi non liceat; bibam id, & quidem Vngaricum, moderatè intrà prandium & cœnam: reliquas verò extrà hoc tempus Amicorum & honoris causâ factas bibitiones per aliquod tempus suspendam; periculum facturus, an rariores ac mitiores inuasiones habiturus sim. Varia enim in diuersis locis bibere vina, incommodare non dubito, præterea omnimodam vini abstinentiam, ætas ingrauescens non permittit, vtpote cum à Festo Michaelis proximè decursu quadragesimum nonum adeóque climactericum, multis aliàs funestum, ingressus sim? Quod si igitur per totalem abstinentiam me ab Arthritide præseruare niterer, vt in aliud malum grauius, hydropem, cachexiam, vel simile deduceret, facilè fieri posset. Quod ipsum Comitem quendam Pratensem inter consilia pro ipsius Arthritide, cùm præseruanda, tum curanda, à diuersis tum temporis Medicis celeberrimis exarata, & per *Henricum Garetium Anno* 1592. publici iuris facta, *Petrus Burhesius Epistolâ* 19. diligenter monuit. Qippe vinum album, meracum, antiquum, & modicum, extrà fluxiones podagricas assumptum, optimum est nutrimentum: vrinas enim cit, cruditates concoquit, cibis commistum concoctionem adiuuat, alimentique per corpus distributionem, promouet.

Doringius totalem vini abstinentiam ferre non potest.

Vinum album extra fluxionis tempus, podagricis vtile.

Dominus Comes curabit sibi adhibi aliquot dolia hydromelitis *Lituanici*, quamprimùm via commodior reddetur, Promisit, se vnum mihi donaturum esse; Si promissis steterit, vini loco moderatè bibitum fortassis non oberit: Etsi enim ob hepatis calidiorem intemperiem verendum sit, ne bilescat: cum cibo tamen sumptum, non ita properè ad hepar transibit.

Hydromel calidius hepar habentibus noxium.

Accedo nunc ad litteras tuas, responsiones ad quasdam alias duas notas continentes. Et primam quidem à tartari spiritualisatione (vt sic loquar) quod attinet, vt vel maximè concedam, sal tartari fixum, à spiritu vini, maiori copia affuso, per destillationem repetitam reddi volatile, & forma spiritus simul per Alembicum rapi: idem tamen vel in vite ipsa, vel in corpore humano ad amussim fieri, quo certo argumento probabis? Eccur non mauis sali volatili, qui ipsimet terræ inhæret, quemque facto examine inuenies, omne illud verius adscribere, quàm entia citrà necessitatem multiplicare? quod ego salem terræ appello, num tu rectiùs tartarum nominares,

De vini tartaro Auctori respondet.

Digitized by Google

nomines; ipsemet facilè dignosces, si quæ tartari natura renata sit, accuratius dispicias. Nolo in tritis istis immorari.

Pisonis sententia de sero examinatur.

3. Vtrum *Carolo Pisoni* iniuriam facias in eo, quod serum putam, puramque aquam esse ipsum, statuere, scripsisti, haud impeditè definiet is, qui inter seri essentiam, & existentiam distinxerit. Sanè essentiæ ratione ipsum, sicubi dixit, id dixisse libenter largior; At si existentiam spectes, nego. Huc pertinent loca I. è *pag.* 6. II. è *pag.* 7. III. è *pag.* 15. Vbi in Theoremate expressè scribit, sero inesse (h.e. vt ego interpretor, ad seri constitutionem concurrere) commixtionem bilis excrementitiæ, Quin IV. *pag. seq.* hæc ipsissima leges verba: *Quia tamen lentor detersoriam vim requirit, qua vis inest, quasi amara sua natura, merito affunditur sero nonnihil bilis excrementitia.* Quod si itaque serum ratione istius vtilitatis & effectus consideres; numquid non affirmare forsan possis? Primum statuere, illud non tam existentiæ, quàm ipsiusmet essentiæ causâ simplicem aquam esse non posse. Vide igitur tu, num iuste inulte vt te hàc in re mouerim, Opiniones tuas te nonnunquam præcipitare, nec satis exactè perpendere, me scripsisse recordor. Nec est, vt propterea mihi succenseas: vera enim me scripsisse, ipsemet facilè fatebere, si quàm crebro, etiam publicè defensas, mutaueris, in memoriam tibi reuocaueris: exempla igitur (cum contra præsens sint institutum) addere nolo: præsertim cum te, ne idem fortè in *Tractatu de Arthritide* committas, amicè præmonere voluerim. Quam præmonitionem, vt amicè item suscipias, oro. Famæ enim tuæ per ipsam consultum iui.

Spigelius circa Arthritidis essentiam reyicitur.

4. Redire per paroxysmos de essentiâ esse Arthritidis, credat *Spigelio*, qui volet, ego non credo. Si enim dolor, humor, & alia symptomata, Arthritidi familiaria in articulo appareant; ecquis hunc affectum Arthritidis nomine insignire prohibeat? Cui namque competit definitio, eidem & definitum. Quid? quod per paroxysmos recurrere, accidentalis, non essentialis sit morborum differentia. Verum aliqui dentur, qui semel tantùm podagrâ laborauerint? diligenti inquisitione & aliorum obseruatione doceri forsan poterimus. Promittunt certè nonnulli, nescio, quibus remediis, in primo paroxysmo adhibitis, plenariam præseruationem. Et memini, me ante plures annos curasse viduam *D. Rhadesmanni*, hâc æstate in thermis *Hirschbergensibus* defunctam, ex articulari morbo tum laborantem, quæ credere item solebat, se ex Arthritide decumbere, quandoquidem hactenus ab eâ libera vixerit, & non nisi ante annos quindecim simili malo correpta fuerit. Idem malum in iuuentute passus est, dum in Academiis visit noster *D. Crentzmannus*; cuius catarrhi ad pectus nunc potissimùm decumbunt, cæteroquin ab Arthritide immunis.

Syrupi de pomis facultates

5. Syrupum de pomis quomodo humectationis causâ, melancholicis exhiberi scripserim; non amplius memini. Debebas, vti aliás etiam monui, cum tui textus, tum meæ notæ verba apponere. Intereà vim penetrandi ipsi minimè denegauerim: vtra tamen qualitas in eo præpolleat, & quæ præcipuè in eius exhibitione attendatur, tute itidem cogitare poteris.

6. De horripilatione, quomodo ea intermedio capite fiat, scripsi nuper, causamque reddidi. Quam nisi sufficienter falsitatis coargueris, principium te petere dicam, quo vsque potius materiæ tenuis è venis effusæ signum ipsam esse prætendis.

7. Germanicum dicterium nostris vsitatum, reuerà sic sonat *Ich esse vvas mir schmeckt, vnd leide vvas ich kan.* Verum rectius sit, *kan oder soll?* tecum non litigabo. Sed heus! quid sentis de hoc paradoxo *Sarckkirchiano*? cum enim nuper decumberem, & ipse tunc (nunc enim ἐν ἁγίοις) me visitaret, mouebat Quæstionem; Numquid crederem, Arthritidem

Arthritis an morbus contagiosus

esse contagiosam? Quod cum negarem, & meos canes, qui mecum cubant, saluos permanere, nec simile quid hactenus obseruatum esse, obiicerem: conabatur is contrarium his fundamentis confirmare. 1. Sic communiter sentire *Schmidaicenses*; Illinc enim religionis causâ huc vicissim appulerat.

Rationes id suadentes

2. Dubium non esse, quin μίασμα aliquod effluat, siuè per insensilem transpirationem, siuè sudores Arthriticis non infrequentes. Ad quæ, cum regererem; loquendum quidem esse cum vulgo interdum, rectè statuente; sentiendum nihilominus cum doctis, qui hac in re ipsi omninò contrarij sint.

Doringij iudicium.

3. Nec omne μίασμα protinus contagiosum esse: inferebat, sibi suamet in proprio corpore ante biennium obseruatâ experientiâ attestari; Nimirum *Suidnicio* ad Nubilem quendam ex Arthritide decumbentem, euocatus erat, & domuituro lectisternia, quibus æger incubuerat substrauerant: Manè igitur experrectus dolores podagricos sensit, ub iisque via post alteram septimanam liberari potuit. Ergóne, inquiebam, *mi Sarck recht*; nulla alia istius paroxysmi causa subesse potuit: Nulla, ait, cum prius hoc malum nunquam passus fuerim, nec idem deinceps recurrerit. Non sufficit ista tua solitaria experientia, inquiebam; quæ te proculdubio Elencho causam et fallit. Sed agesis! comprehende scripto istud tuum paradoxum, vt id *Sennerto meo* diiudicandum transmittere valeam: Pollicitus quidem se id effectum daturum, morte tamen per appoplexiam (tum existens) præuentus id non præstitit. Cogita tu de hoc Themate diligentiùs, & peculiari problemate id enoda. Mihi satis est, quod occasionem de eo cogitandi, tibi suppeditauerim.

Rogâsti aliàs, vt si quæ vtilia haberem medicamenta, ea lectionibus tuis adderem. Facerem boni publici causa libenter, si quæ singularia, & comprobata haberem. Quærere tamen hoc in loco ex te libet; quid de calcis viuæ spiritu à *Fr. Basilio Monacho* tantoperè celebrato, sentias? Eam ad tartari coagulati resolutionem multùm posse, non dubitauerim. Sed modus præparandi paulò videtur esse difficilior: Vt etiam placet mixtura illa in *Halygraphia Doldemij parte 4. mihi pag. 318. & seqq.* Sub titulo Arcani tartari descripta? de quâ promittitur, quod podagram radicaliter tollat. Accepi non ita diu, & aliorum duorum remediorum antipodagricorum, sudoriferorum, formulas; de quorum altero dicitur, quod si guttarum 4. dosi è liquore conuenient podagrico ter propinetur, eum siue omnium virium iacturâ per duas, tresve septimanas sudaturum, vsque dum corpus depuratissimum factum sit: hac tamen cautela adhibita, quod corpus a crassioribus excrementis per alia Mercurialia prius liberandum sit.

Antidotus ad Arthritidem commendata.

Quia tamen in corporis totius aduersus Arthritidem præmunitione maximum, (vti aliàs semel atque iterum scripsi) momentum situm est, placet antidotum, *Comitis Pratensis* à *Petro Burrhesio*, ceu præstantissimum, cùm præscriptum, tum commendatum, subjungere.

℞. *Aristoloch. rot. vera* ℥. viij.
Gentiana ℥. iij.
Scordy, ver,
Rad. peonia,
Centaur. ma. an. ℥. ij.

Incidunt hæc, detrahunt a capite, aperiunt, præseruant à putrefactione & veneno, aperiunt sima & gibba hepatis, & splenem.

Thymi cretensis,
Dictamni cretici.

Hæc duo sunt capitalia.

Aspleny seu *ceterach*,
Eupatory an ℥. j.

Illud splenem respicit. Hoc hepar.

Stachadis vera,
Pulegy,
Hyssopi,
Betonica,
Baccarum lauri,
Rutha,
Saluia,
Hyperici, an. ʒ vj.

Capitalia, pectoralia, neruica: ex quibus pulegium & hyssopus respiciunt etiam humorem melancholicum & aperiunt splenem.

Centaurij minor. ℥. j. ß.

Detrahit purgando, quæ incisa sunt.

Rad. Angelica

Angelica confirmat & corrigit.

Asari,
Bryonia,
Polypody, an. ℥. x.

Hæc aperiunt, & purgant ventriculum per sputum modo quodam mirabili, admistis his præcedentibus.

Agarici ℥. j.
Gummi benzoini ℥. j.

Benzoin respicit cerebrum, fontem omnis catarrhi.

Acori,
Cinamomi, an. ℥. ß.

Acorum confortat neruos.

Ex omnibus tritis tenuissimè fiat Antidotus, cum syrup. de nuce moschat. q. s. Fit autem hic syrupus sic.

Syrupus nucis moschatæ.

℞. *Nucis moschat.* ℥. iij. macerentur in *vini optim. albi* ℔. ij. post addendo *sacchari* ℔. v. Coq. ad vini consumptionem, intereaq. adde *spica celtica* M. ij. post cola, & seruetur ad vsum. Antidotus detur pondere ʒ. ij. superbibendo hyeme haustum vini: æstate seri lactis: deinde, si potest, ambulet.

Auctorem hortatur Doringius ad Tractatum de morbis mulierum, tum de morbis externis & venenis conscribendum.

Institutum tuum *de non continuandis laboribus practicis* aperui Medicis nonnullis nostratibus. Nullus id probat. Sumque ipse in hac sententia, si in eo perrexeris, famam tuam propterea non parùm periclitaturam. Et si priuata opera *de morbis muliebribus Tractatum* elaborare cupis: cur eundem publicè perlegere nolis? Poteris nihilominus *Paralipomena* colligere ex Auctoribus qui tibi hactenus lecti non sunt. Si Deus vitam abruperit, (quod absit) priusquam totum opus practicum absolueris; nemo criminabitur: Scripserunt *de morbis internis* plurimi quoque ante te alij; non tamen passus es te à scribendi labore absterreri. Cur igitur ratio illa circà morbos externos & venena tantoperè te moueat? Perge itaque in eo, quem cœpisti, labore, & ipsum bono cum Deo eò vsque perduc, quò vita & valetudo permiserit: Ita enim gratæ poste

poſteritati rectius inſeruies. Ignoſce ergo, quod *Commentarios Soceri noſtri p. m. ſuper Aphoriſmos Hippocratis*, nec dum miſerim: cum nulli vſui ſic tibi futuri ſint, ipſeque, an hoc Germaniæ ſtatu edi poſſint, dubites.

Librum tuum tertium, ſi Senatui noſtro inſcripſeris, gratum, meâ opinione, fuerit: Interea tamen nihil hic tibi præſcriptum velim; ſequere ſanè, quod tibi commodiſſimum videbitur, conſilium.

De VVincleri & Nymmanni altercationibus.

D. Vincklerus Nimicij cum vxore, & filiolo viuit. Auidè, vt audio, in *Nymmannus* ſcriptum reſponſorium inquirit. Poterat equidem labore iſto ſuperſedere, etiam citra rei medicæ diſpendium. Vereor, ne à rebus, ad cauillos inter duos iſtos aduerſarios, fiat tranſitus. Qui quantam laudem vtrique pariturus ſit, dignoſcere facilè potes.

Dn. Comitem quod attinet, valet ille cætera, exceptis pedibus, rectiſſimè, ac egregiè pingueſcit: repetiturus thermarum *Herſchbergenſium* vſum futuro vere. Tantiſper itaque hîc commoraturus eſt: in medicamentorum vſu palato nimis blandiri cupit. Apportauit ſecum *Gorlicio* ſpiritum Cochleariæ & Beccabungæ, quo aliis admixto vti ſolet. Ait Pharmacopæum *Gorlicenſem* gloriari, ſeſe ſolum, & qui ab ipſo edoctus ſit, veſtrum Pharmacopæum parandi rationem callere. Mihi fucus ſubeſſe videtur. Tam vinoſus enim eſt iſte ſpiritus, vt credam, vini ſpiritum plantis effuſum, & ab iiſdem deſtillatione abſtractum eſſe: conſentit mecum Pharmacopæus noſter, *Dn. Petrus Caſtenbergius*, in Operationibus Chymicis, laudabiliter aliàs verſatus. Quippe detinuit ea in fermentatione Cochleariæ tantam quantitatem, quantam vix tribus taleris emas; ſpiritus tamen inde prolectus, tametſi multum olei continuerit, vini ſpiritum, perinde ac iſte, non ſapuit, quoad vires plantæ nihilominus longè portatior. *Dn. Comes* dixit, & te modum latuiſſe; didiciſſe verò a veſtro Pharmacopæo. Si ſecreto dignus ſum, quæſo, id proximè mecum communica.

De spiritu Cochlearia & Beccabunga ad Scorbutum.

De D. Comitis morbo.

Quoad pedes hactenus vndique conſilia & a Magis, & a carnifice, & neſcio, quâ non hominum fece, quæſiuit. Nunc remediis quibuſdam a me propoſitis vtitur: quibus *Sebaldum Rohlingum Conſulem* quondam *Marienmontanum*, reſtitutum fuiſſe inter mea *MSS.* inueni. Deus parem largiatur euentum. *Dn. Comes* vult, vti intelligo, à te edi hiſtoriam ſui morbi, & inſtitutæ curationis: Onerauit itaque me, & *D. Pentanum* collatione Formularum remediorum à te præſcriptorum & ab ipſo vſurpatorum. Equidem ad aſſumptionem multò videtur fuiſſe pronior, & facilior, quàm nunc eſt.

De floribus mercurij.

Peruenit non ita pridem in manus meas formula pilularum, in quâ poſiti erant flores Mercurij ea cum præſcripto. Ecquid iſti flores ſunt? Mercurius dulcis eſſe non poſſunt: quia doſis pilularum nimis exilis; ſumma nimirum gr. xv. Nec vitæ eſſe poterit: cum miſâ facilitate ſine vomitu pilulæ purgare perhibeantur. Viuit in viciniâ Nobilis quidam Chymiæ per multos annos dedit iſſimus, quique omnem decoxit ſubſtantiam, is breui pilulis quibuſdam innotuit, mitâ clementiâ per diuerſas vias operantibus. Scis, nos dudum de tali aliquo remedio fuiſſe ſolicitos. Nullus nunc hactenus adeptus eſt. Quod ſi quid habes, me quoque eius participem redde. Sed finio, & te cum tuis benè valere, ac ſaluere iubeo. Abſoluebam Breſlæ, die 12. Nouembr. Anno 1630.

EPISTOLA LV.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringium tamdiu Arthritide conflictari dolet, ipſique Chamedryos decocti vſum ſuadet. 2. Vini vſum probat, & Amicorum conuiuia & bibitiones diſſuadet. 3. De hydromellitis vſu. 4. Doringio de Arthritidis cauſa & eſſentia breuiter reſpondet. 5. De calcis viuæ ſpiritu. 6. Quid deinceps facturus ſit, mentem ſuam aperit. 7. De ſpiritibus Cochleariæ & Beccabungæ. 8. De floribus mercurij. 9. De Medici cuiuſdam Francofurtenſis ſcriptis in Auctorem.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor Doringio Chamedryos vſum conſulit.

STe toties & tamdiu, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, Arthritide conflictari vehementer doleo: Omninò danda opera erit, vt per crebra interualla tumulatos in corpore humores euacues. Chamedryos decocti vſus, vt tibi multum profit, opto. Ipſe etiam tibi ſuadere volebam, niſi ipſe eum tibi elegiſſes; cum à multis id vehementer commendari videam. Vini vſum non tibi planè interdico. Et ipſe iſtâ ætate ita ei aſſueui, vt etſi Arthritide corriperer, vix tamen planè ab eo abſtinere poſſem. Verùm vt *vngar eum* bibas, non ſuaderem. Poſſes facilè aliud commodius inuenire; etſi chariùs. Sed cur ſumptibus hîc parcas? Vt verò bibitiones Amicorum, & honoris cauſæ faciendas aliquandiu ſuſpendas, non diſſuadeo. Et ego iam iſtud animo voluo, quomodo me commodè ab iis conuiuiis abſtraham: Video enim pro ſæculi huius more in iis ſemper in valetudinem peccari. Et præcipuè bonâ diætâ & valetudinis cura vtaris in iſto climaterico, quem ingreſſus es, quemque vt feliciter abſoluas, opto, omninò opus cenſeo.

Vinum ſuadet.

Hydromellite cautè vtendum.

Cum hydromelite *Lithuanico*, ſi illud à *Dn. Comite* acceperis, caute agas. Scio quidem illud Senis Romani: *Intus mulſo, foris oleo*, nec ignoro, in *Polonia*, in magno vſu eſſe: ſed ſcio etiam non aſſueti facilè hepar calefacere, & febres accendere, poteris eius periculum facere.

Doringio de Arthritidis cauſa & eſſentia reſpondet.

De controuerſis illis de Arthritide Quæſtionibus breuis ero; cum Tabellarium diu detinere nolim, & mihi in *Luſatiam* abeundum ſit. Perpendam verò ea quæ mones diligenter, & veritatem, quantum potero in hac humani ingenij imbecillitate ſequar, Pauca ſaltem ſepono. Salem terræ libenter cauſam Arthritidis eſſe, agnoſco, ſed an non etiam tartarum appellari poſſit, & an non tartaro etiam inſit, & an non is ipſe ſal, nunc fixior, nunc volatilior ſit, & an non in vite, & vino, imò in corpore humano volatilior fiat conſideres velim. Non ſolùm *Spigelius*, ſed plerique, quos legi Authores, tribuunt hoc Arthritidi, vt propriuio, per interualla recurrere. Et omninò inquiſitione dignum; An dentur verè podagrici, qui ſemel tantùm podagra laborarunt. Et ſit ſanè dari: tamen & tertiana febris interdum vel ſudoriferis, vel purgantibus auerti poteſt, vt tertio die non redeat. Ob admonitionem illam non ſuccenſeo: Sed quod ego, & alij etiam non ſemper veritatem, quam quærimus, aſſequimur, non ſemper cauſa eſt præcipitantia, ſed ſæpè, vt in proæmio literis ſcripſi ingenij humani imbecillitas. Et erramus, non minùs in iis, quæ diu cogitamus & ruminamus quàm in iis, quæ ſubitò effundimus.

Ingenij humani imbecillitas.

Sackhirchianum paradoxum de Arthritide contagioſâ via attingam. Pro parte enim affirmatiua nullam video rationem probabilem; niſi forſan ad illud meum paradoxon de cauſâ in ipſius articulis latente confugerem?

Calcis viuæ ſpiritus an tutò exhiberi poſſit.

Quæ Chymici de Arcano tartari, & ſpiritu calcis viuæ prædicent, ſcio: Sed an promiſſis ſatisfecerint, dubito. Negare enim nolo, cum expertus non ſim: Et eſt omninò operoſa & difficilis ſpir. calcis operatio. Dubito verò & de iſto, an ita tutò exhiberi poſſit ſpiritus calcis viuæ. Eſt enim ſumma vis corrodendi, & ſi ſine dolore, in eâ, vt vel cauteria potentialia è lixiuio calcis viuæ parata teſtantur, quæ cutem ſine omni dolore, intra horæ ſpatium mortificant: Metuo ergò, ne & viſceribus ſimile quid accidat. Mallem verò reliquorum duorum remediorum Antipodagricorum ſudoriferorum formulas mihi communicaſſes, quam illud *Bruheſij*; tum conſilia illa ipſe etiam habeam. Eſt illa ex antiquorum medicamentis concinnata: quid præſtet erit incertum.

Quid deinceps facturus ſit, Doringio mentem ſuā aperit.

Inſtitutum meum quod attinet, facilius eſt, in hac re conſulere, quàm id quod conſulitur, exequi. Non otiabor quidem, & quantùm potero, in reliquis progrediar. Et quidem cum nouo anno, quem Deus fauſtum largiatur, ad morbos mulierum me accingam: qui vbi fuerint abſoluti, poſteà quid facto amplius opus ſit, diſpiciam: Interim cum libros hoſce tres abſoluerim, properandum fuerit, nec, quod fateor, pro voto omnia elaborare potuerim, rem & neceſſariam, & vtilem me facturum puto, ſi recentiores quoſdam adhuc perlegam, & cum meis conferam. Iubes vt per otium *Paralipomena* illa colligam. Sed vbi illud otium? ſi priuatâ operâ morbos mulierum elaborare, publicas Lectiones & quidem ad ordinarium numerum concipere, ægrorum viſitationibus, & aliis negotiis vacare debeo. Ergò quomodo *Soceri noſtri p. m. Commentarios* mihi nulli vſui futuros putas, eos maximo vſui mihi futuros puto; dum eorum opera à Lectionibus publicis quaſi vacationem (quæ certè iſtâ ætate & viribus mihi neceſſaria eſſet, quamque, vt ſpero, mihi non inuidebis) habere potero, vt poſtea cogitationes diſtrahere opus non ſit: ſed totus in reliquis libris abſoluendis eſſe poſſim, & quidem ſine properatione. Nam ſi iidem, qui reſtant Libri, etiam publicarum Lectionum materia eſſe debebunt, neque ex meo, multò minùs aliorum voto eos abſoluere potero; cum ſæpè, vt diebus Lectionibus deſtinatis habeantur Lectiones, feſtinandum ſit, neque omnia ſatis perpendere liceat, Lectionum hactenus habitarum, quæ his tribus libris dederunt materiam, alia fuit ratio; cum pleraſque bis habere licuerit: Itaque ſi in hac re labore me aliquo ſubleuare, & publico per me inſeruire vis, rogo, vt vel Petrum noſtrum, quem venturum ad vos ſperamus, vel ad Nundinas proximas *Lipſenſes* mihi iſtos *commentarios* mittas. Si reliquos, quorum mentionem iniecisti, etiam communicare vis, rem quoque gratam facies. Senatui veſtro librum hunc dedicabo Et quia patria noſtra ſemper Medicorum fuit feraciſſima, in præfatione eorum mentionem

faciam

faciam, quâ de re per Lipsensem Tabellarium antè ostendam ad te scripsi & rogaui, vt Catalogum Medicorum *Vratislauiâ* ornandorum secundùm tempora, quibus vixerunt, mihi communices. Si placet, vt viuos etiam siuè *Vratislauia*, siuè alibi viuant, inseram eorum itidem catalogum, & quidem quod puto commodissimum, secundùm ætatem eorum, communica, & per Postam *Lipsensem*, si nulla alia dabitur occasio, ad me mitte.

Quod metuit, ne *VVinckleri* & *Nymmanni* controuersia in altercationem abeat, idem & ego metuo. Absoluit suam Apologiam *Nymmannus*, quæ, vt audio, satis est aculeata: sed qui in eam excudendam sumtus faciat, neminem adhuc inuenire potuit.

Dn. Comitem quod attinet, quia omnia sese benè habent, exceptis pedibus, omninò rectè faciet, si *Hirschbergensibus* thermis proximo vere iterum vtatur. Fateor ipse, tam eum delicatiorem in sumendis medicamentis, quàm primò. Formulas à me præscriptas edi petit. Verùm an id facturus sim, valdè dubito, (quod tamen vt ipsi aperias non opus est) consilium tamen tuum expeto. Habeo enim magis necessaria, quæ agam, quàm ista. Prætereà multa sunt præscripta, quæ ille non vsurpauit, contrà multa etiam vsurpata, quorum formulæ hîc non exstant, & hisce alia etiam admixta fuerunt, quorum omnium, vt & aliarum circumstantiarum, quæ ad editionem necessariæ essent, memoria mihi amplius non suppetit.

De spiritibus Cochlearia & Beccabunga.

Spiritus illos Cochleariæ & Beccabungæ quod attinet, planè credas velim, nihil spiritus vini additum esse: Et cur non credas, cum ex rutis, & aliis plantis æquè potens spiritus eliciatur? E ligno guajaco eodem modo parari potest. Res, vt mihi quidem Pharmacopæus noster, qui ante semestre mortuus est, aperuit, & quantum hactenus ipse experiri potui, tota in fermentatione (ne & te hoc artificium celem) sita est, sed eâ diligenti. Absoluitur ferè in plantis illis triduo, etsi certum tempus præfiniri non possit, sed sufficiens fermentatio odore exploranda sit, quæ vt tam breui tempore absoluatur, aliquid fermenti addendum; sed quia adhuc de vnâ re dubitò, cum Deo, tempore verno faciam amplius hac in re periculum, & quicquid expertus fuero, tecum communicabo.

De floribus Mercurij

Flores Mercurij quis præscripserit, equidem nescio; sed fuerunt proculdubio flores Mercurij argentei in *Institut. p. 1435.* descripti. Fuerunt in magno vsu ante aliquot annos *Ha...*, vt etiam infantibus darentur: sed omnia illa purgantia Mercurialia mihi plerumque suspecta sunt, & non nisi in certis morbis vsurpanda videntur: Terrentque me vestigia aliorum. Et memini ante annum à Circumforaneo quodam Oculistâ, hic

Omnia Mercurialia purgantia Auctori suspecta.

Mercurio ciuem necatum; saliuationes & symptomata, qualia tibi ex vsu Mercurij dulcis, primò accedebant quibus postea alia accesserunt, vt, etsi per dimidium annum adhuc viueret, ipsi moriendum fuerit.

Vt ad meum institutum redeam, hoc narrare oblitus fueram, è quo facilè intelliges omninò de aliquo otio, & vacatione quasi à Lectionibus publicis me sollicitum esse debere. Scripsit nuper ad me quidam Medicus *Francofurtensis*, scriptum contrà me (vt intelligo contrà Chymica) adornasse, & *Francofurtum*, vt typis exprimeretur, ad *Schonvvetterum* misisse *D. Ioh. Freitag*. Fuit is olim Professor *Helmstadiensis*, nunc est Episcopi *Osnaburgensis* illius Reformatoris in *Saxonia* inferiore Medicus. Defecit & is ad Pontificios, vt populares eius referunt, & ex *præfatione Auroræ Medicorum* videre est. Iam ante annos 16. meam *de morbis totius substantiæ* sententiam suggillauit *in noctibus Medicis*: Nisi melioribus argumentis me oppugnabit, quàm ibi, parùm ab eo mihi metuo: Vbi scriptum videro, cogitabo, an responso dignum sit. Est vt animaduerto μεγαλορρήμων & φίλαυτος: in *præfatione Auroræ Medicorum* grauissimam illam controuersiam *de purgatione in morborum principiis* vno ictu, quasi nodum Gordium, soluere conatur. Quid tibi de eâ solutione videtur? sed properat Tabellarius. Hæc festino calamo scripsi. Benè vale cum tuâ. & à nobis salue. VVittebergæ, die 20. Nouembr. Anno 1630.

De Medici cuiusdam Francofurtensis scriptis contra Auctorem.

EPISTOLA LVI.

PERIOCHE.

1. *Inter Fernelium & Burhesium controuersia de Arthritidis generatione.* 2. *Doringius suam de eodem affectu sententiam confirmat, & obiectiones diluit.* 3. *De sale terræ & tartaro.* 4. *De tartaro vini & cæteris vegetabilibus in eodem solo natis.* 5. *Vtrum quâ Vinum an Arthritidis causa.* 6. *Instantia de febre tertiana pro essentiâ Arthritidis stabiliendâ respondet.* 7. *Antipodagricorum sudoriferorum formula.* 8. *Quid sentiat de instituto Auctoris de mutanda lectionum publicarum materia.* 9. *A captis ob emergentes aduersarios non desistendum, Auctorem monet.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Quo, tu meas, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, à Cursore *Dn. Comitis* accepisti, eodem, vel postero ad minimum die tuas ego accepi. Misi autem cum illo, & reliqua *Tractatus* tui capita, Notis quibusdam hinc inde iterum sucta, & responsionem ad binas illas tuas litteras. Nolim verò eam ità accipias, quasi datâ saltem operâ tibi contradicam, & mea pertinaciter sine causâ defendam, Habes enim meas litteras, & rationes. Si aliis Medicis legendas, & cum tuis meditationibus conferendas, ac sine affectu vel præconceptâ opinione censendas, mittere volueris, non repugnabo. Nec ægrè feram, si vel maximè causâ cadam, dummodò nihil amori detur: Quin imò decreui concertationes istas litterarias, de hoc themate inter nos hactenus institutas, ipsemet dehinc, bono cum Deo, cum cæteris, (quorum antehac memini) publici iuris facere & Lectori de nostris Controuersiis iudicium permittere. Et illam sanè de Arthritidis generatione, quod spectat, mouit ipsam ipsimet *Fernelio Burhesius*, vt videre est *in Consiliis* per *Garetium* editis, cum *in Annotationibus super Epistolam Fernely lit. B. p. 27.* tum in peculiari Epistolâ ad *Fernelium* directâ, quæ ibidem est in ordine *quinta*. Quia responsi à *Fernelio* acceperit, inuenies ibidem *Epistolâ sextâ*. Quanquam verò & ipse respondendi, vel instandi labore, satiè supersedere potuissem; nonnulla tamen adhuc istâ vice addere placuit. Et primò quidem, cum syllogismum a me tibi oppositum totum concedas; mirari satis nequeo, quod ipsum ad Arthritidem nihil pertinere infers; eò quod non solùm *Adriani Spigely*, & *Campolongi*, sed & *Rondeletij*, aliorumque plurimorum testimonio (imò experientiâ teste, non semper illa symptomata circa caput, quæ mihi accidunt, appareant. Considera, quæso, diligenter, quæ nunc scribam. Cum enim ego ex symptomatibus capiti propriis arguerem, defluxionis initium, primi insultus in capite consistere; tunc tu obiiciebas exemplum febrium in quibus eadem symptomata quidem deprehendantur, non tamen in capite, sed venis ipsorum causa hæreat.

Inter Fernelium & Burhesium controuersia de Arthritidis generatione.

Doringius suam de Arthritide sententiam confirmat,

Huic itaque tuæ assertioni meum opposui syllogismum, quem cum modò concedas; quomodo de Arthritide & ipso erysipelate, eum negare possis, non video. Vbi enim similia adsunt symptomata; ibi necessariò similes etiam adsunt causæ. Subsume iam, & videbis quæ conclusio inde emersura sit. Maior itaque ex tuâ concessione vera est: Nec minor falsa esse potest; cum disertè scribas, symptomata mihi familiaria non semper aliis accidere. Sic ergo colligo. Si dicta symptomata aliis non semper. Ergo aliquando accidunt: At si aliquando adsunt. Ergo eatenus etiam easdem causas, quas in febribus, habebunt. Nec refert, quòd hactenus nuspiam legeris, talis à capite proximè prouenire. Quasi verò dies diem non doceat, & nobis omni quid inueniendi omnis facultas præcepta sit. Deinde, ne, per te, pro merè litigante habear, & tantorum Medicorum Auctoritatem penitùs floccipendere, ipsamque contrariam experientiam (si quæ fortè vel fuit, vel futura est) prorsùs reiicere velle videar: age! concedam sanè tibi. 1. Interdum dictis multoties symptomata non apparere, & 2. Arthritidis causam proximè è venis capillaribus in articulum aliquem desinentibus, aliquando effundi: opinio tamen tua nec dum simpliciter stabit: si quidem 1. particularis duntaxat erit, & 2. disiunctiuè proponenda, vt scilicet Arthritis nunc intermedio capite, nunc immediatè è venis, materiâ effusâ, oriatur. Vtra opinio, tuâne, vel mea, (hoc enim tertio loco vel minimè prætereundum est) plus commodi, siuè ad præseruationem, siuè ad curationem, adferat? tutè ex prædictis facilè æstimare potes. Vtraque nimirum pari passu ambulat, & remediis vtrique sunt communia: Nec me tangit obiectio à pilulis meis petita; Perpende enim ipsarum examen, & deprehendes liquidò, me eas non ad venas tantùm, sed & caput, & ventriculum, & hepar, & artus ipsos, direxisse. Etsi serum in venis absumatur, an non putabis idipsum in capite etiam absumptum iri? Quæ prætereà de vesicatoriorum, & setaceorum vsu, in medium adfers, vtique si à capite fiat defluxio locum suum habere possunt: id quod neminem culpaturum esse confido.

Obiectiones diluit.

Vesicatoriorum & setaceorum vsus in Arthritide.

Atque hæc sunt, quæ pro complemento quasi meæ opinionis nunc addere placuit.

Tu ea, rogo, priusquam exquisitiùs ponderaueris, damnare noli. Sed, sicubi errasse deprehensus fuero, errorem monstra, & corrige. Meliora enim monstranti lubentissimè cedam.

Discrepantiam nostram ob salem terræ, & tartarum quod attinet

De sale terra & tartaro.

attinet, facilè ea componi poſſe videtur: ſi inter propriam & impropriam vocis ſignificationem, aut inter partem conſtituentem, & totum compoſitum diſtinguamus. Nimirum ſal terræ propriè & originaliter; Tartarum verò impropriè, & quatenus iam in mixtis, ſiue animata ea ſint, ſiuè inanimata, reperitur, appellatur: eſtque hoc poſteriore reſpectu ille huius pars conſtituens: ſiquidem præter ſalem, terra quædam mucilaginoſa & limoſa ad tartari complementum concurrit.

Quibus fundamentis adſtruxerim, vegetabilia in eodem ſolo nata & ipſa eſſe tartarea, in litteris die 16. Septembr. à me exaratis reperies. Hoc in loco iſtud ſolummodò pro ſententiæ meæ illuſtratione qualicunque addo; nempè me ſic ſtatuere, plantas eodem in ſolo creſcentes proportionaliter pro cuiuſcunque naturâ & indigentiâ, alimentum è terrâ ſugere, quod ſi (vt tuo termino vtar) ſit tartareum, plantam vtique ipſam vnamquamque dehinc pro ſuo modulo (cum id penitus corrigere & ſubigere non poſſit) tartareum illud retinere, & ſi pro alimento iterum ab animante aſſumatur, idem animanti communicare, & tartareis excrementis materiam ſuppeditare. Vera hæc eſſe, illud docere poteſt, quod multi etiam aquæ potores ab Arthritide non ſint immunes. Quodque plus tartari vinum, quàm aliæ plantæ poſſidere videntur; cauſam in eo potiſſimùm ſitam eſſe puto, quod in cæteris non ita ſimus oculati, & negligentiùs ad ea attendimus. Lætius, triſtiuſve in vno, quàm alio loco, plantas, ipſaſque vites creſcere, conceſſi in eâdem Epiſtolâ, ibidemque ad Auctoritatem *Hippocratis*, (vel quiſquis illius dicti auctor fuerit) etiam reſpondi. Sed tranſeant iſta leviuſcula. Maioris momenti ſunt illa, quæ vini vſum concernunt. Veriſſimè autem ſcribis, quod multi potatores non fiant Arthritici, & multi vinum diu innoxiè bibant, antequam fiant podagrici, ob viſcerum robur fieri. Hoc enim eſt, quod ego toties inculcaui: videlicet non vinum, quà vinum, ſimpliciter, vt Arthritidis cauſam, eſſe accuſandum, ſed quà propter viſcerum concoctricium imbecillitatem in eo detentum, tartareum illud excrementum rectè domari, & extrà corpus deturbari nequit. Quod cum affirmo, illa cætera tamen, quæ mihi attribuere videris, non aſſero: quod nimirum: 1. Idem cibus & potus aliis, qui tanto robore non valent, ſit permittendus: 2. Potationes à Medicis probandæ, & 3. Cibi, qui infantibus, & adoleſcentibus permittuntur, ſenibus concedendi. Concluſiones enim iſtæ planè præter mentem meam efformantur; & ea meis præmiſſis neutiquàm colligi poſſunt. Tantùm igitur ad Epiſtolam per Chriſtophorum miſſam. Quam *Dominus Comitis* Curſos, nudiùſtertiùs attulit, operosâ reſponſione, quoad Medicinalia hactenùs inter nos agitata non indiget: cùm nunc de pleriſque nobis inuicem conueniat. Vinum autem *Vngaricum* mihi aſſueto, quod diſſuades, neſcio, an ſatis commodè facias? quandoquidem à conſuetis ad inconſueta periculoſus ſit tranſitus. Qualia verò eligere debeam, non addis, profectò *Muſcatellinum*, *Maluaticum* & *Hiſpanica* nimis ſunt penetrantia; *Italica* contrà huc aduehi ſolita nimis debilia, & aquoſa: *Rhenana* ferè importari deſierunt, raróque bona & ſyncera habentur. Circà hydromelitis vſum (dummodò eo potitus fuero) ita me geram, vt videam an mihi profuturum, vel obfuturum ſit? Inprimis verò hoc climacterico valetudinem diligentiùs curabo; cum manifeſte deprehendam, me, vires proximo decubitu detritas, nondum planè recuperaſſe. Chamedryos decocti hactenus exhauſi vltrà menſuras ſex noſtrates: exhauſturus adhuc alias tres, & deinde quieturus vſque ad ſubſequens vernale tempus; interea euacuationes non negligam. Deus ſperatum largiatur ſucceſſum.

De tartaro vini & cæterũ vegetabilibus in eodem ſolo natis.

Vinum quâ vinum an Arthritidis cauſa.

Cur Vngaricum vinum præ cæteris eligat.

Quæ de ſale terræ, & tartaro mones, ad ea ex parte è ſuperioribus patet reſponſio; vtpote, primò, quomodo ille tartarus dici mereatur. & 2. An non tartaro etiam inſit? Quod verò tertio loco addis; An non is ipſe terræ ſal nunc fixior, nunc volatilior ſit (idipſum me in Notâ quâdam expreſsè aſſeueraſſe memini: Inuenies etiam de eo aliquid, tam in proximis, quàm præcedentibus litteris. An non in vite, & vino imò in corpore humano idem volatilior fiat? conſiderare me iubes: ſanè nullam alterationem ipſum pati, quî dicere auſim? Inde tamen non ſequitur, omnem volatilitatem cùm in vite & vino, tum ipſo tandem corpore humano eum acquiſiuiſſe: proculdubio autem multò maximam partem ipſa terra communicauit. Reuoca terram ad examen, & veritatem ex αὐτοψίᾳ haurics. Ob *Spigelij* & aſſeclarum opinionem tecum acerbè non contendam; cum parùm referat, quam ſequaris: Prouoco ego ad ea, quæ nuper ſcripſi. Inſtantia tua de febre tertianâ, quæ interdum vel ſudoriferis, vel purgantibus auerti poſſit, vt tertio die non redeat, neſcio, vtrum tuam opinionem magis oppugnet, quàm propugnet? Qui enim tertianam appellabis? ſi non recurrat tertio die: At tertianæ habet ſymptomata, inquies. Equidem febres, multa inuicem habent communia, vt proinde ex primo inſultu nihil ferè certi concludere poſſis. Et dein forſan tibi febrem, niſi materia per competentia remedia fuiſſet abacta, futuram fuiſſe tertianam: quid verò hoc ad Arthritidem? vt neceſſariò concedere cogar, de eſſentiâ eſſe Arthritidis, redire per paroxiſmos. Rationes meæ

Sal terræ an in vino & in corpore humano volatilior fiat.

Authoris inſtantia de febre tertiana nihil probat.

nuper allatæ perſuadent mihi, longè aliud: Nec iuuabit te, ſi vel maximè inter eſſentiale conſtituens & conſequens, diſtinguas: quod te facere velle & poſſe ſex eo conicio, quod non ſolùm *Spigelium*, ſed pleroſque, quos legeris Auctores, hoc, vt, proprium, Arthritidi tribuere ſcribis, vt per interualla recurrat. At quæſierim ego: 1. Verum iſta diſtinctio in accidentibus etiam locum commodè habeat? ſed nolo de hac re, nullius (quantùm mihi quidem videtur) in praxi ipsâ vſus prolixius philoſophari.

Circa *Sarckirchianum* paradoxum facias per me licet, quodcunque allubeſcet. Si ita ſit ad præſeruationem fortaſſis nonnihil conferet. An verò ex tuo paradoxo pro iſtius confirmatione, rationem eruere poſſis probabilem ego haud video: cum 1. incertum per æquè incertum probare velle, cum careat reprehenſione, & 2. μίασμα contagioſum non tantùm ex articulo aliquo peculiari, ſed vniuerſo corpore, ſudoribus vel diffluente, vel madente ſolùm, exhalare poſſe videatur. Quæ omnia tute diligentiùs perpendes.

Quid ſentiat de Sarckkirchians paradoxo.

De ſpiritu calcis viuæ facilè me aſſentientem habes; niſi fortè alia ratio ſit eius intrà corpus exhibiti & foris applicati; quâ ratione aliàs reſpondere ſolet ſpiritus vitrioli, ſulphur. ſalis, & ſimilium causticorum oſoribus, & obtrectatoribus. Vehiculum etiam vim causticam haud dubiè corrigere poterit.

Quid de calcis viuæ ſpiritu.

Duorum illorum remediorum antipodagricorum ſudoriferorum formulas en cape! Prima ſic habet.

℞. *Tartari* ℔. j. Imbibe cum vrinâ pueri vinum bibentis; Exſicca donec ponderet ℥. xv. adde *fuliginis* ℔. ß. *nitri* ℥. iij. *ſalis* ℥. j. M. deſtilla ſpiritum. Huius ℔. j. funde ſuper *ſtercor. Columbarum* ℔. ß. *ſilicum contuſorum* ℔. j. *C.C. raſi* ℔. ß. *boli Armen.* ℔. j. ß. M. deſtilla denuò, habebis ſpiritum diaphoreticum, reſoluentem omnem tartarum podagricum, calculos, obſtructionem: præſertim verò ſal illud volatile, quod eſt cauſa podagræ, per ſudores eliminat.

Antipodagricorum ſudoriferorum formula.

Altera talis eſt. ℞. Vitrioli ☽ ℥. iij. vitrioli ☉ ℥. j. M. Affunde ſpiritum aceti deſtillati, extrahe, vt omne ſoluatur adſtrahe ad ſiccitatem: ſiccum deſtilla ex retortâ; & prodibit ſpiritus albus. Hunc affunde fecibus, & fiet coloris rubertimi. Atque hoc eſt illud remedium, cuius doſin & vires nuper exigi.

Inſtitutum tuum, de mutandâ Lectionum publicarum materiâ, nemo, crede certò, mecum probabit. Et quomodo iſtâ ratione laborum aliquod compendium habiturus ſis, ego equidem non video. Cùm enim commentarios, *Soceri* commentariis te vnius atque alterius è recentioribus adjecturum eſſe hactenus ſemel atque iterum ſcripſeris; labore id haud carebit cùm legendi, tùm lectiones concipiendi. Taceo, quod animus diuerſis laboribus diſtrahatur; qui ſi vni tantùm inhæreas, potius contraheretur. Quin iuuare te poterunt & hic ſtudioſi in colligendis aduerſariis, quæ tamen poſtea in ordinem minore labore rediges, & tuo ſtylo expolies. Idem in *Paralipomenum* exceptione ab iiſdem commodè item præſtari poterit. Nec aduerſarius tibi nouiter emergens cœptam telam interrumpere compellet: Poteris enim vicariâ, vel generi tui, vel *D.VVeeleri*, nunc vidui, vel alterius alicuius ad hoc negotium apti, (qualem ſine dubio haud difficulter nanciſceris) operâ vti. Et ego ſi tuo eſſem loco, idem vtique facerem, nec permitterem, me à magis neceſſariis meditationibus per talem interpellatorem, auocari. Serio hæc ſcribo, *mi Dn. Affinis.* Abſit verò, vt eò iſta interpreteris, quod vacationem aliquam à laboribus tibi inuideam: Nam eam iſthoc meo conſilio vnicè cupio promotam. Idem tibi perſuadeas de commodo publico: Sed ne vllam culpam vel leuiculam etiam mihi imputare poſſis; age! tranſmittam tibi dictos Commentarios: verùm non prius, ſed vtendos duntaxat, & deſcribendos. Volo enim vt αὐτογράφων, quantùm fieri poterit, ocyſſimè ad me redeat. Cauſas ſcripſi aliàs.

Inſtitutum Authoris de mutanda publicarum lectionum materia Dorn-gia non probatur.

Mitto nunc, quem rogaſti, Medicorum *vratiſlauiâ* oriundorum, & vitâ functorum Catalogum, manu *D. Caſp. Conradi* (qui multam tibi ſuo nomine ſalutem nunciari petiit,) deſcriptum. An omnium meminiſſe velis tuo arbitrio relinquo. Viventium Catalogum texere nolui: cum ij in omnium propè ſint conſpectu, vel memoriâ. Ad reſidua tuarum litterarum capita reſpondebo primâ occaſione. Iam enim præter omnem expectationem abitum maturat Tabellarius. Bene vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 7. Decembr. Anno 1630.

EPISTOLA LVII.

PERIOCHE.

1. De D. Comitis ſtatu. 2. De Buccabunga & Cochlearia ſpiritibus. 3. De floribus Mercurij, & cæteris Mercurialibus purgantibus. 4. De purgatione in morborum principiis.

DANIELI

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

De D. Comitis ſtatu.

S *Dn. Comes* in antiquo adhuc ſtatu eſt. Neſcio an pedes ad officium priſtinum redituri ſint quicquid etiam auxilij fortè adhibiturus, aut Conſilij (ad quod accendum in craſtinum *D. Conradum, & Filigramum* vocant mihi) exquiſiturus erit. Nec video, quomodo cum honore tuo formulas ipſi præſcriptas edere poſſis, non tam ob cauſas à temet recenſitas, quàm diſtorſionem pedũ, & manuum *πάρετον* reſtitantem. Sollicitat me crebro de Medico. Sed vbi talem inueniam? qualem, ipſe cupit. Nolim etiam cuipiam laborioſè, vt prouinciam iſtam ſuſcipiat, perſuadere. Spirituum Cochleariæ & Beccabungæ præparationem credam interea, dum reipsâ eam ſuccedere videro. Fermentationis beneficio ipſam abſolui, qui negem? ſed non ſucceſſit noſtro Pharmacopæo. Quæ verò illa res eſt, de qua te adhuc dubitare, & verno tempore in ea amplius periculum facturum eſſe ſcribis. Floribus illis Mercurij argenteis vſuſne es aliquando? imo verò quo ſucceſſu *Halæ*, & a quibus vſurpari? Proculdubio non infelici, cum & infantibus dati fuerint. Quod tu de Oculiſtâ circumforaneo mones: idem ante plures annos hîc etiam accidit, cuius hiſtoriam me tum temporis ad te perſcripſiſſe, memini. Æquum erat, ſe veriùs in tales homines nequam animaduertere præſertim in Academiis, quarum conniuentiâ deinceps abutuntur, & alibi de facultate ibidem ſibi permiſſa gloriantur, atque ita imperitiores promptiùs decipiunt. Quia verò Mercurialia remedia, & quidem non immeritò, tibi ſuſpecta ſunt: An non Antimoniale aliquod habes, cui tutò fidere poſſis. Quæris, quid mihi videatur de ſolutione grauiſſimæ illius Controuerſiæ de purgatione in Morborum principiis, quam in præfatione ſuper *Auroram Medicorum* in medium attulit *Ioh. Freitagius*. Sententiæ ipſius neruus in eo mihi conſiſtere videtur, purgandum eſſe in principio, non tantùm, quando materia turget, ſed etiam, ſi ea ipſius ſit indoles, vt citius, quam matureſcat, & naturæ dominium recipiat, ægrum vitæ poſſeſſione deiiciat, & animâ exſuat: Negotium autem omne exemplo Febrium, malignarum declarat, & rem acu ſe tetigiſſe opinatur, ſi dicat in iis quæ à priuato humorum vitio, & morboſo apparatu, citra extrinſecus hauſtum ſeminarium, vndecunque etiam illud procedat, oriuntur, æquum omninò eſſe maioribus vacuationum præſidiis humorem adulteratum, & propria malitia intoxicatum continuò auerruncare, & foras nulla expectata concoctione promouere: quod reliquum eſt à virore, quantum res patitur, vindicare, ad ſymmetriam reducere, & quæ intaminata ſunt, tueri. Quaſi verò, ſi, præter materiæ prauitatem, quæ omnem reſpuit coctionem non alia dentur humorum vitia, quæ ſui reprotinam ablationem requirant: de quibus tu abunde tractaſti tùm *Inſtitutionum l. 5. part. 1. ſect. 1. c. 6.* tum *de Febribus l. 2. c. 6* ſub Titulo, *de purgatione*. 2. Febres ipſæ malignæ è priuato humorum vitio, oriundæ, eiuſdem planè indolis ſunt, & conditionis, & quoad locum, in quo conſiſtit iſte apparatus, & quoad malignitatem ipſam.

De purgatione in morborũ principiis.

Quoad locum quidem in eo variant, vt apparatus ille, vel in primis viis, vel in ipſis venis, & vaſis maioribus hæreat: quoad malignitatem verò, quod ea modò maior, modò minor exiſtat. Quis iam vtrobique purgantia, & quidem in principio, ex æquo vtilia eſſe poſſe, cuipiam ſanioris iudicij, & in artis operibus mediocriter ſaltem verſato facilè perſuadeat? Profectò niſi hæc quiſpiam accuratè internoſcat (verba ſunt ipſiuſmet *Freitagij*) & in curandi munere ob oculos poſita rite ſequatur, *Plutonis* granaria ampliſſimâ meſſe ſuffarcinabit, multoſque qui certam certâ curatione euadere, & elabi potuiſſent, Libitinæ conſecrabit. 3. Protinus maioribus vacuationum præſidiis vti neceſſe ſit. Quantoperè enim iſtiuſmodi rebus vires atterantur, (quas tamen in malignis ſemper conſeruare decet) & malignitas efficacior reddatur, publicè loquitur experientia. Nolo igitur plura aduerſus iſtam ſententiam ſcribere. Illa tantùm in memoriam tibi reuocare placet, quæ olim de ſudoriferorum in prima Febrium non malignarum duntaxat, & continuarum, ſed & benignarum, & intermittentium felici exhibitione & ſucceſſu ad te perſcripſi in tribus Epiſtolis quarum prima Anno 1622. die 19. Aprilis, altera eiuſdem anni diem S. Iohannis profeſtum; tertia diem 7. Octobr. eiuſdem quoque anni ſubſignatum continet.

Mitto hîc, quos hactenus tam anxiè deſideraſti *Soceri noſtri ſuper Aphoriſmos commentarios*; deſcribendos ſcilicet & dein certò remittendos. Perſto tamen in mea priore ſententia, & iterum ſuadeo, ne à cœpto & continuato hactenus labore deſiſtas.

Ita nimirum ſentiunt, & optant plures Medici alij: quorum ſententiis, & votis te pro virili parere decebit. Benè vale & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ die 17. Decembr. Anno 1630.

EPISTOLA LVIII.

PERIOCHE.

1. *Horſtius Doringium hortatur vt diſcurſum de pilulis ſuis Antipodagricis & conſilia pro Arthritide prælo ſubiiciat.* 2. *De Diagridij cum ſulfuris fumo præparatione.* 3. *De Aquis acidulis Vlmenſibus & vtendi ratione.*

D. MICHAELI DORINGIO,

GREGORIVS HORSTIVS, D.

S. Magno deſiderio te meas expectaſſe hactenus ex datis tuis 19. Decembr præcedentis anni, quas hodie rectè mihi traditas fuiſſe, ſcias, *Cl. Doringi Amice integerrime*, lubens audio: Sic enim confirmor, mei penes Te memoriam nondum obliteratam eſſe. De *Dn. D. Lucâ Gillero* nihil hactenùs vidi, quanquam *Cl. Dn. D. Freitagius*, tum etiam *Dn. D. Paulus Clauſſ.* olim *VVittebergæ* nobis familiaris, literis ſuis interdum è *Ratisbonâ* mecum loquantur. Diſcurſum iſtum de pilulis tuis antipodagricis cum conſiliis Arthritiis noli diutius tibi retinere; ſed in gratiam boni publici prælo ſubiice: ſic enim immortalitatem nominis tui magis augebis. Doleo quod exacerbationes aliquoties paſſus ſis hactenus, quoad dolores iſtos arthriticos, cum hac ratione non tibi tantum; ſed etiam ægris tuis deeſſe cogaris. Ego Deo gratias ago, qui nihil hactenus Hoſpitis iſtius ingrati deprehendi, quanquam nunquam non timeam eundem, quo nomine currente menſe conſuetam euacuationem reiterabo, non neglecto externo Emplaſtro Diapalmæ, quo pedes de die munire ſoleo iuxtà conſilium *Solenandri*. De Mercurio dulcificato memini, quid in Hiſtoria morbi tui grauiſſimi ante annos aliquot ſcripſerit. Sed plurimùm hic præſtat electio crudi & ſublimati, tum etiam ſublimationis diuerſitas.

Hortatur Doringiũ vt diſcurſum de pilulis ſuis antipodagricis & conſilia pro Arthritis prælo ſubiiciat.

Emplaſtrum diapalma ad podagram.

Mercurij vſus ad podagram.

Pulchra de hac materia mecum communicauit vir *Cl. Dn. Samuel Cloſſaus* Medicus *Metenſis* Dogmaticus & Chymicus inſignis, de quibus per otium aliquando, *Mich. Maternus p. m.* commendat puluerem *Aureum* ſuum, vbi non dulcificatum, ſed præcipitatum ſingulare intelligit, quod nobis etiam in Curatione Luis in vſu eſt, ſed non abſque vomitionibus.

Scammoneam cum ſulphuris fumo correctam vim purgantem amittere ſtatuit: At vnde vis purgans in puluere *Cornachini*, quando tantum hoc modo præparatum Diagrydium cum ♁ diaphoretico & cremore tartari permiſcetur, de cuius medicamenti feliciſſimis operationibus prædictus Auctor non tantùm integrum Tractatum conſcripſerit, ſed eidem *Spigelius* in *Tractatu de Semitertiana* ſubſcripſit? qui fit, quod diagrydium hoc modo præparatum ad gr. xv. plus, vltra, in ſyrupo Acetoſitatis Citri, vel Granatorum permixtum ſufficienter etiam aluum laxet? Præter hanc præparationem nobis etiam in vſu eſt Diagrydium cum ol. Fœniculi vel Aniſi additis aliquot guttulis ſpir. vitriol. correctum, vt & Puluis *Sirius* dictus *Mindererianus* non extractum, ſeu Reſina Scammonij, quæ tamen omnes præparationes ferè doſi eâdem aliis medicamentis adduntur.

De Diagridij cum ſulphuris fumo præparatione.

Acidularum vſum in his regionibus, vbi victus ratio moderata, viniſque potus quotidianus, pro præſeruatione fluxionum Arthriticarum plurimùm præſtare certò tibi perſuadeas.

De Aquis Vlmenſibus.

Quoad vtendi modum, hauſtum pomeridianum non imperamus, ſed arbitrio bibentium committimus pro lubitu, ſitis extinguendæ cauſa portionem aliquam concedendo. At matutinum hauſtum quantitate maiore concedimus, idque ſæpius vnà cum aſſumptis purgantibus, qua ratione commodum iis inſeruimus, quibus malum Hypochondriacum (quod ſanè frequens vbique) moleſtiam creat. Porrò quod mixturam acidularum cum vino concernit, rationem tuam adductam experientia expungit, quia nihil eſt frequentius in iis locis, vbi bibuntur acidulæ, quàm vt cum vino generoſiore, tempore cœnæ, & prandij miſceantur, idque ſine omni noxa. Plura leges hac de re penes *Hermannum* Egranum Medicum in *Conſilio* Germanico *de Egranis acidulis*, qui non pauca ſingularia, ſed experientiâ edoctus, proponit.

Vtendi modus.

Tutò iis temperatur vinum.

Quoad aurum potabile, tranſparens item aurum vel potiùs antimoniale vitrum quoad Magiſteria pretioſorum, &c. proximè per otium. Vale, & cum tua ſalue. Dabam Vlmæ, 25. Ian. Anno 1630.

EPISTOLA LIX.

PERIOCHE.

1. Horstio Doringius morbi sui historiam tum remedia quæ adhibuit, exponit. 2. Vt datam fidem de Mercurio dulci liberet, sollicitat. 3. De scammonij correctione per sulphuris fumum. 4. Consuetudinem Acidulas aquas cum vino permiscendi improbat. 5. Vt promissas operationes Chymicas sibi tandem communicet, vrget.

D. GREGORIO HORSTIO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S. Quem nuper bono cum Deo, inchoauimus annum, *Cl. Dn. Horsti, Amice colendissime*, cum nobis imò verò toti Christianitati, felicem, ac salutarem esse precor! Debui tibi dudum, iam ad tuas responsum, sed debito isto me hactenus, vt maximè, voluerim, exsoluere non potui: Ita uimirum diuersa mihi impedimento fuerunt.

Horstio morbi sui historiam tum remedia quæ adhib. exponit.

A Arthritis, vt id cû primo loco aliquid dicam, præterito anno circa vtrumque Æquinoctium me inuasit, & singulis vicibus per integrum Mensem domo exire prohibuit. Vsus sum autem tunc pro more vsitato pilulis illis meis: nunc verò post proximum decubitum mihi per duos quasi menses, decoctum Chamædryos, ex Vini Rhenani & aquæ eiusdem herbæ partibus æqualibus, paratum, & portione certâ Sacchari Candi, vt palato magis arrideret, dulcoratum. Id quantopere à nonnullis hodiè etiamnum commendetur, & olim Inuictissimo illi Imperatori *Carolo V.* commendatum fuerit, ignotum esse non potest. Sperani equidem ab ipso multum leuaminis: At ferè nunquam prius tàm fui cathartolus, atque nunc sum, quin hoc ipso tempore cubitum dextrum occupauit defluxio; qui hactenus ab ipsa semper fuit immunis: An huic decocto, vel rectius aeris inæqualitati (quam nunc temporis in ægrotum visitat omne suffi. ise comunim) & inconstantiæ Hyemis, vel Naturæ motui in isto meo Climacterico (Annum etiam 49. circa festum Michaëlis ingressus sum) effectum hunc attribuere debeam, dubius sum. Diætæ enim nunc multò obseruantior sum, quàm vnquam alias, idque ex hortatu *Sennerti mei*, cum enim is decurso anno ex aliis intellexisset, me post Æquinoctium vernum è podagra laborasse, scripsit ad me, & diætæ studium inter alia sedulò inculcauit, imprimisque suasit, vt si fieri possit, à vino planè abstinerem, Quod postremum cum citra sanitatis dispendium facere non ausim: ita tamen mihi hactenus temperaui, vt nec ionratiuncolis amicorum parerem, nec extra prandij cænæve tempus vinum biberem. Hac occasione post. a factum est, vt præterita æstate & autumno vnum hoc thema, vterque quidem pro concertationum, *Sennertus* verò simul lectionum publicarum, argumento elegerit. Editurus est ipse suum *Tractatum*: ego forsassis (dummodò pace *Sennerti* mei id fieri liceat) cum illo meo de *Pilulis meis Antipodagricis Discursu*, & *de eadem materia promissis Consiliis*, vtriusque Epistolas aliquando edam, in quibus (nisi me mea fallit opinio) vtrique non pauca vtilia legentur.

Decoctum Chamædryos olim Carolo V. commendatum.

Vt datam fidem de Mercurio dulci liberet, sollicitat.

Quæ de Mercurio dulci ad te perscripserit *Clossæus* per otium te aliquando significaturum esse, pollicitus es. Solstitisti hactenus. Rumpe itaque silentium, & fidem tuam libera. In metallicorum vsu ego sum paulò timidior. Vestigia enim me terrent. Videsis, quæ *Deodatus Pancheri sui Hygiasticos l. 3. c. 15. in fine*, de istiusmodi remediis salutariter monuit.

Scammonij correctio per sulphuris fumum Dn. Dn. Horstio non probatur.

A sulphuris fumo scammoneæ vim purgantem imminui, tam certum est, quàm quod certissimum: Nec quicquam proficis instantia tua a puluere *Cornacceni* petitâ. Nosti enim quàm ille dosin variare doceat, si effectus non respondeat. Ergóne tu etiam antimonium diaphoreticum vulgò appellatum nunquam sedes mouisse deprehendisti? Quin non sedes tantùm, sed & vomitus quandoque excitat: quod ego solo experimento pluries didici: Cremor tartari per se sumtus stupidum est medicamentum, At aliis purgantibus permistus Cotis vices gerit. Quæ igitur singula seorsim considerata præstare non posse videbantur, ea inuicem vnita expeditè deinceps exsequuntur. Nec sunt nullius momenti, quæ in pulueris istius compositione desidero. De cuius correctione aliquando ad *Sennertum* scripsi, quæ ipsi non displicuit. Et tolli vim purgantem per sulphuris fumum, quis non vel ex doseos diuersitate colligat? Cum enim Scammonium ad gr. iv. v. vel vj. ex lacte recens mactato propinatum sufficienter purget: tum sulphuris fumo correctum, ad xv. vel plura etiam grana dari posse, ipsemet conuiteris: Nec diffitetur hoc ipse etiam *Cornaccinus*, Scammonium enim eousque saltem super prunis ignitis detineri vult, donec in liquari, & chartæ inhærere incipiat. Nam tunc, inquit, statim à fumo charta remouenda est: aliàs si diutius ibi permanerit, vim ex toto amitteret. Hinc colliges, an falsò scripserim? Scammonium dicto modo præparatum vim purgantem amittere. Quæ per vitrioli spiritum perficitur correctio, cum præcedente pari passu ambulat. Mihi Scammonea præcipitata, de qua in meo discursu (si rectè memini) scripsi, præ omnibus maximè probatur.

Scammonij præcipitatum cæteris præparationibus præstat.

De Acidularum vsu, quoad cætera, facilè tibi assentior: nondum tamen cum Vino permiscendi, & intrà cænam & prandium bibendi rationem laudare valeo. Nec mouent *Horstias* Auctoritate, & vestrâ illic locorum malè introducta consuetudine. Sæpè enim noxæ à prædicta ista bibendi ratione illatæ demum animaduertuntur, quando bibentes domum redierunt, & de his idem mihi videtur fieri, quod de purgantibus refert *l. c. Deodatus*.

Consuetudinem acidulas aquas cum vino permiscendi damnat.

E quando tandem curam Gallicorum vobis visitatam aperies? Quid de auro sit potabili, de auro transparente, & similibus Chymicis? Hoccine est tibi *proximè* qui de talibus per aliquot iam annos mihi spem fecisti. Caue ne in te accommodetur tritum illud. *Promissis diues Horstius esse solet*. Benè, feliciterque cum tuis vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 13. Ianuarij Anno 1631.

Vt promissas operationes Chymicas communicet, vrget.

EPISTOLA LX.

PERIOCHE.

1. Auctor litterarum suarum de Arthritide ad Doringium editionem recusat. 2. De controuersia de purgatione in morborum principiis quid iudicet. 3. Nouum methodum in Tractatu de morbis mulierum promittit. 4. Aurum soluendi per butyrum antimonij modum inuenisse scribit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S. Dudum, *Clarissimè Dn. Affinis, & Compater honorande*, à te litterarum aliquid, si non alia occasione, tamen per tabellarium *Lipsiensem* exspectaui: Non enim dubito, literas meas cum fasciculo librorum proximis Nundinis te rectè accepisse, vt iis, ad quos spectant, rectè traderentur: Scripsissem nuper etiam ad te per hunc tabellarium, sed me inscio, ille, dum peregrè abessem, abiuerat. Mitto iam chartas, quæ proximè in tuo exemplari adhuc defuerunt.

Quia verò aliquid adhuc responsi ad tuas priores me debere memini, & illud breuiter exsoluo. Quæ iam mea sit de Arthritide sententia: te hinc inde peritata, è *tractatu meo* videbis. Si quid amplius monere velis, lubenter te audiam.

Vt verò illæ meæ velitatoriæ litteræ hac de causa ad te perscriptæ, in publicum edantur, nolim; vt nec reliquæ meæ, quas hactenus ad te dedi: plerasque enim aliis occupatus, vt in mentem & calamum inciderunt, ad te scripsi, neque vllius exemplar mihi retinui: tuas verò si edere velis, vt & quid de Arthritide amplius dubij habes, non repugno. Et sunt in meis multa familiaria, quæ omninò delenda essent, quod rectissimè à me fieri posset.

Litterarum suarum de Arthritide ad Doringiũ editionem recusat.

Quæ de grauissima illa Controuersia, de purgatione in morborum principiis super sententia *Ioh. Freitagij* scribis, omninò sunt necessaria: Nodum ille secuit, non soluit. Et quasi humores æquè maligni è vitiosorum humorum apparatu gigni non possent, vt in annonæ charitate, & castris id sæpissimè factum? In quibus morbis, si quis, neglectis iis, qui malignitati aduersantur, medicamentis, purgantia adhibere velit, non dubito, quin *Platonem* vt ille loquitur, dicturus sit.

De Controuersia de purgatione in morborum principiis.

Soceri nostri *Commentarios super Aphorismos Hippocratis*, rectè accepi. Restituam bona fide. Moram exiguam patienter feras: Nondum enim de publica Lectionum materia aliquid certi constitui: Talis tamen eligenda erit, quæ me in labore meo,

quem

De morbis mulierum noua methodo scribit.

quem impendo iam morbis mulierum non auocet. In nulla hactenus practicæ parte maiorem, quàm in hac confusionem, reperiti. Si nihil noui præstabo: hoc tamen me affectum puto, vt commodiore methodo eos proponam. Si quid in hoc genere habes, quod me iuuare possit, mecum communices, velim. Quid verò fit de vestro opere philosophico? Butyrum ♁, soluere aurum experientia didici; sed tempore opus est. Bene Vale & salue cum tua, à me, & meis. VVittebergæ, 11. Martij, Anno 1631.

EPISTOLA LXI.

PERIOCHE.

1. *Doringius quod Auctor in litteris breuior fiat miratur.* 2. *Vt litterarum, editionem permittat, suadet.* 3. *Iterum Arthritide corripi significat.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Fascem librorum à te missorum, *Clarissime Dn. Affinis & compater honorande*, me rectè accepisse & iis etiam, ad quos spectarunt, tradidisse; scias. Typus *Lipsiam* verò quòd hac ipsâ de re certiorem te non feci, nulla fuit causa alia, quam quòd alias tuas, ad meas illas responsorias, expectaui, nec tem tanti momenti esse iudicaui, quæ tam maturum responsum efflagitaret.

Miratur Doringius quod Auctor in litteris breuior fiat.

Pro exemplari mihi dono misso, gratias officiosas ago. Meas litteras, quòd tam sicco pede transilisti, quasi nullam omninò responsionem meruerint; vt nonnihil quidem miratus sum, ita facilè permittere possum, vt tota ista inter nos de Arthritide hactenus continuata velitatio, intermittatur. Si enim fixa est tibi sententia, quam in tuo *Tractatu* iam publicato proposuisti, cui bono ego plura monerem? Túque mea legendo, & forsan, si ita placeret, ad ea respondendo, bonas horas inutiliter perderes?

Vt Literarũ editionẽ permittat, hortatur.

Causæ propter quas Litteras tuas concertatorias cum meis edi non vis, mihi non sufficiunt. Quasi verò nullæ aliorum Auctorum taliter exaratæ ab aliis sint publicatæ? Edant alij meas, licet. Ego ob id ipsis non succensebo nec pudebit me ipsarum: Et quis neget, vtiliùs longè vtriusque nostrûm legendas simul, quàm meas seorsim? Ita enim Lectori melius satisfit. Faciam itaque suo tempore, quod ex vsu legentium futurum esse censuero. *Dn. Comes* antè duos menses in *Poloniam* abiit, reuersurus forsassis post Pascha, thermarum causâ.

Doringius iterum Arthritide corripitur.

Me quod attinet, detentus iterum sum domi per dies 14. à mea Arthritide, quæ tamen benignior fuit, sublata nimirum sub principium materia per euacuantia, tribus continuis diebus à me vsurpata. Bibo denuò Chamædryos decoctum: cuius vsum Deus iubeat esse fortunatum. Bene vale, & cum tuis à nobis salue. Dabam Breslæ, die 12. Aprilis, Anno 1631.

EPISTOLA LXII.

PERIOCHE.

1. *De Magdeburgi incendio, & Patria miserando statu.* 2. *Litteras suas cur edi nolit.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Si vllo vnquam tempore, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, certè hoc, creberrimas litteras commutare deberemus; & deplorato hoc *Germania* statu consilia communicare. Facilè enim fieri posset, vt omnis per litteras colloquendi occasio nobis intercluderetur! Et esset satis commoda & frequens per Tabellarios Lipsienses litteras hinc inde mittendi occasio: verùm quia tibi ita non arridet, vt etiam proximis nundinis per Mercatores vestros nihil litterarum ad me dederis: Ego etiam ista, sed rara, per Christophorum hunc scribendi occasione vtar, & antequam ad proximas tuas respondeam, rerum nostrarum statum tibi exponam. *Magdeburgum* à *Tyllio* captum & flammis exustum, ac in cineres ita redactum esse, vt præter Cathedrale templum vix paucæ ædes supersint, inaudito in *Germania* inter Christianos crudelitatis exemplo, proculdubio tibi innotuit. Rex *Sueciæ* interim *Tyllium* adhuc persequitur & cum toto Exercitu paucis abhinc milliaribus transiit, & iam *Albim* attigit: Ita tota moles belli ad nos deuoluitur. Exercitum conscripsit, & iam lostrauit Elector noster. Militum conscriptorum 3000. sunt hîc *VVittebergæ*. Plures in vicinis oppidis & pagis. Interim Dei beneficio, satis adhuc floret Academia: Nescimus tamen quid sequens tempus ferret.

VVittebergæ obsidionem veretur.

Si *VVittebergæ*, quod Deus auertat, obsidionis metus immineret, nescirem, quò me verterem. Sustinere enim hîc obsidionem, vix tutum putarem. Neque enim fortificationes omnes ita absolutæ sunt, vt hostilem impetum fortiorem sustinere possint. Conscripserunt etiam exercitum vrbes Imperiales, & cæteri Protestantes Principes; & omninò magnus militum confluxus fit. Quò verò ista vis bellica erruptura sit, in Dei manibus situm est, qui Ecclesiam tueatur, & pacem tandem *Germaniæ* restituat.

Ad litteras tuas præter solitum breuiores, vt paucis respondeam, libros transmissos te iis, ad quos spectarunt, tradidisse non dubito. Velim tamen scire, cui ex Senatu eos tradideris. *D. VVinckleruS* verò nihil respondere miror. Vt ad litteras tuas de Arthritide aliquid responderem, non putaui opus esse; cùm mentem meam pluribus in *Tractatu* iam publicato explicauerim. In quo si adhuc quid displicet, rationes tuas libenter audiam, & ad eas respondebo.

Litteras suas cur edi nolit.

Auctorum multorum Epistolas ab aliis publicatas esse scio; sed an cum Authorum, si viuerent, omnium bona gratia, dubito. Tuarum quas non inuitus edi ab aliis, si ita iis libeat, permittis, & mearum alia est ratio.

Tu tuas meditatus & operosè scripsisti; id quod vel crebræ allegationes docent: Ego meas, vt in mentem venerunt. Verùm de hoc alias: Ea enim sunt tempora, vt librorum edendorum spem omnem nobis adimere videantur: Imò parùm vt iam medicer, vel legam quotidianus Tympanorum strepitus, & quotidie auolantes, animúmque turbantes rumores bellici faciunt. Benè vale, & à nobis tuam saluta. VVittebergæ 20. Maij, Anno 1631.

EPISTOLA LXIII.

PERIOCHE.

1. *Magdeburgi incendium & Germania calamitates doles.* 2. *Epistolarum editionem in aliud tempus differt.* 3. *In litteris cur breuior sit.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctori cur rarius scripserit.

Quod rarius hactenus scripsi, *Cl. Dn. Affinis & Compater honorande*, partim tui silentij, partim occupationum innumerarum, & calamitosi temporis culpâ factum fuit:

Magdeburgi incendium & Germania deuastationes dolet.

Dolendum equidem, vrbem tàm antiquam, tàm nobilem, & tàm famosam, adeò miserabili, & truculento exemplo esse direptam, & excisam Deus misereatur tandem Germaniæ, & afflictissimæ suæ Ecclesiæ. Nos intrà spem & metum viuimus; ignari, quamdiu tuti futuri simus. De Arthritide si post editum iam tuum tractatum aliquid ampliùs moneam; cui iterum, quæso bono fuerit? Possunt bonæ horæ rei fructuosiori impendi. De editione Epistolarum nondum sollicitus sum: Distrahitur enim animus publici status aduersitatibus. Libros tuos *Dn. Abrahamo Scillero* ego, ipse Senatui nostro rectè tradidi. Putabam, te dudum, cum incluso honorario accepisse responsum: Quod si factum non est, fiet haud dubiè propediem. *D. VVinclerus*, cur hactenus nihil responderit, me latet. Exemplar tertij tui libri cum litteris, Socero ipsius tradi curaui: qui id *Genero* sine dubio transmisit. His benè vale, & breuitati ignosce. Breuiorem enim me esse cogunt rationes, in frontispicio in medium allatæ. Dabam Breslæ, die 24. Iunij, Anno 1631.

EPISTOLA LXIV.

PERIOCHE.

1. *De rerum Patriæ miſerabili ſtatu.* 2. *De vxoris ægritudine.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Rerum patriæ miſerabilis ſtatus.

SAd breues tuas, *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, breuiter reſpondeo. Prolixè vt ſcribam animus curis & publicis, & priuatis diſtractus, non patitur. Publica in dies in peius ruunt, nec vllus malorum finis, vel è longinquo adhuc apparet. Rex Sueciæ cum exercitu ſuo paucis milliaribus hinc abeſt. *Dreſdæ* iam agitantur comitia prouincialia, in quibus de pecunia ad militem conſcriptum alendum neceſſaria deliberatur. Etſi eam contribuere multis graue accidet: Tamen ea iactura patienter ferenda eſſet, ſi eis pacem redimere poſſemus, quam tamen optare potius, quàm ſperare licet. Ita fatales hæ turbæ ſunt, quæ omnia humana conſilia auerſantur, & reſpuunt. Solus ergò Deus, qui poteſt, iis finem imponet. Priuata quod attinet; Vxor mea, iam longo tempore periculosè, vtinam non lethaliter decumbit. Breuitati ergo ignoſces; & cum tua bene Vale VVittebergæ. Anno 5. Iul 1631.

De vxoris ægritudine.

EPISTOLA LXV.

PERIOCHE.

1. *Auctori condolet ob vxoris ægritudinem.* 2. *De Sueco exercitu & Cæſariano.* 3. *Tractatum de Peſte Doringius aggreditur.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctori ob vxoris periculoſam ægritudinem condolet.

SOb Vxoris tuæ, *Clariſſime Dn. Affinis & Compater honorande*, periculoſum decubitum ex animo tibi condoleo. Deus eam hoc calamitoſo tempore & tuo iſto ſenio, tibi clementer conſeruet, ac viciſſim eriget. Quæ vobis imminent, ea nos dudum exhauſerunt propemodum exactiones. Et toleramus eas æquiori animo, dummodò pacis aliquam ſpem affulgere cerneremus. Quorſum verò tandem Elector veſter expeditiones ſuas bellicas mouebit? De Sueco etiam nihil certi nunc audiuit: Aiunt quidem *Pappenheimium* ab ipſius exercitu cæſum, & *Tillium* in ſubſidium reuocatum eſſe: An verò res ita ſeſe habeat, vos nouetitis rectiùs. Intereà exercitus *Cæſarianus* in *Sileſia* collectus, per tranſeuntes nouiter luſtratas hinc inde turmas, quotidiè augetur. Si *Suecus* huc tetenderit, de noſtra *Sileſia* haud dubiè actum erit. Deus Magnatum regat animos, vt cogitent, quæ ad pacem ſunt *Germaniæ*. Hæ omnium curæ, ob res domi, forisque periclitantes, & tam priuatas, quàm publicas, non immeritò nos dies, noctéſque angunt: quibus vtique nemo niſi vnus clementiſſimus Deus, mederi poteſt. Et medebitur, quâ non ſperauerimus hora: vtinam nos modò induamur armis Eccleſiæ? quæ ſunt ſeria preces & lachrymæ. Sed quid fit de Soceri noſtri *Commentariis ſuper Aphoriſmos Hippocratis*? Deſcribi ne eos curaſti? Ego ſuaſu quorundam *Faſciculum nonnullorum Tractatuum de peſte* edo; cùm non tantùm hinc inde in Vrbibus, & Oppidis *Sileſiacis* ſæuiat, ſed & intrà noſtra hæc mœnia, *VVolaniæ*, furtim illata ſit. Excudetur *Olſnæ* ſumptibus *Pauli Alberti*. Vbi abſolutus fuerit, Exemplar mittam, & cumprimis ſuper *Diſcurſu meo de vniuerſali peſtis Antidoto*, iudicium tuum exquiram. Crabrones, ſat ſcio, hinc atque illinc excitabo. Dicendum nihilominùs quod res eſt. Si aliorum odium propterea incurrero; veritatem me dixiſſe iudicabo, cuius partum Odium dixit *Comicus*. Benè cum tuis vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die vltima Iulij, Anno 1631.

De Sueco & Cæſariano exercitu.

Doringius Tractatum de febribus aggreditur.

Odium veritatis partus.

EPISTOLA LXVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor filij mortem Doringio ſignificat.* 2. *De Peſte Patauiana.* 3. *Morbi filij hiſtoria.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SCum hactenus *Clariſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, triſtia, & læta, vt res & tempus tulit, communicauerimus: nunc etiam triſtiſſimum, qui mihi accidit, caſum, te celare non debeo, mortem nimirùm Filij mei *Danielis*. De quo ita ad me ſcribit *D. Georgius Tſcherningius Ieſſenſis*, qui ipſi comes itineris fuit: Omni die vltra 250. in ſola Ciuitate *Patauinâ* peſte enecantur, & qui eo corripiuntur, quintum diem non attingunt. Inter quos etiam, proh dolor! Filius tuus chariſſimus, Nationis noſtræ Conſiliarius, quo officio, ſumma cum laude ac auctoritate eſt defunctus, inuenitur, qui prius tentatis omnibus aufugiendi mediis, & modis, die 17. Iunij puſtulam ſuprà genu dextrum ſibi erupiſſe conqueſtus eſt, quam ſibi erupiſſe perhibebat, audita Amici cuiuſdam morte *Dn. D. Teuchers*, qui duos ante dies eodem morbo occubuerat: Quâ monſtratâ Anthracem eſſe cognouimus, adhibitóque ſtatim Alexipharmaco, alteróque die ſummo mane repetito, ipſi conſultum fuit; Maioris etiam ſecuritatis gratia *Excell. Dn. D. Pranotium* vocari curaui, ad cuius mandatum, & præſcripta, omnia quàm diligentiſſimè fuerunt peracta: Superuenientibus autem grauibus ſymptomatibus, maximè alui fluxu, (quo in hac peſte neminem euaſiſſe perhibuit *Dn. Pranotius*,) Febri, vomitu, difficultate vrinæ, inquietudine, viriumque debilitate, ſe hominem, adeóque morbi obnoxium eſſe cognoſcens, ſuam voluntatem diuinæ voluntati ſubiecit, vnicum refugium in Dei miſericordia, Chriſti paſſione, ac morte poſuit, deuotas precationes ipſe ſæpius legit, & à me prælegi, quod & factitatum, voluit. Die Veneris, qui fuit 20. Iunij, me præſente ac *Dn. D. Neukranz Roſtochienſi*, nec non *Dn. Arnoldo Reimero Goſlarienſi*, ac altero *Ioh. Erb hats er vnſerm vorbetten auffs fleiſſigſte nachgebettet, auch zu letzt, da er nicht mehr reden kænnen, vnd gefraget vvorden, ob er auf das leiden, ſterben, vnd aufferſtehung Ieſu Chriſti ſterben vvolte, hat er mit kopf vvincken ſolches bekræfftiget: Iſt alſo kurtz vor 3. vhr in der nacht in Chriſto ſanft vnd ſeelig verſchieden*, &c. Quæ res quantum dolorem mihi afferat, præſertim durante adhuc vxoris meæ morbo, qui nuncio hoc non parùm auctus eſt, cum eum vt filium ſuum ſemper amauerit, facilè conijcere potes. Verùm quid faciam. Quod Domino placuit, mihi diſplicere non debet. Præſertim hiſce temporibus, quæ ita in dies in deterius vergunt, vt mors potius, quàm vita optanda ſit. Benè Vale, tuamque ſaluta. VVittebergæ 19. Iul. Anno 1631.

Sennerti filij morbi & mortis hiſtoria.

Alui fluxus in peſte Patauina.

EPISTOLA LXVII.

PERIOCHE.

1. *De vxoris ægritudine & variis ſymptomatibus ipſam comitantibus.* 2. *Doringij conſilium*

Digitized by Google

consilium rogat. 3. Res patria semper in peius ruere nunciat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Vxoris morbum Doringio recenset.

SVrgent nos, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, mala cum publica, tum priuata. Priuata quod attinet, obitum mei Filij *M. Danielis* è literis proximis, quas *Lipsiā* ad te misi, te intellexisse puto. Vxoris meæ morbus adhuc continuat, ipsaque atrophia tota consumitur. Mira affectio. Cibum sic satis benè appetit, sed non concoquit, sed quem pridiè sæpè comedit, vomitu iterum reiicit, etsi non ipsum cibum tamen humorem acidum & salsum in magna copia. Dum ventriculus est vacuus sic satis benè se habet, sed vbi aliquid cibi sumpsit, illud mox quasi per canalem in sinistrum latus descendere sentit, inde postea dolorem, imò tumorem, in sinistro latere percipit qui ad vmbilicum & dorsum sese extendit: nec dolori finis, nisi cibum, vel illum humorem acidum, quo dentes stupescunt, vt sæpè integro die nihil masticare possit, vomitu reiiciat, quod ferè singulis diebus fit: Facilius autem vomit, si sinistrum latus comprimat. Carnes, vt & iuscula carnium planè ferre non potest. Dum dolores vigent incalescit, facies rubet, cor pulsat, vt & latus sinistrum, vbi vomuit, & dolor remisit, omnia hæc remittunt.

Res patria semper in peius ruunt.

Plerumque præcipuè cum dolore tentatur, sitit: nullam, verò amatam cereuisiam, vt nec vinum tolerare potest. Facultas animalis & vitalis aliàs sat benè se habet. Quæso, de hoc affectu, tuum iudicium mihi aperi, & si quid consilij habes, communica.

Publica quod attinet, Bellum istud intestinum Germanicum iam in ἀκμῇ mihi esse videtur. Metuo, ne Catastrophe in nostrâ regione fiat: Vterque enim *Annibal* iam nobis ad portas. *Tyllius* cum suo Exercitu *Halæ* est, & nobis appropinquat Rex *Sueciæ Gustavus* est, & pridiè ipsus paucis comitatus, huc vsque ad pontem excurrit, de quo occupando vterque satagit. Multa hîc spargantur, sed rumores incerti sunt: intra paucos dies, res in verum erumpet proculdubio & certiora scribendi materiam præbebit, sed vtinam lætiorem, quàm metuimus. Deus suos seruet, & ipse pacem restituat: Nam nulla adhuc inter Magnates consilia sunt, quæ pacem spectent; sed omnia ad extrema tendunt, & humana Reputatio potiùs, quàm salus publica attenditur.

Suecorum irruptiones.

De Soceri nostri Commentariis ne sis sollicitus. Salui illi erunt, quamdiu ego saluus. Si *Tractatum* illum *de Peste* ad me miseris, gratum erit. Benè cum tuis vale, & pro nobis in extremo periculo constitutis, ora. VVittebergæ 25. Aug. Anno 1631.

EPISTOLA LXVIII.

PERIOCHE.

1. *Auctorem de morte filij & vxoris morbo solatur.* 2. *Quid de huius morbi natura, prognosi & curatione sentiat.* 3. *De M. Fleisseri historia qui è scorbuto cæcus factus est.* 4. *Plures vrbes à Tyllio capta.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Auctorem de morte filij & vxoris morbo solatur.

SVrgent nos... Verè tibi condoleo, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, tàm ob priuata, quàm publica mala. Premunt similia & nos; differimusque solùm in eo, quod tibi Filius natu maximus peregrè, ac foris mortuus est, & vxor domi ex insolito, & periculoso morbo, decumbit: Filij mortem, vt æquiore animo feras æquum est, sciscas te hominem genuisse, cui in Athenoico Lyceo

Fata dedêre locum.

Ipsi benè in æternum: Vxoris morbus hoc tuo senio, & bellicoso tempore, quo bellum præ foribus vobis est, grauius proculdubio te Afficit. Petis super eo meum iudicium, & si quid eius habeam consilium. Ast quid ego hic Noctuas Athenas feram? Quis enim dubitet; te omnia accuratè pensitasse, & pro restituenda vxoris valetudine nullum non mouisse lapidem. Dicam nihilominus paucissimis, quid sentiam.

Morbus iste cùm insolitus est, tum periculosus: Ita solitus ratione Symptomatum; periculosus non tàm præsentis, quàm potiò imminentis atrophiæ, diuturnioris moræ, & laborantium moræ ratione. Atrophia defectum renutritionis consequitur. Renutritio propter vitiatam & quidem partim a proprio haud dubiè, partim à Liene communicato vitio dependentem, ventriculi functionem impeditur: Lienem autem hîc comprimis accusandum, tota morbi historia à te perscripta abundè commonstrat. Hinc nimirùm fit, vt vxor assumpto cibo, eum mox quasi per canalem (vas videtur breuè dictum,) in sinistrum latus descendere sentiat, ibidemque postea dolorem, imò tumorem; ad vmbilicum & dorsum sese extendentem, percipiat: qui non prius finitur, quàm dum cibum, vel humorem acidum (quo dentes adeò stupescunt, vt sæpè per integrum diem masticatio tollatur) vomitu singulis propemodum diebus reiiciat. Lienem prætereà affectum illud magis affirmat, quod vomitus sinistro latere affecto facilius procedit: Carnium, & Iusculorum è carnibus paratarum fastidium, etsi aliàs pro iecoris malè affecti indicio habeatur; quin tamen Lienis causa & oboriri possit, & splenericorum exempla quandoque testatum fecerunt; & ratio persuadere videtur, cum vulgò, nothum hepar audiat; eò, quod non tantùm ipsius vires interdum supplet, verùm etiam similes morbos progignit. In dolorum ἀκμῇ corpus incalescere, faciem rubere, cor pulsare, & latus sinistrum, sitim quoque accedere, nemo mirabitur, qui copiam Arteriarum Lieni inhærentium perspicaciùs rimabitur. Ista autem omnia post vomitum protinus remittere, argumento est, magnum Lienis cum ventriculo esse consensum, illumque per hunc id, quod ipsum molestat, exonerare. Cæterùm affectum, quo Lien afficitur, duplicem esse suspicor: alium in Intemperie æstuosiore, alium in Obstructionibus vasorum consistentem. Ob illum cibus in ventriculum assumptus præproperè per Canalem quasi in sinistrum latus abripitur: Ob hunc intra Lienem receptus dolorem, humorem, corporis incalescentiam, faciei roborem, cordis & lienis pulsationem, sitim, &c., excitat; quæ tum demùm excitant, postquam vel cibus ipse, vel humor acidus & salsus ex Liene in ventriculum in magna copia effusus, vomitu excluditur. Ventriculum simul affici, quis neget. Fortassis verò frigidiusculus is est. Quod vt mihi persuadeam, illo potissimùm inducor, cum quod plus appetit, quàm concoquit, tùm quod acidos humores forsan non tam semper à Liene transmissos, quàm in se genitos eructat: Illud comprimis miror, quomodo facultas animalis & vitalis, hoc rerum statu sat benè se habere possit? Cuius rei causam ex te scire velim. Periculosus hîc morbus non immeritò mihi habetur, non tam ob moram, quam hactenus traxit, quàm partes affectas, & potissimùm Lienem cuius vitia quàm curatu sint difficilia, ipse nosti. Indicationes Curatiuæ per se patent; quare opus esse non puto, vt de illis aliquid afferam: Quanquam verò non dubitem, quod pro abigendo Coniugis morbo facere possit, nihil omninò à te esse prætermissum: tamen vt pro amore nostro meam symbolam qualemcunque adiiciam, suaserim, si id factum hactenus non est, vt ventriculi causâ Elixir proprietatis propines. Lienis verò ratione Chalybeatū aliquod des, quādoquidem ad Acidulas (quas egò optimè conducturas fore, vel maximè sperauerim) eam mittendi occasio hoc tempore præcisa est. Euacuari etiam posset per vices vel pilulis ex Ammoniaco Quercetani vel Aloëdario *Mindereri*, vel Tartareis meæ correctionis.

Atrophiæ causa.

Pars affecta.

Carnium & iusculorum fastidium iecoris malè affecti indicium.

Lien, nothum hepar cur dicatur.

Lienis & ventriculi consensus.

Prognosis.

Curatio.

De externis, vti & vires exsuscitantibus, ipsus dispicies. Nî facultas vitalis tàm benè se haberet, veluti tu quidem scribis, in eam profectò descenderem sententiam, Scorbutici aliquid simul subesse, siquidem Lien tantoperè laborat, & vomitus tàm crebrò vrgent. Sed de hoc tu præsens videris. Mihi eius solummodò meminisse sat fit.

Mirum nunc præ manibus habemus casum in *M. Fleissero*: qui & ipse Hypochondriaco-Scorbuticus ante tres septimanas cæcus factus est intrà triduum ferè. Dolet maximoperè Senatus huius Viri fatum. Pro Consilio igitur dando plures Nostrûm ipsius iussu conuenimus. Nunc quoad dextrum oculum visus paulatim, discussa nubecula, & macula, redit; sinistro, si dextrum claudat nihil videt; quantumvis cum macula alba, tum nubecula; post corneam tunicam antè pupillam initio subsistens euanuerit, & oculus clarior euaserit: quod indicio est, vitium profundius & fortè circà neruum Opticum hærere. Casus certè notabilis: sed non licet nunc pluribus de eo agere.

De M. Fleissero, historia.

Pestis apud nos needum cessat. Inuasit ea, & ædiculam vnam, horto meo intrà mœnia adiacentem: Fasciculus Tractatuum de peste nondum absolutus est. Mittam ipsum suo tempore.

De occupatis à *Tyllio*, *Merseburgo*, *Naumburgo*, *Lipsiâ*, & nescio, quibus aliis locis, multa hîc sparguntur. Pluri-

Tyllius plures vrbes occupat.

mi vestro Electorali ob cunctationem malè ominantur, multi malè precantur. Quæ omnia & imprecationes auertat benignissimus Deus! Equidem res ferè ad extremum rediisse videtur: Quamobrem

Ni Deus affuerit, viresque infuderit armis,
Tunc nil Elector, Suecus & ipse, iuuat.

Benè cum tuis vale, & à omnibus salue. Dabam Breslæ die 18. Septembr. Anno 1631.

EPISTOLA LXIX.

PERIOCHE.

1. *Auctor circa coniugis morbum Doringio subscribit.* 2. *Vlcus in mesenterio suspicatur.* 3. *Curationis difficultas.* 4. *M. Fleisseri casus Scorbuticis familiaris.* 5. *De Tylly inuasionibus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Circa Vxoris morbum Doringio subscribit. Vlcus in mesenterio suspicatur.

SVxoris meæ morbum quod attinet, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, equidem tarus is est, & insolitus: Rectè tamen tu, vt puto, de eo sentis. Omninò enim vitium in vase breui est, quod nimis dilatatum esse existimo, ita vt cibus, qui in ventriculo prius in chylum mutari debebat, mox ad lienem ipsum etiam malè sese habentem penetret, ibique in humorem illum, quem vomitu reiicit, corrumpatur: Metuo simul, ne in loco vicino in mesenterio vlcus subsit, & lateat. Solet enim interdum fætorem in ore, instar carnium putridarum percipere.

Curationis difficultas.

Vtinam verò morbus ille, qui vt puto, satis clarè suis signis se prodit, in corpore isto, quod saltem cute, & ossibus hæret, ita etiam facilè curari posset: Corpus enim ita extenuatum fortia remedia non fert, lenia vix sufficiunt. Et quæ optimè cogitata interdum videntur, humor iste, qui facilè exagitatur, sæpissimè non fert. Etsi vlcus subsit quis illud curauerit? Dederam illo ipso die, quo tuæ mihi exhibebantur, aliquid pilularum tartarearum, inde aliquoties pituitam viscidam, instar Lumbrici, posteà viridia, flaua, nigra deiecit. Die sequenti paulò meliùs habere visa est: sed quoties cibi aliquid sumit, quem saltem manè, si noctu dormire vult, sumere audet, dolores post aliquot horas redeunt. Faciam quod potero: cætera Deo commendanda: Is nisi subuenerit, humana auxilia vix sufficient.

M. Fleisseri casus scorbuticis familiaris.

M. Fleisseri vicem doleo, sed spero, ipsum pristinam valetudinem recuperaturum. Curaui enim aliquot Scorbuticos, quibus idem accidit; qui tamen Scorbuto curato visum recuperarunt: Ortum enim habet hæc cæcitas à vapore, vel humore seroso, in principium neruorum Opticorum sese effundente. Hoc mirum, quod an non anteà etiam ad te scripserim, non satis memini. Studioso cuidam *Saxoni* hîc à Medico quodam exhibitum fuit Diacydonium laxatiuum, quod ipsum satis largiter purgauit, non tamen nimiùm: statim post purgationem incidit in cæcitatem, cætera sese habuit benè. Adhibuit me etiam posteà in Consilium. Exhibui medicamenta quæ putaui idonea, sed frustrà aliquot septimanis: Cæcus in patriam abiit; an posteà restitutus sit, rescire non potui.

Publicarum rerum status.

Publica quod attinet, Electori nostro ob cunctationem plurimos malè ominatos esse, multos etiam malè precatos, verum est: sed forsan, non præter rem cunctatus est. Si citiùs aliquid tentasset rebellionis proculdubio accusatus fuisset. Nunc postquam *Francofurti ad Mœnum* de Compositione tractatur, quò & Elector suos Legatos misit, atque interim *Tyllius* non solùm vnum atque alterum Episcopatum occupat; sed & hæreditarias Electoris ditiones inuadit, & depopulatur, atque *Lipsiam* occupat, iustam belli suscipiendi, & defendendi se causam habet, &c.

Tyllij inuasiones.

Benè vale, cum tua. Vittebergæ 26. Septembr. Anno 1631.

EPISTOLA LXX.

PERIOCHE.

1. *Auctoris dolorem de Vxoris morbo conatur lenire.* 2. *De vlceris suspicione in mesenterio, & eius curatione per antimonium diaphoreticum.* 3. *De M. Fleisseri valetudine.* 4. *De Patria calamitatibus.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

SQuod Vxoris morbus, *Clarissime Dn. Affinis, & Compater honorande*, te mirè afficiat, facilè credo; Hominem tamen ipsam esse cogites, & proinde mortalitati obnoxiam. Si quod pot est, feceris, ad impossibilia te minimè obligatum esse memineris.

An ex oris fætore vlcus interdum possit Medicus colligere.

Quæ de vlcere in Mesenterio subsistente suspicaris, nescio an ex fætore illo, instar carnium putridarum, quem interdum in ore percipere solet, satis firmiter colligere ausis? cum non rarò talis fætor ob malè purgatos dentes, aut materiam in ventriculo putrescentem, accidere possit, Sed subsit fortè vlcus aliquod, quis illud curaturus sit, quæris.

Curatio per antimonium diaphoreticum.

Equidem, & hîc aqua hæret. Posset nihilominus per antimonium diaphoreticum, quod ego, (ne omnibus ex æquo promtius pateat) puluerem absorptiuum appello. *M. Fleisserus* & altero oculo iterum videre incipit Deus integritatem largiatur. Tempus tamen &, Autumnale præsens, & Hyemale subsecuturum remoras haud dubiè nobis obiiciet. Scorbutus etiam nondum planè abactus est.

De Patria calamitatibus.

Pro communicatione publicorum gratias ago. Nos nunc in magno sumus constituti periculo, postquam miles noster è *Lusatia* redit, quem & *Suecicus* & Electoralis insequi dicitur.

Suecum ad *Bambergam* cæsum, ac simul occisum, fama est. De certitudine plerique dubitant. Deus nostri misereatur, & tandem desideratissimæ pacis faculas succendat. Bene vale & à omnibus salue. Dabam Breslæ die 27. Octobr. Anno 1631.

EPISTOLA LXXI.

PERIOCHE.

1. *De Imaginationis viribus in morborum generatione.* 2. *De vxoris valetudine peius ruente.* 3. *De Peste sæuissima.* 4. *De Suecorum variis expeditionibus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S*Clarissime, & Excellentissime Vir, Compater, & Affinis honorande*, dudum nihil de Arte nostra contulimus, & adhuc talis, cùm meus priuatus, tum publicus rerum status est, vt omnem meditationem de talibus ferè animo excutiat. Facere tamen non possum, quin vnum iam saltem attingam. Dubitaui anteà de causa qui fiat, quod terrore multi peste corripiantur, & simplici humorum agitatione non contentus, de Imaginationis viribus anxiè cogitaui: Verùm pestis, quæ nunc grassatur, tam id persuadet, vt credam, latere iam in corporibus quibusdam ad pestem dispositiones, quæ animi affectibus, agitatis humoribus in actum erumpunt. Idque vt credam, id mihi persuasit, quod non solùm terrore, timore, & attenta de peste cogitatione quidam in pestem incidit, sed & ex ira: Superiore enim septimana

Imaginationis vires in morborum generatione.

Ira in peſte noxia.

ſeptimana virgo quædam, cum in rixas cum vicini vxore incidiſſet, & vehementer animo commota eſſet, è platea domum reuerſa mox ægrotare cæpit, & peſte correpta, & breui etiam mortua eſt. Præterea obſeruaui & ſuperioribus annis, & hoc ipſo, peſtem vt & alios morbos epidemios, ſuas diuerſas periodos in diuerſis oppidis & pagis & habere, & habuiſſe; in quibuſdam, vere cæpiſſe, æſtate deſiiſſe, in aliis æſtate cæpiſſe, Autumno ceſſaſſe; In quibuſdam ſub Autumnum cæpiſſe, & iam ſub brumam ceſſare. Et credo non omnes, qui hîc peſte correpti, & mortui ſunt, ex contagio ſed interno humorum vitio quoſdam in eam incidiſſe. Audire tamen etiam tuam ſententiam cupio.

Peſtis ex priuato humorum vitio.

Rerum mearum ſtatum quod attinet, Filia mea prid. Cal. Nou. *Dreſdæ* filium peperit. Vxoris valetudo in priſtino ferè ſtatu eſt: Tota atrophiâ conſumitur, & ſaltem oſſibus ac cute hæret, vt ſceleto ſimilis videatur. Et malum nulla ferè medicamenta fert, ſed optimè etiam cogitata humores in ſiniſtro hypochondrio commouent, vt peius habeat. Præterea in peſtis maximo hactenus verſatus ſum periculo. Intra duorum menſium ſpatium ita in hac vrbe diſſeminata eſt, vt hominum memoriâ vix ſimile quid acciderit; vnde tota ferè academia diſſipata eſt: Infeſtauit etiam ædes mihi proximas Sartoris, & iis vicinas Sutoris, vt è regione, *VVenceſlai Gorzy* quondam Depoſitoris, qui ipſe mortuus eſt. Quò fugerem, vix habui; cum vicina oppida pleraque etiam infecta ſint; & vxor ægra vix iter ſuſcipere poſſet.

De vxoris valetudine in peius ruente.

Peſtis ſæuiſſima.

Publica quod attinet, ea proculdubio è publicis ſcriptis & nunciis tibi nota erunt. Paucorum vt mentionem faciam, Elector noſter *Pragam* occupauit: Rex *Suecic* poſt maximam *Franconiæ* partem occupatam, nuper etiam *Hanouiam*, & nuperrimè *Francofurtum ad Mœnum* occupauit: In vrbe tamen eâ nec pernoctauit, ſed rectâ tranſiit, & *Moguntiam* tendit. *Tyllianus* verò exercitus circà *Norimbergam* colligitur: Ita tota *Germania* vaſtatur. Vt de Electoris noſtri conſiliis, factis, vobis certò conſtaret, ſcriptum ea de re nuperrimè *Dreſdæ* editum mitto, quod boni conſules. Saluta tuam vxorem à nobis, & cum ea benè vale. VVittebergæ, die 28. Nouembr. Anno 1631.

De hoſtium bellicis expeditionibus.

EPISTOLA LXXXII.

PERIOCHE.

1. *Irâ vtrum peſtis latentes igniculi excitari poſſint, Doringij iudicium.* 2. *Quid de peſte ex priuato humorum vitio ſentiat.* 3. *De hoſtium depopulationibus.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Duplici reuerà nomine, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, tibi condoleo. Vno quidem, quod vxoris morbus nullam ſpem ſanationis promittit; alterò verò quod ob peſtem vicinorum ædes ingreſſam in non leui periculo conſtitutus es. Deus te ſoletur, ac cuſtodiat! Irâ latentes peſtilentiæ igniculos excitari poſſe, facilè crediderim: Igniculi tamen iſti non nudæ ſunt diſpoſitiones, ſed vera peſtis ſeminaria; vndecunque etiam illa ſint concepta. De periodis peſtilentiæ quid ſentiam, in *Diſputatione de febribus malignis*, me Præſide, *Gieſſæ* ante annos viginti habita, videbis. De peſte ex priuato humorum vitio orta quæ aſpergis, probatione egent. Sanè ſi victu vitioſo vſi ſunt quidam, qui in peſtem inciderunt, quod, pro te ſtaret, aliquid haberes. De quo tu videris; ſin minus demonſtrationem poſtulo. De nepote ex Filiâ tibi gratulor: Ego nuper & ex podagra, & chiragra decubui. Illa tamen mitior fuit, quantumvis vtrumque pedem inuaſiſſet: per gradus enim cubiculi iturus aſcendere potui. Hæc pollicem dextrum, (quem nunc intra quinquennium tertia vice tentauit) grauius afflixit. Chamædryos decocto tertio vſus ſum, vſurpaturus dehinc iterum meis pilulis. Pro tranſmiſſo ſcripto *Dreſdano* gratias ago. Noſtri milites in *Bohemiam* ire nolunt; hybernaculi in *Sileſia*. Miſerè Ducatus *Suidnicenſem*, & *Iauranienſem* expilauiſſe dicuntur: Metuimus etiam *Suecici* militis irruptionem. Miramur Electoris veſtri auſum, & quod nunc tam cunctanter cæptum proſequatur. Vtinam Deus tandem pacem cælo demittat! Bene vale & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 19. Decembr. Anno 1631.

Irâ vtrum latentes peſtilentiæ igniculi excitari poſſint.

De peſte ex priuato humorum vitio orta. Doringij iudicium.

De militum irruptionibus.

EPISTOLA LXXIII.

PERIOCHE.

1. *Sennertó de coniugis morte condolet.* 2. *Super affectu D. I. K. conſilium.* 3. *Auctori Tractatum de peſte ipſiſque dicatum mittit.* 4. *D. Nicolai Poſtij mors.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Rediit ad nos Curſor veſter, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ſed ſine tuis litteris nunciabat ante Curſoris aduentum Amicus quidam, non ſolùm coniugem tuam vitâ functam, ſed & temet è febre petechiali grauiter decubuiſſe: Illud confirmauit Curſor, iſtud negauit. De illo tibi, vt par eſt, condoleo: de huius falſitate amice gratulor. Deus iacturam illam ſuo tempore in ſenio hoc tuo clementer compenſet! hanc autem incolumitatem diuturnam, & conſtantem eſſe concedat. Commodùm verò hac vice ad nos venit Curſor, vt id quod me rogauit *D. I. K.* effectum dare poſſem: Nimirum neſcio quo inſtinctu perſuaſus, tuum expetit conſilium, ſuper affectibus ſuis: quos vt à ſemet conſignatos ad te mitteret, Auctor fui; conſignationem itaque illam ſub finem litterarum iſtarum loco poſtſcripti additam mitto. Vides mala iſta, altas iam egiſſe radices, & à multis annis durauiſſe. Vt autem conſilium tuum rectiùs formare poſſis, pauca quædam addere placet. Habitu eſt patiens iſte ſatis carnoſo, & mediocriter pingui. Colore faciei bene florido, canis pro ætatis ratione, non nimiùm conſperſus. Hypochondriacus aliàs eſt, & pro melancholicorum conſuetudine nouorum cùm Medicorum, tum medicamentorum ſtudioſiſſimus. Meo conſilio à decennio fere ſæpiuſcule quidem vſus eſt, nullam tamen curam plenariè ſuſtinuit; excepto Chinæ ante annos plus minus octo (præmiſſis præmittendis) vſu. Triennium eſt, quando meo potiſſimùm ſuaſu acidulas potauit, in Comitatu *Glacenſi* ſcaturientes.

Auctori de coniugis morte condolet.

Super affectu D. I. K. conſilium.

Melancholici Medicorum & remediorũ nouitatem amant.

Prehenditur etiam quandoque doloribus podagricis in pede ſiniſtro quem olim fregit. Viduus eſt, per, aut vltrà etiam, ſexennium. A biennio de leuiuſculo ſeminis ſtillicidio conqueſtus eſt, à quo induſia nonnihil commaculentur. Ego in corpore iſto εὐσάρκῳ abſtinentiæ à venere id potiſſimùm adſcripſi: Ordinaui ipſi & contrà hoc præterito anno nonnulla remedia. Vt autem circà id ſeſe nunc habeat, me equidem latet. Cuius ſymptomatis cum ipſe non meminerit, poteris & tu eiuſdem obliuiſci. Cumque *Lignicij* creberrime viuat, à Principe (cuius Conſiliarius eſt) illò vocatus; Medicorum illic degentium conſiliis haud dubie potiſſimùm vtitur. Atque hæc illa pauca ſunt, quæ te latere nolui, tu, quæſo, per otium Conſilium aliquod linguâ vernaculâ conſcribere & ad me mitte. Spondeo, te iſtam operam non in ingratum locaturum eſſe. Abſolutus tandem eſt Faſciculus iſte meus quorundam *Tractatuum de peſte*. Heri à Bibliopola primùm nactus ſum exemplaria. Miſiſſem vnum atque alterum exemplar per hunc Curſorem, ſi ipſum prædatores aliàs metuentem, faſciculo iſto onerandum eſſe cenſuiſſem. Mittam alia occaſione commodiore. Interea motam haud ægre fer, & inſcriptionem, tuo, *Horſtique* nominibus conſecratam, tibi non ingratam eſſe patere: Hoc enim vt facerem, Amor ergà vos meus compulit. Hodie mediâ quartâ veſpertinâ optimus ſenex *Dn. Nicolaus Poſtius* huic mundo valedixit; ac pie in Domino obdormiuit: cuius animæ ſit in benedictione! Quæ nos ſuperſtites maneant, & circumſtent diſcrimina, ipſus facile conijcere potes. Deus nobis ſua adſit gratiâ, vt & ex hiſce eluctemur, ac nomen ipſius celebrandi vberiorem materiam nanciſcamur. Bene vale & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 16. Februar. Anno 1632.

Doringij Tractatus de peſte.

D. Nicolai Poſtij mors.

P. S. Zuſtand einer perſon, vvegen ſeiner leibes beſchvverden, ihres alters etlich funfzig iahr.

1. *Hatt dieſelbe perſon von jugendt an, biſſ zu ihren mannlichen Iahren, da ſie anno 1616. ſich in eheſtand begeben, inkrieges und Herzn dienſten auffgevvartet; vnd als ſie aus dem Vngeriſchen kriege, Anno 99. im landezu VVurtemberg des VVildbades ſich gebrauchet, hatt ſie ein hertzklopfen angeſtoſſen, vvelches von ſelber zeitt ſich ettliche mahl gefunden, iſt aber meiſts innerhalb 16. Iahren, vvie dann biſſ dato öfters in harten bevvegnüſſen, da dann dieſe perſon ſtetige reiſen helt, zunehmen thutt.*

Digitized by Google

2. Befindet gedachte person von vielen jahren her, ein stetiges grosses Haupt-sausen, ohren klingen und brausen, da doch sonst nicht Haupt-wehe gespüret wird.

3. Klaget sie über öfters wehe an der rechten und lincken seite.

4. Vor diesem hatt diese person schmertzen an den Nieren.

5. Anno 1622. hatt sie den lincken schenckel gebrochen, welcher weil er niemahls recht eingerichtet worden, dahero auf derselben seiten beschwerungen empfunden.

6. Und ob zwar solche person, die zeitt here viel mittel, nechst Gott, wie denn Anno 1629. den Sauerbrunnen in Schlesien geprauchet, hatt es doch nicht viel gefruchtet, und wird weiter rath in der Medicin gesuchet und gebetten.

EPISTOLA LXXIV.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringio mortem coniugis suæ significat 2. Cur tardius id ipsi nuntiarit. 3. De publicarum rerum statu.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Doringio coniugis mortem significat.

Cur tardius id idipsi nūciaverit.

Publicarum rerum status.

SQuod dudùm futurum vidi, *Vir Clarissime, & Excellentissime, Dn. Compater, Affinis, & Amice honorande*, id 14. Ian. accidit, & vxor mea, postquam tota contabuisset, placidè obdormiuit, & rebus humanis valedixit. Qui casus etsi in hac mea senecta mihi acerbus sit, & grauis, ferendum tamen, quod mutari non potest, & quod diuina fert voluntas. Pridiè antequàm moreretur, planè nigra dejecit. Quod verò tardius tibi mortem eius nuntio, causa hæc est, quod postridiè, postquam eius funus, & exequias curassem, à Serenissimo nostro Electore *Dresdam* vocatus sum, vt curæ liberorum suorum, qui omnes partim variolis, partim febribus malignis laborabant, adessem. Hæc sibi tribus septimanis, & postquam Dei beneficio conualuerunt, heri primùm domum reuersus sum. Publica quod attinet, ea vobis procul dubio æquè ac nobis nota sunt. Elector noster, & *Brandenburgicus* 16. huius *Torgæ* conuenient. Deus faxit, vt tandem pax *Germaniæ* restituatur. Saluta vxorem tuam, & D. D. Bene vale. VVittebergæ, die 14. Febr. Anno 1632.

EPISTOLA LXXV.

PERIOCHE.

1. Reinesij erga Sennertum obseruantia. 2. Setacei duplex operatio. 3. Reinesij informatio pro affectu oculorum suffusionem minante. 4. Mesenterij impuritas quibus vrinis dignoscatur. 5. Ab errhinis in oculorum affectibus abstinendum. 6. Electuarium caput roborans. 7. Cucurbitulæ scarificatæ ad venas iugulares pro derivandis à capite humoribus. 8. Fabricij ab Aquapendente inuentum ad oculorum tunicas extergendas. 9. Pilulæ viscerum impuritatem blandè purgantes. 10. Suffusionis maturatio an tutò expectari possit.

D. DANIELI SENNERTO,

THOMAS REINESIUS, D.

Reinesij erga Sennertum obseruantia.

SP. *Clarissime Sennerte*, ab eo tempore, quo è Discipulis tuis esse *VVitteberga* desij, ἀπρόσωπος tum; sunt autem commodùm anni viginti quinque: incepi verè esse admirator tui, & quem dilexeram pendens Doctoris ab ore, eum amare, eiusque memoriam non tacitâ pietate solùm, sed quandocunque ferret occasio, inter notos ignotósve apertâ prædicatione venerari. Ferè enim sic comparatum est in vita, vt quotidiana minùs æstimentur è meritò: ὀλιγωροῦνται ὡς ἐπίπαν τὰ ἀγαθὰ χρησιμεύοντα ἀεί. Quibus carere, quacunque sorte si contigeret, eorum desiderium ferimus difficillimè, suntque tum τῶν ἀνεχομένων ἐξετασμάτων. Ab isto in te, *Clarissime Sennerte*, adfectu meo est, immò à iudicio de te meo, (quod etsi de aliis falli posse non diffitear, in hoc dum tibi summa omnia tribuit, & *Iubilæum* inter Medicos *Doctorem* adpellat, consensu quorumvis Eruditorum, ὁ παρανεξελής.) proficiscitur hoc quod nunc ago, dum Magnifici cuiusdam Viri interpres ad te venio, rogans obtestansque plurimùm, vt consilio tuo nobis adesse velis. Historiam adfectus, & hactenos circa eum administratorum, narraui sine adparatu, fideliter, & vt puto, clarè distinctéque satis. Setaceum admittet libenter, si omitti non posse iudicaueris: saltem, an modo per acum candentem, apud *Paræum l. 9. cap. 24.* præferendus sit alter, qui fit cultello ferreo frigido, quemque *Fabricio Hildano* debemus, & quo me hoc, quo medecinam facio, septendecennio feliciter vsum esse his, verè testari possum, dubitat. Tu verò nobis pronuncia τὴν ἀμείνονα. Ne autem in commoda publica peccemus, curas tuas sic interturbantes ἐξ ἀπροσδοκήτου, non expectamus hac vice aliud responsum, quàm quo tandem die hinc ablegare debeamus, qui Consilium abs te datum auferat; & tum, de quo fidem tibi meam obstringo, accipies pro opera, si non æquiualens, at gratum tamen, ita spero, præmium. Quin &, quod boni animi ac sanguinis debitorum est, cum solutione confessionem publicam, Nos SENNERTO debere ac debituros æternùm quicquid in nostra manu est, aut quicquid in amicorum communium. SENNERTI in gratiam, eorumve qui ipsius sunt, nos nihil defugituros, nihil negaturos esse. Bene vale ac salue πολυτίμητον κλέος πολυάνθρωπόν τι. Scrib. Altenburgi, 22. Martij Anno 1632.

Setacei duplex operatio.

HISTORIA ADFECTUS.

Vir literatus, primariæ apud nos dignitatis, annos natus XLI. habitu pituitoso, caro, capillo flauo, plano ac molli, venis latis turgentibusque, oculis magnis, prominulis, glaucis, cætera sic satis laudabiliter constitutus, nisi quòd per interualla, maiora tamen, defluxione tenui, acri, ad faucium isthmum & gargareôna, quin & oculorum leui ταραξει, quæ cum periodicè solerer inuadere, facilè medicamentis, nescio quibus, cessit, & intra hoc septennium nunquam repetiit, tentari consueuit; ab annis pænè sedecim per lucubrationes in Academiis contraxit quandam deprauationem visus, passus primùm sensum obuolitantium oculis culicum, adparentque ei nunc inter obiecta visibilia tam propinqua, quàm remota, & oculos, expansæ telæ araneorum immobiles quoquò vertat oculos semper sibi similes, in aliis, eiusdem visibilis partibus crassiores, in aliis subtiliores. Malum continuum est, & læsio in vtroque oculo æqualis. Triennium agitur, cùm primùm ad me de malo conquerentis, consiliumque rogantis oculos inspexi: ij venulas coniunctiuæ maximè conspicuas, & adiposa substantia obductas exhibebant. Erant excrescentiæ istæ membranosæ adipe circumfusæ, panno quem vocant oculorum, seu telæ ἐπιφύσει superficiei oculorum secundùm venarum ductus inhærenti simillimæ. Nuper admodum cùm oculos & directò & à lateribus contemplarer acutiùs, nihil in humore aqueo crystallinóque alieni, nihil in pupilla tenebricosi deprehendere poteram; humor verò oculi adparebat in vtroque expressissimus. Præmissis generalibus, quæ ventriculum maximè & cruditates in eo colligi solitas, mesenteriique impuritatem (de hac vrinæ variæ, modò limpidæ, crudæ, pallidæ, modò splendentes & rubræ, modò conturbatæ cum sedimento similiter vario, mucoso, plerunque farinam lacteam æmulante, semper sabuloso, sine vllo cuiusquam alterationis molestæ sensu, longo tempore ita perdurantes, testimonio erant, & biliosi humoris ad ventriculum cōfluxus familiaris) respiciebant, quæ etiam singulis ferè semestribus cum singulari εὐφορίᾳ repetit: Capiti, quod serosa plenitudine scatere, crebra salivatio cum absentia signorum adfecti quocunque modo lienis, ostendit, & vnica mali circa visum causa esse videtur, deplendo vsurpati sunt apophlegmatismi, gargarismi, & masticatoria: ab errhinis consultò abstinui, iudicio *Auicennæ lib. 3. fen. 3. tr. 4. cap. 12. & Capiuacij, Consil. 10.* permotus: intemperies cerebri corrigendæ (esse enim frigidius humidiusque somni indicant diuturniores, & quòd in officio curarum plenissimo nunquam de vigiliis querentem audiuerim & resoluendis, digerendis, absumendisque excrementis serosis, fuliginosisque adhibitæ frequenter frictiones moderatæ, lotiones ex *asaro, serpillo, cinnamom. fol. lauri, sena, agarico*, item xeromyrū seu empasma ad capitis pinam, è *rad. ireos, mace, caryoph. rosmar. puleg. stœch.* Defensum etiam caput à vaporib. quos mitteret ventriculus vsu elect. è *condit. ebulus, nuce moscb. conserua rosar. fl. euphrasia, saluia, anthous, succino præpar. specieb. diambra.* Oculi oxydorciciis recreati. His verò fuliginibus, quæ à toto per venas iugulares externas, internásve adscenderent, ac cum sanguine nutriendis oculorum tunicis humoribusque adfluente

Mesenterij impuritas quibus vrinis dignoscatur.

Ab errhinis in oculorum affectibus abstinendum.

Electuarium caput roborans.

misce

misceretur, excludendis, quovis ferè bimestri exhibito è *theriaca* ℈. ij. *cons. euphrasiæ* ℥. j. *rohob. sambuc.* ℥. j. ß. bolo fulsauit: reuellendi serositatem impuram in venis caput pertransuntibus, & depluentem ad oculos gratiâ, sacculum è *sem. erucæ* in vino coctum applicauit nuchæ; pone aures sustinuit vesicatoria. Deriuandis intercipiendisque iisdem cucurbitulas sub singulis nouiluniis ad venas iugulares vtrinque iam à semestri adhibuit, quòd serum impurum per venas frontis temporumque, quæ rami sunt iugularium externarum ad adnatam, inde per poros corneæ ad albugineum humorem fluere suspicaremur. Localia quod attinet, ad extergendas extenuandásve tunicas oculorum, præmissa fumentatione è *rad. valerian. fænugr. malua, meliloto; euphrasia*; modò guttam vnam alterámve *aquæ è calce viua* colore sapphirini, quam describit *Ans. Boot, lib. 2. de lap. ac gemm. cap. 293.* instillauit; modò de testis ouorum præparatis, oculis immisit modicum; modò ex aqua ophthalmica composita in hos vsus, modò aquæ nogallidis cærulææ aliquid. Ad validiora, præsertim illa, quæ è fellibus parantur, non deuenimus. Tantum autem profecimus, vt telarium ex: resecoriarum nihil appareat vltrà, & coniunctiua nunc sit tersissima; venæ saltem, præsertim cùm touentur oculi, maximè sunt conspicuæ, quas in rectè habentibus oculis latere notum est. Et ne quid nimium deesset ad obscuritatem in humoribus tollendam & causam continentem resoluendam, cùm medicamenta, nisi diutius inhærent oculis, vix extergere tunicas, multo minùs dissipare exsugereque vitiosas humorum dispositiones & concretiones posse colligeremus, inuento *H. Fabricij ab Aquapend.* quod describit ipse *P. 5. Oper. Chirurg. c. 26.* cuiusque meminit *Lalius à Fonte, cons. 27.* eo quo iubet Fabricius modo; rem executi sumus. Sed cùm eo sic vteretur Vir Magnificus supinus, & remoto ab oculis vasculo in aërem prospiceret, sentire se ajebat totum conclaue fumo densissimo repletum, qui tamen paulò pòst detersis & confricatis oculis euanesceret: cuius φαινομένου ea fortassis ratio, vel quòd oculorum effluuium, quo sine molestæ alterationis sensu carere nequeunt, sic impediretur, vel quò humidum externum, præsertim calens diúque incubans, oculos qui gaudent sicco, ita adficeret, vt spectrum fumi vel nebulæ ipsis obijceretur. Quid si compressio partium circumstantium oculos, facta per vasculum angustius, & cauum oculorum exactè replens, id effecisset? nec enim tale quid sentit, cùm pronus oculum in cochlear eodem liquore calente plenum immittit ibique detinet. Aliquid verò humoris crassi extranei ad oculos fomentatione istâ attractum fuisse negat subita idoli disparitio: heterogeneam verò crassamque materiam ammixtam humoribus oculorum, attenuatam resolutamque, & seipsa sic majorem factam esse, neque verosimile est, cùm in visus malo nulla sentiretur alteratio vel emendatio, post toties modo dicto vsurpatum liquorem attenuantem digerentemque. Etsi verò administratis iis, quæ totum conuenienter expiarent, viscerumque αἱματοποιητικῶν vitia corrigere, & expedire hypochondria possent (sæpiculè per dies decem duodecimve continuos, vsus est pilularum descriptarum scrupulo dimidio. ℞: *Aloës succo fœnic. impregnato* ℥. ß. *terebinth. Cypr.* ʒ. ij. *agaric. trochisc.* ʒ. ij. ß. *extracti rhab. helleb. nigri*, an. ʒ. j. ß. *scammon. prep. chrysops, salis gemmæ* an. gr. xviij. *castorei*, gran xij. *extract. rad. pæon. valerian* an. ℈. ij. *spec. diambr.* ℈ ß. Fiat cum *aqua fænic.* massa: è cuius drachma qualibet formentur Pilulæ Nº. xviij.) id effectum hactenus sit, vt notabilem in iis excessum, intemperiem & obstructionem obseruare non liceat: etsi capiti & cerebro, ita vt ad actiones facultatis animalis omnes sit expeditus adgressus, prospexerimus: circa omnia etiam sanitatis conseruationem concernentia se gerat prudentissimè, quippe μονοσιτῶν, & ne minimum quidem, quantum qui ipso familiariter vtor, iudicare possum, ipsa ἐκ διαίτης: ipsa quoque oculorum adnata tunica nunc conspiciatur purissima, absumtâ quæ obscuros reddere videbatur humores, cœnosâ membranâ venulas comitante: insuper fonticulus quem exeunte Nouembri proximo in parte siluestri cruris dextri, paulò supra tendinem latum excitaui, quòd virium oculorum, etsi suo modo idiopathicum id nunc sit, foueri tamen à toto, maximè à iecore iustò calidiore, & sanguine halituoso colligerem, fundat crassa, viscida, candore pus referentia plurima, diuersicoloria etiam multa, modò mera, modò sero diluta, omniáque ἐκ διαίτης, methodicè gesserimus; plus tamen haud profecimus, quàm quòd fortassis incrementum mali prohibuimus, nec tantillo emendata est, cæterùm nec auxit interea descripta in visu offensa: quæ ne propterea in suffusionem aliquando legitimam sensim adspectabilem degeneret, non frustrà metuimus. Istud enim, *si quis habet imagines sex mensibus, & continuatur sanitas oculi, eum esse in securitate*, sine euidente ratione ab *Aben-Sina, lib. 3. fen. 3. tr. 4. cap. 14.* dici, neque certum humori incrassabili, intra quod perfectè crassescat, tempus præscribi posse, sentimus. Nunc quòd incassum hactenus laborasse videamur, viam contrariam insistere, expectare nimirum maturationem suffusionis, eámque incrassatione promouere, eandem tum transpositum, poteramus;

Cucurbitulæ scarificatæ ad venas Iugulares.

Fabricij ab Aquapend. inuentum ad oculorum tunicas extergendas.

Pilulæ viscerum impuritatem blandè purgantes.

Suffusionis maturatio an expectanda.

eáque Collegæ cuiusdam Medici sententia est. Sed res hæc non videtur carere periculo, ideò quòd nullius hominis coniectura absequi valeat locum futuræ suffusionis, & an hæc transponi tum possit, nécne nemo definire audeat. Satius igitur, potamus reit, resolutionis discussionisque intentioni inhærere (*sæpe* enim *inuantis pertinacia soluit morbum*, inquit *Celsus*) ingeniisque omnibus mandare solitum, ù cerebro (hoc extra dubium omne constitutum esto) ad neruum opticum, qui ex eius substantia producitur, & dissolutus dilatatusque in tunicas oculorum abit, serum impurum reuellere deriuareque, præsertim cùm adfectus iste nullum dum adeò insigne impedimentum in legendo, scribendo, adferat patienti. In eum finem an cauterium in capo ad aurium radicem adponere, rationem cur hoc in oculis fluxione laborantibus, & imminente è nerui optici obstructione cæcitate, non possit non prodesse, aliquam dat *Fernelius Cons. xj.* meliorem *Riolanus* in *Schol. anatom.* vbi *de venis iugularibus*) An verò laqueum ad nucham, seu setaceum eligere debeamus, dubitamus; certi tamen alterutrum necessariò admittendum esse: & si quidem malum iam factum tolli non poterit, ob moram quâ inualuit, futurum tamen, diuinâ opitulante gratiâ, auerti sic posse, sperantes Frigidioris cerebri ac ventriculi gratiâ, & an absumendos pituitosos humores tam in toto quàm in capite resides, remedij calefacientis siccantisque, & quoquauersum penetrantis materiam suppeditare nobis *lignum Indicum, sassafras, & sarzam*, existimamus; eorumque cum *rad. borrag. polypod. & cichory, euphrasia, betonic. & anisi.* habitâ sic iecoris ratione, factum decoctum Viro Magn. vere proximo ad dies plures propinare constituimus, præmissâ rursus exquisitâ euacuatione, & deobstructis hypochondriis. Cùm enim magnæ sunt ægritudines non modò præsentes, sed & futuræ, si à lenioribus procedamus, vel etiam immoremur talibus, quæ nos δι' ὀλιγοδρανίας frustrentur, lõgum paramus ægroto interitum. *Gal. 5. meth. med. 15.* Super hisce, prætereàque an cùm oculi per essentiam, ob mali diuturnitatem laborent, ad validiora discutientia tutò adscendere possimus, consilium Viri artis Medicæ operibus clarissimi, & cui supra alios omnes deferimus meritò plurimum, requirimus, amplexuri quicquid Iste, siue tentandum ampliùs, siue omittendum in obscuro casu suggesserit, accepturique prorsus quicquid pro accerrimo iudicio suo, & immensa peritia, siue in dignotione adfectus, siue in curatione à nobis minùs animaduersum, excogitatum, administratúmve fuisse monuerit: χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς. Scriptum Aldeoburgo, xaij. Martij Anno 1632.

SCHEDVLA.

D. DANIELI SENNERTO, *THOMAS REINESIVS*, D.

SE condicto ad Vos mittimus, qui *Consilium* quod nomine Viri Magnifici te rogabam quodque auenter expectamur, ad Nos referat. Is ipse exhibebit simul pro præstita opera aureos Rhenanos quinque. Eos verò te accepisse vel verbulo significa. Spero autem te etiam posthac, pro humanitate tua summa, admissurum esse in literatum, vel, si Fata tulerint, colloquij commercium, Tuum serio adfectu & fide. REINESIVM. Scr. Aldeob. 6. April. Anno 1632.

EPISTOLA LXXVI.

PERIOCHE.

1. *In omni fluxione quæ consideranda.* 2. *Corneæ & aquei humoris vitium quomodo discernatur.* 3. *Vrinarum varietas hypochondriacæ dispositionis indicium.* 4. *Humoris natura in suffusione incipiente quomodo cognoscatur.* 5. *Quo temporis spatio suffusio generetur.* 6. *Setacei commodior operatio.* 7. *In suffusione validis remediis non vtendum.*

D. THOMÆ REINESIO, DANIEL SENNERTUS, D.

SAl. & Officia. *Vir Clarissime & Excellentiss. Domine & Amice honorande.* Me à te amari dudum è scriptis tuis animaduerti: & prodidisti istum tuum in me adfectum nunc etiam satis superque, dum de affectu oculorum diuturno Viri Magnifici, iudicium & consilium meum exquiris. Vtinam verò & tuæ, & ipsius expectationi satisfacere possim! Quod etsi promittere non queam, faciam tamen quod potero, ne vestræ voluntati defuisse videar. Exponam verò sententiam meam liberè, valdéque oro, ne sinistre accipias, si forsan qua in re dissensero. Non enim id contradicendi studio sed veritatis inuestigandæ gratiâ feci, quâ inuentâ, & morbo rectè cognito, remedia adhibere facile erit. Neque verò me vllo modo offendet, si rursus de dubiis capitibus, si tibi quæ videbuntur, tuam sententiam mihi liberè exposueris. Ita enim penitiùs in adfectus huius cognitionem veniemus, & veritatem inueniemus, quæ non semper in primo colloquio in Consultationibus Medicis se offert. Interim ea, de quibus conuenimus, hoc verno tempore adhiberi poterunt medicamenta, Vniuersales nimirum purgationes corporis, decoctum sarsæ, vel sassafras, & similia. Pro honorario quinque aureorum Rhenensium transmisso habeo gratias. Si porrò valetudini Viri Magnifici meo consilio inseruire potero paratum & promtum me semper habebit. Bene vale, & quod facis, me ama. VVitteborgæ, 9. April. Anno 1632.

D. DANIELIS SENNERTI CONSILIUM:

Pro Affectu Oculorum, suffusionem minante.

CVm Vir Magnificus primùm oculorum ταραξει certis periodis recurrente antehac hactenus tamen toto septennio cessante, laborauerit; nunc verò inter objecta visibilia, tam propinqua quàm remota, primùm ob volitantes quasi oculis culices, pòst verò expansas telas aranearum immobiles, quoquò vertat oculos semper sibi similes, in aliis tamen eiusdem visibilis partibus crassiores, in aliis subtiliores, continuò & in vtroque oculo adparere sentiat; certum est, ad oculum quandam præter naturam fluxionem fieri. Cùm verò in omni fluxione & pars mandans, & recipiens consideranda sit: Recipiens hic oculi sunt, iique proculdubio à natura debiles, & ad fluxiones recipiendas apti: quod ex eo patet, quòd sunt magni & prominuli, qui plerumque debiles esse solent. Qua autem in parte colligatur humor vitiosus, etiam perpendendum est. Etsi enim, quod forsan & hic accidit, plerumque in aqueo humore colligi solet; tamen nec illud *Auicenna* negligendum, interdum obscurissimas maculas esse in cornea, tametsi ab aliis non videantur. Ideóque perpendendum, cùm Vir Magnif. panni oculorum habuerit initia, annon aliquid vitij corneæ communicari potuerit, & in ea adhuc resideat; an saltem in aqueo humore sit vitium: quod forsan ex eo discerni posset, si inquiratur, an etiam itidem circa candelas videat, nécne. Mandantem equidem partem caput esse, quo seroso humore scateat, non negârim; sed an totus ille humor, qui ad oculos confluit, in cerebro generetur, an aliundè simul adfluat, diligenter ob curationem rectè instituendam considerandum puto; cùm notissimum sit, frustrà in oculorum & capitis adfectibus medicamenta solum caput respicientia adhiberi, cùm ex ventre inferiore, tanquam fonte, per venas & arterias humores vitiosi adfluunt. Metuo verò ne idem quoque in Viro Magnif. fiat, & serosa illa materia ex hypochondriis suppeditetur: idque vt credam, moueor eo, quod de venarum varicitate refertur: tales autem scorbuticæ, aut certè hypochondriacæ dispositionis indicium esse solent. An es hic subsit, præsens Medicus dispiciet, & attendet, an non ea mesenterij adfecti, & vicinorum viscerum laborantium signa esse possint, & annon crebra illa salinatio ex hoc fonte deriuari queat; præsertim cùm frequens biliosi humoris ad ventriculum ex iisdem locis confluxus fiat. Et cùm à cerebro solo fluxiones fiunt, potiùs per neruum opticum fiunt, cùm hic per venarum, aut forsan etiam arteriarum orificia, humores hos in oculos confluere, vel illud doceat, quòd præcessit ophthalmia periodica, & postea venulæ coniunctiuæ maximè conspicuæ, & vitiosis humoribus repletæ adparuerunt. Naturam autem istius humoris quod attinet, eum tenuem & subtilem esse id indicat, quòd non muscarum, culicum, aut similium nigrarum rerum imaginem, sed telas aranearum refert, & quidem non eiusdem generis, sed alibi crassiores, alibi subtiliores. Qua de causa etiam vix aliud grauius malum, vel suffusionem metuenda puto; & omnino bene nos sperare iubent *Auicennas* & alij *Arabes*, qui quod è *Gal. 4. de loc. aff. cap. 2.* sumsisse videntur, statuunt, si per menses sex, vel etiam quatuor duntaxat, eiusmodi imagines visui offerantur, nec oculus conturbetur, suffusionis metum nullum esse. Etenim si humor ad generandam suffusionem aptus sit, breui tempore, non solùm sex, sed & quatuor, imò duorum mensium spatio, crassitiem illam ad suffusionem generandam necessariam adquirit, in dies quoque ac sensim, quibus imagines istæ ad suffusionem tendunt, magis ac magis visus debilitari & imminui solet. Etsi verò meâ quidem sententiâ, suffusio non adeo metuenda sit, tamen malum curatu difficile erit, cùm tot annis iam natura ad hunc locum vitiosos humores deponere consueuerit, & proculdubio oculi iam è diuturno adfluxu debilitati sint. Ne autem malum augeatur, aut si possibile sit, vt etiam planè tollatur, necessarium puto, vt primò humores in mesenterio & hypochondriis latitantes conuenientibus medicamentis aliquoties & sufficienter euacuentur: ad quam rem tempus istud vernum commodissimum est; postea pilulæ annotatæ, paulò quàm hactenus maiore dosi breuibus interuallis exhibeantur. Deinde vt humores in venis reliqui, & qui in venis capitis sunt ad oculos confluxuri, imò in ipsis oculis iam hærent, absumantur & discutiantur, vtile foret decoctum ligni sassafras, vel sarsæ parillæ, cum euphrasia & sem. fœniculi paratum exhibere. Vbi corpus vniuersum ita sufficienter euacuatum fuerit, feliciùs reuulsoria & deriuatoria auxilia vsurpari queunt. Equidem superiore autumno fonticulum in dextro crure excitatum fuisse intelligo. Verùm potest ille quidem humores, qui ex ventre inferiora ad caput adscendunt, reuellere, ad eos autem, qui iam per venas iugulares adscenderunt in caput, deriuandos, alio auxilio, quod propiùs capiti admoueatur, opus erit. Cùm autem duo proponantur, cauterium in cauo ad radicem aurium, & setaceum; fonticulus quidem ille satis commodus esset; sed non video quomodo isto in loco sine deformitate gestari possit. Setaceum autem satis efficax est auxilium, & sine minori molestia, acu frigidâ potius quàm candente adplicatur. Vbi monendum, commodiùs adhuc istam operationem fieri posse, si sine forcipe, manu sinistrâ Chirurgus saltem cutem adprehendat, & dextrâ, acutissimâ acu cutem perforet. Vidi enim forcipem in acu traiicienda Chirurgo impedimentum & moram, ægro verò dolorem attulisse. Non tamen, quod etiam obseruaui, setaceum in diuturnis oculorum adfectibus, illud semper quod speratur, præstat; & licèt causam antecedentem in oculorum adfectibus tollat, continentem tamen vix tollere valet: quod si etiam Viro Magnif. accideret, proculdubio ipsum malè haberet, cùm molestum & dolorificum sit auxilium. Si tamen istud tolerare vellet, de euentu tamen isto antea monendus esset. Suaserim ergo, vt primò ista quæ dixi, & iam antè adhibita sunt vniuersalia remedia adhibeantur, iisque postea reuulsoria mitiora, vt fonticulus aliquis in brachio, vesicatoria singulis mensibus, Lunâ decrescente, post aures, lotiones pedum è cephalicis herbis frequentes, atque ὀξυδερκικὰ remedia, inter quæ *herniariam* in substantia seu puluere sumtam plurimùm profuisse scio, exhibeantur. Quibus si malum non augeatur, aut etiam imminuatur, non facilè ad fortiora, quorum tamen euentus incertus est, transeundum puto. Multò minùs validiora illa discutientia, quæ hactenus rectè omissa sunt, extrà adhibenda putauerim: nisi forsan vitium tantùm in cornea hæreat. Etsi enim in corneæ & adnatæ morbis sint vtilia; tamen non video, quomodo ad internas oculorum partes penetrare, humoresque ibi discutere & attenuare possint, ac si eò pertingant, quomodo id sine oculi, qui ἀπαλὸς est, læsione fieri queat. Et obseruatum, in eiusmodi oculorum adfectibus internis fortiora externa interdum plus damni, quàm commodi attulisse. Hæc hac vice consulere potui. Si quod dubium porrò occurrerit, lubens Viro Magnif. operâ meâ inseruiam. Scrib. VVittebergæ, 9. April. Anno. 1632.

In omni fluxione quæ consideranda.

Cornea & aquei humoris vitium quomodo discerni possit.

Venarum varietas hypochondriacæ dispositionis indicium.

Suffusio breui tempore generatur.

Setacei commodior operatio.

Valida discutientia extra adhibita in suffusione non tuta.

Ἀποσπασμάτιον, ex literis V. C. Dom. THOMÆ REINESII *ad D.* CAR. SPONIUM, *Lipsiâ datis 2/12 Iunij.* 1665. *Euentus dicti oculorum adfectus præter opinionem nostram talis fuit, quòd sensim remittere & ad ea, de quibus potissimum querebatur, procedere non esset necessarium.*

EPISTOLA LXXVII.

PERIOCHE.

1. *Auctoris anxietas ob vxoris obitum.* 2. *Consilium super affectu D. Ioh. K. 3. Silesij militis incursiones & deprauationes.*

D. MI

Digitized by Google

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

Id quod Tabellarius tibi narrauit, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, ita ſeſe habet, & proculdubio iam dudum quoque ex litteris meis, *Lipſiā* miſſis cognouiſti; vxor nimirùm mea poſtquam tota contabuerat, rebus humanis valedixit. Quem caſum etſi diu præuiderim, me tamen iſtâ ætate non parùm turbaſſe, facilè intelligis. Quid enim agam impoſterum? Res meas adminiſtrare & familiam regere ſine vxore difficilimum erit. Vxorem iterum ducere etiam non paucas difficultates habet.

Auctoris anxietates ab vxoris morte.

Quod viro ſtrenuo & Nobiliſſimo *Dn. Ioh. K.* melius aliquid, quam tu vel alij Medici præſentes hactenus fecerunt, conſulere poſſim, polliceri non habeo. Ne tamen voluntati eius deſim, pauca quidem in chartam conieci, quæ habent, vt ſequitur.

Conſilium ſuper affectu. D. Ioh. K.

Nach dem die perſon, ſo mir ihre leibes beſchwerung entdecket, vnd meines Rathes begehret, von jugend an ein mühſam leben in kriegen vnd Herren dienſten, vnd vielen reiſen geführet, iſt leichtlich abzunemmen, daſſ ſie nicht allezeit die beſte Diætam *wird gehalten, vnd dannenhero böſe feuchtigkeiten im vntern leibe, an denen orthen, da die ſpeiſe gekocht, vnd in blutt verwandlet wird, geſamlet habe, vnd deſſelben ein gutt theil in dem geäder, zwiſchen dem magen, leber, vnd miltz, vornehmlich vmb den miltz, ſtecken: von welchen* Affectio hypochondriaca, *mit welcher ohne zweifel die perſon beladen iſt, ihren vrſprung genohmmen hatt. Wann aber die* humores melancholici *von dem miltze, vnd nechſten* vaſis, *durch die* arterias, *oder pulſſadern, welcher der miltz viel hatt, in die andern gliedmaſſen können außgetheilet werden; ſonderlich wenn durch bewegung des leibes, zorn, oder ſchrecken, die* humores *allda beweget werden, als hatt hier auch ſeinen vrſprung das hertz klopfen. Denn weil der Miltz durch die* arterias *oder pulſſadern, mit dem Hertze ein groſſe gemeinſchafft hatt, ſo bald vmb den miltz etwas enge wird, treibt ſolches zum hertzen: darvon das langwierige hertz klopfen herkompt. Wen aber ferner die dunſte durch die* Arterias *ins haupt ſteigen, erwecken ſie allda groſſ hauptſauſen, ohrenklingen, vnd prauſen. Wie denn auch eben von dieſen* Humoribus *das weht in beyden ſeiten her kompt. Weil auch ohne Zweifel auff den* Hypochondriis *eine* materia tartarea per vrinam *abgehet, kan durch dieſelbige auch leichtlich ſchmertzen in nieren erreget werden. Es kan aber vielleicht auch der Wittiberſtand hierzu etwas vhrſach geben. Endlich weil auch der Herr von ſo vielen jahren den lincken ſchenckel gebrochen, vnd derſelbe nicht* curiret *worden, iſt nicht wunder, daſſ er an demſelben beſchwerung fühlet, weil die* Natur *gemeiniglich in die ſchwachen, vnd ſchadhafften gliedmaſſen die böſe feuchtigkeit zu treiben pfleget.*

Damit aber die beſchwerung, ſoviel müglich, abgewendet werde, hielte ich vor rathſam, daſſ vornemlich ein gutte Diæt *gehalten, vnd daneben die melancholiſche vnd andere feuchtigkeiten offte durch gebührliche,* medicamenta, *wie die anweſenden Herren* Medici *am beſten anorden können, möchten außgeführet werden. Ich vor meine perſon hielte darvor, daſſ darzu am bequemeſten wehren die* Pilulæ Tartareæ Querc. *welche mit dem* Extracto Hellebori nigri *köntten geſchärffet werden. Könte demnach der Herr die* Pilulas *mit* A, *gezeichnet, ihme bereiten laſſen, vnd von denſelbigen dieſen frühling etlich mahl drey ſtunden vor der frühe malzeit,* xx. *nehmen, vnd nach dem ſie zum erſten viel oder wenig wircken, hernach mehr oder weniger brauchen. Die andern tage aber könte der Herr, zu öffnung des geäders wechſelweiſe frühe brauchen, entweder von den Pillulen mitt* B *ſigniret, ſo nicht purgieren,* xv. *auf ein mahl, vnd darauff einen trunck huenner oder fleiſchbrühe thun, in welcher ein wenig* Radicum cichorij *oder* ſcorzoneræ *außgekochet wehre: oder von der Eſſentz (welche aber wol außgerühret werden muſſ)* xxx. *tropfen in einer fleiſchbrühe nehmen. oder von dem* Puluer, *auch in einer fleiſch oder hüenner brühe ein theil.*

Das Hertzklopfen aber abzuwenden, könte er offt von der Latwerg einer Welſchen nuſſ groſſ gebrauchen. Weil aber die kranckheit ſchon lange gewehret, vnd deſſwegen fleiſſige continuation medicamentorum *nöthig iſt, ſolche aber vielleicht dem Herren beſchwerlich ſein möchten, wehre anfänglichſten, wenn derſelbe etwa dieſen frühling oder ſommer einen Sauerbrunnen brauchen köndte: denn ſolche die* Materiam *beſſer* *als einig* medicamentum *außführen möchte. Mitt den* formulis Medicamentorum *will ich den gegenwertigen Herrn* D. Medicis *nichts vorgeſchrieben haben, ſondern habe dieſelbige nur darumb auffgezeichnet, damit ſie meinen* ſcopum *vnd* intention *darauff vernemmen können.*

℞. *Maſſa pilular. tartarear.* Querc. ʒ.ij. *pilul. de tribus, extracti helleb. nigri, panchymagogi*, an ℈.j. Fiant pilulæ è drachma j. xxx. Signentur A.

℞. *Trociſc. de cappar.* ʒ.j. *Extract. gentianæ, cardui bened. centaurij min. tartari vitriolati, zedoariæ*, an. ℈.ß. *croci Martis* ℈.j. Cum *Syrup. borrag.* F. pilulæ è drachma j. xxx. Signentur B.

℞. *Eſſentia ſcolopend. chamædr. meliſſ.* an. ʒ.ij. *zedoariæ* ʒ.ß. *Elixir. proprietatis* ʒ.j. Miſce. Signetur *Vermiſchte Eſſentz.*

℞. *Cremor. tartari* ʒ.ij. *tartari vitriolati* ℈.ij. *fecula ari, bryoniæ*, an ℈.j. Fiat puluis, diuidatur in partes ſex. Signetur *Puluer auf 6. mahl.*

℞. *Conſeru. meliſſ.* ℥.iij. *conſern. cuniculi, anthos*, an. ℥.ij. *rad. ſcorzoneræ condit. corticis citri condit*, an. ℥.j. *ſpecier. lætitiæ Gal. ſpecier. confect. de hyacintho, & confect. alkerm.* an. ʒ.j. Cum *Syr. borrag.* F. Electuarium.

Tu iſta ei, præmiſſâ à me ſalute, tranſmittere poteris. Miſiſſem id dudum, ſi vlla Tabellarij copia fuiſſet, nec etiam per Poſtam *Lipſenſem* id mittere tutum putaui, in belloruno hiſce tumultibus; cum *Miſnenſes* militi *Sileſio* iam pro hoſtibus habeantur, qui incendio, & rapinis, vſque ad quartum abhinc miliare animum ſuum ſatis erga nos declarauit. *Fœniculum* tuum *de Peſte* nondum accepi; ſpero ipſum hiſce nundinis *Lipſienſibus*, modo veſtris *Lipſiam* tutum iter ſit. Bene vale, & tuam ſaluta. VVittebergæ, die 6. April. Anno 1632.

Sileſij militis depradationes.

EPISTOLA LXXVIII.

PERIOCHE.

1. *De Tabellarij diſceſſu conqueritur.* 2. *De priuatarum & publicarum rerum ſtatu.*

D. MICHAELI DORINGIO, DANIEL SENNERTVS, D.

Feſellit me Tabellarius noſter Chriſtophorus, *Cl. Dn. Doctor, Compater & Affinis honorande*: Cum enim me de ſuo abitu manè certiorem feciſſet & litteras meas veſperi petiturum promitteret, poſtridiè ſummo manè abiit, & litteras meas reliquit. Interim meas *Lipſiā* te accepiſſe puto, cum Conſilio pro viro illo Nobili. A te verò, quod ſperabam, nihil proximis nundinis litterarum accepi, vt nec libellum tuum, quem tamen *Lipſiæ* iam proſtare audio. Peſtis iterum apud nos gliſcere incipit. Reliqua tam publica, quàm priuata, è latore, ciue noſtrate cognoſces. Hæc ne aliquam ad te ſcribendi occaſionem negligerem, volui iam ſcribere. Bene vale cum tua. VVittebergæ, die 28. Maij Anno 1632.

Doringio cur hæc pauca ſcribat.

EPISTOLA LXXIX.

PERIOCHE.

1. *Doringius cur iam breuius ſcribere cogatur.* 2. *Tractatum de peſte à ſe conſcriptum Auctori mittit, ipſiuſque iudicium ſuper eo rogat.* 3. *De tertio Auctoris coniugio rumores.*

D. DANIELI SENNERTO, MICHAEL DORINGIVS, D.

Breuius nunc ſcribere cogor, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, quia Chiragra, quæ me per octiduum exagitauit, dextram manum nondum totaliter deſeruit. In eodem malo his ipſis diebus *Dn. Affinis Daniel* circa carpum dextrum, primum inſultum pati cœpit, & etiamnum patitur. Rariùs ſcribo, quia & tu rariùs. Vtque verum fatear, pigreſcere iam non nihil ad ſcriptionem ſoleo, niſi ab aliis excitet. Conſilium tuum pro viro Nobili accepi. Miror verò quod id non petit, cum me id habere ſciat. Detinebo apud me, vſque dum petierit, & honorario gratum ſe declarauerit. Faſciculum meum *de Peſte*, quod nundinis *Lipſienſibus* non miſi, cauſa hæc fuit, quod noſtri Mercatores omnes equites illuc profecti ſunt. Ne igitur eo diutius priuaris quod aliàs reddi, nunc mihi faciendum putaui, vt nempe bino exemplari Chriſtophorum veſtrum oneratum ad vos remitterem. Quod vt boni conſolas & iudicium tuum ſuper eo candidè mihi exponas, officiosè rogo. Si quā gratiam apud Lectores me iſto labore promeruiſſe cenſueris, ſuſcepti laboris haud pœnitebit. Sin minus, lubens impoſterum, hac præſertim ætate abſtinebor; & ſimilibus laboribus ſuperſedebo. Deus peſtem apud vos gliſcere incipientem clementer reſtinguat, teque ab eadem cum familiâ tueatur. Sparſit nuperrimè

Doringius cur iam breuius ſcribere cogatur.

Auctoris iudicium ſuper Tractatu ſuo de peſte rogat.

MMm 3 apud

Digitized by Google

Rumores de tertio Sennerti connugio.

Senibus quales coniuges ſint eligeda.

apud nos *M. Sitſius*, te iam cum viduâ *Paulo-Hellvvigianâ* tertium initum. coniugium. Quod ſi ita eſt, vt benè cedat opto: Egebis enim in hoc ſenio bonâ curatrice. Quia tamen Chriſtophurus nihil de hoc negotio narrate potuit pro fabulâ tantiſper habeo; vſque dum ipſius per litteras id nobis ſignificaueris. Hoc vnum ſaltem te ſiue rogatum, ſiue monitum velim, vt de tali coniuge cogites, quæ te reuereatur, & hoc ſenio fida ſit, ac te benè curet: Tales enim cumprimis ſenes eligere decet. Bene vale. Dabam Breſlæ, die 5. Iulij, Anno 1632.

EPISTOLA LXXX.

PERIOCHE.

1. *Intermiſſum cum Doringio Litterarium officium ob temporum iniuriam dolet.* 2. *Afflicta Germaniæ vices deplorat.* 3. *Librum quartum Practicæ de morbis mulierum & infantium prælo breui ſe daturum ſignificat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Intermiſſum cum Doringio litterariũ officium ob temporũ iniuriam dolet.

SIlet ferè inter nos litterarium officium, *Vir Clariſſime, atque Excellentiſſime Domine Affinis, & Compater honorande*, non meâ culpâ, ſed temporum iniuriâ, quâ Tabellariis noſtris pænè ad vos aditus præcluditur. Semel atque iterum per ordinarium *Lipſienſem* Tabellarium ad te ſcripſi, ſed quia iſtâ occaſione ad reſpondendum nunquam vſus es, eam tibi minus placere exiſtimaui, nec eâ poſthac vti volui. Quia verò hic mihi Tabellarius noſtras oblatus eſt, iſtam ſcribendi occaſionem negligere nolui; etſi adeò multa, quæ ſcribere poſſim, & auſim non habeam. Publica enim tibi æquè ac mihi ignota eſſe puto; cùm nemini non ſint notiſſima. Deus tandem afflictæ, & ferè perditæ Germaniæ miſereatur, & ei priſtinam tranquillitatem, ac pacem reſtituat! priuata quod attinet, qualis meus ſtatus ſit, facilè colligere potes. Inter iſtas publicas, & priuatas calamitates, quibus iam peſtilentia accedit, & intra atque extra oppidum, ſerpere incipit, à meo inſtituto non deſtiti, & *librum quartum Practica de morbis mulierum, & infantium* abſolui, qui, ſi Deus volet, proximis nundinis *Francofurtenſibus* lucem aſpiciet. Vt exemplar proximis Nundinis *Lipſienſibus* per ciues veſtros, accipias, curabo. Spero te ab iiſdem proximis nundinis meas litteras accepiſſe. Tuum *de peſte Tractatum* nondum vidi. Saluta tuam, & bene vale, VVittebergæ, die 18. Iulij, Anno 1632.

Afflicta Germania vices deplorat.

EPISTOLA LXXXI.

PERIOCHE.

De peſtilentia graſſante, & milite Saxonico pacem Germaniæ affulgentem interturbante.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Miles Saxonicus affulgentem Germaniæ ſpem interturbat.

SCur rariùs nunc ad te ſcribam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, cauſam ſcripſi in litteris per curſorem veſtrum Chriſtophorum ante menſem ad te miſſis. Anhelamus & nos pacem; quam tamen miles *Saxonico-Brandeburgicus* nobis inuidere videtur; qui vti fama fert, in noſtram *Sileſiam* irrupit. Doleo veſtram vicem ob peſtis periculum: Eadem vicinos etiam nobis pagos quoſdam inuaſit. Deus clementer prohibeat, ne ſemina ipſius & intra noſtra mænia furtim deportentur. Quod ſi fortè fiat: ſatius tamen fuerit, vt in manus Domini, quam hoſtium, incidamus: ſic dictante Regio Pſalte. Mittebat hodie ad me *D. Conradus* percontatum, numquid certi quid mihi innotuiſſet, de grandi tempeſtate, quæ apud vos antè aliquot ſeptimanas obortam, nonnulli ſparſerunt? Miratus ſum, quod de illâ tu nihil ad me ſcripſeris. De abſoluto quarto *Practicæ* libro tibi gratulor. Ciues noſtri num *Lipſiam* ad nundinas Autumnales profecturi ſint? ſcit ille ſolus cui futura inſtar præſentium ſunt. Si proficiſcentur; mittam & ego per ipſos meum *de Peſte* (quoniam Tabellarius eum proximè præter ſpem reliquerat) *Faſciculum*, Iam enim ob periculum viæ nec cum hoc Curſore mittendus mihi viſus eſt. Quia tu de tertio coniugio ineundo iam nihil adieciſti: ideircò rumorem illum *Sitſianum* pro fabula habeo. Bene vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 6. Auguſti, Anno 1632.

EPISTOLA LXXXII.

PERIOCHE.

1. *Doringij ſilentium miratur, illudque tandem rumpat, hortatur.* 2. *Quintum Librum Practicæ in lucem breui daturum pollicetur.* 3. *Si quid de natura & curatione Plicæ Polonicæ experientiæ conſentiens obſeruarit, ſibi communicari deſiderat.* 4. *De D. Comitis Poloni ſtatu certiorem fieri peroptat.* 5. *Auctor Ophthalmia corripitur.* 6. *Doringij conſilium pro huius affectus curatione poſtulat.* 7. *Publicarum rerum quis ſtatus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Doringij ſilentium miratur.

SValdè miror, *Clariſſime, & Excellentiſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod vtrimque in tanto belli & peſtis periculo verſamur, tanto temporis ſpatio nihil ad me litterarum dediſti, nec tuarum rerum ſtatum mihi expoſuiſti, nec meum exploraſti. Ego ſanè dudum ad te ſcripſiſſem. Si Tabellarij copia mihi fuiſſet: Neque etiam iſta, quæ per Ordinarium *Lipſienſem* eſt, occaſione vti volui; quum viâ iſtâ nunquam hactenus ad mea reſponderis.

Auctor de Doringij ſtatu ſollicitus.

Quia verò interim tempus protrahitur, & me ſtatus veſter valde ſollicitum habet, ſilentium hoc rumpendum, & hac ipſa via, quia commodior alia non datur, litteras has ad te exarandas putaui. Rogo ergo, vt per hunc ipſum Tabellarium primâ occaſione me edoceas, quis hactenus fuerit & adhuc ſit, tuus, tuæ vxoris, & *Dn. Danielis* Affinis ſtatus.

Quintum librum Practicæ in lucem breui daturũ promittit.

De reliquis, quæ ſubiungam, capitibus, ſi hac occaſione reſpondere commodum non fuerit, poterit id proximis nundinis *Lipſienſibus* fieri. Animum equidem pænè abiecceram de continuandis reliquis libris *Practices*. Ab Amicis tamen admonitus, *quintum* in manus iterum ſumſi, & maximam eius partem abſolui. Qui ſi Deus volet, proximis nundinis *Francofurtenſibus* lucem aſpiciet. In quo, cum & *de capillorum vitiis* tractandum fuerit, *Plicam Polonicam* præterire non potui. Quum verò de eâ nihil in publicum extet, præter aliquot *Italorum* tractatus, qui ferè inanes ſpeculationes contineant; Tu verò in vicinia *Poloniæ* viuas, à te amice peto, vt ſi quid de natura & curatione huius morbi comperiſti, quod cum experientiâ conſentiat, id mecum candidè quamprimum communices; quod pariter proximis nundinis fieri poterit.

Et quia morbus hic mihi in memoriam reuocat *Comitem* noſtrum *Polonum*, qui hoc morbo, & Scorbuto (qui affectus in multis ſymptomatibus conueniunt, præcipuè antequàm Plica erumpit) laborabat, ſimul oro me certiorem facias, an adhuc in viuis ſit, vbi viuat, & quomodo valeat, & an *D. Pontanus* cum eo ſit, vel *Vratiſlauiæ* viuat. Cæterùm, meum, & meorum ſtatum quod attinet, ſumus Dei benedictione adhuc ſalui, & incolumes, niſi quod hactenus lenta quædam Ophthalmia mihi moleſta fuit, quæ ante dies 10. ſubitò incrementum ſumens, facit, vt litteras has meâ manu ſcribere non potuerim. Ea eſt ſine omni dolore, ſed à ſero melancholico ortum habens, proptereà contumacior. Quantum conijcere poſſum ex aliis indiciis, prouenit materia ex ſiniſtro hypochondrio, & magis per arterias, quàm per venas fertur. Sollicitum me iſta valdè habet, ideóque ſi quid conſilij habes, qua ratione fluxum iſtum ab oculis auertere poſſim, id mihi communica. Publica quod attinet, non opus eſt, vt aliquid addam, cum nemini non nota ſint. Nos equidem hactenus in vicinia ab hoſtili incurſu immunes fuimus, malorum tamen ſatis eſt, quod à noſtro milite patimur. Deus tandem pacem reſtituat. Bene vale, & tuam ſaluta. Vittebergæ, die 26. Nou. Anno 1633.

Auctor Ophthalmia corripitur.

Doringij conſilium pro huius affectus curatione, rogat, publicarum rerum ſtatus.

EPISTOLA LXXXIII.

PERIOCHE.

1. Doringij vxoris obitus. 2. De Pestilentiariorum Medicorum interitu. 3. De Auctoris Ophthalmia curatione, Doringij iudicium.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Diuturnum tuum silentium, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, non minus admiratus fui hactenus, quam tu meum. Eadem verò mei, quæ tui extitit causa. Accessit deinceps altera: Obitus nempè meæ quondam coniugis charissimæ & curatricis fidelissimæ, die 7. Nouembris, cuius quoties recordor, (recordor autem in singula ferè momenta) non sine lachrymis recordor. Obiit autem peste cum carbunculo insigni in scapula dextrâ. Retinuit optima coniux per triduum ad minimum malum, cum nullo nobili symptomate affligeretur. Ad vsum nobilissimorum expulsiuorum, ne guttula sudoris elici potuit. Hortatu igitur Amicorum post obitum ipsius in horto meo contiguas ædes concessi: In quibus per Dei gratiam saluus, & sanus, adhucdum cohabito, *Dn. Affine Danieli*, cui ob idem periculum per menses quasi duos eandem habitationem indulseram. Reuersurus in pristinas ædes bono cum Deo ad instantem nouum annum, qui vt pænè decurso sit felicior, ex animo opto. Abstulit nobis pestis tres Medicos pestilentiarios, *Eringium*, *Myncerum*, & *Conradum*, meum nuper collegam etiam factum, & in *Crentzmanni* è phthisi defuncti locum surrogatum. *Polnerus* reliquos quoque secutus est, postquam parenti suo à peste decumbenti incautiùs forte adstiterat. Nostrum numerus, raro vtique exemplo, ad denarium nunc est redactus.

Doringij coniugis obitus.

Pestilentiariorum Medicorum interitus.

Spero autem te ex Genero tuo, coniugis meæ obitum resciuisse: quippe cum per *Dn. Chrystophorum Hubnerum* Ciuem nostrum, qui Comes fuit Legato nostro *Dresdam* vsque, nunciari potuit. Ita scil. & me ex improuiso dolor, quem tu bis non sine cordolio sustinuisti, sed Dei nutu & Auxilio fortiter superasti, occupauit. Rem familiarem quàm grande sit curare ignoro, meo iam malo edoceor, sed forti animo ferendum, quod mutare non licet. De Plicæ Polonicæ curatione quod scribam nihil habeo. *Dom. Comes Sapiecha* num & vbi viuat me latet. *Dominus Pontanus* nobiscum commoratur. Ophthalmiam tuam quod attinet, facilè tibi quoad causas & generandi modum assentior. Recordor autem nunc affectus illius dolorifici qui te singulo manè per aliquantum temporis spatium alias affligere solitus est. Setum itaque vt omnibus modis & per omnes vias euacues & ad inferiora deducas, operam dabis. Antim. diaphor. conf. rufraf. vel decoct. chinæ. lor. onum item pedum, aut fonticuli in crure sinistro vsus an tibi profuturus sit? ipse cogitabis. Euacuantia quin præmiseris nullus dubito. Setaceum quidem multum creat molestiæ, quantum tamen emolumenti in affectibus oculorum attulerit, *Fabritius* docet in suis *Observationibus*. Sed hæc omnia tuo committo iudicio & arbitrio. Deus nos tandem pace secutâ beet & exhilaret, de qua nulla tamen spes adhuc nobis affulget. Bene vale & cum tuis salue. Dabam Breslæ 21. Dec. S. Thomæ sacro, Anno 1633.

De Ophthalmia Auctoris curatione.

Setaceum in affectionibus oculorum vtilissimum.

PHILIPP. IACOB. SACHS A LEVVENHEIMB, Lectori S. P.

Hucvsque in MSS. Exemplari inueniuntur descripta Epistola, nec alias præter authenticas simul his additas inuenire licuit Responsorias, quarum etiam aliquas periisse constat. Crediderim & Praxeos acuta negotia, & bellicas turbas ingrauescentes, & morbi podagrici Doringium crebrius infestantes insultus, interrupisse vtilissimum & eruditissimum hoc litterarium commercium.

EPISTOLA LXXXIV.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringij defunctam coniugem dolet. 2. Publicarum rerum status miserandus. 3. Auctor Ophthalmiæ suæ contumaciam Astris tribuit. 4. Quid & pro aliis doloribus sedãdis quibus vexabatur, præstiterit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Operatim, *Clariss. Dom. Affinis & Compater honorande*, te diuturni tui silentij aliam causam afferre potuisse, quàm hanc, vxoris nimirum tuæ Charissimæ obitum, quem vehementer doleo, non tam ipsius causâ, cui iam bene est, & quae has omnes, in quibus versamur, calamitates effugit, sed tui inprimis, qui, vt confido, sociam vitæ fidam, & in crebris morbis, tui & tuarum rerum curatricem sedulam amisisti. Verùm Domino ita placuit. In eius voluntate acquiescamus, & nos ad idem iter præparemus. De obitu vxoris nihil dum resciui, neque *Dom. Christophorus Hubnerus* per Generum mihi aliquid de eo nunciari iussit. Nuper, & ante paucos saltem dies, *Nobiliss. Dom. à Zedlitz*, Consiliarius Ducis Biegensis aliquid de eo significante: Verùm ipsi, non ex *Silesia*, sed *Francofurto ad Mœnum* huc venienti, fidem habere nolui.

Auctor Doringij vxorem defunctam dolet.

Meum & rerum mearum statum quod attinet, est quod Deo gratias agam: nisi quòd publicus Reipubl. status apud nos miserandus est. Habemus hic ad biennium militem præsidiarium, ferè semper 1500. quem dum oppidum & vicina regio alere cogitur, tota perfunditur, & ita infelix & miserandum nostrum bellum est, quod plus amicis quam hostibus nocet. Academia præterea tota fere dissipatur, & dum fisci nostri debitores milites alere coguntur, nobis quod debent non soluunt, & ita nostris stipendiis caremus. Ophthalmia mea me valde sollicitum habet, ad quam, si Astrologis fides habenda, facit Solis situs in via lactea in genesi, cum quo iam in transitu coniungitur Saturnus, & ipso die natali pariliter coniunctus erat. Seti per sudores euacuationem copiosam habeo, cùm ab eo tempore, quo quartanâ laboraui, quod ferè ante annos viginti contigit, singulis diebus, circa horas matutinas copiosè sudem. Miror verò, quod sudores isti, illud, quod in oculis, & cruribus, & interdum aliis quoque corporis partibus, mihi molestum est, non exhauriunt. Ante annos iam aliquot, fonticulum in sinistro brachio excitari curaui: verùm cùm is non satisfaceret, alium ante mensem in ouchis aperui, quem idem, quod setaceum, præstiturum spero. Et quia dolores illos in cruribus & pedibus, singulis ferè diebus manè percipio, curabo vt alius fonticulus in sinistro crure excitetur, & ille in brachio occludatur. De quo tamen tuum iudicium exspecto. Purgationes, quibus parum adsueui, difficulter tolero, & post eorum vsum tota ferè œconomia corporis turbatur, coctio inprimis in ventriculo & hepate læditur, aluus obstruitur, atque inde pejùs habeo. Quia *in libro 5. Practicæ*, inter capillorum affectus, omnino Plicæ Polonicæ mentio facienda fuit, inserui historiam morbi *D. Comitis* nostri, non tam meis, quam *D. Pranotij* Professoris Patauini, & *D. Franc*, Medici eius domestici verbis. De eo dubito, an ex medicamentis quædam, quæ adhibita sunt, adiicere debeam. De quo tuum iudicium expero. Sed vt responsum per tabellarium *Lipsiensem* matures oro cùm operæ typographicæ festinent. Bene vale. Salutant te omnes mei. VVittebergæ, pridie Cal. Jan. Anno 1634.

Publicarum rerum miserandus status.

Auctor Ophthalmiæ suæ contumaciam astris tribuit.

Quid prouarus doloribus sedandis præstiterit.

EPISTOLA LXXXV,

PERIOCHE.

1. Mira Doringij erga vxoris memoriam obseruantia. 2. De Patriæ calamitatibus à Præsidiario milite: 3. Ab Auctore de ipsius Ophthalmiæ causa dissentit: 4. Arthritidis nouis doloribus cruciatur.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

S Et Prosperrimos noui Anni successus! Quòd dolore tam pio, suauissimæ quondam vxoris meæ occubitum sentis, *Clar. Dom. Affinis, Compater plurimùm honorande*, illud ipsum hoc est, quod de tanto amico constantissimè semper mihi pollicebar. Coniunxisset vtinam! vtinam coniu ller

nimisset Numen, ut tot coniugij fecta transmisissemus quot annos! Sed quemadmodum tale votum, extra omne est votum: ita omnino placeat Deo quod placuit, ex cuius arbitrio sortes nostras vtricè constare, vel fex plebis agnoscit. Vero quidem est verius, talem consortem amisi, qualem vix dies dabit: sed taliter ipsam vicissim lugeo, qualiter quisquam aliter vix potest; nisi supra communem mortalitatem plus nimis magno æstimio pendeat, quod amat. Transeant tamen ista, transeant. Neque enim opus est apud te, mi Dom. Compater, numerosa oratione deducere, quod antè credis; neque desunt porrò Amicorum testimonia: quorum vel, vnà sub parentationem *Reuerendi Dom. M. Michaelis Hermanni* nostri plurima collego: ita vehementer inprimis desideratissimum te exposco: dum vel marmorea tabula quam erigimus, supra talem affectum & manum, maius astendere non possit. Cæterùm de incolumitate tuorum tantoperè gaudeo, quanto quidem ipse vix queas: ita etiam, vt leuiter feram, quæ de tumultibus bellicis, mihique præsidiario accusas. Vna eademque vehimur naui, atque vniuersa Patria nostra nihil anxiùs quæritur, quàm sub tam speciosa Amicitiæ larua, tantas sibi clades adsciscit, quantas apertus aliquis Hostis, inferre duriùs non possit. Sed ab istis lachrymis, in Ophthalmiam tuam adueto. Illius equidem causas, vti tu astrologicè proponis, ita ego, sed pace tuâ, magis in continuas lucubrationes reiicio, quibus incredibile est, quantum te largiaris. Tuo ipsiusmet iudicio firmabitur, quàm vehementer vigilijs crebris cerebrum incalescat. Vnde sicuti molestum tuum serum fortiùs attrahitur: ita procliuiùs postea ad partes debiliores, insigni cum damno defertur. Inprimis igitur imposterum hac parte tibi temperabis. Et siquidem purgationibus ægerrimè habet, cogita tecum Scorbuticos purgationes vt maximè lædi; & videbis num Antiscorbuticis plus possit proficere. Fonticulum in sinistro brachio citiùs claudere antequam ille in nucibus satis respondeat, non suadeo. In crure vt nouus aperiatur, omninò consentio, siquidem eò serum, vtpote ad locum commodiorem, deducitur & reuellitur. Quandoquidem autem planè a catharticis abhorres, quia ferre non potes: planè inducor, te enematibus conuenientibus maximè subleuatum iri. De editione *quintæ tuæ Praxeos partis*, prolixissimè nobis gratulor. Et cur non *Praeuotij* de Plica consilio, medicamenta assignas? Causas non video, dum sanior omnis, omnis candorem tuum exosculari queat. At vt longiore epistolâ tecum iam agam, *compater Colendissime*, familiare Arthritidis meæ malum non admittit. Non solùm enim huc vsque in duodecimum diem, ex vtroque pede & genu, miserè laboraui: sed heri etiam eò vsque incrementa sumpsit affectus, vt vtraque manu nunc capiar, hocque quodcunque vides, vicariâ *Christiani Cunradi*, communis amici nostri, *Dom. D. Caspari Cunradi p.m.* filij natu maioris manu perfecerim: qui vt quà par est submississimè, sua officia, cum honorificentissima salute tibi defert: ita proximo tabellione, ipse ad te viset, & quod iam abs me, pro Vxoris meæ memoria poscitur, etiam in charissimi Parentis sui nomen orabit. Bene & feliciter vale. Vratislauiæ, prid. Non. Febr. Anno 1634.

Mira Doringij erga vxoris memoriam obseruantia.

Patriæ calamitates à præsidiario missæ.

Scorbutici purgationes læduntur.

Enemata, purgationis vices supplent.

EPISTOLA LXXXVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor, Mercurij vitæ vsum damnat.* 2. *De Patriæ rerum statu.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S. *Clarissime & Excellentiss. Dn. Affinis, & Compater honorande.* Persuaseram mihi tabellarium hunc iam dudum ad vos abiisse: hodie demum cognoui, cum metu militum hinc inde migrantium, adhuc hîc hærere. Interim tuas accepi, & ex its, vt & *D. VVinckleri* literis intellexi, fasciculum illum à me missum rectè ad eum peruenisse. Quia verò ex tabellario intelligo, eum *Bregam* excursurum, poterit illi meas ad *D. VVincklerum* tuis inclusas, ad illum perferendas tradere. Cur de Mercurio vitæ proximè ad te scripserim, caussa est, quòd Medicus quidam *Halberstadiensis*, planè surdus, multum scribendo & Mercurium suum vitæ, quo Panaceæ instar vtitur, laudando, & meum suffragium ambiendo, mihi creat molestiæ. Sed me applausorem vix habebit. Mercurio vitæ vtatur per me licet, qui valet. Ego infuso vitri antimonij ad grana iv. in malancolico, hac æstate semel atque, iterum vsus sum. Quid de *Silesia* vestra fiat, si ad me perscripseris, gratum erit. Nos enim hîc nihil certi habemus: Nos hîc in magno versamur periculo. Tota *Misnia*, inprimis ditio *Lipsiensis* milite Electorali: contrà Episcopatus *Magdeburgensis* & *Halberstadiensis* Suecico repleta est. Elapsà proximè septimana Legati Suecici apud Electorem nostrum *Lipsiæ* fuerunt. Quid inter eos actum, nondum palam est. Deus faxit, vt inter se conueniant. Aliàs de nobis hîc actum erit. Bene vale, & cum tua à me & mea salue. Dabam VVittebergæ, 10. August. Anno 1635.

Auctor, Mercurij vitæ vsum damnat.

Patriæ rerum status.

EPISTOLA LXXXVII.

PERIOCHE.

1. *Doringio sanitatem felicem precatur.* 2. *De periculoso Silesiæ statu.* 3. *Suecorum de Germanis victoria.* 4. *Freytagij in Sennertum inuidia, huiusque de variorum operum editione anceps animus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SAlutem, annumque nouum felicem. Quòd arthritis, *Clarissime Dom. Affinis & Compater honorande*, te ex longiore interuallo inuasit & paroxysmus tolerabilis fuit, gaudeo. Deus faxit, vt pilulæ tuæ, quòd spero, multum tibi prosint. Statum *Silesiæ* adhuc satis periculosum esse audio: dum hinc Reformatio, illinc exactiones & milites eam premunt. Quæ de causa traditio *Lusatiæ* suspensa, caussam certam nondum percipere licuit. Hic saltem vulgò fertur, præsentiâ *Electoris* nostri opus esse. Sueci nondum sese accommodant, contra quos hactenus Marte non satis felici Elector noster pugnauit. Interim vrbes & pagi vastantur, & miles, quo forsan aduersus Turcam opus esse posset, perditur. Mitto iam librum sextum & vltimum *Practicæ*. Atque ita laborem hunc, Deo benedicente & vitam largiente, absolui, quod via sperare potui. Spero apud bonos me aliquam initurum gratiam: etsi *Freytagius* ferè insaniat & maledictis victoriam quærat. Quæ res ipsa facit, vt de editione *Hypomnematum Physicorum*, quæ sunt, *De principiis, de occultis qualitatibus, de Atomis & mistione, de origine viuentium, & de spontaneo viuentium ortu*, quæ iam absoluta habentur, dubitem; etsi docti viri me ad editionem hortentur. Verùm *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.* Tu verò cum tua bene vale, & à nobis salue. VVittebergæ prid. Cal. Ian. Anno 1636.

Silesiæ periculosus status.

Suecorum de Germanis victoria.

EPISTOLA LXXXVIII.

PERIOCHE.

1. *Auctori duo in sexto Libro praxeos Medicæ legisse significat, quæ ipsi non satisfaciunt, de Basilisco scilicet & nuce vomica, de quibus vt clariùs mentem aperiat, eum rogat.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S. Pro exemplari *sexti libri Praxeos Medicæ*, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, gratias officiosas ago. Peruolui aliquid in eo: & duo præcipuè occurrerunt, de quibus sciscitari hac vice ex te placuit. Prius est de *Basilisco*, quem tu *pag. 19.* emortuum nihil noxæ inferre scribis, cùm viuus tam nocinus sit, citasque *Epitomes tuæ Physicæ lib. 7. c. 10.* Inquisiui in prima editione: sed nihil tale in ea offendi. Alteram videre mihi non contigit: Neque frustrà eam videre velim. Scripsi enim olim ante meum è *Giessa* discessum, aliquid de hoc monstro; Idque dari, tum temporis asserui, potissimùm persuasus *Ioh. Pincieri* fide. Optarim itaque, vt & tuam sententiam super hac re cognoscere possem. Posterius est *de Nuce vomica*, quam tu, *suo loco*, etiam hominibus venenum esse doces, contra alios contrarium assuetantes. Et miror, te ex, quæ in *Annotat. ad tractatum VVillichij de Peste*, in medium produxi super hac materia, sicco planè pede pertransiisse. De quibus item quid sentias, scire velim. Vale Raptim Breslæ 4. Februar. Anno 1636.

De Basilisco mortuo Auctoris iudicium.

Nux vomica an venenum.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXIX.

PERIOCHE.

1. Quid de Hypomnematum physicorum editione Auctor præsagiat. 2. Publicarum rerum statum in peius denunciat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS. D.

Quid de Hypomnemati physicorum editione Auctor præsagiat.

SAl. & Officia. *Clarissime & Excellentissime Dom. Doctor, Affinis & Compater honorande* Ieci tandem aleam, & *Hypomnemata Physica* edidi, atque ita finem scribendi faciam. Concitabo fortsan aliquos in me crabrones: Verùm veritas odium parit. Mitto eorum duo Exemplaria, quorum vnum tuum sit: Alterum, vt *Dom D. VVincklero* cum literis adiunctis, prima sed certa occasione mittas, oro. Publica tranquilliora non fiunt, sed in dies perturbatiora. Statum harum regionum è mercatoribus vestris cognosces. Eum enim literis describere, prolixum foret. Bene Vale cum tua, & à meis salue. VVittebergæ, 8. Octobr. Anno 1636.

EPISTOLA XC.

PERIOCHE.

1. De Mutis & surdis epipistolas à Doringio scriptas communicari sibi flagitat. 2. Patria statu semper calamitosus.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

De Mutis & surdis natu Doringij epistola.

SPero, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande,* e literas tuas intereà excussisse, aut certè Epistolas *de surdis & mutis natu* olim descriptas inuenisse. Rem gratissimam mihi feceris si eas hac occasione transmiseris. Considerabo ea omnia diligenter: fortsan in tuam ibo sententiam. Literas meas cum *Hypomnematibus Physicis* te *Lipsiá* accepisse spero, & alterum Exemplar *Dom. VVincklero* misisse. Publica sunt in antiquo statu, nec dum vlla spes Pacis affulget, sed omnes penè finitimæ regiones à milite vastantur. Deus tandem nostri misereatur. Literas additas tabellario

Patria status semper calamitosus.

huic, si *Bregam* excurret, tradas: sin minùs, alia certa occasione *Domine VVincklero* mittas. Tu verò bene vale. VVittebergæ, 8. Nouembr. Anno 1636.

EPISTOLA XCI.

PERIOCHE.

1. Doringij iudicium de animalibus viuiparis, lac an habeant antequam fiant grauida. 2. De surdis & mutis natis epistolas Auctori mittit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Doringij iudicium de animalibus viuiparis, an lac habeant priusquam fiant grauida.

S. *Clarissime Dom. Affinis, & Compater honorande.* Legi nonnihil in *Hypomnematibus.* In *fine primi, pag.* 85. asseris: animalia viuipara lac non habere, antequàm grauida fiant. Certè contrarium *Giessa* docuit Capra; Canis mea antehac domestica; Virgo, quæ parentem fame necandum vberibus lactauit, & à morte præseruauit. Nimirum cùm, vt *pag. seq.* rectè scribitur, Deus mammis facultatem è sanguine lac generandi tribuerit, etiam sine ingrauidatione, crebro suctu, vel tractu, lac tandem elici poterit. Mitto hîc promissas *de surdis & mutis natis* Epistolas, quas aliquando publicare animus erat, cum Oratione *Salomonis Alberti* de hoc argumento habitâ. Perpendas vtriusque fundamenta diligentiùs, & vtrius veritati magis respondeant, dispicies. Vale. Datum Breslæ, die 9. Decembr. Anno 1636.

EPISTOLA XCII.

PERIOCHE.

1. Auctor mentem suam de lactis generatione limitat. 2. De mutis & surdis natis quid sentiat. 3. Germania ab externo & domestico milite deuastatur.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Auctor mentem suam de lactis generatione limitat.

De surdis & mutis natu quid sentiat

SAl. annúmque nouum felicem! *Clarissime & Excellentissime Domine Affinis, & Compater honorande.* De Lactis generatione in *Hypomnematis Physicis*, spectaui id, quod plurimùm euenit, & primariam Naturæ intentionem, quæ ideò lac generat, vt fœtus eo alatur. Aliàs, quid de quæstione illa, *An virgines lac habere possint*, sentiam, exposui *lib. 4. Practicæ, cap. de Virginitate.* De surdis & mutis cogitabo ampliùs, & fortsan vtramque caussam coniungam, vt scilicet admittam, surdos ob auditus defectum nullam linguam discere posse; coniungam tamen & alteram caussam, nimirum neruum communem læsum. Non enim video, quomodo probari possit, ob priuatum auris vtriusque (nam vnius auris vitium surditatem non inducit) vitium, surditatem à natiuitate fieri posse. Bellum adhuc durat, & passim regiones vastantur. *Banier* cum exercitu iam in *Thuringia* venit, & *Erfordiam* obsidet. Nos quidem hîc ab externo hoste hactenus nihil mali passi sumus: interim domesticus omnia vastat, & præsidiarius istam, vrbem, quam miserè pessundat. Ego quidem nihil, Dei beneficio, ab eo mali passus sum: sed quantum mali vicini ciues quotidie ab eo patiantur, cum gemitu video. Nec tamen spes vlla pacis adhuc apparet. Cura, quæso, vt literæ hæ rectè *Bregam & Bernstadium* perferantur. Benè vale, & cum tua, à me meis salue. VVittebergæ, prid. Cal. Ianuar. Anni 1637.

EPISTOLA XCII.

PERIOCHE.

Ab Auctore Doringius de surdis & mutis natis dissentit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

De mutis & surdis natis ab Auctore dissentit.

S*Clarissime & Excellentissime Domine Affinis, & Compater plurimum honorande.* De surdis & mutis statuas licet, quod libet, Mea enim nihil interest, modò videas vt ad veritatem collinees. Illud miror, quo modo ex præcipitantia ista scripseris: *Non enim video, quemodo probari possit, ob priuatum auris vtriusque (nam vnius auris vitium surditatem non inducit) vitium surditatem à natiuitate fieri posse.* Perpende ea ipsemet diligentiùs, & facilè videbis, nihil omninò ista per te concludere, sed contrarium potiùs euincere ***. Bene vale. Datum Breslæ, die 25. Febr. Anno 1637.

EPISTOLA XCIV.

PERIOCHE.

1. *Auctor surditatis & mutitatis à natiuitate caussam fusius explicat.* 2. *De scripto D. Marci quid iudicet.* 3. *Patriam à Suecis deuastatam plorat.* 4. *De motu projectorum.* 5. *De animarum pluralitate.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Surditas à natiuitate ad mutitatē inducendam sufficit.

SAl. & Officia. De surdis & mutis statuo, *Clarissime Domine Affinis, & Compater honorande*, & in eo tecum consentio, surditatem à natiuitate ad mutitatem inducendam sufficere, neque quem loqui posse, qui alios loquentes priùs non audiuit. Caussam verò surditatis illius à natiuitate quod attinet, non ex præcipitantia proximè scripsi, ex priuato auris vtriusque vitio surditatem illam prouenire non posse, sed re diligenter considerata adhuc dubito, an ossiculorum auditus, vel membranæ alicuius extrà auri obductæ vitio, tale quid contingere possit: neque id credam donec aliquâ obseruatione persuasus fuero, qualem adhuc nullam legi. Scriptum *D. Marci*, in manus meas *Lipsiâ* missum peruenit, cùm iam *Hypomnemata* mea absoluissem, & *Schleichio* transmissurus essem. Mallem illud suppressisses, donec & librum secundum absoluisset, & quæ edidit, clariùs scripsisset. In iis, quæ intelligo, in multis mecum consentit; in non paucis etiam dissentit. Multa verò sunt, quæ non satis capio, ita σκοτίζει. Et nescio, an demonstrationibus istis Mathematicis res Physicas magis declaret, an obscuret, vt quæ de euolutionibus formarum, *cap.* 3. habet, & generatione crystallorum salia, in *fine cap.* 1. Verùm obiter tum saltem eum peruolui, necdum cum attentionâ legendi otium fuit. Spero & alteram partem paulò pòst in lucem prodituram, quod à Medico *Lipsiensi*, per quem me salutauit, facilè rescisscam. Quod vbi factum fuerit, diligentiùs eum perlegam, & quid de difficilimo illo *Hypomnemate quinto* sentiat, videbo. Si quid *Martino Zeile* inseruire potero in me nihil desiderari patiar. Deplorationem pacis *Germaniæ Iusti Asteny* non video. Prodeunt talia scripta satis mordacia, etiam à Theologis *Stetinensibus*, in publicum multa: verùm an ad pacem *Germaniæ* restituendam aliquid factura sint, dubito. *Suecorum* animi iis magis inflammantur, qui in sua caussa defendenda aliàs rigidissimi sunt, & licèt bonam caussam haberent, (de quo meum non est iudicare) eam pessimè agunt, dum in innocentissimos, & quibus armis sese defendendi nec voluntas, nec potestas est crudelissimè, & plusquam barbaricè, rapinis, spoliationibus, homicidiis, incendiis, stupris grassantur. Nulla dies intra vnam atque alteram septimanam transit, quâ non in vicinia quatuor, quinque, sex videremus incendia. Deum velle hoc modo religionem defendi, nunquam probare potui.

De scripto D. Marci Auctor quid iudicet.

Suecorum strages.

De motu projectorum.

Motum projectorum quod attinet, adhuc sum in ea sententia, quæ & qualis sit illa virtus projecto impressa, à nemine adhuc explicari potuisse: quomodo autem ille motus ab aëre fiat, satis clarè explicauit *Fracastorius*, *de sympathia & antipath. cap.* 4. & ipse *Aristoteles* 8. *Physic. cap.* 10. *text.* 82. & alibi, caussam motus projectorum non in projecto, sed in medio, aëre scilicet, esse statuit. Pusillum istud pomum in maiore natum post duobus floribus commixtis, sicut interdum duo vel tria poma coalescunt. Quod tandem scribis, dum *Hypomnemate* 4. rationes defendentium pluralitatem animarum refutare conor, me vt plurimùm principium petere, ad id nihil respondere possum, quia in genere hoc scribis. Gratum ergo feceris, si in specie hoc monstraueris, vt inde meam sententiam vel corrigere vel roborare possim. *D. Marcus Marci*, vt & alij, pluralitatem animarum defendunt, non rationibus victi, Sed quia, vt Catholici, infusionem animarum statuunt, necessitate coacti. Aliàs enim formationis fœtus caussam nullam reddere possent. Bene vale cum tuis, & à nobis salue. Scriptionem subitam visûs imbecillitati imputa. VVittebergæ, die 7. Martij, Anno 1637.

D. animarū pluralitate

EPISTOLA LCV.

PERIOCHE.

1. *Quid Auctor de D. Marci scriptis sentiat.* 3. *in quibus circa animam & facultatem formatricem è semine ab eo discrepet.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SAlutem & Officia. Essent equidem, *Clarissime & Excellentissime Dom. Affinis & Compater honorande*, multa, quæ scribere possem: verùm omnia litteris tutò committi non possunt: quæ tamen publica sunt, è tabellario cognoscere licebit. Cæterùm cùm nuper in litteris tuis, *D. Marci Marci* mentionem feceris, eum, quem dudum sepositueram, & obiter saltem inspexeram, in manus sumere cœpi. Agnosco virum esse ingeniosum, sed qui obscuritate scriptionis apud multos admirationem sibi parit. Ego, quod ingenuè fateor, mentem eius non semper assequor. Quantum tamen conjecturâ assequi possum, dubito, an omnia solida sint. Quòd è semine animam & facultatem formatricem concedit & extollit; rectè facit: Sed an formatio eo modo, quem ipse animo concepit, perficiatur, & an istâ, quam proponit, specierum confusione & euolutione, radiisque, ad modum radiorum opticorum, peragatur, dubium. Certè membra corporis nostri paucissima habent regulares figuras mathematicas, & proinde eorum formatio ad earum regulas vix exigenda & examinanda est. Verùm de re, quam non satis capio, pluribus iudicare non possum, nec debeo. Salutant te omnes mei, & inter hos M. Andreas, qui hunc libellum mittit. Bene vale. VVittebergæ, 20. Martij, Anno 1637.

Auctor quid de D. Marci scriptis sentiat.

In quibus circa animam & facultatem formatricem è semine ab eo discrepet.

EPISTOLA XCVI.

PERIOCHE.

1. *Surditas à natiuitate ob vtriusque auris priuatum vitium fieri posse Auctori respondet.* 2. *De Motu projectorum.* 3. *De Animarum pluralitate.* 4. *De editione secunda partis scripti D. Marci.* 5. *Sueci fusum Regium sanguinem Vindicant.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Dum te nuper de præcipitantia admonui, *Clarissime Dom. Doctor Sennerte, D. Affinis, & Compater honorande*, non sine iusta causa id feci. Transcripsi enim tunc totum tuum discursum: Tu verò potissimum momentum in responso omisisti. Et ostendas mihi velim rationem consequentiæ istius: *Vnius auris vitium surditatem non inducit. Ergo ob priuatum vtriusque auris vitium surditas à natiuitate fieri non potest.* Antecedens enim cùm de totali surditate saltem verum sit, non autem particulari, illius scilicet auris, in qua vitium hæret: quidni veriùs ita concludam? Si vnius auris vitium surditatem particularem adfert. Ergo vtriusque auris vitium totalem inferet. Bene autem initio facis, quòd te dubitare saltem super hac re scribis. *Dubitatio* enim, iuxta *Aristotel. gradus est ad scientiam.* Illud certè duriusculum est, quando subiicis: *Neque id credam, donec aliquâ obseruatione persuasus fuero, qualem adhuc nullam legi.* Profectò si ita colligere liceat, multa etiam verissima pro falsissimis erunt habenda. Nec monstraueris mihi facilè authorem aliquem, qui obseruationem protulerit facti surdi & muti à natiuitate, ob læsum communem neruum. Totum negotium nititur demonstratione Anatomica in sanis inuenta.

Surditas à natiuitate ab vtriusque auris vitio fieri potest.

Legi, quæ de motu proiectorum ratione medij aëris, in medium adfert tam *Aristoteles* quàm *Fracastorius*: Verùm ea animum sciendi cupidum nondum satiant. Equidem nisi à primo mouente causam deriuemus, quæ ipsum motum dirigat, non satis assequor quomodo à fortiori, debilioríve mouente idem motum remotius propiusve propelli possit. Hinc iaculatores pulueris tormentarij vires exploraturi sub eodem pondere suas habent certas machinulas, quibus acceso puluere in virium cognitionem deducuntur.

De motu proiectorum.

Pluralitatem animarum dum impugnas, videsis ne in propria dogmata impingas: quin dispicias, vt formarum subordinationem defensurus, pluráque esse ab vna anima deducturus reuerà sis. Tradux pluralitatem ne hilum impedit. Et fac sciu, te antehac pro pluralitate stetisse. Vt in specie petitiones principij tibi enumerem, opus non est. Relegenti enim tuasmet Responsiones, obscurum esse non poterunt, dummodò animus Præconceptis opinionibus non sit occupatus. Quare tibi etiam dictum putes *in conclusione Hypomnematis tui quarti*, non laborandum, quomodo firmissimam aliquam demonstrationem obiectionibus quibusdam quis impugnet, & suspectam reddat, sed potiùs eum sollicitum esse debere, quomodo ipsa dubia sua soluere possit.

De animarum pluralitate.

Dom. Marcum si ad editionem *secundæ partis* stimulare potes tuis monitis, ne intermittas, quæso. Inueniet haud dubiè aduersarios. Intereà laudo ipsius conatus: desidero duntaxat maiorem lucem.

Suecorum enormes excessus esse vt nemo prius probauerit: enormiter tamen læsos, nemo sanus negauerit. Hostes iam sunt Electoris, & vltores ingratitudinis ac profusi sanguinis Regij. Auxiliatores nostri num mitiores in nos fuerint, adhucdum sentimus ac querimur. Vestri, quales sese hodie præsteut, reipsa, sed vestro itidem damno experimini. Imò proprius miles nemini est æquior. Deus tandem miseræ *Germaniæ* misereatur, ac pacem ipsi largiatur! Bene vale, & à nobis salue. Dabam Breslæ, die 7. Aprilis, Anno 1637.

Germania miserè tractata.

EPISTOLA XCVII.

PERIOCHE.

Doringius Librum D. Marci probat, & Auctoris iudicium de formis à subiecto separatis deposcit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

De *Domino Ioh. Marco Marci*, quod nuper scripsi, *Clarissime Domine Affinis, & compater honorande*, id nunc non præter meritum (meo quidem iudicio) repeto. Non est triuialis Scriptor: Equidem laudandi ipsius conatus. Si cui forsan suis demonstrationibus non satisfecerit monstret is rectiora. Rectiora monstranti haud dubiè cedet, veluti in præfatione promittit Quæ de formis à suis subiectis separatis *ibidem* scribit, mira sanè & noua sunt; nescio tamen an penitus reiicienda. Tu proximè tuam sententiam super hac re mihi aperias velim. Optarim, vt secundum etiam librum quantocyùs publicet: ad quod præstandum tuis hortationibus non parum forsan præstare poteris. Libellum à *Dom M. Andrea* missum tabellarius non attulit: quippe sibi à prædonibus ipsum ereptum esse conquestus. Gratiam interim ago pro communicandi studio. Qualis fuerit, proximè significes, oro. Precor ipsi omnem felicitatem: tibi verò summum de eo gaudium. Res vestræ vt in meliore sint statu, quam nuperè, ex animo opto. Vereor, ne breui de ingenti strage quid inaudiamus. Deus nouit, qui sint sui. Is omnia ad nominis sui diuini gloriam dirigat. Bene vale, & cum tuis à nobis officiosissimè salue. Dabam. Breslæ, die 20. Aprilis, Anno 1637.

Doringius D. Marci scripta probat.

EPISTOLA XCVIII.

PERIOCHE.

1. Surditatem à natiuitate ab vtrinsque auris morbo priuato factam, probare & monstrare difficile. 2. De pluralitate animarum Doringio respondet. 3. D. Marci sententiam de formis à materia separatis impugnat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Clarissime & Excellentissime Domine Affinis & Compater honorande. Sanè concedo, vtriusque auris morbum priuatum totalem surditatem inferre posse: sed quando à natiuitate (quod probè notandum) hoc alicui acciderit, & quibus signis iste vtriusque auris priuatus affectus innotuerit, hoc probandum & monstrandum. Neque enim Medicus certi quicquam de vllo morbo interno, nisi ex certis signis, pronunciare potest. Et si quis à natiuitate surditate laboret, & ego dicam ex nerui acustici vitio, tu ex priuato auris morbo id euenire affirmes, quis istam litem inter nos dirimet?

Surditatis à natiuitate ab vtriusque auris vitio, probatio difficilis.

Caput de pluralitate animarum semel atque iterum relegi, nullas verò petitiones principij animaduertere potui. Pluralitas Formarum subordinatarum ad rem hanc nihil facit. Formæ enim illæ subordinatæ omnes pertinent ad materiam: quod nemo dixerit de animalibus. Et Scholastici, ac *Marcus Marci* non rationibus firmis ad opinionem hanc tuendam adducuntur sed autoritate *Ecclesiæ Pontificiæ.* Et illis hoc non propositum est, monstrare, in vno indiuiduo plures esse formas posse, sed quia infusionem animæ rationalis in corpus iam perfectum statuunt, nec tamen formationis caussam reddere possunt, alij eam ab anima vegetante, alij, quod *Marcus* facit, ab anima sensitiua deducunt, nec tamen quid post aduentum animæ rationalis de istis animabus fiat, docere possunt.

De pluralitate animarum respondet.

De belli, quod hodie geritur, ratione literis multa committere, tutùm non est. Vbi putauero, litteras meas ad te tutò peruenire posse, mentem meam tibi planè aperiam [illegible]: & propterea mutationem aliquam instare planè confido.

Quæ de formis à materia separatis scribit *Dom. Marcus*, mihi non probantur, neque rationes eius sufficiunt. Equidem

D. Marci sententiam impugnat.

à nulla creatura, quod à Deo creatum est, annihilari potest: sed quia Dei liberrimæ voluntati placuit, vt sola anima rationalis hominis esset immortalis, & à corpore separabilis, reliquæ verò cum suis corporibus interirent, non video, cur hac de re dubitandum sit. Libellus, quem milites tabellario eripuerunt, fuerunt meditationes, *de Beata vita & morte*, à *M. Andrea* in Germanicum versæ. Similes ille aliquid ex eo proficeret, non ei eum inuiderem. Mitto iam aliud exemplar, & tabellas quasdam ab eodem editas. Salutat is, & omnes mei te officiosè. Bene vale cum tua. VVittebergæ, 4. Maij, Anno 1637.

EPISTOLA XCIX.

PERIOCHE.

1. Doringij ad Auctorem monitio de scriptis circumspectiùs edendis ad calumnias euitandas. 2. Quid in eum Anonymus quidam scripserit. 3. Cuiusve rei causa Praeotius in eum sit indignatus. 4. De surdis & mutis iterum. 5. Itemque de pluralitate animarum ab eius opinione dissentit. 6. Similiter & de formis à materia separatis.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Controuersijs Medicis cur non nisi raptim vacare possit Doringius.

SQuod Poëta alicubi conqueritur: *Sunt oblita mihi tot carmina*: Idem ego iure meritissimo de Controuersiis istis, siue Philosophicis, siue Medico-theoreticis, dicere queam, *Clarissime Dom. Affinis & Compater honorande*. Postquàm enim ante hos viginti quinque, & quod iam excurrere incipit, annos, resignatâ statione *Giessena*, in patriam redij, & me Praxi occupatissimæ molestissimæque mancipaui, crebrisque ægritudinibus affectus sui, non nisi rarissimè, & horis quasi furtiuis, talibus meditationibus vacare potui. Quid igitur mirum, si minùs exercitatus vobis, in talibus consenescentibus, & ista per ludum & iocum fermè tractantibus, neutiquam satisfacere videar? Cùm tamen, secundùm illud, *in magnis & voluisse sat sit*: veniam vtique mihi dabis, si meas qualescunque cogitationes tibi interdum aperiam. Integrum enim tibi fuerit statuere, quodcunque placuerit, cùm eius defensio tibi incumbat. Optarim tamen, (ignosce candori) vt quandoque circumspectiùs tua tractares. Ita enim multas calumnias effugere posses. Peruenit nuperrimè in meas manus calumniosum de te iudicium Anonymi cuiusdam, secundæ editioni *Physices tuæ sub finem* insertum. Etsi enim iste, ob amorem haud dubiè tui, initio Emblemata titulum ambientia colosibus illustrasset, & aliquò vsque libellum euoluisset, quod notæ marginales & lineæ rubeæ textui hinc inde subductæ satis docerent: tamen postea iudicium istud in fine subscripsit. Adscribam id ipsum, non quòd eo delecter, sed vt tu ex eo discas, quod vites. Ita autem habet: *Nisi philosophicum ille tuus aureus torques adeò te torqueret, Sennerte, non certè in gloriam solius Dei tot tantósque tuorum putaminum ederes, & annuatim recuderes libros. Metuo vt quos ita citò procreas errores, citò pereāt, aliosq; cautiores reddant. Cæcis cæca omnia. Magis amica Veritas, quam Sennertus, nondum adhuc videns omnia audacter dicens, & putans, vt qui ipse de se dicit: In communi errore adhuc hæreo. E. Quod-que parum nouit, nemo docere potest.* Huc vsque Anonymus.

Quid in Sennertum Anonymus quidā scripserit.

De *Praeotio* mihi relatum est, eum tuam quandam opinionem acriter olim defendisse, quam cùm te postea mutasse intellexisset, propterea admodum indignatum fuisse. Atque ista ad te candidè scribo, *mi Domine Affinis*, nullo certè alio fine, nisi vt famæ tuæ consultum velim. Sed transeo ad nostra, & paucis me expedio. Prolixè enim vt scribam, ægra vetat manus. Et primo doceas velim, quid causæ esse putes, quò minus vt post natiuitatem, ita etiam ante eandem, ex priuato vtriusque auris morbo vitio formatricis producto, totalis surditas, ac per consequens (de hac enim principaliter quæstio est) mutitas oriri possit? Et quæ tu mihi dabis signa certa nerui acustici læsi, quæ non ego priuato alicui aurium vitio attribuere valeam? Nam cùm in interioribus auditus organa recondita sint, neque visui, vti oculorum partes pateant tam liquidò, veluti in istis, de parte primario affecta iudicare non possumus. Vide ergo iis, vtra pars maiore probabilitate nitatur. Accedo ad animarum pluralitatem. In qua quæstione tu satis quidem verbosus es, & omnibus viribus pro vnitate pugnas: sed miseret me boni *Scaligeri*, quem in prima acie constituis. Quis enim vel per somnium aut febrim dixerit, reliquas animas esse particulas animam rationalem componentes? Et quomodo homo erit Gorgon, cùm reliquæ animæ superiori ancillentur? Non igitur sequitur, vnum indiuiduum diuersis temporibus, diuersis formis specificis informari; quod vtique absurdum. Et dicas tu mihi, citra præiudicium, vtrùm veritati philosophicæ magis sit consentaneum, vel statuere, ignobiliores animas componere se ad ortum animæ nobilioris; vel nobiliori adscribere facultates peregrinas & ab alio principio fluentes? Certè vnusquisque effectus causæ, adæquatæ assignandus: & vt dicam quod sentio, disertè affirmo, quòd vno eodemque momento istæ animæ omnes per traducem cum semine à generante deciduntur. Proinde harum animarum nulla alia, quàm cæterarum subordinatarum erit ratio. Coniunge cum istis, quæ ipsus *de spontaneo viuentium ortu*, peculiari *Hypomnemate* commentatus es, & faciliùs procul dubio in meam sententiam ibis. Nec ignota tibi esse possunt, quæ de transmutatione in bufones vulgò circumferuntur. Legi huius rei historiam in Ciuitatibus montanis *Vngaricis* olim gestam, & manu *Dom. Scholtzij* Patris, annotatam. Altera tua ratio etiam planè nihil concludit: nec absurda, quæ tu comminisceris, sequuntur. Idem iudicium esto de tertia. Perpende igitur denuò attentiùs, annon principium petas, quando pag. 320. vegetans, sensitiuum & rationale, tria diuersa esse, & à diuersis formis proficisci, negas. Non facio cum illis, contra quos tu pugnas, quos deceptos esse scribis, statuentes, in aliquo corpore posse esse animam vegetantem solam, in alio sensitiuam, & ab ea indiuiduum aliquod constitui. Nec infusionem animæ rationalis defendo. Hinc quid de cæteris tuis responsionibus sentiendum sit, attende. Nolo omnes repetere.

Praeotius de Auctoris mutata opinione indignatus.

Opinionem suam de surdis natis confirmat.

De animarū pluralitate Auctoris sententiam con-uellit.

De formis à materia separatis quæ scribit *Martius*, altioris sunt indaginis: neque video, num tu omnem difficultatem eo sustuleris, dum ais, liberrimæ Dei voluntati ita placuisse, vt sola anima rationalis hominis esset immortalis, & à corpore separabilis, reliquæ verò cum suis corporibus interirent, Quid si *Martius*, & hîc te principium petere obiciat? Hoc ipsum enim est, de quo quæritur. *Lutherus*, vt est in *Vita ipsius per Matthesium edita, in 4. pag. 126.* aliquando interrogatus, vtrùm post resurrectionem in nouo mundo bruta etiam animalia futura sint? respondisse fertur, Futura, vtique; siquidem cœlum & terra noua, neutiquam vacua, sed pulcherrimis creaturis refertissima futura sint. Reliqua vide *loco citato*. Bene vale, & cum tuis salue. Dab. Breslæ, die 4. Iunij, Anno 1637.

Lutheri responsum de brutis animantibus post resurrectionem.

EPISTOLA C.

PERIOCHE.

1. Calumnias ob edita, Auctores & quidem celebriores effugere non potuisse respondet. 2. Variis in Academiis Sennerti doctrina sana celebratur. 3. Quid de surdis & mutis natis concludat. 4. Et quid de pluralitate animarum.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S*Clarissime Dom. Affinis, & Compater honorande*, Equidem tua admonitio, vt circumspectus sim in meis scriptis edendis, mihi non ingrata est; verùm vix eâ iam opus habebo. Vix enim aliquid scriptorum ampliùs edam. Edita quod attinet, quod ea calumnias multorum effugere non potuerunt, nihil mirum; cùm idem accuratissimis doctissimorum virorum scriptis acciderit. *Aristoteles* certè, etsi Philosophorum Princeps audiat, & proculdubio summam in suis scriptis concinnandis adhibuerit diligentiam: tamen aliorum censuras, varia iudicia, imò calumnias euitare non potuit. *Galenus* Medicorum Princeps habetur, nec immeritò: at quoties à *Cardano* & alijs

Auctores celeberrimi post scriptorū promulgationem calumnias effugere nō potuerūt.

aliis vapulat! Et quod *Galeno* fecit *Cardanus*, idem paſſus eſt à *Scaligero*. Nimirum ſuum cuique pulchrum. Ideoque Anonymi illius (cuius tamen nomen libenter ſcirem) iudicium nihil moror. Parum enim in eo, vt vel ſtylus docet, ſuit eruditionis & iudicij. Et neſcio quid reprehendit. Si id culpat, quòd multos libros ſcripſi, neſcio an ſufficientem reprehenſionis cauſſam habeat. Scripſit multa *Ariſtoteles*, *Galenus*, *Auguſtinus*, & è Patribus multi: inter noſtros Medicos *Auicennas*, *Rhaſes*. *Nic. Florentinus*, *Mercatus*. At id potiùs ipſorum diligentiæ tribuitur, quàm culpatur. Si ego forſan tempus, quod à Praxi ſatis moleſta, lectionibus, diſputationibus, & aliis negotiis Academicis reliquum fuit otio triuiſſem, facilè Momorum talium calumnias effugere potuiſſem. Sed maledictus, qui opus, ad quod à Deo vocatus eſt, fraudulenter facit. Si verò errores in meis ſcriptis ſciat, monſtrare illos debuiſſet. Erroris aliquem accuſare, facile eſt, ſed conuincere, ſæpe difficile. Accuſauit me etiam hæreſeos & blaſphemiæ *Freytagius*; ſed quàm iniquè, patebit è iudicijs Theologorum in *Academia Lipſienſi*, *Ienenſi*, *Marpurgenſi*, *Argentoratenſi*, *Baſilienſi*, *Regiomontana*, *Altorphina*, quæ in publico paulo pòſt exhibebo. Et ſunt penes me aliorum doctorum virorum iudicia, quæ iſti Momo opponere poſſem: ſed non opus eſt in ea re laborare. Id miror, cur inimicum hoc ſuum Phyſicæ inſcripſerit, quam ex optimis *Ariſtotelis* Interpretibus ſaltem collegi. Habuiſſet potius in aliis libris, quod carpere potuiſſet. Si plura, quam nonnulli volunt, ſcripſi, factum infectum fieri nequit. Et ſi id quod volui, ſemper aſſecutus non ſum, tamen voluntas forſan laudanda. Tu verò planè cautè egiſti, quòd ea, quæ te editurum dudum promiſiſti, non edis. Ita enim omni reprehenſione cares.

Sennerti doctrina variis in Academiis Sana celebratur.

Quæſtionem illam de mutis & ſurdis à natiuitate, quod attinet, iam eò te ſire video, vt quod ſentio dicam, eam ſurditatem & mutitatem oriri poſſe tam ex priuato antis vtriuſque natiuo vitio, quam ex neruo acuſtico, à natiuitate ſeſe non rectè habente. Vtra verò in hoc vel illo indiuiduo cauſſa adſit, ſignis certò dignoſci non poſſe.

Quid de ſurdis & mutis concludat.

In Quæſtione de Animarum pluralitate, ſcopum meum non ſatis aſſequeris. Contra eos enim primariò quæſtionem iſtam defendi, qui rationalis animæ in corpus iam formatum infuſionem defendunt; & cùm certam formationis corporis humani cauſſam dare non poſſint, anima rationali adhuc ex ipſorum ſententia, abſente, alij ad animam vegetantem, alij ad ſenſitiuam abſurdè confugiunt. His ego obiicio, abſurdiſſimum eſſe, vnum indiuiduum diuerſis temporibus, diuerſis formis ſpecificis informari. Si verò tu etiam animæ rationalis per traducem propagationem concedis, mihi perinde eſt, ſiue plures animas in vno indiuiduo, ſiue plures vnius animæ facultates concedas. Scio enim hanc quæſtionem in vtramque partem ſubtiliter diſputari poſſe. Si tamen vis, vt candidè dicam ſine præiudicio, vtrum veritati magis ſit conſentaneum ſtatuere, ignobiliores animas componere ſe ad ortum nobilioris, vel nobiliori adtribi facultates peregrinas ab alio principio fluentes: Reſpondeo, ad quæſtionem iſtam hoc modo formatam me nihil reſpondere poſſe. Equidem concedo, formas quæ ad animæ ſubiectum pertinent, inſeruire animæ, & verbi gratia, vim purgandi non ab anima rhabarbari, ſed à forma (animam non dixero) ſubordinata prouenire: at in homine facultatem nutrientem, ſentientem, mouentem, eſſe animæ rationali peregrinas, & ab alio fluere principio, non concedo, ſed dico, etiam formatricem facultatem corporis humani, eſſe vnius formæ ſpecificæ hominis propriam; ſicut formatio corporis bubuli eſt propria animæ bouis. Et malè præſupponitur, facultatem formatricem in boue, eſſe eandem cum facultate formatrice in homine. Et quid, quæſo, abſurdi eſt, ab vna forma plures & diſtinctas fluere facultates? ſicut ab vna magnetis forma fluit vis trahendi ferrum, & ſe conuertendi ad polum.

Quid de animarum pluralitate.

Statum noſtrum, & cauſſam ſui hinc diſceſſus, exponent tibi, qui has exhibent, *Domin. Georgius Titius*, & *Domin. Martinus Iohde*, quibus, me etiam non rogante, benefacies. Prædones iſtos, latrones, & incendiarios *Torgam* deſeruiſſe proculdubio ex fama publica cognouiſti. Spero, Deum ipſos ad meritas pœnas pertracturum. Non defenſoribus iſtis Eccleſia Chriſti eget. Si hiſtoriam illam traſmutationis coturnicum in bufones, à *Domino Scholtzio* annotatam, mihi communicaueris, rem gratam feceris. Salutant te cum tua omnes mei. Bene vale. VVittebergæ, 16. Iunij, Anno 1637.

Coturnicum in bufones transmutatio.

EPISTOLA CI.

PERIOCHE.

1. Ab Hofmannno D. VVeiſſenſee commendatus ab Auctore benignè excipitur & laudatur. 2. Manuſcriptum Galeni penes Budaum ab Hoſmanno, deſideratur. 3. Socordes plurimos criminatur Medicos.

D. CASPARO HOFMANNO

PROFESSORI PVBL. ALTORPHINO,

DANIEL SENNERTVS, D.

DE dandis ad me litteris dubitatione nullâ opus erat, *Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Domin. & Amice honorande.* Nam & *Domin. Petrus VVeiſſenſee* commendatione digniſſimus eſt, & tuæ litteræ mihi ſemper gratiſſimæ, túque chariſſimus: affectúſque huius in te mei teſtes literas ad te dudum exaraui, verùm *Lipſiæ* illas adhuc hærere, nuper primùm ab amico quodam accepi. Quæſo ergo de me nihil ſiniſtri ſuſpicare: cùm ſi quid hactenus, quod ſuſpicionem aliquam mouere potuit, accidit, non meâ, ſed neſcio cuius culpâ factum ſit.

Cæterùm *Dom. Petrum VVeiſſenſee*, quem mihi commendas, habebo commendatiſſimum, & ſi qua in re ipſum iuuare potero, illi meâ operâ non deero. Agnoui in eo animum erga benefactores memorem. Cùm enim procul dubio tibi aliquibus nominibus obſtrictus ſit, quamprimùm huc venit, ea in re quæ tibi gratiſſima eſt, de te bene mereri ſtuduit, & Galeni tui partes ſtudioſè egit. Nihil verò magis optarim, Quàm vt vel hac ipſa in re animum tui ſtudioſum declarare poſſim. Verùm cùm de me in hoc genere multa polliceri non habeam, apud alios ea de re inquiſiui. Certior ergo factus ſum, eſſe *Halberſtady Medicum Guil. Budaum*, qui & ipſe ante aliquot annos editionem *Galeni* Græcam molitus eſt, quam tamen iam ſenio confectus vix abſoluet. Penes eum (vt habet bibliothecam inſtructiſſimam) eſt *Galeni* M S. exemplar, quod *Cornary* fuiſſe dicitur, & libri aliquot *Galeni* (ſi vera mihi narrantur) nondum editi, quos omnes ex Bibliotheca *Mich. Neandri Ilfeldenſis*, adeptus eſt. Cogitabo ergo quâ ratione (parum enim affabilis eſſe dicitur) ſi quid habet quod tuis commodis inſeruire poſſit, ab eo impetrare queam. Faciam & laudatiſſimi tui conatus & ſtudij apud Collegas & alios amicos mentionem, nihílque mihi gratius erit, quàm ſi de me conceptæ ſpei & opinioni aliquo modo ſaltem ſatisfacere poſſim, & hac etiam in parte rem medicam iuuare. Neſcio enim quid mali animus præſagire videtur, dum à pleriſque rem medicam tam negligenter tractari, nec eum qui debebat, ardorem diſcendi in iuuentute animaduerto; plurimos etiam antiquorum ſcripta planè negligere video, & iam Doctores Medicinæ ſunt, qui Galenum nunquam legerunt, imò vix oculis vſurparunt. Sed quò delabor? Tibi maximæ debentur gratiæ, quòd huic morbo remedium quæris. Deus tuos conatus fortunet, diúque te ſuperſtitem & incolumem conſeruet. Tu verò me ama. VVittebergæ; 8. Febr. 1623.

D. VVeiſſenſee commendatione Hoſmanni ab Auctore benignè recipitur.

Galeni M S. exemplar penes Budaum.

Rem Medicā à pleriſque malè tractari conqueritur.

EPISTOLA CII.

PERIOCHE.

1. De exemplari Græco M S. apud Budaum aſſeruato rumor falſus. 2. Qua ratione typis excuſum ab ipſo impetrari poſſit Hofmannum docet 3. Cur huius Operis ſecundam editionem Budaus protraxerit.

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

De exemplare Græco M S. apud Budamm aſſeruato rumor falſus.

SP. *Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Domine & Amice honorande.* Vt ſolet Fama eſſe tam ficti falſique tenax, quàm nuncia veri: ita quæ de *Domino Budeo* mihi relata ſunt, non omnia vera eſſe, ex literis eius cognoui. Nullum enim habet exemplum Græcum M. S. ſed etia typis excuſa, è quibus illud magni facit, quod *Cornarius Heruagio* excudendum tradiderat: quod quale ſit ex epiſtola iſta ad *Rothmannum*, quam ad me miſit, cognoſces. Si tuo vſui id exemplar inſeruire poſſe putas, tentandum, an ab ipſo impetrari poſſit. Suaſerim itaque, vt ipſe ad eum literas exares, quibus meas libens coniungam. Etſi enim editionem Operis iſtius, vt ex literis eius cognoui, ipſe adhuc promittat: tamen quantum de eius ætate & vitæ ratione ex aliorum relatione mihi conſtat, ego de illa editione planè deſpero. Et cùm ſcribat, ſe hanc editionem hactenus protraxiſſe, deterritum rumore, quo ferebatur *Galeni* Opera Græco-latina *Venetiis* ex *Iuntarum* Officina ſuperioribus annis in lucem proditura: forſan & tuum inſtitutum, ſi de eo à te certior fieret, eum deterrere, & ad exemplar illud *Galeni* communicandum commouere poſſet. Si quid porrò, quod tuæ Excell. gratum & acceptum eſſe poſſit, præſtare potero, in me nihil deeſſe patiar. Bene vale, VVittebergæ, 25. Febr. 1623.

Cur operis iterati editionem protraxerit Budæus.

EPISTOLA CIII.

PERIOCHE.

1. *Ad Hofmannum cur Auctor reſponſum tamdiu diſtulerit.* 2. *De Budæi editione deſperat.* 3. *De ipſo acerbè conqueritur.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor cur ad Hofmannum reſponſum diſtulerit.

SEſpectare te meum reſponſum, nullos dubito, *Vir Excellentiſſime & Clariſſime Domine & Amice plurimum honorande.* Et ego quidem hactenus ad reſpondendum fui promptiſſimus: Verùm quia *Dom. Budæi* literas mihi argumentum ſcribendi ſuppeditaturas ſperaui, reſponſum hactenus diſtuli. Sed fruſtrà. Rediit enim hiſce diebus ad nos Studioſus quidam Medicinæ, cui tuas ad *Domin. Budæum* commiſeram: ſed ſine *Domini Budæi* literis ad nos rediit. Idem tamen, cum quo, vt hoc negotium præſens vrgeret, ſeriò egeram, nunciauit, quantum ex colloquio cum *Domino Budæo* colligere potuerit, vix aliquid ab ipſo nos impetraturos, cùm ipſe *Galeni* editionem adhuc polliceatur. Referebat & hæc, promiſiſſe quidem *Domin. Budæum*, ſe VVittebergam typorum comparandorum gratia venturum, & mecum coràm hac de re acturum: ſed de eius aduentu ego valde dubito. Dubito etiam, imò deſpero de iſta *Budæi* editione. Ita vides, *Vir Excellentiſſime*, multos inuidia ductos incremento rei literariæ obeſſe, & canes in præſepi eſſe, ipſoſque nihil præſtare, & aliorum conatus, quod poſſent, non ſolùm non iuuare, ſed & impedire. Me vt excuſatum habeas, rogo: egi tuam cauſſam fideliter apud hunc hominem; ſed fruſtrà. Nam nec reſponſo me dignatus eſt. Ego ſi quo modo hîc te iuuare potero, in me nihil deſiderari patiar. Bene vale, & me ama. VVittebergæ, Cal. Iulij, 1623.

De Budæo acerbè conqueritur.

EPISTOLA CIV.

PERIOCHE.

1. *De D. VVeiſſenſee reditu.* 2. *De eius valetudine & quid ipſi præſtandum ſit, breuiter conſulit.* 3. *Hofmanni curis illum commendat.*

DE CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Breue pro D. VVeiſſenſee valetudinario conſilium.

SRediit ad vos, ſeu potiùs tranſit ad vos, *Vir Excellentiſſime, & Cl. Dom. & Amice pl. honorande, Dom. Petrus VVeiſſenſee.* In *Italiam* iter eum meditari intelligo. Quod vt feliciter, & cum multo ſtudiorum fructu expediat, opto. Eſt aliàs, vt animaduerto, valetudinarius, & ad melancholiam, eamque non leuem diſpoſitus. Ideoque dabit operam, vt honeſtis oblectamentis animum recreet, eaque omnia vitet, quæ quamuis in ſpeciem grata, aliquid auſteritatis in animo relinquere poſſunt. Qua de re proculdubio Excell. Tua, quam vt patrem veneratur, eum monebit, & neceſſariis ad iter præceptis inſtruet. A *Dom. Budæo* nihil hactenus literarum accepi: vix ab eo aliquid extorquebimus. Si alio modo tuum laborem & conatum iuuare potero, nihil deſiderari patiar. Bene vale. Vittebergæ, 9. Octobr. 1623.

EPISTOLA CV.

PERIOCHE.

1. *Hofmanno felicem laborum euentum precatur, & omnem ex parte ſua opem præſtiturum, promittit.* 2. *Quid in Opere Galeni corrigendum notauerit.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS. D.

Hofmanno, felicem laborum euentū precatur.

SGratulor tibi de tua felicitate, *mi Hofmanne*, & quod Opus *Galeni* Latinum, quod *Cornarius* ſua manu correxit, nactus es. De *Budæo* inquiſiui. Viuit adhuc. Cum amicis tamen ita tranſegi, vt ſi quid ipſi humani accidat, me maturè moneant. Deus tuos labores fortunet, & faxit, vt opus iſtud feliciter abſoluas. Inueniuntur Typographi, qui ſumtus in id facient. Non ſi malè nunc, & olim ſic erit. Vtinam verò ego pro mea parte labores tuos iuuare poſſem. Nunc verò nihil ad manus eſt, niſi hoc, quod nuper in lectione *Galeni* obſeruaui, *lib. de Morb. diff. c.* 11. ὅτι διαπνεῦται σύνδρομος ἢ ἀρτηρία, procul dubio legendum eſſe ἄρτημα. Loquitur enim *Galenus* de Apoſpaſmate, ad cuius deſcriptionem ἀρτηρία parum quadrat. Bene vale, VVittebergæ, 10. Maij, 1625.

Quid in Opere Galeni corrigendum notauerit.

EPISTOLA CVI.

PERIOCHE.

1. *De Budæi morte & ſepultura inhonorifica.* 2. *Omnem curam pro codice Aldino recuperando adhibiturum Hofmanno pollicetur.*

D. CAS

Digitized by Google

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Budai, mors & ſepultura.

Omnem curâ pro Aldino codice recuperando adhibiturum Hofmanno pollicetur.

S. Vitam tandem hanc mortalem deſeruit, *Vir Cl. Dn. & Amice honor. D. Budaus*: ſed non cum magna laude. Miniſtri enim Eccleſiæ *Halberſtadienſis* ſepulturam ipſi in publico cæmiterio denegarunt, quòd ab annis 20. ſe S. Synaxi abſtinuiſſet. Tandem Canonici in ſuum deambulacrum ipſum receperunt. De *Galeno* negotium *Schurero* noſtro commiſi: qui patriâ *Halberſtadienſis* eſt. It iam eam ob rem ad cognatos ſcripſit. Quicquid tui cauſſa facere poterimus, faciemus promtiſſimè, & te in vtili hoc labore quo, cunque modo poterimus, adiuuabimus. Bene vale. VVittebergæ, 14. Iunij, 1625.

EPISTOLA CVII.

PERIOCHE.

1. *De militis VVallenſteinij depopulationibus, qui Bibliothecis etiam non pepercerunt.* 2. *Studia à bello interrupta.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Bibliotheca à militibus expilata.

S. *Vir Cl.* Dodonæ, vt opinor, impetraſſem codicem illum Aldinum *Budæi*, niſi bellicæ iſtæ turbæ interueniſſent. Verùm necdum deſpero, eumque in tuto adhuc eſſe puto. Etſi enim miles *VVallenſteinius* Bibliothecis etiam, quæ in manus eius venerunt, non pepercerit, ſed aliquot librorum plauſtra (vt & alia, è quibus omnis ſpes aliqua affulget) hic prætervexerit, Bibliothecam tamen Canonicorum *Halberſtadienſium*, in quam codicem illum tranſlatum audiui, ſaluam eſſe puto. Modò, quod Deum precamur, tandem Pax iterum nobis affulgeat. Academia noſtra partem maximam diſſipata eſt, dum parentes liberos metu periculi bellici auocant: etſi, Dei beneficio, nihil periculi adhuc experti ſumus, quanquam quod dicitur, *Hannibal* fuerit & ſit adhuc ad portas. Bene vale 28. Maij, 1626.

Studia à bello interrupta.

EPISTOLA CVIII.

PERIOCHE.

1. *Codicem Aldinum Budai ſollicitè conquiſiturum Hofmanno ſcribit.* 2. *Pax Germania adhuc anceps.* 3. *Hofmannum Auctor congratulatur de vita ſimili curſu, & prouincia.*

DE CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Codicem Aldinũ Budai ſollicitè conquiſiturum Hofmanno ſcribit.

S. Dudum aliquid litterarum ad te dediſſem, *Vir Cl. Dn. & Amice honor.* ſi de Codice Aldino *Budæi* aliquid certi cognoſcere potuiſſem. Non ſolùm enim bellum iſtud vicinum omnia turbat; ſed etiam *Zacharias Schurerus*, patriâ *Halberſtadienſis*, cuius operâ in hoc negotio vſus ſum, in viuis ſuperiore anno eſſe deſiit. Metuo præterea, ne in manus Ieſuitarum *Galenus* ille veniat. De Canonicorum Collegio ab ipſis occupato nihil dum audiui: Interim tamen alia templa *Halberſtadij* inuaſerunt; & proinde etiam huic Bibliothecæ periculum imminet. Inquiram tamen de Nobili *Leopoldo à Roſſing*. & eius quondam Præceptore *D. D. Henrico Duderſtadio*; & omnibus quibus poſſum modis, id agam, vt codicem hunc naneiſcar. Quod me facilè impetraturum puto, modò bellici tumultus iſti ſedentur. De pace etiam apud nos multi ſermones, ſed nulli ad eam adhuc apparatus. Quinimò gangræna iſta in dies latiùs ſerpit, & de *Brandeburgo Marchionum* 12. die April. à milite Cæſariano occupato, procul dubio aliquid inaudiuiſti,

Brandeburgũ Marchionũ à Caſarianis occupatum.

Quia etiam è literis tuis intellexi, ætate nos penè eſſe pares, amemus nos mutuò, & prouinciam iſtam, quæ nobis etiam ſimilis, imò ferè eadem obtigit, pro virili adminiſtremus, & quod noſtrarum eſt partium, ſeduò agamus. Cætera Deo, qui nos in hanc ſtationem collocauit, committamus. Bene vale. Scr. VVittebergæ, 17. April. 1627.

EPISTOLA CIX.

PERIOCHE.

1. *Pro Galeni libro de oſſibus gratias agit, & vt Galenus ſic expolitus ab comment. totus prodeat in lucem, cupit.* 2. *Mecanates Doctorum virorum paucos eſſe conqueritur.* 3. *Librum tertium Practica prælo ſubmittit.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S. *Cl. & Excell. Vir, Dn. & Amice pl. honor.* Quòd *Polnerum* humaniter ſuſcepiſti, habeo gratias. *Dn. M. Georgio Mair*, rurſum quæ potero, exhibebo officia. Pro *Galeni libro de oſſibus*, habeo gratias maximas. Vtinam tandem totus *Galenus*, hoc modo expolitus & exornatus à te, lucem adſpiciat! Laborem certè te eum impendiſſe video, quem vix aliquis imitabitur, compenſaturus verò ſatis, vt nunc ſunt tempora, nemo. Egiſti id, quod hortulani ſolent, qui rarò arborum, quas plantant, fructus percipiunt, ſed poſteris percipiendos relinquunt.

Hofmannĩ comment. in Gal. lib. de Oſſibus.

De Mecœnate, qui ſumtus faceret in Studioſos aliquot, qui ſibi ſuccederent, cogitaui, & in eam veni ſententiam, vix hoc ſeculo quenquam præſtare poſſe, quàm veſtros Mercatores, penes quos, & militum duces hodie pecunia eſt. Quotus enim quiſque Principum hodie in *Germania* eſt, cuius theſauros iſtud bellum non exhauſerit! Libros tuos *De generatione hominis*, vidi & percurri, accuratè nondum legi, cùm iam occupatus ſim *in lib. 3. Pract.* qui iam ſub prælo eſt, abſoluendo. Legam quamprimùm otium fuerit. B. V. VVittebergæ, 20. Iunij, 1630.

Germania Principes bello exhauſti.

EPISTOLA CX.

PERIOCHE.

Actor. Hofmanno Mullerum commendat tum propter Parentis merita, tum propter eiuſdem artis Medica ſtudium.

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S. *Cl. atque Excell. Doctor, Amice honor.* Petiit à me commendatitias literas, qui has exhibet, *Samuel Mullerus*. Vratiſlavienſis, Ciuis meus. Eas ipſi denegare non potui, cùm Parens eius ſit amicus meus antiquus & Eccleſiæ *Vratiſlavienſis* Archidiaconus bene meritus. Sperat ſe è tua inſtitutione felices in arte Medica profectus: neq; dubium eſt, quin eius commodis & ſtudiis multum prodeſſe poſſis. Id vt facias, amicè oro, & mutua officia polliceor. Quis rerum noſtrarum ſtatus ſit, ipſe te edocebit, & proinde opus eſſe non puto, vt pluribus ea de re ad te ſcribam. Deus tandem deſideratam diu Pacem *Germania* reſtituat, & Eccleſiam ſuam tueatur. B. V. VVitteberg. 8. Maij, 1631.

Mullerum Medicina ſtudioſum Hofmanno commendat.

EPISTOLA CXI.

PERIOCHE.

1. *Auctor Bellum Germania doctos eripuiſſe dolet, & ideo iuuenes magnam paſſuros iacturam.* 2. *Conſtantem amorem ſuum Hofmanno ſignificat.* 3. *De Animarum origine & dubij ſolutionem ab Hofmanno petit.* 4. *De pace Germania rumores varij.*

D. CAS

Digitized by Google

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTUS, D.

Rei literariæ quantum damnum bella attulerint.

SQuantum, *Vir Excel. & Cl. Dn. & Amice p. honor.* bella ista in *Germania* ciuilia rei litterariæ damnum afferant, etsi aliquomodo perspicimus: tamen posteritas, si qua futura est, id maximè sentiet, vbi qui supersunt viri docti, è superiorum feliciorum temporum disciplina, è viuis excesserint. Cùm enim, Scholia publicis passim dissipatis, neque docentibus neque discentibus locus sit, & iuuenibus ad studia sumtus necessarios contributiones militares præripiant: pauci erunt, qui lampada à maioribus accipere poterunt. Interim agamus, qui in docendi munere versamur, quod possumus: reliquum Deo commendemus. Cùm Academiæ huic Deus clementissimus mediocrem tranquillitatem concesserit, & nihil damni ab hoste, etsi aliquid molestiæ à milite præsidiario, ea senserit, feci, quod potui. Tuos labores belli istas calamitates interturbasse, ex animo doleo. Interim quòd Deus in istis præsentissimis periculis te clementer conseruauit, mihi gaudeo, tibi gratulor: & propterea facere non potui, quin has litteras ad te darem, iisque tibi significarem, me pristinum erga te amorem inter *Germaniæ* istas mutationes non mutasse, sed firmiter inuiolatum retinere. Ne tamen litteræ hæ vacuæ sint, etiam aliquid quod studia nostra concernat, iisdem inserere volui. Inter omnes quæstiones Physicas vix vllam difficiliorem, simul tamen vtiliorem esse existimo, quàm illam de formarum, & inprimis Animarum origine.

Quæstio de Animarum origine difficilis & vtilis.

De qua etsi discrepantes sunt Philosophorum opiniones: te tamen mecum consentire, & formarum propagationem & multiplicationem à benedictione diuina, statuere video: atque sententiam istam tam firmis rationibus munitam existimo, vt necessariò ei assentiatur, quisquis animum anticipatis opinionibus fascinatum non habet.

Quid de ea sentiat Author.

Etsi verò nonnulli animam rationalem seu humanam excipiunt, & ob quandam prærogatiuam, eam non à Parentibus propagari, sed diuinitùs infundi statuunt, te tamen cum iis non facere, ex *lib. 2. cap. 2. de Generatione hominis* clarè patet: cui & ipse assentior. Quia verò vnum dubium mihi occurrit: Quomodo nimirum, stante hac opinione, Animæ humanæ immortalitas defendi possit? vt illud mihi soluas, amicè peto. Cùm enim accidere possit, vt, licèt virile semen fœcundum sit, si tamen accidat, vt vterus matris sit malè dispositus, nulla fiet conceptio, sed effundetur.

Quæritur ergo quid de Anima, quæ cum semine à Parente propagata fuit, tunc fiat? Eadem difficultas sese obiicit cùm ex semine paterno fœcundo, vitio vel sanguinis materni vitio, non homo, sed mola generatur.

De hac ergo quæstione, si tuam sententiam mihi aperueris, & quomodo dubium istud solui possit, mihi explicaueris, rem mihi gratissimam feceris.

Rumores de pace Germaniæ.

Deus tandem Pacem optatam *Germaniæ* restituat: de qua quidem passim multi sermones, & hactenus sat diu de ea, inter Legatos Cæsarianos & Electorales tractatum; sed nondum, vt ego quidem existimo, aliquid conclusum. Redierunt Cæsariani ante dies non ita multos Viennam: An reuersuri, Pacis conditiones à Cæsare approbatas apportaturi sint, multi dubitant. In Deo confidamus, qui Ecclesiam suam non deseret. Tu verò, *Vir Cl.* bene vale, & Sennertum, vt ab eo amaris, ama. VVittebergæ, 25. Nouembr. 1634.

EPISTOLA CXII.

PERIOCHE.

1. Galenus circa facultatem formatricem humani corporis sibi non potuit satisfacere. 2. Auctor de Animarum origine quid sentiat. 3. Pro Librorum Hofmanni editione sollicitus.

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SP. *Vir Cl. & Excell. Dom. & Amice plurimum honor.* Quod *Galeno* quondam accidit, idem & mihi euenit. Vt enim ille, cùm de facultate Formatrice corporis nostri diligenter cogitasset, nec quod animum satiaret, inuenisset, & à Philosophis sui temporis id discere frustrà conatus esset, magnâ se tristitiâ affectum scribit: ita & ego, postquam diu de Animæ origine cogitaui, tandémque tecum in eam sententiam veni, eam nõ infundi diuinitùs, sed per traducem, vt loquuntur, propagari, illud inprimis dubium occurrit, Quomodo animæ immortalitas cum hac opinione stare possit? eiusque solutionem nec ab aliis, nec à te etiam à quo eam inprimis sperabam, accipere potui; tametsi te eâ de re cogitaturum, & si quid probabile saltem, ac verosimile inueneris, mecum communicaturum, confisus fuerim.

De Animæ rationalis origine, Authoris sententia.

Graue peccatum abusum seminis esse scio, & in Onam punitum. At quid dicetur de Coniugio, vbi iam fœmina concepit, vel ad conceptionem inepta est, & tamen virile semen effunditur? Quid tum de anima fit?

Labores tuos & scripta quod attinet, doleo ea in turbulenta ista *Germaniæ* tempora incidisse, in quibus non reperiuntur, qui labores tuos remunerentur, & scripta typis suis ad posteritatem propagent. Verùm & hîc Deus prouidebit, & pacem dabit quam speramus, nondum tamẽ affulgere videmus. Interim rectè facis, quòd à cœptis laboribus non desistis, sed porrò etiã de posteritate benè mereri pergis, libros seu χρηστομαθείας, seu *Apologias Galeni* scribendo.

Pro Hofmanni Librorum sollicitus.

Quibus edẽdis, vt Typographum cõciliarem, dedi diligenter operam: sed nullũ inter nostros inuenire potui. Et mei ipsi etiã Libri, inprimis sextus & vltimus *Practicæ*, quem ferè absolui hærent, partim ob papyri defectum, cùm omnes penè papyri Officinæ in vicinia à militibus dirutæ sint; partim ob Bibliopolarum inopiam, quos contributiones militares exhauriunt, quíque ex librorum venditione parum iam lucrantur. Scripsi ergo *Lipsiam* ad quendam amicum, qui apud Bibliopolas hoc nomine inquisiuit: qui quidem & ipsi iisdem de caussis se excusant, non omnem tamen operam denegant; priùs tamen de conditionibus, quas adiuncta scheda exhibet, certiores fieri cupiunt. Tuam ergo mentem de iis declarabis. Si qua in re porrò tuis commodis inseruire potero, in me nihil desiderari patiar. B. V. cum omnibus tuis. VVittebergæ, 24. Februar. 1635.

EPISTOLA CXIII

PERIOCHE.

1. An Animæ Rationalis immortalitas cum Traduce possit consistere. 2. Si quid ab Hofmanno probabile de ea quæstione inuentum sit, communicari sibi postulat. 3. Hofmanno proponit Bibliopolarum conditiones pro eiusdem librorum editione.

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S. *Vir Cl. & Exc. D. & Amicè plurimùm honor.* Litteris tuis proximis statim respondi. Quia verò hactenus a te nullas accepi, dubito, an meæ tibi redditæ sint. Summam ergo eorum, quæ prolixiùs tum scripsi, breuiter hic repeto. Vt *Galenus* doluit & tristitia affectus est, cùm de vi formatrice corporis nostri, omnes sui sæculi Philosophos & Medicos percontatus esset: ita & ego doleo, quòd ad quæstionem illam, quomodo immortalitas Animæ nostræ cum Traduce consistere possit, à te nihil aliud, nisi istud, *Nescio*, accipio.

Animæ immortalitas an cum Traduce possit consistere.

Et propterea rogo, vt si vel interea aliquid probabile tibi in mentem venit, id mecum communices. Deinde libros tuos, quos seu pro *Galeno*, seu *in Galenum* scripsisti, quod attinet, spero me *Lipsiæ* inuenturum, qui in eos imprimendos sumtus faciat. Is tamen de sequentibus certior priùs fieri vult. Quid materiæ ij contineant: An sint controuersiæ, vel commentarij, vel Epitome è *Galeno*: Quantæ molis sint futuri, & quantum papyri requirant; Quid pretij pro iis expetas: Quâ formâ sint excudendi. De quibus si mentem tuam mihi aperueris, negotium hoc quocumque modo potero, promouebo. Interim B. V. VVittebergæ, 21. Aprilis, 1635.

Epistolarum Medicinalium Danielis Sennerti,

FINIS.

1 146 1012

INDEX
RERVM ET VERBORVM
NOTABILIVM,

Quæ in Tomo Quinto & Sexto continentur.

A

Rumores de tertio Sennerti coniugio.

apud nos *M. Sitſius*, te iam cum viduâ *Paulo-Hellvvigianâ* tertium initum coniugium. Quod ſi ita eſt, vt benè cedat opto: Egebis enim in hoc ſenio bonâ curatrice. Quia tamen Chriſtophorus nihil de hoc negotio narrare potuit pro fabulâ tantiſper habeo; vſque dum ipſius per litteras id nobis ſignificaueris. Hoc vnum ſaltem te ſiue rogatum, ſiue monitum velim, vt de tali coniuge cogites, quæ te reuereatur, & hoc ſenio fida ſit, ac te benè curet: Tales enim cumprimis ſenes eligere decet. Bene vale. Dabam Breſlæ, die 5. Iulij, Anno 1632.

Senibus quales coniuges ſint eligẽda.

EPISTOLA LXXX.

PERIOCHE.

1. *Intermiſſum cum Doringio Litterarium officium ob temporum iniuriãm dolet.* 2. *Afflicta Germania vices deplorat.* 3. *Librum quartum Practica de morbis mulierum & infantium prale breui ſe daturum ſignificat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Intermiſſum cum Doringio litterariũ officium ob temporũ, iniuriam dolet.

SIlet ferè inter nos litterarium officium, *Vir Clariſſime, atque Excellentiſſime Domine Affinis, & Compater honorande*, non meâ culpâ, ſed temporum iniuriâ, quâ Tabellariis noſtris pænè ad vos aditus præcluditur. Semel atque iterum per ordinarium *Lipſienſem* Tabellarium ad te ſcripſi, ſed quia iſtâ occaſione ad reſpondendum nunquam vſus es, eam tibi minus placere exiſtimaui, nec eâ poſthac vti volui. Quia verò hic mihi Tabellarius noſtras oblatus eſt, iſtam ſcribendi occaſionem negligere nolui; etſi adeò multa, quæ ſcribere poſſim, & nuſim non habeam. Publica enim tibi æquè ac mihi ignota eſſe puto; cùm nemini non ſint notiſſima. Deus tandem afflictæ, & ferè perditæ Germaniæ miſereatur, & ei priſtinam tranquillitatem, ac pacem reſtituat! priuata quod attinet, qualis meus ſtatus ſit, facilè colligere potes. Inter iſtas publicas, & priuatas calamitates, quibus iam peſtilentia accedit, & intra atque extra oppidum, ſerpere incipit, à meo inſtituto non deſtiti, & *librum quartum Practica de morbis mulierum & infantium* abſolui, qui, ſi Deus volet, proximis nundinis *Francofurtenſibus* lucem aſpiciet. Vt exemplar proximis Nundinis *Lipſienſibus* per ciues veſtros, accipias, curabo. Spero te ab iiſdem proximis nundinis meas litteras accepiſſe. Tuum *de peſte Tractatum* nondum vidi. Saluta tuam, & bene vale, VVittebergæ, die 28. Iulij, Anno 1632.

Afflicta Germaniæ vices deplorat.

EPISTOLA LXXXI.

PERIOCHE.

De peſtilentia graſſante, & milite Saxonico pacem Germania affulgentem interturbante.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

SCur rariùs nunc ad te ſcribam, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, cauſam ſcripſi in litteris per curſorem veſtrum Chriſtophorum ante menſem ad te miſſis. Anhelamus & nos pacem: quam tamen miles *Saxonico-Brandeburgicus* nobis inuidere videtur; qui vti fama fert, in noſtram *Sileſiam* irrupit. Doleo veſtram vicem ob peſtis periculum: Eadem vicinos etiam nobis pagos quoſdam inuaſit. Deus clementer prohibeat, ne ſemina ipſius & intra noſtra mœnia furtim deportentur. Quod ſi fortè fiat: ſatius tamen fuerit, vt in manus Domini, quàm hoſtium, incidamus: ſic dictante Regio Pſalte. Mittebar hodie ad me *D. Conradus* percontatum, numquid certi quid mihi innotuiſſet, de grandi tempeſtate, quæ apud vos antè aliquot ſeptimanas obortam, nonnulli ſparſerunt. Miratus ſum, quod de illâ tu nihil ad me ſcripſeris. De abſoluto quarto *Practica* libro tibi gratulor. Ciues noſtri num *Lipſiam* ad nundinas Autumnales profecturi ſint? ſcit ille ſolus cui futura inſtar præſentium ſunt. Si proficiſcentur; mittam & ego per ipſos meum *de Peſte* (quoniam Tabellarius eum proximè præter ſpem reliquerat) *Faſciculum*, Iam enim ob periculum viæ nec cum hoc Curſore mittendus mihi viſus eſt. Quia tu de tertio coniugio ineundo iam nihil adieciſti: idcircò rumorem illum *Sitiſianum* pro fabula habeo. Bene vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 6. Auguſti, Anno 1632.

Miles Saxonicus affulgentem Germania ſpem interturbat.

EPISTOLA LXXXII.

PERIOCHE.

1. *Doringij ſilentium miratur, illudque tandem rumpat, hortatur.* 2. *Quintum Librum Practica in lucem breui daturum pollicetur.* 3. *Si quid de natura & curatione Plica Polonica experientia conſentiens obſeruarit, ſibi communicari deſiderat.* 4. *De D. Comitis Poloni ſtatu certiorem fieri peroptat.* 5. *Auctor Ophthalmia corripitur.* 6. *Doringij conſilium pro huius affectus curatione poſtulat.* 7. *Publicarum rerum quis ſtatus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Doringij ſilentium miratur.

SValdè miror, *Clariſſime, & Excellentiſſime Dn. Affinis, & Compater honorande*, quod vtrimque in tanto belli & peſtis periculo verſamur, tanto temporis ſpatio nihil ad me litterarum dediſti, nec tuarum rerum ſtatum mihi expoſuiſti, nec meum exploraſti. Ego ſanè dudum ad te ſcripſiſſem, Si Tabellarij copia mihi fuiſſet: Neque etiam iſta, quæ per Ordinarium *Lipſenſem* eſt, occaſione vti volui; quam viâ iſtâ nunquam hactenus ad mea reſponderis.

Auctor de Doringij ſtatu ſollicitus.

Quia verò interim tempus protrahitur, & me ſtatus veſter valde ſollicitum habet, ſilentium hoc rumpendum, & hac ipſa via, quia commodior alia non datur, litteras has ad te exarandas putaui. Rogo ergo, vt per hunc ipſum Tabellarium primâ occaſione me edoceas, quis hactenus fuerit & adhuc ſit, tuus, tuæ vxoris, & *Dn. Danielis* Affinis ſtatus.

Quintum librum Practica in lucem breui daturũ promittit.

De reliquis, quæ ſubiungam, capitibus, ſi hac occaſione reſpondere commodum non fuerit, poterit id proximis nundinis *Lipſienſibus* fieri. Animum equidem pænè abieceram de continuandis reliquis libris *Practices*. Ab Amicis tamen admonitus, *quintum* in manus iterum ſumſi, & maximam eius partem abſolui. Qui ſi Deus volet, proximis nundinis *Francofurtenſibus* lucem aſpiciet. In quo, cum & *de capillorum vitiis* tractandum fuerit, *Plicam Polonicam* præterire non potui. Quum verò de eâ nihil in publicum eſſet, præter aliquot *Italorum* tractatus, qui ferè inanes ſpeculationes continent; Tu verò in vicinia *Polonia* viuas, à te amice peto, vt ſi quid de natura & curatione huius morbi comperiſti, quod cum experientiâ conſentiat, id mecum candidè quamprimum communices; quod pariter proximis nundinis fieri poterit.

Et quia morbus hic mihi in memoriam reuocat *Comitem* noſtrum *Polonum*, qui hoc morbo, & Scorbuto (qui affectus in multis ſymptomatibus conueniunt, præcipuè antequàm Plica erumpit) laborabat, ſimul oro me certiorem facias, an adhuc in viuis ſit, vbi viuat, & quomodo valeat, & an *D. Pontanus* cum eo ſit, vel *Vratiſlauia* viuat. Cæterùm, meum, & meorum ſtatum quod attinet, ſumus Dei benedictione adhuc ſalui, & incolumes; niſi quod hactenus lenta quædam Ophthalmia mihi moleſta fuit, quæ ante dies 10. ſubitò incrementum ſumens, facit, vt litteras has meâ manu ſcribere non potuerim. Ea eſt ſine omni dolore, ſed à ſero melancholico ortum habens, proptereà contumacior. Quantum conĳcere poſſum ex aliis indiciis, prouenit materia ea ſiniſtro hypochondrio, & magis per arterias, quàm per venas fertur. Sollicitum me iſta valdè habet, ideóque ſi quid conſilij habes, qua ratione fluxum iſtum ab oculis auertere poſſim, id mihi communica. Publica quod attinet, non opus eſt, vt aliquid addam, cum nemini non nota ſint. Nos equidem hactenus in vicinia ab hoſtili incurſu immunes fuimus, malorum tamen ſatis eſt, quod à noſtro milite patimur. Deus tandem pacem reſtituat. Bene vale, & tuam ſaluta. Vittebergæ, die 26. Nou. Anno 1633.

Auctor Ophthalmia corripitur.

Doringij conſilium pro huius affectus curatione, rogat, publicarum rerum ſtatus.

EPISTOLA LXXXIII.

PERIOCHE.

1. Doringij uxoris obitus. 2. De Pestilentiariorum Medicorum interitu. 3. De Auctoris Ophthalmiæ curatione, Doringij iudicium.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S Diuturnum tuum silentium, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, non minus admiratus fui hactenus, quam tu meum. Eadem verò mei, quæ tui extitit causa. Accessit deinceps altera: Obitus nempè meæ quondam coniugis charissimæ & curatricis fidelissimæ, die 7 Novembris, cuius quoties recordor, (recordor autem in singula ferè momenta) non sine lachrymis recordor. Obiit autem peste cum carbunculo insigni in scapula dextrâ. Retinuit optima coniux per triduum ad minimum malum, cum nullo nobili symptomate affligeretur. Ad usum nobilissimorum expulsivorum, ne guttula sudoris elici potuit. Hortatu igitur Amicorum post obitum ipsius in horto meo contiguas ædes concessi: In quibus per Dei gratiam salvus, & sanus, adhuc dum cohabitem, *Dn. Affinis Daniele*, cui ob idem periculum per menses quasi duos eandem habitationem concesseram. Reversus in pristinas ædes bono cum Deo ad instantem novum annum, qui ut pænè decurso sit felicior, ex animo opto. Abstulit nobis pestis tres Medicos pestilentiarios: *Erngium, Myncerum, & Conradum*, meum nuper collegam etiam factum, & in *Crentzmanni* è phthisi defuncti locum surrogatum. *Polnerus* reliquos quoque secutus est, postquam patienti suo à peste decumbenti incautiùs fortè adstiterat. Nostrûm numerus, raro utique exemplo, ad denarium nunc est redactus.

Doringij coniugis obitus.

Pestilentiariorum Medicorum interitus.

Spero autem te ex Genero tuo, coniugis meæ obitum rescivisse: quippe cum per *Dn. Chrystophorum Hubnerum* Generum nostrum, qui Comes iuit Legato nostro *Dresdam* usque, nunciari potuit. Ita scil. & me ea improviso dolor, quem tu bis non sine cordolio sustinuisti, sed Dei nutu & Auxilio fortiter superasti, occupavit. Rem familiarem quàm grande sit curare ignoto, meo iam malo edoceor, sed forti animo ferendum, quod mutare non licet. De Plicæ Polonicæ curatione quod scribam nihil habeo. *Dom. Comes Sapiecha* num & ubi vivat me latet. *Dominus Pontanus* nobiscum commoratur. Ophthalmiam tuam quod attinet, facile tibi quoad causas & generandi modum assentior. Recordor autem nunc affectus illius dolorifici qui te singulo manè per aliquantum temporis spatium aliàs affligere solitus est. Serum itaque ut omnibus modis & per omnes vias evacues & ad inferiora deducas, operam dabis. Antim. diaphor. cons. eufras. vel decoct. chinæ. Interim item pedum, aut fonticuli in crure sinistro usus an tibi profuturus sit? ipse cogitabis. Evacuantia quin præmiseris nullus dubito. Setaceum quidem multum creat molestiæ, quantum tamen emolumenti in affectibus oculorum attulerit, *Fabricius* docet in suis *Observationibus*. Sed hæc omnia tuo committo iudicio & arbitrio. Deus nos tandem pace securâ beet & exhilaret, de qua nulla tamen spes adhuc nobis affulget. Bene vale & cum tuis salve. Dabam Breslæ 21. Dec. S. Thomæ sacro, Anno 1633.

De Ophthalmia Auctoris curatione.

Setaceum in affectionibus oculorum utilissimum.

PHILIPP. IACOB. SACHS A LEVVENHEIMB, Lectori S. P.

Hucusque in MSS. Exemplari inveniuntur descripta Epistola, nec alias præter authenticas simul his additas invenire licuit Responsorias, quarum etiam aliquas periisse constat. Crediderim & Praxeós acuta negotia, & bellicas turbas ingravescentes, & morbi podagrici Doringium crebrius infestantes insultus, interrupisse utilissimum & eruditissimum hoc litterarium commercium.

EPISTOLA LXXXIV.

PERIOCHE.

1. Auctor Doringij defunctam coniugem dolet. 2. Publicarum rerum status miserandus. 3. Auctor Ophthalmiæ suæ contumaciam Astris tribuit. 4. Quid & pro aliis doloribus sedãdis quibus vexabatur, præstiterit.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S Operarum, *Clariss. Dom. Affinis & Compater honorande*, te diuturni tui silentij aliam causam afferre potuisse, quàm hanc, uxoris nimirum tuæ Charissimæ obitum, quem vehementer doleo, non tam ipsius causâ, cui iam bene est, & quæ has omnes, in quibus versamur, calamitates effugit, sed tui inprimis, qui, ut confido, sociam vitæ fidam, & in crebris morbis, tui & tuarum rerum curatricem sedulam amisisti. Verùm Domino ita placuit. In eius voluntate acquiescamus, & nos ad idem iter præparemus. De obitu uxoris nihil dum rescivi, neque *Dom. Christophorus Hubnerus* per Generum mihi aliquid de eo nunciari iussit. Nuper, & ante paucos saltem dies, *Nobiliss. Dom. à Zedlitz*, Consiliarius Ducis Bregensis aliquid de eo significavit: Verùm ipsi, non ex *Silesia*, sed *Francofurto ad Mœnum* huc venienti, fidem habere nolui.

Auctor Doringij uxorem defunctam dolet.

Meum & rerum mearum statum quod attinet, est quod Deo gratias agam: nisi quòd publicus Reipubl. status apud nos miserandus est. Habemus hic ad biennium militem præsidiarium, ferè semper 1500. quem dum oppidum & vicina regio alere cogitur, tota pessundatur, & ita infelix & miserandum nostrum bellum est, quod plus amicis quam hostibus nocet. Academia præterea tota ferè dissipatur, & dum fisci nostri debitores milites alere coguntur, nobis quod debent non solvunt, & ita nostris stipendiis caremus. Ophthalmia mea me valde sollicitum habet, ad quam, si Astrologis fides habenda, facit Solis situs in via lactea in geminis, cum quo iam in transitu coniungitur Saturnus, & ipso die natali partiliter coniunctus erat. Seri per sudores evacuationem copiosam haben, cùm ab eo tempore, quo quartanâ laboravi, quod ferè ante annos viginti contigit, singulis diebus, circa horas matutinas copiosè sudem. Miror verò, quod sudores isti, illud, quod in oculis, & cruribus, & interdum aliis quoque corporis partibus, mihi molestum est, non exhauriunt. Ante annos iam aliquot, fonticulum in sinistro brachio excitari curavi: verùm cùm is non satisfaceret, alium ante mensem in nucha aperui, quem idem, quod setaceum, præstiturum spero. Et quia dolores illos in cruribus & pedibus, singulis ferè diebus manè percipio, curabo ut alius fonticulus in sinistro crure excitetur, & ille in brachio occludatur. De quo tamen tuum iudicium exspecto. Purgationes, quibus parum adsuevi, difficulter tolero, & post earum usum tota ferè œconomia corporis turbatur, coctio inprimis in ventriculo & hepate læditur, alvus obstruitur, atque inde pejùs habeo. Quia *in libro 5. Practicæ*, inter capillorum affectus, omnino Plicæ Polonicæ mentio facienda fuit, inserui historiam morbi *D. Comitis* vestri, non tam meis, quam *D. Pravotij* Professoris Patavini, & *D. Franc*, Medici eius domestici verbis. De eo dubito, an ex medicamentis quædam, quæ adhibita sunt, adiicere debeam. De quo tuum iudicium capero. Sed ut responsum per tabellarium *Lipsiensem* maturares oro cùm operæ typographicæ festinent. Bene vale. Salutant te nepotes mei. VVittebergæ, pridie Cal. Ian. Anno 1634.

Publicarum rerum miserandus status.

Auctor Ophthalmiæ suæ contumaciam astris tribuit.

Quid pro variis doloribus sedandis præstiterit.

EPISTOLA LXXXV.

PERIOCHE.

1. Mira Doringij erga uxoris memoriam observantia. 2. De Patria calamitatibus à Præsidiario milite: 3. Ab Auctore de ipsius Ophthalmiæ causa dissentit: 4. Arthritidis novis doloribus cruciatur.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

S Et Prosperrimos novi Anni successus: Quòd dolore tam pio, suavissimæ quondam uxoris meæ occubitum sentis, *Clar. Dom. Affinis, Compater plurimùm honorande*, illud ipsum hoc est, quod de tanto amico constantissimè semper mihi pollicebar. Contigisset utinam; utinam contigisset

voluisset Numen, vt tot coniugij secia transmisissemus quot annos! sed quemadmodum tale votum, extra omne est votum: ita minimo placeat Deo quod placuit ex cuius arbitrio sortes nostras voicè caustare, vel fex plebis agnoscit. Vero quidem est verius, talem consortem amisi, qualem vix dies dabit: sed taliter ipsam vicissim lugeo, qualiter quisquam alter vix potest; nisi supra communem mortalitatem plus nimis magno æstimio pendeat, quod amat. Transeant tamen ista, transeant. Neque enim opus est apud te, *me Dom. Compater*, numerosa oratione deducere, quod antè credis; neque desunt porrò Amicorum testimonia: quorum vti, voà sub parentationem *Reuerendi Dom. M. Michaelis Hermanni* uoltei plurima colligo: ita vehementer optimia desideratissimum te exposco: dum vel marmorea tabula quam erigimus, supra talem affectum & manum, maius ostendere non possit. Cæterùm de incolumitate tuorum tantopere gaudeo, quanto quidem ipse vix queam: Ita etiam, vt leuiter feram, quæ de tumultibus bellicis, militéque præsidiario accusas. Vna eademque vehimur naui, atque vniuersa Patria nostra nihil anxiùs quæritur, quàm sub tam speciosa Amicitiæ larua, tantas sibi clades adsciscì, quantas apertus aliquis Hostis, inferre duriùs non possit. Sed ab istis lachrymis, in Ophthalmiam tuam aduerto. Illius equidem causas, vti tu astrologicè proponis, ita ego, sed pace tuâ, magis in continuas lucubrationes reiicio, quibus incredibile est, quantum te largiaris. Tuo ipsiusmet iudicio firmabitur, quàm vehementer vigiliis crebris cerebrum incalescat. Vnde sicuti molestum tuum serum fortiùs attrahitur: ita procliuiùs postea ad partes debiliores, insigni cum damno defertur. Inprimis igitur impostetum hac parte tibi temperabis. Et siquidem purgationibus ægerrimè habes, cogita tecum Scorbuticos purgatione vt maximè lædi; & videbis eum Antiscorbuticis plus possis proficere. Fonticulum in sinistro brachio citiùs claudere antequam ille in nucha satis respondeat, non suadeo. In errite vt nouus aperiatur, omnino consentio, siquidem eò serum, vtpote ad locum commodiorem, deducitur & reuellitur. Quandoquidem autem planè a catharticis abhorres, quia ferre non potes: planè inducunt, te enematibus conuenientibus maximè subleuatum iri. De editione *quinta tua Praxeos partis*, prolixissimè nobis gratulor. Et cur non *Pranocy* de Plica consilio, medicamenta assignas? Causas non video, dum sanior omnis, omnis candorem tuum exosculari queat. Ast vt longiore epistolâ tecum iam agam, *compater Colendissime*, familiare Arthritidis meæ malum non admittit. Non solùm enim huc vsque in duodecimum diem, ex vtroque pede & genu, miserè laboraui: sed heri etiam eò vsque incrementa sumpsit affectus, vt vtraque manu nunc capiar, hocque quodcunque vides, vicariâ *Christiani Cunradi*, communis amici nostri, *Dom. D. Caspari Cunradi p. m.* filij nato maioris manu perfecerim: qui vt quâ par est submissione, sua officia, cum honorificentissima salute tibi defert: ita proximo tabellione, ipse ad te viset, & quod iam abs me, pro Vxoris meæ memoria positur, etiam in carissimi Parentis sui nomen orabit. Bene & feliciter vale. Vratislauiæ, prid. Non. Febr. Anno 1634.

Mira Doringij erga uxoris memoriam obseruantia.

Patria calamitates à præsidiario milite.

Scorbutici purgatione læduntur.

Enemata, purgationis vices supplent.

EPISTOLA LXXXVI.

PERIOCHE.

1. *Auctor, Mercurij vitæ vsum damnat.* 2. *De Patriæ rerum statu.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S*Clarissime & Excellentiss. Dn. Affinis, & Compater honorande.* Persuaseram mihi tabellarium hunc iam dudum ad vos abiisse: hodie demum cognoui, cum metu militum hinc inde migrantium, adhuc hîc hærere. Interim tuas accepi, & ex iis, vt & *D. VVinckleri* literis intellexi, fasciculum illum à me missum rectè ad eum peruenisse. Quia verò ex tabellario intelligo, eum *Bregam* excursurum, poteris illi meas ad *D. VVincklerum* tuis inclusas, ad illum perferendas tradere. Cur de Mercurio vitæ proximè ad te scripserim, caussa est, quòd Medicus quidam *Halberstadiensis*, planè surdus, multum scribendo & Mercurium suum vitæ, quo Panaceæ instar vtitur, laudando, & meum suffragium ambiendo, mihi creat molestiæ. Sed me applausorem, vix habebit. Mercurio vitæ vtatur per me licet, qui volet. Ego infuso vitri antimonij ad grana iv. in maluatico, hac æstate semel atque, iterum vsus sum. Quid de *Silesia* vestra fiat, si ad me perscripseris, gratum erit. Nos enim hîc nihil certi habemus: Nos hîc in magno versamur periculo. Tota *Misnia*, inprimis ditio *Lipsiensis* milite Electorali: contrà Episcopatus *Magdeburgensis* & *Halberstadiensis* Suecico repleta est. Elapsâ proximè septimana Legati Suecici apud Electorem nostrum *Lipsiæ* fuerunt. Quid inter eos actum, nondum palam est. Deus faxit, vt inter se conueniant, Aliàs de nobis hîc actum erit. Bene vale, & cum tua à me & mea salue. Dabam VVittebergæ, 10. August. Anno 1635.

Auctor, Mercurij vitæ vsum damnat.

Patria rerum status.

EPISTOLA LXXXVII.

PERIOCHE.

1. *Doringio sanitatem felicem precatur.* 2. *De periculoso Silesiæ statu.* 3. *Suecorum de Germanis victoria.* 4. *Freytagij in Sennertum inuidia, huiusque de variorum operum editione anceps animus.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

SAlutem, annumque nouum felicem. Quòd arthritis, *Clarissime Dom. Affinis & Compater honorande*, te ex longiore interuallo inuasit & paroxysmus tolerabilis fuit, gaudeo. Deus faxit, vt pilulæ tuæ, quòd spero, multum tibi prosint. Statum *Silesiæ* adhuc satis periculosum esse audio: dum hinc Reformatio, illinc exactiones & milites eam premunt. Qua de causa traditio *Lusatiæ* suspensa, caussam certam nondum percipere licuit. Hic saltem vulgò fertur, præsentiâ *Electoris* nostri opus esse. Sueci nondum sese accommodant, contra quos hactenus Marte non satis felici Elector noster pugnauit. Interim vrbes & pagi vastantur, & miles, quo forsan aduersus Turcam opus esse posset, perditur. Mitto iam librum sextum & vltimum *Practicæ*. Atque ita laborem hunc, Deo benedicente & vitam largiente, absolui, quod vix sperare potui. Spero apud bonos me aliquam laborum gratiam: etsi *Freytagius* ferè insaniat & maledictis victoriam quærat. Quæ res ipsa facit, vt de editione *Hypomnematum Physicorum*, quæ sunt, *De principiis, de occultis qualitatibus, de Atomis & mistione, de origine viuentium, & de spontaneo viuentium ortu*, quæ iam absoluta habentur, dubitem; etsi docti viri me ad editionem hortentur. Verùm *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.* Tu verò cum tua bene vale, & à nobis salue. VVittebergæ prid. Cal. Ian. Anno 1636.

Silesia periculosus status.

Suecorum de Germanis victoria.

EPISTOLA LXXXVIII.

PERIOCHE.

1. *Auctori duo in sexto Libro praxeos Medicæ legisse significat, quæ ipsi non satisfaciunt, de Basilisco scilicet & nuce vomica, de quibus vt clariùs mentem aperiat, eum rogat.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

SPro exemplari *sexti libri Praxeos Medicæ, Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, gratias officiosas ago. Peruolui aliquid in eo: & duo præcipuè occurrerunt, de quibus sciscitari hac vice ex te placuit, Prius est de *Basilisco*, quem tu *pag.* 19. emortuum nihil noxæ inferre scribis, cùm viuus tam nociuus sit, citasque *Epitomes tua Physica lib.* 7. *c.* 10. Inquisiui in prima editione: sed nihil tale in ea offendi. Alteram videre mihi non contigit: Neque frustrà eam videre velim. Scripsi enim olim ante meum è *Giessa* discessum, aliquid de hoc monstro; idque dari, tum temporis asserui, potissimùm persuasus *Ioh. Piscatori* fide. Optarim itaque, vt & tuam sententiam super hac re cognoscere possem. Posterius est de *Nuce vomica*, quem tu, *suo loco*, etiam hominibus venenum esse doces, contra alios contrarium asseuerantes. Et miror, te ea, quæ in *Annotat. ad tractatum VVillichy de Pasta*, in medium produxi super hac materia, sicco planè pede pertransiisse. De quibus item quid sentias, scire velim. Vale Raptim Bregæ 4. Februar. Anno 1636.

De Basilisco mortuo Auctoris indicium.

Nux vomica an venenum.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXIX.

PERIOCHE.

1. *Quid de Hypomnematum physicorum editione Auctor præsagiat.* 2. *Publicarum rerum statum in peius denunciat.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Quid de Hypomnematũ physicorum editione Auctor præsagiat.

SAl. & Officia. *Clarissime & Excellentissime Dom. Doctor, Affinis & Compater honorande* Ieci tandem aleam, & *Hypomnemata Physica* edidi, atqoe ita finem scribendi faciam. Concitabo forsan aliquos in me crabrooes: Verùm veritas odium parit. Mitto eorum duo Exemplaria, qoorum vnum tuum sit: Alterum, vt *Dom D.VVinckleri* cum literis adiunctis, prima sedcerta occasione mittas, oro. Publica tranqoilliora non fiunt, sed in dies perturbatiora. Statum barom regionum à mercatoribos vestris cognosces. Eum enim literis describere, prolixom foret. Bene Vale cum tua, & à meis salue. VVittebergæ, 8. Octobr. Anoo 1636.

EPISTOLA XC.

PERIOCHE.

1. *De Mutis & surdis epipistolas à Doringio scriptas communicari sibi flagitat.* 2. *Patriæ statum semper calamitosum.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

De Mutis & surdis natis Doringij epistola.

SPero, *Cl. Dn. Affinis, & Compater honorande*, e literas tuas iotrrà excussisse, aut certè Epistolas *de surdis & mutis natis* olim descriptas inuenisse. Rem gratissimam mihi feceris si eas hac occasiooe transmiseris. Considerabo ea omnia diligeoter: forsan in tuam ibo senteutiam. Literas meas cum *Hypomnematibus Physicis* te *Lipsiâ* accepisse spero, & alterum Exemplar *Dom. VVincklero* misisse. Publica sunt in antiquo stato, nec dum vlla spes Pacis affulget; sed omoes penè finitimæ regiones à milite vastantur. Deus tandem nostri misereatur. Literas additas tabellario huic, si *Bregam* excurret, tradas: sio minùs, alia certa occasione *Domino VVinckhlero* mittas. Tu verò bene vale. VVittebergæ, 8. Nouembr. Anno 1636.

Patriæ status semper calamitosus.

EPISTOLA XCI.

PERIOCHE.

1. *Doringij iudicium de animalibus viuiparis, lac an habeant antequam fiant granida.* 2. *De surdis & mutis natis epistolas Auctori mittit.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Doringij iudicium de animalibus viuiparis, an lac habeant priusquam fiant grauida.

S*Clarissime Dom. Affinis, & Compater honorande.* Legi ooooihil in *Hypomnematibus*, In *fine primi, pag.* 55. asseris: animalia viuipara lac non habere, antequàm grauida fiant. Certè cuntrarium *Giessa* docoit Capra; Canis mea antehac domestica; Virgo, quæ parentem fame occandum vberibus lactauit, & à morte præseruauit. Nimirum cùm, vt *pag. seq.* rectè scribitur, Deus mammis facultatem è sangoine lac generandi tribuerit, etiam fine ingrauidarione, crebro suctu, vel tractu, lac tandem elici poterit. Mitto hîc promissas *de surdis & mutis natis* Epistolas, quas aliquando publicare animus erat; cum Oratione *Salomonis Alberti* de hoc argumento habitâ. Perpendas vtriusque fundamenta diligentiùs, & vtrius veritati magis respoodeant, dispicies. Vale. Datum Breslæ, die 9. Decembr. Aooo 1636.

EPISTOLA XCII.

PERIOCHE.

1. *Auctor mentem suam de lactis generatione limitat.* 2. *De mutis & surdis natis quid sentiat.* 3. *Germania ab externo & domestico milite deuastatur.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor mentem suam de lactis generatione limitat.

De surdis & mutis natis quid sentiat

SAl. annúmque oouum felicem! *Clarissime & Excellentissime Domine Affinis, & Compater honorande.* De Lactis generatione in *Hypomnematis Physicis*, spectaui id, quod plurimùm euenit, & primariam Naturæ intentionem, quæ ideò lac generat, vt fœtus eo alatur. Aliàs, qoid de qnæstione illa, An virgioes lac habere possint, sentiam, exposui *lib. 4. Practica, cap. de Virginitate.* De surdis & mutis cogitabo ampliùs, & forsan vtramque caussam cooiungam, vt scilicet admittam, surdos ob auditus defectum nullam linguam discere posse; coniongam tamen & alteram caussam, oimirum neruom communem læsom. Non enim video, quomodo probari possit, ob priuatum auris vtriusque (nam vnius aoris vitium surditatem non inducit) vitium, surditatem à natiuitate fieri posse. Bellum adhuc durat, & passim regiones vastantur. *Banier* cum exercitu iam in *Thuringia* venit, & *Erfordiam* obsidet. Nos quidem hîc ab externo hoste hactenus oihil mali passi sumus: interim domesticus omnia vastat, & præsidiarius istam, vrbem, quam miserè pessundat. Ego qnidem oihil, Dei beneficio, ab eo mali passus sum: sed quantum mali vicini ciues quotidie ab eo patiantur, cum gemitu video. Nec tamen spes vlla pacis adhuc apparet. Cura, quæso, vt literæ hæ rectè *Bregam & Bernstadium* perferantur. Beoè vale, & cum tua, à me, meis salue. VVittebergæ, prid. Cal. Ianuar. Anni 1637.

EPISTOLA XCII.

PERIOCHE.

Ab Auctore Doringius de surdis & mutis natis dissentit.

Digitized by Google

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

De mutis & surdis natis ab Auctore dissentit.

S. *Clarissime & Excellentissime Domine Affian, & Compater plurimum honorande.* De surdis & mutis statuas licet, quod libet, Mea enim nihil interest, modò videas vt ad veritatem collinees. Illud miror, quo modo es præcipitantia ista scripseris: *Non enim video, quomodo probari possit, obpriuatum auris vtriusque (nam vnius auris vitium surditatem non inducit) vitium surditatem à natiuitate fieri posse.* Perpende ea ipsemet diligentiùs, & facilè videbis, nihil omnino ista per te concludere, sed contrarium potiùs euincere ***. Bene vale. Datum Breslæ, die 25. Febr. Anno 1637.

EPISTOLA XCIV.

PERIOCHE.

1. *Auctor surditatis & mutitatis à natiuitate caussam fusius explicat.* 2. *De scripto D. Marci quid indicet.* 3. *Patriam à Suecis deuastatam plorat.* 4. *De motu projectorum.* 5. *De animarum pluralitate.*

D MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Surditas à natiuitate ad mutitatē inducendam sufficit.

SAl. & Officia. De surdis & mutis statuo, *Clarissime Domine Affinis, & Compater honorande*, & in eo tecum consentio, surditatem à natiuitate ad mutitatem inducendam sufficere, neque quem loqui posse, qui alios loquentes priùs non audiuit. Caussam verò surditatis illius à natiuitate quod attinet, non ex præcipitantia proximè scripsi, ex priuato auris vtriusque vitio surditatem illam prouenire non posse, sed re diligenter cōsiderata adhuc dubito, an officulorum auditus, vel membranæ alicuius extrà auri obductæ vitio, tale quid contingere possit: neque id credam donec aliquâ obseruatione persuasus fuero, qualem adhuc nullum legi. Scriptum *D. Marci*, in manus meas *Lipsiâ* missum peruenit, cùm iam *Hypomnemata* mea absoluissem, & *Schlesibio* transmissurus essem. Mallem illud suppressisses, donec & librum secundum absoluisset, & quæ edidit, clariùs scripsisset. In iis, quæ intelligo, in multis mecum consentit; in non paucis etiam dissentit. Multa verò sunt, quæ non satis capio, ita σκεπτιζ Et nescio, an demonstrationibus istis Mathematicis res Physicas magis declaret, an obscuret, vt quæ de euolutionibus formarum, *cap.* 3. habet, & generatione crystallorum salis, in *fine cap.* 1. Verùm obiter tum saltem eum peruolui, necdum eum attentiùs legendi otium fuit. Spero & alteram partem paulo pòst in lucem prodituram, quod à Medico *Lipsiensi*, per quem me salutauit, facilè rescisceam. Quod vbi factum fuerit, diligentiùs eum perlagam, & quid de difficilimo illo *Hypomnemate quinto* sentiat, videbo. Si quid *Martino Zoble* inseruire potero in me nihil desiderari patiar. Deplorationem pacis *Germaniæ Iusti Asteny* non video. Prodeunt talia scripta satis mordacia, etiam à Theologis *Stetinensibus*, in publicum multa: verùm an ad pacem *Germaniæ* restituendam aliquid factura sint, dubito. *Suecorum* animi iis magis inflammantur, qui in sua caussa defendenda aliàs segnissimi sunt, & licèt bonam caussam haberent, (de quo meum non est iudicare) tam pessimè agunt, dum in innocentissimos, & quibus armis sese defendendi nec voluntas, nec potestas est crudelissimè, & plusquam barbaricè, rapinis, spoliationibus, homicidiis, incendiis, stupris grassantur. Nulla dies intra vnam atque alteram septimanam transiit, quâ non in vicinia quatuor, quinque, sex viderimus incendia. Deum velle hoc modo religionem defendi, nunquam probare poterunt.

De motu projectorum.

Motum projectorum quod attinet, adhuc sum in ea sententia, quæ & qualis sit illa virtus projecto impressa, à nemine adhuc explicari potuisse: quomodo autem ille motus ab aëre fiat, satis clarè explicauit *Fracastorius*, *de sympathia & antipath. cap.* 4. & ipse *Aristoteles* 8. *Physic. cap.* 10. *text.* 82. & alibi, caussam motus projectorum non in projecto, sed in medio, aëre scilicet, esse statuit. Pusillum istud pomum in maiore natum puto duobus floribus commixtis, sicut interdum duo vel tria poma coalescunt. Quod tandem scribis, dum *Hypomnemate* 4. rationes defendentium pluralitatem animarum refutare conor, me vtplurimùm principium petere, ad id nihil respondere possum, quia in genere hoc scribis. Gratum ergo feceris, si in specie hoc monstraueris, vt inde meam sententiam vel corrigere vel roborare possim. *D. Marcus Marci*, vt & alij, pluralitatem animarum defendunt, non rationibus victi, Sed quia, vt Catholici, infusionem animarum statuunt, necessitate coacti. Aliàs enim formationis fœtus caussam nullam reddere possent. Bene vale cum tua, & à nobis salue. Scriptionem sublestam visûs imbecillitati imputa. VVittebergæ, die 7. Martij, Anno 1637.

D. animarū pluralitate

EPISTOLA LCV.

PERIOCHE.

1. *Quid Auctor de D. Marci scriptis sentiat.* 3. *in quibus circa animam & facultatem formatricem è semine ab eo discrepet.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

SAlutem & Officia. Essent equidem, *Clarissime & Excellentissime Dom. Affian & Compater honorande*, multa, quæ scribere possem: verùm omnia litteris tutò committi non possunt: quæ tamen publica sont, è tabellario cognoscere licebit. Cæterùm cùm nuper in litteris tuis, *D. Marci Marci* mentionem feceris, eum, quem dudum seposueram, & obiter saltem inspexeram, in manus sumere cœpi. Agnosco virum esse ingeniosum, sed qui obscuritate scriptionis apud multos admirationem sibi parit. Ego, quod ingenuè fateor, mentem eius non semper assequor. Quantum tamen conjecturâ assequi possum, dubito, an omnia solida sint. Quòd è semine animam & facultatem formatricem concedit & extollit, rectè facit: Sed an formatio eo modo, quem ipse animo concepit, perficiatur, & an istâ, quam proponit, specierum confusione & euolutione, radiisque, ad modum radiorum opticorum, peragatur, dubium. Certè membra corporis nostri paucissima habent regulares figuras mathematicas, & proinde eorum formatio ad earum regulas vix exigenda & examinanda est. Verùm de re, quam non satis capio, pluribus iudicare non possum, nec debeo. Salutant te omnes mei, & inter hos M. Andreas, qui hunc libellum mittit. Bene vale. VVittebergæ, 20. Martij, Anno 1637.

Auctor quid de D. Marci scriptis sentiat.

In quibus circa animam & facultatem formatricem è semine ab eo discrepet.

EPISTOLA XCVI.

PERIOCHE.

1. *Surditas à natiuitate ob vtriusque auris priuatum vitium fieri posse Auctori respondet.* 2. *De Motu projectorum.* 3. *De Animarum pluralitate.* 4. *De editione secunda partis scripti D. Marci.* 5. *Sueci fusum Regium sanguinem Vindicant.*

Digitized by Google

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Surditas à natiuitate ab vtriuſque auris vitio fieri poteſt.

Dum te nuper de præcipitantia admonui, *Clariſſime Dom. Doctor Sennerte, D. Affinis, & Compater honorande*, non ſine iuſta cauſa id feci. Tranſcripſi enim tunc totum tuum diſcurſum: Tu verò potiſſimum momentum in reſponſo omiſiſti. Et oſtendas mihi velim rationem conſequentiæ iſtius: *Vitium auris vitium ſurditatem non inducit. Ergo ob priuatum vtriuſque auris vitium ſurditas à natiuitate fieri non poteſt.* Antecedens enim cùm de totali ſurditate ſaltem verum ſit, non autem particulari, illius ſcilicet auris, in qua vitium hæret: quidni veriùs ita concludam? Si vnius auris vitium ſurditatem particularem affert. Ergo vtriuſque auris vitium totalem inferet. Bene autem initio facis, quòd te dubitare ſaltem ſuper hac re ſcribis. *Dubitatio* enim, iuxta *Ariſtotel. gradus eſt ad ſcientiam.* Illud certe duriuſculum eſt, quando ſubiicis: *Neque id credam, donec aliquâ obſeruatione perſuaſus fuero, qualem adhuc nullam legi.* Profectò ſi ita colligere liceat, multa etiam veriſſima pro falſiſſimis erunt habenda. Nec monſtraueris mihi facilè authorem aliquem, qui obſeruationem protulerit facti ſurdi & muti à natiuitate, ob læſum communem neruum. Totum negotium nititur demonſtratione Anatomica in ſanis inuenta.

De motu proiectorum.

Legi, quæ de motu proiectorum ratione medij aëris, in medium affert tam *Ariſtoteles* quàm *Fracaſtorius*: Verùm ea animum ſciendi cupidum nondum ſatiant. Equidem niſi à primo mouente cauſam deriuemus, quæ ipſum motum dirigat, non ſatis aſſequor quomodo à fortiori, debiliorive mouente idem motum remotius propiusve propelli poſſit. Hinc iaculatores pulueris tormentarij vires exploraturi ſub eodem pondere ſuas habent certas machinulas, quibus accenſo puluere in virium cognitionem deducuntur.

De animarum pluralitate.

Pluralitatem animarum dum impugnas, videſis ne in propria dogmata impingas: quin diſpicias, vt formarum ſubordinationem defenſurus, pluráque eſſe ab vna anima deducturos reuerà ſis. Tradux pluralitatem ne hilum impedit. Et ſat ſcio, te antehac pro pluralitate ſteriſſe. Vt in ſpecie petitiones principij tibi enumerem, opus non eſt. Relegenti enim tuaſmet Reſponſiones, obſcura eſſe non poterunt, dummodò animus Præconceptis opinionibus non ſit occupatus. Quare tibi etiam dictum putes in *concluſione Hypomnematis tui quarti*, non laborandum, quomodo firmiſſimam aliquam demonſtrationem obiectionibus quibuſdam quis impugnet, & ſuſpectam reddat, ſed potiùs eum ſollicitum eſſe debere, quomodo ipſe dubia ſua ſoluere poſſit.

Dom. Marcum ſi ad editionem *ſecundæ partis* ſtimulare potes tuis monitis, ne intermittas, quæſo. Inueniet haud dubiè aduerſarios. Interea laudo ipſius conatus: deſidero duntaxat maiorem lucem.

Germania miſerè tractata.

Suecorum enormes exceſſos eſſe vt nemo prius probauerit: enormiter tamen læſos, nemo ſanus negauerit. Hoſtes iam ſunt Electoris, & vltores ingratitudinis ac profuſi ſanguinis Regij. Auxiliatores noſtri non mitiores in nos fuerint, adhucdum ſentimus ac querimus. Veſtri, quales ſeſe hodie præſtent, reipſa, ſed veſtro itidem damno experimini. Imò proprius miles nemini eſt æquior. Deus tandem miſeræ *Germaniæ* miſereatur, ac pacem ipſi largiatur! Bene vale, & à nobis ſalue. Dabam Breſlæ, die 7. Aprilis, Anno 1637.

EPISTOLA XCVII.

PERIOCHE.

Doringius Librum D. Marci probat, & Auctoris iudicium de formis à ſubiecto ſeparatis. depoſcit.

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIVS, D.

Doringius D. Marci ſcripta probat.

De *Domino Ioh. Marco Marci*, quod nuper ſcripſi, *Clariſſime Domine Affinis, & compater honorande*, id nunc non præter meritum (meo quidem iudicio) repeto. Non eſt triuialis Scriptor: Equidem laudandi ipſius conatus. Si cui forſan ſuis demonſtrationibus non ſatisfecerit monſtret is rectiora. Rectiora monſtranti haud dubiè ceder, veluti in præfatione promittit. Quæ de formis à ſuis ſubiectis ſparatis *ibidem* ſcribit, mira ſanè & noua ſunt: neſcio tamen an penitus reiicienda. Tu proximè tuam ſententiam ſuper hac re mihi aperias velim. Optarim, vt ſecundum etiam librum quantocyùs publicet: ad quod præſtandum tuis hortationibus non parum forſan præſtare poteris. Libellum à *Dom M. Andrea* miſſum tabellarius non attulit: quippe ſibi à prædonibus ipſum ereptum eſſe conqueſtus. Gratiam interim ago pro communicandi ſtudio. Qualis fuerit, proximè ſignifices, oro. Precor ipſi omnem felicitatem: tibi verò ſummum de eo gaudium. Res veſtræ vt in meliore ſint ſtatu, quàm nuperè, ex animo opto. Vereor, ne breui de ingenti ſtrage quid inaudiamus. Deus nouit, qui ſint ſui. Is omnia ad nominis ſuis diuini gloriam dirigat. Bene vale, & cum tuis à nobis officioſiſſimè ſalue. Dabam. Breſlæ, die 20. Aprilis, Anno 1637.

EPISTOLA XCVIII.

PERIOCHE.

1. Surditatem à natiuitate ab vtriuſque auris morbo priuato factam, probare & monſtrare difficile. 2. De pluralitate animarum Doringio reſpondet. 3. D. Marci ſententiam de formis à materia ſeparatis impugnat.

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Surditatis à natiuitate ab vtriuſque auris vitio, probatio difficilis.

Clariſſime & Excellentiſſime Domine Affinis & Compater honorande. Sanè concedo, vtriuſque auris morbum priuatum totalem ſurditatem inferre poſſe: ſed quando à natiuitate (quod probè notandum) hoc alicui acciderit, & quibus ſignis iſte vtriuſque auris priuatus affectus innotuerit, hoc probandum & monſtrandum. Neque enim Medicus certi quicquam de vllo morbo interno, niſi ex certis ſignis, pronunciare poteſt. Et ſi quis à natiuitate ſurditate laboret, & ego dicam ex nerui acuſtici vitio, tu ex priuato auris morbo id euenire affirmes, quis iſtam litem inter nos dirimet?

De pluralitate animarum reſpondet.

Caput de pluralitate animarum ſemel atque iterum relegi, nullas verò petitiones principij animaduertere potui. Pluralitas formarum ſubordinatarum ad rem hanc nihil facit. Formæ enim illæ ſubordinatæ omnes pertinent ad materiam: quod nemo dixerit de animalibus. Et Scholaſtici, ac *Marcus Marci* non rationibus firmis ad opinionem hanc tuendam adducuntur ſed autoritate *Eccleſiæ Pontificiæ.* Et illis hoc non propoſitum eſt, monſtrare, in vno indiuiduo plures eſſe formas poſſe, ſed quia infuſionem animæ rationalis in corpus iam perfectum ſtatuunt, nec tamen formationis cauſſam reddere poſſunt, alij eam ab anima vegetante, alij, quod *Marcus* facit, ab anima ſenſitiua deducunt, nec tamen quid poſt aduentum animæ rationalis de iſtis animabus fiat, docere poſſunt.

De belli, quod hodie geritur, ratione literis multa committere, tutum non eſt. Vbi putauero, litteras meas ad te tutò peruenire poſſe, mentem meam tibi planè aperiam ἐχὶ δεὸς ἐπὶ δίκην ὄμμα: & propterea mutationem aliquam inſtare planè confido.

D. Marci ſententiam impugnat.

Quæ de formis à materia ſeparatis ſcribit *Dom. Marcus*, mihi non probantur, neque rationes eius ſufficiunt. Equidem

à nulla creatura, quod à Deo creatum est, annihilari potest: sed quia Dei liberrimæ voluntati placuit, vt sola anima rationalis hominis esset immortalis, & à corpore separabilis, reliquæ verò cum suis corporibus interirent, non video, cur hac de re dubitandum sit. Libellus, quem milites tabellario eripuerunt, fuerunt meditationes, *de Beata vita & morte*, à *M. Andrea* in Germanicum versæ. Si miles ille aliquid ex eo proficeret, non ei eum inuiderem. Mitto iam aliud exemplar, & tabellas quasdam ab eodem editas. Salutat is, & omnes mei te officiosè. Bene vale cum tua. VVittebergæ, 4. Maij, Anno 1637.

EPISTOLA XCIX.

PERIOCHE.

1. *Doringij ad Auctorem monitio de scriptis circumspectiùs edendis ad calumnias euitandas.* 2. *Quid in eum Anonymus quidam scripserit.* 3. *Cuiusve rei causa Praeotius in eum sit indignatus.* 4. *De surdis & mutis iterum.* 5. *Itemque de pluralitate animarum ab eius opinione dissentit.* 6. *Similiter & de formis à materia separatis.*

D. DANIELI SENNERTO,

MICHAEL DORINGIUS, D.

Controuersijs Medicis cur non nisi raptim vacare possit Doringius.

SQuod Poëta alicubi conqueritur: *Sunt oblita mihi tot carmina:* Idem ego iure meritissimo de Controuersiis istis, siue Philosophicis, siue Medico-chirurgicis, dicere queam, *Clarissime Dom. Affinis & Compater honorande.* Postquàm enim ante hos viginti quinque, & quod iam excurrere incipit, annos, resignatâ statione *Gussena*, in patriam redij, & me Praxi occupatissimæ molestissimæque mancipaui, crebrisque ægritudinibus affectus fui, non nisi rarissimè, & horis quasi furtiuis, talibus meditationibus vacare potui. Quid igitur mirum, si minùs exercitatus vobis, in talibus consenescentibus, & ista per ludum & iocum fermè tractantibus, neutiquam satisfacere videar? Cùm tamen, secundùm illud, *in magnis & voluisse sat sit*: veniam vtique mihi dabis, si meas qualescunque cogitationes tibi interdum aperiam. Integrum enim tibi fuerit statuere, quodcunque placuerit, cùm eius defensio tibi incumbat. Optarim tamen, (ignosce candori) vt quandoque circumspectiùs tua tractares. Ita enim multas calumnias effugere posses. Peruenit nuperrimè in meas manus calumniosum de te iudicium Anonymi cuiusdam, secundæ editioni *Praefices tua sub finem* insertum. Etsi enim iste, ob amorem haud dubiè tui, initio Emblemata titulum ambientia coloribus illustrasset, & aliquò vsque libellum euoluisset, quod notæ marginales & lineæ rubeæ textui hinc inde subductæ satis docuerunt, tamen postea iudicium istud in fine subscripsit.

Quid in Sennertum Anonymus quidã scripserit.

Adscribam id ipsum, non quòd eo delecter, sed vt tu ex eo discas, quod vites. Ita autem habet: *Nisi philosophicus ille tuus aureus torques adeò te torqueret, Sennerte, non certè in gloriam solius Dei tot tantósque tuorum putaminum cuderes, & annuatim recuderes libros. Metuo vt quos iuuciis procreas errores, citò pereãt, aliosq; cautiores reddant. Caeca cacuomnia. Magis amica Veritas, quam Sennertus, nondum adhuc videns omnia audacter decens, & putans, vt qui ipse de se dicit: In communi errore adhuc hereo. E. Quodque parum nouit, nemo docere potest.* Huc vsque Anonymus.

Praeotius de Auctoris mutata opinione indignatus.

De *Praeotio* mihi relatum est, eum tuam quandam opinionem acriter olim defendisse, quam cùm te postea mutasse intellexisset, propterea admodum indignatum fuisse. Atque ista ad te candidè scribo, *mi Domine Affinis*, nullo certè alio fine, nisi vt famæ tuæ consultum velim. Sed transeo ad nostra, & paucis me expedio. Prolixè enim vt scribam, ægra vetat manus. Et primò doceas velim, quid causæ esse putes, quò minus vt post natiuitatem, ita etiam ante eandem, ex priuato vtriusque auris morbo vitio formatricis producto, totalis surditas, ac per consequens (de hac enim principaliter quæstio est) mutitas oriri possit? Et quæ tu mihi dabis signa certa nerui acustici læsi, quæ non ego priuato alicui aurium vitio attribuere valeam? Nam cùm in interioribus auditus organa recondita sint, neque visui, vti oculorum partes pateant tam liquidò, veluti in istis, de parte primario affecta iudicare non possumus. Vide ergo iis, vtra pars maiore probabilitate nitatur.

Opinionem suam de surdis natis confirmat.

Accedo ad animarum pluralitatem. In qua quæstione tu satis quidem verbosus es, & omnibus viribus pro vnitate pugnas: sed miseret me boni *Scaligeri*, quem in prima acie constituis. Quis enim vel per somnium aut febrim dixerit, reliquas animas esse particulas animam rationalem componentes? Et quomodo homo erit Gorgon, cùm reliquæ animæ superiori ancillentur? Non igitur sequitur, vnum indiuiduum diuersis temporibus, diuersis formis specificis informari; quod vtique absurdum. Et dicas tu mihi, citra præiudicium, vtrùm veritati philosophicæ magis sit consentaneum, vel statuere, ignobiliores animas componere se ad nutum animæ nobilioris, vel nobiliori adscribere facultates peregrinas & ab alio principio fluentes? Certè vnusquisque effectus causæ, adæquatè assignandus: & vt dicam quod sentio, disertè affirmo, quòd vno eodemque momento istæ animæ omnes per traducem cum semine à generante deciduntur. Proinde harum animarum nulla alia, quàm cæterarum subordinatarum erit ratio. Coniunge cum istis, quæ ipsus *de spontaneo viuentium ortu*, peculiari *Hypomnemate* commentatus es, & facilius procul dubio in meam sententiam ibis. Nec ignota tibi esse postulo, quæ de transmutatione in bufones vulgò circumferuntur. Legi huius rei historiam in Ciuitatibus montanis *Vngaricis* olim gestam, & manu *Dom. Scholtzij* Patris, annotatam. Altera tua ratio etiam planè nihil concludit: nec absurda, quæ tu comminisceris, sequuntur. Idem iudicium esto de tertia. Perpende igitur denuò attentiùs, annon principium petas, quando *pag.* 320. vegetans, sensitiuum & rationale, tria diuersa esse, & à diuersis formis proficisci, negas. Non facio cum illis, contra quos tu pugnas, quos deceptos esse scribis, statuentes, in aliquo corpore posse esse animam vegetantem solam, in alio sensitiuam, & ab ea indiuiduum aliquod constitui. Nec infusionem animæ rationalis defendo. Hinc quid de cæteris tuis responsionibus sentiendum sit, attende. Nolo omnes repetere.

De animarũ pluralitate Auctoris sententiam conuellit.

De formis à materia separatis quæ scribit *Martius*, altioris sunt indaginis: neque video, num tu omnem difficultatem eo sustuleris, dum ais, liberrimæ Dei voluntati ita placuisse, vt sola anima rationalis hominis esset immortalis, & à corpore separabilis, reliquæ verò cum suis corporibus interirent. Quid si *Martius*, & hîc te principium petere obijciat? Huc ipsum enim est, de quo quæritur. *Lutherus*, vt est in *Vita ipsius per Mathesium edita*, *in* 4. *pag.* 126. aliquando interrogatus, verùm post resurrectionem in nouo mundo bruta etiam animalia futura sint? respondisse fertur, Futura, vtique; siquidem cœlum & terra noua, neutiquam vacua, sed pulcherrimis creaturis refertissima futura sint. Reliqua vide *loco citato*. Bene vale, & cum tuis salue. Dab. Breslæ, die 4. Iunij, Anno 1637.

Lutheri responsum de brutis animantibus post resurrectionem.

EPISTOLA C.

PERIOCHE.

1. *Calumnias ob edita, Auctores & quidem celebriores effugere non potuisse respondet.* 2. *Variis in Academiis Sennerti doctrina sana celebratur.* 3. *Quid de surdis & mutis natis concludat.* 4. *Et quid de pluralitate animarum.*

D. MICHAELI DORINGIO,

DANIEL SENNERTUS, D.

S. *Clarissime Dom. Affinis, & Compater honorande*, Equidem tua admonitio, vt circumspectus sim in meis scriptis edendis, mihi non ingrata est; verùm vix eâ iam opus habebo. Vix enim aliquid scriptorum ampliùs edam. Editaque quod attinet, quod ea calumnias multorum effugere non potuerunt, nihil mirum; cùm idem accuratissimis doctissimorum virorum scriptis acciderit. *Aristoteles* certè, etsi Philosophorum Princeps audiat, & proculdubio summam in suis scriptis concinnandis adhibuerit diligentiam: tamen aliorum censuras, varia iudicia, imò calumnias euitare non potuit. *Galenus* Medicorum Princeps habetur, nec immeritò: at quoties à *Cardano* &

Auctores celeberrimi post scriptorũ promulgationem calumnias effugere nõ potuerãt.

aliis

Digitized by Google

aliis vapulat? Et quod *Galeno* fecit *Cardanus*, idem passus est à *Scaligero*. Nimirum suum cuique pulchrum. Ideoque Anonymi illius (cuius tamen nomen libenter scirem) iudicium nihil moror. Parum enim in eo, vt vel stylus docet, suis eruditionis & iudicij. Et nescio quid reprehendat. Si id culpat, quod multos libros scripsi, nescio an sufficientem reprehensionis caussam habeat. Scripsit multa *Aristoteles*, *Galenus*, *Augustinus*, & è Patribus multi: inter nostros Medicos *Auicennas*, *Rhases*. *Nic. Florentinus*, *Mercatus*. At id potiùs ipsorum diligentiæ tribuitur, quàm culpatur. Si ego forsan tempus, quod à Praxi satis molesta, lectionibus, disputationibus, & aliis negotiis Academicis reliquum fuit otio triuissem, facilè Momorum talium calumnias effugere potuissem. Sed maledictus, qui opus, ad quod à Deo vocatus est, fraudulenter facit. Si verò errores in meis scriptis taxat, monstrare illos debuisset. Erroris aliquem accusare, facile est, sed conuincere, sæpe difficile. Accusauit me etiam hæreseos & blasphemiæ *Freytagius*; sed quàm iniquè, patebit è iudiciis Theologorum in *Academia Lipsiensi*, *Ienensi*, *Marpurgensi*, *Argentoracensi*, *Basiliensi*, *Regiomontana*, *Altorphina*, quæ in publico paulo pòst exhibebo. Et sunt penes me aliorum doctorum virorum iudicia, quæ isti Momo opponere possim: sed non opus est in ea re laborare. Id miror, cur materiam hoc suum Physicæ inscripseris, quam ex optimis *Aristotelis* Interpretibus saltem collegi. Habuisset potius in aliis libris, quod carpere potuisset. Si plura, quam nonnulli volunt, scripsi, factum infectum fieri nequit. Et si id quod volui, semper assecutus non sum, tamen voluntas forsan laudanda. Tu verò planè cautè egisti, quòd ea, quæ te editurum dudum promisisti, non edis. Ita enim omni reprehensione cares.

Sennerti doctrina variis in Academiis sana celebratur.

Quæstionem illam de mutis & surdis à natiuitate, quod attinet, iam eò redire video, vt quod sentio dicam, eam surditatem & mutitatem oriri posse tam ex priuato auris vtriusque natiuo vitio, quam ex neruo acustico, à natiuitate sese non rectè habente. Vtra verò in hoc vel illo indiuiduo caussa adsit, siquis certò dignosci non posse.

Quid de surdis & mutis concludat.

In Quæstione de Animarum pluralitate, scopum meum non satis assequeris. Contra eos enim primariò quæstionem istam defendi, qui rationalis animæ in corpus iam formatum infusionem defendunt; & cùm certam formationis corporis humani caussam dare non possint, anima rationali adhuc ex ipsorum sententia, absente, alij ad animam vegetantem, alij ad sensitiuam absurdè confugiunt. His ego obiicio, absurdissimum esse, vnum indiuiduum diuersis temporibus, diuersis formis specificis informari. Si verò tu etiam animæ rationalis per traducem propagationem concedis, mihi perinde est, siue plures animas in vno indiuiduo, siue plures vnius animæ facultates concedas. Scio enim hanc quæstionem in vtramque partem subtiliter disputari posse. Si tamen vis, vt candidè dicam sine præiudicio, vtrum veritati magis sit consentaneum statuere, ignobiliores animas componere se ad nutum nobilioris, vel nobiliori adscribi facultates peregrinas ab alio principio fluentes: Respondeo, ad quæstionem istam hoc modo formatam me nihil respondere posse. Equidem concedo, formas quæ ad animæ subiectum pertinent, instruere animæ, & verbi gratia, vim purgandi non ab anima rhabarbari, sed à forma (animam non dixero) subordinata prouenire: at in homine facultatem nutrientem, sentientem, mouentem, esse animæ rationali peregrinas, & ab alio fluere principio, non concedo, sed dico, etiam formatricem facultatem corporis humani, esse vnius formæ specificæ hominis propriam; sicut formatio corporis bubuli est propria animæ bouis. Et malè præsupponitur, facultatem formatricem in boue, esse eandem cum facultate formatrice in homine. Et quid, quæso, absurdi est, ab vna forma plures & distinctas fluere facultates? sicut ab vna magnetis forma fluit vis trahendi ferrum, & se conuertendi ad polum.

Quid de animarum pluralitate.

Statum nostrum, & caussam sui hinc discessus, exponens tibi, qui has exhibent, *Domin. Georgius Tittius*, & *Domin. Martinus Iehde*, quibus, me etiam non rogante, benefacies. Prædones istos, latrones, & incendiarios *Torgam* deseruisse procul dubio ex fama publica cognouisti. Spero, Deum ipsos ad meritas pœnas pertracturum. Non defensoribus istis Ecclesia Christi eget. Si historiam illam transmutationis coturnicum in bufones, à *Domino Scholtzio* annotatam, mihi communicaueris, rem gratam feceris. Salutant te cum tua omnes mei. Bene vale. VVittebergæ, 36. Iunij, Anno 1637.

Coturnicum in bufones transmutatio.

EPISTOLA CI.

PERIOCHE.

2. Ab Hofmanno D. VVeissensee commendatus ab Auctore benignè excipitur & laudatur. 2. Manuscriptum Galeni penes Budaum ab Hofmanno, desideratur. 3. Socordes plurimos criminatur Medicos.

D. CASPARO HOFMANNO

PROFESSORI PVBL. ALTORPHINO,

DANIEL SENNERTVS, D.

De dandis ad me litteris dubitatione nullâ opus erat, *Clarissime & Excellentissime Vir, Domin. & Amice honorande*. Nam & *Domin. Petrus VVeissensee* commendatione dignissimus est, & tuæ litteræ mihi semper gratissimæ, túque charissimus: affectúsque huius in te mei testes literas ad te dudum exaraui; verùm *Lipsiæ* illas adhuc hærere, nuper primùm ab amico quodam accepi. Quæso ergo de me nihil sinistri suspicare: cùm si quid hactenus, quod suspicionem aliquam mouere potuit, accidit, non meâ, sed nescio cuius culpâ factum sit.

Cæterùm *Dom. Petrum VVeissensee*, quem mihi commendas, habebo commendatissimum, & si qua in re ipsum iuuare potero, illi meâ operâ non deero. Agnoui in eo animum erga benefactores memorem. Cùm enim procul dubio tibi aliquibus nominibus obstrictus sit, quamprimùm hoc venit, ea in se quæ tibi gratissima est, de se bene mereri studuit, & Galeni tui partes studiosè egit. Nihil verò magis optarim, Quàm vt vel hac ipsa in se animum tui studiosum declarare possim. Verùm cùm de me in hoc genere multa polliceri non habeam, apud alios ea de re inquisiui. Certior ergo factus sum, esse *Halberstadij Medicum Guil. Budaum*, qui & ipse ante aliquot annos editionem *Galeni* Græcam molitus est, quam tamen iam senio confectus vix absoluet. Penes eum (vt habet bibliothecam instructissimam) est *Galeni* M S. exemplar, quod *Cornarij* fuisse dicitur, & libri aliquot *Galeni* (si vera mihi narrantur) nondum editi, quos omnes ex Bibliotheca *Mich. Neandri Ilfeldensis*, adeptus est. Cogitabo ergo quâ ratione (parum enim affabilis esse dicitur) si quid habet quod tuis commodis inseruire possit, ab eo impetrare queam. Faciam & laudatissimi tui conatus & studij apud Collegas & alios amicos mentionem, nihilque mihi gratius erit, quàm si de me conceptæ spei & opinioni aliquo modo saltem satisfacere possim, & hac etiam in parte rem medicam iuuare. Nescio enim quid mali animus præsagire videtur, dum à plerisque rem medicam tam negligenter tractari, nec eum qui debebat, ardorem discendi in iuuentute animaduerto; plurimos etiam antiquorum scripta planè negligere video, & iam Doctores Medicinæ sunt, qui Galenum nunquam legerunt, imò vix oculis vsurparunt. Sed quò delabor! Tibi maximæ debentur gratiæ, quòd huic morbo remedium quæris. Deus tuos conatus fortunet, diúque te superstitem & incolumem conseruet. Tu verò me ama. VVittebergæ; 8. Febr. 1623.

D. VVeissensee commendatione Hofmanni ab Auctore benignè recipitur.

Galeni M S. exemplar penes Budaum.

Rem Medicam à plerisque male tractari conqueritur.

EPISTOLA CII.

PERIOCHE.

1. De exemplari Græco M S. apud Budaum asseruato rumor falsus. 2. Qua ratione typis excusum ab ipso impetrari possit Hofmannum docet 3. Cur huius Operis secundam editionem Budaus protraxerit.

Digitized by Google

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

De exemplari Græco M S. apud Budæum aſſeruato rumor falſus.

SP. *Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Domine & Amice honorande.* Vt ſolet Fama eſſe tam ficti falſique tenax, quàm ouncia veri: ita quæ de *Domino Budae* mihi relata ſunt, noo omnia vera eſſe, ex literis eius cognoui. Nullum enim habet exemplum Græcum M. S. ſed tria typis excuſa, è quibus illud magni facit, quod *Cornarius Hervagio* excudendum tradiderat: quod quale ſit ex epiſtola iſta ad *Rethmannum*, qoam ad me miſit, cognoſces. Si tuo vſui id exemplar inſeruire poſſe potas, tentandum, an ab ipſo impetrari poſſit. Suaſerim itaque, vt ipſe ad eum literas exares, quibus meas libens coniuogam. Etſi enim editionem Operis iſtius, vt ex literis eius cognoui, ipſe adhuc promittat: tamen quaotum de eius ætate & vitæ ratione ex aliorum relatione mihi conſtat, ego de illa editiooe planè deſpero. Et cùm ſcribat, ſe hanc editionem hactenus protraxiſſe, deterritum romore, quo ferebatur *Galeni* Opera Græco-latina *Venetiis* ex *Iuntarum* Offitina ſuperioribus annis in lucem prodituta: forſan & toum iostitutum, ſi de eo à te certior fieret, eum deterrere, & ad exemplar illud *Galeni* communicandum commouere poſſet. Si quid porrò, quod tuæ Excell. gratum & acceptum eſſe poſſit, præſtare potero, io me nihil deeſſe patiar. Bene vale, VVitebergæ, 25. Febr. 1625.

Cur operis iterata editionem protraxerit Budæus.

EPISTOLA CIII.

PERIOCHE.

1. *Ad Hofmannum cur Auctor reſponſum tamdiu diſtulerit.* 2. *De Budæi editione deſperat.* 3. *De ipſo acerbè conqueritur.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Auctor cur ad Hofmannum reſponſum diſtulerit.

S Exſpectare te meum reſponſum, nullus dubito, *Vir Excellentiſſime & Clariſſime Domine & Amice plurimum honorande.* Et ego quidem hactenus ad reſpondendum fui promptiſſimus: Verùm quia *Dom. Budæi* literas mihi argumentum ſcribendi ſoppeditaturas ſperaui, reſpoonſum hactenos diſtuli. Sed fruſtrà. Rediit eoim hiſce diebus ad nos Studioſus quidam Medicinæ, coi tuas ad *Domin. Budæum* commiſeram: ſed ſine *Domini Budæi* literis ad nos rediit. Idem tamen, cum quo, vt boc negotium præſens vrgeret, ſeriò egeram, ounciauit, quantum ex colloquio cum *Domino Budæo* colligere potuerit, vix aliquid ab ipſo nos impetraturos, eùm ipſe *Galeni* editionem adhuc polliceatur. Referebat & hæc, promiſiſſe qoidem *Domin. Budæum*, ſe VVittebergam typorom comparandorum gratia venturum, & mecum coràm hac de re acturum: ſed de eius aduentu ego valde dobito. Dubito etiam, imò deſpero de iſta *Budæi* editiooe. Ita vides, *Vir Excellentiſſime*, multos inuidia ductos incremento rei literariæ obeſſe, & canes in præſepi eſſe, ipſoſque nihil præſtare, & aliorum conatus, quod poſſent, noo ſolùm noo iuuare, ſed & impedire. Me vt excuſatum habeas, rogo: egi tuam cauſſam fideliter apud hunc homioem; ſed fruſtrà. Nam nec reſpooſo me dignatus eſt. Ego ſi quo modo hîc te iuuare potero, in me nihil deſiderari patiar. Bene vale, & me ama. VVittebergæ, Cal. Iulij, 1625.

De Budæo acerbè conqueritur.

EPISTOLA CIV.

PERIOCHE.

1. *De D. VVeiſſenſee reditu.* 2. *De eius valetudine & quid ipſi præſtandum ſit, breuiter conſulit.* 3. *Hofmanni curis illum commendat.*

DE CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

S Rediit ad vos, ſeu potiùs traoſit ad vos, *Vir Excellentiſſime, & Cl. Dom. & Amice pl. honorande, Dom. Petrus VVeiſſenſee.* In *Italiam* iter eum meditari intelligo. Quod vt feliciter, & cum multo ſtudiorum fructu expediat, opto. Eſt aliàs, vt animaduerto, valetudinarius, & ad melancholiam, eamque nou leuem diſpoſitus. Ideoque dabit operam, vt houeſtis oblectamentis animum recreet, eaque omoia vitet, quæ quamuis in ſpeciem grata, aliquid auſteritatis in animo relinquere poſſunt. Qua de re proculdubio Excell. Tua, quam vt patrem veneratur, eum monebit, & neceſſariis ad iter præceptis inſtruet. A *Dom. Budæo* nihil hactenus literam accepi: vix ab eo aliquid extorquebimus. Si alio modo tuum laborem & conatum iuuare potero, nihil deſiderari patiar. Bene vale. Vittebergæ, 9. Octobr. 1623.

Breue pro D. VVeiſſenſee valetudinario conſilium.

EPISTOLA CV.

PERIOCHE.

1. *Hofmanno felicem laborum euentum precatur, & omnem ex parte ſua opem præſtiturum, promittit.* 2. *Quid in Opere Galeni corrigendum notauerit.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS. D.

S Gratulor tibi de tua felicitate, *mi Hofmanne*, & quod Opus *Galeni* Latinum, quod *Cornarius* ſua manu correxit, nactus es. De *Budæo* inquiſiui. Viuit adhuc. Cum amicis tamen ita tranſegi, vt ſi quid ipſi humani accidat, me maturè moneant. Deus tuos labores fortunet, & faxit, vt opus iſtud feliciter abſoluas. Inueniuntur Typographi, qui ſumtus in id facieot. Nou ſi malè ounc, & olim ſic erit. Vtinam verò ego pro mea parte labores tuos iuuare poſſem. Nunc verò oihil ad manus eſt, oiſi hoc, quod nuper in lectione *Galeni* obſeruaui, *lib. de Morb. diff. c.* 11. ἔτι διασώζοντος τοῦ συνδέσμου ἢ ἀρτηρία, procul dobio legendum eſſe ἄρτημα. Loquitur enim *Galenus* de Apoſpaſmate, ad cuius deſcriptionem ἀρτηρία parum quadrat. Bene vale, VVittebergæ, 10. Maij, 1625.

Hofmanno, felicem laborum euentū precatur.

Quid in Opere Galeni corrigendum notauerit.

EPISTOLA CVI.

PERIOCHE.

1. *De Budæi morte & ſepultura inhonorifica.* 2. *Omnem curam pro codice Aldino recuperando adhibiturum Hofmanno pollicetur.*

D. CAS

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Budai, mors & sepultura.

Omnem curâ pro Aldino codice recuperando adhibiturum Hofmanno pollicetur.

Vitam tandem hanc mortalem deseruit, *Vir Cl. Dn. & Amice honor. D. Budæus*: sed non cum magna laude. Ministri enim Ecclesiæ *Halberstadiensis* sepulturam ipsi in publico cæmiterio denegarunt, quòd ab annis 20. se S.Synaxi abstinuisset. Tandem Canonici in suum deambulacrum ipsum receperunt. De *Galeno* negotium *Schnrero* nostro commisi: qui patriâ *Halberstadiensis* est. Is iam eam ob rem ad cognatos scripsit. Quicquid tui caussa facere poterimus, faciemus promtissimè, & te in vasti hoc labore quocunque modo poterimus, adiuuabimus. Bene vale. VVitteberga, 14. Iunij, 1625.

EPISTOLA CVII.

PERIOCHE.

1. *De militis VVallensteiny depopulationibus, qui Bibliothecis etiam non pepercerunt. 2. Studia à bello interrupta.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Bibliotheca à militibus expilata.

Vir Cl. Dudum, vt opinor, impetrassem codicem illum Aldinum *Budæi*, nisi bellicæ istæ turbæ interuenissent. Verùm necdum despero, eumque in tuto adhuc esse puto. Etsi enim miles *VVallensteinius* Bibliothecis etiam, quæ in manus eius venerunt, non pepercerit, sed aliquot librorum plaustra (vt & alia, è quibus nummi spes aliqua affulget) hic prætervexerit, Bibliothecam tamen Canonicorum *Halberstadiensium*, in quam codicem illum translatum audio, saluam esse puto. Modò, quod Deum precamur, tandem Pax iterum nobis affulgeat. Academia nostra partem maximam dissipata est, dum parentes liberos metu periculi bellici auocant: etsi, Dei beneficio, nihil periculi adhuc experti sumus, quanquam quod dicitur, *Hannibal* fuerit & sit adhuc ad portas. Bene vale 28. Maij, 1626.

Studia à bello interrupta.

EPISTOLA CVIII.

PERIOCHE.

1. *Codicem Aldinum Budai sollicitè conquisiturum Hofmanno scribit. 2. Pax Germania adhuc anceps. 3. Hofmannum Auctor congratulatur de vita simili cursu, & prouincia.*

DE CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Codicem Aldinū Budai sollicitè conquisiturum Hofmanno scribit.

Dudum aliquid litterarum ad te dedissem, *Vir Cl. Dn. & Amice honor.* si de Codice Aldino *Budai* aliquid certi cognoscere potuissem. Non solùm enim bellum illud vicinum omnia turbat; sed etiam *Zacharias Schnrerus*, patriâ *Halberstadiensis*, cuius operâ in hoc negotio vsus sum, in viuis superiore anno esse desiit. Metuo præterea, ne in manus Iesuitarum *Galenus* ille veniat. De Canonicorum Collegio ab ipsis occupato nihil dum audiui: Interim tamen alia templa *Halberstady* inuaserunt; & proinde etiam huic Bibliothecæ periculum imminet. Inquiram tamen de Nobili *Leopoldo à Rosing*. & eius quondam Præceptore *D. D. Henrico Duderstadio*, & omnibus quibus possum modis, id agam, vt codicem hunc nanciscar. Quod me facilè impetraturum puto, modò bellici tumultus isti sedentur. De pace etiam apud nos multi sermones, sed nulli ad eam adhuc apparatus. Quinimò gangræna ista in dies latiùs serpit, & de *Brandeburgo Marchionum* 12. die April. à milite Cæsariano occupato, procul dubio aliquid inaudiuisti.

Brandeburgū Marchionū à Cæsarianis occupatum.

Quin etiam è literis tuis intellexi, ætate nos penè esse pares, amemus nos mutuò, & prouinciam istam, quæ nobis etiam similis, imò ferè eadem obtigit, pro virili administremus, & quod nostrarum est partium, sedulò agamus. Cætera Deo, qui nos in hanc stationem collocauit, committamus. Bene vale. Scr. VVittebergæ, 17. April. 1627.

EPISTOLA CIX.

PERIOCHE.

1. *Pro Galeni libro de ossibus gratias agit, & vt Galenus sic expolitus ab eo totus prodeat in lucem, cupit. 2. Mecænates Doctorum virorum paucos esse conqueritur. 3. Librum tertium Practicæ prælo submittit.*

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Cl. & Excell. Vir, Dn. & Amice pl. honor. Quòd *Polnerum* humaniter suscepisti, habeo gratias. *Dn. M. Georgio Mair*, rursum quæ potero, exhibebo officia. Pro *Galeni libro de ossibus*, habeo gratias maximas. Vtinam tandem totus *Galenus*, hoc modo expolitus & exornatus à te, lucem adspiciat! Laborem certè te eum impendisse video, quem vix aliquis imitabimur, compensaturus verò satis, vt nunc sunt tempora, nemo. Egisti id, quod hortulani solent, qui rarò arborum, quas plantant, fructus percipiunt, sed posteris percipiendos relinquunt.

Hofmanni comment. in Gal. lib. de Ossibus.

De Mecœnate, qui sumtus faceret in Studiosos aliquot, qui tibi succurrerent, cogitaui, & in eam veni sententiam, vix hoc rectiùs quenquam præstare posse, quàm vestros Mercatores, penes quos, & militum duces hodie pecunia est. Quotus enim quisque Principum hodie in *Germania* est, cuius thesauros istud bellum non exhauserit? Libros tuos *De generatione hominis*, vidi & peruolui, accuratè nondum legi, cùm iam occupatus sim *in lib. 3. Pract.* qui iam sub prælo est, absoluendo. Legam quamprimùm otium fuerit, B. V. VVittebergæ, 20. Iunij, 1630.

Germaniæ Principes bello exhausti.

EPISTOLA CX.

PERIOCHE.

Actor Hofmanno Mullerum commendat tum propter Parentis merita, tum propter eiusdem artis Medicæ studium.

D. CASPARO HOFMANNO,

DANIEL SENNERTVS, D.

Cl. atque Excell. Doctor, Amice honor. Petiit à me commendatitias literas, qui has exhibet, *Samuel Mullerus*. Vratislauiensis, Ciuis meus. Eas ipsi denegare non potui, cùm Parens eius sit amicus meus antiquus & Ecclesiæ *Vratislauiensis* Archidiaconus bene meritus. Sperat se è tua institutione felices in arte Medica profectus: neq; dubium est, quin eius commodis & studiis multum prodesse possis. Id vt facias, amicè oro, & mutua officia polliceor. Quis rerum nostrarum status sit, ipse te edocebit, & proinde opus esse non puto, vt pluribus ea de re ad te scribam. Deus tandem desideratam diu Pacem *Germania* restituat, & Ecclesiam suam tueatur. B. V. VVitteberg. 2. Maij, 1631.

Mullerum Medicinæ studiosum Hofmanno commendat.

EPISTOLA CXI.

PERIOCHE.

1. *Auctor Bellum Germania doctos eripuisse dolet, & ideo iuuenes magnam passuros iacturam. 2. Constantem amorem suum Hofmanno significat. 3. De Animarum origine & dubij solutionem ab Hofmanno petit. 4. De pace Germaniæ rumores varij.*

D. CASPARO HOFMANNO, DANIEL SENNERTVS, D.

Rei literariæ quantum damnum bella attulerint.

S. Quantum, *Vir Excel & Cl. Dn & Amice p. honor.* bella ista in *Germania* eiusdem rei litterariæ damnum afferant, etsi aliquomodo perspicimus: tamen posteritas, si qua futura est, id maximè sentiet, vbi qui supersunt viri docti, è superiorum felicium temporum disciplina, è viuis excesserint. Cùm enim, Scholis publicis passim dissipatis, neque docentibus neque discentibus locos sit, & iouenibus ad studia sumtus necessarios contributiones militares præripiant: pauci erunt, qui lampada à maioribus accipere poterunt. Interim agamus, qui in docendi munere versamur, quod possumus: reliquum Deo commendemus. Cùm Academiæ huic Deus clementissimus mediocrem tranquillitatem concesserit, & nihil damni ab hoste, etsi aliquid molestiæ à milite præsidiario, ea senserit, feci, quod potui. Tuos labores belli istas calamitates interturbasse, ex animo doleo. Interim quòd Deus in istis præsentissimis periculis te clementer conseruauit, mihi gaudeo, tibi gratulor: & propterea facere non potui, quin has litteras ad te darem, usque tibi significarem, me pristinum erga te amorem inter *Germaniæ* istas mutationes non mutasse, sed firmiter inuiolatum retinere. Ne tamen litteræ hæ vacuæ sint, etiam aliquid quod studia nostra concernat, iisdem inserere volui. Inter omnes quæstiones Physicas via vllam difficiliorem, simul tamen vtiliorem esse existimo, quàm illam de formarum, & inprimis Animarum origine. De qua etsi discrepantes sunt Philosophorum opiniones: te tamen meum consentire, & formarum propagationem & multiplicationem à benedictione diuina, statuere video: atque sententiam istam sam firmis rationibus munitam existimo, vt necessariò ei assentiatur, quisquis animum anticipatis opinionibus fascinatum non habet. Etsi verò nonnulli animam rationalem seu humanam excipiunt, & ob quandam prærogatiuam, eam non à Parentibus propagari, sed diuinitùs infundi statuunt, te tamen cum iis non tacere, ex *lib. 2. cap. 2. de Generatione hominis* clarè patet: cui & ipse assentior. Quia verò vnum dubium mihi occurrit: Quomodo nimirum, stante hac opinione, Animæ humanæ immortalitas defendi possit? vt illud mihi soluas, amicè peto. Cùm enim accidere possit, vt, licèt virile semen fœcundum sit, si tamen accidat, vt vterus matris sit malè dispositus, nulla fiet conceptio, sed effundetur.

Quæstio de Animarum origine difficilis & vtilis.

Quid de ea sentiat Auctor.

Quæritur ergo quid de Anima, quæ cum semine à Parente propagata fuit, tunc fiat? Eadem difficultas sese obiicis cùm ex semine paterno fæcundo, vteri vel sanguinis materni vitio, non homo, sed mola generatur.

De hac ergo quæstione, si tuam sententiam mihi aperueris, & quomodo dubium istud solui possit, mihi explicaueris, rem mihi gratissimam feceris.

Rumores de pace Germaniæ.

Deus tandem Pacem optatam *Germaniæ* restituat: de qua quidem passim multi sermones, & hactenus sat diu de ea, inter Legatos Cæsarianos & Electorales tractatum; sed nondum, vt ego quidem existimo, aliquid conclusum. Redierunt Cæsariani ante dies non ita multos Viennam: An reuersuri, Pacis conditiones à Cæsare approbatas apportaturi sint, multi dubitant. In Deo confidamus, qui Ecclesiam suam non deseret. Tu verò, *Vir Cl.* bene vale, & Sennertum, vt ab eo amaris, ama. VVittebergæ, 25. Nouembr. 1634.

EPISTOLA CXII.

PERIOCHE.

1. Galenus circa facultatem formatricem humani corporis sibi non potuit satisfacere. 2. Auctor de Animarum origine quid sentiat. 3. Pro Librorum Hofmanni editione sollicitus.

D. CASPARO HOFMANNO, DANIEL SENNERTVS, D.

S. P. *Vir Cl. & Excell. Dom. & Amice plurimùm honor.* Quod *Galeno* quondam accidit, idem & mihi euenit. Vt enim ille, cùm de facultate Formatrice corporis nostri diligenter cogitasset, nec quod animum satiaret, inuenisset, & a Philosophis sui temporis id discere frustrà conatus esset, magnâ se tristitiâ affectum scribit: ita & ego, postquam diu de Animæ origine cogitaui, tandémque tecum in eam sententiam veni, eam nō infundi diuinitùs, sed per traducem, vt loquuntur, propagari, illud inprimis dubium occurrit, Quomodo animæ immortalitas cum hac opinione stare possit? eiusque solutionem nec ab aliis, nec à te etiam à quo eam inprimis sperabam, accipere potui; tametsi te eâ de re cogitaturum, & si quid probabile saltem, ac verosimile inueneris, mecum communicaturum, confisus fuerim. Graue peccatum abusum seminis esse scio, & in Onam punitum. At quid dicetur de Coniugio, vbi iam fœmina concepit, vel ad conceptionem inepta est, & tamen virile semen effunditur? Quid tum de anima fit?

De Animæ rationalis origine, Auctoris sententia.

Labores tuos & scripta quod attinet, doleo ea in turbulenta ista *Germaniæ* tempora incidisse, in quibus non reperiuntur, qui labores tuos remunerentur, & scripta typis suis ad posteritatem propagent. Verùm & hîc Deus prouidebit, & pacem dabit quam speramus, nondum tamē affulgere videmus. Interim rectè facis, quòd à cœptis laboribus non desistis, sed porrò etiā de posteritate benè mereri pergis, libros seu [illegible], seu *Apologias Galeni* scribendo. Quibus edēdis, vt Typographum cōciliarem, dedi diligenter operam: sed nullū inter nostros inuenire potui. Et mei ipsi etiā Libri, inprimis sextus & vltimus *Practicæ*, quem ferè absolui hærent, partim ob papyri defectum, cùm omnes pene papyri Officinæ in vicinia à militibus dirutæ sint; partim ob Bibliopolarum inopiam, quos contributiones militares exhauriunt, quique ex librorum venditione parum iam lucrantur. Scripsi ergo *Lipsiam* ad quendam amicum, qui apud Bibliopolas hoc nomine inquisiuit: qui quidem & ipsi iisdem de caussis se excusant, non omnem tamen operam denegant; priùs tamen de conditionibus, quas adiuncta scheda exhibet, certiores fieri cupiunt. Tuam ergo mentem de iis declarabis. Si qua in re porrò tuis commodis inseruire potero, in me nihil desiderari patiar. B.V. cum omnibus tuis. VVittebergæ, 24. Februar. 1635.

Pro Hofmanni Librorum sollicitus.

EPISTOLA CXIII

PERIOCHE.

1. An Animæ Rationalis immortalitas cum Traduce possit consistere. 2. Si quid ab Hofmanno probabile de ea quæstione inuentum sit, communicari sibi postulat. 3. Hofmanno proponit Bibliopolarum conditiones pro eiusdem librorum editione.

D. CASPARO HOFMANNO, DANIEL SENNERTVS, D.

S. *Vir Cl. & Exc. D. & Amicè plurimùm honor.* Litteris tuis proximis statim respondi. Quia verò hactenus a te nullas accepi, dubito, an meæ tibi redditæ sint. Summam ergo earum, quæ prolixiùs tum scripsi, breuiter hic repeto. Vt *Galenus* doluit & tristitia affectus est, cùm de vi formatrice corporis nostri, omnes sui sæculi Philosophos & Medicos percontatus esset: ita & ego doleo, quòd ad quæstionem illam, quomodo immortalitas Animæ nostræ cum Traduce consistere possit, à te nihil aliud, nisi istud, *Nescio*, accipio. Et propterea rogo, vt si vel interea aliquid probabile tibi in mentem venit, id mecum communices. Deinde libros tuos, quos seu pro *Galeno*, seu *in Galenum* scripsisti, quod attinet, spero me *Lipsiæ* inuenturum, qui in eos imprimendos sumtus faciat. Is tamen de sequentibus certior priùs fieri vult. Quid materiæ ij contineant: An sint controuersiæ, vel commentarij, vel Epitome è *Galeno*: Quantæ molis sint futuri, & quantum papyri requirant; Quid pretij pro iis expetas: Quâ formâ sint excudendi. De quibus si mentem tuam mihi aperueris, negotium hoc quocumque modo potero, promouebo. Interim B.V. VVittebergæ, 21. Aprilis, 1635.

Animæ immortalitas an cum Traduce possit consistere.

Epistolarum Medicinalium Danielis Sennerti,

FINIS.

A01 1461012

Google

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM,

Quæ in Tomo Quinto & Sexto continentur.

A

Digitized by Google

B

C

D

E

Index Rerum,

F

Galli

G

H

I

L

Index Rerum,

M

Morbus.

Digitized by Google

Rob

Tartarum

Index Rerum;

Vitriolum,